2a 4-1
Biblioteca Universitaria Granada
Sala A

Del Colegio de la Compa de Jesus de Granada
R 3717

# SANCTI BONAVENTVRAE EX ORDINE MINORVM, S. R. E. EPISCOPI CARD. ALBANEN. EXIMII ECCLESIAE DOCTORIS Operum

## TOMVS TERTIVS,

Sermones de Tempore ac de Sanctis complectens.

AD S. D. N. CLEMENTEM VIII.
PONTIF. MAX.

Sermonum ſeriem indicat Pag. 8.

*CVM PRIVILEGIIS.*



ROMÆ
Ex Typographia VATICANA.
CIↃ. IↃ. XCVI.

Z IV—4

2a 4—1

Biblioteca Universitaria
Sala
Estante
Tabla
Número

Del Colegio de la Compª de Jesus de Granada

R 3917

# SANCTI BONAVENTVRAE

EX ORDINE MINORVM,

S. R. E. EPISCOPI CARD. ALBANEN.

EXIMII ECCLESIAE DOCTORIS

Operum

## TOMVS TERTIVS,

Sermones de Tempore ac de Sanctis complectens.

AD S. D. N. CLEMENTEM VIII.
PONTIF. MAX.

Sermonum ſeriem indicat Pag. 8.

*CVM PRIVILEGIIS.*



ROMÆ

Ex Typographia VATICANA.

CIƆ. IƆ. XCVI.

# SANCTISSIMO PATRI
## ET DOMINO NOSTRO
# CLEMENTI VIII.
## PONT. MAXIMO.

QVAE olim (Beatiſsime Pater) in Sacris Litteris explicandis, vſui fuerunt ſanctis Eccleſiæ Patribus, ea ferè omnia Sanctus Bonauentura, diuinis ſtudijs attentiſsimus, mirandum in modum complexus eſt. Nam, quod ad Exegeticum genus pertinet, id perſpicuè manifeſtum fit, ex ijs præſertim expoſitionibus, quas in vtrumque Teſtamentum ab eo ſapienter ac doctè elucubratas Primo atque item Secundo Tomo complexi ſumus. Alteram verò illam exponendi rationem hoc Tertio comprehenſam Tomo, Sermonibus, & Homilijs, Concionibûsve feliciter eſt aſſecutus. Laudant ſapientiſsimi viri, in hac exponendi facultate, Græcos inter Doctores, magnam Nazianzeni vim; doctam Nyſſeni ſubtilitatem; auream Chryſoſtomi eloquentiam; temperatum Baſilij Magni dicendi genus: Inter Latinos autem, ſingularem Sancti Patris Auguſtini doctrinam; miram Leonis Magni grauitatem, & copiam; fructuoſiſsimam Gregorij Magni moralitatem, ſententijs refertam; vtiliſsimamq. Bernardi, Doctoris mellitiſsimi, ſuauitatem, magna cum deuotione coniunctam. Quàm verò Bonauentura ſanctiſsimus in hoc explicandi, docendiq. munere ad piam animarum inſtitutionem & vtilitatem diligens fuerit, quàmq. exercitatus & verſatus, ex eo in primis licet animaduertere, quòd de ſingulis anni temporibus tam multos conſcripſerit Sermones, nullumq. feſtum diem alicui Sancto, vel Apoſtolo, vel Euangeliſtæ, vel Martyri, vel Confeſſori, vel Virgini ſacrum prætermiſerit, in quo Sermones vel plures, vel ſaltem vnum non habuerit, præter illos ad dies Dominicos, & ad primarias quaſque Feſtiuitates pertinentes, Communesq. item alios, qui alicui peculiari Sancto vel Sanctæ facillimè accommodari queunt. Eſt etiam cur in eodem Sancto Bonauentura mirabilem deuotionem cum doctrina coniunctam, & Sacrarum Litterarum luminibus, quaſi

ſtellis quibuſdam, vndequaque ac perpulchrè ſplendeſcentem agnoſcamus, ac celebremus: huc enim ſpectare videtur quod à Tritthemio de hoc Seraphico Doctore non minus appoſitè, quàm ingenioſè dictum eſt hiſce verbis: *Multi doctrinam proferunt, deuotionem prædicant multi: pauci, ſcribendo libros, docuerunt vtramque. Bonauentura autem & multos ſuperauit, & paucos; dum eius doctrina deuotionem; deuotio inſtruit doctrinam.* Hi enim Sermones etſi preſſo dicendi ſtylo conſcripti ſunt, ſacrarum tamen litterarum ſententijs, necnon varia ſæcularium ſcientiarum eruditione, Chriſtianaq. deuotione ſunt refertiſsimi, tum ad vitia exagitanda, & radicitus euellenda; tum ad virtutum officia perſuadenda, & luculenter propaganda. Quare (Beatiſsime Pater) vtiliter, atque è Chriſtiana Republica id fieri viſum fuit, vt Sermones ſcilicet tam egregios, tam pios, tam doctos, tam varia eruditione reſperſos, tamq. appoſitos ad ſacrorum, ſolemniumq. temporum rationes, antea variè diſperſos, in hunc Tomum colligeremus, eoſdemq. aliorum, vtpote Bonauenturæ Patauini, Petri Aureoli, & Franciſci Mayronis Sermonibus confusè permixtos, veluti Seraphici Bonauenturæ puros, ac genuinos, quoad fieri poſſet, ſeligeremus. Quantum autem induſtriæ ac laboris non ſolum in Sermonibus ſeligendis, ſed in ijſdem item à tam numeroſa, ne dicam infinita, erratorum varietate expurgandis præſtitum ſit, facile dictu non eſt: erant enim omnia aut Librariorum, aut Typographorum incuria, atque inſcitia, aut quo caſu neſcio alio, ita confuſa & deprauata, ita mutila & lacera, ita hiantia & malè concinnata, immo in alienum ſenſum prauè detorta, vt ſæpiſsimè vix, aut ne vix quidem intelligi poſſent, vocibus interdum interpoſitis ab omni ſenſu remotis. Huc accedit (Beatiſsime Pater) quòd innumerabiles ipſius Scripturæ ſacræ, necnon cuiuſuis veterum Auctorum generis auctoritates ſeu ſententiæ, à Sancto Bonauentura adhibitæ, ſed non laudato illius Scriptoris loco, vel non citato, ex quo ipſæ erant deſumptæ; incredibili à nobis labore, magnoq. ſeu potius immoderato temporis interſtitio, ac diſpendio inuentæ ſunt, & ad marginem ſuis in locis conſcriptæ. Hæc planè omnia non ſolùm hiſce in Sermonibus, ſed in cunctis eiuſdem Doctoris Operibus, multorum annorum interuallo, & non ſine manifeſto vitæ periculo, præſtita eſſe conſtat. Quæ autem erant à principio Pontificatus Sixti V. fel. rec. eiuſdemq. Pontificis Maximi iuſſu emendari cœpta, maioriq. ex parte iam typis mandata, nunc ſub felicibus tui Pontificatus Auſpicijs, poſtrema impoſita manu, glorioſi tui Nominis inſcriptione tandem aliquando in lucem prodeunt. Reliquum eſt, (Beatiſsime Pater) vt Sanctitas Tua meas haſce lucubrationes, qualeſcumque ſint, ſuſcipere non aſpernetur; meq. ipſum, tantis ab Ea beneficijs affectum, ſub ſui præſi-

dij, &

dij, & patrocinij fauore tueri, ac iuuare, ſicut Clementia Tua, Clemens Pater, poſtulat, non deſiſtat; atque item efficiat, vt Typographia Apoſtolica Vaticana, præclarum & vndequaque laudatum Sixti V. ſempiternæ memoriæ inſtitutum, Pontificia ope ad huius generis partus edendos præſtita, priſtinas vires reparet, priſtinamq. maieſtatem recipiat, eruditis viris, ad honeſtos labores, atque ad egregios honoris conatus procreatis (vt iam inde à Tui Pontificatus initio cœptum eſt) hinc inde conquiſitis. Deus interim Clementia ſua Te Clementem diu nobis incolumem conſeruet ad vniuerſæ Reipublicæ dignitatem tuendam, & in dies augendam, Catholicamq. Fidem, ac diſciplinam in omnes Chriſtiani mundi plagas diſſeminandam, totoq. denique terrarum orbe propagandam, ſicut rerum primordia, & quaſi voti noſtri ſigna præcurrentia, id ita fore, Deo adiuuante, nobis pollicentur. Romæ. Kal. Maij. CIↃ. IↃ. XCVI. In Sacrarij Apoſtolici Aedibus.

Sanctitatis T.

*Humillimus ſeruus, Eidemq. deuinctiſsimus,*

*F. Angelus Rocca à Camerino, Auguſtinianus, Apoſtolici Palatij Sacriſta.*

# F. ANGELVS ROCCA
## A CAMERINO AVGVSTINIANVS
## APOSTOLICI PALATII SACRISTA
### *LECTORI.*

QVAMVIS *in Epiſtola nuncupatoria de Sermonum ſelectione ſatis dictum ſit; hoc tamen loco Lectorem admonitum velim, Sermonem de Beata Maria ſemper Virgine, in ordine ſecundum, qui inter Sermones de Sanctis in communi extat; vel non eſſe legitimum partum huius ſancti Doctoris, vt in Scholio noſtro in hanc rem ad marginem conſcripto dictum eſt; vel in eo ( quod ad eiuſdem Beatæ Mariæ Conceptionem ſine peccato originali attinet ) aliquid a quopiam recentiori additum fuiſſe, ſicut multis in Libris frequenter euenire ſolet. Id quod in Compendio Theologiæ olim impreſſo, & præſertim in cap. de Sanctificatione lib. 4. factum eſſe conſtat, vt ex multis exemplaribus manuſcriptis colligitur, a quibus Compendium illud, quod ſub nomine Sancti Bonauenturæ circumferebatur, maiori ex parte videtur differre: additamento quodam appoſito aduerſus eiuſdem Doctoris opinionem in eodem Compendÿ capite, & in Lib. Sententiarum 3. diſtinct. 3. artic. 1. quæſt. 1. & 2. Dictum autem Sermonem, qui in hac tantum re ad Conceptionem Beatæ Mariæ ſemper Virginis pertinente a doctrina Sancti Bonauenturæ eſt alienus, ab eo loco amouendum non cenſuimus, quippe qui Sermonem ipſum ceteris in rebus doctrinam, ac ſtylum eiuſdem Sancti Doctoris redolere inuenimus.*

## ELOGIVM
# IOANNIS GERSONIS
In epiſt. ad Oſualdum Monachum
p. 2. tit. de lib. Leg.
## DE S. BONAVENTVRA.

NEſcio, ſi præcipuus inter omnes numerandus ſit Euſtachius: ita enim nomen iſtud ſuum vulgatum Bonauentura video poſſe tradere. Ille enim ſingulariter inter omnes Doctores catholicos, pace omnium ſalua, videtur idoneus & ſecuriſsimus ad illuminandum intellectum, & ad inflammandum affectum.

# ELENCHVS EORVM, QVAE HOC TOMO III. CONTINENTVR.


| | | |
|---|---|---|
| I. | Sermones de Tempore | Pag. 1. |
| II. | Sermones de ſanctis totius anni | Pag. 237. |
| III. | Sermones de Sanctis in genere, ſiue in communi. | Pag. 323. |


# S. BONAVENTVRAE EX ORDINE MINORVM S. R. E. CARDINALIS EP. ALBANENSIS EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

## Sermones de Tempore.

## DOMINICA PRIMA ADVENTVS DOMINI.

### SERMO PRIMVS.

Luc. 21. f

A *His autem fieri incipientibus reſpicite et leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Quoniam in Euangelio hodierno ponuntur præſagia ſecũdi aduentus: ideo totum præſens Euangelium refertur ad ſpiritum, et caput leuandum ad ſigna, quæ erunt in ſole et luna et ſtellis et ceteris elementis. Sed quia ex aſpectu illorum ſignorum multi incircumſpecti, ex defectu notitiæ ſeducti errore, et concuſſi terrore, auertent ſe a fidei veritate: ideo Dominus ad exhibendam cautelam circumſpectionis, et B ad remouendam fallaciam deceptionis, atque ad eliminandam inconſtantiam timoris: in verbo propoſito tria facit.

Nã primo prędicit futuram tribulationẽ, vt inſtruamur. Secundo excitat ad prouidã conſiderationem, ne ſeducamur. Tertio promittit omnimodã conſolationem, ne terreamur. Et ſic reddit nos dociles, ex inſtructione futuræ tribulationis: circũſpectos, ex attẽtione prouidæ conſiderationis: beneuolos, ex promiſſione omnimodæ conſolationis. Primo ergo prædicit futuram tribulationem, vt inſtruamur cum dicit: *His autem fieri incipientibus.* Secundo excitat ad prouidam conſiderationem, ne ſeducamur, cum ſubdit: *Reſpicite et leuate capita veſtra.* C Ideſt mentem: quoniam ſicut caput præeminet ceteris membris corporis: ſic mens, ſecundum quòd hic accipitur pro ſuperiori parte rationis, omnibus viribus animæ. Tertio promittit omnimodam conſolationem, ne terreamur, cũ ſubinfert: *Quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Quaſi dicat licet hæc ſigna nuncia ſint dolorum: non tamen terreamini, quoniam vobis patienter ſuſtinentibus et finaliter perſeuerantibus appropinquat redemptio, non exterminatio.

Quantum ergo ad primum, prædicit futuram tribulationem, vt inſtruamur, cum dicit: *His fieri incipientibus.* D Hic reddit nos dociles ex inſtructione futurorum ſignorum, quæ erunt in ſecundo aduentu iudicis. Multa enim ſigna debent præterire, antequàm veniet dies iudicij, et hæc fieri per omnia, eſt valde cõſonum rationi. Quoniam ſi in primo aduentu contigit ſigna multiplicia fieri: nam ſtella perduxerat Magos ad monſtrandum natum: ſol obſcuratus eſt, ad demonſtrandum paſſum: terra mota eſt: et velum tẽpli cum lapidibus ſciſſum eſt, ad terrorem incutiendum; multo etiam magis huiuſmodi ſigna erunt ad

Mat. 2. a
Luc. 23. f
Mat. 27. f
Mat. 28. d



A demonſtrationem. Vt ſic creatura omnis non tantum verbis, ſed etiam factis confiteatur, quia Domino Ieſu Chriſto data eſt omnis poteſtas in cęlo et in terra, et in nomine eius omne genuflectatur cæleſtium, terreſtrium, et infernorum. Cuiuſmodi autem ſigna erunt tunc in ſecundo aduentu, ex textu ſacræ ſcripturæ poteſt colligi. Nam diſcipulis interrogantibus. Quod eſt ſignum aduentus tui et conſummationis ſæculi. Reſpondit, poſt tribulationes dierum illorum, ſol obſcurabitur: luna non dabit lumen ſuum: et ſtellæ cadent de cęlo. Ex intellectu illorum verborum et hodierni Euangelij poteſt colligi, quòd tria erunt ſigna. B Nam primo erunt ſigna deceptibilium miraculorum, ad ſubuerſionem veritatis fidei. Secundo erunt ſigna carnalium delectationum, ad refrigerationem charitatis incendij. Tertio erunt ſigna multiplicium tribulationum, ad euulſionem longanimitatis ſpei. Signa carnalium delectationum intelliguntur per lunaris luminis priuationem. Signa deceptibilium miraculorum intelliguntur per ſolaris radij obſcurationem. Signa multiplicium tribulationum intelliguntur per ſtellarum caſum et declinationem.

Phil. 2. b
Mat. 24. a. c
Signa triplicia tempore iudicij.

Prima ſigna deceptibilium miraculorum ad ſubuerſionem veritatis fidei intelliguntur per ſolaris radij obſcutationem. Sicut enim radius ſolis oppoſitione C nubis dicitur obſcurari: ſic radius fidei obnubilatur per huiuſmodi ſigna in ſeducto Chriſtiano, qui non dabit lumen veritatis: quia tunc ſurgent pſeudo Chriſti, pſeudoprophetæ, et dabunt vocem et prodigia: ita vt in errorem inducantur, etiam ſi poteſt fieri, electi, vt dicitur. De hoc ſimiliter dicitur: Reuelabitur ille iniquus, cuius aduentum eſt ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute: et in ſignis et prodigijs mendacibus: et in omni ſeductione iniquitatis. Dicuntur et ſigna antichriſti mendacia: non quòd non faciet aliqua ſigna veracia, ſed habendo reſpectum ad finẽ et intentionem: quia ad hoc faciet, vt mendacium et falſum perſuadeat. Et propter hoc huiuſmodi ſigna D licet videantur fieri in imperceptibili tempore: non tamen dicuntur vera miracula, quia fiunt per tranſmutationem formarum in natura: ſed miracula ſupra naturam et facultatem naturæ nulla diſpoſitione et tranſmutatione præcedente fiunt, et ideo ſolius diuinæ potentiæ ſunt atteſtantia. Falſa vero miracula ſunt de vilibus in effectum et inutilibus rebus de facili conuertibilibus operatione naturæ: ſicut patet de generatione ranarum, quas de quibuſdam varijs in modico naſci contingit. Vnde et dęmones maximę faciunt

Mat. 24. b
2. Theſ. 2. b

ranas et ſerpentes, et huiuſmodi vilia et inutilia, quæ A de facili producuntur operatione naturæ. Vnde Deus tunc ſicut etiam modo condeſcendet diabolicæ potentiæ, et aſtutiæ, vt patiatur ſeducere malos iuxta eorum demerita, et etiam deprehendantur a bonis, vt fides ſimul cum ſignis habeat locum. Secundo ſigna carnalium delectationum ad refrigerationem charitatis incendij intelliguntur per lunaris luminis priuationem, et in ſanguinem conuerſionem: quod fit, quando ſpiritualis et honeſtus homo conuertitur in ſanguinem carnalitatis, et priuatur lucido exēplo honeſtatis. *Eccli.43.a* Et de hoc poteſt exponi illud: A luna ſignum diei feſti, luna minuitur in conſummatione menſis. B Per lunam autem intelligitur vir fidelis, qui per laſciuiam carnalitatis minuitur in conſummatione vitæ ſuæ: ab iſto ergo, qui ſic mutatur et minuitur ſicut luna, eſt ſignum diei iudicij ſcilicet: tunc enim implebitur illud: *Sap.2.b* Nullum peccatum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo ſit exſors luxuriæ noſtræ: vbique relinquamus ſigna lętitiæ noſtræ, quoniã hæc eſt pars noſtra. Tertio erunt ſigna multiplicium tribulationum ad euulſionem longanimitatis ſpei: quæ intelliguntur per ſtellarum caſum et declinationem. Tunc enim granum purum excuſſa palea inconſtantiæ et timiditatis per examinationem diuerſarum afflictionũ C ſummi regis intrabit in horrea: et ventoſa cauda draconis trahet paleam inconſtantiæ et timiditatis in locum damnationis. *Luc.21.e* Et de hoc dicitur: Surget gens cõtra gentem, et regnum aduerſus regnum, et terręmotus erunt magni per loca, et peſtilentiæ et fames: terroreſq. de cęlo et ſigna magna erunt. Et in hodierno Euangelio dicitur. Erit præſſura gentium præ confuſione ſonitus maris et fluctuũ: areſcentibus hominibus præ timore. Erit præſſura gentium: quia tunc ſurget gens contra gentem: et pater filium, et filius patrem trahet in mortem: et odio habebuntur omnes Chriſtum confitentes. Præ confuſione ſonitus maris. D Tunc enim ſecundum Hieronymum, doctorem veraciſſimum, qui dicit ſe legiſſe in annalibus Hebræorum, mare exaltabitur quindecim cubitis ſuper excelſos montes, et poſtea proſternetur in imum profundi: et omnia, quę mouentur in aquis, leuabuntur ſuper aquas: volatilia vero in inuicem garrient: et non guſtabunt nec bibent. Animalia ſimiliter congregabuntur de ſiluis ad campos inuicem iungentia: et non guſtantia nec bibentia: et ſic tanta erit confuſio ſonitus maris: garritus auuium et mugitus animalium: vt neſciat homo quid faciet præ timore ſignorum et terręmotuum, areſcentibus hominibus præ timore et peſtilentia. E

Secundo notatur excitatio prouidæ conſiderationis, ne ſeducamur: cum ſubdit: *Reſpicite et leuate capita veſtra*. Leuate ergo mentem veſtram per prouidam conſiderationem. Primo ad filij ſapientiam: ne per ſigna deceptibilium miraculorum a fidei veritate auertamini. Secundo ad Spiritus ſancti clemẽtiam: ne per laſciuiam carnalium delectationum a Chriſti charitate ſepararemini. Tertio ad patris potentiam: ne per ſęuitiam innumerabilium tribulationum a ſpei firmitate euellamini. Primo leuate mentem veſtrã ad filij ſapientiam: ne per ſigna deceptibilium miraculorum a fidei veritate auertamini. F Et de hoc dicitur in Pſal: *Pſal.24.a* Ad te leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam: neque irrideant me inimici mei. Ad te Domine leuaui animam meam: per fidem cordis, credẽdo te Deũ et hominem: et ad quod non poteram per rationem attingere. Deus meus in te confido, non erubeſcam: confitendo ore improperium. Neque irrideant me inimici mei: per ſua maleficia. *Ibid.* Etenim vniuerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur: acquieſcendo ſcilicet falſis conſilijs inducentibus ad malitiam falſitatis et mendacij. Sed tu Domine qui es veritas et ſapientia, vias tuas demonſtra mihi et ſemitas tuas edoce me in conſilijs. Secundo A leuate mentem veſtram ad Spiritus ſancti clementiã: ne per laſciuiam carnalium delectationum a Chriſti charitate ſeparemini. Et de hoc dicitur: *Teren.3.d* Sedebit ſolitarius et tacebit et leuabit ſe ſupra ſe. Tunc verus Chriſtianus ſedebit ſolitarius, per excluſionem carnalium delectationum, immundarum affectionum, et prauarum cogitationum. Et tacebit, quando per repreſſionem ſonitus in carne, eam voluntarie et ſine murmure coget per omnia obedire ſpiritui. Eleuabit ſe ſupra ſe: quando poſtpoſita omni creatura, mentali intuitu aſcendet ad cęlum Trinitatis, ei per conformitatem voluntatis inhęrendo, vt iam, quæ ſurſum ſunt, B ſapiat, non quæ ſuper terram. *Coloſ.3.a* De hoc ſimiliter in figura. *3.Eſd.4.g* Eleuauit faciem ſuam ad Ieruſalem: benedixit regem cælorum et dixit: Abſte victoriam, et cetera. Per faciem notitia fidei intelligitur: ſed Ieruſalem viſio pacis interpretatur. Vnde tunc hoc faciem leuat, quando per notitiam fidei eleuatur ad videndum tranquillitatem et concordiam pacis in regno animæ, carnalibus deſiderijs ſuppeditatis. Iſta enim concordia eſt a Deo: *Sap.8.d* nam nullus poteſt eſſe continens niſi Deus det: Deo Deo totum attribuit, ei gratiarum actiones referendo: cum ſubdit: Benedixit regem cęli et dixit: Abſte victoria ſupple carnalium delectationum. Tertio C leuate mentem ad patris potentiam: ne per ſęuitiã multiplicium tribulationum a firmitate ſpei euellamini. Vnde in Pſal: *Pſal.85.a* Lętifica animam ſerui tui, quoniã ad te Domine animam leuaui. Eripe me de inimicis meis: et ab his qui oderunt, quoniam confortabor, etcet. Lętifica animam ſerui tui ſecundum multitudinem dolorum et afflictionum infundendo dulcedinẽ conſolationum. Quoniam ad te Domine animam meam leuaui, per ſpei fiduciam Eripe me de inimicis meis fortiſſimis, et ab his qui oderunt me, inducẽdo in laqueum mortis ęternæ: quoniam confortati ſunt ſuper me: multiplicando tribulationes et flagella, D damna et opprobria.

Tertio notatur promiſſio omnimodæ conſolationis, cum dicitur: *Quoniam appropinquat redemptio veſtra*. Vere omnimoda conſolatio tunc erit perſeuerantibus, et mentem ad Deum per prouerbij conſolationem leuantibus. Nam triplex appropinquat conſolatio, ſecundum triplicem mentis eleuationem: ad quam omnis alia conſolatio habet reduci. *Conſolatio triplex appropiquat.* Primo in eleuantibus mentem ad filij ſapientiam, purgabitur omnis error viſione infallibilis veritatis. Secundò in eleuantibus mentem ad Spiritus ſancti clemẽtiam, deſipiet carnalis amor fruitione inęſtimabilis ſuauitatis. E Tertio in eleuantibus mentem ad patris potentiam, euacuabitur omnis timor tentione immobilis firmitatis. Et in iſta triplici dote ſcilicet viſionis claræ, fruitionis quietæ, et tentionis ſecuræ cõſiſtit imago gloriæ. *Gratia in quibus conſiſtat.* Cui reſpondet imago gratiæ, quæ conſiſtit in fide firma, charitate non ficta, et ſpe certa in ſtatu iſto. Primo in eleuantibus mentem ad filij ſapientiam purgabitur omnis error viſione infallibilis veritatis. Vnde dicitur: *Iob.19.d* Scio quòd redemptor meus viuit, et in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: et rurſum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Scio quòd redemptor F meus viuit, quaſi dicat. Licet in paſſione vita fuerit induta morte: tamen in reſurrectione deglutita morte, tota vita reſurrexit. Et in nouiſſimo die ſurrecturus ſum, et rurſum circumdabor pelle mea: quando corpus humilitatis meæ configuratum fuerit corpori claritatis Chriſti. Et in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum: facie ad ad faciem: in quo modo videndi nõ poteſt eſſe error: ſicut in modo videndi per ſpeculũ in enigmate, qui eſt in vita pręſenti: quia tunc ſapientia diuina proponet bonis rationes illas ęternas ad contemplandũ in ſeipſo, tamquã in ſpeculo pulcriformiter: tamquam in libro indelibiliter: tamquàm in menſa delectabiliter. Vnde Auguſtinus: *S. Aug. de Trin.li.15. c.25.to.3.* Veritatem ſine vlla difficultate videbimus eaq. clariſſime et cer-





tiſſime perfruemur: nec aliquid quæremus mente ratiocinante, ſed cernemus contemplante. A Secundo in eleuantibus mentem ad Spiritus ſancti clementiã, deſipiet omnis carnalis amor dulcedine inæſtimabilis ſuauitatis. *2.Pet.1.d* Et de hoc poteſt exponi illud: Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis: ſed pretioſo ſanguine agni immaculati et incontaminati Ieſu Chriſti. Vana conuerſatio paternæ traditionis eſt perſeuerare laſciuiendo in faecibus carnalis voluptatis. Nam merito paternæ præuaricationis facti ſumus carnales, vt venundati ſub peccato. Sed de iſta vana conuerſatione beati redempti ſunt ſanguine pretioſo Chriſti: B eoquòd merito eius ſãguinis effuſione deguſtãtes dulcedinem ſapientialis oblectabilitatis, quæ tanto ardore deſiderij rapit totaliter animam in ſui concupiſcentiam, vt deſipiat omnis caro. Vnde licet faciet ſatietatem, non tamen generat faſtidium: immo continuat deſiderium. Sed quia tunc bene et perfecte exterminato fomite concupiſcentiæ erunt intenti ſolum dulcedini ſuauitatis, ideo dicuntur quaſi agni immaculati et incontaminati. *Mat.22.c* Similes angelicis ſpiritibus, qui non nubent neque nubentur. Tertio in eleuantibus mentem ad patris potentiam, euacuabitur omnis timor tentione immobilis firmitatis. Et de illo dicitur: C *Hier.31.b* Redemit Dominus, Iacob ſcilicet, a ſeruitute legis peccati: et liberauit eum de manu potentioris, ſcilicet diaboli, multipliciter eum affligendo, et venient cum exultatione et laudabunt, ſcilicet continue in monte Sion, ideſt enunciante Deo, cæli empirei Sion ſpecula. Et ſignat cælum empireum: in quo ponuntur beati ad ſpeculandũ et contẽplandũ immobiliter claritatẽ deitatis. *Aug. 3. de Trinit.* Vnde Auguſtinus dicit: Quanta erit felicitas, vbi nullum eſt malum: et nullum latebit bonum. Vacabitur Dei laudibus, qui eſt omnia in omnibus: tunc adhærebit vinculum indiſſolubili ſummo et incõmutabili bono. D Rogemus Dominum, vt ſic faciat nos eleuare mentem ad filij ſapientiam, per fidei ſplendorem: ad Spiritus ſancti clementiam, per charitatis ardorẽ: ad patris potentiã, per ſpei certitudinẽ: vt poſſimus mereri dotem apertæ viſionis, quietæ fruitionis et ſecuræ tentionis, quod nobis præſtare dignetur.

---

# DE ADVENTV

## SERMO II.

*Agei.2.b* *VEniet deſideratus cunctis gentibus*. Quoniam ad miſericordem pertinet deſolatos et afflictos conſolari: hinc eſt, quòd Deus pater miſericordiæ et totius conſolationis, videns ſanctos patres vehementer deſolari, et affligi ex ſuæ promiſſionis dilatione, et animo ſitibundo et affectu pijſſimo preces importune multiplicare. Pro cuius acceleratione dignatus eſt eos multipliciter conſolari: cum in verbo propoſito certificet eos de promiſſi beneficij adimpletione dicens: *Veniet deſideratus cunctis gentibus*. F Sed quia ad petendum benignitas excitat, vtilitas prouocat, et petentis ſanctitas aures diuinæ miſericordię ad audiendum inclinat: ideo hic tria notantur in verbo propoſito. Nam primo notatur benignitas ex parte filij Dei venientis: ſecundo ſanctitas ex parte populi appetentis: tertio vtilitas ex parte finis ſubſequentis. Primo magna benignitas fuit in Dei filio veniente: quia non miſit, nec ſcripſit, immo venit perſonaliter: et hoc eſt quod dicit: *Veniet*, et cet. Secundo magna ſanctitas ex parte populi appetentis: quia non deſiderabat aurum, vel aliquod terrenum, ſed Dei filium: et propter hoc ſubditur: *Deſideratus*. Tertio magna vtilitas fuit in fine ſubſequente, ſcilicet noui Teſtamenti: nã A per iſtum aduentum cunctę gẽtes vocatæ ſunt ad Dei veritatem. Ideo ſubinfertur: *Gentibus*. Dicit ergo: *Veniet*, Vbi notatur benignitas ex parte perſonæ venientis. Si quæratur ratio et cauſa quare Deus venit in carnem: optime reſpondetur, quòd huius ratio præcipua eſt, excellentiſſima benignitas Dei: a qua et ſecundum quam, et propter quam facta eſt Verbi incarnatio. *Aduentus filij Dei in carnem.* Nam ille aduentus a benignitate procedit, prætendit benignitatem, et ad benignitatem producit. Igitur Dei filius propter nimiam benignitatem voluit humanari. Vt veniret primo tamquam mediator gratioſiſſimus, ad exhibenda remedia pacis et B concordiæ: ſecundo tamquam doctor veraciſſimus, ad danda documenta pietatis, et iuſtitiæ: Tertio tãquam rex humillimus, ad demonſtranda exempla humilitatis et paupertatis ſuæ indigentiæ. Vt ſic ratione primi, quia mediator, ſit ſinceriter diligendus: ratione ſecundi, quia doctor, humiliter reuerendus: ratione tertij, quia ad exemplum præceſſor, conformiter imitandus. Primo venit tamquam mediator gratioſiſſimus, ad exhibenda remedia pacis et concordię. Et de hoc dicitur: *Epheſ.2.c* Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, et medium parietem maceriæ ſoluens inimicitias in carne ſua, legem mandatorum in decretis euacuans. C Et ſequitur: Veniens euangelizauit nobis pacẽ Dei filius aſſumendo humanam naturam in vnitate perſonæ, fecit vtraque ſcilicet diuinitatis et humanitatis vnum, ſuſtinendo voluntariæ tormentum crucis et mortis, ad quam non tenebatur, eo quòd immunis erat ab omni peccato: euacuauit decretum diuinæ ſententiæ de clauſione ianuæ paradiſi, ſoluens mediũ parietem inimicitiæ, et diſcordiæ, qui erat inter nos et Deum: et ille Chriſtus tãquam verus mediator veniens euangelizauit pacem et concordiam inter nos et Deum per ſeipſum et non per alium: quia non cõgruebat. D Non enim angelus, quia non debebat: nec etiam per hoc diuinæ iuſtitiæ eſſet ſatisfactum. Non enim angelus humanatus, qui ad partem hominis tãquam ad propriam potuiſſet declinaſſe: et etiam homo non releuaretur ad priſtinum ſtatum, in quo ſoli Deo ſubiectus erat, eo quòd ratione tanti beneficij angelo multum teneretur. Non homo, quia non poterat reſtituere ablatum: eo quòd primus parens amiſerit et eius peccati innocentiã. Non Deus ſine carnis aſſumptione, quia nõ debet: et etiã ab homine poſſet haberi ſuſpectus. Sed Chriſtus Deus et homo, qui inquantũ Deus valet, et inquantum homo debet. Ideo ab aliquo nõ poteſt haberi ſuſpectus. E Et hoc eſt quod dicit Bernardus: *S.Bernard.* Vnde conſtat mihi quod liberator meus nequaquam ſit in parte declinãdo. Dicitis enim decreuit miſereri Deus, et cogitat vt complacitior ſit, adhuc exinaniet ſe, humiliet et oſculetur me oſculo oris ſui. *Cant.1.a* Sit in ſignum pacis, faciet de pace ſecurum ex quo partibus congruis nullius ſit ſuſpectus et certum mediatorem filium Dei, quem agnoſco meum minimum, iam mihi non erit ſuſpectus, quia frater meus et caro mea eſt. Secundo veniet tamquam doctor verus, ad danda documenta pacis et iuſtitiæ. Vnde: *Oſee.10.c* Seminate vobis in veritate iuſtitiam et metite in F ore miſericordiæ et innouate vobis noualia, tempus autem requirendi Dominum eſt, cum venerit qui docebit nos iuſtitiam. Dominum requirimus dum eius gratiam poſtulamus. Sed tẽpus poſtulandi illam gratiam, vt a vetuſtate culpæ innouemur, eſt, cum tamẽ venerit vnus doctor Chriſtus, qui docet ſeminare verbo et facto veritatem iuſtitiæ, in puniendo: et pietatẽ miſericordiæ in remittendo: quia pietas miſericordię ſine veritate iuſtitiæ culpam non ęſtimat, ſed ignorat. Vnde: *Iſa.26.b* Miſerearis impio, et non diſcet facere iuſtitiã, quia veritas iuſtitiæ ſine pietate miſericordiæ Deo nequaquam eſt placita: quia ſine miſericordia iudicium fiet ei, qui non fecerit miſericordiam: tamen miſericordia in remittendo decet doctrinam Chriſti ſuperexaltare ſcilicet iudicium in puniendo, vt ſic peccator

A nō exacerbetur et deſperet propter ſeueritatem iuſtitiæ: ſed ad pœnitentiam inducatur cum benignitate miſericordiæ, quæ faciliter parcit. Tertio, venit tamquam rex humillimus, ad demonſtranda exempla humilitatis et inopiæ. *Zach.9.b* Et de hoc dicitur: Ecce rex tuus venit tibi iuſtus et ſaluator, ipſe pauper et aſcendens ſuper aſinam. Rex noſter Chriſtus vt deſtrueret ſuperbiam primi hominis, noluit venire faſtuoſus et ſuperbus in curribus et equis faleratis: ſed humilis et manſuetus aſcendens in die palmarum ſuper aſinam *Mat.21.a* contemptibilitatis, vt hominem terrenum reuocaret ab amore terrenorum, et ad amorem Dei prouocaret etc. Noluit venire pompoſus in diuitijs et lapidibus pretioſis: ſed pauper et egenus: vt ſic per ſuam humilitatem B deſtructa omnis ſuperbia et per ſuam paupertatem mundi malitia cognoſcatur: quia ipſe eſt verus ſaluator. *Mat.20.d* Et hoc eſt quod ipſe Dominus dicit: Filius hominis non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret, et daret animam ſuā redemptionem pro multis. Certe erubeſcet membrum eſſe ſuperbum, cum eius caput eſt humile, alioquin monſtruoſa res eſt, ſi pes non vult imitari et ſubijci capiti, ſed ei præponi. Sequitur: *Deſideratus.* Hic exprimitur auiditas et ſinceritas populi appetentis. Auide enim et cum ſinceritate cordis deſiderabant Sancti Patres filium Dei incarnari, eo quòd tria erant in ipſo quæ omne deſiderium replent. Nam tria ſunt, quæ ſufficienter quamlibet C rem ſuo modo reddunt deſiderabilem: videlicet, ſpecioſitas in aſpectu: vtilitas in affectu: delicioſitas in guſtu. *Tria reddūt rem deſiderabilē.* Tunc enim aliquid eſt ſufficienter deſiderabile ſuo modo, cum primo delectat viſum, in intuendo: ſecundo decorat ſubiectum, in poſſidendo: tertio dulcorat guſtum, in vtendo ſiue perfruendo. Cum ergo iſta tria ſint in Chriſto Ieſu excellentiſſime, merito non tantum a Sanctis Patribus, ſed etiam ab omnibus ratione vtentibus debet eſſe deſideratus. Nam primo Chriſtus eſt ſpecioſus ad intuendum, propter nitorem originalis innocentię. Secundo vtilis et pretioſus ad poſſidendum, propter decorationem illuminantis gratiæ. Tertio nobilis et delicioſus ad perfruendum, D propter oblectabilitatem ſapiētalis demulcentiæ. Primo eſt deſideratus propter ſpecioſitatem originalis innocentiæ. Delectat viſum in intuendo. Nullus enim profuit ſine peccato actuali, vel originali, niſi ſolus Chriſtus, qui eſt ſpecioſus forma præ filijs *Pſal.44.a* hominum, deſiderium collium æternorum, ideſt angelorum et ſanctorum patrum, ſpeculum ſine macula, Deus maieſtatis, ſpecioſior ſole, in quem deſiderant angeli proſpicere, et verus ille Salomon, de quo dictū eſt: *3.Reg.10.c* Vniuerſa terra deſiderabat videre vultū Salomonis. Multiplici enim figura figuratus ille Salomō repręſentat verum Salomonē Chriſtum. Vnde Auguſtinus de Trinitate, quæ de Salomone dicūtur a Deo, ſoli Chriſto E conueniunt, et in illo fuit figura obumbrata, ſed in Chriſto veritas repræſentata. Secundo eſt deſideratus Chriſtus: quia propter ſuam pretioſitatem illuminantis gratiæ decorat proprium ſubiectum in poſſidendo. *Iſa.26.b* Vnde: Anima mea deſiderauit te in nocte, vt videat lumen in lumine tuo. Anima mea deſiderauit te in nocte, ſcilicet tenebroſitatis et ignorantiæ, vt lumen videat in lumine tuo. Et ratione huius pretioſitatis dicitur: *Prou.3.b* Omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari: quia ſicut non eſt comparatio inter vmbram et ſimilitudinem ad veritatem: ſic non eſt cō F paratio inter creaturam et diuinam ſapientiam. Nam omnis creatura eſt ſimilitudo et vmbra diuinæ veritatis. Tertio eſt Chriſtus deſiderabilis propter oblectationem ſapientialis demulcentiæ: quia delectat ſiue dulcorat guſtum in perfruendo. *Cant.2.a* Vnde: Sub vmbra illius, quem deſiderabam, ſedi, et fructus eius dulcis gutturi meo. Sub vmbra refrigerantis gratiæ: et illius ſcilicet Chriſti, quem deſiderabam per exceſſum inflammatæ dilectionis: ſedi per mentis quietationem, et fructus eius dulcis gutturi meo propter deguſtationem ſapientiæ. Vnde ad hoc vt anima deguſtet dulcedinem diuinæ ſapientiæ, requiritur vt purgetur a peccato, et reſoluatur in aquam deuotionis, abſtrahatur ab amore mundano, vt non ſit diſperſa ad exteriora: immo recolligat ſe totaliter ad interiora, ne interponatur aliqua caligo: vt immediate recipiat ſtillicidiū diuinæ influentiæ, et deguſtet dulcorem æternæ ſuauitatis. *Vt anima deguſtet dulcedinē diuinæ ſapiētię quid requiritur.* Hunc dulcorē aliqualiter ſentiens Dauid propheta dicebat: *Pſal.41.a* Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Tertio notatur vtilitas finis ſubſequentis, cum dicit etc: *Cunctis gentibus*: Merito erat deſideratus a Sanctis Patribus et cunctis gentibus, eo quòd Chriſtus in iſto B aduentu meruit cunctis gentibus, primo gratificationem adoptionis, benigne tollendo originalem culpam: ſecundo apertionem cæleſtis ianuæ, propter iudicialis vindictæ relaxationem: tertio ſublimitatem finalis gloriæ, amouendo miſeriam totalem. Primo gentes per aduentum Chriſti conſecutæ ſunt gratificationem adoptionis benignæ propter deletionē originalis culpæ. *Act.11.b* Vnde dicit Petrus: Si ergo eandem gratiam dedit illis Dominus ſcilicet gentibus: ſic et nobis, qui credimus in Ieſum Chriſtum: ſic ergo et gentibus pœnitentiam dedit ad vitam. Ratione huius beneficij, Dauid propheta inuitabat omnes gentes ad gratiarum actiones, dicens: *Pſ.116.a* Laudate Dominum omnes C gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam cōfirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: et benignæ adoptionis. Secundo cunctæ gentes conſecutæ ſunt per iſtum aduentum apertionem cæleſtis ianuæ, propter relaxationem iudicialis vindictæ: et propter hoc dicitur: *Iſa.26.a* Aperite portas, et ingredietur gens iuſta cuſtodiens veritatem. Vetus enim error abijt, quia Dominus Ieſus Chriſtus habebat clauem reſerandi aditū æternitatis. Ideo tamquam auctoritatem habens angelicis ſpiritibus dixit etc: *Pſal.23.b* Aperite portas principes veſtras: quoniam per meum ſanguinem facta eſt reparatio concordiæ vniuerſalis: relaxatio vindictæ iudicialis. Nunc ergo amoto flammeo gladio de porta paradiſi: D volo vt fiat reſeratio ianuæ cæleſtis: vt ingrediatur gens iuſta et cuſtodiens veritatem: vetus enim error primæ præuaricationis, merito cuius obligabatur ad pœnam, abijt. Tertio gentes per iſtum aduentum conſecutæ ſunt ſublimitatem finalis gloriæ, propter amiſſionem totalis miſeriæ. *Iſa.vlt.d* Vnde: Declinabo ſuper eū quaſi flumen pacis, ideſt quaſi gloriam inundantem etc. In prædicto themate dicitur de hoc: *Veniet deſideratus cunctis gentibus*, et implebo domū iſtam gloria quod implebitur a Deo in generali reſurrectione: quando a corpore cuiuſlibet beati, cuius corpus fuit domus et habitaculum Spiritus ſancti; per gratiam amouebitur omnis corruptio, per dotem impaſſibilitatis: omnis E deformitas et obſcuritas, per dotem claritatis: omnis tarditas, per dotem agilitatis: omnis infirmitas et animalitas, per dotem virtutis et ſubtilitatis. Vnde Auguſtinus: *Aug.22.de ciuit.Dei.* Abijcietur a corporibus noſtris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio ſiue paſſibilitas, quod nobis præſtare *et cet.*

## SERMO III.

*Pſal.143.a* E*Mitte manum tuam de alto*, etcet. Ecce chariſſimi, ſicut naufragi in medio fluctuum periculoſiſſimorum, et ſicut captiui in F manu hoſtium ſæuiſſimorum deſiderant liberationem: ſic patres antiqui feruentiſſime deſiderarunt aduenire Saluatorem ſui. Vnde Dauid exclamans ad Dominum, dicit: *Emitte manum tuam* etcet. Manum Dei dicit filium Dei. Homo enim per manus operatur, et Deus per filium. *Ioan.1.a* Omnia per ipſum facta ſunt. Ait ergo: *Emitte manum tuam*, ideſt filium tuum de alto throno: eripe me, et libera me de aquis multis ſuffocantis miſeriæ, et de manu iugulantis potentię filiorum alienorum: filiorum, inquam, ſuperbiæ



A perbiæ, filiorum luciferi et dęmonum. Conſiderare autem poſſumus quattuor cauſas emiſſionis, ſcilicet vt diuina offenſa placetur, vt natura humana liberetur, vt natura angelica reſtauretur, vt diabolica violentia refrenetur. *Iſa.16.a* De primo: Emitte agnum Domine dominatorem terræ *etcet.* Agnum vtique cuius ſanguinis ſuauiſſimo odore tu placeris pater æterne. Hic enim eſt agnus abſque macula: cuius ſanguis, ſicut legitur, *Leuit.1.b* fundi iubetur ſuper altare per circuitum et membra diuidi, et ſuper ligna imponi, quibus ſubijciendus eſt ignis: et ſic adoleri in odorem ſuauiſſimū Domino. Sanguis Chriſti ſuper altare crucis per circuitum de latere, de manibus, de pedibus fuſus eſt. B Tu autem funde quotidie hunc ſanguinem ſuper altare cordis tui. Funde inquam per circuitum cogitando deuote, penſando attente. O anima pretioſa redempta ſanguine agni immaculati, attēde quantum vales: quid pro te datum ſit cogita etc. Membra agni veri in cruce diuiſa ſunt, non abſciſſione ſed quadrifica diſtēſione: *Pſal.21.b* Diſperſa ſunt omnia oſſa mea etc. Sunt quoque ſuper ligna crucis impoſita, et non defuit ignis amoris, ipſum cogentis mortem pati pro nobis reconciliandis patri per ſuauiſſimum odorem paſſionis eius: *Eph.5.a* Dilexit nos et tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem et hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. C De ſecundo dicitur hic: *Emitte manum tuam* etcet. Certe ſi quis in mari iaceret, vel in medio inimicorum coanguſtatus eſſet, qui ſibi manum daret et eriperet, merito eum diligeret: et certe Deus pater emiſit manum ideſt filium de alto throno: vt de aquis miſeriæ, et de manu potentiæ nos eriperet etc. Sed quare Domine Deus meus, mundus manum non cognouit, quæ ipſum creauit? et quare Iudaicus populus manum non cognouit, quæ ſibi tanta bona fecit? Forte ideo non cognouit, quia chirotheca carnis tecta fuit: ſicut ſignificatum eſt in Iſaac ſene et cęco qui manum Iacob *Gen.27.c* ſibi miniſtrantem nō nouit, quia pellicula circumdata fuit. Iſaac enim mundum vel iſraeliticum populum D ſenem tempore et cæcum mente ſignificare poteſt. Cæcitas enim ex parte contigit in Iſrael. Pellicula autem noſtra caro eſt. Cum ergo hæc manus cęlum et terram concludat, mundus vix credere potuit, quòd tam magna manus eſſet in tam parua chirotheca. Tamen hæc manus non eſt minorata. *Iſa.50.a* Vnde: Numquid abbreuiata et paruula eſt facta manus mea vt nō poſſim redimere? Certe Domine non eſt abbreuiata manus tua, quam de ſummo throno in infernum porrexiſti: non eſt paruula facta quæ vno raptu tot animarum millia ſecum traxit. Vtinam vno digito huius manus nos Deus tangeret: qui vt quinque digitos E nobis exponeret, quinque foramina in chirotheca carnis habuit etc. *Ber.inCāt. ſer.61.ante med.* De his foraminibus. Ego fidenter quod ex me mihi deeſt vſurpo de viſceribus Domini: miſericordia affluit neque deſunt foramina per quæ effluat gratia. *Pſal.42.a* De tertio: Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, *et cetera.* Lux et veritas Chriſtus eſt. Hæc enim lux antequam fieret naſcendo in mundum, tenebræ infidelitatis et ignorantiæ culpę erant ſuper faciem abyſſi. Sed hæ tenebræ per hanc lucem declinātur. *Ioan.8.b* Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. *etcet.* Bene autem dicit Dauid, quòd lux adducit in montē Dei & in tabernacula eius. F Mons eſt regnum cælorum *etcet.* *Pſal.23.a* Quis aſcendet in montem Domini *etc.* Tabernacula ſunt ordines angelorum. Nouem ſunt ordines angelorum: nouem ſunt tabernacula. *Luc.16.c* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis *etcet.* vſque in æterna tabernacula. O quàm beatus eſt qui in primo ſeu infimo tabernaculo habitabit: ſed certe beatior qui in ſecundo. Sic dic vſque ad nonum. Diſcumbent enim in his tabernaculis animę iuſtorum ſecundum excellentias meritorum etc. Fient enim æquales angelis et ſocij angelorum. Qui propter nos minor angelis extitit, æquales nos angelis ſuæ mi*Pſal.109.a*norationis virtute fecit. De quarto: Virgam virtu-



A tis tuæ emittet Dominus *etcet.* Quo modo hæc virga dominetur in medio inimicorum, ideſt dæmonum, ſignificatum eſt. *Exod.7.b* Vbi dicitur, quòd deuorauit virga Aaron, quæ ſignificat filium Dei, virgas magorū verſas in dracones. Virga Aaron ſignificat filium Dei. Virgæ magorum ſunt angeli apoſtatici, quæ proiectæ, in dracones efficiuntur. Sed per virgam Aaron deuorantur, quando per Chriſtum dęmonum malitia ſuppeditatur.

## SERMO IIII.

*Malac.3.a* Q*Vis poterit cogitare diem aduentus eius.* Cogitate chariſſimi aduentus Domini diem: B quæ quadruplex eſt, videlicet in carne, corde, morte, aere. Primus in die incarnationis. Secundus in die iuſtificationis. Tertius in die reſolutionis. Quartus in die Reſurrectionis. Quis autē poterit cogitare primi aduentus plenitudinem. Secundi promptitudinem. Tertij incertitudinem. Quarti magnitudinem, vel fortitudinem? *Act.13.d* De primo: Deus ex ſemine Dauid ſecundum promiſſionem eduxit Iſrael Saluatorem Ieſum, prædicāte Ioanne ante faciem aduentus eius. Ecce ad commendationem C Dominici aduētus introducit hic Paulus tres ſanctiſſimas perſonas. Dauid Chriſti progenitorem, Ioannem præcurſorem, et Ieſum ſaluatorem. In quo oſtenditur aduentus iſte conuenientiſſimus ad veniā. Vnde ex ſemine Dauid naſci dignatur, qui de enormibus criminibus adulterij et homicidij veniam conſecutus eſt. Item communiſſimus ad amicitiam, hoc et in Dauid ſignificatur: qui et paſtor et Rex fuit: quia de ipſo natus pauperibus et diuitibus communis fuit. Vnde in natiuitate ſua paſtores et Reges ad ſe traxit. Item pleniſſimus ad gratiam hoc in Ioanne ſignificatur. In tempore enim aduentus Domini gratia pleniſſime fluxit. *Ioan.1.b* Plenū gratiæ et veritatis *etcet.* Item ſaluberrimus D ad gloriā hoc in Ieſu ſignificatur, qui interpretatur ſalus. *Heb.5.c* Conſummatus factus eſt omnibus obtēperātibus ſibi cauſa ſalutis æternę. Anſelmus: Quid eſt Ieſus niſi Saluator? Ergo propter temetipſum eſto mihi Ieſus. *Gen.49.c* Salutare tuum expectabo Domine. O quàm pleniſſimus fuit aduentus. *Ioan.1.d* Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat: et de plenitudine eius omnes accepimus. *Sap.16.b* De ſecundo: Filios tuos neque draconum, neque venenatorum vicerunt dentes: miſericordia enim tua adueniens ſanabat illos. Draco eſt diabolus. Venenati ſunt caro et mūdus: quorum fel et venenum in vino temporalis delectationis nobis propinatur. *Deut.32.e* Fel draconum venenum eorum E *etcet.* Eorum dentes ſunt eorum tentationes. *Pſal.123.a* Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem *etc.* Miſericordia Chriſtus eſt. *Pſal.84.b* Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam *etcet.* Qui adueniens eos iuſtificatione ſanabat, ideſt ægras animas. *Pſal.6.a* Miſerere mei Deus quoniam infirmus ſum *etcet.* Aduentus autem iſte non ſolius eſt filij, ſed patris: *Ioan.14.c* Pater meus diliget eum: et ad eum veniemus. Item Spiritus ſanctus: *Act.2.a* Factus eſt repente de cælo *etcet.* O quàm promptiſſimus eſt aduentus iſte? Dominus enim vltro offert ſe ad veniendum. *Mat.8.a* Vnde de puero paralytico dicit Ieſus. Ego F veniam, et curabo eum. *Aug.de vera et falſ. pœnit.c.16 poſt med.to.4.* Præſto ſemper eſt gratia, quę numquam deficit, niſi prius expulſa: continue quod ſuum eſt, inſpirat, ſi ſit qui recipiat. De tertio: *1.Cor.1.a* Confirmabit nos vſque in finem ſine crimine in die aduentus Domini. Gloſſa. Cuius Aduentus intelligitur dum cuique in morte manifeſtatur. Felix qui ſemper ad iſtum aduentum paratus eſt. *Luc.12.e* Si venerit in ſecunda vigilia, et ſi in tertia vigilia *etcet.* Prima vigilia eſt pueritia. Secunda iuuentus. Tertia ſenectus. Multi in tertia vigilia credunt Dominum venturum: quibus in prima, vel ſecūda nūc venit. O quàm incertiſſimus eſt iſte aduētus. *Mat.24.d* Eſtote parati, quia qua hora nō putatis, filius hominis venturus eſt. Gregorius: Tanto quiſque ſer-

feruentior ſit in operatione quanto intentior eſt de-
*Ibid.* uotione. De quarto: Sicut fulgur exit ab oriente
*etcet.* vſque: Ita erit aduentus filij hominis. Aduentus
Domini fulguri comparatur propter ſubitationem et
*Iſa.5.f* celeritatem: Ecce feſtinus velociter veniet. Propter
*Pſal.49.a* manifeſtationem et claritatem. Ex Sion ſpecies deco-
ris eius: Dominus enim manifeſte veniet. Primo qui-
dem venit non habens ſpeciem neque decorem clari-
tatis glorioſæ. Item propter terrorem et ſeueritatem:
*Iſa.30.f* Ecce nomẽ Domini venit de longinquo, ardens furor
eius *etcet.* O quantæ magnitudinis erit iſte aduentus.
*Mat.25.e* Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua: et omnes
angeli eius cum eo *etcet.* Propter hoc bene ait Gre-
gorius: Terribilem iudicem venientem conſidera: et
de aduentu illius tunc tua conſcientia contremiſcet
non ſine cauſa, cum iam coram illo poſita cælum et
terra trement.

## SERMO V.

*Rom.13.d* H*ora eſt iam nos de ſomno ſurgere.* Surgite er-
go peccatores de ſomno peccati. Surgite
inquam propter vigilem excitantem: pro-
pter diem appropinquantem: propter la-
borem inſtantem: propter terrorem ſoli-
*Act.12.b* citantem. De primo: Ecce angelus Domini aſtitit,
et lumen *etcet.* vſque: Surge velociter. Ad ſurgendum
autem hortamur per gratiam, per doctrinam, per pœ-
*Cant.2.c* nam. Excitat Dominus per gratiam: Dilectus meus
loquitur mihi. Surge propera amica mea. Dilectus
ſcilicet Chriſtus loquitur nobis per inſpirationem:
*Pſal.84.a* Audiam quid loquatur *etcet.* Item prælatus, vel do-
*Hier.31.a* ctor excitat per doctrinam: Clamabunt cuſtodes ſur-
gite et aſcendamus in Sion ad Dominum Deum no-
ſtrum. Cuſtodes ſunt prælati et doctores, nos tam-
*Eccleſ.12.b* quam galli excitantes, vt ſurgamus. Conſurgent ad
*Mat.26.g* vocem volucris ideſt galli. Gallus Petrum ad lacrymas
*Luc.22.g* excitauit. Item per pœnam excitat angelus percutien-
*Act.12.b* do latus. Vnde: Percuſſoq. latere Petri excitauit eum.
Lateris percuſſio eſt tẽporalis correctio. Æterna enim
percuſſio non in latere tantum, ſed in omnibus mem-
*Prou.19.d* bris fit: Parata ſunt deriſoribus iudicia, et mallei per-
cutientes ſtultorum corporibus, *etcet.* Bene dicit: per-
cuſſoq. latere. Lateris autem percuſſiones libenter pro
ipſo ſuſtinere debemus: qui pro nobis in latere vul-
*Ioan.19.f* neratus eſt. Lancea latus eius aperuit. Bernardus: Vult
benignus dux deuoti militis vultũ et oculos in ſua ſu-
ſtolli vulnera: vt illius ex hoc animũ erigat et reddat
ad tolerandum fortiorẽ. De ſecundo dicitur hic: *Hora*
*eſt iam nos de ſomno ſurgere.* Cauſam autem ſubdens
ſurgendi ait: *Nox* ideſt tempus culpæ, *præceſſit: dies*
Dies tri- ideſt tempus gratiæ *appropinquauit.* Eſt autẽ triplex
plex. dies propter quem ſurgere debemus, ſcilicet gratiæ,
*2.Cor.6.a* iræ, et gloriç. De die gratiæ dicitur hic: Ecce nunc dies
ſalutis. Hic dies incipit ab ortu veri ſolis. Ait enim phi
loſophus: Dies eſt latio ſolis ſuper terram. Sol autem
æternus ſuper terrã latus eſt, quando Chriſtus in mun
*Gen.19.e* dum natus eſt. Sol egreſſus eſt ſuper terram: et Loth
ingreſſus eſt Segor. Segor interpretatur, paruula ſeu
meridiana. Per Loth electi deſignantur: qui de æterna
damnatione ignis et ſulphuris, ſicut Loth de Sodoma,
liberati ſunt, ſole ſuper terrã egreſſo, ideſt Chriſto in
*Soph.1.e* mundo nato. Item de die iræ ſiue iudicij dicitur: Vox
diei Domini amara: tribulabitur ibi fortis. Dies illa
*Pſal.83.c* dies iræ *etcet.* Item de die gloriæ. Melior eſt dies vna
*etcet.* Vt ergo ſecurius ſimus in die iræ, et perueniа-
mus ad diem gloriæ, cito ſurgamus in die gratiæ.
Auguſtinus: Surgamus, & ad illum redeamus, a
quo peccando receſſeramus: ibi eſſe noſtrum non ha-
bebit mortem: ibi velle noſtrum non habebit erro-
rem: ibi amare noſtrum non habebit offenſionem.
Surgamus inquam in die: ne ſero Dominus conque-
*Hier.6.a* ratur illud. Vę vobis quia declinauit dies *etcet.* vſque:
Surgite et aſcendamus in nocte, ideſt, pęniteamus in

A morte. Auguſtinus: Multos ſolet pęnitentia ſeroti-
na decipere. De tertio: Surge et comede, grandis *3.Reg.19.a*
enim via tibi reſtat. Hæc via eſt pęnitentia. Quicum-
que per triginta, vel quadraginta annos ad infernum
ambulauerit, grandem vtique viam habet ad eundum
ad cęlum. Quæ licet grandis ſit, libenter tamen ad
ipſam perficiendam ſurgere debemus. Primo propter
bonam ſocietatem: Surge et accipe puerum et ma- *Mat.2.a*
trem eius et vade in terram illam. Puer iſte eſt bonus
ſocius ad eundum cum Ioſeph de Ægypto, ideſt, cum
pœnitente de mundo. Item ſecundo propter condu-
ctus ſecuritatem: ſic ſurgere debemus cum Iacob: Sur *Gen.28.d*
B gens ergo mane *etcet.* Qui ſecurum habuit conductũ,
dicente ſibi Domino in eodem ſomno a quo ſurrexit:
Ero cuſtos tuus quocumque perrexeris. Item tertio,
propter victus durabilitatem. Sic ſurrexit Elias ad
viam confortatus efficaci cibo: pane ſcilicet gratiæ cõ-
fortantis vel iuſtitiæ in cuius fortitudine ambulauit
quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. Bernar-
dus: Panis animæ iuſtitia eſt: et ſoli beati qui eſuriunt
illum, quoniam illi ſaturabuntur. Nimirum ad ima-
ginem Dei facta eſt anima rationalis, et ceteris om-
nibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt.
Hæc tria petebat Iacob ſurgens ad viam, dicens: Si fue
C rit Dominus mecum: hic petit ſocium. Et cuſtodierit
me in via hac: hic petit conductum. Et dederit pa-
nem: hic petit victum. In pane autem gratiæ refectio.
In veſte, bona conuerſatio ſignificatur. De quarto: *Iona 1.b*
Quid tu ſopore deprimeris? Surge et inuoca Deum
tuum *etc.* Quicumque enim cum timore in periculo-
ſo dormit loco, cito ſurgit. O quàm magna in ſomno
peccati pericula ſunt: ſicut ſignificatum eſt in ſcriptu-
ris: propter quæ ſurgere debemus. Inuenimus enim
Ionam dormientem in mari periclitatum: To- *Ibid.*
biam excęcatum, Ciſaram, et Hisboſeth iugula- *Tob.2.c*
tos. In quibus ſignificatur quòd dormientes in pecca- *Iud.4.d*
D tis tempeſtate tribulationis: periclitantur temporali- *2.Reg.4.d*
ter, excęcantur ſpiritualiter: iugulantur æternaliter.
Surge ergo peccator ne incidas in hæc pericula. Surge
inquam et inuoca Deum tuum. Surgite et orate ne in- *Luc.22.e*
tretis in tentationem.

## SERMO VI.

E*Cce Rex tuus venit tibi* etcet. Hodie legitur *Mat.21.a*
hoc verbum in Euangelio. Ecce dicit pro- *Zach.9.b*
pheta demonſtratiue. Ecce dicit admira-
bile. Ecce venit. Sed ad quid venit? Ecce
E venit propinquare per naturam: ſanare
per gratiam: reconciliare per pœnitentiam: remune-
rare per gloriam. De primo: Ecce, iſte venit ſaliens *Cant.2.b*
in montibus *etcet.* Montes ſunt angelorum ordines.
In montibus excelſis Iſrael erunt paſcua eius. Nouem *Ezec.33.d*
ordines, nouem ſunt montes. O quàm felix erit, qui
in infimo monte paſcetur. Ibi enim eſt amœnitas inæ-
ſtimabilis. Quid ergo ſi ad ſecundum montem vene-
ris? O quanto beatior tunc eris! Quòd ſi tertiũ mon-
tem bene viuendo promerueris, adhuc beatior eris.
Sic procede de ſingulis montibus vſque ad nonum. In
his montibus fundata eſt ciuitas cæleſtis. Fundamen- *Pſal.86.a*
F ta eius in montibus ſanctis. In his filius Dei ſalit iu-
cundando: quia tranſijt per incarnationem, angelicã
naturam poſtponens, et humanam aſſumens: Nuſ- *Heb.2.d*
quam angelos apprehendit. De ſecundo: Ecce Deus *Iſa.35.b*
noſter vltionẽ adducet retributionis Deus, ipſe veniet
et ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et
aures ſurdorũ patebunt: tunc ſaliet ſicut ceruus clau-
dus: et aperta erit lingua mutorum. Nonne cæci ſunt
qui in clara luce fidei in foueam inferni cadunt? Si *Mat.15.b*
cęcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt. Item
nonne ſurdi ſunt quibus toties in prædicatione cla-
matur: et ad oſtium a Chriſto pulſatur: et auribus
cordis non audiunt? Furor illis ſecundum ſimilitudi- *Pſal.57.a*
nem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ: et obturantis au-
res



res ſuas, *etcet.* Serpens ne incantatorem audiat, vnam
autem terra, aliam cauda obturat. Sic peccator ve-
nenoſus terra, ideſt terrenorum amore: et cauda, id-
eſt ſpe longioris vitæ, aures cordis obturat. Itẽ non-
ne muti ſunt qui a peccatorum confeſſione, et a Dei
*Ibid.* laude per multos annos tacuerunt? Obmutui et humi
liatus ſum, et ſilui a bonis. Item nonne claudi ſunt,
qui greſſus operum rectos non habent? Vtroque au-
tem pede claudi ſunt, qui ſoli diabolo ſeruiunt. In
altero autem claudi ſunt, qui partim Deo, partim
diabolo ſeruiunt. Sanati autem per gratiam ſaliunt
ſicut ceruus. Pulcher ſaltus eſt de vitijs ad virtutes: de
mundo ad cęlum. Ecce a talibus malis curat Deus ani-
mas, quæ volunt ſuſtinere medicinas. Auguſtinus:
Quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum: ſed
ipſe ſe perimit qui præcepta medici ſeruare non vult.
*Heb.10.b* De tertio: Holocauſtomata et pro peccato non tibi
placuerunt: tunc dixi: ecce venio. Deus pater ſic of-
fenſus fuit homini: vt nullum vmquam quantumcũ-
que ſanctum admitteret ad regnum cælorum. Vnde
patres antiqui offerebant boues et oues, et ſacrificia
multa, vt Deum placarent: ſed parum eis profuit.
Vnde filius Dei compatiens miſero homini ait patri.
Ex quo holocauſta Iudæorum tibi o pater non placẽt,
Ecce venio. Gloſſa. Ad me offerendum: Se enim ob-
*Ioan.1.d* tulit agnus innocens pro peccatis noſtris. Ecce agnus
Dei. Agnus deteſtatur lupum: ſic Chriſtus peruer-
*Eccli.13.c* ſos. Sicut communicabit lupus agno: aliquando ſic
peccator iuſto. Dicit ergo. Et ecce venio: quaſi dicat.
Verbo vel iuſſu hominem non redimo: ſed in carne
venio. Quare hoc? Ne violentiam facere videretur et
non iuſtitiam. Angelum quoque redemptorem non
mitto: ſed ecce venio. Quare hoc? quia nullus ange-
lus ſufficeret ad pretium redẽptionis. Pretium enim
redemptionis debuit eſſe æquiualens vel pretioſius
omnibus redimendis. Nulla autem creatura tam pre-
tioſa fuit. Solus enim Deus redimere debuit: quia
*1.Cor.6.d* ſolus omnibus pretioſior fuit: Empti enim eſtis pre-
tio magno. Vere magno. Bernardus: Suffeciſſet ad
redemptionem humani generis minima gutta ſangui-
nis Ieſu Chriſti: ſed data eſt copia vt ex inundatione
*Iſa.62.d* beneficij virtus innoteſceret diligentis. De quarto:
Ecce Saluator tuus venit: ecce merces eius cum ipſo.
*Gen.15.b* Merces qua remunerabuntur, diuina eſt natura. Ego
protector tuus ſum: et merces tua magna nimis. Hæc
merces cum Chriſto erat. Non ergo neceſſe erat eam
a Iudæis mutuare: ſed ſacculum tantum in quo mer-
cedem abſcondit. Humanam ergo tantum naturam
in qua diuina latuit, a Iudæis accepit: ſed hunc ſac-
culum ruperunt dum corpus eius perforauerunt.
*Agg.1.b* Qui mercedes congregauit miſit eas in ſaccum pertu-
ſum. Sic ergo venit Chriſtus: vt per naturam quam
aſſumpſit: per gratiam quam exhibuit: per pœnam
quam ſuſtinuit: per gloriam quam promiſit, nos bea-
*Zach.9.b* tificaret. Hæc quattuor ſignificata ſunt: Ecce rex tuus
veniet tibi iuſtus, et Saluator, ipſe pauper. Pauper in
aſſumpta natura. Saluator in gratia. Iuſtus in pœna.
Rex in gloria.

## SERMO VII.

*Mat.21.a* B*Enedictus qui venit in nomine Domini.* Hoc
verbum legitur hodie in Euangelio. Si
quæris qua auctoritate, quo nomine ve-
nit Ieſus ad ſaluandum, audi quod dici-
tur: *Benedictus qui venit in nomine Domi-*
*Luc.1.d* *ni.* Vere benedictus. Benedictus fructus ventris tui.
Vere benedictus: et ab omnibus nobis merito bene-
dicendus, ſi attendamus quo modo et quare venit. At-
tendite ergo inueniendo patris auctoritatem, filij hu-
militatem, Spiritus ſancti charitatem, generis humani
vtilitatem. De primo dicitur hic: *Benedictus qui venit.*
Magna auctoritate venit: qui in nomine Dei patris
venit. Sed heu Dominus adhuc conqueri poteſt de

A auaris, de inuidis, de luxurioſis, de alijs peruerſis
Chriſtianis, quòd olim dixit Iudæis: Ego veni in no- *Ioan.5.g*
mine patris mei: et non accepiſtis me. Peruerſi enim
filium Dei non accipiunt: quia ipſi filij diaboli ſunt.
Si enim filij Dei eſſent, filium Dei diligerent: Si Deus *Ioan.8.e*
pater veſter eſſet, diligeretis vtique me. Ego enim ex
Deo proceſſi et veni. Neque enim a memetipſo veni.
Non ſolum autem verbis, ſed et ſignis oſtendit ſe
Chriſtus auctoritate patris veniſſe: Scimus quia *Ioan.3.*
a Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna
facere *etcet.* Sicut autem temporalia ſigna, ipſum ve-
niſſe in mundum: ita ſpiritalia ſigna in animas noſtras
B veniſſe oſtendunt Dei filium. Videlicet quando lepro-
ſas animas mundat: mortuas ſuſcitat: famelicas ſatiat
ſeptem panibus, ideſt ſeptem donis Spiritus ſancti.
De ſecundo: Filius hominis non venit miniſtrari, ſed *Mat.20.d*
miniſtrare. Venit ergo humiliter non ſicut Dominus
noſter: ſed ſicut ſeruus noſter. Exinaniuit ſemetip- *Ber. ſer. de*
ſum formam ſerui accipiens, filius erat et factus tam- *paſſ. Dom.*
quam ſeruus. Noe ſolum formã ſerui accepit, vt ſub- *fer.4. hebd.*
eſſet: ſed etiam mali ſerui, vt vapularet, et ſerui pecca- *pœnoſa lon*
ti, vt pœnam ſolueret cum culpam non haberet. Et cer *go poſt med.*
te non ſeruus ſeruorum Dei ſicut Papa: ſed ſeruus ſer-
uorum diaboli factus eſt ſeruiens in fimo peccatorum
C expurgando: Seruire me feciſti in peccatis tuis. Ser- *Iſa.43.d*
uiuit autem nobis non vno anno, ſed vſque ad mortẽ.
Vnde nefas eſt fraudare eum mercede ſua, ideſt anima
tua, pro qua ſeruiuit. Qui effundit ſanguinem, et qui *Eccli.34.d*
facit fraudem mercenario, fratres ſunt. Ecce tu miſer
auare: quia mercenario tuo Chriſto propter iniuſta
bona animam tuam aufers: frater es crucifigentis et
fundentis ſanguinem Chriſti: et tu luxurioſe: et tu
inuide: et ſic de alijs. De tertio: Timebunt qui ab *Iſa.59.d*
occidente nomen Domini: et qui ab ortu ſolis gloriã
eius cum venerit quaſi fluuius violentus quem Spiri-
tus Domini cogit. In occidente ſunt, qui in timore
D ſeruili ſunt. In oriente, qui in timore filiali ſunt. Ve-
nit Chriſtus quaſi fluuius, doctrina, et gratia, et ſangui
ne lauans, reficiens, et irrigans mundum. Ego quaſi flu *Eccli.24.*
uius Dorix: et ſicut aquæductus exiui de paradiſo ſci-
licet virginali vtero. dixi: Rigabo hortum plantatio-
num mearum, ideſt Eccleſiam. O quàm medicinalis
eſt iſte fluuius generationi humanæ, generationi inſa-
nę. Vnde bene vocatur Dorix, quod interpretatur me-
dicamentum generationis. Fuſus eſt ſanguis medici: *Aug. orat.*
et factus eſt medicamentum phrenetici. Quid mirum *de quinque*
ſi violentus eſt iſte fluuius? Fluuius enim quanto ma- *hær. c.7. poſt*
gis coarctatur, tanto violentior et impetuoſior effici- *med. to.6.*
E tur: ita Dei filius in arcto corpore paruuli Ieſu. Par- *Iſa.9.b*
uulus natus eſt nobis. Bene autem dicit: Quem Spi-
ritus Domini cogit. Interlinearis: Amor, bonitas
charitas, Spiritus. Sicut enim auſter nubem pluuia-
rum dulcium, ita charitas Spiritus ſancti Chriſtum
cum pluuia gratiarum venire cogit: Deus ab auſtro *Abac.3.a*
veniet. De quarto: Venit filius hominis quærere *etcet.* *Luc.19.b*
Non ſolum autem venit ſaluare hominem per ſanctã
paſſionem, ſed etiam illuminare per veram cognitio-
nem. Ego lux in mundum veni, vt omnis, qui credit *Ioan.12.g*
in me, in tenebris non maneat. Item inflammare per
puram dilectionem. Ignem veni mittere *etcet.* Item *Luc.12.f*
F venit viuificare abundanter per beatificationem. Vnde
de ouibus ſuis ait Ioannes: Ego veni vt vitam habeant *Ioan.10*
per gratiam, et abundantius habeant per gloriam. Sed
ecce, qui venit in mũdum oues ſuas viuificare, ipſe ve-
niet ad iudicium porcos diaboli mactare. Mactabit
autem illa ſecuri, quæ ad radicem arboris poſita eſt.
De qua ſecuri ait: Væ mihi ſi non peccata mea defle- *S. Ambroſ.*
uero. Væ mihi ſi non in media nocte ſurrexero ad *Luc.3. edit.*
confitẽdum nomini tuo. Væ mihi ſi dolum proximo *Rom. to.3.*
fecero. Væ mihi ſi non locutus fuero veritatem. Se-
curis ad radicem poſita eſt: faciat fructum, qui non
vult æterno igne perire.

DOMI-

# DOMINICA SECVNDA ADVENTVS DOMINI.

## SERMO I.

*Rom. 15. a* D*Eus autem patientiæ, et ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum.* In verbis iſtis Apoſtolus incitat, excitat, et informat. Incitat rationem, excitat affectū, informat actionem. Incitat implicās, excitat ſupplicans, et informat explicans. Incitat ergo ad intelligendū magnificentiā: excitat ad deguſtandū vnctionē animi: informat ad perficiendum et proſequendum reſtitutionem zeli. Incitat incipientes ad poſtulandum vtilia. Excitat proficientes ad aggrediendum ardua. Informat perfectos ad ſuſtinendum aggreſſa. Primum ibi: *Deus autem patientiæ*. Secundum ibi: *et ſolatij*. Tertium ibi: *det idipſum ſapere* etcet. Dicit ergo: *Deus autem patientiæ*. Circa primum nota, quòd dicitur Deus patientiæ: quia patientiam in ſe demonſtrans, quia patientes probans, et quia patientes remunerans. Primum ſe habet in ratione initij: ſecundum in ratione medij: et tertium in ratione complementi. Per primum fortificatur anima in tentationum prælio. Per ſecundum purgatur a vitiorum contagio. Per tertium fecundatur a meritorum operum exercitio. De pri-
*Pſal. 7. c* mo dicitur: Deus iudex iuſtus, fortis, et patiens num-
*Iudit. 8. b* quid iraſcitur per ſingulos. Et illud: Quoniam patiens Dominus, humiliemus ei animas noſtras. De
*Pſal. 145. b* ſecundo dicitur: Qui cuſtodit veritatem in ſęculum facit iudicium iniuriam patientibus, dat eſcā eſurien-
*Luc. 21. d* tibus. De tertio: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Sequitur *Et ſolatij* vbi nos excitat ad deguſtandum vnctionem animi. Eſt autē Deus ſolatij quia conſolatur afflictos ſolatio intimo, iucundo, et perfecto. Intimo, vt lux: iucundo, vt riſus: perfecto, vt ſal. Per primum cognoſcitur creantis potentia: per ſecundum gubernantis ſapientia: per tertium largientis clementia. Conſolatur afflictos ſolatio intimo per remiſſionis gratiam: iucundo, per virtutis influētiam: perfecto, per deuotionis experientiam. De primo
*Heb. 6. d* habetur: Fortiſſimum ſolatium habemus, quòd confugiamus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam et incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus ſecundum ordinem Melchi-
*Heb. vlt. d* ſedech pontifex factus. De ſecundo: Rogo autem vos fratres vt ſufferatis verbum ſolatij: etenim perpaucis ſcripſi vobis, cognoſcite fratrem veſtrū Timotheum diuiſum, cum quo ſi ſimilius venerit, vos vi-
*Phil. 2. a* debo. De tertio: Si qua conſolatio in Chriſto: ſiquidem ſolatium charitatis: ſi qua ſocietas ſpiritus: ſi qua viſcera miſerationis implere gaudium meum vt idem ſapiatis: eandem charitatem habentes vnanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem, nec per inanē gloriam ſed humilitate ſuperiores: ſibi inuicem arbitrantes: non quæ ſua ſunt ſingulis conſiderantes, ſed quæ aliorum. Sequitur: *Idipſum ſapere* etcet. vbi informat ad proſequendum reſtitutionem zeli: *det vobis,* ſinceriter, quod facit religio: medulliter, quod facit deuotio: rationabiliter, quod facit humilis exhortatio. Sincera religio mundat animam a fœditate cogitationis immundæ: medullata deuotio a curioſitate inquiſitionis vanæ: rationabilis exhortatio a credulitate opinionis falſæ. Per primum reducimur ad locum ſpecioſitatis et pulchritudinis: per ſecundum ad locum vbertatis, ſiue pinguedinis: per tertium ad lo-
*Pſal. 106. d* cum ſecuritatis, et fortitudinis. De primo dicitur: Quis ſapiens et cuſtodit hæc, et intelliget miſericor-
*Eccli. 14. d* dias Domini. De ſecundo: Beatus vir qui in ſapien-
A tia morabitur, et qui in iuſtitia meditabitur, et in ſenſu ſuo cogitauit circumſpectionem Dei. De tertio: Di-
*Rom. 12. a* co enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus, qui ſunt inter vos: Non plus ſapere, quàm oportet ſapere: ſed ſapere ad ſobrietatem, et vnicuique ſicut Dominus dimiſit menſuram fidei. Rogemus igitur.

### *Sermo alius de Euangelio.*

C*Vm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti,*
B etcet. Verba ſunt Ioannis ad diſcipulos *Mat. 11. a* ſuos et pro eis prolata. Non eſt enim credendum Chriſti præcurſorem de aduētu Chriſti in carnem dubitaſſe, eo quòd in baptiſmo Spiritum ſanctum ſicut de cælo deſcendentem vidit, et ſic per eum manentem didicerat, et vocem patris audierat: Hic eſt filius meus dilectus: nec- *Mat. 3. d*
non et teſtimonium ei perhibuerat. Ecce agnus Dei. *Ioan. 1. d*
Si enim ipſum veniſſe ignoraſſet, quo modo eum pręſentem digito demonſtraſſet, et ei teſtimonium perhibuiſſet? Relinquitur ergo quòd nec ipſe ignorans quæſiuit: nec dubitans diſcipulos miſit, maxime ſi
C verba euangelij, quæ ſecum portant expoſitionem, diligentius intelligent. Nam in verbo propoſito tria notantur, per quæ veritas omnibus poteſt eſſe manifeſta. Primo enim notatur multiplicis hominis ſtatus ſignatio, per Ioannis vincula cū dicitur. *Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti*. Secundo propoſita de aduentu Chriſti quæſtio, cū ſubdit: Mittens duos ex diſcipulis ſuis ait illis. Tu es qui venturus es, an aliū expectamus? Tertio aperta Chriſti reſponſio cū ſubinfertur: reſpondens Ieſus ait illis. Euntes renunciate Ioanni quæ vidiſtis, et audiſtis: cęci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui
D reſurgunt, pauperes euangelizantur. Dicit ergo. *Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti,* vbi notatur ſignatio multiplicis ſtatus hominis per vincula Ioannis. Sicut enim princeps apoſtolorum Petrus poſt confirmationem poſitus in carcerem repręſentat hominis peccatoris ſtatum: ſic Ioannes Baptiſta in vinculis cōſtitutus, ſignat animas exiſtentes in multiplici ſtatu miſeriæ et calamitatis. Nam primo ſignat animas circumplexas vinculis originalis culpæ: ſecundo ſignat animas circumpeditas vinculis reatus pœnę: tertio ſignificat animas circumuolutas vinculis corpora-
lis miſeriæ. Primo de vinculis originalis culpæ dici- *Luc. 13. d*
E tur: Hanc filiam Abraæ, quam ſatanas alligauit, nonne oportuit abſolui a vinculo in die ſabbati? quaſi diceret, ſic: Mulier inclinata ad terram, quæ non poterat ſurſum reſpicere, ſignificat animam merito corruptionis originalis culpæ allecta ad terrena propter pronitatem ad malum: nec poteſt appetere cæleſtia propter difficultatem ad bonum. His ergo vinculis originalis culpæ, ſcilicet pronitatis ad malum, et difficultatis ad bonum, alligauit eum ſatanas, a quibus non poteſt abſolui perfecte, niſi in ſabbato quieſcentium. Quia licet cōcupiſcentia tranſeat in baptizato, quantum ad reatum pœnæ: remanet tamen quantum ad
F exercitium, vt quemlibet noſtrum experientia docet. Secundo de vinculis reatus pœnæ. De quo poteſt ex-
poni illud: Oculos Sedechię eruit et vinxit eum in *Hier. 52. b*
compedibus vt duceretur in Babylonem. Sedechias in compedibus a rege Babylonis, qui interpretatur iuſtitia Domini, ſignat animas a rigore diuinæ iuſtitiæ merito primæ pręuaricationis poſitas a diabolo in cōpedibus reatus pœnæ ſiue carentiæ viſionis diuinæ. Vnde oculos eius eruiſſe dicitur, quia a viſione veræ lucis excluſerat. Ducitur etiam in Babylonem, ideſt in limbum. Babylon enim confuſio interpretatur, et ſignat limbum ratione obſcuritatis, quam habebant ibi ſancti patres. Tertio de vinculis corporalis miſeriæ, et poteſt dici in perſona generis humani illud:
Incur-



*In oratione Manaſ. Reg. part. vlt.* Incuruatus ſum multo vinculo ferri et non eſt reſpiratio mihi. Vere homo in ſtatu præſentis miſeriæ incuruatus eſt multo vinculo ferri: nunc vinculo famis, nunc vinculo ſitis, aliquando vinculo nuditatis, quandoque vero infirmitatis: nec eſt ſibi reſpiratio, eo quòd æſtas impugnat per nimiam caliditatem, hiems per nimiam frigiditatem, autumnus per nimiam ſiccitatem, ver per excedentem humiditatem: ſenſualitas autem repugnat rationi. Ipſa quoque voluntas in ſemetipſa eſt contraria et diuerſa, et ſic non eſt in aliqua parte miſero homini reſpiratio.

Dicto de ſignificatione multiplicis ſtatus hominis, et Ioannis in vinculis: reſtat videre de quęſtione dubitantium, de aduentu Chriſti, quod notatur ſecundo cum dicitur: *Tu es, qui venturus es; an alium expectamus?* In iſta quæſtione, quam ponunt, oſtendunt ſe dubitare: ſed in expectatione, quam ſupponūt, oſtendunt ſe deſiderare. Quærimus enim quod dubitamus et deſideramus: quod prope eſt, expectamus. Proponunt ergo quæſtionem, eo quòd Chriſtum venturum deſiderant. Primo quærunt. *Tu es, qui venturus es* in mundum, ad ſoluendum vincula originalis culpę. Secundo quærunt. *Tu es, qui venturus es* in limbum, ad diſſoluendum vincula reatus pœnæ. Tertio quærunt. *Tu es, qui venturus es* ad iudicium, ad exterminandum vincula corporalis miſeriæ. Primo quærunt. Tu es, qui venturus es in mundum, ad ſoluendum vincula originalis culpæ. Non enim Ioannes propter ſe iſtam quæſtionem fecit, ſed propter diſcipulos ſuos, qui non credebant in Chriſtum, vt patet. Quando inuidia moti eo quòd Chriſtus præferebatur
*Ioan. 3. c* eorum magiſtro, dicebant: Ecce hic, qui baptizabat, et omnes veniunt ad eum. Vnde ad certificandum
*Ioan. 1. c* eos dicit idem: Nonne dixi vobis quòd ego non ſum Chriſtus, ſed ſum miſſus ante illum: quaſi diceret ſic. Similiter. Quaſi pręferendo ſeipſos diſcipulis
*Mat. 9. b* Chriſti, dicebant ad Ieſum: Quia nos et phariſæi ieiunamus frequēter, diſcipuli autem tui non ieiunant. Volens ergo beatus Ioannes eorum ſaluti prouidere et conſulere, poſitus in carcerem cum eſſet ab eis in breui diſceſſurus per martyrium: ne in errore eos relinquat, mittit ſuos diſcipulos ad Chriſtum, vt auditis eius verbis, et viſis eius operibus, credant quia prius eius teſtimonio credere nolebant. Vt ergo eorum dubitationi ſatisfaciat, reſponſione Chriſti quæſtionem ſecundum dubitationem eorum formauit, dicens: *Tu es, qui venturus es* in mundum, ad ſoluendum vincula originalis culpæ. Secundo quærunt: *Tu es, qui venturus es* in limbum, ad diſſoluendum vincula reatus pœnæ. De iſto autem aduentu Ioannes non erat certus: et ideo de iſto pro ſe interroga-
*Greg. in Euāg. hom. 6. & ī Eze. li. 1. hom. 1* uit, non de primo. Vnde Gregorius in hoc loco: Non enim Ioannes, quòd eſſet filius Dei dubitauit: ſed hic quærebat, vt qui eum iam veniſſe prædicando clamauerat, ipſum etiam ad inferos præcurrendo nunciaret. Quaſi diceret: Sicut pro hominibus dignatus es naſci, an pro hominibus mori digneris, inſinua: et ſicut natiuitatis tuæ præcurſor extiti, ita etiam præcurſor mortis fiam. Tertio quærunt: *Tu es, qui venturus es* ad iudicium, ad exterminandum vincula corporalis miſeriæ, quaſi dicat: nos ipſi didicimus per legem et prophetas, quòd reſurrectio erit in qua amouebitur a corporibus bonorum omnis defectus miſeriæ. Si ergo tu es, qui venturus es ad iudicium iuſtis defectus corporales amoueas, et nos dubitantes certifica. Viſo de ſignificatione multiplicis ſtatus hominum per Ioannis vincula, etiam de quæſtione dubitantium de aduentu Chriſti: reſtat tertio videre de aperta reſponſione per myſtica opera Chriſti, cum ſubinfert: *Reſpondens Ieſus ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis et vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, pauperes euangelizantur, mortui reſurgunt.* Non enim videtur illa reſponſio ad interrogationem
A pertinere: ſed certe ſi vitam repręſentatiuam facti diligenter perpendimus (cum quælibet Chriſti actio ſit noſtra inſtructio) videbimus iſtam reſponſionem multum per omnia ſatisfacere quæſtioni. Nam ipſe Dominus, qui videbat corda, ſatisfecit intentioni quærentium interius potius quàm ad quæſtionem exterius. Dubitantibus enim illis, an ipſe eſſet Chriſtus, fecit quę nullus alius niſi Chriſtus facere potuiſſet. Et ideo tollit ambiguitatem: quia melius creditur factis quàm verbis. Et propter hoc per myſtica facta reſpondit Ioanni figuranti animas exiſtentes in multiplici vinculo calamitatis et miſeriæ, dicens primo: *Euntes*
B *renunciare Ioanni*, ideſt animabus circumplexis vinculo originalis culpæ, aduentum mediatoris: quia ego ſum, qui veni in mundum, ad diſſoluendum vincula originalis culpæ, per humanæ carnis aſſumptionem. Et in ſignum huius: *Leproſi mundantur, ſurdi audiunt*. Secundo renunciate Ioanni, ideſt animabus circumpeditis vinculis reatus pœnæ aduentum Saluatoris, quia ego ſum qui vēturus ſum in limbum ad præcidendum vincula reatus pœnæ per voluntarię mortis aſſumptionem. Et hoc erit vobis ſignum, quia cæci vident, claudi ambulant. Tertio euntes renunciate Ioanni, ideſt animabus circumuolutis vinculis
C corporalis miſeriæ aduentum Saluatoris: quia ego ſum, qui venturus ſum ad iudicium, ad exterminandum vincula corporalis miſeriæ, per vtriuſque hominis glorificationem. Signum autem huius eſt: *Mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur*. Primum renunciate Ioanni, ideſt animabus exiſtentibus in originali culpa, quia ego ſum, qui venturus ſum in mundum per humanæ carnis aſſumptionem, ad diſſoluendum vincula originalis culpæ. Signum autem huius eſt, quia: *Leproſi mundantur, ſurdi audiunt*. Vnde
morbus lepræ ſignat peccatum primi hominis: eo *Morbus lepræ.*
quòd ſicut morbus lepræ eſt communis habitationis
D ſeparatiuus: totius hominis infectiuus, et generati generanti aſſimilatiuus: ſic primus parens demerito
primę præuaricationis fuit eiectus de paradiſo: cor- *Gen. 3. c*
ruptus in corpore et in anima, et etiam filios infectos
originalis præuaricationis generauit. Comparatur ni- *Peccatum Adæ ſurditati comparatur.*
hilominus eius peccatum ſurditati: eo quòd ad ſimilitudinem aſpidis ſurdæ et obturantis aures ſuas, ne audiat vocem venefici incantantis ſapienter, quæ ſe-
cundum Iſidorum vnam aurem in terrā ponit, aliam *Pſal. 57. a*
obturat cauda: ſic Adam aurem affectum claudit terrena ſatisfactione, et aliam ſatisfaciendi vxori, ne contriſtaret delicias ſuas: et aurem intellectus clauſit
E cauda conſequendo veniam de peccato, ne audiret vocem Dei præcipientis. Hora quacunque, *etcet.*
Vnde Auguſtinus ſuper hunc locum. Adam vtrum- *Gen. 2. c*
que fieri poſſe credidit et vt mulieri morem gereret, et quòd poſt per pœnitentiam pœniteret. De iſto ad-
uentu dicitur: Qui ſedes ſuper Cherubin manifeſtare *Pſal. 79. a*
coram Beniamin et Manaſſe. Excita potentiam tuā, et veni, vt ſaluos facias nos, et ſalui erimus. Qui ſedes ſuper Cherubin manifeſtare coram Beniamin: quaſi dicat: Tu, qui præſides cunctis cæleſtibus ſpiritibus, per eminentiam excellentis magnificentiæ manifeſtare coram cunctis gentibus per euidentiam humanita-
F tis aſſumptæ. Excita potentiam tuam: ſcilicet tu qui infinita tua potentia cuncta de nihilo entia produxiſti in eſſe naturæ, tu excita potentiam tandem, vt cuncta perficias in eſſe gratiæ. Et veni, coniungendo primum diuinitatis vltimo humanitatis in vnitate perſonæ: vt per hoc ſaluos facias nos a vinculis originalis culpæ. Domine Deus virtutum conuerte nos in priſtinam innocentiam, faciendo de impio pium: quod eſt maioris virtutis et potentiæ quàm creare cælum et terram. Et oſtende faciem tuam aſſumptæ humanitatis, et ſalui erimus a contagione paternæ præuaricationis. Propter hoc dicitur: Ipſe eſt pax noſtra qui fecit
vtraque vnum. Sequitur: Veniens euangelizauit vo- *Epheſ. 2. c*
bis pacem, qui fuiſtis longe et pacem his qui prope
Chri-

Chriſtus noſter reconciliator ad Deum fecit, vt eſſet A
vna ſcilicet diuinitatis et humanitatis perſona. Veniẽs
tamquam verus mediator concordans cum vtroque
extremo. Euangelizauit videlicet pacem factam per
ſuum aduentum his, qui prope, ſcilicet Iudæis, ratio-
ne datæ legis et ſanctæ promiſſionis. Et vobis qui fui-
ſtis longe, ſcilicet gentibus, qui legem non habebant,
nec Deum cognoſcebant. Secundo renunciate ani-
mabus exiſtentibus in pœnali anguſtia: quia ego ſum,
qui venturus ſum ad limbum per acerbę mortis aſſum
ptionem, et ad præcidendum vincula reatus pœnæ.
In cuius ſignum, cęci vident, claudi ambulant. Cæci
dicebantur ſancti patres exiſtentes in limbo: quia vi- B
ſione diuinæ lucis erant priuati: ſed claudi ex vna par-
te, quia habebant pœnam damni ſiue carentiam diui-
næ viſionis: et hic pes affectuoſus fuit eis reſtitutus
per aduentum Chriſti in limbum. Cum lucem diui-
nitatis aperte viderunt. De primo autem aduentu di-
*Baruc.* 4. *d* citur in figura: Et venit mihi gaudium a ſancto ſuper
miſericordia, quæ veniet vobis ab æterno ſalutari no-
ſtro. Emiſi vos cum luctu et ploratu: reducet autem
vos mihi Deus cum gaudio et iucunditate. Et licet ſit
verbum prophetæ loquentis ſuper Ieruſalem, et gau-
dentis de liberatione filiorum Ieruſalem, qui erant in
Babylone in captiuitate ſub poteſtate inimicorum: ta- C
*1. Cor.* 10. *c* men quia omnia contingebant illis in figura, poteſt
eſſe verbum matris Eccleſiæ gaudentis de liberatione
filiorum ſuorum, qui erant in limbo in captiuitate ali-
quo modo ſub poteſtate inimicorum. Mater vero Ec-
cleſia emiſerat filios ſuos cum ploratu et luctu in Ba-
bylonem, ideſt limbum obſcuritatis ab Abel vſque ad
mortem Chriſti: ſed cum reduxit eos Deus, deſcen-
dendo in limbum cum gaudio, et iucunditate, con-
ferendo eis perpetuitatem gloriæ: tunc venit recte ſi-
bi gaudium a Sancto ſanctorum ſuper miſericordia,
eo quòd liberati fuerunt per effuſionem proprij ſan-
guinis Chriſti. Tertio renunciate animabus exiſten- D
tibus in corporali miſeria, quia ego ſum, qui ventu-
rus ſum ad iudicium, ad exterminandum vincula cor-
poralis miſeriæ per vtriuſque hominis glorificationẽ.
Et hoc erit vobis ſignum, quia mortui reſurgunt, pau-
peres euangelizantur. In paupertate et morte nota-
tur duplex miſeria qua opprimitur genus humanum
vſque ad diem generalis reſurrectionis, ad quam om-
nis alia pœnalis miſeria poteſt reduci. Nam in pau-
pertate intelligitur indigentia actiuorum, ſed in mor-
te tolerantia afflictionum doloris. Et de iſto aduentu
*Agæi* 2. *b* dicitur: Adhuc vnum modicum, et ego mouebo cæ-
lum, et terram, et mare, et aridam, et mouebo om- E
nes gentes. Et veniet deſideratus cunctis gentibus et
implebo domum iſtam cum gloria: quod adimplebi-
tur quãdo corpus humilitatis noſtræ, quod eſt domus
Dei, reformabitur ab omni miſeria per configuratio-
nem claritatis gloriæ corporis Chriſti, *et cet.* Quod
nos, *et cet.*

### SERMO II.

*Pſal.* 71. *Excita potentiam tuam, et veni.* Deſiderium
antiquorum de aduentu Chriſti hic ex-
primitur. Quaſi enim obdormiſſet diui- F
na potentia diſſimulando tamdiu diabo-
licam violentiam & humanam miſeriam,
exclamans Dauid, ait: *Excita potentiam tuam et veni.*
Quaſi dicat: Diabolica potentia magna eſt contra ho-
minem, & humana potentia contra diabolum mini-
ma eſt. *Excita ergo potentiam tuam*, etcet. Non dicit:
Excita ſapientiam tuam, vel miſericordiam, vel iu-
ſtitiam tuam: ſed tamen liberaliſſimus Deus plus da-
re ſolitus quàm petatur: venit cum omnibus iſtis.
Aduentus Chriſti. Venit enim cum potentia, et ſapientia, et miſericordia,
et iuſtitia. Venit cum potentia vincendi: cum ſapien-
tia docendi: cum miſericordia ignoſcendi: cum iu-
ſtitia ſatisfaciendi. De primo dicitur hic: *Excita po-*

A *tentiam tuam.* Potentiam vtique vincendi dæmones,
quã & ipſi timebant. Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei? *Mat.* 8. *d*
veniſti huc ante tempus torquere nos. Legio enim
fuit (ſicut alij Euangeliſtæ dicunt) quæ iſtud conque-
rendo dicit. Bene autem dicit: Veniſti huc. Venit enim
torquere eos in mundo corporaliter, & eijciendo ſpi-
ritualiter: in inferno captiuos auferendo: in iudicio
plenius damnando. Si tot millia conuenerant ad ve-
xationem corporis, quot millia credis venire ad ve-
xationem animæ vſurarij, luxurioſi, & inuidi in mor-
te? Item ſi tot millia canum infernalium, ideſt dæ-
monum Chriſtus fugauit verbo: quid faciet baculo ac
B ſaxo? Nũquid canis ego ſum, quia tu venis ad me cum *1. Reg.* 17. *f*
baculo? Goliã enim, ideſt diabolũ baculo crucis et qn-
que lapidibus, ideſt quinque plagis ſtrauit. Victus es
ergo o ſatã baculo crucis. Vnde Caſſiod. Crux humi- *Caſsiod. in*
liũ inuicta tuitio, ſuperborũ abiectio: victoria Chri- *Pſ.* 4. *verſ.*
ſti, perditio diaboli. De ſecundo: Scio quòd Meſſias *ſignatũ eſt*
venit, qui dicitur Chriſtus. Cumq. ergo venerit ille *ſuper nos.*
annunciabit vobis omnia. Quid autem annunciauit *Ioan.* 4. *d*
pauperibus, quid mitibus, quid lugentibus, quid iu- *Mat.* 5. *a*
ſtitiam eſurientibus, quid miſericordibus, quid mun
dis corde, quid pacificis, quid perſecutionem patien-
tibus, require. Quid annunciauit diuitibus: Mortuus
C eſt diues, et ſepultus eſt in inferno. Quid immitibus: *Luc.* 16. *e*
Omnis qui iraſcitur, *et cet.* Item quid ridentibus et la- *Mat.* 5. *d*
ſciuientibus: Væ vobis qui nunc ridetis, et ſic de alijs. *Luc.* 6. *d*
Chriſtus ergo annunciauit omnia quę ad diuinam re-
conciliationem, noſtri meliorationem, & æternam
ſaluationem pertinent. Quare pulchri ſuper montes *Iſa.* 52. *b*
pedes annunciantis et prædicantis pacem: annuncian-
tis bonum, prædicantis ſalutem. Pacem contra Dei
offenſam: bonum contra animæ maculam: ſalutem
contra æternam pœnam. De tertio: Prope eſt vt ve- *Iſa.* 14. *a*
niat tempus eius, incarnationis, vt dicit Gloſ. Miſe-
rabitur enim Dominus Iacob, ideſt cordis qđ ſupplan
D tat vitia per pœnitentiam. Miſericordiam volo, et non *Mat.* 9. *b*
ſacrificium. Non enim veni vocare, *etcet.* Gloſſa. Mi-
ſericordiæ exemplum dat dicens: Non veni, *etcet.*
Ecce peccatores filiũ Dei venire in mundũ coegerũt: *Hieron. in*
Vnde et propter peccatores venit. Hieronymus: Notã- *Matth. c.* 1.
dum in genealogia Saluatoris nullam ſanctarum aſſu- *tom.* 6.
mi mulierũ: ſed eas, quas ſcriptura reprehendit, vt qui
propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens
omnium peccata deleret. Ibi enim per Raab, et Ruth,
et Berſabee, generatus oſtenditur Dominus. In his
tribus quælibet anima, quæ per mundum vel diabo-
lum, vel carnem peccatis conſtringitur, figuratur.
E Prima per Raab meretricem Hierico quod interpre-
tatur luna: & ſignificat mundum. Secunda per Ruth
Moabitidem, quæ interpretatur de patre genita: Vos *Ioan.* 8. *f*
ex patre diabolo eſtis. Tertia, per Berſabee adulteram.
De quarto. Iuxta eſt ſalus mea vt veniat, iuſtitia mea *Iſa.* 56. *a*
vt reueletur. Iuſtitia Dei in filio reuelata eſt: quia per
ipſum pro homine iuſtiſſime ſatisfactum eſt: et homo
iuſtiſſime redemptus. Cum enim redemptio ſit con- Redẽptio
digno pretio rei recuperatio: ecce nihil fuit in cælo, quid.
vel in terra quod ita pretioſum eſſet ſicut totum ge-
nus humanum, quod perditum fuit, niſi ſolus Deus
recuperaſſet. Oportet ergo Deum eſſe eum quo redi-
F mi debuimus. Item qui peccauit, ſatisfacere debuit.
Homo autẽ peccauit: ergo Deus et homo debet eſſe
redemptor. Bernardus: Homo qui debuit: Deus qui
ſoluit, potuit. Pater meus amiſit me: Frater meus
redemit me. Item homo mortis debitor fuit. Mori
ergo debuit qui pro homine ſatisfacere voluit: Vt per *Heb.* 2. *d*
mortem deſtrueret, *etcet.* Item mors per lignum
venit: ergo per lignum mors deſtrui de-
buit. Benedictum eſt lignum per *Sap.* 14. *a*
quod fit iuſtitia: Per quæ *Sap.* 11. *c*
quis peccat,
*et cet.*

SER-



### SERMO III.

*Rom.* 15. *a* *Qvæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam*
*ſcripta ſunt.* Multum chariſſimi aman-
dæ ſunt ſcripturæ, tamquam lucernæ in
Scriptura quotuplex. tenebris huius vitæ. Sed attende quòd
quadruplex eſt ſcriptura, videlicet præ-
ſcientiæ increatæ, conſcientiæ innatæ, ſcientiæ inſpi-
*Luc.* 10. *d* ratæ, ſapientiæ incarnatæ. De prima: Gaudete, quia
nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Felices qui ſic vi-
uunt quòd nomina ſua in libro vitæ ſcripta eſſe ſpera-
re poſſunt. Non enim ibi viles ſed reges ſcripti ſunt.
Aug. Omnes regnaturos cum filio ſuo, ſic hos ſcripſit B
Deus, hos continet liber vitæ. Væ autem luxurioſis,
inuidis, vſurarijs, et alijs peruerſis, quorum nomi-
*Apoc.* 20. *d* na non ſunt ibi ſcripta: Qui non eſt inuentus in libro
vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Licet autem
tales non ſint in ſcriptura prædeſtinationis: ſunt ta-
*Iſa.* 65. *a* men in ſcriptura reprobationis: Ecce ſcriptum eſt co-
ram me, non tacebo, ſed reddam et retribuam in ſi-
*Rom.* 2. *b* nu eorum iniquitates veſtras. De ſecundo: Cum gen-
tes quæ legem non habent naturaliter quæ legis ſunt
faciunt: eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt
lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus C
ſuis teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum.
Vnde cõſcientia ſignificatur per tabulas lapideas. Ta-
bulæ enim durabiles in ſe continent ſcripturam. Nul-
lus ergo excuſari poteſt quòd ſcripturas neſciat, cum
ſcripturam in corde habeat ſecundum quam viuat. Si-
cut enim decem mandata in tabulis: tabulæ in arca:
arca in tabernaculo: ſic lex naturalis in conſcientia:
conſcientia in anima: anima autem in corpore eſt.
Sed heu per peccatum obſcurata eſt ſcriptura con-
ſcientiæ: ſed illuminatur per ſuſceptionem gratiæ:
*Heb.* 8. *d* Dabo leges meas in cordibus eorum, et in viſceribus
eorum ſuperſcribam eas. In libro autem conſcientię,
non ſolum lex naturalis, ſed etiam quidquid contra D
hanc legem homo fecerit ſcriptum eſt. Vnde ſi librum
conſcientiæ non habes inſcriptum bonis meritis tam-
quam calamo aureo, habes tamen ſcriptum malis
*Hier.* 17. *a* meritis tamquam ſtylo ferreo: Peccatum Iuda ſcri-
ptum eſt ſtylo ferreo, *etcet.* In vngue adamantino,
ideſt in corde obſtinato. Sed heu iſta ſcriptura ab om
nibus legetur in nouiſſimo die. Vnde Origenes ait:
Nudabitur cordis conſcientia, et aperto corde vide-
buntur litteræ peccatorum, quæ ſtylo ferreo, et in vn-
gue adamantino ſcripta ſunt, atque vniuerſa ſpectan-
tium multitudo leget in pectore noſtro ſignatas ſin-
*2. Tim.* 3. *d* gulas imagines peccatorum. De tertio: Omnis ſcri- E
ptura diuinitus inſpirata eſt. Has ſcripturas ſerua be-
ne viuendo in hac vita, ſi vis bene viuere in æterna:
*Luc.* 10. *e* Quid faciendo vitam æternam poſſidebo? At Ieſus di-
cit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? *etcet.* Vſque,
et proximum tuum ſicut teipſum. Væ autem miſe-
*Galat.* 3. *b.* ris ſcripturæ tranſgreſſoribus: Maledictus homo qui
non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro
legis, vt faciat ea. Nota quòd ait, diuinitus inſpirata.
Ex hoc patet quòd ſcriptura ſacra cælitus nobis eſt
emiſſa. Propter hæc ſicut exules et peregrini de litte-
ris charorum ſuorum de patria ſua miſſis: ita conſo-
lantur amici Dei de ſcripturis diuinis. Vnde hic bene F
dicitur: *Quæcunque ſcripta ſunt*, , vſque, ſpem ha-
beamus. Igitur de patria recitantur litteræ, dum ſcri-
pturæ nobis prædicantur. Auguſtinus, Peregrinamur,
ſuſpiramus, gemimus. Veniunt ad nos litteræ de pa-
tria noſtra: ipſas recitamus nobis. Signum ergo eſt
quòd ad cæleſtem patriam non pertinet qui has litte-
*Pſal.* 44. *a* ras ſeruare vel audire nolunt. De quarto: Lingua
mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis, *etcet.* Spi-
*Act.* 2. *a* ritus ſanctus in linguis igneis apparuit ſuper Apoſto-
los. Linguam ergo et calamum intellige Spiritum
ſanctum. Hac enim lingua verbum patris per incar-
nationem in mundum prolatum eſt. Hoc calamo ver-

A bum patris pelli humanitatis vnitum eſt. Hæc pellis
in ligno crucis eſt extenſa. Extendens cælum ſicut *Pſal.* 103. *a*
pelle. Velociter iſte calamus ſcripſit, quia in inſtanti *Greg. lib.* 18
conceptionis liber iſte conſummatus fuit. Gregorius: *Moral. c.*
Nunciate angelo, et adueniente Spiritu ſancto, mox 27. *longe*
verbum in vtero: mox intra vterum verbum caro. *poſt med.*
Hic eſt liber quem vidit. Scriptum intus et foris. *Ezech.* 2. *d*
Quanta in hoc libro intus ſapientia, et quanta foris
exempla ſcripta ſint, quis poſſet ſcire? Legere tamen
ſemper debemus in hoc libro. Et quid ibi legitur?
Lamenta in mundo: carmen in cælo: væ in iudicio.
Ecce qualia ſcripta, qualia priuilegia poſſidendæ he-
reditatis nobis danda ſunt: quibus rubrica et bulla
B appoſita eſt. Ioan. Chryſoſtomus: Ne aliquid doctri-
næ Chriſti deeſſet, ſecuta eſt forma: quæ ideo ad vl-
tima dilata eſt: vt quaſi piæ hereditatis teſtamentum
filij ſuperſtites eo deuotius amplecterentur, quo
Chriſti ſanguine ſcripta priuilegia manifeſtius vi-
derunt: et impoſita bulla impreſſam obedientiæ eius
imaginem.

### SERMO IV.

*Tvnc videbunt filium hominis venientem in* *Luc.* 21. *e*
C *nube cum poteſtate magna & maieſtate.* Ve-
nientis ad iudicium tempus præuenien-
dum, perſonæ intendendum, loco occur-
rendum, auctoritate tremendum eſt. De
primo: Media nocte clamor factus eſt, exite obuiam *Mat.* 25. *a*
ſponſo, *et cet.* Ecce ſponſus venit. Hebræi tradunt
Chriſtum nocte media venturum, ſicut venit omni-
potens ſermo tuus Domine percutiens Aegyptum. *Sap.* 18. *c*
Quidam etiam ſanctorum hic opinantur, quòd ſicut
nocte Chriſtus natus eſt, et nocte venit ab inferis: ita
nocte veniet ad iudicium. Alij exponunt. Media no-
cte, ideſt nullo ſciente. Illa autem hora hic per tunc
exprimitur cum dicitur. *Tunc videbunt.* O iſtud tunc
D quàm timendum malis: quàm deſiderandum bonis.
Tunc enim erit reſurrectio mortuorum. Tunc ſurre- *Mat.* 25. *a*
xerunt omnes virgines illæ. Tunc iudicis manifeſta-
tio erit, vnde hic: *Tunc videbunt filium hominis.*
Tunc ſententiæ prolatio: Tunc dicet rex, *etcet.* Præ- *Mat.* 22. *b*
uenire ergo debemus hoc tempus cum prudentibus
virginibus accipiendo oleum in cordium noſtrorum
vaſis. De ſecundo: Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a vo- *Act.* 1. *b*
bis in cælum ſic veniet. Interlinearis. In eadẽ forma,
ideſt carnis ſubſtantia, Beda: In eadem natura veniet *Beda in*
iudicaturus, in qua venit iudicandus. Vnde bene di- *Mat. c.* 25.
citur hic. Videbunt filium hominis. Diuinitas enim *tom.* 5.
E Chriſti a malis non videbitur (ſicut dicit Auguſtinus)
ſub illa forma qua Deus eſt: ſed qua filius hominis
omnibus apparebit: Ecce venit cum nubibus, et vi- *Apoc.* 1. *b*
debit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et
plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ. Videbitur
enim vniuerſaliter, corporaliter, terribiliter. Vide-
bitur vniuerſaliter. Vnde dicit: Videbit eum omnis
oculus. Interlinearis, tam bonus quàm malus. Non
enim tantum humiles et continentes, et miſericor-
des, et alij mundi oculi: immo etiam ſuperbi, aua-
ri, luxurioſi, et alij immundi oculi et impij vide-
bunt. Auguſtinus: Formam ſerui quam hic habuiſſe
F eum viderunt, et ipſam videbunt inuidi, pij, et im-
pij. Sed væ talibus oculis: Oculi tabeſcent in fora- *Zach.* 14. *c*
minibus ſuis. Item corporaliter. Vnde addit: Et qui
eum pupugerunt. Ioannes Ghriſoſtomus: Oſtendens
in iudicio non ſolum vulnera et cicatrices ſed ipſam
mortem exprobratiſſimam oſtendens. Pungitur au-
tem Chriſtus non ſolum a crucifixoribus: ſed quoti-
die a tortoribus fidelium: Si affliget homo Deum: *Mal.* 3. *b*
quia vos crucifigitis me. Item terribiliter. Vnde plan
gent ſe, *et cet.* Si non vis tunc plangere propter ſen-
tentiam, nunc plange per pœnitentiam. Plangam *Iob.* 10. *d*
paululum dolorem meum. Plange paululum in mun-
do, ne plangas plurimum in inferno. De tertio: Ecce *Dan.* 7. *d*
cum

A cum nubibus cęli filius hominis veniebat. Nubes in aere eſt, et Chriſtus in aere ſedebit ad iudicium: vbi *1. Theſ.4.d* boni ipſi occurrent: Simul rapiemur, *etc et.* Vnde bene dicitur hic: *Venientem in nubibus.* Chriſtus ergo, et boni erunt in aere ſuper vallem Ioſaphat, quæ eſt in latere montis Oliueti: ſed mali in valle et in terra manebunt qui in imo fuerunt vitiorum: quia adhæſit *Ioel. 3.a* in terra venter eorum: Congregabo omnes gentes: et deducam eas in vallem Ioſaphat. Sicut ergo mali in terra, boni in aere erunt: ita credi rationabiliter poteſt quòd ſuper bonos erit Chriſtus cum eis qui ſedebunt ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael. B Aſcendamus ergo de valle vitiorum, ne ibi remaneamus in valle cum damnandis. Nunc in terra Chriſtum ſequamur corde: vt tunc in anima Chriſtum ſequamur et corpore. Gregorius: Et ſi adhuc tenemur infirmitate corporis, ſequamur tamen *Mat.25.c* paſſibus amoris. De quarto: Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, et omnes angeli eius cum eo. Maieſtas autem venientis apparebit: quia veniet cum *Epiſt. can.* turba copioſa. Et ecce veniet Dominus cum omnibus *Iud. Epiſt. c* ſanctis ſuis faciens iudicium, *etcet.* Iudas in can. Et *Zach.8.b* hic dicitur omnes angeli eius cum eo. Item veniet in *Luc.17.e* forma glorioſa: Sicut fulgur coruſcans, *etcet.* Gloſſa. C Subitus et coruſcans ſic vt nullus in ſua mente manere permittatur: quin iudicis fulgure penetretur Auguſtinus: Licet in forma ſerui glorificata iudicantem videbunt boni et mali, tolletur tamen impius, vt non videat claritatatem Dei, qua Deus eſt: quam ſoli mundo corde videbunt: quod erit eis vita æterna. Item veniet in poteſtate virtuoſa. Vnde ſequitur: *Venientem cum magna poteſtate.* Tunc apparebit virtus diuinæ poteſtatis qua mortuos ſuſcitabit: et totum mundum pro meritis iudicabit.

## SERMO V.

*Luc. 21.f* **S** *Citote quia prope eſt regnum Dei.* Quattuor ſunt valde prope. Gratiæ largitas in mundo: iræ ſeueritas in iudicio: pœnæ acerbitas in inferno: et gloriæ ſerenitas in cęlo. *Iſa. 46.c* De primo. Prope feci iuſtitiam meam: et non elongabitur, et ſalus mea non morabitur. Iu- *Pſal.96.a* ſtitiam dicit gratiam iuſtificantem: Iuſtitiam et iudicium correctio ſedis eius. Iuſtitia gratiæ iuſtificantis: et iudicium pœnitentiæ ſatisfacientis corrigens animam quæ eſt ſedes Dei. In hac iuſtitia eſt ſalus animę. Vnde addit: Salus mea non morabitur. Ex quo ergo E prope eſt ſalus gratiæ hominibus: quare miſer peccator gratiam non ſentis et non accipis? audi quare, vnde eſt quòd clara luce dormiens non ſentit diem? quia ſenſus ſomno ligatus ſit, ſic vtique prope eſt nobis dies gratiæ: ſed ſomnus voluptatis carnalis ſenſus animæ ligat: vt huic propinquantem lucis diem non ſentiat. O ſumma et inacceſſibilis lux quàm longe es a me, qui tibi ſum prope. Adhuc lates Domine animam meam in luce tua: et ideo verſatur in tenebris et *Rom. 13.d* in miſeria. Ideo monet Apoſtolus, dicens: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, *etcet.* vſque dies autem *Ioel. 1.d* appropinquauit. De ſecundo: Ah, Ah, Ah, diei, quia F prope eſt dies Domini. Ter gemendo ah, oſtendit gemendum eſſe timore iudicij eis qui offendunt Trinitatem, patrem et filium et ſpiritum ſanctum. Vel tripliciter offendunt corde, et ore, et opere. Hoc triplici gemitu pro peccatoribus lamentantur Hieremias, Ezechiel, et Ioel. Lamentatur Hieremias *Hier.14.b* peccantium damnabilem ſecuritatem: Ah, ah, ah, Domine Deus, prophetæ dicunt eis, non videbitis gladium. Prophetæ iſti mali conſiliarij et animarum de- *Apoc.1.d* ceptores. Gladius eſt ſententia iræ Dei: De ore eius gladius exibat ex vtraque parte acutus. Item gemit peccatorum abominabilem voracitatem? Nunquid *Ezech.4.d* ſtercus humanum comedet quis? Propheta dicit: Ah, ah, ah Domine Deus. Ecce anima mea non eſt pol- A luta *et cet.* Abominabile ſtercus eſt peccatum: quod comedunt qui de vſura, furto, rapina, paſcuntur. Item Ioel gemit iudicij terribilis propinquitatem, *Ioel. 1.d* dicens: Ah, ah, ah, diei: quia prope eſt dies Domini *etcet.* qui terribilis eſt peccantibus corde et ore et opere ſimul. De tertio: Prope eſt interitus Moab vt *Hier. 48.c* veniat: et malum eius accurret velociter nimis. Moab peccatorem ſignificat. Interpretare enim ex patre: Vos ex patre diabolo eſtis, interitus æternam dam- *Ioan.8.f* nationem ſignificat: Ego in interitu veſtro ride- *Prou.1.c* bo. Grauiter enim inerit damnandis iſte riſus: ſed tamen iuſte. Nam in hoc ſęculo vbi Dominus fle- B uiſſe legitur, peccator ridet per vana gaudia *etc.* Væ *Luc. 6.d* vobis qui nunc ridetis: quia lugebitis et flebitis vos: *Prou. 10.d* Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus. Et ideo in futuro ſęculo peccator flebit: Erit fletus et ſtridor *Mat.22.b* dentium. Item Dominus eum irridebit: immo etiam dæmonum ridiculum erit peccator: Tyran- *Abac. 1.c* ni ridiculi eius erunt. Gregorius: Niſi contra malignos ſpiritus vigilemus ſolicite, ipſos irriſores patiemur quos ad malum perſuaſores habemus. Timendum valde eſt: quia interitus iſte non ſolum dicitur eſſe prope, immo accurrit velociter nimis. Peccator enim currit in interitum: et interitus currit ad eum in C morte: et multo propior eſt quàm credant. Nam qui inter nos hic nunc ſedet, forte infra menſem, forte infra octo dies, forte adhuc hodie erit in inferno. Eius vtique interitus ſatis eſt prope: Cum enim dixerint *1. Theſ.5.a* pax et ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus *etc.* De quarto dicitur hic: *Prope eſt regnum Dei.* Notandum autem quòd Dominus hic regnum Dei æſtati comparat: dicens: Videte ficulneam *etcet.* vſque: Scitis quia prope eſt æſtas. Sicut enim inchoante æſtate flores et vermes egrediuntur de terra: Sic in reſurrectione boni egredientur ſicut flores. Pſal. Re- *Pſal.27.o* floruit caro mea. Mali autem ſicut vermes de ſepul- D cris. Sed quid mirum ſi tunc quaſi vermes appareant abominabiles qui nunc ſerpentes dicuntur? Genimi- *Ma.3.13.d* na viperarum *etcet.* Item ſicut æſtas delectabilis eſt de cantibus auium, ita regnum Dei de laudibus iubilantium angelorum et hominum: Vocem quam *Apoc.14.a* audiui ſicut citharœdorum *etcet.* Auguſtinus: Quanta erit illa ſerenitas, vbi nullum erit malum: nullum latebit bonum: vacabitur Dei laudibus: qui erit omnia in omnibus.

# DOMINICA TERTIA ADVENTVS DOMINI.

## SERMO I.

**M** *Edius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Licet tantæ ſanctitatis eſſet Ioannes Baptiſta, vt a pluribus Chri- *Ioan.1.d* ſtus reputaretur, interrogatus a Iudęis vtrum eſſet Chriſtus, reſpondit veritatem, quia non eſſet Chriſtus, ſed tamen vt ad propoſitam quæſtionem Iudæorum de F Chriſto reſponſio pateat: nuncius fidelitatis et præco veritatis adiunxit propoſitum verbum, dicens: *Medius autem veſtrum ſtetit* et cet. In quo quidem verbo primo aſſerit reconciliatiui officij congruentiam. Secundo recolit verbi incarnati præſentiam. Tertio arguit populi Iudaici negligentiam. Primo aſſerit reconciliatiui officij congruentiam, cum dicit: *Medius autem veſtrum.* Secundo recolit verbi incarnati præſentiam, cum ſubdit: *Stetit*, ideſt præſentialiter inter vos fuit. Tertio arguit Iudaici populi negligentiam, cum ſubinfertur: *Quem vos neſcitis.*

Dicit ergo: *Medius autem veſtrum.* Vbi notatur congruentia reconciliatiui officij. Etiam congruum fuit, vt qui medium tenebat in throno, medium teneret



A neret in officio. Et qui medium in via fuerat creationis, medium exiſteret in via recreationis: vt per verbum mundus reficeretur, per quod fuerat factus. *Chriſtus mediũ congruum.* Eſt autem Chriſtus congruum medium. Primo mirabilis colligantiæ, in incarnatione. Secundo regularis diſciplinæ in conuerſatione. Tertio vitalis influentiæ, in paſſione. Primo Chriſtus eſt medium congruum mirabilis colligantiæ in incarnatione: quia in ipſo miſabiliter duo coniunguntur extrema, videlicet *Ephe.2.c* primum diuinitatis et vltimũ humanitatis. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui vtraque fecit vnum, et propter hoc multo melius quàm Moyſes poteſt dicere Chriſtus B per quem gratia reconciliationis et veritas incarnatio- *Deut.5.a* nis facta eſt, illud: Ego medius fui & ſequeſter inter vos et Deum. Ipſe enim eſt quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, ideſt aſſumptæ humanitatis. Secun- *Eccl.50.a* dum quod dicitur: Sicut enim ſtella matutina eſt media inter tempora diurna et nocturna, et influit ad purgationem tenebrarum: ſic Chriſtus fuit medius inter diem diuinitatis et noctem humanitatis, peccatorum tenebras amouendo. Secundo Chriſtus fuit congruum medium regularis diſciplinæ in conuerſatione, nunquam recedens a medio virtutis in locutione: a medio honeſtatis in operatione: quia ſemper me- C dium tenuit in omni genere virtutum perfectionis. *Pſal.45.a* Ideo dicitur in Pſalmo de ipſo: Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus Deus in medio eius non cõmouebitur. Et ratio eſt: quia ita virtute humilitatis ſe firmauit quòd licet perflarent venti altiſſimæ ſuperbiæ; defoſſam tamen eius humilitatem numquam potuerunt attingere. Nam cum eſſet rex ditiſſimus, pauperibus, et piſcatoribus ſe ſociauit, immo miniſtra- *Luc. 2.f* uit. Doctor ſapientiſſimus ad modum pueri ſimpliciſſimi, doctores audiuit. Princeps fortiſſimus ad crucis patibulum ſe duci permiſit. Vnde ipſe dicit de *Luc.22.c* ſeipſo: Ego autem in medio veſtrum ſicut qui mini- D ſtrat. In medio ſtat damnans angulos ambitionis, in beneficiorum exhibitione: latibula perſonarum acceptionis, in præbendarum diſpenſatione: deluſoria verba priuatæ conſolationis, et conuenticula ſordidę delectationis, ſicut qui miniſtrat, non ſicut qui dominatur. Tertio Chriſtus fuit medium vitalis influentiæ in paſſione: vbi operatus eſt ſalutem in medio ter- *Pſal. 73.c* ræ. Sicut enim cor quod eſt medium viuifici caloris mediãtibus ſpiritibus influit vitam in cetera membra *Luc. 22.f* animalis: ſic Chriſtus crucifixus in medio latronum, *Gen.2.b* qui eſt lignum vitę plantatum in medio paradiſi: ideſt E Eccleſiæ mediantibus ſacramẽtis influit vitam in alia membra corporis myſtici. Et hoc eſt quod dicitur: *Apoc.22.a* Oſtendit mihi fluuium aquę viuę ſplendidæ tamquam criſtallum procedentem de ſede Dei et agni in medio plateæ eius. Fluuius dicitur diſpenſatio ſacramentorum: Sed ſplendidus tamquam criſtallus, propter claritatem et nitorem, quem relinquit in animabus quæ in hoc flumine baptizantur. Dicitur autem fluuius aquę viuę, propter efficaciam gratiæ, quæ viuificat animam. Et dicitur procedere a ſede Dei et agni: quia ſacramentalis gratia eſt quę procedit a Deo tamquã ab actore et efficiente, ſed a Chriſto tamquam a mediatore et promerente: propter quod dicuntur F omnia ſacramenta habere efficiam a paſſione Chri- *Auguſt. in ſenten. poſt med. to. 3.* ſti. Vnde ſecundum Auguſtinum: de latere Chriſti dormientis fluxerunt ſacramenta, dum inde fluxit ſanguis et aqua in medio plateę eius, ideſt Eccleſiæ: quæ eſt corpus myſticum, vt per eum viuificatur.

Secundo notatur verbi incarnati præſentia: cum ſubdit: *Stetit.* Ideſt præſentialiter inter vos fuit. Stetit autem Chriſtus inter homines. Primo vt Pontifex clementiſſimus, ad purgandum delinquentes a malo culpæ: Secundo vt doctor ſapientiſſimus, ad illuminandum verbo doctrinæ: Tertio vt rex potentiſſimus, ad liberandum impotentes a malo pœnæ, et inducendum ad bonum gloriæ. Sic Chriſtus tamquam mediator ſufficiens et verus Angelus noui teſtamenti ha- A buit tres actus hierarchicos in eccleſiaſtica hierarchia, ſcilicet. Purgare per expiationem culpæ: illuminare per eruditionem doctrinæ: et reficere per remotionem pœnæ et collationem gloriæ. Primo ſtetit vt pontifex clementiſſimus ad purgandum delinquentes a malo culpæ. Vnde: Ego ſto ad oſtium et pulſo, ſi *Apoc.3.d* quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum eo. Ego ſcilicet Chriſtus ſto ad oſtium cordis clauſi per peccati delectationem, et pulſo per internam vocationis inſpirationem: quam loquor ad vniuſcuiuſque peccatoris cor: ſi quis audierit vocem meam, ſcilicet per auditus inclinationem, B et operis executionem, et aperuerit mihi per peccati confeſſionem et deſertionem, intrabo ad illum per iuſtificantis gratiæ inhabitationem: & cœnabo ſecum per ſpiritualium ciborum ſuauium refectionem. Vnde Auguſtinus: ſuper Geneſim ad litteram. Principium rationalis creaturæ ab æterno eſt æterna ſapientia, quæ nullo modo ceſſat occulta inſpirationis locutione loqui creaturæ, quæ ab ipſa formata eſt: vt ad ipſum conuertatur, quia aliter perfecta eſſe non poteſt. Secundo ſtetit vt doctor ſapientiſſimus ad illuminandum ignorantes verbo doctrinę. Vnde Ioannes: In nouiſſimo autem die magnę feſtiuitatis ſtabat Ie- *Ioan.6.e* C ſus vt verus doctor: et clamabat quaſi tuba exaltans vocem ſuam, dicens: Si quis ſitit hauſtum ſcientiæ ſalutaris, veniat ad me humiliter petendo ſine pertinacia contẽptionis, et bibat dulce vitæ poculum, quod ei de pelago ſcientiæ propinabo. Tertio ſtetit vt rex potentiſſimus ad liberandum impotentes de malo pœnę. Vnde dicitur: Video cælos apertos et Ieſum *Act.7.g* ſtantem a dextris virtutis Dei. Dum Ieſus Chriſtus exiſtens a dextris, ideſt ad æqualitatem patris inquantum Deus, et in bonis potioribus eius inquantum homo Deus: non ſolum dignatus eſt Prothomarytri ſuſtinenti ictus lapidum pro eius nomine, facere abun- D dantem prouentum gratiæ, per quam ſuperabat immanitatem Iudæorum per benignitatem orationis, ſed dignatus eſt aperire cælos, et ſeipſum ei oſtendere quaſi in ſignum, quòd eum introducturus erat in bonum ſimilis gloriæ. Sequitur tertium.

*Quem vos neſcitis.* Vbi arguit Iudæorum ignorantiam, quæ conſurgebat triplici de cauſa. Primo propter defectum illuminationis ſupernæ: Secundo propter impedimentum argumentationis ſophiſticæ: Tertio propter odium æmulationis fraternæ. Primo neſcitur Chriſtus propter defectum illuminationis ſupernæ. Vnde in Pſalmo: Neſcierunt neque intelle- E xerunt, in tenebris ambulant: quia non intelligunt verbum veritatis quod erat eis præſens per eſſentiam. Propter cęcitatem malitiæ abſens fuit per notitiam: ſicut ſol eſt præſens cęco et nequaquam apprehenditur ab ipſo, ideo neſcierunt fugere malum culpę nec facere iuſtitiæ bonum. Nam nullus poteſt dirigi ſine luce fidei: immo in tenebris ambulant ſectando falſitatem infidelitatis. Et propter hoc dicitur: Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruunt. Secundo neſcitur Chriſtus propter impedimentum argumentationis ſophiſticæ. Vnde: Filij Agar, qui ex- *Baruc.3.e* quiſierunt prudentiam, quę de terra eſt, negotiatores F terrę, et Theman confabulatores, et exquiſitores prudentię et ſcientię, viã autem ſapientię neſcierunt. Licet omnis ſcientia ſit bona quia a Deo eſt, tamen quia ſcientia humana peruerſe vtentibus occaſionem cupiditatis prębet, ideo dicuntur filij Agar exquirere prudentiam, quę de terra eſt. Agar enim peruerſio interpretatur, et deſignat peruerſe vtentes mundana ſcientia: qui ſtatuerunt oculos declinare in terram. *Pſal.16.c* Dicuntur etiam negotiatores Theman, ſcilicet voluptatis. Theman autem ficus interpretatur, et ſignat voluptatem ratione ſuę dulcedinis, ad hoc dicuntur confabulatores ſcientiæ ratione vanitatis et inflationis, et ſic dicitur ſcientia mundana: quia occaſionem multiplicis erroris prębet debilibus et infirmis, ideſt

A peruerſe vtentibus quæ nomine filiorum Agar deſignatur. Dicitur terrena, ratione cupiditatis deprimentis, animalis ratione voluptatis ſubuertentis. Dicitur etiam diabolica, ratione inflationis ſuperbientis: et quia tales nolunt credere nec acquieſcere primę veritati tamquam matri bonæ, merito credent malæ nouercę, ideſt philoſophicę rationi: propter hoc ſequitur. Viam autem ſapientiæ neſcierunt non attendentes ſuum defectum eſſe ſed diuinæ ſapientię. Tertio neſcitur Chriſtus propter odiũ fraternæ æmu- *1. Ioan. 2. c* lationis: Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris ambulat et neſcit quo vadit, quia tenebræ obcęcauerunt oculos eius. Quia populus Iudaicus dum loque- B retur ei Chriſtus veritatem vitæ gratis impugnabat et bonum ſupernæ gratiæ: ideo dicuntur odire fratrem ſuum Chriſtum et in tenebris eſſe: immo quod peius eſt, dicebant bonum malum et ponebant lucem tenebras dicendo miraculoſa opera Chriſti facta in digito *Luc. 11. c* Dei, fieri in beelzebub principe dęmoniorum: immo in tenebris ambulant et neſciunt quo vadunt et hoc quia tenebrę inuidiæ et falſitatis obcęcauerunt oculos eorum vt non videant videntes et intelligentes non intelligant.

## SERMO II.

*Abac. 3. a* *Cant. 4. d* DEus ab auſtro veniet: auſter eſt Spiritus ſanctus: Veni auſter, perfla hortum meum. Ab auſtro ergo Chriſtus venit: quia per Spiritum ſanctum conceptus fuit: qui hortum virginis perflauit. Conſideremus ergo quando, et vnde, et quo, et quare venit. De pri- *Sap. 18. c* mo: Cum quietum ſilentium *et cet.* Alia littera. Cum medium ſilentium continerent omnia, et nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine, exiliens de cælo, a regalibus ſedibus, durus debellator, in mediam exterminij terram proſi- D liuit. Primum quietum ſilentium factum eſt Noe poſt diluuium a tumultu peccatorum, peccatoribus ſubmerſis. Secundum ab Auguſto Cæſare a tumultu bellorum nationibus ſubactis. Tertium erit interfecto Antichriſto, a tumultu perſecutionum conuerſis Iudęis. Quando ergo medium ſilentium, ideſt pacem tenerent omnia ſub Auguſto (ſiluit enim totus mundus in conſpectu eius) tunc venit princeps pacis, et *Luc. 2. b* pax ab Angelis nunciatur. Sequitur. Et nox in ſuo curſu *et cet.* Ad litteram nocte dici dominicæ anno regni Auguſti Cæſaris quadrageſimo ſecundo: Herodis vero tertio: ab Adam autem quinque millia cen- E tum nonaginta fluxere anni, ea die qua dixit Deus: *Gen. 1. a* Fiat lux: lux orta eſt nobis. Quis vnquam vidit ſolem media nocte oriri? Et ecce medio noctis curſu, ideſt in profundo ignorantiæ et peccatorum mundo obte- *Ioan. 3. c* nebrato, lux venit in mundum: et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Ideo etiam media *Mat. 25. a* nocte ad iudicium veniet: Media nocte clamor factus *Ioan. 8. b* eſt, *et cet.* De ſecundo: Scio vnde veni et quo vado, *et cet.* O Domine Deus mirabile eſt cogitare vnde ca- *Sap. 18. c* ro verbi venit: A regalibus ſedibus venit, ideſt per virginem de regali ſtirpe deſcendentem, vt patet in libro *Mat. 1. a* generationis: Item mirabilius vnde Chriſti anima ve- F nerit: quia non ſolum de nihilo creata, ſicut aliæ animæ, ſed ab ipſa creatione repleta Spiritu ſancto ſine menſura: *Deus ab auſtro veniet.* Ideſt ſpiritus, qua conceptus replebitur. Quis vero miretur de anima Chriſti: cum mirabilior ſit quàm creatio cuiuſlibet alterius animæ? Vnde Richardus: Numquam tantum in omni opere Dei quàm in animæ Chriſti creatione apparet Dei potentia ſublimior, aut ſapientia mirabilior, aut miſericordia iucundior. Item mirabiliſſi- *Ioan. 3. d* mum vnde veniat ipſum verbum: Qui de cælo venit ſuper omnes eſt *et cet.* De cælo Trinitatis: de cęlo eter- *Iſa. 14. c* næ altitudinis, de quo: In cęlum aſcendam *et cet.* De primo ergo cęlo contra luciferum deſcendit, ad quod lucifer aſcendere voluit. Quia ſuper omnes angelos et homines et dæmones merito ipſi omne genu curuatur: In nomine Ieſu *et cet.* *Philip. 2. b* De tertio: Exiui a patre *Ioan. 16. d* et veni in mundum. Benignus in malignum venit: *1. Ioan. 5. d* In maligno poſitus eſt totus mundus: Omne quod in *1. Ioan. 1. d* mundo eſt: concupiſcentia carnis eſt, et concupiſcentia oculorum: et concupiſcentia vitę: propter hæc vere abominabilis eſt mundus. Ambroſius: Mundum quaſi fœtidum vito, et quaſi iniquum caueo, et nociuum relinquo. Venit ergo Saluator propter nos, quaſi in clibanum ignitum, ſcilicet in mundum, non tamen ipſe igne vritur: ſed per eum extinguitur. Ipſe eſt angelus qui venit in igne tres pueros liberare. *Dan. 3. e* Primus ergo ille qui per ventum roris flantem, ideſt per Spiritum ſanctum de igne concupiſcentiæ. Et ſecundus ille qui de igne auaritiæ. Et tertius ille qui de igne ſuperbę vitæ liberatur. De quarto: Si autem fortior *Luc. 11. c* illo ſuperueniens vicerit eum *et cet.* Et bene dicit ſuperueniens. Super omnes enim eſt, et ſuper diabolum venit, et ipſum morte vicit: et in mundi conuerſione arma eius, ideſt peccata, quibus nos impugnat, agnus *Ioan. 1. c* qui tollit peccata mundi abſtulit, et ſpolia, ideſt animas in limbo detentas per multas in domo cęleſti manſiones diſtribuit. Vnde et merito dæmones ad- C uentum Chriſti timuerunt, ſicut ſignificatum eſt: *1. Reg. 4. b* Vbi cum arca veniſſet in caſtra Iſrael, dixerunt Phyliſtijm: Venit Deus in caſtra, et ingemuerunt dicentes: Væ nobis. In caſtra militiæ vitæ præſentis venit Deus naſcendo. Arca eſt corpus Chriſti: vrna aurea in arca eſt anima Chriſti: Manna diuinitas: Phyliſtijm dæmones, interpretantur enim potione cadentes. Et ipſi ceciderunt potione, qua Chriſtus bibit in cruce. Vide ergo cum quanta gratia Deus venit et ſubuenit. Bernardus: Quis cogitare ſufficiat qualiter Dominus pręuenit nos, venerit ad nos, ſubuenerit nobis. De his quattuor prædictis, ſcilicet quando, vnde, et quo, D et quare venit Chriſtus: Cum quietum ſilentium te- *Sap. 18. c* nerent omnia et nox *et cet.* Ecce quando venit. Omnipotens ſermo tuus de cælo a regalibus ſedibus. Ecce quare venit.

## SERMO III.

IOannes cum audiſſet in vinculis opera Chriſti *Mat. 11. a* et cet. Exponamus hoc verbum de bonis vinculis, quia de malis ſæpe expoſitum eſt. Ioannes interpretatur in quo eſt gratia, et ſignificat quemlibet iuſtum: qui E ad conſeruationem gratiæ quadruplici vinculo debet eſſe ligatus: videlicet pœnitentię, amicitiæ, obedientię, ſapientię. Primum eſt ſatisfactionis. Secundum eſt dilectionis. Tertium ſubiectionis. Quartum, eruditionis. *Ezech. 4. b* De primo: Ecce circumdedi te vinculis, et non te conuertes a latere in latus aliud, antequam cōpleantur dies obſidionis. Latus dextrum, in quo eſt quieſcendum, eſt affectus ſpiritualis. A dextris eſt mi- *Pſal. 15. d* hi ne commouear. Latus ſiniſtrum eſt affectus carnalis, ſuper quod non debemus conuerti: quia ibi dia- *Iſa. 14. c* boli ſedes eſt: Sedebo in monte teſtamenti in lateribus aquilonis. His vinculis ligari debemus, antequam F compleantur dies obſidionis: quia quamdiu exercitibus, ſcilicet mundi, diaboli carnis, obſeſſi ſumus; vinculum pœnitentię deſerere non debemus: hoc eſt vſque ad mortem. *Aug. lib. de ver. & fal. pœn. ca. 13. to. 4.* Auguſtinus: Pœnitens enim fructus ſuæ pœnitentię paratos habeat: numquam ſufficiat: ſemper doleat, ſemper coram Domino ante quem peccauit erubeſcat, et dolorem cum vita finiat. De *Coloſ. 3. c* ſecundo vinculo quod eſt amoris: Induite vos ſicut electi Dei viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam. Et ſequitur: Super omnia hæc charitatem habentes, quod eſt vinculum perfectionis. Nota quòd Apoſtolus hic enumerat multas virtutes ſub aſſimilatione veſtiũ cum dicit: Induite vos armaturam Dei. Poſtea dicit de charitate quaſi



A quaſi addens cingulum nobile quo veſtes colliguntur et continentur: cum ſubiungit: Super omnia hæc charitatem habere, quod eſt vinculum perfectionis, *et cet.* Sed iſtud cingulum nullus pauper ſoluere poteſt. Au- *Aug. tract. de laude char. to. 9. cir. med.* guſtinus: Fratres ſectamini charitatem, dulce et ſalubre vinculum mentium: ſine qua diues pauper eſt: et cum qua pauper diues eſt. Hoc enim vinculo homines quo ad pacem vinciuntur. De tertio: Simeon te- *Gen. 42. g* netur in vinculis. Simeon auditio interpretatur ſiue audiens mærorem. Infirmi enim præcepta obedientiæ in aduerſis: Perfecti autem quandoque in proſperis audiunt cum mærore: ſed attendant quod ait bea- B *Greg. li. 35. Mor. c. 10. ante med.* tus Gregorius: Si obedientiæ culmen apprehendere nitimur, proſperis huius ſęculi ex ſola iuſſione, aduerſis autem ex ſola deuotione dominemur. Auditio quoque obedientiæ mærorem ſenſui: ſed gaudium *Pſal. 50. a* ſpiritui adducit. Pſal: Auditui meo dabis gaudium et *Eccli. 6. c* lętitiam *et cet.* De quarto: Decor vitæ eſt in illa: et vincula illius alligatura ſalutaris. Et ibidem præmittitur: Mitte pedem tuum in compedes illius. Vincula hominem impediunt: et maxime pedem, ne homo eat quo vult vel faciat quod vult. Ita vincula doctrinæ quæ ſunt vincula ſapientiæ, prohibendo et comminando et alijs modis ligãt ſpiritum, ne libere ſecundũ deſideria carnis vel mundi moueatur. Ne enim eat C ad luxuriam vel auaritiam, conſtrictus eſt quaſi quo- *Epheſ. 5. b* dam vinculo ex ſententia illa Apoſtoli: Omnis fornicator aut immundus, aut auarus quod eſt idolorum ſeruitus *et cet.* Similiter introduc alias ſententias ſcripturæ, quibus conſtringitur homo ne inuidiam vel gulam vel alia vitia incurrat. Ferrea et dura ſunt iſta *Pſal. 149. a* vincula potentibus et nobilibus. Pſal: Ad alligandos reges eorum *et cet.* Vſque ferreis Auguſti. Ferrea ſunt vincula quamdiu timentur: amentur, et aurea erunt. *Hier. 5. a* Sed heu peruerſi totiens rumpunt iſta vincula: Confregerunt iugum, ruperunt vincula: idcirco percuſſit D eos leo de ſilua, ideſt diabolus. Secundum hoc quadruplex vinculum, quattuor in nouo teſtamento in vinculis inuenimus: Ioannẽ, Chriſtum, Petrum, et Paulum. Vincula ergo pœnitentiæ ſignificantur per vincula Ioannis: de quo legitur quòd pœnitentiam et verbo prædicabat: et exemplis vitæ oſtendebat: Faci- *Mat. 3. b* te ait fructus pœnitentiæ: In vinculis decollatus fuit, per quod datur intelligi, quòd vſque ad mortem pœnitentiam deſerere non debemus. Vincula charitatis *Mat. 27. a* ſunt vincula Chriſti, de quibus: Vincientes Ieſum *Mar. 15. a* adduxerunt et tradiderunt Pilato. Hoc fuit vinculum maxime charitatis. His vinculis per amorem trahit *Oſee. 11. a* E Dominus electos ſuos: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Vincula obedientiæ per *Act. 12. a* vincula Simonis Petri ſignantur, de quibus: Vinctus catenis duabus. Simon obediens interpretatur. Et *Ioan. 21. c* etiam dicitur: Alius te cinget et ducet quo tu non vis, voluntate ſenſuali. Vinculum ſapientiæ per vinculum *2. Tim. 2. a* Pauli ſignificatur, de quo: In quo laboro vſque ad vinculum quaſi male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum. Iſtis vinculis ruptis diabolus agitat ho- *Luc. 8. d* minem per deuia peccatorum: Ruptis vinculis agebatur a dæmonibus in deſerta.

## SERMO IIII.

*Mat. 11. a* *Aduentus Chriſtus quadruplex* TV es qui venturus es et cet. Aduentus Chriſti ad hominem quadruplex eſt: Exterior, interior, inferior, ſuperior. Primus in mundum. Secundus in animam. Tertius ad infernum. Quartus ad iudicium. Venit in mundũ ſicut miniſter humilis. In animã ſicut dilect⁹ amabilis. In infernũ ſicut bellator inuincibilis. Ad iudiciũ veniet ſicut iudex inflexibilis. De primo: *Mat. 20. d* Quia filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare *et cet.* O quam fideliter et laborioſe nobis ſeruiuit, qui etiam in miniſterio noſtro animam ſuam dedit. Tamen ſeruitij ſui immemores paruipendimus



A pretium pro quo ſeruiuit triginta tribus annis: immo denarium animæ noſtræ ipſi negamus. Vnde conque- *Pſal. 61. b* ritur in Pſal: Pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in ſiti. O quàm iuſte conqueritur. O quàm iniuſte ipſi iſte denarius denegatur, quem non ſolum tãquam pretium ſeruitij ſoluere tenemur redemptori: ſed etiam tamquam cenſum Domino creatori, ſi- *Mat. 22. c* cut in imaginis impreſſione probatur: Cuius eſt imago hæc? & cętera vſque: Reddite igitur quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Vnde bene ait Auguſtinus: O vere plus tibi debeo quàm meipſum totum: ſed nec plus habeo, nec hoc ipſum pro me totum poſſum reddere: B trahe Domine in amorem tuum vel hoc ipſum quod ipſe ſum. *Can. 4. d* De ſecundo: Veniat dilectus meus in hortum ſuum. Hortus dilecti, ideſt Ieſu Chriſti, eſt cor fidele, cor deuotum, in quo herbæ, flores, et fructus diuerſarum virtutum et meritorum. Venit ergo ſponſus in hortum cordis deuoti: non in ſentinam cordis ſordidi: *Ioel. 1. d* Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo: De hac ſentina eripi cupiebat qui dixit. *Pſal. 68. a* Eripe me de luto vt non infigar. Sed multi de hoc ſtercore extrahi differunt, quibus continget ſicut Iudæo: de quo dicitur quòd in cloacam cadens die ſabbati, extrahi noluit: die autem ſequenti, hoc eſt die domi- C nico rex ipſum extrahi non permiſit, ſic dicens: Heri ſeruauit ſuum ſabbatum: hodie ſeruet meum. Ita faciet peccatori rex cæleſtis: ſi in die vitæ præſentis ſentinam vitiorum exire peccator noluerit, in die futuræ vitæ de lacu miſeriæ exire non poterit. Extrahatur ergo peccator in die præſentis vitæ, vt non co- *Luc. 14. a* gatur ſubijci æternæ miſeriæ. Vnde: Cuius veſtrum bos aut aſinus in puteum cadet, et non continuo extrahet illum, etiam in die ſabbati? De tertio, ſicut *Gregorius homil. 6. in Euang. & hom. 1. in Ezec. pr. pe princ.* exponit Gregorius in homilia, dicitur hic: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus* et cet. Ad infernum ergo venit et ſuperuenit. Venit iuſtis liberator: ſuper- D uenit dæmonibus triumphator: Si autem fortior illo ſuperueniens vicerit illum, vniuerſa arma eius aufert et ſpolia eius diſtribuet. *Luc. 11. c* Arma diaboli, ſunt vires impugnandi: quibus armatus eſt contra hominem. Vnde de peccatore ad gehennam in morte rapiendo di- *Iob 5. a* citur: Ipſum rapiet armatus, ideſt diabolus. Gregorius. Quos viuentes blanditijs decipit, hos morientes ſæuiens rapit. Spolia autem ſunt animæ non ſolum in mundo, ſed etiam in limbo in eius captiuitate detentæ, quæ diſtribuuntur per choros angelorum ſecundum differentias meritorum. Chriſtus ergo diabolo fortior ſuperuenit, quando potenter ad infernum de- E ſcendit. Fortem vicit, quando diabolus poteſtati eius tremebundus ſuccubuit. Dominus arma abſtulit: quando vires tentandi minuit: ſpolia diſtribuit quando animas per angelorum ordines diuiſit. De quar- *Iſa. 30. f* to: Ecce nomen Domini venit de longinquo: ardens furor eius et grauis ad portandum: labia eius repleta ſunt indignatione, et lingua eius ignis deuorans. Ve- *Mat. 25. d* re deuorans per igneam ſententiam. De qua: Diſcedite a me maledicti *et cet.* Horribile eſt quod dicitur. Furor eius ardens. Furens enim Chriſtus dicitur in iudicio per ſimilitudinem: quia ſicut homo furens magnos et paruos indifferenter percutit, ne- F que perſonas, neque preces, neque munera accipit ad parcendum: ita Chriſtus in iudicio, neque Papæ, neque Imperatoris, neque cuiuſcunque alterius perſonam accipiet. Item preces non admittet, quia nullis precibus poterit tunc peccator a mortis ſententia liberari. Item munera non ſuſcipiet, quia nulla tunc poterit fieri oblatio pro peccato. Vnde de his tribus conditionibus furoris ſeueri iudicis Chriſti *Prouer. 6. d* dicitur: Zelus et furor viri non parcet in die vindictę. Ecce primum. Nec acquieſcet cuiuſquam precibus. Ecce ſecundum. Non accipiet pro redemptione dona plurima. Ecce tertium. *Bern. epiſt. 1. ad Robertũ cir. med.* Propter hoc ait Bernardus: Veniet dies iudicij vbi plus valebunt pura corda, quàm aſtuta verba: conſcientia bona, quàm marſupia

pia plena, quando iudex non fallet, neque falletur A verbis, neque flectetur donis.

# DOMINICA QVARTA ADVENTVS DOMINI.

## SERMO I.

Luc. 3. a

PArate viam Domini. Ioannes Baptiſta tamquam bonus diſcipulus et verus præco miſſus ad præparandam viam veri magiſtri, magni regis, æqui iudicis, Ieſu Chriſti, volens officium a Deo ſibi iniunctum obſequi diligenter: in verbo propoſito tria facit. Primo præmittit ammonitionem excitatiuam, vt a ſomno peccati reſurgamus: ſecundo vero addit informationem directiuam, vt regulas bene viuendi ſumamus: tertio ſubiungit explicationem motiuam, vt Deo obſequio humili occurramus. Primo præmittit admonitionem excitatiuam, vt a ſomno peccati reſurgamus: cum dicit: *Parate*. Secundo addit informationem directiuam, vt regulam bene viuendi ſumamus: cum ſubdit: *viam*. Sicut enim via materialis eſt quædam regula rectificans hominem, ne erret per deuia, ſed ducens ad habitaculum ciuitatis: ſic C ſpiritualis via pœnitentiæ eſt quædam regula rectificans hominem a deuijs errorum: quouſque perducat eum ad habitaculum patriæ cæleſtis. Tertio ſubiungit explicationem motiuam, vt Chriſto obſequio humili occurramus, ibi: *Domino*, ideſt Chriſto. Sed quia tertium tangit ipſum ratione finis.

Ideo primo videamus hic Domini proprietates. Secundo multiformem eius proprietatum excellentiam, vt iuxta modulum noſtræ poſſibilitatis præparemus viã ei habitaculi mentalis. Habet propterea Dominus noſter in ſe triplicẽ proprietatẽ, ratione cuius eſt ſufficiens motor prẹparationis. Prima autẽ proprietas eſt profunditas ſapiẽtiæ, ratione cuius eſt magiſter ſapientiſſimus. D Secũda proprietas eſt ſublimitas potẽtiæ: ratione cuius eſt rex potẽtiſſimus. Tertia proprietas eſt æquitas iuſtitiæ: ratione cuius eſt iudex æquiſſimus et rectiſſimus. Et ſic ratione bonorum habet certitudinem cognitionis, reſpectu malorum regalem gubernationem, et reſpectu mortuorum et viuorum ſententialem iuriſdictionem. Primo Chriſtus eſt magiſter ſapientiſſimus ratione profunditatis ſapientiæ. Vnde

Domini noſtri triplex proprietas.

Pſal. 146. a in Pſal: Magn⁹ Dominus noſter, et magna virtus eius, et ſapientiæ eius non eſt numerus. Vere magnus Dominus noſter, quia intimus cuiuſlibet rei ſcrutator in eſſendo: et ideo non putemus eum abeſſe cum locum eius fœdamus. E Et magna virtus eius, quia potentiſſimus in agendo. Ideo cum mala committimus non putemus pœnam euadere cuius imperium deturpauimus. Et ſapientiæ eius non eſt numerus, quia prẹſentiſſimus in cognoſcendo: et ideo cum committimus turpia non putemus eum ignorare: quia oculis

Heb. 4. d eius infallibilis ſapientiæ omnia nuda et aperta ſunt. Vnde Gregorius, oculos clauſos in ſole tenens nec teipſi, ſed ipſum tibi abſcondis. Ratione huius profunditatis ſapientiæ dicitur in Pſal: Recedant vetera de ore veſtro quia Deus ſcientiarum Dominus eſt et ipſi præpararentur cogitationes: quaſi dicat cogitationes humanæ philoſophiæ ſubijciendæ ſunt ſecundum F dictamen rationis, quemadmodum veterum nullius valoris eſt, quia Dominus Ieſus Chriſtus eſt Dominus ſcientiarum, in quo ſunt omnes theſauri

Col. 2. a ſcientiæ et ſapientiæ Dei abſconditi. Tertio eſt rex po

Exo. 15. b tentiſſimus ratione ſublimitatis potentiæ. Vnde: Quis ſimilis tui in fortitudine Domine, quis ſimilis tui magnificus in ſanctitate laudabilis atque terribilis et faciens mirabilia. Quia omnia iſta contigerunt illis in figura noſtrẹ liberationis de manu diabolicæ poteſtatis. Ideo ſecũdum exhibitam veritatem dicamus: Quis ſimilis tui in fortitudine Domine (poteſtates diabolicas in profundum abyſſi demergendo) quis ſimilis tui magnificus in ſanctitate (fidelem populum a percuſſione mortis æternẹ per effuſionem proprij ſanguinis liberando) laudabilis, in paſſione, propter amorem beneuolentiæ et charitatis. Atque terribilis (in reſurrectione: propter ſplendorem gloriæ et claritatis) et faciẽs mirabilia (in aſcenſione, propter eleuationem corporis terreſtris ad dexterã patris. Tertio eſt iudex rectiſſimus ratione æquitatis et iuſtitiẹ. Vndẹ: Sopb. 2. a

Quærite Deum omnes mãſueti terrenæ, qui iudicium eius facitis: quẹrite iuſtũ quærite manſuetũ. Manſueti B terræ dicuntur humiles corde, qui quærunt Dominum cum ſubiectione filialis riuerentiæ. Qui iudicium eius faciunt præterita peccata emendando et poſtmodum non committendo. Quærite iuſtum, in puniendo ſuperbientes. Quærite manſuetum in recipiendo pẹnitentes. Vnde Bernardus: Qualem te ſibi tribuis talem aduentum experieris, quia cum ſancto ſanctus eris, et cum peruerſo peruerteris. Sequitur. Pſal. 27. c

*Parate*. Vbi notatur monitio excitatiua. Admonemur autem iuxta triplicem eius excellentiæ proprietatem nos præparare. Nam primo, quia magiſter ſapientiſsimus, præparemus nos vt diſcipuli anhelantes ad credendum magiſtro docenti per captiuitatem intellectus. Secundo, quia rex potentiſſimus, præparemus nos vt ſerui obſequentes ad obediendum præcipienti per executionem effectus. Tertio, quia iudex rectiſſimus, præparemus nos vt veri pœnitentes ad reſpondendum iudici per emendationem defectus. Primo dico præparemus nos vt diſcipuli anhelantes ad credendum magiſtro docenti per captiuitatem intellectus. Et de hoc poteſt exponi illud: Eſdras 1. Eſd. 7. a parauit cor ſuum vt inueſtigaret legem Domini. Quilibet bonus Chriſtianus exemplo Eſdræ deberet parare cor ſuum, per ſoliditatem fidei in cognitiua: per ſinceritatem ſpei, in affectiua: per ſedulitatem ſtudij in operatiua, ad inueſtigandum legem euangelicam, non ſecundum dictamen rationis philoſophicæ: ſed ſecundum dictamen veritatis æternæ. Quæ quidem lex illuſtrat rationalem, ad cognoſcendum verum: inflammat concupiſcibilem, ad deſiderandum bonum: eleuat iraſcibilem, ad ſperandum arduum. Secundo præparemus nos vt ſerui ſubſequentes ad obediendum præcipienti per executionem effectus. Et de hoc dicitur in Pſal: Paratus ſum et non ſum tur- Pſal. 118. b batus, vt cuſtodiam mandata tua. Paratus ſum inquit, vbi notatur promptitudo obediendi. Et non ſum turbatus, quia voluntarie et cum amore tibi ſacrificabo. Vt cuſtodiam mandata tua, opere diligenter adimplendo. Et de hoc ſimiliter: Parate corda veſtra Do- 1. Reg. 7. a mino, et ſeruite illi ſoli nulla admittentes communia: nulla æquiparantes paria: ſed eum extollentes ſublimiter ſuper omnia, eum amando, corde obſequendo, ore prædicando, et ſi neceſſe fuerit, corpore patiendo ſiue moriendo. Tertio præparemus nos vt veri pœnitentes ad reſpondendum iudici per emendationem defectus. Et de hoc dicitur: Qui timent Dominum, Eccli. 2. d præparabunt corda ſua, et in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas, quaſi dicat: Qui timent Dominum, ſcilicet timore filialis reuerentiæ, præparabunt corda ſua per amotionem mortalis culpæ. Vnde Gregorius tergat ſordes praui operis qui Deo præparat domum mentis. Et in conſpectu illius ſcilicet Dei ſanctificabunt animas ſuas, ideſt affectus amoris et beneuolentiæ.

Tertio notatur in verbo propoſito informatio directiua, vt regulam bene viuendi ſumamus: cum dicit: *Viam*. Summo enim ſtudio viam mentalis habitaculi ad exemplar viæ materialis præparemus. Niſi enim via mentalis habitaculi ſibi bene præparata fuerit nunquam Chriſtus veniet ad nos: nec nos poterimus occurrere Chriſto. Sicut enim via materialis bene



bene prẹparatur, primo per ſordium amotionem, ſe A cundo per veſtium proſtrationem, tertio per florum ſuper poſitionem; ſic via ſpiritualis bene præparatur, primo per immunditiæ et fœditatis expulſionem, in completa confeſſione: ſecundo per laſciuiæ carnalis proſtrationem, in diſcreta et debita caſtigatione: tertio per floridæ caſtitatis ſupererogationem, in pura mentis et corporis conſeruatione. Primo autem via mentalis habitaculi bene præparatur per immunditiẹ et fœditatis expulſionem, in completa confeſſione.

Hier. 31. d Vnde: Statue tibi ſpecula, pone tibi amaritudines cõpunctionis ad commiſſa deplorandum. Dirige cor tuum in viam rectã, ad bene comparandam. Secundo via mentalis habitaculi bene prẹparatur per veſtium B proſtrationem, in laſciuiæ carnalis diſcreta et de-

Deut. 5. d bita caſtigatione. Vnde dicitur: Non declinabitis, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram ſed per viam quam præcepit nobis Deus noſter ambulatis, vt viuatis in ea. Tunc enim in via auſteritatis et pœnitentiæ non declinatur nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram, quando caro obedit ſpiritui imperanti, ne proruat ad peccandum, et ſpiritus condeſcendat neceſſitatibus carnis, ne ſubcumbat ad moriendum. Per talem enim viam diſcretẹ caſtigationis carnis præcipit nobis Deus ambulare vt viuamus in ea. Nam via vitæ increpatio eſt C diſciplinẹ quando per dictamen diſcretẹ diſciplinæ laſciua caro reprimitur et ſpiritui ſeruire cogitur. Qui enim concupiſcentiam caſtigat, culpam deui-

Greg. lib. in Ezec. hom. 12. tat, ex qua mala omnia oriuntur. Vnde Gregorius: Meus noſtra ſi carnalibus deſiderijs fuerit depreſſa, nequaquam ſui naturam ſufficit conſiderare: quia per tot cogitationes ducitur, quot obſtaculis obcæcatur. Vnde quia diabolus multum præſumit de ſua poteſtate, carnis fragilitate, et mundi vanitate: ideo diaboli machinamenta debemus confringere, carnem propriam vincere, et mundi vanitates deſpicere: et tunc in via, quam prẹcepit nobis Deus, ambulantes, non declinabimus ad dexteram, nec ad ſi- D niſtram. Tertio via mentalis habitaculi bene præparatur per floridæ caſtitatis ſupererogationem, in pura

Pſal. 100. b mentis et corporis conſeruatione. Vnde in Pſal: Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabit. Ille ambulat in via immaculata caſtitatis, qui Chriſto flores virginitatis miniſtrat, qui non ſolum habet munditiam carnis exterius, ſed etiam perfectam cordis ordinationem interius per affectiones bonas. Nam ſicut in humano corpore cum in eo abundant multi mali humores, generant quandam ſcabiem et impruriginem et frequenter lepram, et tollunt munditiam corporis: ſic malæ et immundæ cogitationes quan- E do abundant, generant quoſdam motus corruptos et deſideria in carne, quæ generant ſcabiem incontinentiæ, et lepram luxuriæ, et tollunt munditiam caſtitatis et ſanctimoniæ. Vnde peruerſæ cogitationes ſeperant hominem a Deo. Rogemus ergo *et cet.*

## SERMO II.

Abac. 2. a

VEniens veniet et non tardabit: Quia antiqui vehementer deſiderabant Saluatoris aduentum, vt per ipſum a culpa & miſeria ſoluerentur, ideo Propheta conſolatur deſiderantes, dicens: *Veniens veniet*, etcet. Geminat verbum veniendi. Quadruplex enim aduentus Chriſti geminatur. Primus eſt in mundo: et hic eſt geminus. Vnde dicitur. *Veniens veniet*. In mundo venit viſibiliter per incarnationem: Sacramentaliter per tranſubſtantiationẽ. Primus in ventre virgi-

Ioan. 16. d nali: ſecundus in manu ſacerdotali. De primo. Exiui a patre et veni in mundum: quare et tu exeas de mundo et venias ad patrem per Chriſtum credendo et be-

Ioan. 14. a ne viuendo: Ego ſum via, veritas, et vita. Nemo venit ad patrem niſi per me. Exi ergo de mundo, mundi vitia, rapinas, luxurias, vſuras, inuidias *etcet.* relinquendo: Recedite, recedite: exite exite inde: Iſa. 52. c pollutum nolite tangere. Item de ſecundo accipi poteſt quod de arca Dei veniente in exercitum dixerunt Phyliſtijm: Venit Deus in caſtra *et cet.* Ar- 1. Reg. 4. b ca Dei velo inuolui iubetur: In velo ergo arca: Num. 4. a in arca vrna: in vrna manna fuit. Per velum ſpecies ſacramentalis: per arcam corpus Chriſti: per vrnam anima: per manna deitas ſignificatur. Hanc arcam timent Phyliſtijm, ideſt dæmones, immo etiam guttam ſanguinis Chriſti timent. Ioannes Chryſoſtomus: Vbicunque viderint ſanguinem, fugiunt quidem dæmones, occurrunt autem Angeli. Secundus eſt in cor humanum, et hic eſt geminus. Vnde dicitur: *Veniens veniet*. Dupliciter venit Chriſtus ad cor, ſcilicet per regenerationem baptiſmalem, et per conuerſionem pœnitentialem. De primo: Hic eſt qui 1. Ioan. 5. b venit per aquam et ſanguinem Ieſus Chriſtus. Vnde bene dicit. In mari viæ tuẹ. De ſecundo: Ego veniam Mat. 8. a et curabo eum. Sed quia ad cor pœnitentis non venit niſi per ardorem amoris: ideo dicit: Si quis diligit Ioan. 14. c me *etcet.* vſque: Ad eum veniemus, *etcet.* Vnde bene Elias per duas mirabiles vias venit in paradiſum: per aquam et ignem: per Iordanem, ſcilicet et currum igneum. Paradiſus eſt cor bonum, conſcientia C bona: alicuius etiam in ipſo homine lẹtitia quidem bonæ conſcientiẹ paradiſus eſt. Elias autem Chriſtus. Iordanis baptiſmum: currus igneus pœnitentiam ſignificat: quæ debet eſſe ignea per amorem: cuius ſunt quattuor rotæ: contritio, confeſſio, ſatisfactio reſtitutio. Auguſtinus: Non remittitur peccatum niſi re- Aug. Epiſt. 55. ad Maced. verſ. ſin. to. 2. ſtituatur ablatum, ſcilicet cũ reſtitui poteſt. Tertius eſt ad iudicium. Vnde hic: *Veniens veniet*. Et hic geminus eſt. Venit enim ad iudicium particulare, in morte: et vniuerſale in fine. De primo: Vigilate, quia neſcitis Mat. 24. d qua hora Dominus veſter venturus ſit. Vere vigilandum, et vigilanter agendum vſquequo veniet Dominus, ſcilicet in morte, repetens animas noſtras. Vigi- D landum vtique propter incertitudinem horæ et formidinem. De vtraque dicitur: Veniet Dominus ſerui Ibidem. illius in die qua non ſperat, et hora aqua ignorat. Ecce horæ incertitudo. Auguſtinus: Nihil enim morte Auguſt. de verb. Dom. ſer. 21. cir. med. to. 10. certius, nihil hora mortis incertius. Et ſequitur. Diuidet eum, partemq. eius ponet cum hypocritis. Ecce pœnæ magnitudo. Diuiditur enim in morte anima a corpore: Ipſe inter fratres diuidet. Vnde gemel- Oſee. 13. d li ſunt, corpus et ſpiritus. Simul enim in vtero matris fuerunt. Iſtorum ergo fratrum diuiſio amariſſima eſt. Hypocritẹ autem ſunt dæmones ſe in Angelos 2. Cor. 11. d lucis traſfigurantes. Vel hypocritæ ſunt falſi vel deceptores homines. E Diuiſione ergo facta inter animam et corpus, pars vna, ſcilicet anima cum peruerſis et damnatis ponetur in inferno: pars altera cum vermibus in ſepulcro. De ſecundo. in Pſal: Deus noſter Pſal. 49. a manifeſte veniet. Vere manifeſte: quia ab omnibus audietur: Omnes qui in monumentis ſunt *et cet.* Item Ioan. 5. e ab omnibus videbitur: Videbit eum omnis ocu- Apoc. 1. b lus *et cet.* Certe oculus luxurioſus inuidus, ſuperbus, et omnis alius. Auguſtinus: Forma ſententiæ in iudicio conſpicua erit et iuſtis et iniuſtis, et pijs et impijs, et fidelibus et infidelibus. Tunc omnibus manifeſtabit ſe. Tunc omnibus manifeſtabit re: Mani- 1. Cor. 4. a F feſtabit conſilia cordium. Quartus aduentus eſt in regnum. Et de hoc dicitur: *Veniens veniet*. In duobus enim eſt regnum Chriſti, ſcilicet in animabus et in angelis. Venit autem regnare in animabus quando eas in inferno liberauit. Venit ergo ad infernum: et de hoc interrogauit eum Ioannes, ſicut exponit Gregorius illud. Tu es, qui venturus es *etcet.* Item Mat. 11. a venit in cælum in aſcenſione tamquam regna- Greg. hom. 6. in Euãg. & libro 1. hom. 1. in Ezech. turus ſuper Angelos: Quis eſt iſte qui venit de Edom *etcet.* Iſa. 63. a Sic ergo octo modis venit Dominus.

## SERMO III.

Ioan.1.b *IPſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me*
*factus eſt*, et cet. Oſtenditur Chriſti venien
tis humilitas, cum dicitur: *Qui poſt me ven-*
*turus eſt*: Intellige naſcendo, prædican-
do. Oſtenditur dignitas cum additur:
*Qui ante me factus eſt*. Intellige, ideſt mihi præpoſitus
dignitate. Magna humilitas, quia veniendo per car-
nem prior, poſterior: diues, egenus: dominus, ſer-
uus: heres, alienus factus eſt. De primo dicitur hic:
*Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt*. Vere etenim Chriſtus
non ſolum ante Ioannem, immo ante Abraham fuit.
Ioan.8.g Antequam Abraham fieret ego ſum *et cet.* Immo ante
Pſal.109.a Luciferum genitus eſt: et tamen Ioannem, immo
omnes ab initio mundi ante natos ſe precedere voluit
in mundum, & multos in proceſſione palmarum:
Mat.21.a Turbæ autem quę precedebant, *et cet.* Hoc eſt con-
tra ſuperbiam multorum: qui alios ſe præuenire
nolunt; nec in eundo nec in ſedendo. Contra quos
Luc.14.b dicitur: Recumbe in nouiſſimo loco. Item neque in
Prou.20.c dignitatibus vel beneficijs: Contra quos: Hereditas,
ad quam feſtinatur in principio, ideſt ante annos, in
nouiſſimo, ideſt in die iudicij, benedictione carebit.
Mat.25.d De qua: Venite benedicti patris mei, *et cet.* Item ne-
que in meritis neque in virtutibus ſibi aliquem præ-
Mat.21.c ferri volunt. Contra quos dicitur: Publicani et me-
Idem.20.b retrices præcedent vos *et cet.* Erunt primi nouiſſimi.
Et quia ante alios venire contendunt ambitione: ideo
ante alios venient in perditione: ſicut lucifer ante alios
Zach.9.b cadentes. De ſecondo; Ecce rex tuus venit tibi iu-
ſtus, et Saluator ipſe pauper. De cuius paupertate
Mat.8.c dicitur: Vulpes foueas habent *et cet.* Vulpes autem
Vulpes, & diuites ſunt: qui foueas, ideſt repoſitoria ſua habent;
volucres cæ volucres ſunt elati qui nidos dignitatis et honorum
li qui. habent. Chriſtus autem non habuit vbi caput ſuum
Luc.2.a reclinaret in mundi ingreſſu, niſi in præſepio; Re-
Mat.8.c clinauit eum in preſepio. Item in progreſſu ſicut hic:
Ioan.19.f Filius autem hominis *et cet.* Item in egreſſu: Inclina-
to capite tradidit ſpiritum. Attendant mali diuites
Chriſti paupertatem. Quare Domine ita pauper eſſe
2.Cor.8.b voluiſti? Reſpondetur: Propter nos egenus factus eſt,
cum eſſet diues: vt illius inopia diuites eſſemus, diui-
tes in gratia et in gloria. Nam antequam Chriſtus per
carnem veniret, nimia fuit generis humani paupertas.
Vnde bene per Labam ſignificatur, cui Iacob, qui
Gen.30.d Chriſtum ſignificat, dixit; Modicum habuiſti ante-
quam venirem ad te; et nunc diues effectus es. Bene-
dixit tibi Deus ad introitum meum. Bene ergo po-
Sap.7.b tes dicere; Venerunt mihi omnia bona pariter cum
Ber. ſer. 2. illo. Propter iſta bona ait Bernardus: Quàm dulciter
in die Pet. bone Ieſu cum hominibus cōuerſatus es? quam abun-
prope fin. dāter et multa magna largiri bona dignatus es? quàm
fortiter enim quàm aſpera pro hominibus paſſus es?
Mat.20.d De tertio; Filius hominis non venit miniſtrari ſed mi-
niſtrare. Ergo ſeruus noſter factus eſt Dei filius. Quot
ergo dominos habuit, ſi dici liceat, eſt ſtupor: certe
Mat.6.c vt dicitur: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire
*et cet.* vſque alterum contemnet, et ecce Chriſtus in-
numerabilibus ſeruiuit: et nullum contempſit: ſed
heu nunc ipſe contemptus eſt: contemptibilia ſerui-
tia faciens nobis. Dicit Dominus ad contemptibilem
animam, ad ſeruum dominorum, ideſt ad Chriſtum
Iſa.49.b ſeruum hominum; Contemptibilia ſunt miniſteria
paſtorum, portitorum, cloacariorum. Chriſtus au-
tem fuit paſtor noſter *et cet.* Item Chriſtus fuit porti-
Idem 53.b tor noſter: Dolores noſtros ipſe portauit. Item Chri-
ſtus fuit purgator ſtabulorum et cloacarum diaboli,
Hebr.2.a ideſt cordium iniquorum; Purgationem iniquorum
faciens *et cet.* Gloſſa. Crucem ſuſtinuit, vt nos a pec-
catis purgaret. Propter ſeruitia Chriſti bene ait Ber-
nardus: Singularis illa maieſtas voluit mori, vt viue-
remus: ſeruire, vt regnaremus: exulare, vt repatria-
A remus: et vſque ad ſeruiliſſima opera inclinata eſt, vt
nos conſtitueret ſuper omnia opera ſua. De quarto: Ioan.1.b
In propria venit, et ſui eum non receperunt. Sicut au-
tem mundus eum non recepit: ita tu auare, tu luxu-
rioſe, tu inuide eum non recepiſti in propriam do-
mum ſuam, ideſt cor tuum: ad quod iam pulſat: Ego Apoc.3.d
ſto ad oſtium, et pulſo *et cet.* Sed ecce qui non reci-
piunt credendo, vel pœnitendo, Chriſtum: recipient
peccando, diabolum: et in fine Antichriſtum: Ego Ioan.5.g
veni in nomine patris mei, alius veniet in nomine ſuo,
et illum recipietis.

B

## SERMO IIII.

*DIrigite viam Domini* et cet. Via Domini qua- Ioan.1.c
druplex eſt, videlicet veræ conuerſatio- Via Domi
nis, bonæ actionis, meritoriæ paſſionis, ni quadru-
deuotæ contemplationis. Prima eſt via plex.
Domini illuminantis in iuſtificatione: ſe-
cunda Domini confortantis in opere: tertia Domi-
mini conſolantis in tribulatione: quarta Domini in-
flammantis in dilectione. De prima: Ibimus viam Exod.3.f
trium dierum in ſolitudine. Via enim pœnitentię ha- Via pœni-
bet tres dietas. Ecce enim tres ſunt dietæ ad regnum. tentiæ.
C Prima, amaræ contritionis. Secunda, integræ oſten-
ſionis. Tertia, dignæ ſatisfactionis. Per hanc viam
venit Dominus ad illuminandos cęcos: qui neque
ſupplicia, quæ meruerūt, neque gaudia, quæ perdide-
runt, neque Deum cognouerunt: Et ecce duo cæci Mat.20.d
ſedentes ſecus viam. Et: Cæcus ſedebat ſecus viam Luc.18.f
*et cet.* Cęcus ſedens ſecus, ſed extra viam, in viam ad
Ieſum veniens, illuminatur. Sicut autem iſte a turbis
increpatus, vt taceret, magis clamabat: ſic nos in ora-
tione, turbis phantaſmatum et cogitationum nos im-
pedientibus, magis clamare debemus. Quanto enim
ignis magis ſuffocatur, tanto magis ſufflandus eſt.
D Gregorius: Quod flatus carboni, hoc facit oratio de-
uotioni. De ſecundo. Pſal: Viam mandatorum tuo- Pſal.118.d
rum cucurri. Enumera hic decem mandata. In hac
via obſeruatione mandatorum curritur implendo et
operādo. Quot enim bona opera feceris, tot paſſioni-
bus ad regna cęleſtia curris: Sic currite vt compre- 1.Cor.9.d
hendatis. Per hanc viam venit Dominus te conforma-
re per gratiam Spiritus ſancti, ne deficias: Si dimiſe- Mar.8.a
ro eos ieiunos deficient in via: vbi ſeptem panibus ſci-
licet ſeptem donorum Spiritus ſancti reficit animam.
Quis vidit vnquam comedere dormientem? Pane
igitur gratiæ non reficieris, niſi prius de ſomno tor-
E poris et negligentię ſurrexeris: Surge, comede: gran- 3.Reg.19.a
dis enim reſtat tibi via. Vere grandis. Quis enim om-
nes paſſus, quibus venitur ad vitam æternam, enume-
rare poteſt? De tertio: Delicati mei ambulauerūt vias Baruc.4.a
aſperas *et cet.* Etiam aſperę ſunt viæ perſecutionum
et tribulationum, quas homines ſancti in corpore et
in anima et in rebus patiuntur, in quibus per patien-
tiam ambulandum eſt. Sed dicis: quo modo poſſum
patienter ambulare, cum ita aſpera verba mihi dede-
rit ſine cauſa? Certe illa verba ponit diabolus pro la-
queis. Suſtineas verbum aſperum proximi tui; vt eua-
das verbum aſperum Chriſti, de quo in Pſal: Ipſe li- Pſal.90.a
F berabit me de laqueo venantium, et a verbo aſpero. Mat.25.d
Quod eſt; Ite maledicti in ignem æternum. Pſal: Pro- Pſal.16.b
pter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.
Quare miſer homo impatiens es contra eos, qui tibi
ſeruiunt? Bernardus: Quid niſi ſeruire dicam, qui
mihi radit caput: vel calceamentum tergit: vel terram
rorat? Caput radit, qui temporalia tollit: calceamen-
ta tergit, qui corpus verberat: terram rorat, qui vſ-
que ad lacrymas tribulat. Per hanc viam venit Do-
minus de fonte miſericordiæ ſuæ hominem conſolan
do refrigerare cōtra ęſtum tribulationis exemplo ſuo:
Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat ſuper fontem. De Ioan.4.a
quarto: Ambula per viam ad ſplendorem eius contra Baruc.4.a
lumen eius, ſcilicet legis. In hac via quanto plus eſt
homo



homo in lumine cognitionis: tanto plus accenditur A
Iob.38.c igne dilectionis: Per quam viam ſpargitur lux, diui-
ditur æſtus ſuper terram. Per hanc igitur viam venit
Luc.24.f Dominus ad amorem cor inflammare: Nonne cor
noſtrum ardes erat in nobis *et cet.* Hæc poteſt eſſe il-
Prou.30.c la quadruplex via, de qua: Tria ſunt mihi difficilia
*et cet.* Via viri in adoleſcentia, eſt via conuerſionis:
Luc.7.b Adoleſcens tibi dico, ſurge: Bonum eſt viro cum
Thren.3.d portauerit iugum ab adoleſcentia ſua *et cet.* Via na-
uis in mari, eſt via actionis. Actiui enim cum virtuti-
tibus bonorum operum nauigant per mare mundi
periculis multis. Vnde ardenter inuocare debent
Mat.8.c Deum: Domine ſalua nos, perimus. Via colubri ſu-
per petram, eſt via paſſionis: propter duritiam petrę,
et propter prudentiam colubri. Coluber enim corpus
pro capite exponit: ſic nos vt caput noſtrum Chri-
ſtum teneamus, corporis paſſiones ſuſtinere debe-
Mat.10.b mus: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes *et cet.* Via aqui-
læ in cælo eſt propter acutum viſum aquilæ, et altum
Iob.39.c volatum: Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur
aquila, et in arduis ponet nidum ſuum? *et cet.*

# IN VIGILIA NATIVIT. DOMINI I.

## SERMO I.

Exod.19.b *VAde ad populum, et ſanctifica illos. Hodie*
*et cras lauent veſtimenta ſua: et ſint pa-*
*rati in diem tertium. In die enim tertio*
*deſcendet Dominus coram omni plebe ſu-*
*per montem Sinai*. Circa deſcenſum
Domini ad nos per eius natiuitatem,
quam in tertio die, Deo dante, celebrabimus, dicen-
D tur hæc tria. Temporis aſſignatio, ibi: *In die tertio*,
Suſcipientium præparatio, ibi: *Sanctifica illos* et cet.
Veniendi certificatio, ibi: *Deſcendet Dominus* et cet.
Circa primum, nota quòd per tres dies triplex bono-
rum ſtatus intelligitur: incipientium, proficientium,
Num.28.d et perfectorum. De primo die: Dies etiam primiti-
uorum, quando offeretis nouas fruges Domino ex-
pletis hebdomadibus, venerabilis et ſancta erit. Dies
primitiuorum ſtatus pœnitentium eſt: qui primitias
bonæ vitæ offerunt. Nouæ enim fruges nouæ virtu-
2.Cor.9.c tes ſunt: Augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtrę.
Bonum eſt congregare has fruges exemplo Ioſeph, vt
habeantur in poſterum tempore caritatis ſeu cariſtię.
Mat.20.b De die proficientium: Portauimus pondus diei et
æſtus. Proficientes enim portant pondus laboris ope
Galat.6.a rationum, iuxta illud Apoſtoli: Alter alterius onera
portate. Item æſtus reparationum. Diabolus enim
proficientes multum impugnat: quia profectui no-
ſtro inuidet. Vnde de hoc æſtu ſemina virtutum are-
Mat.13.a ſcunt: Sole autem orto, æſtuauerunt: et quia non
habebant radices, aruerunt. De die perfectorum:
Prou.4.c Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit et cre-
ſcit vſque ad perfectum diem. Hæc eſt dies, qua in-
greditur anima ad Aſſuerum, ſcilicet Chriſtum: Die
Eſther.5.a autem tertio induta eſt Eſther regalibus indumentis
Pſal.44.c *et cet.* ideſt virtutibus. Pſal: Aſtitit regina a dextris
S. Ambr. tuis. Ambr: Multo melius eſt animam ornare virtuti-
ſer.2.Dom. bus, quàm corpus pretioſis induere veſtibus. Circa
1. Aduent. præparationem ſuſcipientium, nota quòd incipientes
to. 5. edit. debēt preparari per puram contritionem: proficiētes
Rom. per bonam conuerſationem: perfecti per puram ſa-
tisfactionem. Et hoc ſignificari poteſt triplici præpa-
ratione, quæ hic tangitur: videlicet in ablutione cor-
porum, de qua dicitur hic: *Sanctifica illos*. Hæc ad in-
cipientium contritionem pertinet, qua abluuntur.
Pſal.50.c Pſal: Lauabis me a peccatis, et ſuper niuem dealba-
Exod.2.a bor. Et: Deſcendebat filia Pharaonis in flumine *et cet.*
vbi inuenit in fiſcella paruulum vagientem. Filia Pha-
A raonis anima peccatrix, quæ eſt filia diaboli: deſcen-
dit per humilitatem de domo patris ſui diaboli. Pſal: Pſal.44.c
Obliuiſcere populum tuum *et cet.* Lauantur autem
in flumine lacrymarum per cōtritionem. Ambroſius:
Ablue te lacrymis: laua fletibus. Si tu te ipſe fleueris:
nō flebit te alius. Si ſe Saul fleuiſſet, Samuel eum non 1.Reg.15.g
fleuiſſet. Et tunc inuenit paruulum, de quo: Paruu- & 16.a
lus natus eſt nobis. Inuenitur autem in fiſcella, vide-
licet vaſe iunceo, ideſt in corde virtutibus contexto. Iſa.9.b
Item in lucida conuerſione proximorum: Omni tem Eccls.9.b
pore ſint veſtimenta tua candida. O quàm pauci ſunt,
qui hæc veſtimenta ſine macula obſeruant: Habes Apoc.3.a
B pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt ve-
ſtimenta ſua, ambulauerunt mecum in albis. Contra
quod dicitur de Miphiboſeth: Quod non lauerat ve- 2.Reg.19.e
ſtes ſuas, quando occurrit regi Dauid. Item amotio-
ne vxorum ſicut ibidē dicitur: Eſtote parati in diem Exod.19.b
tertium: ne appropinquetis vxoribus veſtris. Hæc
præparatio ad puram perfectorū affectionem perti-
net, qua a carnalitate vel ſenſualitate, tamquam ab
vxore ſeparantur. De qua vxore dicitur: Quia audi- Gen.3.d
ſti vocem vxoris tuæ *et cet.* Nota ordinem deceptio-
nis. Serpens eſt diabolus ſuggerens; Eua ſenſualitas
delectans: Adam vero conſentiens. Huic vxori non
C appropinquare debent ſpiritus, ne ſeducatur: ne
affectum purum in non purum, ſpiritualem in car-
nalem conuertat. Circa tertium, ſcilicet veniendi
promiſſionem, nota qualiter Dominus hic deſcendit:
deſcendit enim in fumo, in igne, in nube. Sic ſpiri-
tualiter ad incipientes deſcendit in fumo cōtritionis:
ad proficientes in nube deuotionis: ad perfectos in
igne dilectionis. De primo dicitur. Totus mons Si-
nai fumigabat. Fumus iſte contritionem ſignificat:
Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fu- Tob.6.b
mus eius extricat omne genus dæmoniorum. De ſe-
cundo dicitur: Quòd nubes denſiſſima cœpit operi- Exod.19.c
D re montem. Nubes deuotionem ſignificat: quæ ho-
minem dulci lacrymarum nube perfundit: Cribans 2.Reg.22.b
aquas de nubibus cælorum. De tertio dicitur ibidem,
eo quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne,
ſcilicet in igne amoris ad perfectos deſcendit: Ignis Leuit.6.b
in altari meo ſemper ardebit. Auguſtinus: O amor, qui Aug.li.10.
ſemper ardes, et nunquam extingueris charitas: Deus cont. c. 20.
meus accende me. to. 1.

## SERMO II.

*CRas egrediemini: et Dominus erit vobiſcum.* 2.Par.20.d
E Verbum iſtud hodie cantat Eccleſia: et
congruit inſtanti ſollemnitati natiuitatis
Chriſti: in qua Dominus cum homini-
bus fuit corporaliter: et erit nobiſcum
ſpiritualiter, ſi digne parati fuerimus. Innuuntur er-
go in his verbis duo, ſcilicet humana præparatio, et
diuina aſſociatio. Primum ibi: *Cras egrediemini*: Se-
cundum ibi; *Et Dominus erit vobiſcum*. Circa primum
conſiderandum eſt quòd electi egrediuntur ad miſe-
riam in procreatione; ad iuſtitiam in conuerſatione:
ad pugnam in tentatione: ad gloriam in euolatione.
De primo: Quaſi flos egreditur et conteritur *et cet.* Iob.14.a
F Flos eſt homo in mundo; ſtercus in ſepulcro. Pſal: Pſal.82.c
Facti ſunt vt ſtercus terræ, *et cet.* Licet quandoque
flos in cacumine arboris; tamen in ſtercore tandem
cadit, ſic eſt de excellentibus in mundo; Si aſcende- Iob.20.a
rit vſque in cælum ſuperbia eius et caput eius nubes
tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur. Hoc eſt
quod dicitur: Omnis caro fenum *et cet.* vſque. Et Iſa.40.b
cecidit flos. Cadit ergo flos glorię carnis in morte, et
fit ſtercus in putrefactionem: ſed de ſtercore iterum
flos in reſurrectione. Pſal: Refloruit caro mea. Sed Pſal.27.c
hoc fit per florem ortum de Virgine, de quo: Egre- Iſa.11.a
dietur virga de radice Ieſſe: et flos de radice eius aſcen
det *et cet.* Primus ergo flos eſt gloriæ carnalis: Se-
cundus immortalis: tertius eſt gloriæ virginalis. De
ſecun-

Exod.13.a ſecundo: Mementote diei huius, in qua egreſſi eſtis A
de Ægypto de domo ſeruitutis. Domus ſeruitutis Pha
raonis, ideſt diaboli, eſt mundus: in quo pecca-
tores triplici ſeruitute opprimuntur: ſcilicet luti lu-
xuriæ, lateris auaritiæ, paleæ ſuperbiæ. Egredien-
dum ergo eſt de hac domo per pœnitentiam ei, qui
in luxuria eſt carnis, auaritia mundi, ſuperbia diabo
Gen.12.a li. Ideo bene dicitur: Egredere de terra, & de co-
gnatione tua. Caro eſt cognatio et vitia carnalia,
Pſal.44.c domus mundus, pater diabolus. Pſal: Obliuiſcere
populum tuum, et domum patris tui. Contra hanc
triplicem ſeruitutem Dominus noſter Chriſtus de
B virgine naſcitur, contra luxuriam: pannis inuolui-
tur, contra auaritiam: in ſtabulo ponitur, contra ſu-
perbiam. Vt homo egrediatur ſeruitutem diaboli, ve-
nit Chriſtus in ſeruitutem hominis. Bernardus: Sin-
gularis illa maieſtas ſeruire voluit: vt nos regnare-
mus. De tertio dicitur hic: *Cras egrediemini:* Con-
tra eos, ſcilicet filios Moab et Amon: et montem
Seir. Moab interpretatur ex patre, et ſignificat dia-
bolum, qui eſt ex patre lucifero. Lucifer enim pater
et dæmonum. Dæmones autem ſunt patres eorum,
quos decipiunt: patres dico non generatione, ſed
Ioan.8.f imitatione: Vos ex patre diabolo eſtis. Lucifer ergo
C eſt auus hominum peruerſorum. Amon filius gene-
ris noſtri interpretatur, et ſignificat carnem: quę de
Sap.7.d noſtro genere de noſtris parentibus eſt: Sum quidem
et ego mortalis homo ſimilis omnibus, et ex genere
terreno illius, qui prior factus eſt. Anima ſiue ſpiri-
tus, quia de parentibus non traducitur, filius noſtri
generis non eſt, ſed potius Dei: quia immediate a
Act.17.f Deo creatur: Genus ergo cum ſimus Dei *et cet.* Fa-
ctus eſt ergo Deus ex genere noſtro: vt redimeret
quod fuit de genere ſuo. Auguſtinus: Quare hoc no-
ſtri generis corpus tantum propter nos Deus aſſume-
re atque agere dignatus eſt: quanto videtur vilius tan
D to eſt clementia plenius. Mons Seir mundus eſt, qui
temporaliũ ſuperfluitatibus verſutijs et fraudibus pi-
loſus eſt. Hos pilos Seir ſignificat: interpretatur enim
piloſus. Mundum ergo a nobis ad feſtum illud rada-
mus. Hos enim pilos Ezechiel profeta præcipit rade-
Ezech.5.a re et amouere: Sume tibi gladium acutum radentem
pilos *et cet.* Si enim ob reuerentiam feſti pilos corpo-
ris ſuperfluos radimus, quanto magis pilos ſuper-
Can.3.d fluos vitiorum *et cet.* De quarto: Egredimini filiæ
Sion, ideſt animæ purę, quæ eſtis Dei ſpeculum.
Sion ſpeculum interpretatur. Et videte regem Salo-
monem in diademate, quo coronauit eum mater
E ſua. Bernardus: Hic diſtinguit quadruplicem coro-
nam dicens: Coronauit eum mater ſua corona pau-
pertatis noſtræ: nunc coronatus eſt a nouerca ſua co-
rona ſpinea, corona miſeriæ coronandus eſt a fami-
lia ſua, corona iuſtitiæ quando exibunt angeli, et col-
ligent de regno eius omnia ſcandala. Coronauit eum
Pſal.8.b pater eius corona gloriæ, ſicut ait Pſal: Gloria et ho-
nore coronaſti eum Domine. Nunc ergo egredimini
ad pugnam: vt in morte egrediamini ad coronam.
In pugna enim huius vitæ fortes eſſe debemus vſque
ad egreſſum animæ noſtræ: vt coronemur in æterna
Neem.4.d iucunditate. Media pars noſtrum teneat lanceas ab
F aſcenſu auroræ donec egrediantur aſtra. Lancea eſt
zelus contra vitia: aurora eſt initium bonę vitę. Aſtra
ſunt bonæ animæ: quæ egrediuntur in morte.

## SERMO III.

1.Reg.11.c CRas erit vobis ſalus, cum incaluerit ſol:*
Quia Ieſus interpretatur ſalus, poteſt dici:
Cras erit nobis ſalus. Nunc enim ad hoc
ingreſſus eſt naſcendo, vt eſſet nobis ſa-
Abac.3.c lus: Egreſſus eſt in ſalutem *et cet.* Sol
Mal.4.a Chriſtus eſt: Orietur vobis timentibus nomen meum
ſol iuſtitiæ. Solis calor eſt Chriſti amor, quo coactus
eſt incarnari. In quattuor autem beneficijs præcipue
A calor charitatis oſtẽditur: videlicet in incarnatione, in
corporis ſui traditione, in paſſione, et Spiritus ſancti
effuſione. De primo dicitur hic: *Cras erit vobis ſalus.*
Nota hiſtoriam quando Naas noluit habere pacem
cum viris Iabes Galaad: niſi erueret omnium oculos
dexteros: propter hoc miſſum eſt eis verbum conſo-
latorium illud. *Cras erit vobis ſalus.* Naas interpre-
tatur ſerpens, et ſignificat diabolum: de quo Eua di-
cit: Serpens decepit me. Diabolus ſerpens eſt lubri- Gen.3.c
cus: cuius ſi capiti, ideſt primæ ſuggeſtioni non re-
ſiſtitur, totus cordi illabitur. Oculus eſt fides. Sini-
ſter autem eſt fides de humanitate Chriſti. Dexter ve-
B ro fides de diuinitate. Iſti ſunt oculi cæci nati: qui
per lutum humanitatis et ſputum ſapientiæ diuinita-
tis aperiuntur. Sed dexter oculus Iudæis eruitur, qui
Ieſum hominem et non Deum putant. Item eſt ocu-
lus intentio. Dexter autem oculus ad gloriam: ſini-
ſter ad gehennam reſpicit. Dextrum amor: ſiniſtrum
timor aperit. Qui ergo non amore beatitudinis, ſed
timore damnationis malum fugit et bonum agit, dex
trum oculum eruit. Hinc: Oculus dexter eius tene- Zach.11.d
breſcens obſcurabitur. Contra hanc diaboli oppreſ-
ſionem venit nobis ſalus, quando venit nobis Ieſus.
Venit autem in calore: quia datus eſt in amore: Sic Ioan.3.d
C Deus dilexit mundum *et cet.* De ſecundo: Cumq. Exod.16.c
incaluiſſet ſol liqueſiebat. Hoc dicitur de manna:
ſignificat autem euchariſtiam, quæ animæ mirabili-
ter ſapida eſt. Paratum panem de cælo præſtitiſti illis Sap.16.c
ſine labore omne delectamentũ in ſe habentem *et cet.*
Iſte panis de cęlo venit, et de terra colligitur ſine agri-
cultura. Sic Chriſtus Ieſus de terra virginali ſine cul-
tura maritali exhibitus eſt: Terra illa inculta facta Ezec.36.g
eſt vt hortus voluptatis. Calor ſolis eſt amor Chriſti,
quo nobis hoc ſacramentum liquefit per ſuauitatem,
et reſoluitur in gratiam. Licet autem manna a ſole li-
D queſieret, ab igne tamen indurabatur. Ita hoc ſacra-
mentum per calorẽ amoris diuini liquefit homini ad
ſalutẽ. Per calorem autẽ amoris mundani et carnalis
induratur homini ad damnationem: Qui enim man- 1.Cor.11.f
ducat et bibit indigne, iudicium ſibi manducat *et cet.*
Ioannes Chryſoſtomus. Spiritualis cibus ſi aliquem
reperit malignitate pollutum, magis eum perdit non
ſua natura, ſed accipientis vitio. De tertio. Non Neem.7.a
aperientur portæ Hieruſalem vſque ad calorem ſolis.
Hieruſalem eſt illa cæleſtis ciuitas, in qua omnes li-
beri erimus: Illa, quæ ſurſum eſt, Hieruſalem libe- Galat.4.d
ra eſt. Huius portas nullus ſine pretioſa veſte intrare
poteſt. Pſal: Aperite mihi portas iuſtitiæ: ingreſ- Pſal.117.c
E ſus in eas confitebor Domino *et cet.* Portæ plenæ
ſatisfactionis et reconciliationis: Non erat licitum Eſther.4.a
indutum ſacco aulam regis intrare. Sacco, ideſt vili
conuerſatione. Portæ iſtæ clauſæ erant per pecca-
tum primi hominis, et non aperiebantur vſque ad
calorem ſolis, ideſt vſque ad feruorem amoris Chri-
ſti nobis in paſſione exhibiti. Ante enim nullus in-
trare poterat. Per clauem enim crucis ianua ape-
rienda erat: Dabo clauem domus Dauid ſuper hu- Iſa.22.e
merum eius *et cet.* Valde durus eſt, cuius cor ad tan-
tum calorem ſolis non liquefit. Bernardus. O duri
et obdurati filij Adam, quos non emollit tanta beni-
F gnitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam
vehemens amator, qui pro vilibus ſarcinulis pretio-
ſas merces expendit. De quarto: Tripliciter ſol Eccli.43.a
exurens montes, radios igneos exufflans: Radij
ignei ſunt illuminationes et operationes Spiritus ſan
cti a ſole æterno Ieſu Chriſto procedentes. Vtinam
iſti radij tangerent ſenſus noſtros. Auguſtinus: Mit-
te Domine radium ſapientiæ tuæ vt expellat tenebras
noſtras, et fulgeat imago tua in nobis. Nota quòd
dicit exſufflans: Inſufflauit et dixit. Accipite Spiri- Ioan.20.e
tum ſanctum. Solis ergo calor montes exurit, dum
Chriſti amor Apoſtolos accendit: immo quotidie
vrit electos per Spiritus ſancti radios, qui bene
dicuntur montes propter meritorum altitudines.
Tri-



Tripliciter autem exurit: quia ter Apoſtolis Spiri-
tum ſanctum dedit. Vel montes ſunt veri pœniten-
tes: qui tripliciter in contritione, confeſſione, ſatiſ-
Pſal.18.b factione, exuruntur. Pſal: Non eſt qui ſe abſcondat a
calore eius, *et cet.*

## SERMO IV.

CRas egrediemini: et Dominus erit vobiſcum:*
2.Par.20.d Viſo qualiter egrediendum ſit, modo
videamus qualiter Dominus nobiſcum
ſit. Eſt autem nobiſcum viſibiliter, ſacra-
mentaliter, æternaliter. Nobiſcum eſt in
natura, in Euchariſtia, in gratia, in gloria. De pri-
Iſa.7.c mo: Ecce virgo concipiet et pariet, *et cet.* vſque
Emanuel, quod interpretatur nobiſcum Deus. No-
biſcum tamquam ſocius noſter, ſcilicet ſenſibiliter:
Baruc.3.d Poſt hæc in terris viſus eſt, et cum hominibus conuer-
ſatus eſt. Vere bonus ſocius, qui et onera ſocij ſui in
via portat, et diuitias ſuas ſocio ſuo communicat. Ita
Chriſtus nobiſcum fuit, vt onera peccatorum no-
1.Pet.2.d ſtrorum portaret: Peccata noſtra ipſe tulit *et cet.*
S. Aug. de Auguſtinus: Nihil ſic probat amicum quemadmo-
verb. Apoſt. dum oneris amici portatio. Item diuitias gratiarum
ſer.23.to.3 nobis communicauit: Mecum communicauit de bo-
Sap.8.b nis: Propter nos egenus factus eſt *et cet.* Econtrario
2.Cor.8.b dicitur de malo ſocio: Qui tetigerit picem inquina-
Eccli.13.a bitur ab ea *et cet.* Vbi oſtenditur quàm periculoſa ſit
Pſal.17.c mala ſocietas. Pſal: Cum peruerſo peruerteris. De
Mat.vlt.d ſecundo: Vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad
3.Reg.17.c conſummationem ſæculi. Hoc figuratum eſt: Hy-
dria farinæ non deficiet, neque lecythus olei minue-
tur vſque in diem, qua daturus eſt Dominus pluuiam
ſuper faciem terræ. In farina ſacramentum hoc ſigni-
ficatur. Farina enim granum eſt contritum. Granum
Ioan.12.d eſt Chriſtus: Niſi granum frumenti *et cet.* Hoc gra-
Pſal.84.d num nobis produxit vterus virginalis. Pſal: Veritas
de terra orta eſt, *et cet.* Attritus autem eſt in mola
Iſa.53.b crucis: Attritus eſt propter ſcelera noſtra. In oleo,
gratia huius ſacramenti ſignificatur. Vnde bene man
na habuit ſaporem quaſi panis oleati. Hæc autem fa-
rina non deficiet: quia hoc ſacramentum nobiſcum
eſt vſque in diem pluuiæ, et vſque ad conſummatio-
nem ſæculi. Pluuia terram germinare facit. Pluuia
ergo eſt influentia cęleſtis virtutis faciens ſemina cor-
porum mortuorum pullulare per reſurrectionem de
terra. Vel ſtillæ pluuiæ ſunt animæ innumerabiles
ad modum pluuiæ de cælo ad corpora ſua per origi-
Iſa.30.e nem deſcendentes: Dabitur pluuia ſemini tuo. De
1.Cor.15.f quo ſemine dicitur: Seminatur corpus animale *et cet.*
Igitur ſi Dominus tecum ſit ſacramentaliter: tamen
valde miſerabilis es, ſi non fuerit tecum et tu cum eo
ſpiritualiter. Auguſtinus: Magna hominis miſeria
eſt cum illo non eſſe, ſine quo non poteſt eſſe. De
2.Par.15.a tertio: Dominus vobiſcum: quia fuiſtis cum eo: ſi
quæſieritis eum, inuenietis. Si autem dereliqueritis
eum, derelinquet vos. Si quæſieritis bene viuendo,
inuenietis ſpiritualiter, ſicut paſtores corporaliter:
Luc.2.b Inuenietis infantem *et cet.* Eſt ergo Dominus cum
bene viuentibus in conuerſatione: ſicut hic. Et: Si
Gen.28.d fuerit mecum Dominus *et cet.* Vbi in pane gratia: in
veſtimento bona gratia ſignificatur. Item cum patien
Pſal.90.d tibus in tribulatione. Pſal: Cum ipſo ſum in tribula-
tione. Bernardus: Bonum mihi Domine in tribula-
tione magis amplecti te: habere te mecum in cami-
no: quàm eſſe ſine te in cælo. Quid enim mihi eſt in
cælo? et a te quid volui ſuper terram? Item cum mæ
Hier.20.c rentibus in debellatione: Dominus mecum eſt quaſi
bellator fortis. Idcirco qui perſequitur me cadet
Ioſ.1.d *et cet.* Item cum regentibus in prælatione: Dominus
Deus tuus tecum ſit, ſicut fuit cum Moyſe: qui con-
Greg. in tradixerit ori tuo *et cet.* vſque moriatur. Merito mo
Reg. lib.2. rietur. Ait enim Gregorius: Qui ſe contra ſuos præ-
cap. 23. poſitos erigunt, profecto oſtendunt quia ſerui Dei
A eſſe contemnunt. De quarto: Ipſe Deus cum ipſis Apoc.21.a
erit eorum Deus, et abſterget *et cet.* Ibi enim erit
Deus cum iuſtis ſicut lux cum vidente: dulcedo cum
guſtante: vita cum viuente. Ibi erit Deus cum eis in
ratione: cum eis in voluntate: cum eis in memoria.
Bernardus: Ipſe rationi futurus plenitudo lucis: ipſe
voluntati plenitudo pacis: ipſe memoriæ continuatio
æternitatis. De prædictis ſignificatum eſt: Vbi An- Iud.6.b
gelus dicit ad Gedeon. Dominus tecum virorum for-
tiſſime *et cet.* Vbi quattuor ſignis oſtenditur Domi-
nus cum eo ſcilicet in rore, in pane, in igne, in lam-
pade. Nobiſcum ergo Dominus eſt in aſſumpta natu- Iud.6.g
B ra: hoc ſignificatur in rore diuinitatis deſcendente
in vellus humanitatis. Nobiſcum in Euchariſtia: hoc
ſignificatur in pane hordeaceo ſubuertente caſtra
Madiam, ideſt vires diaboli. Hordeaceus dicitur
propter aculeos paſſionum Chriſti. Nobiſcum in gra- Ibid. d
tia: hoc ſignificatur in igne aſcendente de petra, ideſt
gratia Spiritus ſancti de Chriſto effuſa. Nobiſcum
in gloria: hoc ſignificatur in lampade, lagena fra-
cta, hoſtem fugante. Lagena enim frangitur dum Iud.7.e
corpus moritur. Tunc ſplendore lampadis, ideſt cla-
ritate ſanctæ animæ euolantis diabolus confunditur.

C

# IN NATIVITATE DOMINI.

## SERMO I.

A *Summo cælo egreſſio eius:* Filius Dei in Pſal.18.b
incarnatione ſua non tantum a cælo
ſidereo vel empyreo: immo a ſummo
Trinitatis cęlo egreſſus, quo etiam Lu
D cifer aſcendere voluit: In cęlum aſcen Iſa.14.c
dam *et cet.* venit in mundum. Egreſ-
ſus eſt autem ad clarificandum diuinam maieſtatem:
ad irrigandam humanam ariditatem: ad expugnan-
dam diabolicam poteſtatem: ad reparandam angeli-
cam ſocietatem. De primo: Propter Sion non tace- Iſa.62.a
bo, & propter Hieruſalem non quieſcam, donec
egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius *et cet.* Splendor
patris Chriſtus eſt. Sicut enim Splẽdor ſolis vel ignis
oſtendit claritatem: ſic filius paternam in mundo
maieſtatem. Vnde Beatus Auguſtinus patrem igni,
filium ſplendori, Spiritum ſanctum calori comparat:
E Qui cum ſit ſplendor gloriæ *et cet.* ſicut autem ſplen Heb.1.a
dor per vitrum integrum tranſit, ita Chriſtus per Ma-
riam integram et incorruptam eſt egreſſus. De hoc
vitro: Ipſa vero ciuitas, ideſt Maria aurum mundum, Apoc.21.f
per charitatem, ſimile vitro mundo, per caſtitatem.
Splendor autem non ſolum per integrum vitrum
tranſit: ſed etiam colorem inter pertranſeundum in-
duit: ſic Dei filius puriſſimam carnem et pulcherri-
mum colorem de Virgine traxit ſuperantem omnes
mundi colores: Non conferetur tinctis Indiæ colo- Iob.28.c
ribus. De ſecundo: Quaſi diluculum præparatus eſt Oſeæ 6.b
egreſſus eius, et veniet quaſi imber temporaneus no-
F bis et ſerotinus terræ. Per imbrem multiplex Chriſti
gratia ſignificatur: qua veniens mundum irrigauit.
Per temporaneum, gratia præueniens. Per ſeroti-
num, gratia ſubſequens. Vel quaſi temporaneus im-
ber eſt Chriſtus illis, qui cito: quaſi ſerotinus, illis,
qui tarde conuertuntur, ſicut latro in cruce. Ante in- Luc.23.f
greſſum filij Dei per carnem mundus aridus fuit ab
humore gratiæ, neque germen, neque fructum bo-
ni operis faciens, et erant homines ligna arida igni
tantum apta. Anſelmus in Solilo: O lignum aridum Anſel. in li.
et inutile, æternis ignibus dignum. Quid reſponde- Medit.
bis in illa die, dum exigetur a te vſque ad ictum ocu-
li omne tempus viuendi tibi impenſum, qualiter fuit
expenſum? Omnis arbor *et cet.* Stillicidijs gratiarum Mat.7.c
per

per egreſſum Chriſti perfuſus eſt mundus aridus. A *Pſal.71.b* Pſal: Deſcendet ſicut ſtillicidia *et cet.* Expone hiſto- *Iud. 6.g* riam de vellere Gedeonis. De tertio: Tu Bethleem *Mich. 5. a* terra Iuda *et cet.* Ex te enim egredietur, qui ſit dominator Iſrael: et egreſſus eius, et ſequitur. Reliquię fratrum eius conuertentur ad filios Iſrael. Reliquiæ quandoque dicuntur, quæ ſuperfluunt comedentibus. Quicunque ergo a diabolo non deuorati, relin- *4.Reg.25.c* quuntur, reliquiæ ſunt: De pauperibus terrę reliquit Nabuzardan princeps militiæ (ideſt diabolus) vini- *Deut.32.b* tores et agricolas. Filij Iſrael angeli ſunt: Conſtituit terminos populorum iuxta numerũ filiorum Iſrael. Alia littera habet, angelorum Dei. Iſrael enim viſio B *Mat.18.b* Dei interpretatur: quod conuenit angelis: Angeli eorum ſemper vident faciem patris *et cet.* Gregorius ex verbo prædicto Deute. infert quòd tot homines ad angelorum ordines aſſumentur quot corruerunt. Deus tamen nouit numerum ſaluandorum. Reliquię ergo fratrum ad filios Iſrael conuertuntur: dum bonorum animæ in cęlis coniunguntur: et per eos angelicæ ruinæ reparantur. Benedicta ſit terra, quæ angelis et hominibus talem vtique reparatorem peperit. Anſelmus: O femina mirabiliter ſingularis, et ſingulariter mirabilis, per quam elementa renouantur: inferna remediantur, homines ſaluantur, an- C *Abac. 3.c* geli reintegrantur. De quarto: Egreſſus eſt *et cet.* *Greg.lib. 4.* vſque: Percuſſiſti caput de domo impij. Gregorius: *Mor.c.14.* Ecce caput iniquorum omnium diabolus eſt. O quàm deformis eſſet homo, qui caput lupi haberet. Et certe deformior eſt anima: cuius caput eſt diabolus. Contra hoc caput egreſſus eſt filius Dei in præ- *Iſa.42.b* lium: Dominus ſicut vir fortis egredietur: ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum. Hoc caput Chriſtus ligno percuſſit: vt ipſum Chriſtum pro capite habea- *1.Cor.11.a* mus: Omnis viri caput Chriſtus eſt. Sed multi monſtruoſi volunt habere ambo capita: qui partim Deo, partim diabolo ſeruiunt: ſed non poſſunt D *2.Cor.6.d* vtrumque ſimul habere: Quæ conuentio Chriſti ad Belial.

## SERMO II.

*Dan.2.e* *ABſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, et percuſſit ſtatuam:* In his verbis natiuitas Chriſti pulcherrime figuratur: qui de monte virginalis ſublimitatis abſciſſus ſine manibus amplexus virilis percuſſit ſtatuam humanæ vanitatis. Oſtenditur qui, a quo, quo modo, ad quid abſciſſus ſit. Qui? eſt lapis: de quo? E monte: et quo modo? ſine manibus: ad quid? quia percuſſit ſtatuam. In primo, naſcentis perpetuitas. In ſecundo, parientis dignitas. In tertio, natiuitatis ſingularitas. In quarto, in Chriſto credentis vtilitas ſignificatur. De primo, conſidera quòd lapis eſt Chriſtus: qui nobis datus eſt: vt ipſo Eccleſia firmetur, et *Zach.4.b* fundetur tamquam ſupra primarium lapidem: Educet lapidem primarium, ſcilicet in ædificio poſitum. Quanto maior perſona fuerit, tanto maiora dona ſuper ipſum offert ad ſumptus fabricę: ſic Deus pater *Sap.7.b* magna dona gratiarum cũ filio nobis miſit: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo, de quibus bonis F Auguſtinus: Teneamus nos ad humanã natiuitatem: per quam nobis Deus donauit gratiam ſuam: per ipſam leuat mentem: per ipſam curat ęgrotantem: per ipſam coronat laborantem. Hic autem lapis eſt ſine manibus abſciſſus in incarnatione, bis virga percuſ- *Num.20.b* ſus in paſſione: Caput anguli factus in aſcenſione. *Pſal.117.c* Pſal: Lapidem, quem reprobauerunt *et cet.* Angulus eſt vbi duo parietes conueniunt. In capite ergo duorum parietum, ideſt angelorum et hominum factus eſt Chriſtus. De ſecundo nota quòd triplex eſt mons, de quo lapis iſte Chriſtus poteſt dici abſciſſus. *2.Reg.1.d* Mons enim eſt ſynagoga: Montes Gelboe *et cet.* Pluraliter dicit montes propter plures Iudæorum; ſed A iſti montes propter ſuperbiam humiliantur: ſicut valles, ideſt humiles exaltantur: Omnis vallis implebi- *Luc.3.b* tur, et omnis mons et collis *et cet.* Ros eſt gratia, pluuia doctrina, fontes Iſrael ſunt prophetæ et Apoſtoli ab eis interfecti: immo et ipſe Chriſtus. O quot hodie in monte ſuperbiæ priuantur rore gratiæ? Lapis ergo de monte abſciſſus, quia Chriſtus de populo Iudaico natus eſt. Item mons eſt ſcriptura. Pſal: *Pſal.103.b* Inter medium montium, ideſt duorum teſtamentorũ, pertranſibunt aquę, doctrinarũ et conſiliorũ Hieronymus: Si quid dixero quod non aliquo duorum teſtamentorum probauero, non mihi credatur. De hoc B monte lapis abſcinditur quando Chriſtus de ſcripturis oſtenditur. Item mons eſt Maria propter excellentiam meritorum: Apparuit de monte Pharã, quod *Deut.33.a* interpretatur frugifer. Vere enim frugifera fuit Maria, quæ granum frumenti tam pretioſum tulit. Vere frugifera, de qua vniuerſi quaſi frugem colligunt. Bernardus: De plenitudine Mariæ accipiunt vniuerſi: *Ber. ſer. 2.* peccator veniam, iuſtus gratiam, angelus lætitiam, *de B. Virg.* tota trinitas gloriam, filij perſona carnis humanæ *ex ver.* ſubſtantiam. De tertio. Nota quòd eſt triplex manus, *Apoc. 12.* qua non abſcinditur Chriſtus. Eſt enim manus amplexus maritalis. Vę ei, qui hanc extendit male ſen- C tiendo ad Mariam. Nam Oza percuſſus fuit, quia *2.Reg.6.a* extendit manum ad arcam. Item eſt manus reatus originalis: De manu mortis liberabo eos. Item ma- *Oſeæ 13.d* nus operationis naturalis, qua habitaculum animæ corpus humanum in vtero materno ſucceſſiue formatur. Sicut videmus quòd materiale habitaculum quandoque per plures dies ædificatur. Sancta vero Chriſtus membra, in quibus Deus per innocentiam habitat, in ipſa conceptionis hora, animam ſcilicet et corpus perfecta habuit: quod certe manus naturæ ſubito facere non potuit. Gregorius: Angelo nunciante, et Spiritu ſancto adueniente, mox verbum in vte- *Greg.lib.* D ro, mox intrat vterum verbum caro. De quarto. *Mor.* Nota quòd eſt vtilitas natiuitatis Chriſti in credentibus quòd ſtatuam, ideſt amorem mundi et vanitatem deſtruxit. Hæc ſtatua ex materia pretioſiſſima, ſcilicet auro et argento: item ex fortiſſima, ſcilicet ęre et ferro: item ex materia viliſſima, ſcilicet luto conſtat. In primo, auaritia. In ſecundo, pompa vel ſuperbia. In tertio, luxuria figuratur. In his conſiſtit vanitas mundi: Omne quod eſt in mundo *et cet.* Hanc ergo ſtatuam *1.Ioan. 2.c* lapis abſciſſus, puer natus, percuſſit et deſtruxit. Non ſolum percuſſit per gratiã et meritum, et per pœnam: ſed etiam per exemplũ et doctrinam. Nam paruulus natus E percutit et damnat ſuperbiam: egenus natus percutit auaritiam: de virgine natus percutit luxuriam.

## SERMO III.

*A Summo cælo egreſſio eius:* Sicut ſupra dictum *Pſal.18.b* eſt, filius Dei per incarnationem egreſſus eſt ad clarificandum, ad irrigandum, ad reparandum, ad expugnandum. Secundum iſta quattuor egreſſus eſt ſicut ſol de oriente: ſicut fluuius de fonte: ſicut lapis de monte: ſicut leo de antro. Quo ad primam cauſam egreſſus eſt vt ſol: F Sol egreſſus eſt ſuper terrã: et Loth ingreſſus eſt Se- *Gen.19.c* gor. Legitur ibi quòd Dominus ſubuertit igne et ſulphure quattuor ciuitates. In quinta vero, quæ eſt Segor, egreſſo ſole, ſaluatus eſt Loth. Quattuor ciuitates quattuor ſunt damnatorum diuerſitates, videlicet Paganorum, Iudęorum, Hęreticorum, malorum Chriſtianorũ. Hi igne et ſulphure ęternaliter puniuntur. Pſal: Ignis et ſulphur, *et cet.* Quinta ci- *Pſal.10.b* uitas Segor Eccleſia iuſtorum. Segor enim interpretatur paruulus vel calens. Qui enim in Eccleſia ſaluari vult, debet eſſe paruulus per humilitatem, et calens per charitatem, quia Chriſtus amabilis. Bernardus: Non hoc loco prędicatur Dominus magnus et laudabilis nimis: ſed paruulus Dominus et amabilis.

Sol



*Mal. 4. a* Sol autem eſt Chriſtus: Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ. A Sole ergo egreſſo, ideſt Chriſto nato in mundum, illuminante per clarificationem diuinitatis, quicunque Segor, ideſt Eccleſiam per fidem et amorem ingreditur cum ipſa a damnatione ſaluatur. Quo ad ſecundam cauſam egreſſus eſt vt *Gen.2.b* fluuius: Egrediebatur fluuius de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, ideſt Eccleſiam. Auguſtinus: Eccleſia in ſanctis temporaliter et iuſte et pie viuentibus: et paradiſus recte dicitur pollens affluentia gratiarum caſtisq. delicijs. Fluuius eſt Chriſtus: *Iſa.59.d* Timebunt qui ab occidente nomen Domini: et qui ab ortu ſolis gloriam eius quaſi fluuius violentus *et cet.* O quàm neceſſarius fuit iſte fluuius mundo ariditate B deficienti. Quattuor flumina, in quæ diuiditur, ſunt quattuor humores, qui ad mundi irrigationem vt fructificare poſſet in ſalutem, de Chriſti corpore profluxerunt. Primum ergo eſt flumen lacrymarum: *Luc. 19.f* quas Dominus ſæpius flens, fudit pro hominibus: Videns ciuitatem fleuit *et cet.* Iſtud flumen etiam in infantia fluere cœpit. Ambroſius: Me illius infantię fletus abluerunt illę lacrymæ mea delicta lauerunt. Se- *Luc.22.e* cundum eſt ſudoris: Factus eſt ſudor eius *et cet.* Ter- *Zach. 9.c* tium eſt ſanguinis per vulnera effuſio: Tu vero in *Pſal.129.a* ſanguine teſtamenti *et cet.* Pſal: Apud Dominum C miſericordia et copioſa apud eum redemptio. Prorſus copioſa: quia non gutta ſed vnda ſanguinis largiter per quinque partes corporis emanauit. Quartum *Ioan.19.f* eſt flumen aquæ quod de latere fluxit: Continuo exiuit ſanguis et aqua. Quo ad tertium egreſſus eſt vt *Gen.49.c* lapis de mõte: Inde egreſſus eſt paſtor lapis Iſrael. Hic eſt lapis qui de monte, ideſt Maria abſciſſus eſt ſine *Can. 2. e* manibus, ideſt ſine virili contactu, ſicut dicitur: Hic *Pſal.117.c* etiam eſt lapis, de quo Pſal: Lapidem, quem reprobauerunt ędificantes *et cet.* In angulo iunguntur duo parietes. Duo autem parietes in ſtructura cęleſti ſunt homines et angeli. Hos lapis angularis, ideſt Chriſtus iungit: caput anguli factus, ideſt ſuper D homines et angelos exaltatus. Vnde Bernardus: Paſtor Chriſtus. Hic eſt enim paſtor, qui habet centum oues: ouem perditam, ideſt hominem ad nonaginta nouem, ideſt ad nouem ordines angelorum reduxit, ęqualem angelis faciens. Auguſtinus: Reſurrectionis et promiſſionis filij æquales erunt angelis Dei ſi non corpore, neque ętate, certe felicitate. Quo ad quartum. Egreſſus eſt vt leo de antro vteri *Hier. 4.b* virginalis contra diabolum. Aſcendet leo de cubili ſuo: prædo gentium ſe leuabit. Egreſſus de loco ſuo, *Apoc.5.b* vt ponat terram in ſolitudine. Leo Chriſtus eſt. Ecce nunc leo *et cet.* qui quaſi leo diabolum inuaſit, et E gentes per vocationem ad fidem de manibus diaboli quaſi prædam rapuit. Terram in ſolitudine poſuit, quando limbum inferni, eductis animabus ſanctorum, euacuauit. Hic eſt ille leo, in cuius ore *Iud. 14.b* mel fuit, ſicut legitur: Mel eſt dulcedo doctrinæ. *Pſal.118.a* Pſal: Quàm dulcia faucibus meis *et cet.* Mel eſt dul- *Eccl.24.c* cedo gratiæ: Spiritus meus ſuper mel dulcis. Mel *Ibidem.* eſt dulcedo gloriæ: Hereditas mea ſuper mel et fauum. Chriſtus in ore habuit, primum mel, prædi- *Luc.23.f* cando Euangelium: ſecundum ſufflando ſpiritum: tertium latroni dando paradiſum. Mortuus autem leo fuit, qui mel miniſtrauit: quia mortuus fuit F Chriſtus, vt per ipſum hanc triplicem dulcedinem haberemus.

## SERMO IIII.

*Luc. 2.b* *Luc. 1.e* *EVangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo* et cet. Hoc gaudium ſenſit Eliſabeth in vtero: Exultauit in gaudio infans in vtero meo. Hoc nunc euangelizat angelus, dicens: *Euangelizo vobis gaudium.* Vere magnum gaudium eſt, quòd nobis A ſaluator natus eſt. Sicut gaudium eſt redemptio captiuo, lumen cęco, theſaurus mendico, vita mortuo; ſic gaudium eſt omni populo *et cet.* Genus humanum erat populus captiuus culpa, cęcus ignorantia, pauper gratia, moriturus, ideſt ſeparandus a vita æterna. Erat genus humanum captiuum per *Iſa. 5.c* diabolum: Propterea ductus eſt populus meus captiuus: quia non habuit ſcientiam, et nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius ſiti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam ſuam. Ecce carcer, in quo captiui tenebantur. Tanta enim erat ante Chriſti natiuitatem dilatatio inferni: vt et bonos et malos caperet. Captiuus autem dicitur homo ideo B quòd non habuit ſcientiam. Sicut ideo capiuntur piſces quia neſciunt hamum ſub eſca: Facies hominis *Abac. 1. d* quaſi piſces maris: et quaſi reptile non habens principem: totum in hamum ſubleuauit, ſcilicet diabolus. Miſer enim homo ſub eſca terrenæ delectationis latere neſcit hamum æternæ mortis. Sed ne ſimus reptile ſine principe, Deus principem nobis miſit: de quo: Paruulus natus eſt nobis *et cet.* Vſque Prin- *Iſa.9.b* ceps pacis. Et contra hamum diaboli fecit Deus hamum ſuum. Hamo diaboli captus eſt homo: hamo Dei diabolus: An extrahere poteris Leuiathan ha- *Iob. 40. c* C mo? Hamus eſt Chriſtus, in quo virtus diuinitatis latuit in eſca humanitatis. Erat etiam genus humanum populus cæcus ignorantia: Dedi te in fœdus po- *Iſa.42.a* puli: in lucem gentium: vt aperires oculos cæcorum. Magna cæcitas, quando populus neque Deum cognouit, neque aliam vitam quàm præſentem, neque præmium bonorum, neque pœnam malorum ſciuit: neque viam, qua ad præmium veniretur, vel pœna vitaretur: ſed tamquàm cæci omnes in foueam inferni ciciderunt. O miſer peccator: miſer cæce: vtinam adhuc velles animæ oculos aperire. Bernardus: O vtinam ſaperes et intelligeres, et nouiſſima prouideres. Saperes quæ Dei ſunt: Intelli- D geres quæ mundi: Prouideres quæ inferni. Profecto inferna horreſceres, ſuperna appeteres, quæ ad manum ſunt, contemneres. Sicut autem cæcus in domo vndique ardente exire neſcit, oſtium ignorans: ſic humanum genus fuit in mundo vndique per malitiam inflammato: Adhuc ignis in domo impij: *Mich.6.c* theſauri iniquitatis: et menſura minor *et cet.* Venit autem Chriſtus in lucem gentium oſtium oſtendens: cæcum educens: ſicut pater eius præcepit ei: Educ foras populum cæcum et oculos habentem. *Iſa.43.a* Erat quoque populus humani generis vnicus et pauper in gratia: Populum pauperem ſaluum facies. *2.Reg.22.c* E Vere pauper eſt qui non habet diuitias ſpirituales, gratiam ſcilicet virtutum et bonorum operum: Di- *Apoc.4.d* cis quòd diues ſum *et cet.* O quanta mala ſuſtinent pauperes a malis dominis. Sic pauperes virtutibus et bonis operibus, a diabolo: Leo rugiens, et vrſus *Prou. 28.c* eſuriens princeps impius ſuper pauperem. Sed ecce diues Deus factus eſt pauper: vt homo fieret diues: Propter nos egenus factus eſt, cum eſſet diues *et cet.* *2.Cor.9.b* Auguſtinus: Quales nos facturus eſt de diuitijs ſuis, quos diuites fecit de paupertate ſua? Homo erat mortuus vel moriturus propter præuaricationem æternæ vitæ: Inebriatus eſt in cælo gladius meus. *Iſa.34.a* F Ecce ſuper Idumeam deſcendet: et ſuper populum interfectionis meæ. Gladius iræ vel ſententiæ diuinæ, qua homo priuatus fuit vita æterna, fuit in cęlo de calice iræ Dei: quando luciferum cum Angelis ſuis percuſſit. Super Idumeam deſcendit: et ſuper populum interfectionis: dum humanum genus terrenæ et ſanguineæ conditionis corporali, ſpirituali, et æternali morte percuſſit. Idumea enim terrena vel ſanguinea interpretatur. Sanguinei autem a gladio ſanguinis per ſanguinem Chriſti liberantur. Vt ergo oſtendat ſe Deus tantæ ſeueritatis gladio nolle vti, factus eſt paruulus. Sicut enim paruuli gladio non vtuntur, ſed faciliter placantur; ſic pro paruo

uo reconciliari poſſumus paruo illi: et ſi nolumus, A
*Apoc.1.d* reſumet hunc gladium ad iudicium: De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.

## SERMO V.

*Luc.2.b* E*Cce euangelizo vobis gaudium magnum.* Vere magnum gaudium eſt captiuo de redemptione: cæco de illuminatione: mendico de locupletatione: mortuo de viuificatione. Ipſe enim, qui natus eſt re- B
demptio eſt captiuo: illuminatio cæco: theſaurus
*Iſa.35.d* mendico: vita mortuo. De primo gaudio: Et ambulabunt qui liberati fuerint et redempti a Domino, conuertentur, et venient in Sion cum laude: et lætitia ſempiterna ſuper caput eorum. Gaudium et lætitiam obtinebunt et fugiet dolor, et gemitus. De redem-
*Pſal.110.b* ptione hominum habetur in Pſal: Miſit Dominus redemptionem populo ſuo. O quàm ſtultus eſſet, qui mille marchis auri vix redemptus eſſet de mortali inimico, ſi ſe iterum captiuum traderet pro pomo. Sed omni auro quod eſt in mundo, gutta ſanguinis
*1.Pet.1.d* Chriſti pretioſior eſt, quo redempti ſumus: Non C corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine agni incontaminati et immaculati
*Iſa1.6.a* Ieſu Chriſti. Hic eſt agnus, de quo: Emitte agnum Domine dominatorem terræ *et cet.* Et tu auare, luxurioſe, peruerſe, iterum tradis te diabolo pro mo-
*Mat. 13.f* dico. De ſecundo: Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo abſcondit, et præ gaudio illius vadit et vendit vniuerſa, quæ habet, et emit agrum illum, *et cet.*
*Gen.27.d* Ager eſt humana natura: Ecce odor filij mei ſicut
*Ioan.1.b* odor agri pleni: De plenitudine eius omnes accepi- D mus. Quicunque ſemina meditationum deſideriorum et orationum et operum in hunc agrum mittimus, melius centies millies recipiemus. Theſau-
*Sap.7.b* rus eſt diuina natura: Infinitus theſaurus eſt hominibus. O auare hunc theſaurum quære, qui finiri non poteſt: qui erogatus non minuitur. Vnde Auguſtinus: Chriſtus quod attulit, erogauit: neque ſibijpſi minuitur: ſed mirabiliter ſuorum fidelium pauperiem ditauit: et indeficientibus theſauris ipſe plenus remanſit. Vendamus ergo tranſitoria pro hoc gaudio: relinquamus caduca pro hoc agro.
*Tob.5.b* De tertio: Vbi Raphael Tobiæ dicit: Gaudium ti- E bi ſit ſemper, et Tobias ait: Quale gaudium mihi erit: quia in tenebris ſedeo, et lumen cæli non video? Cui iuuenis, ſcilicet Angelus ait: In proximo eſt, vt a Deo cureris. Ecce hoc eſt gaudium quod
*Luc.2.e* ſibi Raphael prædixit. Lumen cæli Chriſtus eſt: Viderunt oculi *et cet.* vſque Lumen ad reuelationem gentium. O quantum gaudium eſt videre hoc lu-
*Eccl.11.b* men: Dulce lumen et delectabile eſt oculis videre ſolem. O ſuauiſſima lux purgatæ mentis ſapientia. Non enim ceſſas innuere nobis quæ et quanta ſit virtus tua ſuper omne creaturarum decus: Quod ſi animæ ſanctæ vix ſuſtinent nunc per fidem videndo: F quid ergo, cum per ſpeciem videbunt? Si gaudium inæſtimabile eſt de lumine ſtellę: quid ergo erit de
*Mat.2.b* ſole? Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde. Stella eſt fides ducens ad Chriſtum. Si de ſtella gaudebant, quid erat quando Dominum ſtellæ videbant? Sed ad hoc gaudium non pertin-
*1.Ioan.2.b* gunt manentes in tenebris vitiorum: Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt. De quarto gaudio:
*1.Ioan.1.b* Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, et apparuit nobis, vt gaudeatis, et gaudium veſtrum ſit plenum. Per hanc vitam ſpiritualiter: per hanc æternaliter viuemus, cuius euidentiſſimum
*Eccli.48.d* hodie ſignum datum eſt. De quo: Retro redijt

A ſol, et addidit regi vitam. Attende quòd ſententia mortis data fuit contra Ezechiam et ſicut ipſe oratione et lacrymis impetrauit vitam corporalem, ſic et tu ſpiritualem. Pſalmus: Vitam petijt a te et *Pſal.20.a* tribuiſti. Auguſtinus: Pœnitens paratus ſit facere *Auguſt. de* pro obtinenda vita animæ, quæcunque faceret pro *ver. et fal.* vitanda corporis morte. Retroceſſit autem ſol in *pœnit.c.15* decimam lineam. Sol eſt Dei filius: Orietur vo- *to.4.* bis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ. Nouem *Mal.4.a* lineæ, nouem ſunt ordines angelorum. Quaſi nouem lineas pertranſiens, in decimam venit: quando humanam naturam aſſumpſit: Nuſquam ange- *Hebr.2.d*
B los apprehendit: ſed ſemen Abraæ. Huius gaudij cauſæ quattuor prædictæ ſignificatæ ſunt: Vbi *Tob.11.d* dicitur quòd per ſeptẽ dies epulantes cum gaudio magno gauiſi ſunt. Gaudium iſtud erat de beneficijs exhibitis per Raphaelem a Deo miſſum. Raphael autem ſignificat Chriſtum medicum animarum noſtrarum. Interpretatur enim medicina Dei. Beneficia autem principaliter ſunt quattuor. Nam Sarra per eum a dæmone liberatur, Tobias cæcus illuminatur, bonis temporalibus filius ditatur: Filio vita obtinetur vel cuſtoditur, ne a piſce deuoretur. Redde ſingula ſingulis cauſis gaudij in prædictis.
C

## SERMO VI.

I*Nuenietis infantem*: Conſiderandum au- *Luc.2.b* tem quòd Chriſtus quattuor modis inuenitur, ſcilicet corporaliter, ſacramentaliter, ſpiritualiter, intellectualiter. Primo modo inuenitur in terra: ſecundo modo in altari: tertio, in anima: quarto, in ſcriptura. Primo, per incarnationem: ſecundo,
D per communicationem: tertio, per deuotionem: quarto, per lectionem. Vnde in pueritia quater legitur nobiliter inuentus. In vtero, in templo, in præſepio, in domo. Inuentus in vtero: Inuenta in *Mat.1.c* vtero habens *et cet.* In quo bene deſignatur inuentio corporalis. De vtero enim virginis ſumpſit naturam, qua corporaliter inuenitur in terris. Habi- *Phil.2.a* tu inuentus eſt vt homo. Eſt autem a tribus inuentus in vtero, a Ioſeph, ſicut dicit Gloſſa ſuper prædictum locum Matth. ab Eliſabeth, a Ioanne Baptiſta adhuc exiſtente in vtero: Vnde hoc mihi *et cet.* *Luc.1.d* In hoc quòd Eliſabeth recognouit Mariam eſſe ma-
E trem Domini, patet quòd Eliſabeth eum inuenit. In hoc quòd exultauit infans, patet quòd Ioannes eundem inuenit. Cum ergo omnes homines vel ſint viri, vel mulieres, vel pueri: et ab his tribus inuentus eſt: patet quòd omnibus communis eſt. Annun- *Luc.2.b* cio vobis gaudium magnum quod erit omni populo, *et cet.* ſcilicet viris et mulieribus et paruulis. Leo *Leo ſer. de* Papa: Sicut nullum a peccato liberum reperit, ita *nat. Dom.* liberandis omnibus venit. Si tamen viri, Ioſeph: mulieres, Eliſabeth: pueri vero, Ioannis ſanctitatem imitentur, inuentus erit. Inuentus eſt a paſtoribus in præſepio. De hoc eſt thema: *Inuenie-*
F *tis infantem* et cet. Vbi tria conſideranda ſunt circa paſtores. Primo quòd ſupra gregem vigilauerunt: Secundo quòd in via feſtinauerunt: Tertio, quòd in reditu Deum glorificauerunt. Hæc inuentio ſignificat illam in altari. Sicut enim in præſepio inuenitur pabulum iumentorum: ſic Chriſtus in altari pabulum noſtrum. Item hæc inuentio fuit in Bethleem, quod interpretatur domus panis. Eccleſia enim eſt domus, in qua inuenitur panis angelorum in præſepio altaris. Auguſtinus: Dominus angelorum hodie factus eſt homo. Tria autem exiguntur ab illis, qui ſic ipſum inueniunt. Digna præparatio in accedendo: feruens deuotio in percipiendo: gratiarum actio in recedendo. Primum ſignificatur in vigilia ſuper gregem.



gregem. Per gregem enim ſenſus, et deſideria, et mo A
*Exod.3.a* tus, et cogitationes noſtræ ſignificari poſſunt. Hic eſt grex, qui dum ad interiora minatur, dominus in rubo ardenti, in corde feruenti cognoſcitur. Bernardus. Ab exterioribus ad interiora redeam: ab inferioribus ad ſuperiora aſcendam vt poſſim cognoſcere vnde venio, aut quo vado, quid ſim, vel vnde ſim: vt per cognitionem mei poſſim peruenire ad cognitionem Dei. Secundum ſignificatur in feſtinantia. Vnde dicitur: Venerunt feſtinantes. Bernardus. Qui amat ardentius, currit velocius. Tertium autem in laude paſtorum. Vnde dicitur: Reuerſi ſunt paſtores laudantes et glorificantes deum. Vbi oſtenditur B quòd nullus ſine gratiarum actione debet recedere de præſepio altaris. Inuentus eſt tertio a Magis in
*Mat.2.b* domo: Intrantes domum inuenerunt puerum *et cetera.* Per hoc ſignificatur inuentio ſpiritualis in do-
*Sap.8.c* mo conſcientiæ: Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa. Hic non inuenitur niſi duce ſtella ideſt fide vel gratia. Hic tria notanda ſunt: nam illi ipſum in domo inuenerunt, qui aurum, thus, et myrrham obtulerunt. In auro, dilectio: in thure, deuotio: in myrrha, contritio ſignificatur. Nam ſine his tribus Ieſus ſpiritualiter non inuenitur in domo mẽtis. Inuenitur autem ſi ei dilectio, deuotio, contri- C tio intus offeratur. Inuentus eſt quarto in medio do-
*Luc.2.g* ctorum in templo: quod accidit cum Chriſtus in ſcriptura vel doctrina ſacerdotum in Eccleſia inuenitur. Sed et hæc tria conſideranda ſunt, quia poſt triduum eſt inuentus. Primus dies eſt doctrina Moſaica: ſecundus Prophetica: tertius Euangelica. Vel primus dies in ſcripturæ lectione: ſecundus in auditione: tertius in meditatione conſiſtit. Primus dies in audiendo: ſecundus in intelligendo: tertius in fa-
*Pſal.110.b* ciendo. Pſalmus. Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Tunc enim proculdubio Chriſtus inuenitur, quando ex operatione mens magis illumina- D
*Luc.25.e* tur. Vnde patet. Duo diſcipuli ſcripturarum expo-
*Grego. homil.23. in Euang.* ſitionem in via audierunt. Sed ſicut dicit Greg. Non audiendo, ſed faciendo illuminati ſunt, quando dominum ſecum ad hoſpitium ire coegerunt. Nota hic qualiter eum in vtero magis iudicarat de Spiritu ſancto, quàm de viro: quo modo Ioſeph poterat moueri ad credulitatem quòd eum Maria habebat de Spiritu ſancto. Ioan. Chryſoſt. Ioſeph cõceptionem manifeſte videbat, et fornicationem ſuſpicari non poterat. Poſſibilius enim credebat mulierem poſſe ſine viro concipere, quàm Mariam poſſe peccare. Antequàm conuenirent. Non dicit priuſquàm accipe- E ret eam, ſed priuſquàm conuenirent: quoniam iam erat accepta in domum. Vnde gloſſa. Deſponſata viro. Rabanus. Antiquitus mos erat, quòd ſponſus et ſponſa non conueniebant abſque nuptiarum celebratione. Quæro cum concipi de Spiritu ſancto ſit ſupra naturam et rationem, quo modo poteſt eſſe quod Maria inuenta eſt a Ioſeph habens in vtero de Spiritu ſancto? Reſpondeo ſecundum Ioan. Chryſoſt. Omnibus documentis, quibus fornicatio mulieris intelligi vel argui ſolet, deficientibus, ſola apud eum manſit ſuſpitio gratię dei, per quam exiſtimauit eam habere in vtero, antequam conuenirent. Inuenta F eſt ergo a Ioſeph, qui zelo et amore ſemper ſe admonente, vitam circunſpiciebat Marię.
Dicit etiam inuentam Mariam a Ioſeph grauidam manifeſte, poſt quàm redijt a peregrinatione. Putatur enim abſens eſſe, cum Maria poſt collocutionem cum angelo, ad Elizabeth cum feſtinatione perrexit.



## SERMO VII.

I*Nuenietis infantem pannis inuolutum.* Con- *Luc.2.b* ſiderandum, quòd ſecundum quadruplicem Chriſti inuentionem, quadrupliciter eſt inuolutus. Inuolutus eſt enim natura corporea, ſpecie ſacramentali, ænigmate ſpirituali, et ſenſu litterali. De primo Ezechias ſcidit veſtimen- *Iſa.37.a* ta ſua, et obuolutus eſt ſacco. Ezechias Chriſtum ſignificat. Interpretatur enim auxilium domini. Veſtimentum eius fuit ſynagoga, quæ ſciſſa eſt. Saccus
B eſt humana natura: Sol factus eſt niger ſicut ſaccus *Apoc.6.d* cilicinus. Sol eſt Chriſtus ſecundum diuinitatem: *Mal.4.a* Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ *et cetera.* Bernardus: Saccum miſit deus pater in terram. Saccum vtique licet paruum, tamen plenum. Saccum inquam in paſſione concidendum, vt effundatur quod latet in eo pretium redemptionis et gratiæ. Quare autem Ezechias obuolutus fuit ſacco, triplex fuit cauſa: Mouit enim ipſum blaſphemia: hoſtium ſuorum anguſtia: nunciorum moleſtia, qui, ſciſſis veſtibus, ad eum venerunt. Poteſt autem ſignificari triplex ratio, quare dei filius ſacco huma-
C nitatis ſit inuolutus: videlicet diaboli violentia, hominis miſeria, patrum deſideria. Patres enim quaſi nuncij fuerunt, qui pro aduentu Chriſti deſiderijs, et ſuſpirijs corda ſciderunt. De ſecundo. Cumq. *Num.4.b* immolauerit Aaron et filij eius ſanctuarium, tunc *Caath.* intrabunt filij *Caath*, vt portent inuoluta. Per Aaron ſummum ſacerdotem Chriſtus ſignificatur. Pſalm. Tu es ſacerdos in æternum. Per filios eius ſacerdo- *Pſal.109.a* tes noui teſtamenti ſignificantur. Per ſanctuarium, corpus Chriſti. Hic primo a Chriſto inuoluitur, dum in cœna hoc ſacramentum inſtituitur. Nunc autem ab alijs ſacerdotibus quotidie inuoluitur, dũ
D virtute prolatorum ab eis verborum, panis in corpus Chriſti conuertitur, et ſub accidentibus ſenſibilibus velatur. Notandum, quòd ſanctuarium ab Aaron *et cetera* primo inuoluitur: poſtea alijs datur. Sic Corpus Chriſti primo a ſacerdotibus conſecratur, poſtea alijs datur. Tria autem per Corpus Chriſti conſequimur: propitiationem, refectionem, illuminationem: et ſignificantur in tribus, quæ inter alia in ſanctuarijs fuerunt inuoluta, ſicut dicitur ſci- *Num.4.b* licet altare: menſa propoſitionis, et candelabrum. In altari propitiatio: in menſa, refectio: in candelabro, illuminatio ſignificatur. De tertio: Ecce ven- *Ezech.1.b*
E tus turbinis et nubes magna et ignis inuoluens: et de medio eius quaſi ſpecies electri. Per electrum, quod eſt ex auro et argento, Chriſtus in duabus naturis ſi- *S.Gregor.* gnificatur: auro diuinitatis, et argento humanitatis. *lib.1. ho.1.* Ignis hic electrum inuoluens, eſt fides nos illuminás *in Ezech.* per cognitionem. Eſt tamen inuoluens propter ænigmatis obſcuritatem. Videmus enim nunc per ſpecu- *1.Co.13.d* lum in ænigmate: et ſub obſcuris ſimilitudinibus: ſicut exponit gloſſa. Poſſunt autem hic tria attendi, propter quæ dominus nunc quaſi inuolutus eſt oculis mentis noſtræ. Turbatio extra nos: naturalium obſcuratio intra nos: immenſitas luminis ſupra nos.
F Primum in vento turbinis: ſecundum in nube: tertium in igne. Vnde bene ibi dicitur: Et ſplendor in circuitu eius. Tantus enim eſt ſplendor diuinæ naturæ, quòd ad ipſam in hac mortali vita oculus mentis accedere non valet: Lucem habitat inacceſ- *1.Tim.6.d* ſibilem. Auguſtinus: O ſumma et inacceſſibilis lux, quàm longe es a me, qui tibi ſum prope: adhuc lates domine animam meam in luce. et ideo illa adhuc verſatur in tenebris et miſeria. De quarto: Ecce ma- *Ezech.2.b* nus miſſa eſt ad me, in qua erat liber inuolutus, et ſcripta erant in eo lamentationes, et carmen, et vę. Libri enim ſcriptura, ſub cuius litterali ſenſu et allegoria Chriſtus inuoluitur; tripliciter oſtendit Chriſtum nobis, videlicet tamquàm redemptorem: tan-

quam iudicem, et vltorem: tamquam remuneratorem. Lamentatio ergo ad redemptionem paſſionis: Væ ad vltionem damnationis: Carmen ad remunerationem beatificationis pertinet. Primum in mundo: ſecundum in inferno: tertium in cælo. *Phil. 2. b* Vt ſic in nomine Ieſu omne genu flectatur: cæleſtiũ, tamquam glorificatori: terreſtriũ, tamquam redemptori: infernorum, tamquam vltori. Lamentemur ergo pro peccatis noſtris coram redemptore pro peccatis noſtris paſſo. *Greg. in Ezech. hom. 9. prope fi.* Gregor. Mala, quæ nos egiſſe meminerimus, fletibus puniamus: vt per lamenta pœnitentiæ perueniamus ad carmen vitæ: ne ſi affligi modo pœnitendo noluerimus, væ poſtmodum ſine fine ſentiamus.

## SERMO VIII.

*Ioan. 1. b* V*Erbum caro factum eſt, et habitauit in nobis*. Caro enim carni amicabilis eſt, paſſibilis, eſibilis, ſenſibilis. Filius ergo Dei, qui eſt verbum, caro factus eſt, vt eſſet amicabilis pro deſiderio: paſſibilis pro triumpho: eſibilis pro ſacramento: ſenſibilis pro exemplo: vt ſic in carne Chriſti eſſet dilectionis fomentum: redemptionis tormentum: refectionis ſacramentum: imitationis documentum. *Eccl. 13. c* De primo: Omni vita tua dilige Deum, et inuoca illum in ſalute. Omne animal diligit ſimile ſibi: ſic et omnis homo proximum ſibi: Omnis caro ad ſimilem ſui coniungetur. In hoc verbo oſtenditur Deus eſſe diligendus, non ſolum quia Deus, ſed quia caro nobis ſimilis. Diligitur autem quandoque caro multum aliena, magis autem diligitur propinqua, maxime autem proxima. Diligitur caro aliena propter ſpeciem: & quiſnam ſpecioſus ſicut Chriſtus? *Pſal. 44. a* Pſalm. Specioſus forma *et cetera*. Item propter nobilitatem. Caro autem Chriſti, ex ſanguine fuit regali: *Rom. 1. a* Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, et nobiliſſimo ſanguine virginali. Auguſt. Nobilitas fuit naſcentis in virginitate parientis: et nobilitas parientis fuit in diuinitate naſcentis. Item magis diligẽda eſt caro Chriſti tamquam propinqua nobis in primo gradu: frater enim noſter eſt. Ipſe enim eſt verus Ioſeph. de quo: *Gen. 37. f* Frater noſter et caro noſtra eſt. *Ber. ſer. de natiuitate B. Mariæ.* Bernar. An trepidas ad Chriſtum accedere, frater tuus eſt et caro tua, per omnia tentatus abſque peccato, vt miſericors fieret. Item magis diligenda eſt caro Chriſti quaſi propria. *Epheſ. 5. g* Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit. Quis enim carnem capitis ſui non diligeret, cum carnem membrorum ſuorum diligat homo pluſquam aurum? Chriſtus autem caput noſtrum eſt, noſq. eius membra. *Ibid. f* Membra ſumus corporis eius, de oſſibus eius, et de carne eius. *Hebr. 2. d* De ſecundo: Quia pueri communicauerunt carni et ſanguini, et ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, *et cetera*. *Glo. in hũc locum.* Gloſ. Eiſdem, ideſt carni et ſanguini. vel eiſdem, ideſt pueris factus eſt puer: conſtans ex anima et carne. Bene autem dicit ſimiliter, iuxta idem: *Rom. 8. a* Deus filium ſuum miſit in ſimilitudine carnis peccati *et cetera*. Magnæ enim dignationis eſſet, ſi in ſimilitudinem carnis gloriæ: item maioris, ſi in ſimilitudinem carnis innocentiæ miſiſſet, quo modo fuit caro ante lapſum: maximæ autem dignationis, quòd in ſimilitudine carnis culpæ, ideſt in carne paſſibili et mortali miſit filium, vt per mortem talis carnis deſtrueret mortis imperatorem. Si ergo volumus ab iſto imperatore liberari, ſimus cum puero pueri, ideſt puri a peccatis, quam puritatem per paſſionem puriſſimæ carnis conſequimur: *Col. 1. c* Nunc reconciliauit in corpore carnis eius per mortem exhibere nos ſanctos, et immaculatos et irreprehenſibiles coram ipſo. De tertio: *Ioan. 6. g* Qui manducat carnem meam. Qualiter autem hæc caro manducanda ſit, ſignificatum eſt. *Exo. 12. b* Edent carnes nocte illa aſſas igni. Quidam comedent carnes Chriſti crudas per præparationis negligentiam: crudo corpore ſine debita conſideratione et deuotione accedentes ad altare. Quidam coctas aqua, dum per mundanam ſapientiam carnali ſpiritu, et ratione diſcutere volunt hoc ſacramentum. Item quidam aſſas igni per Spiritus ſancti præſentiam, dum diuina virtute accenduntur, et ignito amore. De his omnibus: *Exo. 12. b* Non comedetis ex eo crudum quid, neque coctum aqua, ſed aſſum tantum igni. O amor Dei, o quantum obſeſſos amaret, qui ſeipſum in hoſtili obſidio aliquibus manducandum daret, ne fame deficerent. Hoc facit verus amicus Chriſtus in hac vita: qua a dæmonibus obſidemur. *Hier. 19. c* Vnuſquiſque carnes amici ſui comedet in obſidione. *Luc. 24. f* De quarto: Palpate et videte, quia ſpiritus carnem et oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Si filius Dei neque ſentiri per carnem, neque ſentire potuiſſet: quo modo eius conuerſatio vel operatio exemplum imitandi fuiſſet? Vnde Leo Papa: Non eſſet Deus verus, niſi afferret remedium, et non eſſet verus homo, niſi præberet exemplum per carnem. Ergo Chriſti ſenſibilem habemus formam in conuerſatione: *Verbum caro factum eſt*, vſque plenum gratiæ et veritatis. Iterum exemplum in paſſione. *1. Pet. 4. a* Chriſto igitur in carne paſſo, et vos eadem cogitatione armamini. Item ſpem in reſurrectione: *Hebr. 10. d* Initiauit nobis viam nouam et viuentem per velamen, id eſt, per carnem ſuam. *Greg. c. 21. Mor. cap. 5.* Greg. Ad hoc dominus apparuit in carne, vt humanam vitam admonendo, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, et reſurgendo repararet.

## SERMO IX.

*Ioan. 1. b* V*Erbum caro factum eſt*. Filius Dei factus eſt caro, vt eſſet ſicut dictum eſt, amicabilis, ad dilectionem: paſſibilis, ad redemptionem: eſibilis, ad refectionem: ſenſibilis, ad imitationem. Caro vtique factus eſt, vt per carnem caro alliceretur: per carnem caro redimeretur: per carnem caro reficeretur: per carnem caro reformaretur. Reficeretur itaque non carnaliter, ſed ſpiritualiter. Vt enim ait Auguſt. Non eſt cibus ventris, ſed mentis. Vnde benedicta caro Chriſti, in his quattuor effectibus propoſitis præfigurata eſt in veteri teſtamento. *Gen. 2. d* Hæc caro eſt, qua Eua producitur: *1. Reg. 18. d* Golias vincitur: Elias paſcitur: Naaman reſtituitur. Amicabilis igitur eſt caro Chriſti ad dilectionem fidelibus omnibus, quia hac carne per paſſionis eius effectum, et regenerationis ſacramentum ſunt producti, ſicut Eua de latere Adam: *Gen. 2. d* Hoc nunc os ex oſſibus meis, et caro de carne mea. Adam Chriſtum, Eua Eccleſiam ſignificat. De latere Adæ dormientis formatur Eua: de latere Chriſti patientis Eccleſia producitur, cum de latere Chriſti ſanguis in pretium redemptionis, et aqua in ſacramentum ablutionis profluxerunt. Sicut autem Eua multum diligere debuit Adam, quia non ſolum eius ſponſa, ſed etiam eius caro fuit: ſic vtique Eccleſia, et quælibet fidelis anima Chriſtum. Filius enim Dei de tua carne, et de eius carne es producta. Quare non ſolum eius ſponſa, ſed etiam de carne eius es producta. Si vero vis diligere eum, de cuius carne es, vel eum, qui de tua carne eſt, dilige Chriſtum. Filius enim Dei, de tua carne factus eſt filius hominis corporaliter, vt tu de carne eius fieres ſpiritualiter. *Chryſoſt. homil. de cruce dominica in med. tom. 3.* Ioan. Chryſoſt. Homo appellatus eſt, vt te Deum vocaret: filius hominis dictus, vt te in filium adoptaret. Paſſibilis etiam eſt caro Chriſti ad redemptionem, vt carnis paſſione de diabolo triumpharet, cum diabolus infirmitatem carnis eius contemneret. Sicut ſignificatum eſt. *1. Reg. 17. f* Vbi ait Golias ad Dauid: Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cæli et beſtijs terræ, et ecce caro,



caro, quam contempſit, vicit ipſum. Golias diabolum. Dauid Chriſtum. Volatilia Iudæos perſequentes. Beſtiæ Gentiles crucifigentes ſignificare poſſunt. Ad litteram autem libenter vidiſſet diabolus quòd caro Chriſti ab auibus in cruce vel a beſtijs depoſita in terra deuorata fuiſſet: ſed caro a diabolo contempta diabolum ſtrauit, inuadens eum baculo crucis. Item quinque lapidibus in peram collectis, ideſt duris quinque vulneribus in corpore ſuo ſuſceptis. Eſibilis eſt caro ad refectionem, et præfigurata eſt in carne, quæ paſtus eſt Elias in torrente Carith de quo: *3. Re. 17. a* Corui deferebant ei carnes et panem mane *et cetera*. Sacramentum corporis Chriſti dicitur panis propter ſpeciem: caro propter rem. Mane et veſpere miniſtratur hæc caro, quoniam a principio Eccleſiæ vſque ad finem non deerit hoc ſacramentum: *Mat. vlt. d* Vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Per torrentem Carith contritio ſignificatur: *Thren. 2. f* Deduc quaſi torrentem lacrymas. Carith enim diuiſio interpretatur. In contritione enim homo ſeparatur a peccatis et a diabolo. *Iob 28. a* Vnde: Lapidem caliginis et vmbram mortis, ideſt peccatum diuidit torrens, ideſt contritio a populo peregrinante, ideſt a iuſtis. Carnem ergo Chriſti in torrente comedit, qui hoc ſacramentum in contritione comedit. Senſibilis quoque fuit ad imitationem, vt exemplo eius in via per ſanctificationem: in patria per glorificationem reformemur. *4. Reg. 5. c* Vnde bene figurata eſt. vbi de Naamam ſepties loto in Iordane dicitur: Reſtituta eſt caro eius ſicut caro paruuli pueri. Puer paruulus eſt Chriſtus: *Iſa. 9. b* Paruulus natus eſt nobis. Huius pueri caro mundiſſima fuit. Fœtidior eſt anima peccatrix corpore leproſo. Bene Naamam leproſus peccatorem ſignificat. Leproſus ergo ad modum paruuli reſtituitur, quando peccator in munditia et ſanctitate, carnem Chriſti mundiſſimam imitatur, et ſic exemplo puritatis paruuli ſanatur: non ſolum autem exemplo puritatis, ſed etiam humilitatis: *Mar. 10. b* Arctum eſt enim oſtium ad vitam et non poteſt intrare niſi paruulus. Quiſquis non recipit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Ecce quanta beneficia nobis exhibuit Deus in carne ſua. Bernardus. Videns Deus homines omnino carnales effectos, tantam eis dulcedinem in carne exhibuit, vt duriſſimi cordis ſit, quiſquis eum ex toto affectu non diligit.

# DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

## SERMO I.

*Luc. 2. e* P*Oſitus eſt hic in ruinam et reſurrectionem multorum in Hieruſalem et in ſignum cui contradicetur*. Quoniam in aſpectu ſolis materialis ſecundum varias diſpoſitiones intuẽtium oportet alios contriſtari, alios vero delectari: hinc eſt quod ſanctus Simeon dono propheticę illuſtratus, vidẽs exterius ſermonibus honeſtis, exemplis et operibus lucidis procedentibus a ſole iuſtitiæ Chriſto, propter cęcitatem malitiæ multos perturbandos: ac per hoc in præcipipitium culpæ ruere: alios vero rectificandos, et ad lumen gratię reſurgere: propoſitum verbum de Chriſto protulit dicens. *Poſitus eſt hic in ruinam*. In quo quidem verbo primo notatur peruerſitas acceptæ occaſionis ex boni operis exhibitione, cum dicit: *Poſitus eſt hic in ruinam*. Secundo benignitas piæ ſubuentionis in proſtrati hominis ſubleuatione, cum addit: *Et in reſurrectionem multorum*. Tertio notatur exemplaritas imitandæ directionis in



bonæ actionis regulatione, cum dicit: *In ſignum*. Quarto notatur malignitas prauæ impugnationis in benigni conditoris contradictione, cum ſubinfert: *Cui contradicetur*.

Dicit ergo: *Poſitus eſt hic in ruinam*, vbi notatur peruerſitas acceptæ occaſionis ex boni operis exhibitione. Vere magna peruerſitas, de bono alieno facere malum; nihil malignius, nihil ſtolidius ſub cælo. Sed ratio quare iſti peruerſi ex bonis operibus accipiebant occaſionem ruinæ et mortis, eſt iſta. Naturaliter enim quidquid proijcitur in modulum, induit formam et figuram moduli: eo quòd eſt ibi per modum recipientis et non recepti: quia ergo corda illorum erant peruerſa et iniqua: ideo quidquid boni de Chriſto in cordibus eorum capiebatur ſolita peruerſitate iudicij peruerſum fiebat. Et ob hanc rationẽ ſuæ peruerſæ maliguitatis ipſi fuerunt ſibi cauſa ruinæ et mortis: licet enim occaſionem acceperint ex bonis operibus Chriſti. Nam Chriſtus primo inquantum virtus, propter benignam humilitatem aſſumptæ infirmitatis, poſitus eſt hic in ruinam ſuperborum. Secundo inquantum veritas, propter iuſtam argutionem humanæ iniquitatis, poſitus eſt hic in ruinam malignorum. Tertio inquantum ſalus, propter voluntariam ſuſceptionem illatæ mortis, poſitus eſt hic in ruinam impiorum. Primo Chriſtus inquantum virtus, propter aſſumptę infirmitatis humiliationem, fuit medicinalis potio ad expellendum vitium ſuperbiæ. Hac autem ſuperbiæ medicina abutentes ſolo vitio quod erat cauſa ſalutis commutant in ruinam mortis. *Mat. 2. a* Vnde ſuperbus Herodes nolens cum humilibus Magis ſubdi omnipotenti, ſub infirmitate noſtræ carnis iacenti humiliter: immo accepta occaſione a benigna humilitate aſſumptæ infirmitatis, ſola malignitate voluntatis fuit ſibi cauſa maximæ ruinæ, quærens interficere Chriſtum: et quod fuit ſuperbo Herodi (ratione humilitatis abutẽti) occaſio ruinæ et mortis, hoc fuit humilibus Magis bene vtentibus cauſa ſalutis. *Iſa. 8. c* De hoc dicitur: Erit vobis Dominus in ſanctificationem: in lapidem autem offenſionis et petram ſcandali duabus domibus Iſrael, in laqueum et ruinam habitantibus Hieruſalem. Fuit dominus in ſanctificationem humilibus Magis: eo quòd abſtulit ab eis errorem inſipientiæ, tumorem ſuperbiæ, et fœtorem immunditiæ: tribuendo ſplendorem veritatis in corde, ut cognoſcerent myſterium incarnationis: firmitatem ſermonis in ore vt confiterentur coram Herode Rege ſuperiorem: et timorem filialis reuerentiæ, vt adorarent Dominum creatorem. Et ſic quamuis in humanitate viderent humilem, adorabant tamen, et crediderunt Dei virtutem, et Dei ſapientiam cognouerunt. Et erit Deus in lapidem offenſionis et petram ſcandali duabus domibus Iſrael. Iſrael interpretatur directio domini, ſiue vir videns Deum, et ſignificat hominem qui aptus natus eſt dirigi in diuinam viſionem ſiue in creatura, ſiue in propria eſſentia. Duæ domus Iſrael ſcilicet cor et os. Nam cor eſt habitaculum Dei in credendo, os vero eſt expreſſiuum ſermonis in confitendo, eo quòd corde creditur ad iuſtitiam, *Rom. 10. b* ores fit confeſſio ad ſalutem. Sed domui cordis eſt Deus in lapidem offenſionis, propter cæcitatem infidelitatis: et domui oris eſt petra ſcandali, propter negationem diuinitatis. Tertio eſt dominus in laqueum et in ruinam habitantibus Hieruſalem, ideſt Herodi et complicibus ſuis propter mortis eius malignam conſpirationem: qui quidem Herodes et ſui collaterales tunc ad litteram habitabant ſiue morabantur in Hieruſalem. Et de hoc dicitur in Prouerbijs: *Prou. 17. c* Qui exaltat cor ſuum, quærit ruinam. Secundo Chriſtus inquantum veritas propter argutionem iuſtam humanæ iniquitatis, poſitus eſt hic in ruinam malignorum. Et hoc eſt quod dicitur: *Iſa. 26. d* Ros lucis ros tuus et terram gigantium detrahes in ruinam. Effi-

Doctrina Christi. ćaciſſima doctrina Chriſti nomine lucis et roris appellatur, eo quòd erat manifeſtatiua et denudatiua turpium, ad modum lucis, et moderatiua ſceleris, ad modum roris. Nam ſecundum Iſidorum. Ros arcet venena de nocte, ne noceant. Sed iniqui dilexerunt videri magis tenebras, vt liberius poſſent vacare ſceleribus, vt iam non ſuſtinerent increpationes et puncturas iuſtæ argutionis, machinati ſunt in maleficium arguentis, *Ioan.8. e* vt dicit Dominus: Quid me quæritis interficere hominem, qui vera locutus ſum vobis. Vere miſerabilis inſania, iraſcimur ſananti: et non iraſcimur vulneranti. Et certe incurabilis eſt iſte morbus non ex defectu medici, ſed ex vitio ægroti: et certam gigantium alios in malitiam extendentes per rigorem diuinæ iuſtitiæ detrahens in ruinam damnationis æternæ. Tertio Chriſtus inquantum ſalus propter voluntariam ſuſceptionem illatæ mortis eſt poſitus in ruinam impiorum. Chriſtus enim in cruce tanquàm botrus in torculari compreſſus per vulnera ſui floridi corporis odoriferū liquorem expreſſit omnium morborum ſanatiuum et ſaluti ſufficientiſſimum. Hoc autem medicinali liquore impij Iudæi offenſi ſunt, adeo vt ruinam mortis incurrerint, et ruinam multiplicarent ſpernendo medicamentum ſaluberrimum et antidotum, quo genus humanum ſaluabatur: ſimiles buffonibus, qui adeo, offenduntur de bono odore fragrante de arbore vinearum, quòd in fugam conuertantur. Et de *Prou.29. c* hoc dicitur: In multiplicatione impiorum multiplicabuntur ſcelera, et ruinas eorum iuſti videbunt. Vere in multiplicatione impiorum phariſeorū multiplicata ſunt ſcelera, cum collegere pōtifices et phariſæi conſilium, vt Ieſum dolo tenerent et occiderent. Sed iuſti, id eſt apoſtoli viderunt eorum ruinas quando filij regni, ſcilicet Herodes et Iudæi fuerunt eiecti foras per diuinam reprobationem, et gen*Matt.8. b*tes in ſinu Abraæ recubuerunt per benignam adoptionem. Sequitur.

*In reſurrectionem multorum.* Vbi notatur benignitas pię ſubuentionis in proſtrati hominis ſubleuatione. Iſta benignitas piæ ſubuentionis apparet in ſubleuatione trium generum hominum veritati obtemperantium: quibus Chriſtus eſt cauſa vitæ et ſalutis ſecundum triplicem proprietatem, per quam fuit occaſio paſſiua et accepta ruinæ et mortis obſtinatis et veritati contradicentibus. Nam primo propter benignitatem piæ ſubuentionis inquantum virtus, impotentes reſurgunt a crudelitate poteſtatis diabolicæ iraſcibilem deprimentis. Secundo propter benignitatem piæ ſubuentionis inquantum veritas, inſipientes reſurgunt a tenebroſitate ignorantiæ rationalem obcæcantis. Tertio propter benignitatem piæ ſubuentionis Chriſti inquantum ſalus, laſciuientes reſurgunt a fęditate carnis laſciuiæ concupiſcibilem deformantis. Primo propter benignitatem piæ ſubuentionis inquantum virtus, reſurgunt impotentes a *Act.12. b* crudelitate diabolicę poteſtatis. Vnde dicitur: Surge velociter, quia ceciderunt catenæ de manibus tuis. Petrus poſitus in vinculis ferreis diabolica ſuggeſtione et ſub cuſtodia militum vt interficiatur, ſignat peccatorem ligatum vinculis diabolicæ fraudis et poſitum ſub cuſtodia dæmonum ad perdendum morte damnationis æternæ. Hic autem excitatur ad ſurgendum angelica admonitione: quia per auxilium Chriſti confringentis æreas portas diabolicæ cuſtodiæ; ceciderunt catenæ diabolicę fraudis de manibus malorum operum eius. De hoc ſimiliter dici*1.Reg.21.c*tur de Dauid: Surrexit Dauid in die illa, et fugit a facie Saul. Saul interpretatur abutens, et ſignificat diabolum, qui abutitur creaturis Dei, de cuius poteſtate bonus Dauid ſurgit per auxilium virtutis Chriſti, fugiens ab eius notitia. Secundo propter benignitatem piæ ſubuentionis Chriſti inquantum veritas, inſipientes reſurgent a tenebroſitate ignorantiæ ratio-A nalem obcæcantis. Et de hoc dicitur: Surge illuminare Hieruſalẽ, quia venit lumen tuum et gloria Domini ſuper te orta eſt. *Iſa.60. a* Surge illuminare Hieruſalem. Ecce tenebroſitas cæcitatis: non enim illuminatur niſi carens luce. Quia venit lumen tuum. Ecce benignitas veniētis eo quòd lumen angelorum factum eſt lumen hominum: lumen ſupernorum factum eſt terrenorum. Et gloria Domini ſuper te orta eſt. Ecce iocunditas cordis. Si enim magna eſt gloria carenti viſu in videndo iterum lucem: multo magis debet eſſe generi humano obcęcato per peccatum quod per aduentum veri luminis de tenebris ad lu-B cem reuocatur. Tertio propter benignitatem piæ ſubuentionis Chriſti inquantum ſalus, laſciuientes reſurgunt a fęditate carnis laſciuiæ, concupiſcibilem deformantis. Et de hoc dicitur Ioſue: *Ioſ.1. a* Surge et tranſi Iordanem tu et omnis populus tecum in terram, quam ego dabo filijs Iſrael, qui interpretatur videns Deum. Sic boni Chriſtiani reprehenſione carnis Deum vident in propria conſcientia: iſtis pro obtinenda cęleſtis patriæ inhabitatione, præcipitur tranſire per fluxum carnalis concupiſcentię quæ nomine fluuij defluentis deſignatur. Sequitur.

Tertio exemplaritas imitandæ directionis in bo-C næ actionis regulatione, cum dicit: *In ſignum*: licet fuerit Dominus Ieſus Chriſtus exemplare ſignum in omni ſua actione: tamen quantum ad præſens tripliciter fuit ſignum. Primo virtuoſiſſimæ reconciliationis in incarnatione: ſecundo fuit ſignum veraciſſimæ reuocationis in prędicatione: tertio fuit ſignum ſaluberrimæ curationis in paſſione. Primo poſitus eſt in ſignum virtuoſiſſimæ reconciliationis in incarnatione. (Chriſtus tripliciter ſignum.) Vnde dicitur: *Gen.9. b* Arcum meum ponam in nubibus et erit ſignum fęderis. Arcus iſte, qui generatur ex radio ſolis in nube concaua et rorida eſt Chriſtus: qui conſtat ex radio ſolari diuinita-D tis, et nube humanitatis ratione humilitatis. Et dicitur concaua et rorida ratione plenitudinis gratiæ. Dicitur poni in nubibus, id eſt defectibus carnalibus tenebroſæ humanitatis impedientibus ab hominibus ſalutem. Non vt obſcuraret, ſed vt contemperet: cuius extrema contingunt cælum diuinitatis et terram humanitatis: et iſte arcus eſt ſignum fœderis inter Deum et creaturam. Secundo fuit ſignum veraciſſimæ reuocationis in prædicatione. Vnde: *Iſa.11. c* Leuabit ſignum Dominus in nationibus et congregabit profugos Iſrael, et diſperſos Iuda colleget a quatuor plagis terræ. Leuabit Dominus ſignum reuocationis in prædicatione ad vocationem. Congregabit E profugos Iſrael, id eſt aptos dirigi in via bona. Nam Iſrael directio domini interpretatur. Et colliget diſperſos Iuda ad confitendum nomini Domini: Iuda enim cōfeſſio interpretatur. Iſtos etiam congregabit et colliget a quattuor plagis terræ, id eſt a quattuor inordinatis affectionibus, ſcilicet a tumore vanitatis et ſuperbiæ, ad timorem humilitatis et reuerentiæ: (Quattuor affectiones inordinatæ) et a fœtore carnalitatis et immunditiæ, ad nitorem caſtitatis et ſanctimonię: ab ardore terrenitatis et auaritiæ ad amorem paupertatis et inopię: a furore impietatis et inuidiæ ad dulcorem charitatis benignæ. Tertio fuit ſignum ſalutiferæ curationis in paſſione. F Vnde dicitur: *Num.21.b* Fecit Moyſes ſerpentem æneum pro ſigno, quem percuſſi intuentes, ſanabantur. Serpens ille qui habet ſimilitudinem et effigiem ſerpentis tamen carens veneno, ſignat Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, qui habet naturam et effigiem hominis, tamen carens veneno peccati: vt quemcunque momorderit aſtutia ſatanæ, intueatur Chriſtum in ligno pendentem, per paſſionem et imitationem, et plenā inueniet curationem. Nam ſi tentetur de honoribus, inuenit mortem viliſſimam: ſi de delicijs, mortem inuenit doloroſiſſimam: ſi de diuitijs nuditatem pauperrimam. Et ſic virtute paſſionis Chriſti a morſibus antiqui ſerpentis medebitur.

Quarto



A Quarto et vltimo notatur malignitas vel peruerſitas prauæ impugnationis in benigni conditoris contradictione ibi: *Cui contradicetur*. Vere magna malignitas contradicere tanto ac tali doctori. Nam primo eius inſuperabili virtuti contradixerunt ſuperbi, per temerariam attributionem infirmitatis et impotentiæ. Secundo infallibili veritati contradixerunt falſiloqui, per falſam impoſitionem falſitatis et blaſphemiæ. Tertio indeclinabili bonitati contradixerunt maligni, per calumniationem malignā ſeductionis et malitię. Primo ergo fuit contradictum eius infallibili veritati per temerariam attributionē infirmitatis et impotentiæ. B Superbi enim Iudæi, qui videbant Chriſtum ſecundum humanitatem pati et infirmari, habentes obſcuratum intellectum propter tumorem ſuperbiæ, non crediderunt ipſum eſſe Dei virtutem ſecundum diuinitatem: per temerariam attributionem infirmitatis et impotentiæ contradixerunt eius virtuti diuinitatis, quam antea monſtrauerat in factis miraculoſis cum expro*Mat.27.c*brando dicebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. O ſuperbi Iudæi cæciores ipſa cæcitate, ruinam non attendentes: quoniam maioris virtutis eſt patienter in tormentis vſque in finem perſeuerare, C et de infirmitate corporis multipliciter triumphare, quàm de cruce deſcendere et ab infirmitate carnis miſerabiliter ſuperari. Si enim nullus *Mat.10.c* ſaluabitur, niſi qui perſeuerauerit vſque in finem: quo modo Chriſtus Ieſus nomine et re ſalus diceretur, ſi in cruce patienter vſque in finem non perſeuer*Pſal.17. d*aſſet. Vnde in pſalmo: Eripies me de contradictionibus populi conſtitues me in caput gentium. inquit filius Dei ad patrem. Eripies me de contradictionibus populi Iudaici exprobrantis et temerarie attribuentis virtuti diuinitatis infirmitatem et improperium: conſtitues me in caput gentium, id eſt credentium me non tantum eſſe hominem, ſed etiam D Deum omnipotentem. Tertio infallibili eius veritati fuit contradictum a falſiloquis per impoſitionē falſitatis et blaſphemiæ. Falſiloqui phariſæi eius infallibili veritati imponebant falſitatem et blaſphemiam cum dicebant: *Ioan.8. b* Tu de teipſo teſtimonium perhibes, et teſtimonium tuum non eſt verum. et alibi: *Mat.9.a* Hic blaſphemat. Et hoc eſt, quod dicitur: *Iob 16. b* Suſcitatur aduerſus faciem meam falſiloquus contradicens mihi. Contra quem ſimiliter dicitur: *Iob 6. b* Hæc eſt conſolatio mea vt affligens me dolore non parcas, nec contradicam ſermonibus ſancti. Iob interpretatur dolor ſiue vlulans, et ſignat pęnitentem dolentem et E plorantem de peccatis ſuis. Hic notatur non ſolum non contradicere ſermonibus ſancti ſanctorum Chriſti, ſed et magna conſolatio eſt ſibi, vt Chriſti bonus medicus non parcat, patefaciendo vulnera ſcelerum cum gladio prædicationis: vt affligatur multiplici dolore contritionis propter recuperationem ſanitatis. Tertio eius indeclinabili bonitati fuit contradictum per calumniationem malignam ſeductionis et malitiæ. Maligni Iudæi qui calumniabantur ipſam *Mat.27. g* bonitatem Chriſti, dicentes Chriſtum eſſe malitioſum, ſiue ſeductorem in ſermone: et deuoratorem atque peccatorem in opere. F Immo quòd peius eſt, *Ioan.7. b* ponebant bonum malum et lucem tenebras, *Iſa. 5. g* dicentes miraculoſa opera Chriſti filij Dei fieri in be*Mat.12. b*elzebub principe dæmoniorum. *Luc.11. b* Et quia malos malæ perdet: ideo dicitur de *Iſa.41. c* eis: Confundantur et erubeſcant omnes qui pugnant aduerſus te erunt quaſi non ſint: et peribunt qui contradicunt tibi, *et cet.*



## SERMO II.

*Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur.* *Luc.2. e* In ruinam non credentium, et in reſurrectionem credentium. Vel in ruinam per offenſam, et in reſurrectionem per gratiam. Vel in ruinam per pœnam, et in reſurrectionem per gloriam. Vel in ruinam per ignorantiam, in reſurrectionem pèr victoriam. Item in ſignum cui contradicetur. Conſiderandum autem ꝙ B dominus poſitus eſt in ſignum caſtitatis in cōceptione: humilitatis in conuerſatione: charitatis in paſſione: immortalitatis in reſurrectione. Contradicitur autem in his ſignis per ſigna diaboli, ſcilicet luxuriæ, ſuperbiæ, inuidiæ, vanæ lætitiæ. De primo: *Iſa.7. c* Dabit dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet, *et c.* Sicut Ieſus corporaliter non concipitur, neque clauditur niſi virginali vtero: ita neque ſpiritualiter niſi in caſta mente. Et ſicut virginitas Mariæ non fuiſſet ſignum, ſine fructu prolis, ſic neque caſtitas, ſine fructu boni operis. Vnde et ſignum *Num.17. b* virgæ Aaron fuit in flore et fructu, in caſtitate et C opere. Vere flos decorus flos angelicus eſt caſtitas. (Caſtitas.) Quid caſtitate decorius, quæ mundum de immun*Iob 14. a*do conceptum ſemine, domeſticum de hoſte, angelum de homine facit? *Luc.12. e* Vnde dominus præcepit non ſolum præcingere lumbos, ſed etiam lucernas habere. Sed heu ſigno continentiæ contradicitur ſigno luxuriæ: *Ezec.16. e* Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, et abominabilem feciſti decorem tuum. Signum proſtitutionis, luxuria vocatur principaliter. (Luxuria.) Infelix enim luxuria, principium eſt malarum viarum, ſicut patet in pueris colludentibus. Bene autem dicit ędificaſti: ſicut enim ædificantes D lapidem lapidi apponunt, ita luxurioſi nunc verbis, nunc tactu, nunc factis, nunc habitu, nunc nutu, ſigna proſtitutionis multiplicant. De ſecundo, quia ſignum humilitatis ab ipſa natiuitate ſua oſtendit, dicitur: *Luc.2. b* Hoc vobis ſignum. Inuenietis infantem. *et c.* Hoc autem ſignum nō ſolum in natiuitate, ſed etiam in omni conuerſatione eius inuenitur: *Mat.11. d* Diſcite a me, *et cetera.* Beatus qui hoc ſigno filij Dei ſignatus eſt. Sed heu, huic ſigno contradicitur per ſignum ſuperbiæ, quod tamen boni deteſtantur: *Eſth.14. d* Tu ſcis infirmitatem et neceſſitatem meam, quia abominer ſignum ſuperbiæ et gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meū. E *et cetera.* Habent hic mulieres exemplum, qualiter ſe habeant ad ornatum. Signum ſuperbiæ eſt ſicut hic in ornatu. Item in actu. *Pſ. 100. b* Pſal. Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam. *Pſal.16. e* Item in verbo: Os eorum locutum eſt ſuperbiam. Item in loco. Pſal. Superbia eorum, qui te oderunt, *et cet.* Superbi enim ſemper ad digniorem locum tendunt, ſicut lucifer. Contra illud: *Pſal.73. d* Recumbe in nouiſſimo *Luc.14. b* loco. Attende ergo contra ſigna ſuperbiæ ſigna humilitatis Chriſti, cum dicitur: Hoc vobis ſignum. Inuenietis infantem, *et cet.* (Signa humilitatis Chriſti.) Infans fuit contra ſuperbiam in verbo: pannoſus contra ſuperbiam in ornatu: F inuolutus contra ſuperbiam in actu manuum vel inceſſu pedum: poſitus in præſepio contra ſuperbiā in loco. De tertio: *Thr.3. b* Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. *Mat.26. g* Maximum enim charitatis ſignum fuit quòd *27. d* Chriſtus ſagittas opprobriorum, irriſionum, ſputorum, colaphorum, clauorum et lanciæ ſuſtinere voluit. Sic et nos per charitatem eſſe debemus, tanquàm in nobile ſignum cōtra ſagittas caſtigationum diuinarum: de quibus: *Iob 6. a* Sagittæ domini in me ſunt. *Pſal.56. a* Item contra ſagittas irritationum humanarum: de quibus Pſal. Filij hominum dentes, *et cetera.* Item contra ſagittas tentationum diabolicarum: *Eph.6. c* In omnibus ſumentes ſcutum fidei contra tela nequiſſimi. Item contra tam multiplices ſagittas aduerſitatum



ſtat

*Aug. tract. de Laude char. to. 9.* ſtat charitas quaſi lignum immobile. Auguſt. Charitas inter opprobria, ſecura eſt: inter odia, benefica: inter rixas, placida, inter inſidias, innocens, iniquitatem gemens, in veritate reſpirans. Sed heu, huic ſigno contradicitur per ſignum odij et fraudu-
*Mat. 26. e* dulentiæ: ſicut Iudas qui tradidit eis ſignum, *et cet.*
*Pſal. 85. d* De quarto. Pſalm. Fac mecum ſignum in bono *et ce-*
Gloſſa in- *tera.* Gloſ. Reſurrectionis ſignum, ſcilicet ſignum Io-
terl. næ prophetæ. Sicut enim Ionas tertia die in aridam
*Ionæ. 2. d* euomitur: ita Chriſtus tertia die in ſoliditatem im-
*Mat. 12. d* mortalitatis ſuſcitatur, relicto mari mortalis vitæ et
fluctuantis ſæculi de ventre inferi exiens. Vt ergo in
reſurrectione generali in aridam euomaris, dic do-
mino: Fac mecum ſignum in bono. O ſignum, ò
gaudium quando naufragus venit ad aridam ſalutis.
Huic autem ſigno contradicitur per ſignum tranſito-
riæ lætitiæ, propter quam lætitiam immortalis vita
ſæpe deſtruitur. Venite ergo et fruamur bonis, *et ce-*
*Sap. 2. b* *tera*, vſque. Vbique relinquamus ſigna lætitiæ no-
Lætitia ſtul- ſtræ: vbi ſtultorum lætitia ſpecificatur in iuuentu-
torum. te, in vino, in vnguentis, in coronis roſarum, in luxu-
ria, in ſocietate mala.

## SERMO III.

*Luc. 2. e* T*vam ipſius animam pertranſibit gladius.* Gloſa.
dolor dominicæ paſſionis: quia non pote-
rat videre crucifixum ſine affectu materni
doloris, tametſi ſperaret reſurrecturum et
Gladius mortem deuicturum. Gladius autem pertranſiens
pertranſiẽs animam quadruplex eſt, ſcilicet diabolicæ tentatio-
animã qua- nis: Euangelicæ prædicationis: tyrannicæ perſecu-
druplex. tionis: extremæ animaduerſionis. Primus tranſit
animam in conſentiendo: ſecundus in compungen-
do: tertius in compatiendo: quartus in condemnan-
*Iob 40. b* do. De primo Iob: Qui fecit eum, applicabit in eum
gladium. Contra gladium tentationis armari debe-
*Eph 6. c* mus virtutibus: Induite vos armatura Dei *et cetera.*
Sicut autem latro transfigitur, vt cor gladio vulnere-
tur: ita diabolus facit. Vnde Holofernes ad Achior
*Iudith. 6. a* ait: Gladius militiæ meæ tranſeat per latera tua et
confixus cades inter vulneratos Iſrael: et non reſpira-
bis vltra, donec exterminaberis cum illis. Holofernes
diabolum ſignificat: interpretatur enim infirmans
*Luc. 15. e* vitulum ſaginatum, ideſt Chriſtum: de quo in Luc.
Adducite vitulum ſaginatum et occidite. Vel ſi-
*Pſal. 50. d* gnificat quemlibet iuſtum. Pſal. Imponet ſuper altare
tuum vitulos *et cetera*. Latera ſunt vxor, quæ de
latere viri facta eſt; vel conſiliarij, aut familiares. Ber-
nardus ad Eugenium Papam: Non te ſanum putaue-
ris, dolentem, neque te bonum credideris malos in-
uocantem. Iſtos diabolus per malitiam vulnerat,
vt per eos latus tuum vulneretur: ſicut fraudulentus
amicitiam ſimulat, vt interim feriat. Ita diabolus
per temporalem felicitatem et voluptatem homini
*2. Reg. 20. c* arridet et occidit. Hoc ſignificatum eſt. Vbi Ioab te-
nuit mentum Amaſæ quaſi deoſculans eum, et per-
cuſſit eum in latere, et mortuus eſt. Greg. Quos vi-
uentes blandiens decipit, hos morientes ſæuiens ra-
pit. Contra hoc Chriſtus per latus crucifixus eſt. De
*Hebr. 4. c* ſecundo: Viuus eſt ſermo Chriſti et efficax et pene-
trabilior omni gladio ancipiti, et pertingens vſque ad
diuiſionem animæ et corporis. Gladio iſto homo
accingitur, dum per verbum Dei, animus luxuriæ
*Pſal. 44. a* coarctatur. Pſal. Accingere gladio tuo ſuper femur.
Item manu tenetur, dum per verbum Dei opere bo-
*Pſal. 149. b* no impletur. Pſal. Gladij ancipites in manibus eo-
rum. Item cor penetratur, dum per verbum Dei com
*Hebr. 4. c* pungitur, et carnalis vita trucidatur. Vnde hic pene-
*2. Mac. 15. c* trabilior omni gladio ancipiti. Et: Accipe gladium
ſanctum munus a Deo, in quo eijcies hoſtes populi
mei Iſrael, ideſt mala opera et voluntates. Sed heu
contra iſtum gladium aſtutus obſtinatione, deceptio-
ne, falſa ſocietate armatur homo deſignatus per ar-

A matum illum de quo: Cum fortis armatus cuſtodit *Luc. 11. c*
atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. vnde
neque ictum gladij ſentit. O ſi vni homini caput
ſuum, ideſt diabolum hoc gladio amputare poſſem:
Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti funda- *Abac. 3. c*
mentum vſque ad collum. O ſi vnam aurem inobe- *Mat. 26. e*
dientiæ cum Petro amputarem. De tertio: Exiuit *Apoc. 6. a*
alius equus rufus, et qui ſedebat ſuper illum, datum
eſt illi vt ſumeret pacem de terra, et vt inuicem ſe in-
terficerent: et datus eſt ei gladius magnus. Iſte gla-
dius datus eſt Neroni, Diocletiano, Decio, et alijs
perſecutoribus fidelium, ſicut datus eſt Regi Tarta-
B rorum, et datus eſt ſæpe multis tyrannis affligentibus
Chriſtianos. Quando ex corde afflictis compateris
quaſi vulnus doloris in anima recipis et gladio iſto
tranſuerberaris. Vnde bene de Maria dicitur.
*Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Sed contra
gladium tribulationis, ſcutum duplex opponere de-
bemus. Primo exemplum paſſionis et laborum Chri
ſti, vt ex hoc pretium habeamus. Dabis ei ſcutum *Thren. 3. g*
cordis laborem tuum. Gregorius. Quis laborem ſu-
peruacuum vel oneroſum reputabit, qui filium Dei
pro ſe Chriſtum crucifixum recolit? Item ſcutum
orationis quo ictum gladij repellamus. Non diu per- *Sap. 18. d*
C manſit ira tua: properans enim homo ſine querela
deprecari pro populis proferens ſeruitutis ſuæ ſcu-
tum, orationem. De quarto: Si acuero vt fulgur *Deut. 32. f*
gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea,
reddam vltionem hoſtibus meis. Iſte gladius eſt ſen-
tentia iudicis qua dicet: Diſcedite a me maledicti, *Mat. 25. d*
*et cetera:* Ex ore eius gladius acutus ex vtraque parte *Apoc. 1. d*
exibat. Iſte gladius non ſolum ſicut gladius acutus
erit, ſed omni fulgure acutior, Nonne mallent gla-
dio, ſiue fulmine feriri, quibus dicetur in fine: Ite *Mat. 25. d*
maledicti in ignem æternum? De hoc gladio requi-
re in ſermone primo doctorum.
D

## SERMO IIII.

P*Ver autem creſcebat*, et cet. Bene puer dici- *Luc. 2. f*
tur Chriſtus. Sicut enim pueri cum ma- Chriſtus
tre, puer cum pueris, puer cum floribus, puer.
puer cum brachijs libenter eſſe ſolent. Sic
vtique puer Ieſus Chriſtus delectatur in matris Ec-
cleſiæ felicitate, in puerorum per innocentiam ſo-
cietate, in florum virtutum venuſtate: in brachio-
rum operum charitate. Primum patet, quoniam
angelus ſemper cum puero tolli iubet matrem quaſi
E ſine matre puer eſſe nollet. Item: Innuerunt puerum *Mat. 2. c, d*
cum Maria matre eius. Si ergo hunc puerum vis in- *Mat. 2. b*
uenire, ad Mariam accede. Tamen ſpiritualiter ma-
ter pueri eſt Eccleſia, ſine qua Chriſtus non inueni-
tur viuus. Vnde bene de duabus matribus meretri-
cibus pro puero vno coram Salomone litigantibus,
quem Salomon gladio diuidi iuſſit, dicitur: Quòd *3. Reg. 3. d*
falſa mater ipſum diuidi voluit, ſed vera mater do-
luit. Duæ meretrices iſtæ ſynagogam ſignificant et
Eccleſiam, quæ meretrices eſſe dicuntur. Eccleſia
quidem propter ſtatum priſtinum gentilitatis: Syna-
F goga propter ſtatum præſentis infidelitatis: Puer ve-
ro eſt Chriſtus: Hunc ſynagoga vult diuidi, dum cor-
poris eius partem Ioſeph et partem Mariæ attribuit,
dum ex Mariæ et Ioſeph ſemine Chriſtum natum
dicit, Sed mater Eccleſia puerum integrum vult ma-
nere, quia totam eius naturam corporalem integrali-
ter ex ſola Virgine credit eſſe. Hoc autem factum eſt,
gladio inſcrutabilis iudicij Dei. De ſecundo: Futu- *Mat. 2. c*
rum eſt, vt Herodes quærat puerum, *et cetera*. et in-
fra. Mittens occidit omnes pueros, *et cet.* Ecce He-
rodes quæſiuit puerum inter pueros: puer enim cum
pueris libenter eſt. Pueri autem ſunt qui puri ſunt a
peccatis, pueri enim neque rapinas, neque vſuras,
neque adulteria, neque homicidia, neque alia ſcelera
committunt. Qui ergo a talibus puri ſunt, vere pue-
ri



*1. Pet. 2. a* ri Chriſti ſunt: Deponentes igitur omnem malitiam A
et omnem dolum, et ſimulationes, et inuidias, et om-
nes detractiones ſicut modo geniti infantes, *et cetera.*
Nihil Deo dignius, nihil charius eſſe poteſt, quàm vt
innocentia tota obſeruatione teneatur. Cum talibus
pueris libenter eſt Chriſtus, non ſolum in mundo,
*Mar. 10. b* ſed etiam in cælo: Sinite paruulos, *et cetera.* Vnde le-
gitur, quòd ſocialis ſit Chriſtus pueris et innocenti-
*Apoc. 14. a* bus in monte Sion, ideſt in cælo: Hi ſequuntur agnũ,
*Matt. 2. c* quocunque ierit. De tertio: Qui conſurgens accepit
puerum, *et cetera*. et infra. Veniens habitauit in ci-
uitate ſua Nazareth, quæ interpretatur flos. Quæli-
bet autem virtus, flos eſt animæ: flos eſt humilitas, B
flos eſt patientia, flos lilij caſtitas: ſic numera alias
virtutes. Sicut autem in cunis vel in lecto pueris nu-
trix facit, dum eas floribus ſpargit: ſic nos cunas, vel
lectum cordis floribus virtutum reſpergamus, vt
puer Chriſtus requieſcere velit ibi. Vnde anima ſan-
*Cant. 1. d* cta puerum alludere cupiens ait: Lectulus noſter flo-
ridus. Sed certe in hieme flores non inueniuntur:
Ita neque virtutes in hieme, ideſt, corporis torpore,
cum Chriſtus a corde receſſerit. Vnde poſtquam
*Cant. 2. e* imber tranſijt, dicitur: Flores apparuerunt in terra
noſtra. Hanc hiemem in corpore generat ventus
*Eccli. 43. c* aquilonis diabolicæ tentationis: Frigidus ventus C
aquilonis, *et cet.* Signum tranſitus hiemis eſt, quan-
do guttæ glacierum diſtillant, ideſt, lachrymæ com-
*Pſal. 147. a* punctionis per oculos exeunt: Flabit ſpiritus eius et
fluent aquæ. Flat ſpiritus, et ſoluit cordis glaciem.
*Aug. lib. 2.* Aug. Gratiæ tuæ deputo et miſericordiæ tuæ Domi-
*confeſ. c. 7.* ne, quòd peccata mea tanquam glaciem ſoluiſti: gra-
*to. 1.* tiæ tuæ deputo etiam quæcumque non feci mala.
*Luc. 2. d* De quarto: Cum inducerent puerum Ieſum, *et cet.*
et ipſe accepit eum in vlnas ſuas. Hunc puerum in
vlnas accipit, qui operibus charitatis Chriſtum am-
plectitur. Quaſi enim duo brachia ſunt amor Dei et
proximi. Sed nota, quòd primo in templum cordis D
inducitur: vt poſtea brachijs operum amplectatur:
*Cant. 8. b* Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignacu-
lum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors di-
lectio. Signaculum dicit ſe Chriſtus. ſculptus enim
fuit in paſſione manus et pedes clauis, latus lancea,
caput ſpinis. Hoc ergo ſigillum cordi imprimere
debes per amorem. Sed attende, quòd non bene
imprimitur ſigillum niſi cera affectus liqueſiat per
*Pſal. 21. b* ignem Spiritus ſancti: Factum eſt cor meum ſicut
cæra liqueſcens. Quia vero non tantum in affectu,
ſed etiam in effectu imprimi debet nobis Chriſtus:
ideo adiungit: Vt ſignaculum ſuper brachium tuum. E
Sigillum imprimitur vt imago eius præſentetur. Ita
in conuerſatione noſtra imago Chriſti præſentari
*1. Cor. 15. f* debet. Sicut portauimus imaginem terreni, ſic por-
temus et imaginem cæleſtis.

# IN CIRCVNCISIONE DOMINI.

## SERMO PRIMVS.

*Tit. 2. c* A*Pparuit gratia Dei Saluatoris noſtri.* Con-
Apparitio ſidera quadruplicem apparitionem.
quadru- Apparet in mundo gratia Saluatoris:
plex. in anima miſericordia iuſtificatoris:
in iudicio iuſtitia vltoris: in cælo glo-
ria remuneratoris. De primo dici-
tur hic: *Apparuit gratia Dei Saluatoris.* Et ad eun-
*Tit. 3. b* dem: Apparuit benignitas et humanitas Saluatoris
noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ noſtræ quæ feci
mus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos
nos fecit. Hæc apparitio ſignificata eſt. Vbi legitur,
*Exod. 3. a* quòd Dominus apparuit Moſi in deſerto in flamma
ignis in medio rubi: et videbat quòd rubus ardebat
et non comburebatur: cui cum appropinquare vel-

A let, dicit Dominus: Solue calceamentum de pedi-
bus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Per
deſertum ſignificatur mundus. Rubus autem ardens Rubus ar-
eſt beata Virgo, in qua Dominus per carnem appa- dens.
ruit. Sicut enim rubus arſit ſine combuſtione, ita
Virgo peperit ſine corruptione. Vel rubus eſt Chriſti
humanitas, in qua apparuit diuinitas. Sicut enim ru-
bus ardebat ſine combuſtione: ita Chriſtus paſſus
eſt ſine incineratione et corruptione: Non dabis ſan- *Pſal. 15. c*
ctum tuum videre corruptionem. Quod enim com-
buritur incineratur, Chriſtus ergo non comburreba-
tur, quia non incinerabatur. Si ergo ad hunc appro-
B pinquare volueris per fidem et amorem, ſolue cal-
ceamentum mundani et carnalis amoris, ſolue amo-
rem viſibilium de pedibus animæ, ideſt affectioni-
bus tuis. Gregorius. Mens ſubtracta a viſibilibus vi-
ſibilia perfecte contemnit. Nunquam enim Domi-
nus pedes tuos lauabit niſi prius calceamenta iſta
depoſueris. Apparet autem eis, qui fidem habent *Sap. 1. a*
in illum, fidem vtique illam de qua: Si habueritis fi- *Mat. 17. c*
dem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: Tran-
ſi hinc, et tranſibit. Mons eſt congeries peccatorum,
qui tot lapidibus conſtat, quot homo peccata habet.
Vnus autem lapis quandoque mergit hominem, cui
C alligatur in profundum. Quanto magis totus mons
deprimit hominem in profundum inferni? Granum
ſinapis paruum eſt, ſed virtute et herba et fructu im-
menſum. Sic fides Chriſtiana humilis videtur et
contemptibilis Paganis et Iudæis: miræ tamen eſt
virtutis et fructum affert plurimum. Quot autem
ſunt articuli fidei, tot poſſunt dici grana ſinapis. Hæc
grana cum in ore conteruntur oculos faciunt lacry-
mari. Sic articuli fidei ſi diligenti conſideratione et
deuota affectione teruntur, lacrymas producunt con
tritionis. Exemplifica de quibuſdam articulis. Per
talem fidem montem peccatorum a te transferre po-
D tes. Hæc eſt fides, per quam Dominus tanquam per
oſtium apparet etiam in trinitate perſonarum. Vnde
Abrahæ ſedenti in oſtio apparuerunt tres viri ſtantes *Gen. 18. a*
prope eum, vt dicitur. De tertio: Apparuit de monte *Deut. 33. a*
Pharan, et cum eo ſanctorum millia. Pharan enim fe-
rus interpretatur. In magna enim feritate apparebit
contra reprobos et contra eoſdem ſanctorum millia
Prophetarum, et Apoſtolorum, martyrum, *et cetera.*
Item angelorum millia millium. Millia millium mi- *Dan. 7. e*
niſtrabant ei et decies centena millia aſſiſtebant ei.
Greg. Ecce mora nõ erit et ardente cælo, ardente ter- *Greg. Reg.*
ra, coruſcantibus electis cũ angelis, archangelis, cum *lib. 2. ind.*
E thronis et dominationibus, cum principibus et po- *11. c. 100.*
teſtatibus, tremebundus iudex apparebit. Item dæ- *cir. fin.*
monum millia erunt a ſiniſtris. O quam anguſtæ *Greg. lib. 7.*
erunt tunc viæ reproborum. Superius erit iudex ira- *Mor. c. 14.*
tus: inferius horrendum chaos inferni. A dextris pec-
cata accuſantia: a ſiniſtris erunt infinita dæmonia ad
ſupplicia trahentia. Si enim ad obſeſſionem vnius
hominis conuenit legio, ideſt ſex millia ſex centum
ſexaginta ſex: quanta millia putas ventura, vbi non
vnum hominem tantum, ſed innumerabilem exer-
citum impiorum in perpetuum accipient poſſeſſio-
nẽ? Quanta autem ſit celeritas apparitionis dicitur: *Mat. 24. b*
F Sicut enim fulgur exit ab oriente vſque in occidentẽ,
ita erit aduentus filij hominis. De quarto: Cũ Chri- *Coloſ. 3. a*
ſtus apparuerit vita noſtra, tunc et vos apparebitis cũ
ipſo in gloria. Item: Scimus quoniam cum apparue- *Ioan. 3. a*
rit, ſimiles ei erimus: quoniã videbimus eũ ſicuti eſt:
Satiabor, cum apparuerit gloria tua. In his tribus au- *Pſal. 16. d*
ctoritatibus promittitur nobis in illa æterna appari-
tione, ſimilitudo, vita, et ſatietas. Promittit nobis Ioã-
nes ſimilitudinẽ, Paulus vitam, Dauid ſatietatem. Ibi
enim erit ſimilitudo in cognitione, vita in dilectio-
ne, ſatietas in fruitione. Aug. O quando videbo gau-
dium meum magnum, quod deſidero! O ſi ſatiabor,
cum apparuerit gloria eius, quam eſurio! O ſi ine- *Pſal. 35. b*
briabor ab vbertate domus tuæ ad quam ſuſpiro!
SERMO

## SERMO II.

*Luc. 2. e* P*Oſtquàm conſumati ſunt dies octo, vt circunciderētur puer*, etc. Cum omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtructio, eius corporalis circunciſio noſtram ſpiritualem ſignificat̃. Conſiderandum autem a quo, et quo, quando, pro quo fit circunciſio ſpiritualis. Fit autem a præputio nequitiæ: inſtrumento pœnitentiæ: tem- *Deut. 10. d* pore pueritiæ: pacto amicitiæ. De primo: Circuncidite præputium cordis veſtri et aurem veſtram ne induretis amplius. Nota quòd circuncidi debemus ab iniqua cogitatione et voluntate, hoc enim eſt præ- *Eſa. 1. d* putium cordis: Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Oculi enim Dei vident omnes cogitationes noſtras malas et bonas. Item ab incauta locutione, contra quod Moſes conqueritur: *Exod. 6. d* En incircunciſus labijs ſum. Hanc circunciſionem *Eph. 4. f* docet Apoſtolus: Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat. Item a ſurda obduratione quādo qui- *Act. 7. f* dam nolunt audire neque obedire. de quibus: Dura ceruice et incircunciſis cordibus et auribus: vos ſemper Spiritui ſancto reſtiiſtis. Auris ergo talis ſi non circunciditur, tunc iuſte gladio Petri percutitur. *Gen. 17. b* Item a ſordida pollutione, Maſculus cuius præputij caro non fuerit circunciſa, *et cet.* Aug. Circunciſio Chriſti quid eſt niſi caſtitas noſtra, qua Deus delectatur in nouiſſimis temporibus? Prima ergo circunciſio in corde, ſecunda in ore, tertia in aure, quarta *Exod. 4. f* in opere fit. De ſecundo: Occurrit ei Dominus et voluit occidere eum, ſcilicet Moyſen vel filium eius vt dicit Gloſſa interl. tulit ergo Sephora acutiſſimā petram et circuncidit præputium filij ſui. Sephora fidem ſignificat. Interpretatur enim placens adhæ- *Hebr. 11. b* ſit. Per fidem autem adhærentes Deo placent: Sine fide impoſſibile eſt Deo placere. Filius incircunciſus eſt malus Chriſtianus. Petra grauem et duram pœnitentiam ſignificat, hæc acuta eſt per contritionem. Vere acutum debet eſſe ferrum compūctionis: quo non octo tantum dierum, ſed multorum annorum abſcindi debet animæ præputium. Bernardus: Abijcite ferro dominicæ compunctionis vulnus inueteratæ conſuetudinis. Acutior autem eſt ſi addas *Hier. 4. a* confeſſionem: Circuncidimini Domino, et auferte præputium cordium veſtrorum viri Iuda, quod nomen confitens interpretatur. Acutiſſima eſt ſi adiungas ſatisfactionem. Si pœnitentia acuta non circun- *Apoc. 1. d* cideris, ſententia acuta circuncideris: De ore eius gladius acutus, *et cetera*, quod hic in angelo occide- *Gen. 17. b* re volenti ſignificatum eſt. De tertio: Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Ecce miſer ſenex talis infans qui adhuc peccare non poteſt, tam grauiſſimam pœnam ſuſtinet pro peccato per alium contracto, et tu pœnam ſuſtinere non vis pro innumerabilibus peccatis proprijs. Bernardus: Immo inſpice ipſum Chriſtum tam tenera ętate pro te vulneratum: vere pro te. Bernardus: Quid mirum ſi pro nobis dignatus eſt circuncidi qui pro nobis dignatus eſt mori. Totus ſiquidem datus eſt mihi et totus in meos vſus expenſus. Oſtenditur ergo tibi illo facto illud: Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab *Thren. 3. b* adoleſcentia ſua, *et cetera*. Circunciſio tamen vel ab originali vel ab actuali fieri poteſt et in puerili et in iuuenili ætate, et in virili. Hoc ſignificatum eſt in circunciſione domus Abraę, Iſaac octauo die circūciſus fuit in ætate infantili Iſmael tredecim annorū in iuuenili. Serui adulti, in virili. Abraam nonaginta no- *Gen. 17. b* uem annorum. De quarto: Circuncidetis carnem prępútij veſtri vt ſit ſignum fęderis inter me et vos. glo. In teſtamentum quòd ego veſter Deus et vos populus meus. Pro fędere ergo tantę amicitiæ libenter debemus circuncidi. Sicut autem ex circunciſione amicitiam Dei, ita inimicitiam diaboli habe- A mus, ſicut ſignificatum eſt. Duæ enim mulieres de- *2. Mac. 6. d* latæ ſunt pueros ſuos circuncidiſſe, quas ad vbera infantibus ſuſpenſis cum publice per ciuitatem circumduxiſſent, per muros præcipitauerunt̃. Duæ mulieres ſunt anima pęnitens et innocens, quarum nati circunciſi ſunt affectus caſtitatis. Duo vbera ſunt ſpes veniæ et gloriæ. Ad vbera infantes ſuſpenduntur quando affectus de ſpe diuinæ miſericordiæ liberius peccatis illaqueantur: et vnde deberent lactari, inde incipiunt iugulari. Iſidor. Qui male agere non deſiſtunt, vana ſpe indulgentiam de Dei pietate ſibi promittunt: quam recte acquirerent ſi ab actio- B ne mala ceſſarent̃. Item publice circunducuntur dum publice pro peccatis arguuntur. Item per murum in quibus congeries eſt lapidum pręcipitantur̃, dum de congerie et multitudine peccatorum damnantur̃.

## SERMO III.

*Luc. 2. b* P*Oſtquàm conſummati ſunt dies octo, vt circunciderētur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Auguſtinus. Sicut mortem pro nobis ſuſcepit ita circunciſionem non re- C ſpuit, vt nos ſpiritu circunciderēmus. Debemus autē circuncidi pro quatuor cauſis, pro mortis æternæ euaſione, pro Chriſti & animæ coniunctione, pro digna euchariſtiæ perceptione, pro vitæ æternæ adeptione. De primo: Maſculus cuius præputij caro *Gen. 17. b* circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, id eſt de cętu fidelium: quia in morte & in iudicio Deus diligenter viſitabit tales. Viſitabo ſuper *Hier. 9. g* omnem, qui incircunciſum habet prępútium ſuper Aegyptum, quod interpretatur tenebræ, id eſt ſuper traditores et impudicos: & ſuper alios in enormibus vitijs et tenebris latentes, et ſuper Iudam. quod in- D terpretatur glorificans, id eſt ſuperbos et glorificantes ſeipſos: et ſuper filios Edom, quod interpretatur ſanguineus et ſignificat occiſores ſanguinem indebite effundentes: et ſuper filios Amon quod interpretatur, populus murmurationis et ſignificat ſeminatores diſcordiæ et detractores, et ſuper Moab, quod interpretatur ex patre, et ſignificat qui patrizant et malas patrum vias neque paterna bona iniuſtæ acquiſita relinquūt, id eſt ſuper omnes qui attonſi ſunt in coma, id eſt ſuper omnes clericos et clauſtrales habitantes in deſerto religionis, *et cet.* In viſitatione incircunciſorū iſtorū iniunget pœnitentiam non panis E neque aquæ, ſed ignis æterni: Circuncidimini Domi- *Hier. 4. a* no et auferte præputia cordium veſtrorum viri Iuda & habitatores Hieruſalem, ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuccendatur quòd non ſit, qui extinguat propter malitiam cogitationū veſtrarum. De ſecundo dicitur, quòd ſi mulierem pul- *Deut. 21. b* chram poſt bellum victis inimicis captam voluerit, qui eam cęperit habere vxorem, introducet in domum ſuam: quæ radet cæſariem et circuncidet vngues, et deponet veſtem, in qua capta eſt, et flebit patrem et matrem vno menſe. Mulier iſta anima eſt, pulchra quidem per imaginem pulcherrimæ F Trinitatis, quam, victis dæmonibus in bello paſſionis, cępit Chriſtus. Si ergo ſponſa Chriſti vult eſſe, debet in domum Eccleſiæ per fidem introduci. Pau- *Luc. 14. e* peres, ac debiles, cæcos, et claudos introduc huc. Item radet crines ſuperfluarum cogitationum de capite mentis, ne ibi increſcant vermes, ſcilicet remorſiones conſcientiæ. Sume tibi gladium acutum ra- *Ezech. 5. a* dentem pilos. Item circuncidat vngues, id eſt operum ſordes. Illud enim in vnguibus circunciditur, vbi ſordes colliguntur. Vel vngues præſcinduntur de manibus, cum cupiditates colligentes ſordes iniuſtorum operum vel temporalium iniuſtorum bonorum amputantur: quæ vere ſordidæ ſunt̃. Omnia *Phil. 3. b* arbitror vt ſtercora, *et cet.* Sicut enim vngues non ſemel



ſemel ſed ſępius circuncidimus, ſic et ſpiritualis cir- A *Bernard. ſer. 58. in Cant. ver. fin.* cunciſio ſępius fiat. Bernardus: Medium vitiorum virtus tenet, ac proinde ſedula eget non putatione modo, ſed etiam circunciſione. Item veſtem depo- *Eph. 4. e* nit, dum vetuſtam conſuetudinem relinquit: Deponite vos ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, *et cet.* Item matrem et patrem flebit, id eſt diabolum et concupiſcentiam quibus de- *Ezec. 16. a* cepta eſt. Pater tuus Amorræus, *et cet.* De tertio: *Exod. 12. g* Hæc eſt religio phaſe: Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem ſeruus circuncidetur, et ſic comedet: aduena et mercenarius non comedet ex eo. De corpore Chriſti non comedet alienigena gl. B gentilis, Iudæus, id eſt excommunicatus non debet communicare ſacramētum dominici corporis. Item neque aduena. glo. qui nuper venit ad fidem neque adhuc firmus eſt: quod eſt contra illos qui de enormibus peccatis tarde venientes ad confeſſionem et pęnitentiam, ſtatim volunt communicare. Item neque mercenarius qui pro lucris temporalibus Domino ſeruit, ſeruus autem emptitius, gloſſa: qui re- *1. Cor. 6. d* demptus eſt ſanguine Chriſti: Empti eſtis *et cet.* hic circunciſus ab omni vitio comedet non tamen im- *Gen. 43. g* pius: Illicitum eſt Ægyptijs comedere carnes imma- *1. Cor. 11. f* culati agni. Qui enim manducat et bibit, *et cetera*. C Auguſtinus: Non malum eſt quod datur, ſed bonum *Deut. 30. b* malis in iudicium datur. De quarto: Circuncidet̃ Dominus Deus cor tuum et cor ſeminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et tota anima tua, vt poſſis viuere, vtique ſpiritualiter et æternaliter. Viuere enim in terra viuentium conſequeris per circunciſionis beneficium. Quibus ante Dominus iurauerat vt oſtenderet eis terram lacte *Ioſ. 5. b* et melle manantem: horum filij in locum ſucceſſerunt patrum et circunciſi ſunt a Ioſue. Terra manans lacte humanitatis et melle diuinitatis patria eſt. Su- *Iſa. 40. a 61. c* ſcepit de manu Domini duplicia. Et in terra ſua D duplicia poſſidebunt.

## SERMO IIII.

*Luc. 2. c* V*Ocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab angelo, priuſquàm in vtero conciperetur.* In hoc verbo oſtenditur huius nominis vtilitas et auctoritas. Primum nota ibi: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Secundum ibi: *Vocatum eſt ab angelo.* Vere vtiliſſimum eſt hoc nomen ad ſalutem noſtram. Ieſus enim Saluator interpretatur vel ſalutare. In hoc nomine conſequi- E mur veniam, gratiam, victoriam, et gloriam. Veniam in conuerſionē: gratiam in conuerſatione: victoriam in tentatione: gloriam remuneratione. De *Act. 10. g* primo: Huic omnes prophetæ teſtimoniū perhibent remiſſionem accipere per nomē eius. Omnibus ergo prophetis crede, neque de omnibus peccatis deſpera, licet tam multa ſint, vt numerū capillorū capitis vel etiā arenā maris excedant. Multiplicatæ ſunt ſuper ca- *Pſal. 39. c* pillos capitis mei. In oratione Manaſſæ: Peccaui *2. Par. vlt.* ſuper numerum arenæ maris et multiplicatæ ſunt iniquitates meæ. Si ergo multum peccaſti, dic cum *Hier. 14. a* propheta: Domine fac propter nomen tuum, quo- F *Pſal. 24. c* niā multæ ſunt auerſiones noſtræ. Et illud: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, *Auguſt. lib. Med. c. 39. to. 9.* multum eſt enim. Auguſtinus: Quid eſt Ieſus niſi ſaluator? Ergo propter temetipſum ſis mihi Ieſus. Noli Domine ſic attendere malum noſtrum: vt obliuiſcaris bonum tuum. Sed attende quòd hoc nomen Ieſus in circumciſione imponitur: in quo tibi oſtendiditur quòd per hoc nomen ſaluaberis, ſi tamen per *Gen. 17. b* pœnitentiam circumcidaris, et alias non. Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur *Ioan. 14. b* anima illa de populo ſuo. De ſecundo: Paraclitus ſpiritus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. O quàm deuote mendici in nomi- A ne ſancti Nicolai, et ſancti Petri petunt, dum fruſta panis per hoc conſequi ſperant̃. Quare nos miſeri in nomine dulciſſimi Ieſu non petimus, non fruſtum panis, ſed vt Spiritum ſanctum obtineamus, quo be- *Cant. 1. a* ne viuamus. De gratia huius nominis. Oleum effuſum nomen tuum. Et certe mel effuſum nomen *Bernar. in Cant. ſer. 15. poſt medium.* tuum. Bernardus: Ieſus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. De tertio: Domine in nomine tuo dęmonia ſubijciuntur nobis. In nomine tuo: ſed quia dęmones non ſubijciuntur niſi vincan- *Luc. 10. c* tur: non vincuntur niſi in nomine Ieſu: Ideo Dauid *1. Reg. 17. f* ad Goliam ait: Tu venis ad me cum gladio et haſta B et clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Iſrael. Golias diabolum ſignificat. Huius gladius eſt tentatio carnalis. Haſta tentatio ſpiritualis. Clypeus vero, ſub quo ſe abſcondit, eſt ſimulatio boni, ſub cuius ſpecie decipit. Dauid autem quemlibet fidelem ſignificat, qui in vocatione nominis Domini in oratione et in baculo crucis et quinque lapidibus, id eſt quinque vulnerum Chriſti et continua recordatione et deuota Chriſti imitatio- *Pſal. 43. a* ne diabolum vincit. Pſalmiſta: In nomine tuo ſper- *Apoc. 2. e* nemus inſurgentes in nobis. De quarto: Vincenti dabo manna abſconditum et dabo illi calculum can- C didum et in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. In manna diuina: in calculo humana Chriſti natura ſignificatur, candida per innouationem. Vtraque enim natura merces eſt vincentium diabolum, carnem et mundum. Quia vero per nomen Ieſu hanc mercedem cōſequimur ideo in calculo qui erit merces noſtra ſcriptum *Pſal. 19. a* dicitur. Pſalmiſta: In nomine Domini noſtri magnificabimur: ibi nomen Domini in calculo, ibi no- *Apoc. 3. a* men tuum Ieſu habetur. Sed attende quod ait: Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis: et non delebo nomen eius de libro vitæ. Si autem tu negligis no- D men eius, et ipſe delebit nomen tuum. Secundum has quattuor virtutes huius nominis, inuenimus hoc nomen Ieſus, quod vocatum eſt ab angelo, per quattuor ab angelis in Euangelio pronunciatum: ſcilicet Mariæ, Ioſeph, mulieribus, et Apoſtolis. Conſequimur autem in hoc nomine veniam peccatorum et ſecundum hoc nominatum eſt hoc nomen ipſi Io- *Mat. 1. d* ſeph. Vocabis nomen eius Ieſum: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Pſal. Pauperem et humilem ſaluum faciet. Conſequimur in hoc nomine gratiam donorum. Secundum hoc *Luc. 1. c* vocatum eſt ab angelo Mariæ: Inueniſti gratiā apud E Deum. Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen eius Ieſum, *et cet.* Qui hunc in vtero non portat Ieſum, vermem conſcientię in vtero porta- *Iſa. vlt. a* bit in æternum. Vermis eorum non extinguetur ſcilicet in æternum. Item conſequimur in hoc nomine victoriam inimicorum. Secundum hoc nun- *Mat. vlt. a* ciatum eſt ab angelo mulieribus in reſurrectione: Ieſum quęritis Nazarenum crucifixum, non eſt hic. Victor ergo mortis exiſtit, quia ſurrexit. Victor diaboli, quia crucifixus eſt. Victor autem mundi, quia Nazarenus, quod interpretatur ſeparans a mun- F do. Qui ergo carnem mortalem, diabolum, mundum vincere vult, inuocet hoc nomen Ieſus. Item conſequimur gloriam pręmiorum in hoc nomine.

*Act. 1. b* Secundum hoc nunciatum eſt ab angelo Apoſtolis in Aſcenſione: Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a vobis in cęlum ſic veniet quemadmodū vidiſtis eum euntem in cęlum *etc.* Qui enim in cęlum aſcendere deſiderat, hoc nomē Ieſus inuocet.

*Act. 7. g* Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum.

IN

# IN EPIPHANIA DOMINI.

## SERMO I.

Mat. 2. a CVm natus eſſet Ieſus, et cetera. In hoc
Euangelio Saluator noſter diuerſis
Saluator noſter diuerſis nominibus debitur. nominibus deſcribitur. Dicitur
enim Ieſus, Puer, Dux, Chriſtus,
Rex. Exhibet enim ſe nobis puerum
in remiſſione peccatorum: et ſe no-
bis fortem præſtat Ducem in tentatione inimico-
rum: Chriſtum in vnctione dominorum: Regem in
coronatione præmiorum: Ieſum in ſalute omnium
Mat. 2. b horum. De primo dicitur ibi: Et intrantes inuene-
runt puerum. Si offendiſti puerum, cito, et modico,
et pomo, vel ouo ei reconciliaris, ſic et pœnitens
Chriſto. Bernardus: Paruulus eſt et leuiter placari
Ezec. 33. b poteſt. Quis enim neſciat quia puer facile donat: Si
dixero impio, morte morieris et egerit pœnitentiam
a peccato ſuo, feceritq. iuſtitiã et iudicium et pignus
reſtituerit, rapinamq. reddiderit, et in mandatis vitæ
ambulauerit, neque quidquam fecerit iniuſtum, vita
viuet et non morietur. Omnia peccata eius non im-
Luc. 23. f putabuntur ei. Exemplum de latrone, *et cetera*: Hodie
Mat. 2. a mecum eris in paradiſo. De ſecundo ibi: Ex te enim
exiet dux qui regat populum meum. Ieſus enim eſt
dux animarum noſtrarũ in pugna contra hoſtes ani-
2. Paralip. mæ. Ergo in exercitu noſtro dux Deus eſt, et ſacer-
13. c dotes eius qui clangunt tubis. Dux vniuerſalis et mi-
Exod. 15. b ſericors eſt Chriſtus: Dux fuiſti in miſericordia tua
populo, quem redemiſti. Qualiter autem dux iſte du-
cat populum ſuum per deſertum huius mundi, dici-
Exo. 13. d tur: In columna nubis dux enim fuiſti per diem, in co
lumna ignis per noctem: vt nubes ab æſtu protegeret,
et ignis in tenebris luceret. Sic dux noſter Chriſtus
quos ducit protegit ab æſtu vitiorum, illuminat con-
Pſal. 104. d tra tenebras errorum. Expandit nubem in protectio-
nem eorum. Vnde etiam ſicut lumen columnæ Iu-
Mat. 2. a. b dæos, ſic lumen veritatis duxit Magos. Noli deſere-
re ducem iuſtum. Aug. Væ qui derelinquunt ducem
te et oberrant in veſtigijs tuis, qui nutus tuos pro te
amant et obliuiſcuntur, *et cetera*. Duces autem par-
ticulares ſunt ſacerdotes et Eccleſiæ rectores. Sed iam
Mat. 15. b dici poteſt de eis illud: Cæci ſunt et duces cæcorum.
Mat. 2. a Hi tubis clangunt dũ aperte prædicãt. De tertio, ibi:
Sciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. Chriſtus
Iſa. 61. a interpretatur vnctus: Spiritus Domini ſuper me, eo
quòd vnxerit me Dominus. Sicut enim Chriſtus ha-
buit ſpiritum non ad menſuram, ſed ſine menſura,
vnctus fuit vnctione Spiritus ſancti: ita ſine menſu-
ra effuſus eſt Chriſtus: vt eius vnctio infuſa ſit per to-
Pſal. 132. a tam Eccleſiam: Sicut vnguentum in capite quod de-
1. Cor. 11. a ſcendit, *et cetera*. Caput Chriſtus eſt: Omnis viri ca-
put eſt Chriſtus. Barba ori vicina Apoſtolos ſignifi-
cat qui ex ore Chriſti ſuſceperunt quod alijs mini-
Iſa. 49. e ſtrauerunt. Veſtimentum eſt Eccleſia: His omni-
bus velut ornamento veſtieris. In hoc veſtimento tot
ſunt fila quot fideles in Eccleſia. Væ eis, qui hanc ve-
ſtem per diſcordiam ſcindunt. per hoc enim peiores
Ioan. 19. d gentilibus ſunt qui dixerunt: Non ſcindamus eam,
*et cet.* Graues aduerſarij Chriſti ſunt qui veſtem Chri
Auguſt. de verb. Dom. ſer. 56. pro pe ſi. to. 10. ſti ſcindunt. Aug. Non poterit habere concordiam
cum Chriſto, qui diſcors voluerit eſſe Chriſtiano.
De capite ergo in barbam et veſtimentum, ideſt de
Chriſto in Apoſtolos et totam Eccleſiam vnctio Spi-
Ioan. 1. b ritus ſancti deſcendit: De plenitudine eius accepi-
mus omnes, *et cetera*. De quarto ibi: Vbi eſt qui na-
Mat. 2. a tus eſt Rex Iudæorum. Rex autem Ieſus in gloria co-
Iſa. 33. c ronatus: Regem in decore ſuo videbũt. O vere bea-
ta anima cui datum eſt vel dabitur videre Chriſtum
in decore regali æternæ claritatis. Ipſa vtique poteſt
A dicere quod Eſther, cum videret regem Aſuerum
ornatu regio fulgentem, dixit: Valde enim mirabilis Eſth. 15. d
ex domine, et facies tua plena gratiarum. Auguſtinus.
Facies Dei tam dulcis eſt fratres mihi et tam pulchra
vt illa viſa nihil aliud valeat delectari. Satietas erit in-
ſatiabilis, nullum faſtidium: ſemper eſuriemus, ſem-
per ſaturati erimus. Ille rex omnes ſeruos ſuos reges
facit et coronat: Accipient regnum decoris, *et cet.* Sap. 5. 6
Aurum autem eſt dilectio de quo diadema tuum in
cælo fiet: quod nunc cum tribus regibus offerre de-
bes in mundo. et quanto plus auri obtuleris tanto
glorioſius diadema habebis. O anima Chriſtiana ſe-
B quaris dulcem Chriſtum per ſtellam cognitionis:
Puero offeras myrrham contritionis: Chriſto thus
orationis: Regi aurum dilectionis, et per hæc quat-
tuor Ieſu ſalutem conſequeris.

## SERMO II.

VBi eſt qui natus eſt rex Iudæorum. In hoc ver- Mat. 2. a
bo tria proponuntur animæ fideli maxime
viri religioſi: ſcilicet exemplum quærendi
ibi: *Vbi eſt?* Materia gaudendi ibi: *Qui na-*
*tus eſt*. Cauſa reuerendi ibi: *Rex Iudæorum*. Et ideo
C hoc verbum reſpicit tres animæ vires, quia docetur
rationalis quærere dominum exemplo regum di-
centium. *Vbi eſt?* Pſalmiſta: Dominus de cælo pro- Pſal. 13. a
ſpexit ſuper filios hominum, *et cet.* Item docetur con-
cupiſcibilis gaudere cui proponitur natiuitas Chriſti
dicendo: *Qui natus eſt*: Euangelizo vobis gaudium Luc. 2. b
magnum: quia natus eſt, *et cetera*. Item docetur ira-
ſcibilis reuereri regem, cum dicitur: *Rex Iudæorum*:
Deum timete, regem honorificate, *et cetera*. Dica- 1. Pet. 2. c
mus ergo exemplo regum: *Vbi eſt qui natus Rex Iu-*
*dæorum?* Ecce reges homines ſæculares regni negotia
intermittunt et Deum quærunt: quem tamen multi
D litterati et aliquando religioſi negligunt. Sacerdotes Hier. 2. b
non dixerunt vbi eſt Dominus, et tenentes legem ne-
ſcierunt me. Vnde Gregorius: Plerumque actione Gregor. in mor. præfa. in Iob. c. 2.
ſæcularium confunditur vita continentium, dum il-
li extra habitum aſſumunt opera: et iſti iuxta ordi-
nem proprium non excitant corda. Verecundum
igitur eſt quòd ſæcularis poſſit clauſtralem reprehen-
dere: Erubeſce Sidon, ait mare. Sidon clauſtralis: Iſa. 23. a
mare ſæcularis. Cogit tamen homines multipliciter
neceſſitas vt quærant Deum. Eſt enim homo impo-
tens in agendo digna, inſipiens in noſcendo mirabi-
lia, miſer in patiendo diuerſa pericula, indigens in
E habendo cibaria neceſſaria, vel nutrimenta. Aduer-
te huc o homo, require Deum, et dic hoc: Vbi eſt
inquit potens adiutor, contra primum. Hoc dicitur
exemplo Eliſæi, qui cum non poſſet aquas diuidere
percutiens pallio, dicit: Vbi eſt Deus Eliæ? et ite- 4. Reg. 2. c
rum percuſſit et diuiſæ ſunt aquæ: Sine me nihil po- Ioan. 15. a
teſtis facere. Item vbi eſt ſapiens doctor? contra ſe-
cundum. Sic quæſiuit Andreas Ieſum: Dixit Andreas Ioan. 1. f
ad Ieſum: Rabi, quod dicitur magiſter, vbi habitas? Iob 28. b
Sapientia vbi inuenitur, et quis eſt locus intelligen-
tiæ? Item vbi eſt miſericors liberator? contra ter-
tium, hic quæſiuit Dauid: Vbi ſunt miſericordiæ tuæ Pſal. 88. g
F antiquæ domine ſicut iuraſti Dauid in vtero tuo. Il-
lud pluraliter quærit: Vbi miſericordiæ tuæ, quoniã
multas ſuſtinet homo miſerias. Item ubi eſt liberalis
paſtor? Contra quartum: Indica mihi quem diligit Cant. 1. b
anima mea, vbi paſcas, ubi cubes in meridie, *et cet.*
De his omnibus. Diſce ubi ſit prudentia, ubi ſit uir- Bar. 3. b
tus, ubi ſit intellectus, ut ſcias ſimul ubi longiturnitas
uitæ et victus, ubi ſit lumen oculorum ut pax. Ada-
pta. Diſce ubi ſit prudentia contra inſipientiam, ut
poſſis opera digna uirtutis oſtendere. Vbi ſit intel-
lectus, ut poſſis imitabilia in ſapientia intelligere. Vbi
ſit longiturnitas uitæ et uictus, ut poſſis pati pericula
et miſeriam euadere. Vbi lumen oculorum et pax,
vt poſſis cæleſtia contemplari et acquirere. Nunc igi-
tur



tur o homo quære diligenter vbi ſit quoniam non
Iob. 23. b vbique inuenitur: Si ad orientem iero non apparet:
ſi ad occidentem non intelligam eum: ſi ad ſiniſtram
quid agam? non apprehendam eum. Si me vertam
Ioan. 7. c ad dextram: non videbo illum, *et cetera*. Quæretis
me et non inuenietis et vbi ſum ego, vos non poteri-
tis venire. Orat ergo Auguſtinus in libro de vi-
dendo Deo. Domine Deus ecce cor quo modo eſt,
vt te requirat vbi et quando te inueniat. Nota ergo
quo modo Dominus ſecundum diuerſos ſtatus di-
Quattuor vbi notanda. uerſa habet vbi. Vnde nota quattuor vbi: vbi natus,
vbi paſſus, vbi reſurgens, vbi aſcendens. Vbi na-
tus fuit? in ſtabulo: Stella quam viderant magi,
Mat. 2. b *et cetera*. vſque dum ſtaret ſupra, vbi puer erat. Vbi
Pſal. 131. b paſſus? in patibulo: de quo Pſalm. Inuenimus eum
Hebr. 13. b in campis ſiluæ: quia vt dicitur ad Hebræos: Ieſus
vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem proprium ex-
tra portam paſſus eſt. Inuenimus eum in campis,
et ſequitur. Adorabimus in loco vbi ſteterunt pe-
Pſal. 98. a des eius, ſcilicet in cruce. Pſal. Adorate ſcabel-
lum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Vbi ipſe
paſſus fuit? in patibulo. Sed vbi poſitus fuit? in
Mat. vlt. b ſepulchro: de quo: Videte locum, vbi poſitus erat
Ioan. 20. e Dominus. Item vbi reſurgens? In domo: Cum ſe-
ro factum eſſet die illa vna ſabbatorum, et fores
eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati, *et cete-*
Ioan. 6. g *ra*. Vbi aſcendens? in cælo: Si videritis filium ho-
minis aſcendentem vbi prius erat. Nunc ergo vide et
quære diligenter vbi natus eſt, vt ames paupertatem,
ibi enim, in diuerſorio Dominus pauper fuit: om-
nino pauper in omnibus, vt patet in Euangelio. Vnde
Hieron. O homo quid ſolicitus es de regali ædificio?
ecce Saluator tuus non habet locum in diuerſorio:
quid ſolicitaris de clientum collegio? ecce Rex tuus
dormit cum boue et aſino. Item vbi paſſus, vt ſtu-
deas ad quietem: in ſepulchro, vbi Dominus re-
quieuit et quietem mentis docuit. Iſtud vbi non
Gen. 8. b inuenitur de facili. Vnde legitur: De columba quæ
non inueniebat, vbi requieſceret pes eius, et ſequi-
tur: Et redijt ad arcam. Sic debet anima non
inueniens requiem mentis foris, redire ad conſcien-
tiam interius. Auguſt. Quærite quod quæritis: ſed
quæritis requiem, vbi non eſt requies, ſcilicet in tem-
poralibus. Item vide vt refugias ad eum et custo-
dias vnitatem: hanc enim Rex Chriſtus habuit. Vn-
Ioan. 20. f de et Thomas cum ab alijs diuiſus eſſet, Dominum
Mat. 18. c tunc nõ vidit. Vnde Dominus in Euangelio: Vbi duo
vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum
in medio eorum. De hoc Auguſtinus: Antiquus
hoſtis continentiam in nobis non timet, quia neque
premitur carne, neque etiam laſciuia diſſoluitur: ab-
ſtinentiam non timet, quia neque cibo vtitur: con-
cordiæ autem noſtræ nimis inſidiatur, quia quod ip-
ſe amiſit in cælo, facit, vt non ſeruemus in deſerto.
Auguſt. de trinitate. Sic familiaris eſt Domino cha-
ritas, quòd ipſe manſionem habere noluit, vbi chari-
Salluſt. de bello Iugu. tas non fuerit. Iſido. ex Salluſtio: Concordia paruæ
res creſcunt: diſcordia maximæ res dilabuntur. Item
Ioan. 12. d vide aſcendentis beatitudinem vt aſſequaris: Si quis
mihi miniſtrat, me ſequatur: et vbi ego ſum, illic et
miniſter meus erit. Nota, quando orauit pro ſe, ora-
Mat. 26. d uit ſub conditione: Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat a
me calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, *et ce-*
*tera*. Sed orans pro nobis, dicit abſolute: Volo vt vbi
Ioan. 17. d ſum ego, et illi ſint mecum, *et cetera*: hoc argumen-
tum eſt magni amoris. Sequitur magna materia
Natiuitas Chriſti magnum gaudium. gaudendi. *Qui natus eſt*. Nota quòd natiuitas Chri-
ſti multiplex fuit: et eſt gaudium magnum. Eſt enim
materia deſiderandi expectantibus, materia gauden-
di cernentibus, materia loquendi prædicantibus,
materia admirandi, cogitantibus. Fuit inquam ma-
teria deſiderandi patribus expectantibus, vt patet in
Pſal. 118. x orationibus eorum. Alius enim dicit: Salutare tuum
Pſal. 143. b expectabo. Alius orabat: Domine inclina cælos tuos
A et deſcende. Alius: Vtinam diſrumperes cælos et de- Iſa. 64. a
ſcenderes. Bernard. Confundor et compungor in
memetipſo, et vix contineo lacrymas, quia tædet me
miſerabilium temporum. Cui enim noſtrum tan-
tum generat gaudium huius gratiæ exhibitio, quan-
tum antiquis patribus generabat deſiderium, ſola re-
promiſſio? Item materia gaudendi cernentibus, quia
vt dicit Ioan. Chryſoſt. Expectatio boni concupiſcen
tiam parit: præſentia vero lætitiam: Euangelizo vo- Luc. 2. b
bis gaudium magnum. Et hic. Videntes ſtellam Ma-
gi, *et cetera*. vſque puerum. Item materia admiran-
di cogitantibus. Multa enim miranda occurrunt.
B Vnde de hoc Bernar. in Homil. Miſſus eſt. Quia lon-
gitudo breuis, latitudo anguſta, altitudo plana, ver-
bum infans factus, ſitiens, panis eſuriens, *et cetera*.
Omnes, qui audierunt, mirati ſunt de ijs, quæ dicta Luc. 2. c
ſunt a paſtoribus: Paruulus natus eſt nobis, *et cetera*. Iſa. 9. b
Et vocabitur nomen eius admirabilis. Vnde erant
Ioſeph et Maria admirantes ſuper ijs, quæ diceban- Luc. 2. e
tur de illo, *et cetera*. Item materia loquendi prædi-
cantibus. Pſal. Dicet homo et homo natus eſt in ea. Pſal. 86. a
Aug. Multa diximus de eius natiuitate: ſed de ea quæ
de matre eius. Prima enim natiuitas Chriſti, ſcili-
cet patre, non fuit materia loquendi: ſed potius ta-
C cendi. Generationem eius quis enarrabit? Chriſtus Iſa. 53. c
in hac, ideſt terrena natiuitate Verbum caro factum Ioan. 1. b
eſt: de ipſa carnea lingua loqui poteſt et prædicare.
Vnde audita hac natiuitate, ſtatim paſtores loqueban
tur ad inuicem: Tranſeamus, *et cetera*. Sequitur cau- Luc. 2. b
ſa reuerendi: *Rex Iudæorum*. Si aduertamus quantus
ſit iſte Rex, reuerebimur eum. Pſalm. Quoniam ex- Pſal. 46. a
celſus Dominus, *et cetera*. Nota quòd quattuor ho-
die ſunt oſtenſa, magnitudinem huius regis declaran-
tia: excellentia dignitatis: mirificentia poteſtatis:
præeminentia nobilitatis: affluentia liberalitatis. Ex-
cellentia dignitatis hodie patuit, cum a regibus quæ-
D ſitus, adoratus fuit. Quia enim reges adorant et mu-
neribus reuererentur, ipſum in dignitate excellen-
tem proteſtantur. Pſalm. Ego primogenitum ponam Pſal. 88. d
illum excelſum præ regibus terræ. Pſal. Adorabunt Pſal. 71. c
eum omnes reges terræ, *et cetera*. Habebat in veſti-
mento et in femore ſuo ſcriptum: Rex regum et Apoc. 19. c
Dominus dominantium. Quid mirum ſi reges præ-
cellit qui non ſolum corporibus corruptibilibus ho-
minum, ſed etiam perpetuis corporibus dominatur
ſtellarum: qui non ſolum rationalibus, ſed etiam ir-
rationalibus imperare poteſt: Stellæ vocatæ ſunt, et Bar. 3. d
dixerunt: Adſumus. Vnde ſtella, quam viderant Ma- Mat. 2. b
E gi in oriente, antecedebat eos, *et cetera*. Item mirifi-
centia maieſtatis hodie claruit: quia hodie Dominus Ioan. 2. b
aquam in vinum conuertit, oſtendens ſe habere ean-
dem poteſtatem, quam cum aquam in ſanguinem Exod. 7. d
conuerterat in Aegypto: Et aquam amaram in dul- Exod. 15. d
cedinem in deſerto, vt dicitur: Domine in ditione Eſth. 13. c
tua cuncta ſunt poſita, *et cetera*. Item præeminentia
nobilitatis patuit, cum hodie in Iordane baptizato
Domino, vox patris intonuit: Hic eſt filius meus di- Mat. 3. d
lectus. Quaſi diceret, non ut putatur filius fabri, ſed
filius meus dilectus. Beata terra (ideſt Eccleſia) cu- Eccl. 10. c
ius rex eſt nobilis. Item affluentia liberalitatis, quia
F hodie ſecundum Bedam, Dominus de quinque pa-
nibus, quinque millia hominum ſatiauit: vt ipſi con-
grue dici poſſit: Aperis tu manum tuam, *et cetera*. Pſal. 144. c
Pſal. Dominus regit me, et nihil mihi deerit. Pſal. 22. a

## SERMO III.

APertis theſauris ſuis, et cetera: Reges iſti Mat. 2. b
Domino offerentes, perfectos ſignificant:
qui ſeipſos regere nouerunt. Perfectus eſt Perfectus.
autem homo tripliciter: uidelicet, profeſ-
ſione, conuerſatione, contemplatione. Tales igi-
tur perfecti per tres reges hic ſignificantur: de qui-
bus etiam accipi poteſt, quod dicitur: Præter Eccli. 49. b
Dauid

Dauid et Ezechiam et Ioſiam omnes reges commi-
ſerunt peccatum. Dauid perfectam contemplationē
ſignificat: interpretatur enim vultu deſiderabilis,
Ezechias, perfectam conuerſationem per diui-
num auxilium ſignificat: interpretatur auxilium
Domini. Ioſias perfectam profeſſionem ſeipſam
ſacrificantem in religione ſignificat: interpre-
tatur enim in quo eſt ſacrificium. Primus ergo
perfectus de theſauro religionis debet offerre tria.
Aurum continentiæ, immo continentiam quæ pre-
*Eccli.26.c* tioſior eſt auro: Omnis ponderatio non eſt digna
*Dan.10.a* continentis animæ. De hoc auro: Ecce vir veſtitus
lineis et renes eius accincti auro obrizo: Veſtis linea
conuerſatio eſt munda. Renes auro accinguntur:
dum carnis luxuria per continentiam coarctatur.
*Luc.12.e* Sint lumbi veſtri præcincti, *etc.* Sed quia non ſuffi-
cit continentia in corpore, niſi ſit et in corde ſiue in
*Apoc.1.c* pectore. Ideo bene Apoſtolus Ioannes vidit præ-
cinctum ad mamillas zona aurea. Sed heu aurum
pretioſiſſimum ſæpe mutatur in ſtercus viliſſimum.
*Iob 41.d* Sternet ſibi aurum quaſi lutum: Omnis mulier, quę
*Eccli.9.b* eſt fornicaria, quaſi ſtercus abominabilis in via ab
omnibus prætereuntibus conculcabitur. Item thus
*Num.7.e* obedientiæ. Vnde dicitur: Obtulit Abidan mor-
tariolum plenum incenſo. Abidan interpretatur pa-
tris mei iudicium. Non ergo habeas ſcrupuloſam
pœnitentiam de præcepto, nec dicas eſſe contra ani-
mam tuam. Patris enim pręlati eſt iudicare, non
*Hier. epiſt.* tuum. Hieronymus: Prępoſitum monaſterij timeas
*ad Ruſticū* vt Dominum: diligas vt parentem, credas tibi ſaluta-
*monac. poſt* re quidquid ille præceperit: neque de maiorum ſen-
*med.* tentia iudices, cuius officium eſt obedire. Morta-
riolum eſt cor obediens, in quo propria voluntas
contunditur. In mortariolo ergo thus offertur, dum
ex corde obeditur, et propria voluntas frangitur.
Mortariolum autem aureum offertur, dum obedien
*Greg.li.35.* tia ex charitate impletur. Greg. Obedientia non
*mor. c.10.* ſeruili metu, ſed charitatis affectu ſeruanda eſt: non
*ante med.* timore pęnæ, ſed amore iuſtitiæ. Item myrrham
*Cant.4.b* paupertatis: Vadam ad montem myrrhæ? Mons
*2.Cor.8.a* altus eſt, ſic et paupertas: Altiſſima eorum pauper-
tas, *et cetera*. Hanc myrrham Nichodemus portat
*Ioan.19.g* ad ſepulturam Domini. Secundus rex et perfectus
de theſauro conuerſationis ſuæ debet offerre aurum
dilectionis: de quo require ſupra in proximo ſermo-
ne. Item thus, de quo require ſupra. Item myr-
*Eccli.24.b* rham bonæ opinionis: Quaſi myrrha electa dedi
ſuauitatem odoris. Bonus odor, bona fama eſt.
*2.Cor.2.d* Chriſti bonus odor ſumus, *et cetera*. Econtrario qui-
dem fœtent per infamiam malæ conſuetudinis, *et c.*
*Ioan.11.e* Domine iam fœtet, *et cetera*. Greg. Sicut odor bo-
*Greg.li.14.* nus ex virtute eſt, ſic fœtor ex vitio. Tertius rex ſi-
*Mor. c.26.* ue perfectus de theſauro contemplationis offert tria
*Contempla-* ſecundum illa tria, circa quæ verſatur contemplatio.
*tio circa* Verſatur enim circa diuinæ potentiæ magnitudinē,
*tria verſa-* in cuius reuerentiam offertur aurum. Vnde dici-
*tur.* tur, quòd vigintiquatuor ſeniores mittentes coro-
*Apoc.4.d* nas aureas ante thronum Dei, adorabant viuentem
in ſęcula ſæculorum. Coronas aureas Domino mit-
tunt, qui omnem dignitatem et honorem quem ha-
bent in cælo et in terra, Deo ſubijciunt et attribuūt.
Item circa diuinæ clementiæ multitudinem quam
cum multis beneficijs nobis oſtendit, in quorum
*Eccli.50.a* gratitudinem offertur thus: Quaſi thus redolens in
diebus æſtatis. Sicut per hiemem rigor et tempe-
*Cant.2.c* ſtas diuinæ iuſtitiæ: Iam enim hyems tranſiit, *et cet.*
Ita per æſtatem ſerenitas miſericordiæ ſignificatur.
dies ergo æſtatis ſunt beneficia diuinæ pietatis. Item
circa miſeriæ amaritudinem, quam ſuſtinuit Chri-
*Cant.1.e* ſtus in paſſione, offertur myrrha. Faſciculus myr-
*Bernar. in* rhæ dilectus meus mihi. Bernardus: Faſciculum
*Cāt. ſer.43* hunc colligare, et inter vbera noſtra collocare, eſt
*ante med.* ſertum collectum ex omnibus anxietatibus et amari-
tudinibus Domini noſtri. Aurum ergo in adoratio-

A ne: thus, in gratiarum actione: myrrham, in paſ- *Perfectus*
ſione offert perfectus. *quæ offert.*

## SERMO IIII.

APertis theſauris, et c. Triplex eſt theſaurus: *Mat.2.b*
videlicet, cordis, oris, et operis. De pri- *Theſaurus*
mo: Bonus homo de bono theſauro cor- *triplex.*
dis ſui profert bona. De iſto proferre de- *Luc.6.b*
bemus tria: Aurum dilectionis, hoc eſt aurum de
quo: Veſtiuitq. eam, ſcilicet arcam auro puriſſimo *Exod.37.a*
intus et foris. Arca eſt cor vel anima, quæ intus in
B affectu, foris in effectu auro charitatis veſtitur. Pſal. *Pſal.44.c*
Aſtitit regina a dextris, *et cetera*. Purum eſt aurum
ſi in operatione, purius ſi in locutione, puriſſimum
ſi in intentione non ſit falſificata dilectio: Filioli non *1.Ioan.3.c*
diligamus verbo neque lingua, ſed opere et veritate.
Item deuotionis. Vnde in laude iuſti dicitur: Quaſi *Eccli.50.a*
ignis effulgens et quaſi thus ardens in igne. Thus
in igne eſt deuotio in feruore. Ignis effulgens eſt
exemplum lucens. Luceat lux veſtra. Item myr- *Mat.6.b*
rham contritionis. Myrrha enim amara eſt, ſic et
cor pœnitens contra peccatum. Vnde ſancta ani-
ma non ſolum ſicut fumus thuris per deuotionem,
C ſed etiam ſicut fumus myrrhæ per contritionem a-
ſcendit per deſertum mundi vel religionis: Quæ eſt *Cant.3.c*
iſta quæ aſcendit, *et c.* vſque myrrhæ et thuris: myr-
rhæ per contritionem, thuris per deuotionem. Sed
heu quidam ſimul Domino myrrham offerunt, et
crucifigunt, qui timore gehennæ etiam quandoque
vſque ad lacrymam compunguntur, ſed tamen Deū
offendere non deſiſtunt: Dederunt ei myrrhatum *Mar.15.b*
vinum bibere. Vinum myrrhatum ſunt lacrymæ
attritorum. Gregor. Qui fletibus ſuis vitæ mundi- *Greg. Paſt.*
tiam ſubtrahit, ante Dei oculos ſordidas etiam la- *cur. par.3.*
crymas ipſas facit. De ſecundo etiam dicitur ſecun- *c.2. admo-*
D dum aliam tranſlationem. Theſaurus deſiderabilis *nit. 31.*
requieſcet in ore ſapientis. De iſto offerre debemus *Prou.21.c*
tria. Aurum laudationis: Ab aquilone aurum *Iob 37.d*
veniet et a Deo formidoloſa laudatio. In aquilone
tentatio diaboli ſignificatur qui quādoque flatu Spi-
ritus ſancti fugatur: Surge aquilo et veni auſter, *etc.* *Cant.4.d*
Ab aquilone ergo aurum laudis diuinæ, quia Deum
laudare multum debemus, quòd in tentationibus,
et periculis non perimus. Item thus orationis. Pſal. *Pſal.140.a*
Dirigatur oratio mea. Sed quia thus orationis per
angelos offertur Chriſto: ideo dicitur de angelo, ꝙ *Apoc.8.a*
E ſtetit ante altare habens thuribulum aureum in ma-
nu ſua, et data illi ſunt incenſa multa, vt daret de
orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureū,
id eſt ſuper Chriſtum Ioan. Chryſ. Sicut thymiama- *Io. Chryſ.*
ta bene confecta delectant hominem odorantem, ſic *ope. imper.*
oratio iuſti ſuauis eſt ante Deum. Vis autem ſcire *ho.13. poſt*
dignitatem eius: mox vt de ore eius proceſſerit, ſu- *med. to.2.*
ſcipiunt eam angeli in manibus ſuis, et offerunt ante
Deum. Caue ne angelus tuus inter angelos alios
vacuo thuribulo appareat. Item myrrham confeſ-
ſionis. Vnde de ipſa Iudith dicitur: Vnxit ſe myr- *Iudi.10.a*
rho optimo. Iudith confitens interpretatur. Hæc
F Holofernem, id eſt diabolum confundit. Acriores
enim dolores diabolo nō infligimus quàm cum pla-
gas peccatorum noſtrorum confitendo et pœniten-
do ſanamus. De tertio: Teſaurizate vobis, *et cet.* De *Matt.6.c*
iſto offerre debemus tria, aurum miſericordiæ: Pone *Eccli.29.b*
theſaurum tuum in præceptis altiſſimi et proderit
tibi magis quàm aurum, et additur: Conclude ergo
eleemoſynam in ſinu pauperis. Præceptum altiſſimi,
in quo theſaurum temporalem ponere debemus, eſt
illud, de quo: Date eleemoſynam, *et c.* Hoc figura- *Luc.11.f*
tum eſt. Vbi dicitur, quòd fecit Salomon ducenta *3.Reg.10.c*
ſcuta de auro puriſſimo. Sexcentos auri ſiclos dedit
in laminas ſcuti vnius et trecētas peltas ex auro pro-
bato. Per ſcuta aurea, miſericordiæ opera figuran-
tur: Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo et gra- *Eccli.29.b*
tiam



tiam hominis quaſi puellam conſeruabit *et cet.* vſque
ſuper ſcutum potentis et ſuper lanceam aduerſus ini-
*Perfectio* micum tuum pugnabit. Ducenta erant ſcuta, pœni-
*pœnitētiæ.* tentiæ perfectio debet eſſe in corde, ore, et in opere.
Per ſexcentos ſiclos, ſex miſericordiæ opera ſignifi-
*Mat.25.d* cantur, de quibus: Eſuriui *et cet.* Item thus bonæ fa-
*Can.4.c* mæ: Odor veſtimentorum tuorum odor thuris: ve-
ſtimentum eſt bona conuerſatio, per cuius odorem,
ideſt, bonam famam, benedictionem a Deo conſequi-
*Gen.2.d* mur: Statim vt ſentit veſtimentorum ſuorum fra-
grantiam. Item myrrham abſtinentiæ et mortifica-
*Can.5.b* tionis carnis: Manus meæ ſtillauerunt myrrham.
Martyres ſimul myrrham totam effuderunt. Nos ve-
ro myrrham ſtillamus paulatim carnem mortifican-
do. Per digitos, diſcretio quinque ſenſuum accipitur,
quos ſimiliter caſtigare debemus, vt ſic myrrham in
eis habeamus.

# DOMINICA INF. OCT. EPIPHANIÆ.

## SERMO I.

FIli quid feciſti nobis ſic, ego et pater tuus
*Luc.2.g* dolentes quærebamus te. Quoniam nō
ſine magno dolore amittitur quod
cum magno amore poſſidetur. Hinc
eſt, quòd beata Virgo de amiſſione
corporalis præſentię dilecti ac vnici
filij ſui, quē tenerrime ac ſuper omnia diligebat, mul-
tiplicis doloris in animo colafizabatur. Vix autem da-
bat ſomnum oculis, et requiem pedibus, donec inue-
niret eum in medio doctorum in Ieruſalem. Vt au-
tem vidit eius faciem gratioſiſſimam, gaudens gau-
dio magno, et lætitia ineffabili: licet breuiter locuta
fuerit ſicut et virgo: Verecundum tamen verbum
protulit magnæ prouidentiæ et magnæ ſapientiæ, di-
cens: *Fili quid feciſti nobis* et cet. In quo quidem ver-
bo tamquam virgo prudentiſſima primo præmittit
dulcedinem benignæ allocutionis in ore, cum dicit:
*Fili quid feciſti nobis*. Secundo exprimit amaritudinem
magnæ tribulationis in corde cum ſubdit: *Ego et pater*
*tuus dolentes*. Tertio adiungit ſolicitudinem diſcretæ
inquiſitionis in opere, cum ſubinfertur: *Quærebamus*
*te*. Sic in ipſo verbo beata Virgo tanquam prudentiſ-
ſima inſinuatur dediſſe Deo cogitationem cordis,
locutionem oris, et operationem totius corporis.
Primo ergo in verbo propoſito notatur dulcedo be-
nignę locutionis in ore, cum dicit: *Fili mi*. Merito
Ieſus bonus filius erat dulciter alloquendus. Nam ſi-
cut quilibet bonus filius eſt gaudium et lætitia matris
ſuæ: ſic Ieſus fuit gaudium et lætitia matris ſuæ vir-
*Tria ī Chri-* ginis: quia in ipſo erant tria, quæ omnem animam in
*ſto, quæ ad* eius concupiſcentiam alliciunt et ad amorem alliciūt.
*ipſius amo-* Primo pulchritudo venuſtatis et pudicitię in mente et
*rē alliciūt.* corpore: Secundo dulcedo pietatis et ſapientiæ in
ore: Tertio manſuetudo tractabilitatis et patientiæ in
opere. Cum enim hæc tria ſint in Chriſto, ſequitur
quòd talis puer eſt gaudiū et lætitia matris ſuæ. Primo
in filio virginis glorioſæ erat pulchritudo venuſtatis
et pudicitiæ in mente et corpore. Vnde Pſalmus:
*Pſal.44.a* Specioſus forma præ filijs hominum: nec immerito:
quia nullus fuit ſine peccato actuali vel originali niſi
*Sap.7.d* ſolus puer Ieſus, qui eſt candor lucis æternæ, et ſpecu-
lum ſine macula, Deus maieſtatis. Hic eſt ille puer
*Prou.4.a* glorioſus Salomon, de quo: Ego filius fui patris mei
tenellus et vnigenitus coram matre mea. Vere puer
Ieſus erat tenellus Dei patris eo quòd delicate nutri-
tus in veris delicijs diuinitatis, et vnigenitus coram
virgine matre ſua per aſſumptionem humanitatis, vt
ſic oculis depuratis ab omni lipiditate peccati ſit iu-
cundum et delectabile intueri ipſum, ſecundum du-



A plicem viſum hominis, ſcilicet interiorem, quantum
ad diuinitatem, et exteriorem, quantum ad humani-
tatem. Secundo in filio virginis glorioſæ erat dulcedo
pietatis et ſapientiæ in ore. Vnde: Filius ſapiens lęti- *Prou.10.a*
ficat patrem: filius autē ſtultus, męſtitia eſt matris ſuæ.
Licet ſapiēs puer Ieſus ſit lętitia patris et gloria ſecun
dum ęternam generationem eo quòd eſt ſplendor glo
riæ, et figura ſubſtantię eius, tamen eſt non tantum lę-
titia patris, ſed etiā matris, in natura aſſumpa per glo-
rioſam in mundo conuerſationem: eo quòd ſapienter
docuit, ſapientius vixit, et ſapientiſſime mala pœnæ
tolerauit. Et ſic veritate doctrinę rationalem illumi-
nat: ſanctitate vitæ, concupiſcibilem informauit:
B exēplaritate patientiæ iraſcibilē quietauit et perfecti-
bilitate concordantiæ. Quidquid enim verbo doce-
bat, facto concordabat: non enim habebat multilo-
quas concordantias, ſed reales. Nam quidquid ver-
bo dicebat concordantijs realibus, actualibus, et ma-
nualibus, concordabat. Nam primo cępit facere et po
ſtea docere. Tertio in filio virginis glorioſæ erat man
ſuetudo tractabilitatis et patientiæ in opere. Vnde: Par *Iſa.9.b*
uulus natus eſt nobis, et filius datus eſt nobis, et factus
eſt principatus ſuper humerum eius: Paruulus (inquit
propheta) natus eſt nobis. Ecce humilitas Dei in re-
ſiliendo. Nam cum eſſet magnus Dominus rex excel-
ſus reſiliuit in figuram pueri paruuli, formam ſerui ac
C cipiens. Et ob hoc quòd in deſcendendo fuit ceteris *Philip.2.a*
humilior, ideo ſecundum regulam infallibilem diui-
næ iuſtitiæ quæ eſt: Qui ſe humiliat, exaltabitur, fuit
in aſcendendo omnibus alijs ſublimior. Et filius da-
tus eſt nobis: ecce tractabilitas obedientiæ: etiā non
reſiſtendo. Cum enim Deus pater ſic diligeret mun- *Ioan.3.b*
dum vt filium ſuum vnigenitum daret, non fuit in re-
ſiſtendo pertinax ſed tractabilis in acquieſcendo vo-
luntati patris. Et factus eſt principatus ſuper humerū
eius. Ecce manſuetudo patientiæ in ſuſtinendo, non
eſt ſibi gratis datus cęleſtis principatus: immo multo
labore et dolore eum acquiſiuit ſupponendo hume-
rum ſuum omnibus laboribus et doloribus mortis, et
D quanto eius apparuit caro deformis et pallida in mo-
riendo, tanto ſumma pulchritudine et decentia fuit
circundata in reſurgendo. Vnde qui videbatur proijci
velut ſemen in terram cum verecundia: reſurrexit et
creuit in ſummam gloriam. Nullus ergo metuat at-
teri doloribus in corde, ieiunijs affligi in corpore,
quia tanto eius caro reſurget glorioſior, quanto pro
Chriſto fuit humilior, qui reformabit corpus hu- *Philip.3.d*
militatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.
Sequitur ſecundo: *Ego et pater tuus dolentes*. Vbi no-
tatur amaritudo profundæ tribulationis in corde.
Certe nō miror (virgo glorioſa) ſi tribularis in corde,
ſi habes amaritudinem, ſi habes dolorem: mirarer au-
E tem ſi non doleres: eo quòd amiſiſti dilecti tui filij
præſentiam corporalem, quæ multis conſolationibus
replebat animam tuam. Et licet virgo glorioſa mul-
tos dolores, multas tribulationes et amaritudines ha-
buit in hoc mundo de filio: poſſumus tamen dicere
ad præſens quòd triplicem habuit dolorem. Doluit
enim primo in amiſſione filialis præſentiæ: ſecundo
in viſione paſſionis Dominicæ: tertiò in compaſſione
obcęcationis Iudaicę. Primo habuit dolorem in amiſ-
ſione filialis pręſentię. Vnde in Pſal: Secundum mul- *Pſal.93.d*
titudinem dolorum meorum in corde meo conſola-
tiones tuæ lętificauerunt animam meam. Poteſt eſſe
F verbum matris virginis alloquentis dilectum filium
ſuum, poſtquam eum inuenit, quaſi dicat. Secundum
multitudinem dolorum meorū quos habui de amiſ-
ſione tuæ corporalis pręſentię: conſolationes tuæ lę-
tificauerunt animā in viſione tuæ faciei diuinis ſplen-
doribus irradiatę. Quid iucundius quàm videre ho-
minem hominis conditorē: delectabilis ad videndum,
ſuauis ad habendum, dulcis ad perfruendum, ipſe per
ſe placet, per ſe ſufficit ad pręmium. Secundo doluit
in viſione paſſionis Dominicę. Vnde dicitur: Attēdite *Tren.1.d*
et

et videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Audiamus vir[A]ginis matris Mariæ lamentabilem vocem, et attendamus eius vehementem dolorem, et videbimus quia non eſt dolor ſicut dolor ſuus, excepto dolore filij, ad cuius exemplar dolor ſuus aſſimilatur. Mira enim et incredibili compaſſione tenebatur, atque inexplicabili ſermone. Dolores namque plagas et opprobria filij in ſe retorquens, in ſuam propriam perſonam recipiebat; ſentiens hoc, quod et in Chriſto Ieſu. In animo enim illi martyri cõmartyr aſtabat, vulnerato cõuulnerata, crucifixo concrucifixa, gladiato congladiata. [*Luc. 2. e*] Nam ſuam ipſius animã pertranſiuit gladius paſſionis Chriſti. Pallebat enim decor munditiæ et naturali pulchritudine tabeſcebat, et ipſa tabeſcebat, quia talis in ipſa relucebat effigies, qualis ab obiecto corpore, ſcilicet filij reſultabat. Sordebat ſputis facies glorioſa, ſordebat et ipſa luctu męſtitiæ. Non enim alium habitum prætẽdebat amans, niſi qualis virtus amoris expreſſerat ab amato. O gens ingrata, nigreſcimus a gloria ſolari; nunquam palleſcimus cũ Chriſto, nunquam deponimus ornatus, memores Chriſti nudi. Quis mihi dabit nigreſcere cum Chriſto, et palleſcere cum Maria matre eius, et erubeſcere et deficere a memetipſo: vt partẽ habeam in paſſione Domini mei? Non erubeſcat ſponſa aggredi quæ nouit pręceſſiſſe et in Chriſto ſponſo: quia profecto nihil glorioſius ſibi putet, quàm Chriſti portare opprobriũ. [*Gal. 6. d*] Vnde vox illa exultationis et ſalutis: Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tertio doluit in compaſſione obcęcationis Iudaicę. Vnde in [*Pſal. 68. f*] Pſal. Super dolorem vulnerum meorum addiderũt. Tanta enim compaſſione regina miſericordiæ dolebat de obcęcationis malitia Iudeorum: eo quòd apponebant iniquitatem ſuper iniquitatem, ſpernendo illud magnum ſacramentum, et vilipendendo illud ſaluberrimum medicamentum, paſſionis Chriſti antidotũ, quo ſaluabatur infirmus populus humanus, vt videretur ei addere dolorem ſuper dolorẽ vulnerũ mentalium, quem gladius paſſionis Chriſti filij ſui in ſua anima expreſſerat. Non enim iræ ſtimulo furens, nec odij faſtibus exardens, ſed manſuetum animum per compaſſionem exaſperantibus præbebat, non vicem rependere cogitans, ſed tantas iniurias vltro indulget. Singulari enim compoſitione Maria omnem malignitatem eorum ſuperans, iniuriam obliuiſcens, potius eorum compatiebatur inſanię: totaliter cohærens ſupernę dulcedini, quæ ſe totam illo tempore diffundebat ſuper peccatores. Tertio introducit ſolicitudinem diſcretæ inquiſitionis in opere cum dicit: *quærebamus te.* Valde enim fuit ſolicita beata virgo in inquirendo, licet non fuerit negligens in amittendo. [Iudæorum cõſuetudo.] Nam conſuetudo apud Iudæos ſecũdum expoſitores hæc erat: quòd in proceſſionibus et itineribus dum aſcendebãt in templũ, et etiam dum morarentur in templo: quòd et viri et mulieres non ſimul, ſed pergebant ſeorſum. Pueri autem non tenebantur hac lege. ſed quandoque cũ patribus pergebant, quandoque cum mulieribus. Vnde virgo Maria et mater putauit ipſum eſſe cum Ioſeph in comitatu virorũ, et Ioſeph putauit puerum Ieſum eſſe cum Maria in comitatu feminarum. Et hęc conſuetudo introducta erat cauſa honeſtatis ad cuſtodiã caſtitatis. Et ſic patet quòd nõ fuit negligens in amittendo, ſed valde fuit ſolicita et diligens in inquirendo, eo quòd quæſiuit eum. Primo cum rectitudine conſcientię, in credendo. Secundo cum latitudine beneuolentię, in diligendo. Tertio cum certitudine confidentię, in expectando. Vt ſic tanquam forma et ſpeculum Chriſtianorum daret exemplũ recte acquirendi Chriſtum. Primo quęſiuit eum rectitudine [*Gen. 20. b*] conſcientię in credendo. Vnde dicitur: In ſimplicitate cordis quęrite illum: quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidẽ habent in illum. Quęrite illum per continuationem deuotę orationis. [*Sap. 1. a*] In ſimplicitate cordis per puritatem intentionis et innocentiam operis: vt nulla ſit duplicitas interius nulla falſitas exterius, ſed totaliter conuertatur in Deum, nec reflectatur in ſuum cõmodum, nec eleuetur per fauorem humanum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum per pręſumptionem temerarię inquiſitionis. Vnde Auguſtinus: [*Aug. lib. 2. cont. Fauſt.*] Præſumptio arrogantię oculum cordis claudit, vt omnino non videat: vel diſtorquet, vt peruerſe videat, et aliud pro alio probet: apparet autem eis qui fidem habent in illum per mentalis intuitus eleuationem. Secundo quęſiuit eum cum latitudine be[B]neuolentię, in diligendo. Vnde dicitur: Ieſum quę[*Mar. 16. b*]ritis Nazarenum. Iſte ſanctæ mulieres, quas alloquitur angelus, cum tanto deſiderio amoris quęrebant Chriſtum, vt etiam in nocte non quieſcerent. Nonne cum magno feruore amoris quęrebat Chriſtum Maria Magdalena, quę ſola in ſepulcro moras contrahere non timebat, cum ſexus muliebris ſit timidus ex natura. Non enim erat contenta viſione angelorum, nec conſortio apoſtolorum. Immo erat tędium ſibi videre omnem creaturam, nec deſtitit quærere, donec inueniret Ieſum Nazarenum crucifixum, quia eo habito, habetur omne bonum. Nam Chri[C]ſtus inquantum Crucifixus, confert beneficiũ veniæ in abſolutione culpę. Inquantum Nazarenus, id eſt, floridus, confert ſtillicidium gratiæ, in promotione iuſtitiæ. Sed inquantum Ieſus (qui interpretatur ſalus) confert complementum glorię, in glorificatione corporis et animę. Et de hoc dicitur. Cum quęſieri[*Hier. 29. c*]tis me in toto corde veſtro, inueniar a vobis, dicit Dominus. Vnde beata virgo quæſiuit in toto corde non dimidiando eum ad terrena. Tertio quęſiuit eũ cum certitudine confidentiæ, in expectando. Vnde: Quę [*Col. 3. a*] ſurſum ſunt quęrite, non quę ſuper terram, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Virgo Maria per appe[D]titum cęleſtium quęrebat quę ſurſum ſunt, expectando cum certitudine ſpei potiora bona Dei patris: vbi Chriſtus inquantum homo perpetue fruitur. Non quę ſuper terram: per depreſſionem affectus ad terrena, quia iſtę terrenę conſolationes, quas carnales experiuntur, comparatę delectationibus quæ ſurſum ſunt in dextera Dei patris, potius dicendę ſunt deſõlationes. Vbi enim homo credit inuenire delectamẽtum, inuenit cruciamentum: quia omnis delectatio in pręſenti aſperſa eſt amaritudine: Sed delectationes, quę ſunt in dextera Dei, delectant, eo quòd de[Delectatio]lectatio eſt coniunctio conuenientis cum conuenien[E]ti: ſed anima nulli melius conuenit quàm illi, ad cuius imaginẽ vel ſimilitudinẽ formata eſt. Rogemus.

## SERMO II.

*Poſt triduum inuenerunt eũ in templo.* Quoniã [*Luc. 2. g*] diuerſi ſunt ſtatus et generationes quęrentium Dominũ, quęrẽtiũ faciẽ Dei Iacob. [*Pſal. 23. g*] Quęrunt enim incipientes, proficientes, perfecti. Hic iſtud triduum diſtinguendum eſt. Eſt igitur triduum incipientium, proficientium, perfectorum. De primo: Soluite templum hoc manu fa[*Mat. 14. f*]ctum, et poſt triduum aliud non manu factum ędifi[F][*Ioan. 2. c*]cabo. Templum Dei eſt anima virtutibus quàm maxime ornata. Hoc templum per peccatũ deſtruitur, et manu fit templum diaboli: per manus enim opera deſignant. Sed hoc templum a nobis manu factum per triduum pęnitentię reędificatur, et fit templum diuinę gratię quod bene dicitur non manu factum. quia dicit Apoſt Non ex operibus iuſtitiæ, quę feci[*Tit. 3. b*]mus nos. *et c.* Tridui autem incipientiũ: primus dies eſt contritionis, ſecundus confeſſionis, tertius ſatisfactionis. Primus ergo dies contritionis: Dies expiatio[*Leu. 23. e*]nis erit celeberrimus, et vocabitur ſanctus. Dies contritionis bene vocatur ſanctus et benedictus: ſanctificat enim hominem: Contritio enim eſt flumẽ tabernaculum



[*Pſal. 45. a*] naculũ animæ ſanctificans et mũdans. Pſal. Fluminis [A] impetus, lętificat, *etc.* Ibidẽ in Leui. ex textu colligitur: quòd dies iſte dicitur expiationis, propitiationis, dies afflictionis, ꝙ cõuenit cõtritioni. Cõtritio enim expellit peccatũ de anima. In peccato autem tria ſunt [Tria mala in peccato.] mala: macula, offenſa, reatus. Per peccatum enim anima ſordidatur: Deus irritatur, debitum æternæ mortis meretur. In contritione autem contra maculã eſt expiatio: contra offenſam, propitiatio: contra reatũ, [*Iſi. de ſum. bo. lib. 2. c. 13. ſent. 6.*] afflictio. Iſid. Ille pœnitentiam digne agit, qui reatũ ſuũ ſatisfactione legitima plangit. Hæc eſt ergo dies, de qua dicitur: Impietas impij nõ nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua. [*Ezec. 33. c*] Exem[B]plum de Magdalena pedes Domini lacrymis rigãte: [*Luc. 7. f*] De Petro, amare flẽte: [*Mat. 26. g*] et de latrone in cruce pœnitẽte. [*Luc. 23. f*] Secundus dies eſt confeſſionis. Pſal Tota die vere[*Pſal. 43. c*]cundia mea contra me eſt. Confeſſio enim dies verecundiæ eſt medicinaliſſima: debet in confeſſione eſſe verecundia ſumma, non occultãdo peccata, ſed deteſtando et plangendo. Vnde Aug. Qui per vos peccatis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim (vt ait quidam) magnam partem habet remiſſionis. Debet autẽ [Confeſſio qualis debet eſſe.] confeſſio eſſe integra, nuda, propria. Integra, et hoc notatur ibi, tota: non enim tota die confeſſionis, ſed in parte diei verecundiã habet, qui non totaliter, ſed [C] particulariter confitetur. Itẽ nuda, et hoc notatur ibi, verecundia. Palliata enim cõfeſſio minus verecunda eſt. Item propria: et hoc notatur, contra me: et nõ dicitur contra alium, quod dicitur contra multos, qui aliorũ verecundias in confeſſione recitant, et peccata [*Gen. 3. c*] ſua alijs imponunt: ſicut Adam Euæ, et Eua ſerpenti. [*Hebr. 33. c*] Hæc eſt ergo dies ſaluans confitentem: In diebus illis [*Amb. ſerm. fer. 3. poſt 1. Domini. Quadr. to. 5. edit. Ro.*] ſaluabitur Iuda, qui confitens interpretatur. Vere ſaluabitur. Vnde Ambro. Confeſſio a morte liberat, cõfeſſio aperit paradiſum, cõfeſſio ſpem ſalutis tribuit: quoniam non meretur iuſtificari, qui in vita ſua non vult confiteri. Tertius eſt dies ſatisfactionis: Portaui[D]mus põdus diei et ęſtus. [*Mat. 20. b*] Et dicitur, quòd in die tertio [*Gen. 40. d*] ſuſpẽſus eſt magiſter piſtorum in cruce. Per crucem, [*Galat. 5. d*] mortificatio carnis accipitur: Qui autẽ ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt, *et c.* Notantur autem tria in iſta hiſtoria: Magiſter piſtorum in cruce ſuſpenditur: magiſter pincernarum in gradum priſtinum reſtituitur: videlicet, de carcere extrahitur. In quibus tria circa ſatisfactionem ſignificantur: Qui enim vult ſatisfacere, debet vitam malã relinquere, et veterem hominem cum actibus ſuis exuere, et ſic de carcere extrahi. Debet corpus ſuum mortificare, et ſicut magiſter piſtorum in cruce ſuſpendi. Auguſt. Qui autẽ [E] crucifixi paſſionem celebramus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis faciamus. Tunc quoque ſpiritus per Chriſti reuertitur gratiam: et ſic magiſter pincernarum, qui ſpiritum ſignificat, in gratiam Domini priſtinam reſtituitur.

## SERMO III.

[*Luc. 2. g*] *Poſt triduum inuenerunt*, et c. Hic dicendũ eſt de triduo proficientium ſiue religioſorũ, poſt quod Ieſus etiã inuenitur. De hoc er[F]go triduo dicitur: Miſereor turbæ quia tri[*Mat. 15. d*]duo iã pſeuerãt mecũ: hoc eſt triduũ regularis obſeruãtię, per quod in deſerto religionis ſeptẽ panibus ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti reficiũtur. Primus ergo dies huius tridui eſt paupertas voluntaria: Dies peregrinationis vitę meæ centũ triginta annorũ par[*Gen. 47. b*]ui et mali. Dies peregrinationis eſt votum volũtariæ paupertatis. Paupertas enim facit homines eſſe peregrinos. Significantur autem hic tres conditiones pau[Paupertas viri religioſi.]pertatis viri religioſi. Debet enim eſſe pauper libenter, perſeueranter, humiliter. Libenter et voluntarie, et ideo dicit peregrinationis, nõ dicit, proſcriptionis vel exilij, quæ homo inuite patitur. Tales enim non ſponte dimittunt propria libera volũtate, ſed qui di[A]mittit propria mera voluntate, vt pauper peregrinus Chriſtus eſt. Vnde poteſt dicere illud. Quoniã aduena, *etc.* [*Pſal. 38. a*] Itẽ perſeuerãter, et hoc ſignificatur in numeroſitate annorũ centũ triginta cõtra quoſdã, qui in peregrinatione paupertatis nõ veri ſunt peregrini, quia peregrinorum defectus habere nolunt. Ber. Sunt qui pauperes eſſe volunt, eo tamẽ pacto, vt nihil eis deſit: et ſunt diligentes paupertatem, vt nullam tamẽ inopiam patiantur. Itẽ humiliter, ne extollantur. Pauperem enim ſuperbũ odit ſapiens: [*Eccl. 25. a*] Et ideo hic dicit paruuli et mali. Ecce mira humilitas: poſtquam cẽtenarius tricenarius fuit, et dies ſuos paruos reputauit: iux[B]ta illud: Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vo[*Luc. 17. e*]bis: dicite, ſerui inutiles ſumus, *et c.* Nullus ergo Chriſti pauper, relictis his diuitijs vel diuitibus parẽtibus ſuperbiat. Auguſt. Vtilius terrena opulentia humiliter tenetur, quàm ſuperbe relinquatur. Secũdus dies continentiæ. Pſal. Obumbraſti ſuper caput meum in [*Pſal. 139. b*] die belli. Continentibus enim maximum imminet bellum. Eſt autẽ triplex continentia: corporalis, men[Cõtinẽtia triplex.]talis, ſenſualis. In corporali obumbratur homo, ſed non ſuper caput: dum ab æſtu concupiſcentiæ continet corporaliter, ſed non mẽtaliter. In mentali obumbratur homo et ſuper caput, qui non ſolum corpore, [C] ſed mente et voluntate continet. Caput enim animæ mens eſt. In ſenſu vero obumbratur homo non ſolũ ſuper caput, ſed etiam in die belli, qui non ſolum in actu neque in affectu; ſed etiam in viſu, et auditu, et alijs ſenſibus caſtus eſt. Maxime enim contra ſenſum imminet bellũ. Vnde pauci ſunt qui ſenſus ſuos caſte cuſtodiant et vincant. Hoc poteſt eſſe bellum, de quo: Non concupiſcatis ſpolia, quia bellum cõtra nos eſt. [*1. Mac. 4. b*] Mirabile eſt ꝙ Iudas qui toties victor extitit, adhuc bellum contra ſe eſſe dicit: quia reuera quantumcunque cõtinentes ſumus, ſecuri eſſe nõ poſſumus, quãdiu ſenſus noſtros non vicerimus: Oculus meus de[*Thren. 3. f*][D]prædatus eſt animam meam. Certe non ſolum viſus, immo etiam auditus animam deprædatur. Iſidorus: Vanus ſermo cito polluit mentem: et facile agitur, quod libenter auditur. Tertius dies eſt obedientiæ: Siluit terra Iuda in diebus Simonis, et quæſiuit bo[*1. Macha. 14. a*]na gentis ſuæ, et placuit illis poteſtas eius. Hic oſtenditur lux obedientiæ. Simon enim obediens interpretatur. Tres autem ſunt conditiones obedientiæ. [Obediẽtiæ cõditiones] Debet eſſe grata, pura, ſolicita. Grata ſine murmure in auditione, et hoc notatur ibi: Siluit terra. Item pura proprij vel carnalis commodi intentione: et hoc notatur ibi: Quæſiuit bona gentis ſuæ, non ſibi, ſed [E] alijs quæſiuit bonum. Sunt autem quidam, qui bene obediunt ſine murmuratione, ſed vbi commodũ ſuum conſiderant, non aliorum. Item ſolicita vel deuota adimpletur, et hoc notatur ibi: Placuit illis poteſtas eius. Quidam enim ita negligenter et inordinate, et confuſe, et indeuote implent obediẽtiam, quòd nulli placet. Poteſtas eorum, id eſt, obedientia per quam verus obediens ſuper ſeipſum poteſtatem habet: Vir obediens loquetur victoriam. [*Prou. 21. d*] Vincit enim verus obediens omnia propria membra exterius, vt voluntatem interius. Bernardus: Verus [*Bernard. epiſt. 7. ad Adam monach. poſt med.*] obediens mandatum non procraſtinat, ſed præparat [F] aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri: et ſe totum intra ſe colligit, vt mandatum peragat imperantis. Verus ergo obediens debet eſſe ſilens a murmuratione, purus intentione, placens executione: ſilens ore, purus corde, placens opere. [Verus obediens.]

## SERMO IIII.

*Poſt triduum inuenerunt*, et cet. [*Luc. 2. g*] Nunc dicendũ eſt de tertio triduo quod eſt perfectorum. De hoc dicitur, ꝙ ipſa exiuit ad de[*Iudit. 12. b*]precandũ, ad adorandum Dominũ ſuum per triduum. Exibat noctibus in vallem Bethuliæ et ba-

A et baptizabat ſe in fonte. Iudith animam contem-
platiuam Deum glorificantem ſignificat. Interpre-
tatur enim glorificans, quod perfectionis eſt: in nocte
huius ſæculi ad orationem exiens, baptizatur in fon-
te lacrymarum. Greg. Quia poſt baptiſmum inqui-
namus vitam, baptizemus lacrymis conſcientiam.
Primus ergo dies huius tridui eſt dies quietationis,
quo anima quietatur et placatur ab incurſu eorũ, quę
turbare poſſunt ſalutem mentis. Quietatur autem
Hier. 17. c per diligentem cuſtodiam: Cuſtodite animas veſtras
et nolite pondera portare in die ſabbati, nec inferatis
per portas Hieruſalem. Dies enim ſabbati eſt dies
B quietis internæ, qui tantum eſt bonarum conſcien-
tiarum. Auguſt. Omnis malus ſabbatum habere non
poteſt. Nunquam enim illi quieſcit conſcientia. Cui
autem bona eſt, tranquillus eſt: et trãquillitas ſabba-
tum eſt cordis. Tres autem conditiones ſunt huius
quietis. Debet enim anima contemplatiua quietari
a praua cogitatione. Et hoc notatur ibi: Cuſtodite
animas veſtras. Item a curarum oppreſſione. Vnde
ait: Nolite portare pondera. Iſidorus. Semper in
interna quiete eris, ſi te a ſtrepitu terrenarum actio-
num ſubtraxeris. Item a phantaſtica imaginatione
hoc notatur ibi: Ne inferatis per portas. Portæ enim
C ſunt ſenſus noſtri per quos imagines corporales ſe in-
gerunt. Prauis cogitationibus non inquinari, mun-
dę innocentiæ eſt: rerum cupiditatibus non teneri,
humanæ virtutis eſt: corporum imaginibus non
inuolui, angelicæ puritatis eſt: ſed non niſi diuini mu
neris eſt etiam vtrumque tranſcendere. Debet ergo
ſancta anima quieſcere a cogitatione carnali, a ſolici-
Prou. 4. c tudine temporali, ab imagine corporali. Secundus
eſt dies cõtemplationis, quæ lucida eſt. Dicitur ideo:
Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, et cre-
ſcit vſque ad perfectum diem. Triplex lumen hic tan
Partes contemplationis. gitur. Lux, ſplendor, perfectus dies. Per tres partes
D contemplationis, videlicet: cogitationem, meditatio-
nem, contemplationem. Quando enim anima verſa-
tur circa plura et vagatur, neque eſt fixa in vno, tunc
eſt cogitatio. Item quando fixa eſt in vno, et vni tan-
tum intendit, tunc eſt meditatio. Item quando vni
tantum intendit et hoc ſupra ſe, tunc eſt contempla-
tio. Auguſt. Vbi te inueni veritas Deus, niſi in te ſu-
pra me. Deus ergo lux eſt in cogitatione, ſplendor in
meditatione, perfectus dies in contemplatione. Ter-
Cant. 4. d tius dies eſt perfectæ dilectionis, de quo: Egredimi-
ni filiæ ſion, et videte regem Salomonẽ in diadema-
te, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſatio-
E nis illius, et in diæ lætitiæ cordis illius. Filiæ ſion, id
eſt animæ contemplatiuę, egredimini per quietatio-
nem: et videte per contemplationem regem Salomo
nem, cui debetis dilectionem. Tria autem ſunt quæ
ad dilectionem accendunt, ſi bene recogitantur: ſci-
licet, ſpõſi humiliatio, quod ſignificatur cum dicitur:
In diademate, quo coronauit illum mater ſua. Bern.
Diademate carneo coronauit eum mater ſua Maria:
diademate ſpineo mater ſynagoga, quæ potius dici-
tur nouerca. Humilitas ergo incarnationis et paſſio-
nis animam accendunt. Item beneficiorum multipli
catio, maxime ſpiritualium ſicut eſt fides, dilectio, iu-
F ſtitia, quibus deſpõſatur Chriſtus: et hoc ſignificatur
in die deſponſationis illius. Item gloriæ æternę prę-
paratio: et hoc ſignificatur in die lætitiæ cordis eius.
Corde enim lætatur Chriſtus de præparata prędeſti-
nationis gloria. Auguſt. Gaudium iam ipſe perfectũ
de nobis habebat, quando nos præſciendo et prędе-
ſtinando, gaudebat. Lætetur ergo cor quærentium
Dominũ, ex quo cor Domini lætatur de gloria quę-
rentium. Accenditur ergo mirabiliter ſancta anima
quando recolligit illata ſponſo ſuo ſupplicia: quando
recogitat ſibi collata beneficia: quãdo rememoratur
de præparata ſibi æterna lætitia. Dies ergo deſpon-
ſationis eſt virtus dilectionis. Veraciter enim de-
ſponſata eſt anima, quæ veraciter diligit.

## SERMO V.

Pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Luc. 2. g
Quærendus eſt Chriſtus per fidem, per Chriſtus quo modo quęrẽdus.
amorem, per iuſtitiam, per bonam ope-
rationem: Vide autem in præſenti Euan
gelio quãdo, vbi, et quibus, ad quid quę-
ritur Chriſtus. Quærendo enim quattuor conſide-
randa ſunt: videlicet temporis opportunitas, loci con
gruitas, quærentis humilitas, quæſiti vtilitas. De pri-
mo: Quærite Dominũ, dum inueniri poteſt: et quaſi Iſa. 55. b
B oſtendens quo modo quærendus ſit adiungit: Dere-
linquat impius viam ſuam, *et cet.* Bene autem dicit:
Dum inueniri poteſt. Si tu quæreres in hieme calo-
rem, vel in nocte ſolem, non inuenires: ſic quære er-
go tempore congruo et inuenies. Tempus autem
quærendi hic determinatur per triduum. Inuenitur
autem poſt triduum cõtritionis, confeſſionis, et ſatiſ-
factionis. De hoc triduo: Miſereor turbæ quę iam Mat. 15. d
triduo, *et cetera.* vbi ſeptem panibus, id eſt ſeptem
donorum Spiritus ſancti homo reficitur. De ſecun-
do: Quęretis me, et inuenietis me, cum quæſieritis Hier. 29. c
me in toto corde veſtro. Ecce locus vbi quęrendus
C eſt Dominus quia in corde, et non in vno angulo cor
dis: ſicut illi, qui in vna parte cordis diabolum, in alia
Dominum quærunt, ſed in toto corde quęrendus eſt
Dominus. Pſal. In toto corde meo exquiſiui te. Lo- Pſal. 118. c
cus ergo quærendi hic determinatur per templum
quod ſignificat cor fidele. Sed nota quòd in Hie-
ruſalem, id eſt, in templo et inter doctores quęſitus
inuenitur, id eſt in contemplatione, in oratione, in
prędicatione. Hieruſalem viſio pacis interpretatur
quòd conuenit animę contemplatiuę: quę neſcit
habere pacem niſi Deum videat: Nunc dimittis ſer- Luc. 2. d
uum, *et cet.* vſque: Quia viderunt oculi. Templum
D locus orationis. Templum ergo Dei eſt cor noſtrum
in quo orando quęrere debemus Dominum. Quis
enim crucem in hara porcorum, quis ſacerdotem in
ſpelunca latronum quęreret, et non potius in tem-
plo? Qui autem ſunt latrones, qui de cordis ſpelun-
ca exeunt, niſi de quibus dicitur: De corde enim Mat. 15. b
exeunt cogitationes malę, homicidia, *et cet.* De his
latronibus dicitur: Scriptum eſt quia domus, *et cet.* Mat. 21. b
vſque: latronum. Inter doctores quoque Chriſtus
quęrendus eſt, quia in doctrinis et ſcripturis inueni-
tur non inter cognatos. Bernar. Quo modo te bone
Ieſu inter cognatos meos inueniam qui inter tuos mi
E nime es inuentus? quo modo inuenero in gaudio,
cum mater tua dolens vix te inuenerit? De tertio:
Pſal. Quis aſcendet, *et cetera.* vſque: hęc eſt generatio Pſal. 23. b
quęrentium Dominum. De tali generatione fuit
Maria Magdalena, cui Dominus ait: Mulier quid Ioan. 20. d
ploras? quem quęris? De tali quoque generatione
fuit Ioſeph et Maria de quibus hic dicitur. *Pater
tuus et ego dolentes,* et c. In Magdalena, pœnitentes: in
Maria, innocentes: in Ioſeph, regentes ſeu pręlati ſi-
gnificantur. Fuit enim nutricius et procurator Do-
mini et matris eius. Vel in Magdalena incipientes,
in Ioſeph proficientes, interpretatur enim augmen-
F tum, in Maria perfecti, vel in Magdalena conuer-
ſi, in Ioſeph actiui, in Maria contemplatiui. Io-
ſeph nutricius Domini bene ſignificat actiuos: qui
ſicut Dominum in membris ſuis nutriunt: ita in
membris eum quęrunt, in membris eum inueniunt.
Vnde: Eſuriui, *et cetera.* Ecce qualis debeat eſſe ge- Mat. 25. d
neratio quęrentium Dominum non carnalis ſed ſpi-
ritualis. Ber. Non curant carnales quęrere quem ta-
men deſiderant inuenire: cupientes cõſequi, ſed non
inſequi. De quarto: Dominus vobiſcum, quia fuiſtis 2. Par. 15. a
cũ eo: ſi quęſieritis eũ, inuenietis. Si autem derelique
ritis eum, derelinquet vos. Ecce vtilitas quærendi Do
minum. ad hoc enim quęrere debemus vt inuentus
nobiſcum ſit per gratiam, et non derelinquamus, ſed
ne



ne nos derelinquat fortiter teneamus. Gregor. Prius A
non inuentus quæritur, vt poſt inuentus ſtrictius te-
neatur. hoc etiam in præſenti Euangelio ſignificatur
vbi dicitur: Deſcendit cum illis et venit Nazareth,
et erat ſubditus illis. Spiritualiter deſcendit Chriſtus
Mat. 8. a in iuſtificatione peccatorum: Cum deſcendiſſet Ieſus
de monte, *et c.* in quo deſcenſu leproſum, id eſt pec-
catorem ſanat. Item venit Nazareth in multiplica-
tione virtutum. interpretatur enim flos: Flores au-
Cant. 2. c tem ſunt virtutes: Flores apparuerunt in terra noſtra.
Item eſt ſubditus in promptitudine faciendi volun-
Pſal. 144. d tatem ſuorum. Pſal. Voluntatem timentium ſe faciet,
quibus ita promptus et obediens eſt, quaſi ſubditus B
eorum. Vnde ad præceptum Ioſue ſol ſtetit: Obe-
Ioſ. 10. c diente Domino voci hominis.

## SERMO VI.

Luc. 2. g Pater tuus, et ego dolentes quærebamus te. Si
eſſet nobis dolor de Chriſti abſentia, tunc
Ioan. 20. d quæreremus eum cum diligentia ſicut et
Magdalena. Mulier quid ploras? quem
quæris? Dolendo ergo et flendo quærere debemus
Chriſtum ſicut quæreret fontem vel aquam, cuius C
domus arderet: panem, quem fames vrgeret: dile-
ctum, qui amore langueret: vitam, qui ſuſpendi de-
beret. Sic nos Chriſtum dolentes quæramus tanquã
fontem extinguentem ardorem vitiorum: tanquàm
panem confortantem in via mandatorum: tanquàm
dilectum amplexantem in oblectatione meritorum:
tanquàm vitam conſeruantem a morte damnatorũ.
Amos 5. a De primo: Quærite dominum, dum tempus habe-
tis, ne forte comburatur vt ignis domus Ioſeph, id
eſt cor vel conſcientia cuiuſlibet fidelis. In hac domo
cum auro dilectionis, thure orationis, myrrha con-
tritionis quærendus eſt Dominus. Sed heu hæc do- D
mus ab incendiario diabolo quandoque igne vitio-
Mich. 6. c rum inceditur. Adhuc ignis in domo impij, *et cet.*
Horribilis incendiarius eſt diabolus per flatum ten-
Iob 41. b tationis: Halitus eius prunas ardere facit: et flamma
de ore eius egreditur. Qui hunc ignem extinguere
vult, quærat fontem miſericordiæ Chriſtũ: de quo.
Pſal. 41. a Sitiuit anima, *et c.* Aug. Deſideremus Chriſtum vitę
fontẽ, vbi ſobria ebrietate mundemur et irrigemur.
Qui modo ad extinguendum ignem culpæ non vult
iſtum fontem quærere, in inferno vnam guttam non
Luc. 16. e poterit exhaurire. Exemplum de diuite damnato.
Thren. 1. d De ſecundo: Omnis populus gemens et quærens pã-
Ion. 6. d. e nem. Panis eſt Chriſtus: Ego ſum panis vitę, *et cet.* E
Iſte in via mandatorum multum confortat, in cuius
3. Reg. 19. a fortitudine ambulauit Helias quadraginta diebus et
quadraginta noctibus ſicut dicitur. Sicut autem men
dici et famelici in ciuitate per plateas ac vicos, de do-
mo ad domum quærunt panem: Ita et nos ciuitatem
cæleſtem, nunc per plateam Apoſtolorum, nunc per
plateas martyrum, nunc virginum, nunc confeſſorũ,
nunc per domos ſingulorum, nunc Mariæ, nunc Pe-
tri, nunc Franciſci. Item per vicos ordinum ange-
lorum, nunc ad domum Michaelis, nunc Gabrielis
circuire, meditando quærere, et meditando mendi-
Cant. 3. a care et orare debemus: Circuibo ciuitatem, *et c.* ad F
palatium regis quæritis panem ab ipſo Domino: Do
Ioan. 6. d mine ſemper da nobis panem hunc. Aug. Famelici
Dei eſſe debemus, quando ante ianuam conſpectus
illius in orationibus mendicamus. Sicut etiam men-
dici pro honore ſanctæ Mariæ, vel alterius ſancti
Cant. 3. a quærunt, panem, ita et nos. De tertio: In lectulo
meo, *et c.* Lectus eſt conſcientia, in qua libẽter quie-
Pſal. 6. b ſcit Dominus, ſi lectus mundus eſt. Pſal. Lauabo per
ſingulas noctes, *et c.* Dilectus iſte Ieſus ab anima di-
ligenter quæritur propter oſculum reconciliationis:
Cant. 1. a Oſculetur me, *et c.* Sed quo modo te oſculabitur, ſi
os porcinum vel ſerpẽtinum habes? quod lingua tua



A bene oſtendit. Pſal. Acuerunt linguas ſuas, *et c.* Item Pſal. 139. a
quæritur propter amplexũ confirmationis, qui bra-
chijs virtutis ſuæ conſtringens animam non ſinit a ſe
ſeparari: Dextera illius amplexabitur me, *et c.* Sed Cant. 2. b
quo modo amplexabitur, ſi porcus es per luxuriam,
lupus per auaritiam, leo per ſuperbiam? Item quæri-
tur propter aſpectum contemplationis. Pſal. Quæſi-
ui vultum tuum, *et c.* De his tribus dicitur. Pſal. Lę- Pſal. 104. a
tetur cor quærentium Dominum: propter oſculum ibidem.
lætificationis quo lætificantur pęnitentes. Quærite
dominum et confirmamini: propter amplexum con-
firmationis quo conſtringuntur proficientes. Quæri-
B te faciem eius ſemper: propter amplexum contem-
plationis, quo ſatiantur peruenientes. Facies autem
iſta non ſine cauſa oſculatur. Bernar. Occultat ſe Do-
minus vt ardentius quęratur: quæſitus cum gaudio
inueniatur: inuentus cum ſolicitudine teneatur: ten-
tus non dimittatur, donec in amoris cubiculũ man-
ſurus introducatur. De quarto: Si quis non quæſierit 2. Par. 15. c
Dominum Deum Iſrael, moriatur a minimo vſque
ad maximum, a viro vſque ad mulierem. Maximus
et minimus ſecundum poteſtatem vel ſanctitatẽ vel
ſapientiam accipi poſſunt. Etenim potentes vel im-
potẽtes, boni vel mali, litterati vel illitterati, niſi quę-
C rant Dominum, æternaliter morientur. Sicut ergo
incarceratus occidendus eras, vitam quæras, quæras
Ieſum Chriſtum. Pſal. Quærite dominum, *et c.* Quæ Pſal. 68. b
ras certe vt vincula peccatorum rumpere: vt per fe-
neſtram peccatorum pœnitentiæ arctiſſimam exire
poſſis, ſicut exploratores: Et Dauid per feneſtrã eua- Ioſ. 2. c
ſit: Certe arcta feneſtra eſt vſurario et raptori et cuili 1. Reg. 19. c
bet iniuſto iniuſtorum bonorum reſtitutionẽ odien
ti: qui tamen per illam debet euadere. Quid nobis.

## DOMINICA PRIMA
D
## POST OCT. EPIPHANIÆ.

### SERMO PRIMVS.

Nvptiæ factæ ſunt, et c. Sunt nuptiæ of- Ioan. 2.
ficioſæ, pnicioſæ, gratioſæ, glorioſæ. Nuptiæ multiplices
Primæ ſunt viri et mulieris contra-
hentis: ſecundæ diaboli et animæ pec
cantis: tertiæ Chriſti et Eccleſiæ mi-
litantis: quartæ Chriſti et Eccleſiæ
triumphantis. De primis: Cum timore domini nu- Tob. 9. d
ptias exercebant. Expone eandem hiſtoriam, quo mo Tob. 6. c
do ſeptem viros Sarræ dęmonium occidit: et quomo
E do tribus noctibus orationi vacabãt. Has nuptias ho- Nuptiæ a quo, vbi, et quãdo inſtitutæ sũt.
norauit Dominus quadrupliciter, videlicet inſtitu-
tione. Inſtitutæ enim ſunt non a vili perſona, immo
non ab homine, non ab angelo, ſed a Deo. Inſtitutę
enim ſunt non in vili loco, non in ſtabulo, non in an-
gulis, ſicut modo fiunt clandeſtina matrimonia, ſed
in paradiſo inſtitutæ ſunt: in ſtatu non culpæ, ſed in-
nocentiæ: non poſt lapſum hominis, ſed ante lapſum.
Sed heu modo poſt lapſus multos et fornicationes
multas multi contrahunt. Item aſſociatione, quia Ie-
ſus, et mater, et diſcipuli in nuptijs erant non hiſtrio-
nes, non chorizantes, ſicut modo. Item operatione,
F quia in nuptijs aquam in vinum conuertit. Sed heu
modo magicę artes diabolicæ in nuptijs exercentur.
Item ſignificatione: Sacramentũ hoc magnũ eſt, *et c.*
Quia ergò matrimonium de ſeptem ſacramentis eſt: Epheſ. 5. g
ſacra vita tenenda eſt. Auguſt. Bonæ ſunt nuptiæ, in
quibuſdam vero meliores ſunt: coniugati quanto ca-
ſtiores ac fideliores Deum timent, maxime ſi filios,
quos carnaliter deſiderant, ſpiritualiter nutriant. De
ſecundis: Conuerſæ ſunt nuptiæ in luctum, et vox 1. Mac. 9. d
miſerorum in lacrymas. Nota hiſtoriam quo mo-
do Iambri filij cum tympanis et muſicis inſtrumen-
tis adduxerunt ſponſam filiam vnius de magnis
principibus Chanaam, ſuper quos irruit Iona-
D 3 thas,

thas, et interfecit eos. Iamber luciferum ſignificat. A Interpretatur enim dies amaricans. Lucifer autem ante lapſum dies fuit, poſt lapſum amaricans *Sap. 2. d* totum mundum: Inuidia diaboli, *et c.* huius filij ſunt *Pſal. 142. c* alij dęmones, non natura, ſed imitatione. Pſal. Erue me de manu, *et c.* Chanaam mundum ſignificat: interpretatur enim commutatus. *Mundi mutatio.* Mutatio autem mundi eſt primo per aquam diluuij: in fine per ignem iudicij. *Pſal. 76. b* Medio autem tempore per aquam baptiſmi et ignem Spiritus ſancti, hæc mutatio dextræ excelſi. *Epheſ. 6. b* Principes Chanaam dæmones ſunt. Non eſt nobis colluctatio, *et cetera*. Anima ergo peccatrix et filia, et ſponſa diaboli eſt, quæ nunc a diabolo cum mundanis gaudijs adducitur. B Sed Ionatha, id eſt Chriſto in morte vel in iudicio ſuperueniente, mala ſocietas damnatione percutitur: *Iob 21. b* Tenent tympanum, *et cet.* vſque ad infernum deſcendent. In his nuptijs non aqua in vinum, ſed vinũ temporalis laſciuiæ in aquã æterni fletus conuertitur. *1. Machabeor. 9. d* Vnde bene dicitur ſupra quòd conuerſę ſunt nuptiæ in luctum. *Bernard. epiſto. 2. ad Fulconem prope fin.* Bernar. Eia lætare, lætare iuuenis in adoleſcentia tua, vt deſerente te pariter cum ætate temporali lætitia, ſuccedant quæ te abſorbeant æterna ſupplicia. De tertijs: Simile factum eſt regnum cęlorum homini regi qui, *Mat. 22. a* *et cetera*, id eſt Ieſu Chriſto: C cuius eſt ſponſa Eccleſia vita æterna, et fidelis anima: *Ioan. 3. d* Qui habet ſponſam ſponſus eſt. Sicut autem conuiuium in nuptijs inſtruitur, veſtes et dona largiuntur: ſic et Chriſtus fecit ſicut ſignificatum eſt, *Eſther 2. d* vbi dicitur quòd iuſſit Aſuerus conuiuium præparari permagnificum pro coniunctione et nuptijs Eſther: ac dona largitus eſt. Aſuerus Chriſtum, Eſther Eccleſiam ſignificat, quã pro Vaſti, id eſt ſynagoga ſumpſit. Conuiuium permagnificum eſt, in quo corpus ſuum ad comedendum, et ſanguinem ad bibendum dat. Largitus etiam eſt dona in cruce vbi ſponſam duxit. Dedit enim D *Ioan. 19. e* corpus tortori, ſpiritum patri, matrem Ioanni, *Luc. 23. f* paradiſum latroni. ſed poſtmodum dedit dona Spiritus ſancti. *Pſal. 67. d* Pſal. Dedit dona hominibus. Veſtes etiam dedit et nudus in cruce permanſit. In his nuptijs aqua in vinum conuertitur, cũ lacrymas doloris con *Pſal. 103. b* ſolatio Spiritus ſancti ſequitur. Pſal. Vinum lætificat cor hominis. Ioan. Chryſoſt. Dominus ipſe eſt, qui conſolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. *Mat. 25. a* De quartis nuptijs: Quæ paratæ erãt intrauerũt cum eo. *et cet.* Omnem iucunditatem et delectationem, quam viſus, et auditus, et guſtus, et omnes ſenſus omnium hominum habuerunt, vel habent, vel habebunt in omnibus nuptijs mundi, E quæ fuerunt, et ſunt, et erunt, incomparabiliter excedit gaudium *Apoc. 19. b* nuptiale in cęlo. Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni. Item in his nuptijs aqua in vinum vertitur, dum miſeria iucunditate in æternas lætitias commutatur. *Hieron. ad Pamn. epiſ. 30. in fin. to. 2.* Hiero. Miſerię quidem delicijs, et deliciæ miſerijs commutantur. In noſtro arbitrio eſt vel diuitem ſequi vel Lazarum.

## SERMO II.

*Ioan. 2. a* D*eficiente vino.* etc. Secundum quadruplices F nuptias prædictas, *Vinũ quadruplex.* quadruplex eſt vinum quod ibi bibitur. Eſt enim vinum naturale, mortale, ſpirituale, et æternale. Primum deficiens, ſecundum inficiens, tertium ſitiens, quartum reficiens. *Ioel 1. a* De primo: Expergiſcimini ebrij, et flete, et vlulate omnes, qui bibitis vinũ in dulcedine, *et cet.* De pœnis autem vinolentorum *Prou. 23. d* dicitur: Cui vę? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffoſſio oculorũ? Nonne ijs, qui commorantur in vino, et ſtudent calicibus epotandis? Hæc omnia de temporalibus et ſpiritualibus et æternalibus malis ebrioſorum exponi poſſunt ſic. Cuius patri? terrenali ipſum alli-

A cienti: vel ſecundũ gloſsã patri mortali, cuius exemplo ebrioſus factus eſt, *Gloſſa in hunc locũ. to. 3.* vel patri gehennali, cuius ſuggeſtione hoc facit. Item cui rixæ? cum hominibus corporales, cum angelis et ſanctis ſpirituales, cum damnatis et dæmonibus æternales. Item cui foueæ? quia cadunt quandoque in puteum: foueæ vtique corporales ſecundum gloſſam, *Gloſſa ibid.* foueæ vitiorum ſpirituales, vel foueæ, id eſt foſſuræ gehennales. Item cui ſine cauſa vulnera? corporalia, vel peccatorum ſpiritualia, vel pœnarum æternalia. Item cui ſuffoſſio oculorum, id eſt caligo vel cæcitas corporalis vel ſpiritualis, vel æternalis Gloſ. *Gloſſa in hunc locũ.* Vini immoderatus B hauſtus et exterioris et interioris viſus ingerit cæcitatem. De ſecundo: *Deut. 32. e* Fel draconum vinum eorum hoc vinum eſt voluptas et gaudium, quod eſt contra Deum: Venenoſum enim eſt vinum non quidẽ ſenſualiter, ſed ſpiritualiter: vel vinum temporaliter, ſed fel ęternaliter. Greg. Momentaneum eſt quod delectat, æternale erit quod cruciat. Idem vinum fellitum accepit Ieſus felle mixtum, *Mat. 27. f* ſicut dicitur: Vinũ autem gaudij mũdani quaſi in ſomno bibitur: *Iſa. 29. b* Sicut ſomniat ſitiens et bibit: poſtquam fuerit expergefactus laſſus adhuc ſitit. Vnde contingit amatoribus mundi ſicut cuidam dormienti in turri, cui in ſomC nijs apparuit mulier ornata exhibẽs ſcyphum aureũ cum vino, at ille ſurgens in ſomno ſitiens ſequebatur potum donec de turri cecidit et eſt confractus. *Apoc. 17. a* Mulierem iſtam dico vanitatem huius mundi, quæ cum poculo voluptatis tranſitoriæ illud nobis propinat: Mulier erat circumdata purpura, *et c.* habens poculum aureum in manu ſua, *et c.* In purpura ſignificatur excellentia, in auro opulentia, in poculo concupiſcentia. Hoc poculum eſt carni mellitum, ſed ſpiritui venenatum. Greg. Qui veneni poculum porrigit, ora poculi mellis dulcedine tangit: hæc ſequitur ſtultus donec de turre falſæ ſecuritatis cadat in D præcipitium damnationis: *1. Theſ. 5. a* Cum dixerint pax et ſecuritas, tunc repentinus ſuperueniet interitus. *Prou. 9. b* De tertio: Bibite vinum quod miſcui vobis. Hoc eſt vinũ conſolationis et gratiæ Spiritus ſancti: *Act. 2. b* Muſto pleni ſunt iſti. Mixtum enim eſt pœnitentibus aqua contritionis. *Pſal. 59. a* Pſal. Potaſti nos vino compunctionis. Sed prius hæc aqua mittitur in hydriam quàm vinum. Item proficientibus mixtum lacte deuotionis: *Can. 5. a* Bibi vinũ cum lacte meo. Itẽ perfectis mixtũ eſt puluere et ſpeciebus virtutum: *Can. 8. a* Dabo tibi poculum ex vino condito. Quis vnquam clauſo ore vidit aliquem bibentem illud? ſi ergo vinum Spiritus ſancti vis bibere, E debes os aperire in oratione. Bernard. Orando bibitur vinum Spiritus ſancti lætificans cor hominis: vinum quod inebriat ſpiritum, et carnalium voluptatum infundit obliuionem. Hoc vinum nuptiale eſt, ideo non datur non habentibus veſtẽ nuptialem nouæ conuerſationis: qui adhuc veteri malæ vitæ ſacco induuntur. *Mat. 9. b* Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres. *Eſther 1. b* De quarto: Vinum vt magnificentia regia dignum erat, abundans et præcipuum ponebatur: et dicitur ibi quòd poculis aureis bibebant. Vaſa ſunt ſancti aurea claritate, de quibus iucunditatis æternæ vina bibemus cum gratiarũ actioF ne. *Eccli. 32. a* Gemmula carbunculi in ornamento auri et comparatio muſicorum in conuiuio vini. Carbunculus in auro eſt deitas in humanitate, vel anima cuiuſlibet ſancti in corpore glorificato. Muſica in vino laus eſt et gratiarum actio in gaudio æterno. Tunc poterimus dicere: *Ioan. 2. b* Seruaſti vinum bonum vſque adhuc. Aqua enim lacrymarum pœnitentię vel baptiſmalis innocentiæ in ſex hydrijs, ſex ætatum humanæ vitæ fiet nobis vinum glorię. Quid mirum ſi aqua lacrymarum contritionum fiet nobis vinum in pręmio, cum iam ſit angelis vinum in cęlo? Bernar. Lacryma pœnitentum vinũ eſt angelorũ. Quot autẽ ętatibus vixeris ſine gratia baptiſmali, tot hydrias vacuas habes et ſine aqua, vnde neque vinũ ibi recipies.

SER-



## SERMO III.

*Ioan. 2. b* V*T autem guſtauit architriclinus aquam vinum factum*, et cetera. Mirabilis eſt iſta conuerſio aquæ in vinum. Conſiderandæ autem ſunt hæ quattuor conuerſiones *Quattuor conuerſiones mirabiles.* mirabiles ad ſe inuicem ordinatæ. Conuerſa enim ſunt, homo in lapidẽ, lapis in aquam, aqua in vinũ, vinũ in ſanguinẽ. *Gen. 19. e* De primo: De vxore Loth. De ſecundo: *Pſ. 113. a* Pſal. Qui conuertit petram in ſtagna. De tertio, hic. *Mat. 26. c* De quarto: Hic eſt ſanguis meus. Iſta ſpiritualiter quotidie fiunt. B Homo in lapidem vertitur dum in peccatis induratur, vel enormi peccato grauatur. Lapis enim durus eſt et grauis: Vtinam Deus *Ezec. 36. f* duros lapides hodie mollificet: Auferam cor lapideum de carne veſtra. Sicut autem lapis miſſus in mare: ita peccator profundum inferni petit in mor*Exo. 15. a* te: Deſcenderunt in profundum quaſi lapis. O quanto impetu mergitur in infernum anima peccatrix: *Apoc. 18. f* Suſtulit vnus angelus lapidem quaſi molarem magnum, et miſit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon, ideſt congregatio impiorum vel anima peccatrix confuſa coram Deo et angelis: C Babylon enim confuſio interpretatur. Periculum autem ſubmerſionis cauetur, ſi lapis in aquam vertitur. Lapis autem in aquam vertitur, dum cor induratum in aquam lacrymarum per contritionem reſoluitur: *Pſ. 118. r* Exitus aquarum, *et cetera*. Sed nota hiſtoriam qualiter aqua de petra eijciebatur bina percuſſione vir*Nu. 20. b* gæ: Dominus enim cor lapideum bis percutit, primo corporaliter, ſecundo ſpiritualiter: primo exterius infirmitate vel damno rerum, vel morte charorum: ſecundo interius timore gehennæ. Cuius enim cor non percuteretur, ſi cogitaret pœnas inferni non ſolum intolerabiles acerbitate, ſed interminabiles D *Mat. 25. d* æternitate? Diſcedite a me maledicti, *et cetera*. *Deut. 32. f* O quàm ſanatiuæ ſunt iſtæ percuſſiones: Percutiam et ego ſanabo. Ecce bis percuſſa eſt ab homine petra duriſſima, et egreſſa eſt aqua largiſſima. Heu Domine Deus quàm durum eſt cor, non ab homine, ſed a Deo, non tantum bis, ſed centies percuſſum eſt, et non emiſit vnam guttam, vnam ſcilicet compunctionis lacrymam. *Auguſt. de ver. et fal. pœnit. c. 9. to. 4.* Auguſt. Satis durus eſt, cuius mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare. Sed ſciat ſe culpabiliter durum qui flet damna temporis, vel amici mortem, et dolorem peccati non oſtendit lacrymis. Aqua in vinum vertitur, dum contritio in dilectionem, E lacrymæ timoris in lacrymas amoris mutantur. Seruiuiſti quandoque Deo timore, ſeruis nunc amore: ſeruiuiſti in mœrore, ſeruis nunc in iucunditate. Ecce aqua in vinum mu*Pſal. 103. b* ſtum verſum eſt: Pſal. Vinum lætificat cor hominis: Bene autem charitas ſignificatur per vinum, quia vini modo mentes inebriat amantium. Bern. Quicumque guſtu charitatis ſemel perfecte inebriatus fuerit, ad omnem laborem hilareſcit: dolet, et non ſentit: laborat, et non laſſeſcit: deridetur, et non aduertit. Hoc eſt vinum, quod in tribus propaginibus *Gen. 40. b* creſcens, in calicem exprimitur: Videbam coram me vitem, in qua erant propagines, *et cetera*. F Vitis Chri*Ioan. 15. a* ſtus: Ego vitis vera. *Chriſtus vitis.* Tres propagines, tres ſunt ſubſtantiæ in Chriſto, corpus, anima, deitas. Collige ergo beneficia, quæ in ſuo corpore Chriſtus nobis exhibuit, ſcilicet in incarnatione, in paſſione, et in communione: et miræ dilectionis vinum exprimere potes. Item collige beneficia, quæ in anima exhibuit qui pro nobis hoſpitium ſanctiſſimum corpus reliquit in mundo, animas eduxit de inferno, pro nobis *Rom. 8. g* interpellat in cælo. Qui eſt ad dexteram Dei, qui interpellat pro nobis. Et hoc vinum feruentis amoris exprimere poteſt. Item collige beneficia diuinitatis videlicet corporalia, ſpiritualia, æternalia: et vinum dulciſſimæ dilectionis quaſi de tertia propagine ex-

A primere potes in calicem corporis. *Bern. de dilig. Deo ante med.* Bern. Vide quo modo, immo quàm ſumme a nobis Deus amari meruit: qui prior ipſe dilexit nos, tantus et talis gratis tantillos et tales. Vinum autem in ſanguinem Chriſti vertitur, dum dilectio Dei veram animæ vitam in Chriſto operatur. Vita enim corporalis in ſanguine Chriſti eſt: ſic vita ſpiritualis et æternalis in ſanguine Ieſu Chriſti: *Ioan. 6. f* Qui bibit meum ſanguinem in me manet. Quid mirum ſi vita noſtra in ſanguine eſt Chriſti, cum ſimus membra Chriſti? *Epheſ. 5. g* Membra ſumus eius de carne eius, *et cetera*. Sed ecce quando vnum membrorum abſcinditur, ſanguis effunditur. B Sanguinem ergo Chriſti miſerabiliter effundit, qui de corpore Chriſti myſtico ſe vel alium per mortale peccatum abſcindit. Bernardus: Non tibi videtur Dominus grauiorem ab eo ſuſtinere perſecutionem, qui auertit ab eo animas, quas proprio ſanguine redemit, quàm ab illo, qui ſanguinem ſuum fudit?

# DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM.

C

## SERMO I.

H*Oc fecit initium ſignorum Ieſus in Chana Galileæ, et manifeſtauit gloriam ſuam, et crediderunt in eum diſcipuli eius.* *Ioan. 2. a* Quoniam per cognitionem effectus deuenitur in cognitionem cauſæ: ideo Ioannes Euangeliſta in verbo propoſito (quod eſt quaſi concluſio et epilogatio totius Euangelij hodierni) inſinuat quòd Ieſus Chriſtus manifeſtauit eminentem potentiam ſuam per effectum miraculoſum et ſuper facultatem naturæ: in ſubita tranſmutatione aquæ in vinum, nulla diD ſpoſitione præcedente cum dicit: *Hoc fecit initium ſignorum*, et cetera. Vnde in verbo propoſito primo notatur miraculorum Chriſti apparens inceptio, cum dicit: *Hoc initium ſignorum fecit Ieſus*. Secundo ſuæ potentiæ per ſignum euidens manifeſtatio, cum ſubdit: *Et manifeſtauit gloriam ſuam.* Tertio diſcipulorum eius manuducens illuminatio, cum ſubiungit: *Et crediderunt in eum diſcipuli eius:* ſcilicet propter infuſionem ſupernæ gratiæ interius, et manuductionem miraculi exterius. Primo ergo notatur miraculorum Chriſti apparens inceptio, cum dicit: *Hoc initium ſignorum fecit Ieſus*. Non enim illud ſiE gnum ſubitæ tranſmutationis aquæ in uinum fuit initium ſignorum Chriſti, quantum ad exiſtentiam, ſed ſolum quantum ad apparentiam: et præterea ſi uolumus bene et artificioſe procedere, poſſumus dicere ſecundum ueritatem, quòd eadem die, licet diuerſis temporibus triplex fecit ſignum, per quod excellentiam ſuæ triplicis proprietatis manifeſtauit; fecit, inquã, eadem die Epiphaniæ. Primo, ſignum ſpectabile in inſolita apparitione ſtellæ fulgentis. Secundo, ſignum mirabile in ſubita tranſmutatione naturę obedientis. Tertio, ſignum admirabile in gratuita ſanctificatione aquæ regenerantis. et hoc eſt quod F cantat ſancta mater Eccleſia. Tribus miraculis ſanctum diem colimus ornatum, *et cet.* propter quod erat inſtitutum (uidelicet ad manifeſtationem ueri luminis) feſtum Epiphaniæ non incongrue dicitur illo die factum, et eius memoria celebrata eſt, cum unumquodque a ſuo fine digne et laudabiliter commendetur. Primo ergo notatur ſignum ſpectabile in inſolita apparitione ſtellæ fulgentis. Vnde dicitur: *Iſa. 11. c* Leuabit Dominus ſignum in nationes et cõgregabit profugos Iſrael, et diſperſos Iuda colliget a quattuor plagis terræ. Dominus leuabit ſignum ſtellæ fulgentis in nationes, ideſt gentes, ut per hoc manifeſtaret eis, quòd ipſe eſt uera lux omnium mentium illuminatrix. *Mat. 2. a* Vnde ſtella nouæ claritatis, quæ magis apparuit,

ruit, declarauit verum lumen natum in mundum. Et congregabit profugos Iſrael, ideſt diſperſos diriget in viam bonam. Nam Iſrael directio Domini interpretatur. *Iſa. 11. c* Et diſperſos Iuda colliget ad confitendum nomini Domini. Iuda enim confeſſio interpretatur. A quattuor plagis terræ, ideſt à quattuor inordinatis et terrenis affectionibus ſecundum quas gentes ambulabant in vanitate ſenſuum. videlicet a timore vanitatis et ſuperbiæ ad timorem humilitatis reuerentiæ. A fætore carnalitatis et immundiciæ, ad nitorem ſanctitatis et pudicitiæ. Ab ardore terrenitatis et auaritiæ, ad amorem paupertatis et inopiæ. A furore impietatis et inuidiæ: ad dulcorem charitatis et beneuolentiæ. Fecit ſecundo ſignum admirabile in ſubita tranſmutatione naturæ obedientis. Et de hoc *Eccl. 36. a* poteſt dici illud: Innoua ſigna, immuta mirabilia tua: glorifica manum tuam et brachium dexterum. Innoua ſigna, ſcilicet tu qui Iordanem fluentem retrorſum conuertiſti mirabiliter. Immuta mirabilia tua, ſcilicet aquæ litteralis intelligentiæ mandata Dei parum vel nihil exequentis in vſum ſpiritualis intelligentiæ, vt Creatori obediatur ſecundum intentionem præcipientis. Glorifica manum et brachium dextrum per oſtenſionem præeminentis potentiæ in ſubita tranſmutatione naturæ obedientis, vt timeant qui habitant terminos terræ a ſignis tuis: vt cognoſcant quoniam tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram, cuius voluntati nihil poteſt reſiſtere. Fecit tertio ſignum amabile in gratuita ſanctificatione aquæ *Pſal. 85. d* regenerantis. Vnde in Pſal. dicitur: Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui te oderunt, et confundantur: quoniam tu domine adiuuiſti me et conſolatus es me. Fac mecum ſignum, ideſt baptiſmi ſacramentum in bonum ſalutis meæ, vt videant qui te oderunt, ſcilicet dęmones, propter rectitudinem et ſeueritatem iuſtitiæ. Et confundantur per eiectionem de mundo tabernaculo paradiſi. Quoniam tu Domine adiuuiſti me: ſcilicet liberando a percuſſione mortis æternæ ſanguinea conſignificatione crucis in baptiſmo. Et conſolatus es me: ſcilicet per infuſionem dulcorantis gratiæ. et hoc eſt quod ex- *Ezech. 9. b* preſſe et ſecundum litteram dicitur: Signa thau ſuper frontes virorum gementium et dolentium: de morte Chriſti per compaſſionem. et ſequitur quòd tranſierunt percuſſores per medium ciuitatis, et percuſſerunt omnes qui non habebant ſignum thau, ideſt crucis in frontibus ſuis. Quod thau amabile ſignum in baptiſmo imprimit Deus animæ ſpiritualiter in bonum ſalutis. Sequitur. *Manifeſtauit gloriam ſuam:* vbi notatur ſuæ potentiæ per ſignum euidens manifeſtatio. Per illud enim ſignum, aut per alia quæ fecit Ieſus, manifeſtauit ſuæ proprietatis triplicem excellentiam. Nam primo per ſignum aquæ originem immutantis, manifeſtauit ſublimitatem potentiæ creantis. Secundo per ſignum ſtellæ fulgentis, manifeſtauit claritatem ſapientiæ gubernantis. Tertio per ſignum vndę regenerantis manifeſtauit benignitatem clementiæ redimentis. Vt ſic ratione primi ſit humiliter timendus ſiue admirandus. Ratione ſecundi reuerenter honorandus. Sed ratione tertij ardenter diligendus. Primo per ſignum aquæ originem immutantis, manifeſtauit ſublimitatem potentiæ creantis. Et de hoc dicitur in prædicto themate: *Hoc initium fecit Ieſus ſignorum, et manifeſtauit gloriam ſuam.* Deus enim miraculoſa opera ſua manifeſtauit ſimplicibus et idiotis: vt qui non poſſunt conſiderare per lumen creaturæ claritatem diuinæ lucis, conſiderarent per aſpectum miraculorum immenſitatem ſuæ potentiæ. Et hoc eſt quod dicit Do- *Ioan. 9. a* minus de cęco: Neque hic neque parentes eius peccauit, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Opera Dei dicuntur, quæ ſeruat ſibi Deus, et talia ſunt opera miraculoſa, quæ ſunt ſupra naturam. hæc autem opera manifeſtantur in cęco, ideſt idiotis et ſimpli-

A cibus vt qui non poſſunt eleuari per contemplationem, eleuentur per admirationem. Secundo per ſignum ſtellæ fulgentis manifeſtauit claritatem ſapientiæ gubernantis. Et de hoc dicitur: Inueſtiga ſapien- *Eccli. 6. c* tiam et manifeſtabitur tibi, et continens factus, non derelinques eam. Iſta ſapientia Chriſtus eſt quam *Mat. 2. a* magi primitiæ fidei gentilis populi inueſtigauerunt per ſignum ſtellæ fulgentis, quouſque manifeſtaretur eis. Etiam ſic per infuſionem ſupernæ gratiæ et manuductionem creaturæ manifeſtatur Chriſtus qui eſt lux ſapientiæ. Et hoc eſt quod dicitur: Quod *Rom. 1. c* notum eſt Deo manifeſtum eſt in illis: Deus autem B manifeſtauit illis: inuiſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Tertio per ſignum vndæ regenerantis manifeſtauit benignitatem clementiæ redimentis. Et de hoc dicitur: Hoc autem iam tertio manifeſtauit ſe *Ioan. vlt. c* Ieſus diſcipulis ſuis. Et bene verbum illud contigit in propoſito. Nam primo Chriſtus manifeſtauit claritatem ſapientiæ in apparitione ſtellæ. Secundo virtuoſitatem potentiæ in tranſmutatione aquæ. Et tertio iam manifeſtauit ſe Chriſtus manifeſtatione ſuæ dignitatis triplicis in benigna ſanctificatione aquæ regenerantis. et hoc propter perfectionem te- C ſtimonij. Nam primo manifeſtauit ſe per teſtimonium baptiſantis: ſecundo per teſtimonium Spiritus ſancti deſcendentis in ſpecie columbæ: tertio per teſtimonium patris in voce, et ſic tertio ſe manifeſtauit, ideſt perfecte: quia in numero perfecto, tum propter manifeſtationem ſuæ triplicis proprietatis, tum propter perfectionem teſtimonij, tum propter commendationem myſterij Trinitatis. De hoc poteſt dici illud: In mortem traduntur per Ieſum, vt et *2. Cor. 4. c* vita manifeſtetur Ieſu in carne mortali. In baptiſmo Chriſti conſecrato merito paſſionis Chriſti ita tradimur in morte originalis peccati et actualis D iniquitatis, vt nouitatis vitæ Ieſu per gratiam baptiſmalem et aliquando pęnitentialem manifeſtetur in carne noſtra mortali. Tertio ſubinfert: *et crediderunt in eum diſcipuli eius:* vbi notatur diſcipulorum Chriſti manuducētis illuminatio. Apoſtoli namque et alij Chriſtiani, pro quibus patribus nati ſunt filij *Pſal. 44. c* per infuſionem ſupernæ gratiæ et manuductionem illius ſigni et aliorum ſignorum Chriſti: et maxime per manuductionem trium ſignorum ſuperius dictorum ita perfecte fuerunt illuminati, vt crederent. Primo per eius potentiam duriſſimum Pharaonis imperium exterminari. Secundo per eius ſapien- E tiam obcęcatum rationis oculum illuſtrari. Tertio per eius clementiam antiquum Dei et hominis bellum reconciliari. Primo ergo crediderunt diſcipuli per eius potentiam duriſſimi Pharaonis imperiū exterminari. Et de hoc dicit: Ieſus populum ſuum *Epiſt. Iudæ. a* ſaluauit de terra Ægypti, eos, qui non crediderunt, perdidit. Ægyptus enim interpretatur coanguſtatio et tenebræ ſiue tribulatio. Vnde hic Ieſus ſaluauit populum ſuum credentem ſibi de terra Aegypti: quando eos ſaluauit a coanguſtatione proprię iniquitatis: ab obcęcatione ignorantię damnantis: ab oppreſſione ſiue tribulatione aduerſę poteſtatis, per F impetrationem generalis veniæ, per infuſionem illuminantis gratię, et per euaſionem opprimentis potentię. Et eos, qui non crediderunt, perdidit per damnationem mortis ęternę. Secundo crediderunt diſcipuli per eius ſapientiam obcęcatum oculum rationis illuſtrari. Vnde Ioannes: Ego lux in mundum *Ioan. 12. g* veni vt omnis, qui credit in me, in tenebris nō maneat. Fidelis ſermo et omni acceptione dignus, quo- *1. Tim. 1. c* niam Ieſus Chriſtus candor lucis ęternę lumen angelorum, venit in mundum nube humanitatis contemperatum non obſcuratum: vt fieret lumen terrenorum vt omnis, qui credit in eum humiliter et cum reuerentia, non maneat in tenebris damnoſę ignorantię: ſed habeat lumen vitę. Et hoc fuit figuratum



ratum in illuminatione cæci in Ieſum Chriſtum humiliter credentis cum reuerentia humiliter adoran- *Ioan. 9. g* tis: Tu credis in filiū Dei? Sequitur, Credo Domine: et procidens adorauit eum. Tertio crediderunt diſcipuli: per eius clementiam antiquum Dei et homi- *Ioan. 1. b* nis bellum reconciliari: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. O donum ineffabile, o virtus amabilis, qua ceteræ virtutes euaneſcunt. Nam etſi omnium virtutum gratuitarum incrementum procedat ex dilectione: tamen a fide *Hebr. 11. b* habet primum fundamentum, quoniam ſine fide impoſſibile eſt Deo placere. Hæc eſt illa virtus ſcilicet fides de crucifixo, quæ diſcordes fœderat, antiqua bella Dei et hominis pacificando reconciliat, et de inimico non tantum facit amicum, ſed verum atque dilectum filium adoptiuum. Hæc eſt quæ noſtra placat, rigorem iuſtitię mitigādo et etiā euacuando. Hæc eſt quæ vincit inuicibilem, omnia proſpera *Ioan. 16. c* pro voto impetrando. Vnde Ioannes: Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Et ego rogabo patrem meum pro vobis: ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis, et credidiſtis quia a Deo exiui. *et cetera.*

## SERMO II.

*Mat. 8. a* D*omine ſi vis, potes me mundare:* Leproſus iſte peccatorem ſignificat qui coram Deo et angelis et omnibus ſanctis fœtidior et abominabilior eſt omni leproſo, et ideo tamquam leproſus de conſortio ſanctorum eijcietur in *Num. 5. a* die nouiſſimo: Præcipe filijs Iſrael vt eijciant de de caſtris omnem leproſum, *et cet.* Filij Iſrael angeli *Mat. 13. c* ſunt, qui ſicut dicitur: Separabunt malos de medio iuſtorum. Quicumque hanc eiectionem euadere vult, nunc petat mundari a lepra peccatorum. Mun- *Mundatio quadruplex.* datur autem homo quadrupliciter: videlicet regeneratione baptiſmi, contritione pœnitentiali, oratione *Ezec. 36. d* virtuali, tribulatione temporali. De primo: Effundam ſuper vos aquam mundam. O gratia Saluatoris! puella quædam leproſa pauper erat, quæ curari non poterat, niſi balnearetur in ſanguine regali: quā rex quidam tantum dilexit, quòd ſanguinem ſuum vſque ad mortem effudit, vt illa mundaretur. Rex iſte Chriſtus eſt, qui Eccleſiam, immo animam tuam leproſam dilexit, et balneum baptiſmi tibi de ſanguine ſuo fecit. Per ſanguinem Chriſti baptiſmus *Epheſ. 5. f* habet virtutem animas mundandi: Chriſtus dilexit Eccleſiam et ſemetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ et verbo vitæ. *Pſal. 50. a* De ſecundo: Pſal. Amplius laua me, *et cetera.* At- *1. Ioan. 1. d* tendenda autem hic eſt confeſſio vt munderis: Si confiteamur peccata noſtra, fidelis et iuſtus eſt, vt remittat nobis peccata noſtra, et emundet nos ab omni iniquitate. Iniquitas autem eſt lepra animæ, a qua *Auguſt. de ver. et fal. pœnit. c. 1. to. 4.* pœnitentia mundatur. Auguſtinus: Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, eamq. conſeruat. O gratia pœnitentiæ quæ ſerpentem mundat ſicut anguillam, lupum ſicut ouē! Vnde de immundis animalibus in linteo oſtēſis *Act. 11. b* dictum eſt Petro: Quæ Deus mundauit, tu ne communia dixeris. In linteo, quod de lino multo labore paratur, pœnitentia ſignificatur digna, quæ multis afflictionibus et laboribus agitur: et ſicut animalia mundata in linteo recipiuntur in cælum, ita animæ per pœnitentiam mundatæ aſſumuntur ad regnum. *Leuit. 12. d* De tertia: Orabit pro eo ſacerdos, et ſic mundabitur: hoc dicitur de muliere purificanda, quæ etiam offerre debeat agnum, aut columbam, ſiue turturem. In agno ſignificatur innocentia, in columba pœnitentia: columba enim habet gemitum pro cantu. Auguſtinus ſic dicit: Geme vt columba, et tunde *Turtur.* pectus, et tundendo eſto correctus. In turture ſignificatur continentia. Auis enim eſt ſolitaria, et dum

A comparem amittit, alium non quærit. Ecce cum talibus obliuionibus oratio virtuoſa ſit ad mundan- *Malac. 3. a* dum. De quarto: Sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Leui, *et cet.* non ſolum in purgatorio, ſed etiam in mundo mundantur animæ *Tob. 3. c* per pœnas et tribulationes: In tempore tribulationis peccata dimittis, *et cet.* Gregorius: Flagella bonorum aut uitia perpetrata, aut quæ poterant perpetrari futura tentant. Secundum iſtas quattuor emun- *Lepra quattuor modis mundata.* dationes legimus quattuor modis lepram mūdatam. videlicet per fluuium, per ſinum, per interuentum, per tactum. Mundatur enim anima per fluuium re- B *4. Reg. 5. c* generationis ſicut ſignificatum eſt in Naaman leproſo, qui ſepties lotus in Iordane, mundatur. Genus humanum ſepties lauatur, quia ſpiritu ſeptiformis gratiæ, vel quia a ſeptem vitijs in baptiſmo mundatur. Item per ſinum pœnitentiæ et reconciliationis. *Exod. 4. a* Vnde de manu Moſi leproſa. Retrahe ait manum tuam in ſinum tuum, retraxit et protulit iterum et erat ſimilis carni reliquæ, ideſt munda. Sinus eſt *Iob 19. d* pœnitentia: Quoniam viſurus, *et cetera.* vſque repoſita hæc ſpes mea in ſinu meo, *et cetera.* Væ eis, qui in ſinu pœnitentiæ non fiunt, vel de ſinu ceciderunt: quoniam in ſinum Abraæ non venient. *Luc. 16. e* C de quo: Factum eſt autem vt moreretur, *et cetera.* *Num. 12. c* Item per interuentum orationis. Vnde Maria ſoror Aaron murmurans contra Moſen, lepra percutitur: ſed orante Moſe pro ipſa, mundatur per tactum correctionis ſuæ ſiue caſtigationis. Vnde in præſenti Euangelio dicitur: Extendens manum tetigit eum, *et cetera.* Homo enim a Deo tangitur, dum ab eo *Iob 2. b* corripitur. Vnde diabolus dicit de Iob: Mitte manum tuam et tange os eius et carnem: et tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi.

## SERMO III.

D *Mat. 8. a* T*antum dic verbo, et ſanabitur puer:* Puer tuus eſt ſpiritus tuus, quem a languoribus peccatorum ſanari petis, dicens: *Tantum dic verbo,* et cetera: *Hier. 17. b* Sana me Domine et ſanabor. Sanat autem Dominus totaliter, velociter, faciliter, multipliciter. De primo: *Ioan. 7. d* Totum hominem ſanum fecit in ſabbato. Totalis huius ſaluatio in ſeptenario ſignificatur. Sabbatum enim ſeptima *4. Reg. 5. c* dies: Lauare ſepties in Iordane, et recipiet ſanitatem caro tua. Septies, ideſt ab omnibus quæ ſeptem diebus commiſiſti. Omne enim peccatum E tuum commiſiſti in aliquo ſeptem dierum. Septem enim diebus omne tempus voluitur. Iordanis autem ſignificat baptiſmum, quia in eo baptizatus eſt Dominus per pœnitentiam, quod interpretatur riuus iudicij. Si enim homo iudicium diuinum futurum attenderet, riuus contritionis et lacrymarum in eo proflueret: *Iſa. 11. d* Leuabit manum ſuam ſuper fluuium in fortitudine ſpiritus ſui et percutiet eum. In ſeptem riuis flumen contritionis, in ſeptem riuos lacrymarum diuiditur, dum pro ſeptem vitijs lacrymæ funduntur: et ſic ſeptem riuis et ſeptem lotionibus et ſeptimo die, ideſt in ſabbato totus homo ſa- F natur. Non eſt autem totus homo ſanatus ſi adhuc habet oculos leproſos, per cōcupiſcentiam oculorū, vel linguam per mendacia et detractiones: et manus per mala opera. Simul enim ſanat Dominus omnia. *Pſal. 102. a* Pſal. Qui ſanat omnes infirmitates tuas. Aug. Nun- *Auguſt. de ver. et fal. pœnit. c. 9. to. 4.* quid Dominus aliquid ſanauit, quod omnino non liberauit? Totum enim hominem ſanauit in ſabbato: quia corpus ab infirmitate, et animā ab omni contagione: indicans pœnitentem oportere ſimul dolere *Iſa. 58. c* ab omni crimine. De ſecundo: Frange eſurienti panem tuum, et egenos vagoſq. induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum: et carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, et ſanitas tua citius orietur. Ecce per

per opera miſericordiæ citius obtinetur ſanitas ani- A
*Ambr. li. 2.* mæ. Vere citius. Ambroſius: Neſcit tarda molimina
*commen. in* Spiritus ſancti gratia. Myſtice autem eſuriens, et ege-
*Luc. c. 1. to.* nus, et vagus et nudus eſt Chriſtus. Eſuriens vtique
*3. edit. Ro.* eſt, qui ait: Eſuriui, et dediſti mihi manducare. Item
*Mat. 25. d* egeni fuerunt Apoſtoli et ſanctus Franciſcus et alij
*Heb. 11. g* ſancti: Egentes anguſtiati *et cet.* quos in domum men
tis noſtræ inducimus, dum eorum vitam intra nos
conſideramus et imitamur. Super omnes autem iu-
dicamus egenum et vagum illum, qui conqueritur:
*Mat. 8. c* Vulpes foueas habent, et volucres cæli nidos: filius
autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.
Item nudus fuit Chriſtus in cruce, qui veſte charitatis B
operiendus eſt. Sed quo modo cum veſte operies, ſi
*Mat. 22. b* veſtem non habes? Non habens veſtem nuptialem.
Si hoc feceris erumpet tibi lumen gratiæ, et celeriter
*Mal. 4. a* orietur ſanitas animæ. Hoc vtique dicitur: Orietur
vobis timentibus nomen meum, ſol iuſtitiæ, et ſani-
tas in pennis eius. In ſole lumen veritatis: in pennis
celeritas ſanitatis inuenitur. Quid mirum ſi ſanat ce-
*Auguſt. de* leriter, qui ſanat tam libenter? Auguſtinus: Tardius
*ſpir. et ani.* videtur ei veniam dare, quàm peccatori accipere. Sic
*c. 6. to. 3.* enim feſtinat a tormẽto conſcientiæ reum abſoluere,
quaſi ipſum plus cruciet cõpaſſio miſeri, quàm ipſum
*Ioan. 4. g* miſerum compaſſio ſui. De tertio dicitur hic. Tan- C
tum dic verbo et ſanabitur. Non oportet te Domine
*Sap. 16. b* ad Mõtem Peſſulanum mittere pro medicina: Neque
herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine
ſermo, qui ſanat omnia. Et ideo dic verbo *et cet.*
*Pſal. 106. b* Pſal: Miſit verbum ſuum *et cet.* Verbum ergo Dei
medicina eſt animæ, quam ſtulti infirmi abhorrent,
hominum ſuſtinentes linguam, qui potius cum La-
*Luc. 16. e* zaro deberent ſuſtinere linguam canum, ideſt, docto-
*Pſal. 67. a* rum. Pſal: Lingua canum tuorum *et cet.* Ideo ſanari
*Prou. 29. a* non poteſt: Viro, qui corripientem dura ceruice con-
temnit, repentinus ei ſuperueniet interitus, et eum
ſanitas non ſequetur. Sicut Deus faciliter ſanat per D
linguam canum, ideſt doctorum: ita diabolus vulne-
*Pſal. 139. a* rat per linguam ſerpentinam ſiue peruerſorum. Pſal:
*Hier. 9. c* Acuerunt linguas *et cet.* Vt ſagitta lingua eorum. De
quarto. Nota quòd multis medicinis vtitur Dominus
*Pſal. 146. a* ad ſanandum. Sanat enim per contritionem Pſal: Qui
*Pſal. 29. a* ſanat contritos *et cet.* Item per confeſſionem. Pſal:
Domine clamaui ad te *et cet.* De confeſſione quoque
*Iſa. 57. d* et oratione intelligi poteſt quod dicitur: Creaui fru-
ctum labiorum pacem, pacem ei qui longe eſt et qui
prope dixit Dominus, et ſanaui eum. Item per opera-
*Mat. 12. b* tionem: Extende manum tuam, ſcilicet ad opus bo-
num et extendit, et reſtituta eſt ſanitati. Item per ca- E
*Iob 5. d* ſtigationem: Ipſe vulnerat et medetur, *et cet.* Ecce
quàm multiplicia ſunt ad ſanandum Dei remedia,
quia multiplicia ſunt animarum vulnera. Auguſtinus:
Magni ſunt Domine languores noſtri, multi et ma-
gni, ſed amplior eſt medicina tua.

## SERMO IIII.

*Mat. 18. b* F*Ilij autem regni eijcientur in tenebras exte-*
*riores*: Eijcientur miſeri in iudicio extra
conſortium ſaluãdorum, propter ſeptem
vitia capitalia: quod ſignificatum eſt in F
ſeptem eiectionibus hominum de qui-
bus legimus. Eijcientur ergo damnandi propter ſu-
perbiam. Quod ſignificatum eſt in Nabuchodono-
*Dan. 4. e* ſor: Hæc eſt interpretatio ſententiæ altiſſimi. Eijcient
te ab hominibus, et cum beſtijs feriſq. erit habita-
*Pſal. 73. a* tio tua. Cum beſtijs, ideſt, dæmonibus. Pſal: Ne tra-
das beſtijs animam meam. Hæc eiectio facta eſt pro-
pter ſuperbiam Nabuchodonoſor, ſicut et Luciferi:
*Ezec. 28. d* Eieci te de monte Dei et perdidi te o Cherub. De
*Pſal. 23. a* monte, ideſt de cælo empyreo, de quo: Quis aſcen-
det in montem Domini *et cet.* Item propter inuidiã:
*Gen. 4. b* Ecce eijcies me hodie a facie tua, et a facie tua abſcon-
dar. Bene dicit abſcondar: quia tolletur impius ne
A videat gloriam Dei. Caim autem adhuc hodie eſt, qui-
cumque fratris ſui perſecutor eſt: Omnis qui odit fra- *1. Ioan. 3. c*
trem ſuum, homicida eſt *et cet.* Immo et incendia-
rius diaboli eſt. Ioannes Chryſoſtomus: O inuidia
omni malitia cumulata, inuidia ignis inextinguibi-
lis: Item propter iracundiam: Eijce ancillam et fi- *Gen. 21. b*
lium eius, ſcilicet Iſmaelem, qui bene iracundiam
ſignificat. De ipſo enim dicitur: Hic erit ferus ho- *Gen. 16. c*
mo, manus eius contra omnes, & manus omnium
*et cet.* Item perſequebatur fratrem ſuum: Quo modo *Galat. 4. d*
tunc qui ſecundum carnem natus eſt qui perſequeba-
tur *et cet.* et ideo eiectus eſt de poſſeſſione heredita-
B tis ſuæ. Sic iracundi propter feritatem et fraternam
perſecutionem exercentes, eijciuntur de hereditate
æterna. Contra quod de manſuetis dicitur: Manſue-
ti autem hereditabunt terram: Beati mites *et cet.* Mi- *Pſal. 36. b*
tes ergo cum gaudio perſecutores ſuos tolerare de- *Mat. 5. a*
bent, ſicut Iſaac, quem Iſmael perſequebatur, qui
hereditatem obtinere voluit. Vnde Iſaac interpreta-
tur riſus vel gaudium: Omne gaudium exiſtimate *Iac. 1. a*
fratres *et cet.* Item propter auaritiam: Eijciebat om- *Mat. 21. a*
nes vẽdentes et ementes de templo, et menſas num-
mulariorum *et cet.* Difficile eſt inter ementis et ven-
dentis conſortium non interuenire peccatum. Fu-
C gite ergo venditiones et emptiones iniquas, ſed non
illam de qua dicitur: Si vis eſſe perfectus, vade et ven *Mat. 19. c*
de omnia *et cet.* et habebis theſaurum in cælo *et cet.* *Ibid. d*
Vnde Petrus: Ecce nos reliquimus omnia et ſecuti
ſumus te, quid ergo erit nobis? Cui ergo in iudicio
ſedere, et centuplum accipere, et vitam æternam poſſi-
dere promittitur? Centuplum enim eſt Spiritus ſan *Cẽtuplum.*
cti conſolatio vel gratia. Quicumque ergo hoc cen-
tuplum non recipit, argumentum eſt, quòd adhuc
hæc omnia non reliquit. Item per accidiam: Cum *Mat. 9. c*
eiecta eſſet turba *et cet.* Turba hæc plangens mor-
tuum accidioſos ſignificat, qui lugubres et triſtes in-
D cedunt, qui demiſſo capite et manibus vadunt, quaſi
ſemper plangant mortuum, quibus omne bonum in
tædium vertitur. Iſti ſunt, de quibus: Ecce ibi mu- *Ezech. 5. f*
lieres plangentes Adonidem. Item propter gulam:
Eiecitq. Adam et collocauit ante paradiſum Che- *Gen. 3. d*
rubin et flammeum gladium. Sed iſtum gladium
cum in paſſione ſua Dominus tollere vellet, præmo-
nuit diſcipulos, dicens: Attendite vobis ne forte *Luc. 21. g*
grauentur corpora veſtra in crapula et ebrietate *et cet.*
Iſidorus: Cui abſtinentia non eſt epularum, arden- *Iſidor. de*
tis diuitis attendat ſupplicium: cuius tanta in inferno *ſum. bon.*
inter ignes erat inopia, quanta hic epularum fuerat *lib. 2. c. 42.*
E copia. Item propter luxuriam: Præcipe filijs Iſrael, *ſent. 8.*
vt eijciant de caſtris omnem leproſum, et qui de ſemi *Num. 5. a*
ne ſunt, vt luxurioſi et incontinentes qui eijcientur de
caſtris, ideſt, de conſortio angelorum: de quibus ca-
ſtris dicitur: Caſtra Dei ſunt. Quæ bene dicuntur ca- *Gen. 32. a*
ſtra a caſtitate. Vnde: Neque nubent neque nuben- *Mat. 21. c*
tur, ſed ſunt ſicut angeli Dei in cęlo. Vnde caſti viri
ſunt quaſi angeli Dei non ſolum in cælo, ſed etiam in
mundo. Ioan. Chryſoſtomus: Caſtitas res eſt angeli- *Chryſ. in*
ca. Per hanc enim ſolum ſingulariter homines *Mat.*
angelis ſimilantur, et vincitur natura virtu-
tibus. Sic ergo eijcientur mali de ſo-
cietate bonorum: Tu ergo ſi eijci
non vis, veni ad Chriſtum:
Eum, qui venit ad me, *Ioan. 6. d*
non eijciam foras.
Superbus ve-
niat per
hu-
militatem: iracundus per mititatem: inui-
dus per charitatem: per pietatem
auarus; luxurioſus per
caſtitatem.

DO-



# DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

## SERMO I.

E*Cce leproſus veniens adorabat eum di-*
*cens: Domine, ſi vis, potes me mundare.*
*Mat. 8. a* Quia quælibet Chriſti actio noſtra
eſt inſtructio: ideo hodierna die cu-
ratio exterioris lepræ corporalem
pulchritudinem deformantis, eſt in-
ſtructio, et ſignificatio lepræ interioris ſpiritualem
pulchritudinem deturpantis. Vnde ad noſtram in-
ſtructionem in verbo propoſito ſub leproſi metapho
ra a Deo curati deſcribitur cõditio peccatoris, quan-
tum ad ſtatum propriæ tranſgreſſionis, animam de-
formantis: quantum ad actum ſubiectionis, animam
diſponentis: et quantum ad effectum orationis, ani-
mam eleuantis. Primo ergo in verbo propoſito no-
tatur proprie tranſgreſſionis deformatio: cum ſub-
dit: *ecce leproſus veniens*. Secundo debitæ ſubiectio-
nis exhibitio cum ſubdit: *adorabat eum, dicens*: Ter-
tio diſcretæ ſupplicationis petitio. cum ſubinfert.
*Domine, ſi vis, potes me mundare*. Valde enim fuit di-
ſcretus in petendo: non enim dixit deſcende vel veni,
quaſi ſua præſentia abeſſet ab aliquo loco: nec ver-
bo: quaſi in prolatione verbi eſſet alligata ſua po-
*Pſal. 114. c* tentia: ſed dixit, *Si vis*: ſciens illud Pſal. Omnia quæ-
cumque Dominus voluit fecit. Primo ergo in verbo
propoſito notatur conditio peccatoris quantum ad
ſtatum propriæ tranſgreſſionis animam deforman-
tis, cum dicit: *ecce leproſus*, et nomine leproſi bene
peccator intelligitur. Nam ſicut morbus lepræ eſt
generanti aſſimilatiuus, corporalis pulchritudinis
deformatiuus, et communis habitationis ſeparati-
uus: ſic peccatum maxime multiplicatum habet tria
Cõparatio mala in anima facere. Nam primo peccatum ſu-
lepræ cum perbiæ et ambitionis animam aſſimilat paternæ ma-
peccato. lignitati. Secundo peccatum luxurię et fornicationis
animam deformat in pulchritudine naturali. Tertio
peccatũ auaritiæ et cumulationis animam ſeparat a
communi habitatione paradiſi. Vnde peccatum ſu-
perbiæ ratione malignitatis quia aſſimilat, eſt odien-
dum. Peccatum luxuriæ ratione fęditatis quoniam
inquinat, eſt abhorrendum. Peccatum auaritiæ ra-
tione ſeparationis a Deo, quam facit, eſt fugiendum.
Primo peccatum ſuperbiæ et ambitionis ad modum
lepræ animam aſſimilat paternæ malignitati. Vnde
*2. Pa. 26. c* dicitur: Cum eleuatum eſt cor eius in interitu ſuo,
et neglexit Dominum Deum ſuum: et ſequitur ſta-
tim: quaſi orta eſt lepra in fronte coram ſacerdotibus
*Ibidem. d* in domo Domini. Oſias ille ſuperbus et elatus in
corde, datus eſt in interitu mortis æternæ, quia ne-
glexit Deum omnipotentem: et imitatur per opera
diabolicam prauitatem: et ideo ſicut in ſpirituali
fronte diaboli apparuerunt ſigna ſuperbiæ coram
angelis bonis ſibi reſiſtentibus in cœlo empireo: ſic
in fronte Oſię paternam malignitatem imitantis, or-
ta eſt lepra in ſignum ſuperbiæ: quia eleuatus et fa-
ctus leproſus in facie, ideſt, in anima coram reſiden-
tibus in domo Domini. Secundo peccatum luxuriæ
et fornicationis ad modum lepræ animam deformat
*Leuit. 13. f* in pulchritudine naturali. Vnde dicitur: Contami-
natum ac ſordidum ſe clamabit omni tempore, quo
leproſus eſt. Et bene infectus vitio luxuriæ debet ſe
proclamare contaminatum ac ſordidum: eo quòd ex
immundis affectionibus et inordinatis motibus et
illicitis operibus adeo ſordet et contaminatur: vt
multo abominabilior ſit angelicis ſpiritibus eum
intueri, quàm ſanis hominibus leproſum aſpicere.
Nec vnquam Spiritus ſanctus habitabit in corpore
ſubdito peccato luxuriæ. Certe ſuper omnia debe-
A mus niti ad acquirendam iſtam munditiæ et caſtita-
tis pulchritudinem: qua per iſtam prouocaremus
Spiritum ſanctum in amorem et concupiſcentiam
noſtri. Vnde deberemus toto conatu amouere a no-
bis inordinata deſideria, immundas cogitationes:
quia ſicut quando abundant multi humores corru-
pti in corpore, generant quandam ſcabiem et impeti
ginem, et aliquando lepram, tollentes munditiam
corporis. Sic inordinatæ affectiones, immundæ co-
gitationes, et corrupti motus carnales generant ſca-
biem incontinentiæ, lepram luxurię, et tollunt mun-
ditiam caſtitatis et pudicitiæ: ac per hoc corpus fit
B fętidum habitaculum diaboli non Spiritus ſancti.
Tertio peccatum auaritię et cumulationis ad modũ
lepræ animam ſeparat a communi habitatione para-
diſi. Vnde: Lepra Naaman adhęrebit tibi et ſemini *4. Reg. 5. d*
tuo in ſempiternum: et egreſſus eſt ab eo. Quia iſtum
Giezei et quemlibet auarum auaritię commouet et
incitatur accipere bona temporalia: ideo dicitur le-
pra Naaman, qui incontinens vel commotio in-
terpretatur: et adherebit tibi: et etiam cuilibet imi-
tanti eum: et quemadmodum leproſus expellitur a
communi habitatione ſanorum hominum: ita aua-
rus eligens terrenam habitationem cum talpa, et ſta-
C tuens oculos declinare in terram, priuat ſe commu-
ni habitatione ſanctorum. Vnde leproſus ab Eliſęo
egreſſus dicitur, ideſt, a conſortio cuiuslibet viri ſan-
cti, cuius habitatio et conuerſatio in cęlis cum ange-
lis per appetitum ſemper eſt. Sequitur. *Orabat eum,*
*dicens*. Vbi notatur debitæ ſubiectionis exhibitio,
eo quòd ſic adorando exhibet ſibi diuinæ latriæ cul-
tum. Exhibebat enim Chriſto diuinæ latriæ cultum,
cum adorabat eum. Primo cum humiliatione timo-
ris et reuerentiæ in corde, ratione creantis potentiæ.
Secundo cum expreſſione honoris et magnificentiæ
in ore ratione gubernantis ſapientiæ. Tertio cum
D oſtenſione amoris et beneuolentię in opere, ratione
redimentis et glorificantis clementię. Et ſic ratione Cultus la-
iſtarum trium proprietatum, ſoli Deo et non alij de- triæ.
betur cultus latrię. Primo ergo adorabat eum cum
humiliatione timoris et reuerentię in corde, ratione
creantis potentię. Vnde in Pſal. Adorabo ad tem- *Pſal. 5. b*
plum ſanctum tuum, confitebor nomini tuo. Nullus
inquam perfecte, poteſt Deum adorare, niſi habeat
maximam reuerentiam ad maieſtatem diuinam.
Quis enim poteſt mentali intuitu intueri ſummum
bonum in maieſtate cum ſeueritate iudicij, quando
reſiliat in propriam paruitatem. Diſcamus ergo
E Chriſti admirari et formidare virtuoſitatem poten-
tiæ. Nam principium ſapientię timor Domini, quòd *Pſal. 114. d*
diſponit et purificat os cordis et oris ad cultum diui-
nę ſapientię. Secundo, adorabat eum expreſſione ho-
noris et magnificentię in ore, ratione gubernantis
ſapientię. Vnde in Pſal. In conſpectu angelorum pſal- *Pſal. 137. a*
lam tibi: adorabo ad templum ſanctum tuum. Tunc
homo pſallit Deo in conſpectu angelorum et in con-
ſpectu hominum terrenorum, qui non pſallit ad va-
nam gloriam, nec propter temporalia lucra: ſed ſo-
lum ad laudem et gloriam Creatoris cum puritate
et rectitudine intentionis. Adorabo ad templum
F ſanctum tuum. Templum Dei ſanctum eſt corpus
mundum et immaculatum, in quo anima Deum
adorat et eius nomine confitetur. Portę enim ſunt
quinque ſenſus, qui ſunt omni diligentia conſeruan-
di, ne mors fęditatis peccati intret per eos: quia ſicut
non placet regi vinum quod hauritur de vaſe im-
mũdo mediãte foramine ſuperficialiter pulchrifica-
to, ſic non placet Chriſto laudatio, quę egreditur de
corde immundo ore ſuperficialiter deuoto. Tertio
adorabat eum cum oſtenſione amoris et beneuolen-
tię opere ratione redimentis et glorificantis clemen-
tię. Vnde dicitur, de magis: Videntes ſtellam gauiſi *Mat. 2. b*
ſunt gaudio magno valde, et intrantes domum inue-
nerunt puerum cum Maria matre eius, et prociden-
tes

tes adorauerunt eum: et apertis theſauris ſuis obtule- A
runt ei munera, aurum, thus: et myrrham. Ecce
quòd magi in exhibitione cultus latrię habebant fer-
uorem amoris et beneuolentię: quia non vendide-
runt ex cupiditate, ſed obtulerunt ſpontanea volun-
tate puero paruulo in ſignum amoris et beneuolen-
tię, non timoris et pœnæ. Hoc eſt enim ſcilicet cha-
ritatis ſiue amoris donum ſine quo nullum bonum
acceptatur. Ipſa enim charitas reddit voluntatem hi-
larem reſpectu ſui, vnde dicitur: Gauiſi ſunt gau-
dio magno. Concordat denique reſpectu Chriſti. vn-
de ſequitur. Intrantes domum: liberalem, reſpectu
dati. Vnde ſubditur: apertis theſauris ſuis, obtulerunt B
ei munera: aurũ, thus, et myrrham: in ſignum expreſ-
ſionis fidei interioris. Tertio ſubditur diſcretę ſup-
plicationis petitio: cum dicit: *Domine, ſi vis, potes me
mundare*. Ita enim fuit diſcretus ille leproſus in pe-
tendo medicinam ſui corporis, vt quemlibet alium
infectum lepra ſpirituali informet ad petendum ſuo
exemplo ſanctificationem animę ſuę. Vnde quicum-
que eſt infectus vitio alicuius leprę, debet diſcrete
ſecundum morbum petere diſcretum medicamen-
tum. Nam primo ſuperbus debet petere mundari a
tumore ſuperbię, per amorem filialis reuerentiæ.
Secundo luxurioſus a fœtore luxurię per decorem, C
ſiue odorem caſtitatis et munditię. Tertio auarus
ab ardore auaritiæ, per dulcorem ſpiritualis lætitię:
vt ſic anima deordinata et auerſa a patre per tumo-
rem ſuperbię, a filio per fœtorem luxurię, a Spiritu
ſancto per ardorem auaritiæ, ordinetur ad patrem
per timorem filialis reuerentię, ad filium per cando-
rem ſiue odorem caſtitatis et innocentiæ, ad Spiri-
tum ſanctum per dulcorem ſpiritualis lętitiæ. Primo
ergo emundamur a tumore ſuperbiæ per timorem
Cor. 7. a filialis reuerentiæ. Vnde: Mundemus nos ab omni
inquinamento carnis et ſpiritus perficientes ſanctifi-
cationem in timore Domini. Sicut fœtor luxuriæ D
eſt inquinamentum corporis, ſic tumor ſuperbię eſt
inquinamentum ſpiritus, Vnde primum dicitur
peccatum corporale, ſecundum peccatum ſpiritua-
le, et quia non placet Deo qui emundet corpus ab
inquinamento luxurię per amorem caſtitatis et mun
ditię: niſi mundet ſpiritum ab inquinamento ſuper-
bię per timorem filialis reuerentię. Ideo dicit Apo-
ſtolus: Emundemus nos ab omni inquinamento car-
nis et ſpiritus. Sed quia niſi timor Domini pręcedat
commitetur et ſubſequetur noſtram emendationē:
nequaquam poſſumus ſanctificationem perficere:
quoniam qui ſine timore eſt, non iuſtificabitur. Ideo E
ſequitur perficientes ſanctificationem in timore Do
mini. Secundo a fœtore luxuriæ emundamur per
decorem caſtitatis et pudicitiæ. Si quis ergo emun-
dauerit ſe ab his, erit vas in honore ſanctificatum et
vtile Domino et ad omne opus bonum paratum: iu-
2. Tim. 2. d uenilia deſideria fuge. Si quis ergo emundauerit ſe
ab his inquinamentis luxurię per amaritudinem
contritionis et pœnitentiæ: erit vas in honore, ſan-
ctificatum per pulchritudinem cæleſtis gratię, ſiue
caſtitatis et munditię, et vtile Domino ad omne
opus per complacentiam diuinę voluntatis. Non
enim placet nobiliſſimo Regi Chriſto, neque acce- F
ptatur in opere miniſterij ſui vas ſordidum et im-
mundum. Iuuenilia deſideria fuge. Non enim dixit
reſiſte ſed fuge: quia melius ſuperatur vitium luxu-
rię per fugam quàm per reſiſtentiam. Tertio ab ar-
dore auaritię mundamur per dulcorem ſpiritualis
Ezec. 36. e lętitię. Vnde: Effundam ſuper vos aquam mundam
et mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris;
et ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos. Quia ve-
ro mens auari ęſtuat varijs delicijs, ardet terrenis af-
fectionibus: non enim ceſſat per diem inutilibus di-
ſtractionibus, nec per noctem varijs cogitationibus:
Ezec. 36. c ideo dicit Dominus: Effundam ſuper vos depreſſos
ad terrena aquam mundam, ideſt, gratiam Spiritus

ſancti ad refugationem ardoris auaritię, cuius guſta-
tio tanto dulcore refrigeret ardentem animam terre-
nis affectionibus vt diſſipet omnes appetitus ardoris
et terrenitatis: et mundabimini ab omnibus inqui-
namentis veſtris et ab vniuerſis idolis veſtris. Dicitur
peccatum auaritię omne inquinamentum. Eo quòd
cupiditas eſt radix omnium malorum: appellatur
nihilominus nomine idolorum. Quia ſecundum
Apoſtolum. Auaritia eſt idolorum ſeruitus: et pro- Coloſ. 3. a
pter hoc valde bonum conſilium dabat Dominus:
Veruntamen quod ſupereſt date elemoſinam et ec- Luc. 11. f
ce omnia munda ſunt vobis, *et cetera*.

## SERMO II.

*Aſcendente Ieſu in nauiculam*, et cetera. Na- Mat. 8. c
uicula eſt Eccleſia, quæ tempeſtatibus et
fluctibus tribulationum frequenter quaſ-
ſatur. Conſiderandum, quòd quattuor
genera hominum nauibus vtuntur: videlicet, piſca-
tores, bellatores, negotiatores, viatores. Sic eſt Ec-
cleſia nauis piſcatorum in prædicatione, nauis bel-
latorum in tentatione, negotiatorum in operatione,
viatorum in peregrinatione. Ideo Chriſtus merito
aſcendit in nauiculam. De primo: Sedens in naui- Luc. 5. a
cula docebat turbas, et vt ceſſauit loqui, dixit ad Si-
monem: Duc in altum, et laxate retia veſtra in ca-
ptionem. In hac nauicula tot ſunt piſcatores, quot
ſunt in Eccleſia doctores. Piſces ſunt homines: Fa- Mat. 4. c
ciam vos fieri piſcatores hominum. Mare autem in
quo capiuntur piſces, eſt mundus. Pſal. Hoc mare Pſal. 103. c
magnum, *et cetera*. Flumina, in quibus capiuntur,
ſunt concupiſcentiæ mundi. Pſal. Super flumina Ba- Pſal. 136. a
bylonis, *et cetera*. Tria autem ſunt flumina: Omne 1. Ioan. 2. b
quod eſt in mundo, *et cetera*. De his fluminibus ex-
trahi debent per pœnitentiam, qui vaſa manſionum
cæleſtium eligi vellent. Elegerunt bonos in vaſis ſuis. Mat. 13. f
O quantæ gratię eſt, quod ait Dominus: Duc in al-
tum, ideſt, in profundum: vt etiam de profundo pec-
catorum homines eruantur. Pſal. Cõuertam in pro- Pſal. 67. c
fundum maris. O ſi ego rudis piſcator vnicum pi-
ſcem Domino meo Ieſu Chriſto capere poſſem. De
ſecundo: Feci naues bellicas: volo autem procedere 1. Mac.
per regionem, vt vlciſcar in eos, qui corruperunt re- 15. a
gionem noſtram, *et cetera*. Verba iſta poteſt Chri-
ſtus dicere. Quot autem ſunt ſtatus bonorum in Ec-
cleſia militantium, tot ſunt naues bellicę Chriſti. Sta-
tus ergo coniugalis, vidualis, virginalis, naues ſunt.
Item ordo Franciſci, Benedicti, Dominici, et alij: in
quibus contra diabolum, mundum, et carnem, et vi-
tia bellandum eſt. In citharis, et in tympanis, et bellis Iſa. 3. g
pręcipuis, expugnabit eos. In ſono citharæ, ſuauis
oratio: in percuſſione tympani, carnis maceratio: in
bellis præcipuis, ſpiritualis colluctatio ſignificatur.
Regio igitur mens eſt noſtra, vel Eccleſia, vel fides:
corrumpitur autem iniquitatibus. Pſalm. Corrupti Pſal. 13. a
ſunt, *et cetera*. Corruptor eſt diabolus: Timeo ne 52. a
ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua. ita corrum- 2. Cor. 11. a
pantur ſenſus veſtri. Item mundus: Fugientes eius 2. Pet. 1. a
quę in mundo eſt cõcupiſcentię corruptionem. Item
caro: Omnis quippe caro. In iſtos corruptores Chri- Gen. 6. c
ſtus vlciſcetur, dum per fideles Chriſti eijciuntur. Li- Cor. 6. c
cet autem bona ſit manus tua, bona vita, tamen non
es ſecurus de victoria: ideo contra corruptores iſtos
perſeuerandum eſt in pugna. Auguſt. Ecce bapti-
zati ſunt omnes, iuſtificati ſunt omnes a peccatis, re-
ſtat tamen luctari cum carne et diabolo. De tertio:
Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans pa- Prou. 31. b
nem ſuum. Panis eſt corpus Chriſti quod de longe
venit, quia de cælo: Ego ſum panis verus, *et cetera*. Ioan. 6. d, e
Inſtitor eſt Chriſtus. Inſtitor eſt quilibet iuſtus, cuius
merces ſunt virtutes et bona opera: Iuda et terra Iſ- Ezec. 27. d
rael ipſi inſtitores tui in frumento primo balſamum,
mel, et oleum, et reſinam, propoſuerunt in nundinis
tuis.



tuis. Per Tyrum, cui præponuntur hæc, mundus ſi- A
gnificatur: cui de naui Eccleſiæ proponitur frumen-
Prou. 11. d tum doctrinæ. Qui abſcondit frumenta, maledicetur
Eccli. 24. b in populis, *et cet.* Item balſamum bonæ famæ: Quaſi
balſamum non mixtum odor meus. Non mixtum
dicit contra hypocriſim. Hypocrita enim miſcet ma-
Ibidem. c lum et bonum. Item mel gratiæ: Spiritus meus ſu-
per mel dulcis. Item oleum miſericordiæ: Compu-
Iſa. 10. g treſcet iugum a facie olei. Per opera enim miſericor-
diæ, iugum diaboli deſtruitur, et tanquàm putri-
Hier. 51. a dum abijcitur. Item reſinam pœnitentiæ: Tollite
reſinam ad curandum dolorem eius, ſi forte ſanetur.
Mat. 9. a De quarto: Aſcendens Ieſus in nauiculam transfre- B
tauit et venit in ciuitatem ſuam. Ciuitas iſta eſt cæ-
leſtis, in quam transfretare debemus, vt de peregri-
Hebr. 13. c natione exeamus: Non habemus hic manentem ci-
uitatem, *et cet.* Auguſtinus: Erit illius ciuitas et vna
in omnibus et ſeparabilis in ſingulis, voluntas libera,
ab omni malo liberata: cum bono fruens indeficien-
te æternorum iucunditate gaudiorum. Quia ergo
viatores ſumus, ideo congrua virtutum hoſpitia quę-
ramus, in quibus laſſi quieſcamus. Viatores enim val-
de ſoliciti ſunt de bonis hoſpitijs. Bona hoſpitia ad
quieſcendum ſunt, charitas, miſericordia, patientia,
caſtitas, et ceteræ virtutes. Hæc hoſpitia tibi Deus nõ C
Iob 31. d negat, ſi quæris, ſi petis, ſi pulſas. Foris non manſit pe-
regrinus, et hoſpitium meum viatori patuit.

## SERMO III.

Mat. 8. c *Ecce motus factus eſt magnus in mari ita vt na-*
Idem ſer. 1. *uicula operiretur fluctibus*: Nauicula eſt Ec-
Prou. 31. b cleſia: Facta eſt quaſi nauicula, *et cet.* Ma-
Pſal. 103. c re eſt ſæculum. Pſal. Hoc mare magnum,
Idem ſer. 1. *et cet.* Motus et fluctus ſunt tribulationes et perſecu-
Iona 2. b tiones: Fluctus tui ſuper me tranſierunt. Inuenimus
autem in ſcriptura ſeptem vicibus periclitari naues: D
iuxta quod accipere poſſumus ſeptem cauſas propter
quas nauicula Eccleſiæ tribulationibus quaſſatur. vi-
delicet, propter temporalium auaritiam et opulen-
tiam: propter malæ ſocietatis adhęrentiam: propter
ſubditorum inobedientiam: propter prælatorum ne-
gligentiam: propter ſpiritualem Chriſti abſentiam:
propter curæ paſtoralis, ſeu ſubditorum excreſcen-
tiam, propter iniquam innocentum oppreſſionem
3. Reg. 22. g et violentiam. De primo dicitur: Quòd Ioſaphat fe-
cit naues quę nauigauerunt in Ophir propter aurum,
quæ confractæ ſunt in Aſyongaber. Ioſaphat iudicem
Sap. 1. a ſignificat. Interpretatur enim ipſe iudicans: Diligite E
iuſtitiam, *et cet.* Ophir mundum infirmum ſignificat.
Interpretatur enim infirmans. Per aurum amor tem-
Iſid. etym. poralium ſignificatur, ſcilicet auaritia. Iſidorus: Aua-
lib. 10. ver. rus dictus ab eo, quòd ſit auidus auri. Nauis Ioſaphat
Auidus. in Ophir propter aurum vadit, quando iudex tempo-
ralia in Eccleſia quærit. Periculoſum eſt hoc autem.
Legimus enim, quòd propter aurum idololatria com
3. Reg. 12. f mittitur. Vnde dicitur: Quòd Hieroboam fecit vitu-
los aureos, vt adoraret eos populus. Vitulus aureus
adoratur, quando amor auri amori Dei præponitur.
Epheſ. 5. b Vnde auaritia ſeruitus idolorum dicitur, *et cet.* Hoc
autem ſcitote intelligentes, *et cet.* Item propter au- F
rum nauis frangitur, quando per amorem tempora-
lium Eccleſia vel congregatio per diſcordiam ſcindi-
tur. Ioan. Chryſoſtomus: Non amabit proximum,
qui aurum amat. Item propter aurum Achan lapida-
tur. Furatus enim fuit regulam auream, ſicut dicitur:
Ioſue 7. d Per duritiam lapidum duritia pœnarum ęternarum
ſignificatur. Achan ergo propter aurum lapidatur,
quando auarus pœnarum cumulo æternarum obrui-
Bernardus tur. Bernardus: Vtinam ſaperes miſer, et intelligeres,
in declam. quòd cum theſauro pecuniæ theſaurum irę pariter
ſup. ecce cumulas. Sic ergo auaritia auaro nociua eſt: ad Do-
nos, ante minum, propter idololatriam: ad proximum, pro-
med. pter diſcordiam: ad ſeipſum, propter pœnam æter-

nalem. De ſecundo dicitur: Quòd Ioppitæ rogaue- 2. Mach.
runt Iudęos aſcendere ſecum ſcaphas ſiue naues, et ſic 12. a
ſubmerſerunt eos. Ioppe mundum ſignificat pro-
pter deceptiuam eius pulchritudinem. Interpretatur
enim pulchritudo. In Ioppe ergo ſunt mundi ama-
tores. Iudæi confitentes interpretantur, et ſignificant
iuſtos, et religioſos, Dominum laudando, et ſeipſos
accuſando confitentes. Qui ergo magis mundi ama-
toribus quàm Dei adhærent, cito in nauibus ſubmer-
guntur et pereunt: Proieciſti populum tuum domum Iſa. 2. b
Iacob, quia repleti ſunt vt olim, et augures habuerunt
vt Philiſtiim, et pueris alienis adhæſerunt. Vnde bene
ait Iſidorus: Melius eſt habere malorum odiũ, quàm Iſid. in ſy-
conſortium. Vere periculoſa eſt malorum ſocietas non. cap. 9.
vbique. Periculoſa eſt in cælo. Vnde ſocij luciferi poſt med.
cum eo corruerunt: Cauda eius trahebat tertiam par- Apoc. 12. a
tem ſtellarum cæli. Item in mundo, ſicut hic dicitur,
quia ſpiritualiter ſubmerguntur. Pſal. Cum peruerſo Pſal. 17. c
peruerſus. *et cetera*. Item in inferno. Vnuſquiſque Iſa. 13. b
ad proximum ſuum ſtupebit: facies combuſtæ vultus
eorum. Mala ergo ſocietas in cælo perdit gloriam: in
mundo addit culpam: in inferno cumulat pœnam. Vt
ergo hęc periculoſa euadas, bonos ſocios ſemper ha-
beas. Bernardus. Bonos in conſilio, bonos in obſe-
quio, et bonos habeas contubernales, qui vitę et ho-
neſtatis tuę cuſtodes ſint et teſtes. De tertio dicitur:
Quòd pręcepit Dominus Ionę prædicare in Niniue. Iona. 1. a
Ionas a facie Domini fugit in nauim quæ tantum pe-
riclitata eſt, quòd Ionas eiectus eſt. Vere periculoſa Gen. 3. d
eſt inobedientia. Legimus enim inobedientia eiectum
Adam de paradiſo. Paradiſus eſt autem Spiritus ſan-
cti gratia, vel ſancta vita: Gratia quaſi paradiſus in Eccli. 40. c
benedictionibus. Item Ionam de naui ſicut hic dici-
tur. Item Saul de regno ſicut legitur: Per regnum 1. Reg. 15. f
autem gloria ęterna ſignificatur: Ideo accipient re- Sap. 5. c
gnum decoris, *et cetera*. Propter inobedientiam ergo
eijcitur homo de paradiſo gratię, de naui Eccleſiæ,
de regno gloriæ Dei. Ad idem regnum non ſinit ho-
minem peruenire. Prima eiectio eſt a fidelium me-
rito: ſecunda a fideliũ numero: tertia a fidelium præ-
mio. Auguſtinus: O quam deteſtabile eſt vitium obe-
dientię contrarium, per quam angelus de cælo, homo
de paradiſo cecidit: Saul regnum amiſit: populus Iſ-
rael populum et gentem amiſit.

## SERMO IIII.

*Ecce motus factus eſt in mari, ita vt nauis*, et Mat. 8. c
cetera. Poſt prędictas tres cauſas, quattuor
adhuc cauſę reſtant: per quas nauicula Ec-
cleſię tribulationum fluctibus premitur.
Quarum prima eſt, prælatorum negligentia. Vnde
hic dicitur, quòd Ieſu dormiente in nauicula, motus
magnus factus eſt. Ieſus in naui dormit, vbi iudex et
rector torpent et negligenter agunt. Vere periculo-
ſus eſt ſomnus negligentię rectorum et principum.
Legimus enim quòd Noe dormiens denudatur: Gen. 9. c
hoc autem ſpiritualiter fit, quòd negligens et tepidus
eſt quis, quando bona vita vel fama priuatur. Item
quòd Tobias dormiens excæcatur, per calida ſterco- Tob. 2. b
ra hirundinum: per quę feruens cupiditas tempora-
lium ſignificatur: Omnia arbitror vt ſtercora. Sed Philip. 3. b
heu hodie plus diligitur illud ſtercus, quàm Chriſtus.
Item Isboſeth iugulatur dormiens a duobus princi-
pibus latronum: Latrones ſunt peccata: Vos autem 2. Reg. 4. c
feciſtis illam ſpeluncam latronum, *et cetera*. Duo Mat. 21. b
principes ſunt pręſumptio, et deſperatio. Dormiens
ergo per negligentiam denudatur a bona conuerſa-
tione, excęcatur a bona cognitione, iugulatur ęterna
damnatione. Et vere multa iugulatione dignus eſt Gregor. lib.
malus rector: Prelati tot mortibus mori digni ſunt, paſt. cur.
quot in ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmit- par. 3. c. 1.
tunt. Secunda eſt ſpiritualis Chriſti abſentia. Vnde admon. 5.
dicitur: Quòd Ieſus erat ſolus in monte, et nauicula Mat. 14. c

in mari iactabatur fluctibus. Ibi autem Chriſtus abſens eſt, vbi Chriſti amor non eſt. Sicut econtrario Chriſtus eſt, vbi caſtitas eſt. Auguſt. Tanto Deum habebimus præſentiorem, quanto amorem quo in Deum tendimus poterimus habere puriorẽ. (*Aug. epiſt. 52. ad Macedon. poſt med. to. 2.*) Vere periculoſa eſt Chriſti abſentia. Legimus enim quòd, Chriſto abſente, Lazarus moritur (*Ioan. 11. c*): Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Mors Lazari ſpiritualem mortem ſignificat. Item Chriſto abſente, nauis agitatur: ſicut hic dicitur, perturbatur periclitatione. Pſal. (*Pſ. 103. d*) Auertente turbabuntur, *et c.* Item Chriſto abſente Thomas dubitat (*Ioan. 20. f*): Niſi videro, *et cetera.* propter hoc bene dicit Dominus (*Ioan. 14. a*): Ego ſum via, veritas, et vita. Chriſtus eſt vita et ideo ipſo abſente, anima moritur. Ipſe eſt via, ideo ipſo abſente, viator periclitatur. Ipſe eſt veritas, et ideo ipſo abſente, dubitatur in fide. Tertia eſt curæ paſtoralis excreſcentia. Vnde (*Luc. 5. b*): Impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. Per multitudinem piſcium ſignificatur multitudo ſubditorum. Quando enim tantum excreſcit cura paſtoralis per talem multitudinem, quòd periculoſum eſt. Notandum autem, quòd triplex eſt multitudo, per quã homines incipiunt mergi. (Multitudo triplex.) Prima eſt temporalium: Qui volunt diuites fieri, *et cetera.* incidunt in tentationem (*1. Tim. 6. b*), et in laqueum diaboli, et deſideria multa inutilia, et nociua, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem. Secunda tribulationum (*Mat. 14. d*): Videns ventum validum, id eſt perſecutiones, timuit, et cum cœpiſſet mergi, *et cetera.* Semper enim in tribulatione clamandum eſt ad Dominum. Tertia ſubditorum, de qua hic dicitur, quòd concluſerunt multitudinem piſcium, et innuerunt ſocijs, *et cetera.* Si pene merguntur qui alios in adiutorium vocant, quid fiet de illis, qui adiuuantes repellunt? De alia naui, ſcilicet religionis nullum admittunt: ſed certe in iudicio videbunt quot per eos animæ perierunt. Bernard. (*Bernar. in declamat. ſup. ecce nos rel. ante med.*) Venient ante tribunal Chriſti, audietur peccatorum querela grauis, accuſatio dura, quorum maxime ſtipendijs neque diluere peccata, quibus facti ſunt duces cæci, mediatores fraudulenti. Quarta cum propter oppreſſionis innocentum violentiã. Vnde legitur (*Act. 27. c*), quòd nauis, in qua captiuus ducebatur Paulus, valde periclitata eſt: ſed iam non ſolum Paulus, immo iam periclitati ſunt multi alij innocentes, violentias, et iniurias ſuſtinentes: non ſolum a ſæcularibus iudicibus, ſed etiam ab eccleſiaſticis. Bernard. O Prælati, iugum veſtrum aggrauatis ſuper vos, quorum onera potius portare debetis. Vere periculoſa eſt huiuſmodi oppreſſio. Omnis enim creatura inſanit contra violentum, ſpecialiter autem terra in paſſione innocentis Chriſti: terræ motus factus eſt vt dicitur (*Mat. 27. f*). Item aqua, vnde oppreſſores filiorum Iſrael ſicut dicitur (*Exo. 15. b*): Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. Et hic dicitur quòd Paulo violentiam patiente, mare concitatur. Item ignis (*Dan. 3. c*). Vnde dicitur, quòd viros illos, qui innocentes miſerunt in ignem, incendit flamma ignis. Poteſt autem in his triplex violentorum pœna ſignificari, ſcilicet temporalis in aqua. Vnde: Inundauerunt aquæ, *et cetera.* Iudicialis in terræ motu. Terra enim mouetur, dum in corde iudicium timetur. Pſal. (*Pſal. 67. b*) Terra mota eſt, *et c.* Æternalis in igne (*Iſa. 66. g*): Ignis eius non extinguetur, *etc.*

# DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

## SERMO I.

Domine ſalua nos perimus (*Mat. 8. c*): Quia ſecurum eſt diſcipulis audire veros magiſtros: commendabile filijs imitari bonos patres: atque glorioſum ſubditis ſequi ſtrenuos dominos. Ideo in verbo propoſito exemplo Apoſtolorum, verorum magiſtrorum, bonorum patrum, atque ſtrenuorum dominorũ principium fidei Chriſtianę: propter imminens periculum corporale diuinum auxilium reuerenter poſtulantium, et etiam efficaciter optãtium, admonemur nos eius diſcipuli, filij ſubditi: in omni neceſſitate recurrere ad auxiliũ diuinę miſericordiæ omnibus ſubuenientis. Vnde ad hoc melius faciendum eorum exemplo informamur nos in verbo propoſito ordinate procedere: eo quòd in verbo præmiſſo, primo præmittitur affectuoſa inuocatio excellentis magnificentiæ: Secundo additur diſcreta inſinuatio imminentis indigentiæ: Tertio ſubiungitur deuota petitio auxiliantis miſericordiæ. Primo ergo confitentur potentiam, cum dicitur: *Domine.* Secundo demonſtrant indigentiam, cum dicitur: *perimus.* Tertio implorant clementiam, cum ſubiungitur: *ſalua nos.*

Primo ergo in verbo propoſito commendant virtutis excellentiam; cum dicitur: *Domine.* Iſta autem excellens virtus, et magnificentia quæ in hoc vocabulo: *Domine*, intelligitur: poteſt tamen tripliciter accipi. Primo ratione inſeparabilis potentiæ: in præualendo. Secundo ratione infallibilis ſapientiæ: in cognoſcendo. Tertio ratione inenarrabilis miſericordiæ: in parcendo. Sic propter potentiæ magnificentiam redditur terribilis inimicis: propter ſapientiæ luculentiam, honorabilis in domeſticis: ſed propter miſericordiæ affluentiam amabilis, et deſiderabilis miſeris, et egenis. Primo habet Dominus virtuoſitatem potentiæ in præualendo. Vnde in Pſal. (*Pſal. 46. a*) Quoniam excelſus Dominus, terribilis, rex magnus ſuper omnem terram: ſubiecit populos nobis, et gentes ſub pedibus noſtris. Ieſus Chriſtus eſt excelſus Dominus propter maieſtatem dominij: terribilis, propter ſeueritatem iudicij: et rex magnus ſuper omnem terram; propter dignitatem imperialis præſidentiæ. Subiecit populos nobis, et gentes ſub pedibus noſtris: propter virtuoſitatem inexpugnabilis præualentiæ: propter hoc dicitur (*Heſt. 13. c*): Domine rex omnipotens in ditione tua cuncta ſunt poſita, et non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Secundo habet Dominus infallibilem ſapientiæ notitiam in cognoſcendo. Vnde dicitur (*1. Reg. 2. a*): Recedant vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, et ipſi preparantur cogitationes. Vetera ſophiſticę rationis, et philoſophicæ argumentationis, quaſi nullius valoris recedant de ore veſtro, non quòd non debeatis de philoſophia loqui: ſed quòd non debeatis ei inniti, quia Dominus Ieſus Chriſtus in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, et ſcientiæ (*Coloſ. 2. a*), eſt Deus ſcientiarum cognoſcens omnia nouiſſima, et antiqua. Et ipſi preparentur cogitationes vt dirigantur in via veritatis, et iuſtitiæ ſecundum dictamen rectæ rationis non ſophiſticę. Tertio habet Dominus pietatem miſericordiæ in parcendo. Vnde (*Iſa. 55. b*): Derelinquat impius viam ſuam, et vir iniquus cogitationes ſuas, et reuertatur ad Dominum, et miſerebitur eius, quoniã multus eſt ad ignoſcendum. Derelinquat impius viam ſuam, id eſt, peccatum operis, et vir iniquus cogitationes ſuas, id eſt, peccatum cordis, et reuertatur ad Deum cum amore, et miſerebitur eius: per condo-



nationem omnium delictorum. Quia multus eſt ad ignoſcendum: quia tanta eſt offenſa quantus eſt ille, qui offenditur. Certe exemplo groſſo experimento approbato poſſumus videre quòd multus eſt ad cognoſcendum. Nam vulgo dicitur quòd mulier adultera et repudiata et a conſortio viri eiecta nequaquam a viro ſuſcipitur vt ei reconcilietur, propter horrorem fęditatum præteritarum. Anima tamen ſi per auerſionem a Deo fuerit fornicata in peccatis multis, ſi conuerti voluerit clementer ſuſcipitur a Chriſto: non propter horrorem præteritarum fęditatum deuitat eius conſortium. Et propter hoc dicit Hieronymus doctor fideliſſimus ſuper illud Hierem. (*Hier. 3. a*) Dixit: Reuertere reuertere, et non eſt reuerſa. O clementia de noſtra duritia, dum poſt tanta ſcelera nos prouocat ad ſalutem, nec ſiquidem volumus ad meliora conuerti. Sequitur: *Perimus*, vbi oſtendunt neceſſitatis indigentiam. Exemplo enim iſtorum Apoſtolorum quilibet alius debet oſtendere Chriſto ſuam indigentiam et neceſſitatem, cum videt ſe perire. Primo propter debilitatem impotentiæ ſubcumbentis. Secundo propter cęcitatem ignorantiæ deuiantis. Tertio propter pœnalitatem miſeriæ opprimentis. Primo perit aliquis propter debilitatem impotentiæ ſuccumbentis. Vnde dicitur (*Exo. 10. a*): Nonne videtis, quòd perierit Aegyptus. Aegyptus contradicens diuinę voluntati, cognoſcens experimentaliter ſe periſſe ratione debilitatis impotentiæ in reſiſtendo pęnis illatis ſibi, ſignat quemlibet imbecillem poſitum in tribulatione et anguſtia, qui diffidens de diuino auxilio et rebellis effectus: intuitu fragilitatis ſuæ perit periculo interioris indignationis. Secundo perit aliquis propter cęcitatem ignorãtiæ deuiantis. Vnde Baruch (*Bar. 3. c*): Quoniam non ſapientiam habuerunt perierunt propter ſuam inſipientiam. Nullus poteſt deuenire ad ſtatum ſalutis niſi habeat Ieſum Dei ſapiẽtiam. Quoniam ipſa eſt ad creatorem omnium deductiua, virtutis potentię oſtenſiua, et diuini cultus exhibitiua. Vnde Philoſofi immo aliqui ſuperbi volentes potius inniti ſtoliditati ſiue vanitati fantaſticæ rationis, quàm ſoliditati potentiæ veritatis, perierunt propter ſuam inſipientiam. Et nota quòd dicit ſuam: eo quòd defectus fuerit ex parte ipſorum, non ex parte diuinæ ſapientiæ. O ſuperbia intellectus quę dum inflaris ventoſitate vanę elationis: euacuaris ſoliditate ſapientię ſalutaris: et inflammaris ſtoliditate auerſionis. Tertio perit aliquis propter pœnalitatem miſeriæ opprimentis. Vnde in Pſal. (*Pſal. 72. c*) Quomodo facti ſunt in deſolationem: ſubito defecerunt et perierunt propter iniquitates ſuas. Peccatores homines cum implentur multis miſerijs, opprimuntur magnis pęnalitatibus, et affliguntur diuerſis doloribus. nolunt patienter conuerti ad lacrymas et ploratus, et clamare ad Deum cum humilitate donec confringantur ſpinę tribulationis et pęnalitatis: ſcilicet tanto furore impatientię permittunt ſe ſuperari immo abſorberi, vt ſubito deficiant in ſuſtinendo: et hoc eſt quod dicit: Quomodo facti ſunt in deſolationem: ſubito defecerunt, *et cetera.* Et quia quod erat eis materia exercendæ virtutis et occaſio ſalutis et gratiæ, ſcilicet pęnalitates conuertunt in augmentum culpæ. ideo ſequitur: Perierunt propter iniquitatem ſuam. Certe ſumma ſapientia eſt de neceſſitate facere virtutem: et ſumma ſtultitia eſt de virtute facere peccatum et vitium. Tertio ſubditur: *Salua nos.* Vbi notatur deuota imploratio auxiliantis miſericordię. Debemus autem exemplo Apoſtolorum implorare diuinam miſericordiam: vt primo Deus inſuperabilis potentiæ in præualendo ſaluet nos a debilitate impotentiæ ſuccumbentis: per influentiam virtutis: fortificantis operatiuam. Secundo Dominus infallibilis ſapientię in cognoſcendo ſaluet nos a cæcitate ignorantiæ deuiantis: per ſuperſplendentiam lucis illuminantis intellectiuam. Tertio Dominus inenarrabilis clementię in parcendo: ſaluet nos a pęnalitate miſeriæ opprimentis per concomitantiam ſalutis dulcorantis affectiuam. Primo Dominus inſuperabilis potentię in pręualendo ſaluat nos a debilitate impotentię ſuccumbentis: per influentiam virtutis fortificantis operatiuam. Vnde in Pſal. (*Pſal. 43. b*) Nonne in arcu meo ſperabo, et gladius meus non ſaluabit. Saluaſti enim nos de affligentibus nos et odientes nos confudiſti. In Deo laudabimur tota die. et in nomine eius confitebimur in ſęcula. Illi ſperant ſaluari in gladio et arcu ſuo qui præſumentes de ſua fortitudine elatis cogitationibus ſe extollunt. quibus diuinum auxilium merito denegatur, ſcilicet recognoſcentes ſuam impotentiam, recurrentes ad diuinum auxilium ſaluat Dominus: influendo interius virtutem, ne turbentur, et amouendo exterius omne nociuum impedimentum, ne ledantur, propter hoc exemplo Dauid: de omni beneficio debemus non in nobis (*Pſal. 113. b & alibi.*): ſed in Deo laudari, et ſolum nomini eius confiteri. omne bonum ſibi attribuendo. Secundo Dominus infallibilis ſapientiæ in cognoſcendo ſaluat nos a cęcitate ignorantiæ deuiantis: per ſuperſplendentiam lucis illuminantis intellectiuam. Vnde (*Iſa. 49. a*): Dedi te in lucem Gentium vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Filius Dei lux vera et puriſſima carens omni tenebra ignorantiæ omniq. macula culpæ datus eſt gratis a Deo patre populo Gẽtium (*Iſa. 9. a*), qui ambulabat in tenebris ad demonſtrandum deuia erroris, ne in via erremus præcipitio falſitatis aut deceptionis. Vt ſis ſalus mea diuina ſcilicet non humana omnium fidelium ab extremis terræ. videlicet ab oriente fideliter incipientium: et ab occidente finaliter morientium: a meridie feruenter amantium: ab aquilone mala pœnę viriliter ſuſtinentium: vt ſic nulli exiſtenti in aliqua extremitate terræ illa vera ſalus ratione ſuæ ſufficientiæ deficiat. Tertio Dominus innenarrabilis clementię in parcendo ſaluat nos a pęnalitate miſeriæ opprimentis per concomitantiam ſalutis dulcorantis affectiuam. Vnde ad Phil. (*Phil. 3. d*) Saluatorem expectamus Dominũ Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtrę cõfiguratum corpori claritatis ſuæ. Si configurari volumus corpus noſtrum in aduentu iudicij corpori claritatis Chriſti, debemus ad exemplar corporis eius, quod fuit attritum ieiunijs et abſtinentijs in tormentis et proiectum in terra cum verecundia ad modum frumenti: ſic corpus noſtrum debet deprimi ieiunijs et humiliari afflictionibus: quia tanto corpus cuiuſlibet erit corpori claritatis Chriſti configuratius, quanto pro eius nomine fuerit humilius. Rogamus, *et cetera.*

## SERMO II.

*Simile factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminat bonum ſemen* (*Mat. 13. c*). In præſenti Euangelio declaratur nobis diuinum beneficium: diabolicum maleficium: humanum exercitium: angelicum officium. Primum oſtenditur non ſolum in ſeminando ſemen bonum, ſcilicet filios regni: ſed in tollendo ſemen malum, ideſt filios nequam, inter bonos. Vnde noluit Deus euelli zizaniam propter maximam bonitatem ſuam. Malos enim Dominus in hoc mundo tolerat propter quattuor cauſas (Malos cur Dominus toleret in hoc mũdo.), videlicet propter eorum correctionem. Domine dimitte illam, et hoc anno, *et cetera.* (*Luc. 13. b*) Et hic zizania non tolluntur, quia, vt ait Gloſa, forſitan triticum futurum ſunt. O quot mali iam hic ſunt, qui ſi modo tollerentur, damnarentur, qui forſitan cito boni erunt et ſaluabuntur. Item propter bonorum exercitationem: Non delego gentes quas dimiſit Ioſue, vt in ipſis experiar Iſrael (*Iudic. 2. d*). Gregorius: Abel eſſe renuit, quem Cain malitia non exercet. Auguſtinus (*Auguſt. in Pſal. 54.*): Omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur: aut vt per eum bonus exerceatur. Item propter bonorum aſſociationem. Vnde Sodomitis

[A] domitis peperciſſet Dominus propter paucos bonos eis aſſociatos. [*Gen. 18. d*] Non delebo propter decem. Item propter malorum punitionem, vt mali per malos affligantur: [*Ioſ. 23. c*] Si volueritis harum gentium erroribus adhærere, iam tunc ſcitote quòd Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram, ſed vobis erunt in foueam ac laqueum, et offendiculum. Secundum oſtenditur ibi: [*Mat. 13. d*] Cum dormirent homines, venit inimicus eius, et ſuperſeminauit zizaniam in medio tritici. Inimicus Dei, eſt diabolus. Sed attende quid, quando, vbi ſeminat. Quid certe niſi zizaniam? quod Dominus exponens ait: Zizania hi ſunt filij nequam, hi ſunt adulteri, raptores, vſurarij, [B] et alij peruerſi ſemen diaboli: [*Iſa. 1. b*] Væ genti peccatrici populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, *et cet.* Item quando? certe cum dormirent homines, id eſt, prælati vel alij homines qui dormiunt per torporem, et negligentiam, et otium. Vnde ei cuius agrum vrticæ, et ſpinæ repleuerant dicitur: [*Prou. 6. a 24. d*] Vſquequo piger dormis? *et cet.* Et quid tibi poſſet facere diabolus, ſi non dormires? Item vbi? certe in medio tritici. Diabolus enim ſemper quærit malos intermiſcere bonis vt ſcandalo ſint eis, vt ſuffocetur triticum, id eſt, boni, ſicut hic oſtenditur. [C] [*3. Eſd. 8. f*] Vnde: Mixtum erat ſemen ſanctum alienigenis gentibus terræ. Vel vt triticum deſtruatur, creuerunt. [*Iud. 15. a*] Vnde dicitur, quòd per vulpes cremantur Philiſtinorum ſegetes. Vulpes ſignificant fraudulentos, et peruerſos homines. Vere ſegetes beati homines, qui licet in igne malitię peruerſorum tanguntur, tamen non læduntur. Bernard. Bonum eſſe inter malos, tantæ virtutis eſt, quantæ et difficultatis: quale enim eſt illud tangere picem, et non inquinari: in igne ſine læſione verſari. Tertium oſtenditur ibi: Sinite vtraque creſcere, *et cetera.* Hoc enim exercitium humanum, vt mali in malo, boni in bono creſcant: [D] [*Apoc. 22. c*] Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: et qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Vtraque ergo creſcunt luxurioſi, ſuperbi, caſti, humiles, et ſic de alijs iuſtis et iniuſtis: vtraque in vna domo, in menſa, in via, in Eccleſia ſimul ſunt vſque ad meſſem conſummationis: ſicut bonis ad gloriam, ſic malis ad pœnam proficit. Greg. [*Greg. lib. 1. Mor. c. 1.*] Sicut grauioris eſt culpæ inter bonos bonum non eſſe: ita immenſi eſt præconij, et inter malos bonum extitiſſe. Vtraque ergo ſinuntur ſimul eſſe tripliciter, videlicet, ſicut ſemina bona, et mala in agro: ſicut vaſa munda, et immunda in domo: [*2. Tim. 2. d*] In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, et argentea: [E] ſed et lignea, et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, *et cet.* Boni enim ſunt pro vino gratiæ Dei: mali autem vaſa pro ſterquilinio diaboli. Item ſicut piſces boni, et mali in ſagena: [*Mat. 13. f*] Simile eſt regnum cælorum ſagenę miſſę in mare, et ex omni genere piſcium congreganti, quā cum impleta eſſet educentes, et ſecus littus ſedentes elegerunt bonos, *et cetera.* Boni piſces reficiunt, mali vero inficiunt. [*Ibidem d*] Quartum oſtenditur ibi, Colligite primum zizaniam, *et c.* Angelicum officium oſtenditur in tribus, in colligendo, in alligando, in congregando. [F] Colliguntur enim peruerſi per ſeparationem a bonis, alligantur per coniunctionem in pœnis, congregantur autem boni per vnionem in gaudijs. O quàm lætanter totam meſſem congregabunt, qui tam lætanter vnum granum vnam animam colligunt! Vnde de Lazaro Ioannes Chryſ. Suffecerat ad portādum pauperem vnus angelus, ſed propterea plures venerunt, vt chorum lætitiæ faciant.

## SERMO III.

[*Mat. 13. d*] *Triticum autem congregate in horreum meum.* Conſiderare debemus quadruplicem congregationem: videlicet credentium in mundo, gementium in inferno, fruentium in cælo, reſurgentium in iudicio. [*Congregatio quadruplex.*] De primo: [*Iſa. 11. c*] Leuabit Dominus ſignum, et congregabit profugos Iſrael, et diſperſos Iuda colliget a quattuor plagis terræ. Signum illud vexillum eſt, ſub quo dux noſter Ieſus Chriſtus milites ſuos congregat contra hoſtes [B] malignos, qui nos armis vitiorum impugnant, præcipue ſagittis igneis malarum cogitationum: [*Epheſ. 6. c*] In omnibus ſumentibus ſcutum fidei, *etc.* Profugi ſunt peccatores, dum auertuntur a Deo, dum fugiunt bonum, diſperſi, dum conuertuntur a malis. Per tot autem loca ſunt diſperſi, per quot vitia ſunt diſtracti: [*Exod. 5. c*] Diſperſus eſt populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas, id eſt, vanitates. Auguſtinus: Dulcedo felix et ſecura colligere me a diſperſione, in qua fruſtatim diſcerptus ſum: ab vno enim diuiſus, in multa euanui. Quattuor plagę, ſunt quattuor [C] ætates terrenorum. De plaga orientali veniunt, qui in pueritia conuertuntur: de auſtrali ſeu meridionali quæ feruida eſt, qui in feruore iuuentutis Domino ſeruire incipiunt, et ad Dominum ſe conuertunt: de occidentali vero, qui in ſenectute; per quam ad occaſum tendunt. De aquilonari vero, qui ſemper frigidi in extrema tamen hora conuertūtur, ſicut latro in cruce. Propter hoc bene dicitur: [*Ezec. 36. e*] Congregabo vos de vniuerſis terris. De ſecundo: [*Iſa. 24. d*] Congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum, et claudentur ibi in carcere. Væ eis, qui in carcerem inferni veniunt. Vnius autem faſcis erit malorum congregatio, quia vnius damnationis vinculo, a quo [D] impoſſibile eſt fugere, omnes ligabuntur. In inferno enim per ſpeciales faſciculos ligabuntur pariter in pœnis qui pares fuerunt in culpis. Vnde in Euangelio dicitur: [*Mat. 13. d*] Colligite primum zizania, et alligate ea in faſciculos ad comburendum. Greg. [*Greg. lib. 9. Mor. c. 39. ante med.*] Sicut in domo patris mei manſiones multæ ſunt pro diuerſitate meriti: ſic damnatos pro diuerſo ſupplicio gehennæ ignibus ſubijcit diſparilitas criminis. De tertio: [*Mat. 24. c*] Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ. Sancti ſunt in cælo, quia ſicut aquila irreuerberatis oculis ſolem videt in rota: ita ſancti faciem Dei in cælo, quæ eis abſcondita eſt in hoc [E] exilio: [*Ezec. 39. g*] Scient quia ego Dominus Deus eorum, quia congregaui eos ad terram ſuam, et non abſcondam vltra faciem meam ab eis. Alæ autem iſtarum aquilarum ſine quibus ad cælum volare non poſſunt, ſunt amor Dei, et proximi: has alas qui habuerit, neque Deum, neque proximum indebite offendit. In vno diabolum euadit: [*Apoc. 12. d*] Datæ ſunt mulieri duæ alę, *et c.* In ſecundo in Deum volabit pennis pulchritudinis, et integritudinis quibus ad Dei amplexus amor caſtus innitatur. De quarto: [*Ioel 3. a*] Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Ioſaphat, *et cetera.* [F] Cuncti deſcribuntur hic iudicādi, cum dicitur: Omnes gentes. Si omnes, ergo vſurarius, et raptor, et fornicator, *et cetera.* Item locus, dum dicitur: In valle Ioſaphat. Ibi enim in valle erunt qui vallem vitiorum amauerunt. Item iudex, cum Dominus dicit: diſceptabo, non populus, non angelus, ſed ego diſceptabo. Item cauſa, cum dicitur, quòd hereditatem Domini diſperſerunt, id eſt, animas: horrendum eſt, quòd in tanta congregatione turpitudo peccatorum tuorum omnibus denudabitur: [*Ezec. 16. d*] Congregabo eos ſuper te vndique, et nudabo turpitudinem tuam in iudicijs. Adulteri primi congregabuntur ſicut piſces a piſcatore: [*Mat. 13. f*] Ex omni genere piſcium congreganti, *et c.* Secundi ſicut metallum a conflatore. [*Ezec. 23. d*] Ecce ego congregabo vos congregatione argenti,



[A] genti, et æris, et ferri, et ſtanni, et plumbi in fornace, *et cetera.* Tertij ſicut triticum ab agricultore. Vnde hoc dicitur: *Triticum autem congregate in horreum meum.* Quando enim Dominus flagellat tunc triticum ſuum triturat. Quarti ſicut pecora a paſtore: [*Mat. 25. c*] Congregabuntur ante eum omnes gentes, et ſeparabit eos ab inuicem ſicut paſtor, *et cetera.* Cum mane paſtor inflat cornu, pecora de domibus congregantur. Sic et in tuba nouiſſima mortui de quolibet cœmeterio, vel de quolibet hominum ſtatu congregabuntur.

## SERMO IIII.

[*Mat. 13. d*] *Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo?* Bonum ſemen boni homines ſunt, hi ſunt filij regis. Seminat autem Dominus hic ſemen quadrupliciter: videlicet in natura, in gratia, in gloria, in miſeria. Seminat inquam in generatione, in iuſtificatione, in reſurrectione duplici: altera ad gloriam, altera ad miſeriā. [*Gen. 9. e*] De primo: Tres iſti ſunt filij Noe et ab his diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper vniuerſam terram, hoc ſemen eſt mane florens in iuuentute: [*Iſa. 17. c*] Mane ſemen tuum florebit: ſed veſpere perit in morte. [*Pſal. 89. b*] Pſal. Mane floreat et tranſeat: veſpere decidat induret, et areſcat, *et cetera.* Sicut autem a tribus diſſeminata ſunt corpora: ſic etiam a tribus ſcilicet a Patre et Filio et Spiritu ſancto diſſeminatæ ſunt ſingulæ animæ in ſingulis corporibus. Sicut autem ſeminator non vno iactu totum ſemen effundit, ſed ſępe de mane vſque ad veſperam ſpargit: ſic Creator non omnes animas ſimul creauit, ſed a principio mundi vſque ad finem creando, ſeminat in corporibus. Sed heu frequenter hoc ſemen vitijs ſuffocatur. [*4. Re. 11. a*] Vnde dicitur, quòd Athalia interfecit omne ſemen regium, ideſt animas a ſummo rege creatas, et regali [D] imagine nobilitatas. Athalia propter faſtum dominandi ſignificat ſuperbiam: propter interfectionem prolis regalis, ſuperbiam: propter laſciuiam ſuam, gulam. [*Iſa. 61. c*] De ſecundo: Iſti ſunt ſemen, cui benedixit Deus. de hoc ſemine expone præſens Euangelium, ſicut exponit Dominus. Qui ſeminat bonum ſemen filius Dei eſt. Aſer mundus eſt, bonum ſemen filij regni, zizania filij nequam, qui ſeminant zizaniam diabolus, meſſis conſummatio ſæculi, meſſores angeli. multum premit diabolus bonum ſemen ſemine ſuo peſſimo. [*Gen. 3. c*] Vnde illud: Inimicitias ponam inter te et mulierem: et inter ſemen tuum et ſemen illius. [E] [*Ibidem. d*] Moraliter iſta mulier eſt Eccleſia de latere Adę dormientis, ideſt Chriſti morientis formata. Huius ſemen ſunt omnes iuſti: ſemen autem diaboli ſunt peruerſi, qui iuſtis inimicantur, dum eis ad culpam ſiue ad pœnam inſidiantur: ſed ex his inimicitijs iuſtorum prȩmia augmentantur, dum culpam odiunt, et pœnam inferentem diligunt, Ioannes Chryſoſtomus: Hic eſt pugna periculoſa, et hic eſt victoria glorioſa: qui poterit odire quod amat, et amare quod odit. [*Hier. 31. e*] De tertio: Seminabo domum Iſrael et domum Iuda ſemine hominum et ſemine iumentorum. Domus Iſrael eſt domus cæleſtis in quo Deus videtur. [F] [*Mat. 5. a*] Iſrael enim interpretatur videns Deum: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Iſta domus [*Pſal. 24. c*] ſeminatur ſemine animarum euolantium: Anima eius in bonis demorabitur, et ſemen eius hereditabit terram, ſcilicet viuentium. Domus Iuda eſt Eccleſia militans propter confeſſionem. Iudas enim confeſſio interpretatur: [*1. Ioan. 1. d*] Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt et iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra: et emundet nos ab omni iniquitate. Homines autem ſunt contemplatiui, viri perfecti, vel prælati, vel illuminati ſeu litterati. Iumenta vero ſunt actiui vel imperfecti, vel ſubditi, vel laici. Talium enim ſemine vtraque domus ſeminatur, quia vtrumque



[A] ad Eccleſiam pertinet. [*Pſal. 35. a*] Pſalm. Homines et iumenta ſaluabis Domine. Vel forte ſemen hominum ad domum Iſrael: ſemen iumentorum ad domum Iuda pertinet: quia in cælo omnes homines, in terra autem et mundo ſumus quaſi iumenta, [*Pſal. 72. c*] Vt iumentum factus ſum apud te. Seminamur hic in valle miſeriæ: ſeminabimur ibi in monte gloriæ: [*Iſa. 65. b*] Educam de Iacob ſemen et de Iuda poſſidentem montes meos. Montes ſunt ordines angelorum. De quarto: [*1. Cor. 15. f*] Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, *et cetera.* Illuſtratum enim quattuor dotibus ſurget triticum in [B] gloria: Zizania in ignominia manebit æterna: [*Gen. 22. d*] Multiplicabo ſemē tuum ſicut ſtellas cæli, quoad beatos: et ſicut arenam maris, quoad damnatos, vel malos qui in mari inferni mergentur. Tunc ergo florebunt ſemina corporum æternaliter eorum, qui nunc florere nolunt temporaliter: qui autem nunc quærunt florere in mundo, non florebunt æternaliter in cælo. Beda: Ne indignemini, ſi mali in mundo florent, ſi vos patimini: quia non eſt Chriſtianæ dignitatis in temporalibus exaltari, ſed potius deprimi. Mali nihil habent in cælo: vos nihil in mundo: ſed ſpe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via [C] contingat, gaudere debetis.

# DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM.

## SERMO I.

[*Mat. 13. c*] *Simile eſt regnum cælorum homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo.* Quoniam ſecundum beatum Dionyſium: Impoſſibile eſt nobis aliter [D] lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumuelatum. Hinc eſt quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſciens quòd magis eſſet expediens cæcutienti generi humano mirificum opus creationis: explicat illud in verbo propoſito ſub conuenientiſſima metaphora hominis ſeminantis bonum ſemen in agro ſuo dicens: *Simile eſt regnum cælorum*, et cetera: [*Gen. 1. d*] Tunc enim Dominus bonum ſemen ſeminauit in agro ſuo quando in agro machinæ mundialis fecit hominem ad imaginem et ſimilitudinem ſuam. Sub hac metaphora nobiliſſima exprimitur creatio hominis [E] quantum ad principium effectiuum, in metaphora hominis: quantum ad ſubiectum receptiuum, in agri nominis ſignificatione: et quantum ad actum intermedium in boni ſeminis iactatione. Primo ergo exprimitur creatio hominis quantum ad principium effectiuum: cum dicit: *Simile eſt regnum cælorum:* homo ille metaphorice loquēdo, Deus eſt. Secundo exprimitur creatio hominis quantum ad ſubiectum receptiuum, cum ſubdit: *in agro ſuo.* Ager enim eſt machina mundialis. Tertio exprimitur creatio hominis quantum ad actum intermedium: cum ſubinfertur: *Seminauit bonum ſemen.* quoniam [F] hominem creauit ad imaginem et ſimilitudinem ſuam. Dicit ergo: *Simile eſt regnum cælorum.* Vbi exprimitur creatio hominis quantum ad principiū effectiuum in metaphora hominis et ſimilitudine: ſed quia tunc bene et perfecte cognoſcitur, quando cognoſcitur quantum ad eius principium, medium et vltimum: Ideo ſi volumus perfectam cognitionem habere de creatione hominis iuxta poſſibilitatem intelligentię noſtræ: neceſſe eſt vt eam agnoſcamus quantum ad eius principium medium et vltimum, in quibus perfecta cognitio rei conſiſtit: [*1. Phyſ. tex tu 1.*] Principium namque creationis non ſolum hominis, ſed totius vniuerſi eſt productio potentiæ ſupernaturaliter operantis. Medium autem

autem eſt gubernatio ſapientiæ ſuauiter diſponentis. Sed vltimum eſt conſummatio miſericordiæ, et iuſtitiæ iuxta merita omnibus retribuentis. Primo ergo in creatione hominis, productio potentiæ tenentis rationem principij effectiui, aſſimilatur homini bonum ſemen in agro ſuo ſeminanti. Secundo gubernatio ſapientiæ inducentis rationem medij directiui, aſſimilatur patrifamilias operarios in vineam conducenti. Tertio conſummatio miſericordiæ, et iuſtitiæ habentis rationem vltimi complementi, aſſimilatur homini regi cum ſeruis ſuis rationem ponenti. Primo creatio hominis producentis potentiæ, tenentis rationem principij effectiui, aſſimilatur homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo. Vnde dicitur: *Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo*, cum autem dormirent homines venit inimicus homo, et ſuperſeminauit zizaniam. *Gen. 1. d* Dominus ſeminauit ſemen bonum, ſcilicet machinæ mundialis, quando hominem fecit ad imaginem, et ſimilitudinem ſuam: ſed inimicus homo, id eſt, diabolus cum dormirent homines, ſcilicet Adam, et Eua negligenter agerent in cuſtodia mandatorum Dei: ſuperſeminauit zizaniam, id eſt, vitia, et peccata ex quibus naſcuntur filij iræ, et iſta expoſitio eſt ex verbis domini. Vnde ibidem ſequitur *Mat. 13. d* ad eum acceſſerunt diſcipuli eius dicentes: ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri, qui reſpondens ait: Qui ſeminauit bonum ſemen filius hominis eſt. Ager ille eſt mundus, bonum vero ſemen ſunt filij regni. Zizania ſunt filij nequam: inimicus, et qui ſeminat, eſt diabolus. Secundo gubernatio regentis ſapientiæ inducentis rationem medij directiui: aſſimilatur patrifamilias operarios in vineam *Mat. 20. a* conducenti. Vnde dicitur: Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Hęc parabola comprehendit regnum Dei a principio vſque ad finem. Vnde dicitur quinque vicibus operarios in vineam ſuam conduxiſſe, ſcilicet mane: hora tertia, ſexta, nona, et vndecima. Primo ergo miſit operarios, quando dedit legem naturæ. Hora tertia, quando dedit legem ſcriptam. Hora ſexta, quando miſit prophetas ad docendum populum. Hora nona, quando dedit legem nouam mittens Apoſtolos prædicare omni creaturæ. *Mat. vlt. d* Hora vndecima quando poſt Apoſtolos miſit prædicatores, et doctores, et non ceſſabit mittere vſque in finem. Tertio conſummatio miſericordiæ, et iuſtitiæ habentis rationem vltimi complementi: aſſimilatur homini regi cum ſeruis ſuis rationem ponenti. *Mat. 18. c* Vnde dicitur: Aſſimilatum eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. In illa enim parabola commendatur diuinæ miſericordiæ in dimiſſione debiti, et opus diuinę iuſtitię in damnatione ſerui nequam. Vnde licet vniuerſæ viæ Domini miſericordia, et veritas: potiſſime tamen in conſummatione relucebit miſericordia in retributione bonorum, et iuſtitia in punitione malorum. Et propter hoc propheta Dauid dicit. Duo hæc audiui, ſcilicet miſericordiam, et iuſtitiam, quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua. Nam bonis habentibus meritum gratiæ diuina miſericordia reddit præmiũ gloriæ, et malis habentibus demeritum culpę, diuina iuſtitia reddet, ſupplicium gehennæ. Sequitur: *in agro ſuo*. Hic exprimitur creatio hominis quantum ad ſubiectum receptiuum in agri deſignatione; Vnde ſecundum verbum Domini per agrum in hoc loco intelligitur mundus, in quo fuit formatus quantum ad corpus de limo, et creatus quantum ad animam de nihilo. Inuenimus in ſacra Scriptura quòd tria agri nomine cenſentur: videlicet machina mundialis, conſcientia mentalis, et patria cæleſtis. *Agri ſignificatio.* Vnde eſt. Primo ager mundialis machinæ. Secundo mentalis conſcientię. Et tertio cæleſtis patriæ. Ager

A mundialis machinæ eſt contemnendus propter occaſionem erroris, et deuij. Ager mentalis conſcientiæ eſt excolẽdus propter ſuſceptionem ſeminis Dei. Sed ager cæleſtis patriæ eſt deſiderãdus propter odorem ſiue pulchritudinem floris diuini. Primo ager mundialis machinæ eſt contemnendus propter occaſionem erroris, et deuij. Vnde dicitur: huic (ſcilicet vehemoth) montes herbas ferunt: omnes beſtiæ ludent ei. *Iob 40. b* Quia peccatores propter nimium amorem ad illum agrum mundialem, contemnunt Deum: ideo ex cordibus eorum gignuntur ſpinoſæ herbæ vitiorum, quibus paſcitur, et delectatur vehemoth B ſcilicet diabolus. Omnes beſtiæ agri, id eſt, demones latitantes in hoc mundo, ludunt ei, et applaudũt: mentes humanas ad Dei imaginem factas deuio erroris ad terrenas affectiones pertrahendo: vanis cogitationibus errore principij ab amore pœnitentiæ retrahendo, et ad dulcedinem mundani gaudij alliciendo. Vnde de Ioſeph dicitur: Inuenit eum vir errantem in agro. *Gen. 37. c* Ioſeph errans in agro, qui interpretatur appoſitio, poteſt ſignare in hoc loco hominem apponentem cor ſuum ad defluendas delicias mundialis agri, quarum amore alienatur, vt erret a via inquirendi regnum Dei, cum ſit gratuitum, liberum C et communiſſimum. Cor auari adeo errat quòd id, quod eſt gratuitum velit facere ſeruile, et quod eſt liberum, venale: et quod eſt communiſſimum ſibi appropriare, et ratione iſtius erroris, et deuij iſte ager mundialis machinæ eſt contemnendus: licet propter ſuſtentationem noſtrę neceſſitatis ſit eo vtendum. Secundo ager mentalis conſcientię eſt excolendus propter ſuſceptionem ſeminis diuini. Vnde dicitur: *Prou. 24. d* Diligenter exerce agrum tuum, ne ſcilicet ſterileſcet ſpinis vitiorum, Vnde ſapiens dicit ibidem. Per agrum pigri hominis tranſiui, et per vineam ſtulti hominis, et ecce totum repleuerant vrticæ: ſuperficiem eius D cooperuerant ſpinę, maceria lapidum deſtructa erat, quod cum vidiſſem exemplo didici diſciplinam. Per agrum corpus, per vineam anima deſignatur: quæ niſi excolatur per ſanctam diſciplinam, et bonũ exercitium, impletur ſpinis vitiorum, et vrticis prurientium deſideriorum. Sed maceria lapidum deſtruitur quando munimenta virtutum deſeruntur, quod cum videat ſapiens, exemplo didicit, vt expurget ab agro mentalis conſcientiæ, et totius corporis vitiorum ſpinas per exercitium virtuoſæ operationis, et vrticas prurientium deſideriorum per diſciplinam continuæ commonitionis. Et impleatur illud: *Zach. 9. a* Dabit Deus ſingulis annis herbas in agro. E Tertio ager cæleſtis patriæ eſt deſiderandus propter odorem ſiue pulchritudinem floris diuini. Vnde in Pſal. *Pſal. 49. b* Cognoui omnia volatilia cęli, et pulchritudo agri mecũ eſt. Iſta enim pulchritudo cæleſtis patriæ, quę eſt in Deo patre, nihil aliud eſt quàm ſenſibilium et in ſenſibilium: rationalium, et irrationalium, humanitatis Chriſti Dei vnius triniq. pulchritudo, quoniam exponit glorificantibus ſpiritibus contemplanda quæ nomine volatilium cæli deſignantur: eo quòd pennis contemplationis eleuantur vſque ad continuam trinitatis exiſtentiam: ex illa agri pulchritudine tantus odor fragrat penetrans vſque F ad interiora medullarum, vt totam cæleſtem curiam inebriet. Hunc odorẽ ſentiens ſanctus Iacob ſpiritu prophetico dixit: *Gen. 27. d* Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni. Vere Chriſtus fuit ager plenus floribus virtutum, ſcilicet roſis donorum: et lilijs chariſmatum Spiritus ſancti ſuauium conſolationum. Cuius odorem ſentiens aliqualiter anima contemplatiua. *Can. 7. d* Dicit: Veni dilecte mi egrediamur in agrum. Tertio exprimitur creatio hominis quantum ad actum intermedium in boni ſeminis iactatione: cum dicit: *Seminauit bonum ſemen*. Appropriatiue loquendo. Primo potentia creans in agro mundialis machinæ ſeminauit ſpirituales actus, corporales ſubſtantias: dando



dando ſubtratum eſſe naturæ. Secundo ſapientia gubernans in agro mentalis conſcientiæ, ſeminauit cæleſtes influentias: dando perfectum eſſe gratiæ. Tertio bonitas conſummans in agro cæleſtis patriæ ſeminauit ſempiternas refulgẽtias: dando completum eſſe gloriæ. Primo ergo potentia creans in agro mundialis machinæ ſeminauit ſpirituales actus corporales ſubſtantias: dando eſſe ſubtratum naturæ. Vnde *Hier. 2. b* dicitur: Ego te plantaui vinea mea electa et omne verum ſemen, *et cetera*. Vinea iſta plantata a Deo omnipotenti eſt mundus: et ſemen eius verum, eſt homo, qui ratione imaginis et ſimilitudinis diſpoſitus eſt ad modum ſeminis mediante ſtillicidio cæleſtis influentiæ in vigorem gratiæ pullulare et creſcere in meſſem gloriæ, ſcilicet inimicus homo, ideſt diabolus aliquando ſubplantat falſum ſemen, ideſt vitia et peccata ad ſuffocandum verum ſemen, ne prorumpat in germen gratiæ. Et hoc eſt quod dicitur infra in Euangelio. Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo: vnde ergo habet zizaniã, et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Secundo ſapientia gubernans in agro mentalis conſcientiæ ſeminauit cæleſtes influentias, dando perfectum eſſe *Oſea. 2. d* gratiæ. Vnde dicitur: Seminabo eam in terram et miſerebor eius: qui fuit ſine miſericordia. Tunc Deus miſeretur animę peccanti, quando exſtirpat ex ea omnes ſpinas vitiorum: vt ſeminet in ea velut in terra electa: ſemen verbum Dei pullulantis in germen gratiæ: atque creſcentis in meſſem gloriæ. Et *Mat. 13. b* propter hoc dicit Dominus: Quòd ſcilicet ſemen ſeminatum in terram bonam, hic qui audit verbum Dei, et intelligit, et fructum aufert. Verbum Dei ſeminatur in terram bonam, quod auditur cum reuerentia, et intelligitur cum executione effectus: quia tunc deuota anima ad modum terræ bonæ ſeminatæ affert fructum gratię, quando quod intelligit, opere implet. Tertio bonitas conſummans in agro cæleſtis patrię ſeminauit ſempiternas refulgentias dan*Iſa. 56. d*do completum eſſe gloriæ. Vnde dicitur: Iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus gaudens gaudebo in Domino et exultauit anima mea in Deo meo: quia induit me Dominus veſtimento ſalutis. Iſti ſunt ſemen ſempiternalis refulgentiæ exultantes a facie claritatis Dei, cui benedixit Dominus benedictione gloriæ. Ex illa enim immediata viſione faciei Dei, tanto deſiderio amoris rapitur anima glorificata: vt dum gaudens gaudeat gaudio magno, exterius quantum ad aſpectum humanitatis Chriſti: exultet in Deo interius quantum ad aſpectum diuinitatis, et ex qua quidem viſione induitur veſtimento ſalutis. Quod nobis, *et cetera*.

# DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

## SERMO I.

*Mat. 20. a* *Voca operarios: et redde illis mercedem ſuam.* Quia de beneplacito diuinæ voluntatis Dominus Ieſus immunis ab omni peccato: voluit tamquam reus a peccatoribus iudicari, ideo conſtitutus eſt a Deo iudex viuorum et mortuorum. Ad cuius officium exequendum dicitur ſibi a Deo patre bene propoſitum verbum, ſcilicet. *Voca operarios:* et quoniam nullus coronabitur niſi qui legitime certauerit, et nullus poteſt meritorie certare: niſi diuina miſericordia vocetur ad bellum ſpirituale. Ideo in verbo propoſito valde eleganter et ordinate proceditur. Nam in verbo propoſito. Primo notatur diuina dignatio: ſolicitæ vocationis. Secundo humana fatigatio: meritoriæ operationis. Tertio perfecta remuneratio: diuinæ

A viſionis. Primo notatur diuina dignatio ſolicitæ vocationis: cum dicit: *Voca*. Secundo humana fatigatio meritorię operationis: cum ſubdit: *Operarios*. Tertio perfecta remuneratio diuinæ viſionis: cum ſubinfert: *Reddo illis mercedem ſuam*. Iſta merces nihil aliud eſt quàm viſio diuina, quæ operarijs redditur non donatur: quia ſecundum Apoſtolum: *Rom. 4. a* Eius, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum, licet iſta remuneratio ſit citra condignum: ſcilicet in ſero et non in mane redditur iſta merces: quia in fine operis non in principio operarios conſequitur remuneratio. Primo ergo in B verbo propoſito notatur diuina dignatio in ſolicita vocatione, cum dicit: *Voca*. Vocat enim Dominus tria genera hominum ad quæ omnia alia habent reduci. Nam primo vocat auerſos ad amaritudinem pœnitentiæ: in neceſſaria deteſtatione vitiorum. Secundo vocat conuerſos ad rectitudinem iuſtitiæ: in obligatoria impletione mandatorum. Tertio vocat perfectos ad perfectionem vitæ: in voluntaria ſupererogatione conſiliorum. Primo enim vocat auerſos ad amaritudinem pœnitentiæ in neceſſaria deteſtatione vitiorum. Vnde Iſaias: *Iſa. 22. d* Vocabit Dominus in die illa ad fletum et planctum ad caluicium et ad C cingulum ſacci. Vocat enim Dominus peccatores ad fletum et planctum lacrymoſæ contritionis: et caluicium mundantis confeſſionis, et cingulum luxuriæ arctationis. Vt ſic ruinam peccatorum deploremus per contritionem, ſorditatem vitiorum lauemus per confeſſionem: et carnalem luxuriam per cingulum cõtinentiæ coarctemus. Sed quia de interioribus ad exteriora egreſſi ſumus: de ſuperioribus ad inferiora deſcendimus: et pro creatore creaturam dileximus, ideo noluit nos tantum vocare per ſanctos prophetas: immo venit perſonaliter ad nos vocandum de interioribus ad exteriora vt nos ad interiora reuocaret: D deſcendit de ſuperioribus ad inferiora vt nos ad ſuperiora traheret, ſiue eleuaret. Vlterius ipſe creator aſſumpſit creaturam vt nos ab amore creaturæ retraheret: et ad amorem Dei prouocaret. Vnde ipſe Dominus dicit: *Luc. 5. c* Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Vnde, chariſſimi, nos ſumus incuriales et ingrati ſi non volumus eius iuſtitiã formidare, ſaltem eius charitati vicem rependamus, et eum vſque ad palatium cæleſtis patriæ, a quo pro nobis deſcendit, aſſociemus. Secundo vocat conuerſos ad rectitudinem iuſtitiæ in obligatoria impletione præceptorum. Vnde dicitur: *Iſa. 42. a* Ego Dominus vo E caui te in iuſtitia et apprehendi manum tuam et ſeruaui te. Deus enim vocat homines in iuſtitia: quando imponit præcepta obſeruanda: ſed quia tanta eſt humana miſeria, quòd non omnia opera humanę iuſtitiæ diuina miſericordia aſpirando præueniat et adiuuando proſequatur: tunc velut pannus mulieris menſtruatæ. Ideo ſequitur: apprehendi manum tuam et ſeruaui te, quaſi dicat: Ego Dominus vocaui te imponendo præcepta ad ſeruandum: et apprehendi manum tuam, ideſt tua incepta opera iuſtitiæ quæ nomine manus intelliguntur, præueni aſpirando: et ſeruaui te adimplendo mea præcepta: et F propter hoc bene dicebat beatus Iob: *Iob 14. c* Vocabis me et ego reſpondebo tibi. Operi manuum tuarum porriges dexteram. Quaſi dicat: Vocabis me, præceptum obedientiæ mihi imponendo. Et ego reſpondebo tibi: ea opere adimplendo. Operi manuum tuarum porriges dexteram: me adiuuando in perſeuerando. Vnde Auguſtinus: Da quod præcipis: iube quod vis. Tertio vocat perfectos ad perfectionem vitæ in voluntaria ſupererogatione conciliorum. Vnde dicitur: *Mat. 4. c* Vidit duos fratres Iacobum Zebedæi et Ioannem fratrem in naui cum Zebedęo patre eorum reficientes retia ſua, et vocauit eos: at illi cõtinuo, relictis retibus et patre, ſecuti ſunt eum. Dominus noſter Ieſus Chriſtus vocauit eos vt terrena

na cõtemnerent, et etiam affectũ carnalem poſtponerent, quia volenti ſequi Chriſtum, ideſt apicem perfectionis euangelicæ neceſſe eſt deponere exitialem concupiſcentiam terrenorum, et deponere carnalem demulcentiam conſanguineorum: et hoc eſt quod dicitur in prædicto verbo, relictis retibus et patre, ſecuti ſunt eum: quo modo autem totaliter debemus ire poſt Chriſtum dicit Chryſoſt. ſuper illud Matth. Tria ſunt quæ generaliter relinquere debet qui vult ire ad Chriſtum, ſcilicet actus corporales, qui per retia; ſubſtantiam mundialem, quæ per nauem: parentes et conſanguineos, qui per patrem intelliguntur. Sequitur: *Operarios*. Vbi notatur humana fatigatio in meritoria operatione. Illa operatio humana eſt meritoria, quæ eſt. Primo in acquiſitione cæleſtis gratiæ decorantis proprium ſubiectum: Secundo in multiplicatione diuinitatis iuſtitiæ, et acquirentis ſummum bonum. Tertio in promulgatione legis diuinæ docentis ignarum proximum. Primo illa eſt meritoria operatio quæ eſt in acquiſitione cæleſtis gratiæ, decorantis proprium ſubiectum. *Prou. 12. b* Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus, qui autem ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt. Qui operatur terram ſuam, ideſt propriæ conſcientiæ, euellendo ex ea ſpinas peccatorum per exterminium confeſſionis, ſatiabitur panibus ſeptiformis gratiæ Dei habentis omne delectamentum et omnis ſaporis ſuauitatem. Qui autem ſectatur otium, dimittendo terram conſcientiæ ſterileſcere malis radicibus vitiorum, ſtultiſſimus eſt. Multum enim deberet quiſque excolere et operari terram propriæ conſcientiæ, vt ſaltem guſtaret quàm dulces fructus ſunt iſti panes ſeptiformis gratiæ Dei. Secundo illa eſt meritoria operatio, quę eſt in multiplicatione diuinitatis iuſtitiæ acquirentis ſummum bonum. *1. Cor. 9. b* Vnde dicitur: Potens autem eſt Deus omnem gratiam abundare facere in nobis: vt in omnibus ſuper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Quia incrementa iuſtitiæ, et eius inchoatio ſpectat ad diuinam miſericordiam: ſed eius cooperatio iuſtitiæ humanæ ex parte diuinæ gratiæ habet inchoari et augeri: ſed ex parte liberi arbitrij induſtriæ habet coadiuuari: eo quòd coadiuuatores Dei ſumus. Ideo Apoſtolus hortans omnem Chriſtianum ad perficiendum in via iuſtitiæ dicit: potens eſt autem Deus gratiam abundare facere in nobis, vt notificet quòd incrementum gratiæ et iuſtitiæ eſt ex parte Dei. In omnibus enim ſufficientiam, quæ ad ſalutem pertinet, habentes, abundetis in opus bonum cooperante diuina gratia. *Eccl. 14. c* Et propter hoc dicitur: Omne opus electum iuſtificabitur, et qui operatur illud honorabitur in illo: eligitur opus quantum ad liberi arbitrij induſtriam, ſed iuſtificabitur per acceptionem diuinæ familiaritatis. Tertio eſt illa operatio meritoria quæ eſt in promulgatione legis diuinæ, docentis ignarum proximum. *2. Tim. 4. a* Vnde dicitur: Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ: quia melius perſuadet vita quàm lingua, exemplo quàm dicto. Ideo cuilibet volenti alium docere, opus refellere diaboli, aſtutiam ſuppeditare, carnis concupiſcentiam et mundi auaritiam, ſed quòd dicit Apoſtolus. *2. Tim. 4. a* Tu vero vigila contra fraudulentiam diaboli. In omnibus labora contra carnis laſciuiam, opus fac Euangeliſtæ contra mundi auaritiam, vt quod ore prædicas, opere compleas. Euangelium enim prædicat omnia relinquenda eſſe: inſiſtamus ergo iſti labori promulgandæ legis exemplo beati Pauli: Annunciabam, vt pœnitentiam agerent et conuerterentur ad Deum, digna opera facientes: non ſolum debemus inſiſtere labori promulgandæ legis veritatis, ſed etiam cognoſcendæ: eo quòd pluris meriti eſt exercitatio ſpiritualis quàm corporalis: maxime ſi ad hoc ſtudet vt alios illuminet. Vnde Ambroſius: Otioſus non eſt qui verbo Dei ſtudet:

A nec pluris meriti eſt qui laborem extra, quàm qui laborem diuinæ veritatis cognoſcendæ exercet intra. Tertio notatur in verbo propoſito perfecta remuneratio in diuina viſione, cum dicit: *Redde illis*. Et hoc nihil aliud eſt quàm viſio diuina, quæ reddetur vnicuique iuxta bona opera ſua. Nam primo vocatis ad amaritudinem pœnitentiæ, cum operatio fuerit in acquiſitione cæleſtis gratiæ, reddetur merces delitioſa, ad fruendum propter affluentiam dulcedinis. Secundo vocatis ad rectitudinem iuſtitiæ, cum operatio fuerit in multiplicatione feruentis iuſtitiæ, reddetur merces copioſa, B ad ditandum et honorandum propter excellentiam magnitudinis. Tertio vocatis ad perfectionem vitæ cum operatio fuerit in promulgatione legis diuinæ, reddetur merces ſpecioſa, ad intuendum propter refulgentiam pulchritudinis. Et ſic iſta merces eſt perfecta et nulla alia: eo quòd perfecte dulcorat guſtum, perfecte ditat et honorat proprium ſubiectum, et perfecte delectat viſum. Primo illa merces erit delicioſa ad perfruendum propter affluentiam dulcedinis. Vnde dicitur in Pſal. *Pſal. 126. a* Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini filij merces fructus ventris. Chriſtus eſt C fructus vteri virginalis datus in perpetuam hereditatem et mercedem delitioſam dilectis filijs Dei poſt iſtam vitam. Iſta merces ſatiat appetitum animæ, quia intime, et per exiſtentiam ei illabitur: delectat etiam ratione conuenientiæ: quia delectatio eſt conuenientis cum conuenienti coniunctio: et anima nulli melius conuenit quàm illi ad cuius imaginem et ſimilitudinem formata eſt. *Gen. 1. d* Secundo iſta merces erit copioſa ad ditandum propter excellentiam magnitudinis. Vnde dicitur: *Mat. 5. b* Gaudete et exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cælis. Gaudete inquit interius in anima et exultate exterius D in verbo et facto: nullus ſit locus ingratitudinis, vel timoris: quia merces veſtra copioſa eſt in cælis. Dicitur iſta merces copioſa, quia replet totam animam ratione ſuę ſufficientię: et quia excedit ſuam capacitatem ratione infinitatis et abundantię: et adeptio ipſius mercedis euacuat omnem timorem. Ideo dicitur Abraę: *Gen. 16. a* Noli timere Abraam, quia ego merces tua magna nimis. Tertio iſta merces ſpecioſa eſt ad intuendum, propter refulgentiam pulchritudinis. Vnde dicitur: *Sap. 5. c* Iuſti autem in perpetuum viuent, et apud Dominum eſt merces eorum, et cogitatio eorum apud altiſſimum, ideo accipient re- E gnum decoris et diadema de manu Domini. Sapientia enim ęterna iuſtitia in perpetuum regnantibus proponet illas rationes ęternas omnium: ad contemplandum in regno ſuo tamquam in ſpeculo pulchriformiter. In hac contemplatione ſiue viſione eſt tota merces quę tanto deſiderio ſui rapit animas bonas: vt cogitatio eorum ſemper ſit apud altiſſimum: quia etiam incontinuæ laudes ſunt, et glorificatione reſoluendo, in primum principium quęcunque bona habent. Vnde F omne illud quod continue accipiunt, in eum reſoluunt, qui ſolus poteſt glorificare, quia tanto anima iuſti mercedi eſt propinquior, quanto illa quę accipit, ſuo principio tribuit, *et cetera*.

SER-



## SERMO II.

*Mat. 20. a* I*Te et vos in vineam meam*. Chariſſimi laboremus in vinea, et mereamur denarium glorię. Quadruplex autem eſt vinea in qua laborandum eſt, videlicet Eccleſiæ, conſcientiæ, ſapientiæ, pęnitentiæ. *Iſa. 5. b* De primo: Vinea enim Domini exercituũ domus Iſrael eſt. *Gen. 9. d* Et dicitur, quòd Noe plantauit vineam, id eſt, Chriſtus Eccleſiam. De cuius vinea, id eſt, feruenti amore inebriatus, nudatus eſt in cruce. Ad hanc vineam ſi B non veniſti hora prima, venias ſaltem tertia. Si non veniſti tertia, venias ſexta, ſi non ſexta, venias nona, venias miſer ſenex vndecima. Greg. Ad bonam vitam alius in pueritia, alius in adoleſcentia, alius in iuuentute, alius in ſenectute, alius in decrepita ætate perducitur, quia diuerſis horis operarij ad vineam vocantur. De hac vinea fructum fidei, et amoris, et iuſtitię reddere debet homo, alioqui per damnationem eijcietur, et alius aſſumetur. *Mat. 21. d* Malos male perdet, et vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. Sed alius habebit fructum, alius habebit denarium, immo coronam: *Apoc. 3. c* Tene quod habes, *et cetera*. C De ſecundo: *Cant. 8. d* Vinea mea coram me eſt, id eſt, conſcientia quæ intra me eſt. In hac multi pro vino compunctionis, et amoris Dei et proximi habent vrticam ardentium, et carnalium deſideriorum, et ſpinas pungentium amaritudinum et odiorum. *Prou. 24. d* Per agrum pigri hominis tranſiui, et per vineam ſtulti viri, et ecce totum repleuerant vrticæ, et ſpinæ. Ager eſt cor noſtrum, dum profert fructum bonæ operationis exterioris: vinea vero, dum profert vinum deuotionis, et compunctionis. *Pſal. 59. a* Pſal. Potaſti nos vino compunctionis. Quicumque ergo vult habere denarium vitæ æternæ videat diligenter, an ſit operarius Dominicæ vineæ. D Gregor. Penſet vnuſquiſque quid agat, et conſideret an in Dei vinea laboret. De tertio vinea pęnitentię, vel religionis. *Pſal. 79. b* Pſal. Vineam de Ægypto tranſtuliſti, id eſt, religionem de ſęculo. Eieciſti gentes, id eſt, ſpiritualiter incircumciſos. Nam qui a vitijs circumcidi non vult, in vinea religionis eſſe non debet: *Exod. 12. g* Si quis peregrinorum in veſtram tranſire voluerit coloniam id eſt, religionem, et facere phaſe Domini, circumcidetur prius. Sed heu Achab, id eſt, diabolus dicit tibi: *3. Reg. 21. a* Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi ortum olerum. Olera pro vitibus, carnales pro ſpiritualibus quærit diabolus. E Sed breuis eſt eorum voluptas et vita. *Pſal. 36. a* Pſal. Quemadmodum olera herbarum cito decident. Gregorius: Vnde ad tempus caro ſuauiter viuit inde ſpiritus in æternum dolebit. De quarta: Vinea ſcilicet ſapientiæ quæ eſt ſacra ſcriptura: *Can. 7. c* Erunt vbera tua ſicut botrus vineæ. Chriſtus commendat ſuam ſponſam Eccleſiam, cuius ſunt duo vbera: duo botri duo ſunt teſtamenta: in vberibus lac ſimplicis doctrinæ quoad imperfectos continetur: *1. Cor. 3. a* Tãquam paruulis in Chriſto lac potum dedi vobis, *et cetera*. In botris vinum ſublimioris doctrinæ quoad perfectos: *1. Cor. 2. b* Sapientiam autem loquimur inter perfectos, *et c.* F Vel vbera dicuntur duo Teſtamenta propter lac doctrinę de Chriſti humanitate: botrus vero, quia continet vinum doctrinæ de Chriſti diuinitate. Dum floret vinea fugiunt ſerpentes, et venenoſa. Floret autem vinea, dum veraciter exponitur ſcriptura: *Cant. 2. c* Vineæ florentes odorem dederunt, *et cet.* et tunc fugiunt, et audire nolunt peruerſi, qui vtique ſunt ſerpentes genimina viperarum. *Mat. 23. d* In his vineis quattuor genera animalium timenda ſunt. In vinea Eccleſiæ, timendus eſt leo perſecutionis, vel ambitionis: *Iudic. 14. a* Cumq. veniſſet ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſæuus, *et c.* Expone hiſtoriam. In vinea conſcientiæ vermis remorſionis, qui rodit conſcientiam: *Deut. 28. d* Vineam plantabis, et vinum non bibes, quo-

A niam vaſtabitur vermibus: *Iſa. vlt. g* Vermis eorum non morietur. In vinea pœnitentiæ, et religionis, aper diſcolæ conuerſationis. *Pſal. 79. c* Pſal. Exterminauit eam aper de ſilua et ſingularis ferus, *et cetera*. In apro manifeſta peruerſitas: in ſingulari fera ſuperſtitioſa ſingularitas ſignificatur, quę duo vineam religionis maxime deſtruunt. In vinea ſcripturæ, timenda eſt vulpes hæreticæ deceptionis corrumpentis ſcripturas: *Cant. 2. d* Capite nobis vulpes, quę demoliuntur vineas. Vulpes in ore fętidum anhelitum habent: ita hęretici fętidam doctrinam. *Hæretici vulpes.*

## SERMO III.

B *Mat. 20. b* V*Oca operarios, et redde illis mercedem ſuam,* et cet. Non otioſis, ſed operantibus redditur merces æterna: *Sap. 10. c* Reddet Deus mercedem laborum ſuorum iuſtis: ſed merces iſta recipitur celeriter, ſoluitur liberaliter, deſeruitur, hoc eſt ipſam meretur quis faciliter, poſſidetur perenniter. De primo: *Apoc. 22. c* Ecce venio cito, et merces mea mecum eſt. Cito venit in morte: *Luc. 12. e* Qua hora non putatis filius hominis veniet. Quare cito venis Domine Ieſu? C Certe vt cito remuneret bonos. Sed quando poteſt hoc cito fieri? quando hodie mendicus, cras rex fieri poſſet, quando hodie non habens denarium, cras haberet mille marchas. Certe attende latronem qui non craſtina ſed eadem die in patibulo, et in paradiſo fuit. *Luc. 23. f* Vnde neque de iſta ſubitatione tantæ mercedis diffidas, audi quod dicitur: *Eccli. 11. c* Facile eſt in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem. Benedictio Dei in mercedem iuſti feſtinat. Illa inquam benedictio, de qua: *Mat. 25. d* Venite benedicti patris mei, *et cet.* Sicut autem feſtinatur merces iuſtorum in cęlo, ita et peruerſorum in inferno: *Iob. 21. b* Ducunt in bonis dies ſuos, et in puncto ad infer- D num deſcendunt. De ſecundo: *Mat. 5. b* Merces veſtra, *et c.* Liberaliter enim ſoluitur, quod copioſe datur: *Gen. 15. a* Ego protector tuus ſum, et merces, *et cet.* Protector eſt in præſenti: protegit enim nos Deus ſicut gallina pulliculos ſuos ſub alis. *Pſal. 60. a* Pſal. Protegar in uelamento alarum ſuarum. Vna ala eſt innocentia, altera pœnitentia. Quicumque extra has alas uenerit per culpam, a miluo ſæuiſſimo, ſcilicet diabolo, rapietur ad pœnam. Auguſt. Sic ſunt diabolus, et angeli eius: quaſi milui ſub gallinæ alis ſimus, et non poterit nos contingere. Merces autem noſtra Chriſtus eſt in futuro, magna, per humanitatem, et magna E nimis per diuinitatem. Vere magna nimis. Aug. Quod Deus parauit diligentibus ſe, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non comprehenditur, deſideria, et vota tranſgreditur, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt. De tertio: *Mat. 10. d* Quicumque potum dederit, *et c.* non perdet mercedem ſuam. Non ait calicem uini, non aquæ calidæ, ſed frigidæ, quam omnes poſſunt habere præter eos qui ſunt in inferno. *Luc. 16. f* Nam diues ille guttam aquæ frigidæ habere non poterat, qui calicem aquæ frigidę Lazaro denegauerat. Si quis crederet aliquam eſſe terram uel regnum, vbi calix aquæ frigidæ ualeret ſibi mille marchas, liben- F ter portaret illuc: ſed certe in regno cęlorum quantitas mercedis multo plus excedit paruitatem meriti noſtri. Noli ergo flere pro aduerſis: nihil eſt quod pateris, nihil eſt quod operaris, ſi mercedem operis attendis. *Hier. 31. c* Quieſcat uox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia eſt merces operi tuo. Bernar. Si labor terret, merces inuitet: vnuſquiſque ſecundum ſuum laborem mercedem accipiet. Ne autem de tanta mercede propter paruitatem nimium diffidas, ecce fideiuſſores habemus Apoſtolos, et prophetas: Da mercedem Domine ſuſtinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur, *Eccli. 36. c* quaſi diceret: Vt fideiuſſores tui non perdant fidem. De quarto: *Eccli. 18. c* Non verearis vſque ad mortem iuſtificari, quia merces Domi-

ni

ni manet in æternum: Iuſtificari debent non ſolum A mali pœnitendo, ſed etiam iuſti in iuſtitia proficiendo: Apoc. 22. c Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Bene dicit quòd merces Domini manet in æternum. Non enim deficit quantumcunque ipſa diuidatur. O quantum diligeretis pyxidem plenam theſauro, quę nunquam euacuari poſſet, quantumcunque inde acciperetur. Talis pyxis eſt Chriſtus tenens mercedem noſtram ineuacuabilem: Eccli. 2. b Qui timetis Dominum, credite illi, et non euacuabitur merces veſtra. Vides ergo quòd merces illa non eſt tranſitoria, ſed æterna. Auguſt. O regnum, o gloriam ſemper veracem, et veraciter ſempiternam: cuius lux, veritas: cuius lux, charitas, B cuius modus, æternitas. Hæ quattuor æternæ mercedis conditiones ſignificatę ſunt in præſenti Euãgelio. Conſidera, quando, a quo, cui, quid detur. Quando? quia ſero: a quo? quia a procuratore: cui? quia nouiſſimo: quid? quia denarius. Recipitur merces æterna celeriter, vnde ſtatim ſero, id eſt morte datur, finito diurno huius vitæ labore. Secundum enim legem eodem die merces laboris reddenda eſt: ſicut Deut. 24. c dicitur: Perſoluitur etiam largiter. Vnde non ab angelo, non ab aliquo ſancto: ſed a procuratore, id eſt, a Chriſto, qui liberaliſſimus eſt dator, deſeruitur faciliter. Vnde nouiſſimis tantum vna hora C Luc. 23. f laborantibus datur, ſicut latroni in cruce. Poſſidetur perenniter. Vnde denarius datur, qui ſua rotunditate æternitatem ſignificat.

## SERMO III.

Mat. 20. b *Sic erunt nouiſſimi primi, et primi nouiſſimi*: Verbum iſtud plenum eſt conſolatione, et trepidatione. Videre autem poſſumus in Deo, in angelis, in hominibus, et dæmonibus, quòd primi nouiſſimi facti sũt. D Conſideremus primatum diuinum, angelicũ, humanum, diabolicum. Primus enim Deus eſt æternitate: Iſa. 41. g Primus dicet ad Sion: Ecce adſum. Sion Eccleſiã, vel animam ſanctam, quæ ſpeculũ Dei eſt, ſignificat. Interpretatur enim ſpeculum. Speculum autem hominum, et Dei homo ſanctus. Speculum Dei eſt interius per munditiam conſcientiæ: ſpeculum autem hominum exterius per diſciplinam vitę. Bern. Quos præ oculis habes, infra ordinati ſunt. Ita informati ſunt, quòd totius honeſtatis, et ordinis, ipſi ſunt ſpeculum, ipſi ſunt forma. Sed primus factus E eſt nouiſſimus in paſſione, quia ad eum humanam naturam, quæ nouiſſimo creata eſt, aſſumendo: Iſa. 41. b Ego Dominus primus et nouiſſimus. Sed notandum quòd etiam ſecundum humanitatem Chriſtus in aliquo tamen eſt primus, et non nouiſſimus: in aliquo nouiſſimus, et non primus, in aliquo primus, et nouiſſimus: in aliquo neque primus neque nouiſſimus. Primus, et non nouiſſimus eſt in reſurrectione ad vitam immortalem; nullus enim ante eum reſurrexit immortaliter: Apoc. 1. b Primogenitus mortuorum, *etc.* Item nouiſſimus, et non primus in iudicio extremo. Ipſe enim non eſt primus, qui fecit F iudicium, ſed erit vltimus. Item primus, et nouiſſimus in naſcendo ex virgine, quia neque ante eum factum eſt, neque poſt eum fiet. Item neque primus, neque nouiſſimus in paſſione, quia ante eum, et poſt eum multi paſſi. Primus quoque eſt angelus dignitate. Angelus enim angelo dignior eſt. Vnde angelus Danieli dixit: Dan. 10. c Michael vnus de principibus primus venit in adiutorium mihi. De his primus fuit Lucifer, et quidam alij de corruentibus, ſuperbiendo factus eſt nouiſſimus, et profundiſſimus in inferno: Ezec. 32. c Ibi Aſſur, et omnis multitudo eius, quorum data ſunt ſepulchra in nouiſſimis lacis inferni. Sepulchra ſunt profunditates pœnarum, in quibus ſunt ſpeciales amici Luciferi: Luc. 16. e Mortuus eſt diues, et

Homo ſanctus ſpeculum Dei, et hominum.

Notandũ.

A ſepultus eſt in inferno. Vnde inuidet homini nouiſſimo aſcendenti ad primatum ſuum in cælo. Grego. Immundi ſpiritus tanto magis aſcendere corda hominum inuident, quanto a cæleſtibus ſe per elationis ſuæ immunditiam proiectos vident. Primus etiam eſt homo vocatione, vel conuerſationis opere, de quo hic dicitur: Sic erunt nouiſſimi, *et c.* Sæpe enim primus conuerſione erit nouiſſimus in retributione. Vnde Gregor. A nouiſſimis incœpit, dum prius latronem quàm Petrum in paradiſum introduxit. Item primus eſt homo quandoque alia æſtimatione, quia ipſum meliorem, vel digniorem reputat, et ta- B men nouiſſimus eſt diuino iudicio quàm appareat in primo. Gloſ. Qui maiores videntur, multo ſunt minores in iudicio. Item primus eſt homo propria præſumptione, meliorem, et digniorem ſe alijs reputans, et hic erit nouiſſimus in meritorum manifeſtatione: Non diſcumbas in primo loco, ne forte honoratior te ſit inuitatus ab illo, et veniens qui te, Luc. 14. a et illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum, et tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere. In initio ceteris excellentior exhibetur: Vnde clarior ceteris ad tempus oſtenditur. Item primus eſt homo tranſgreſſione: Manus principum, et magiſtratuum 1. Eſdr. 9. a C fuit in tranſgreſſione hac prima, et talis erit nouiſſimus in pœna: non nouiſſimus intrando, ſed nouiſſimus in reddendo: Non exiet inde, donec reddiderit nouiſſimum quadrantem. Mat. 5. d Primus eſt diabolus iniquitate. Vnde dicitur, quòd omnes habitantes in Apoc. 13. c terra, id eſt, terreni peccatores adorabunt beſtiam primam. Primus autem eſt diabolus, et nouiſſimus iniquitate, quia ante eum, et poſt eum nullus peccabit. Primus eſt hominum comeſtor, et nouiſſimus Hier. 50. c exoſſator: Primus comedit eum rex Aſſur, iſte nouiſſimus exoſſauit eum Nabuchodonoſor rex Babylonis. Aſſur et Nabuchodonoſor diabolum ſignifi- D cant, qui comedet hominem in culpa æterna, quando omnes vires animę eneruabuntur, quia facit diabolus hominum anguſtias æternas non timere in culpa, in quibus ipſe cum ſuis membris iam ſedet in gehenna. Ideo in comedendo dicitur Aſſur, quod interpretatur tollens anguſtias. in exoſſando Nabuchodonoſor, quod interpretatur ſedens in anguſtia ignita.

# DOMINICA IN SEXAGESIMA.

## SERMO I.

*Quod autem in terram bonam: hi ſunt, qui in corde bono, et optimo verbum retinent, et fructum afferunt in patientia:* Luc. 8. c Quoniam ſecundum beatum Gregorium: Lumen intelligentiæ humilitas aperuit, ſuperbiam vero abſcondit. Hinc eſt quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſciens ſic eſſe placitum ante Deum patrem: ſuperbis, et elatis F hominibus (ad reprimendum ſuperbiam intellectus in audiendo, et intelligendo) regnum Dei nunciat in parabolis, ſed humilibus eius diſcipulis, quibus datum eſt noſſe miniſterium regni Dei: ſenſum Dei in parabola hodierni euangelij aperuit, cum dicit in verbo propoſito, quod eſt finis expoſitionis prædictæ parabolæ. *Quod autem in terram bonam. Hi ſunt qui corde,* etc. In quo quidem verbo valde ordinate proceditur: nam ſicut videmus, quòd terra ad hoc, quòd fructificet: Primo debet præparari, deinde ſeminari, poſtea fructus ex ea tolli, ſic in verbo propoſito. Primo notatur noſtri cordis debita præparatio. Secundo diuini ſeminis firma ſuſceptio. Tertio recepti ſeminis temporanea fructificatio. Primo ergo



ergo notatur noſtri cordis debita præparatio cum di- A cit: *Quod autem in terram bonam.* Iſta bonitas terræ, nihil aliud eſt quàm bona præparatio noſtri cordis. Secundo notatur diuini ſeminis firma ſuſceptio: cum dicit: *Hi ſunt, qui corde bono et optimo.* Sed tertio notatur recepta ſeminis temporanea fructificatio: cum ſubinfert. *Et fructum afferunt in patientia.* Eo quòd perſecutiones patienter ſuſtinẽt propter verbum Dei et omnia mala pœnæ ſiue illata ſiue innata. Primo ergo in verbo propoſito notatur noſtri cordis debita præparatio, cum dicit: *Quod autem in terram bonam.* Debemus autem noſtrum cor, quod ſub metaphora bonæ terræ Chriſtus deſcribit, ad modum terræ ma- B terialis præparare. Eſt autem terra materialis bene præparata et ad fructum diſpoſita, quando eſt primo a malis radicibus extirpata. Secundo aquis pluuialibus irrigata. Tertio caloribus ſolis oppoſita. Vt ſic calore ſolis viuifico incaleſcat: vt poſſit iactata ſemina vegetare. Per hunc modum ſi volumus quòd cor noſtrum ſit bene præparatum, et ad fructum bonæ operationis diſpoſitum: primo debet extirpari a ſpinis peccatorum omnium: ſecundo irrigari aquis pluuialibus lacrymabilium conpunctionum: ſed tertio debet inflammari incendijs diuinorũ deſideriorum. Quorum calore viuifico poſſit vegetare C receptum verbum Dei et retentum, vt poſſit pullulare in germen bonæ operationis. Primo debet terra noſtri cordis extirpari malis radicibus peccatorum. Vnde dicitur: Prou. 12. b & 28. c Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus, qui autem ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt. Qui operatur terram proprie conſcientiæ euellendo ex ea vepres vitiorum: gladio acutæ compunctionis extirpando ſpinas peccatorum, exercitio confeſſionis: et amouendo vrticas malorum deſideriorum, exercitio diſciplinæ et mortificationis: ſatiabitur panibus bonorum operum. Qui autem ſectatur otium et dimittit eã ſterileſcere ſpinis vitiorũ, vepribus peccato- D rum, et vrticis malorum deſideriorum, ſtultiſſimus eſt. Ergo bonum eſt operari terram tuam, vt educas panem de terra: et vinum lętificet cor hominis ſecundum quod dicitur in Pſalm. Pſal. 103. b Vt educas panem bonæ operationis ad reficiendũ: de terra proprię conſcientiæ, et vinum in terra deuotionis ad lætificandum. Secundo debet terra noſtri cordis irrigari aquis pluuialibus lacrymabilium compunctionum. Vnde Iudicum: Iudic. 1. c Da mihi benedictionem, quia terram arentem dediſti mihi, da et irriguam aquis. Fidelis anima cognoſcens experimentaliter lacrymarum abundantem effuſionem: et cordis affluentem compunctio- E nem: non eſſe a ſeipſa, ſed a Deo: ideo ab ipſo petit benedictionẽ ſuæ curationis. Da mihi benedictionẽ, quia terram arentem dediſti mihi, ſcilicet terrã conſcientiæ: da et irriguã lacrymabilium compunctionũ. Pſal. 142. b Huic conuenit quod dicitur in Pſal. Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi: Velociter exaudi me domine, defecit ſpiritus meus. Cognoſcens Dauid fidelis animã ſuam ad modum terræ aridæ non poſſe producere germẽ bonæ operationis ſine aqua lacrymabilis compunctionis, et irrigua mentalis deuotionis, petit hoc a Domino cum inſtantia deuotæ orationis dicens: Velociter exaudi me: dando irriguum interioris de- F uotionis, et exterioris lacrymationis: quia defecit ſpiritus meus præ ariditate internæ deuotionis et ardore terrenæ affectionis. Tertio debet terra noſtri cordis inflammari incendijs diuinorum deſideriorum. Vnde dicitur: Eccli. 43. a Sol in aſpectu annuncians in exitu vas admirabile, opus excelſi in meridiano exurit terram. Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter habens ſpecioſitatem in aſpectu interiori quantum ad diuinitatem: et in aſpectu exteriori quantum ad humanitatem eſt vas admirabile: quia contentiuum incomprehenſibilis diuinitatis: in ipſo enim habitat totaliter plenitudo diuinitatis: dicitur opus excelſi. Nam etſi excelſus format omnes adiuuando naturam, tamen ſpe-

A cialiter Chriſtum formauit operando ſuper naturam: hic in meridiano exurit terram, ſcilicet terrenum cor quando eſt in ardentiſſimo deſiderio ſui. Sequitur. *Hi ſunt, qui corde bono et optimo verbum retinent.* Vbi notatur ſecundo diuini ſeminis firma ſuſceptio. Ad hoc vt verbum Dei in audiente afferat fructum: debet ſecundum inſtructionem hodierni Euangelij. Primo recipi ſiue audiri reuerenter cum mentis quietatione. Secundo debet retineri firmiter ſiue credi: cum vnionis adhæſione. Sed tertio debet intelligi diligenter cum operis executione. Primo verbum Dei debet reuerenter recipi ſiue audiri cum mentis B quietatione: eo quòd in hodierno Euangelio dicit Dominus: Quod autem in ſpinis cecidit, hi ſunt qui verbum audiunt et a ſolicitudinibus et diuitijs et voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur et non referunt fructũ. Vnde Gregorius: Greg. lib. 9. Moral. Perturbatę mentes ſæcularium eo ipſo clamãt quòd in quiete ſunt: quia a vera ſapiẽtia diuerſę ſunt, ſcilicet fide et moribus. Dei ſecreta non cognoſcimus niſi virtutum deſiderijs iungamur, quia viuacius verba Dei mens penetrat cum admittere curarum ſæcularium tumultũ recuſat. Siquidem verba ſapientis audiuntur cũ ſilentio. Hoc attendens Maria Magdalena ſecundum quòd dicitur: Luc. 10. c Sedens ſecus C pedes Domini audiens verbum illius: ſedens per mentis tranquillitatem: non diſcurrens per cordis diſtractionem. Quia ſicut dicit Gregorius: Gregor. lib. 33. Moral. Oportet deſiderantem ſapientiam diſſolui a curis et diſtractionibus: ſiquidem qui minoratur actu percipiet ſapientiam: ſecus pedes Domini: per cordis humiliationem: quia obſtaculum veritatis eſt tumor ſuperbiæ: qui dum flat, obnubilat, audiebat verbum illius per auditus inclinationem et obliuiſcens populum Iudaicũ, et domum patris ſui diaboli per imitationem. Secundo debet retineri ſiue credi firmiter: cum vnionis adhęſione. Vnde de illis, qui non bene retinent, di- D cit Dominus: Luc. 8. b Nam quod ſupra petram: hi ſunt, qui cum audierint et cum gaudio ſuſcipiunt verbum: et hi radicem non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Sed de his, qui firmiter credunt, ſiue retinuerũt, adiungit dicens: Quod autem in terram bonam, hi ſunt qui corde bono et optimo audiunt verbum et fructum afferunt in patientia, eo quòd perſecutiones et quælibet mala pœnę patienter ſuſtinent propter verbum Dei. Tertio debet intelligi patienter cum operis executione, quia de illis, qui audierunt et operi mancipare neglexerunt. dicit Mat. Mat. 13. b Omnes qui audiũt verbum regni et non in- E telligunt venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Sed de his qui intellexerunt cum operis executione addit, dicens: Quod autem in terram bonam ſeminatum eſt, hic eſt, qui audit verbum et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimũ, aliud vero triceſimum. In terram bonam verbum ſeminatur, quod intelligitur et opere completur: et tunc verbum facit fructum triceſimum in coniugatis, ſexageſimum in continentibus, ſed centeſimum in virginibus. Meritum ergo coniugatorum per triceſimum, qui conſurgit ex ternario et denario intelligi- F tur: quia coniugati habent fidem Trinitatis et adhærent decem præceptis legis. per numerum autem ſexageſimum qui conſurgit ex ſenario et denario, intelligitur meritum continentium: quia continentes debent adherere decem præceptis legis, et inſuper ſex operibus miſericordiæ, quæ in hoc verſu continentur.

*Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

Debet enim continens viſitare infirmos: cibare et potare ieiunos, redimere captiuos, tegere nudos, colligere peregrinos, et condere ſiue ſepelire mortuos. Meritum namque virginum ratione ſuę perfectionis per centeſimum numerum deſignatur. Vnde a centeſimo et deinceps ratione ſuæ perfectionis et nobilitatis in dexterã computatur. Tamen ad dilucidandum melius

A melius verbum propoſitum quare in iſto numero et non in alio voluit Deus exprimere merita illorum trium ſtatuum: non eſt prætermittendum quòd dicũt in arte computationis periti: eo quòd per hoc velut artificialis et propria videbitur appropriatio meritorum ad merita. Nota. Numerus enim digitorum habet fieri per quinque digitos manus, quos periti in arte ſic appellant videlicet pollicem, indicem, medium, medicum, auricularem. Rationem vero quare ſic per ordinem nominantur, ratione breuitatis omitto. Auricularis ſiue digitus paruus, in palma poſitus ſiue reflexus ſignat vnitatem. Sed medicus qui iuxta digitum paruum, in palma poſitus ſignat dualitatem B cum auriculari. Medius vero qui eſt in medio digitorum, eodem modo poſitus cum prædictis duobus, ſignat trinitatem. Deinde ſecundum iſtum modum non eſt vltra procedere: ſed auricularis erectus, medio et medico iacente ſignat quaternitatem. Iacente vero medio in palma, et auricularis et medius erectus ſignat quinque. Medico autem iacente cum auriculari et medius erectus ſignat ſex. Item auricularis ſignat extenſus octo, ſed medius ſimiliter extenſus ſignat nouem, index vero poſitus in medio pollice decem, ſed per coniunctionem rectam indicis ad pollicem, numerus centeſimus ſignatur. C Per amplexum vero mollem et coniunctionem pollicis et indicis tricenarius numerus ſignatur: per quẽ numerũ ſane congrue Dominus meritum coniugatorum expreſſit, propter illorum mollem amplexum et vnionem carnalem. Index ſiquidem firmiter conſtrictus ſuper pollicem in modum crucis, numerum ſexageſimum ſignat. Per quem numerum conuenienter intelligitur meritum continentium, quorum vita eſt reſtricta a voluptuoſa delectatione carnis per ſuperpoſitionem rationis ad ſenſualitatem, propter voluntariam aſſumptionem crucis. Sed per centeſimum cuius computatio ratione ſuæ perfectionis fit per rectã D indicis coniunctionem ad pollicem, valde eleganter exprimitur meritum virginitatis ratione ſuæ perfectionis, quia virgines vitam angelicam et cæleſtem inquantum poſſunt, ducunt. Tertio in verbo propoſito notatur recepti ſeminis temporanea fructificatio cum dicit: *Fructum afferunt in patientia*. Nam illi, qui primo purgauerunt cor a ſpinis omnium peccatorum, et receperunt verbum reuerenter cum mentis quietatione, afferunt ſpectabilem fructum puritatis munditiæ pulcrificantis. Secundo qui cor compleuerunt aquis lacrymabilium compunctionum et retinuerunt ſiue crediderunt verbum firmiter, afferunt E fructum vtilem claritatis intelligentiæ gratiæ illuminantis. Tertio illi, qui inflamauerunt cor incendijs diuinorum deſideriorum et intellexerũt verbum diligenter cum operis executione, afferunt fructum oblectabilem familiaritatis diuinæ dulcorantis. Et ſic talis fructus eſt optimus: eo quòd habet ſpecioſitatem in aſpectu, vtilitatem in affectu et delicioſitatem in guſtu. Primo ergo qui expurgauerunt cor a ſpinis omnium peccatorum et vitiorum, et receperunt verbum reuerenter cum mentis quietatione, afferunt ſpectabilem fructum puritatis munditiæ pulcrificantis. Vnde F Prou. 3. b dicitur: Melior eſt acquiſitio eius acquiſitione auri et argenti primi et puriſſimi fructus eius. In auida enim acquiſitione auri et argenti cupidi et auari homines fiunt deteriores, Deo et angelis abhominabiles, et etiam dæmonibus in fœditate culpæ ſimiles, ſed in acquiſitione pulcritudinis munditiæ, quæ conſiſtit in vnitate gratiæ et trinitate virtutum theologicarum, ſcilicet fidei, ſpei, et charitatis anima redditur Deo amabilis, angelis deſiderabilis, et etiam dæmonibus terribilis, propter hoc melior eſt acquiſitio puritatis et munditię acquiſitione auri et argenti. Sed quoniam per cordis munditiam anima incipit producere mundos fructus et Deo acceptabiles. Ideo dicitur primi et puriſſimi fructus eius. Intantum enim diuina ſapientia diligit animas habentes iſtam puritatem munditiæ, vt omnia opera eius ſibi appropriet, et diuinos fructus eos vocet, ſecundum quòd dicitur: Eccl. 39. b Obaudite me diuini fructus, et quaſi roſa plantata ſecus decurſus aquarum fructificate. vnde qui habent iſtam puritatem munditiæ in cogitatione affectione et locutione adeo in Dei formam et pulchritudinem gratiæ transformantur totaliter: vt deificentur, ſperando, cogitando, ſapiendo, et loquendo, et ita diuini fructus appellantur. Et quemadmodum roſarum decorem natura producit inter ſpinas: ita anima decorem pulchritudinis munditiæ non producit neque B ſeruat odoriferum fructũ caſtitatis interioris in corde, et exterioris in corpore niſi inter ſpinas acutarum diſciplinarum pœnitentiæ: ideo dicuntur roſæ plantatę ſecus decurſus aquarum, ideſt, diuinarum influẽtiarum, fructificare fructus lucis et honeſtatis in omni iuſtitia et veritate. Secundo qui cor compleuerunt aquis lacrymabilium compunctionum, et retinuerũt ſiue crediderunt firmiter, afferent fructum claritatis et intelligentiæ illuminantis. Vnde dicitur in Pſal. Pſal. 1. a In lege Domini fuit voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte, et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum C ſuum dabit in tempore ſuo. Primo enim prædicator debet applicare voluntatem ad legem diuinã, vt quod intelligit, opere compleat, et deinde meditari in lege eius die ac nocte, qualiter debeat alios inſtruere: quia tunc erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, ideſt, diuinarum influentiarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Sed multi dant fructum non ſuum; eo quòd volunt humeris aliorum onera grauia et importabilia imponere, ipſi Mat. 23. a autem nolunt digito ea mouere. Alij autem proferunt fructum non in tempore ſuo, ſed ante tempus ſuum; eo quòd ſua auctoritate volunt prius docere D quàm diſcere, et ideo verbum eorum ſæpe ratione ſcandali et ignorantiæ, et malæ vitæ defluit in uanum per contemptum audientium. Quia cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur. Tertio qui inflammauerunt cor incendijs diuinorum deſideriorum et intelligunt verbum diligenter cum operis executione, afferunt oblectabilem fructum familiaritatis dulcorantis. Vnde dicitur: Sub vmbra illius, quem deſiderabam ſedi, et fructus eius dulcis gutturi meo. Cant. 2. a Sub vmbra refrigerantis gratiæ, ab actu carnalis concupiſcentiæ, et ab ardore exitialis auaritiæ: illius, ſcilicet Chriſti cum vehementi affe E ctione ſedi per mentis quietationem, non diſcurri per mentis diſtractionem: quia qui minoratur actu percipiet ſapientiam, et tunc fructus eius dulcis gutturi meo propter ſapientialem oblectationem. Rogemus ergo, *et cetera*.

## SERMO II.

Luc. 8. a

Exijt *qui ſeminat*, et cetera. Seminat doctor verba Dei, ſeminat iuſtus bona opera. Conſiderandum autem quid, quantum, ubi, quando ſit ſeminandum. F Sicut enim in materiali, ita etiam in ſpirituali ſeminatione requiritur ſeminis bonitas, ſeminantis liberalitas, telluris fecunditas, temporis congruitas. De primo: Oſee 10. d Seminate vobis in iuſtitia et metite in ore miſericordiæ, innouate vobis nouale, *et cet.* Seminate inquam docendo vel operando. Si enim bonum ſeminas, bonum et metes. Quid ergo eſt quod peruerſi ſæpe dicunt, ad regnum cælorum vtique veniemus: Si vrticam vel zizaniam ſeminares ſtulte, triticum expectares? Gal. 6. b Quæ enim ſeminauerit homo, hæc et metet. Si bonum, bonum: ſi malum, malum. Eccli. 7. a Fili non ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, et non metes eam in ſeptuplum, videlicet in gehenna: vbi ſeptem pœnæ ſunt, ignis, vermis, fœtor, fumus, tenebra, (Pœnæ gehennæ ſeptem.)



tenebra, vincula, frigus. Auctoritas patet. A De ſecundo: 2. Cor. 9. b Qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo non ex triſtitia aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Si ergo vis multum fructum colligere in futuro, multa debes bonorum operum ſemina ſpargere in præſenti. Bernardus: Modica ſeminis detractio non modicum eſt meſſis detrimentum. Licet multa opera ſint grauia & ſenſualitati lacrymoſa, tamen tempore meſſis triſtitia ſeminantis vertetur in gaudium metentis. Pſal. 125. a Pſalmus: Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent: Iſa. 9. a Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe. B Gregorius: Nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius præuia tribulatione ſeminatur. Certe libenter multos denarios dares ei, qui tibi ſine peccato pro vnoquoque, poſt annum, cẽtum redderet. Et certe Deus Luc. 8. a centuplum redderet tibi pro ſingulis bonis: Ortum Gen. 26. c fecit fructum centuplum. De tertio: Seminauit Iſaac in terra illa, & inuenit in ipſo anno cẽtuplum. Terra Luc. 8. b iſta bona, eſt cor bonum, vel bona voluntas: Quod autem in terram bonam cecidit, ortum fecit fructum Mat. 13. a centuplum. Secundum autem Matthæum: Aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum. C Secundum Gloſſam: Centeſimũ in virginibus, ſexageſimum in viduis, trigeſimum in coniugatis. Semina ergo huius fructus facienda non ſolum ſunt Dei verba, ſed bona opera. Semina enim ſunt orationes, eleemoſynæ, ieiunia, peregrinationes, & his ſimilia. Sed hæc ſeminantur iuxta viam, quando fiunt pro apparentia: vt videantur a tranſeuntibus, facientes contra Eccli. 29. c illud: Abſconde eleemoſynam in ſinum pauperis: & ideo pereunt. Gregorius: O miſeri, qui affectantes laudes hominum, in ſemetipſis diſſipãt fructus laborum: dum, quia ſe alienis oculis oſtendere appetunt, damnatur, quod agunt. D Seminatur ſupra petram, quando fiunt corde duro, quòd nolunt indulgere in ſe peccantibus: & ideo iſta ſemina pereunt. Ioannes Chryſoſtomus: Fruſtra offert munus ad altare, qui conſcius eſt ſibi, quòd frater ſuus habet aliquid aduerſum ſe. Seminatur in ſpinis, quando non vis reſtitutiones facere de iniuſtis poſſeſſionibus: & ideo pereunt. Auguſtinus. Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Quia ergo in terram bonam ſemina bonorum operum non veniunt, nullum æternæ vitæ fructum afferunt. De talibus poteſt dici illud: Seminaſtis multum & intuliſtis parum. E De quarto: Aggæi. 1. b Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua: Eccle. 11. b quia neſcis quid magis oriatur hoc aut illud, ideſt quid acceptius ſit Deo. Mane & veſpere, ideſt in Glo. in hũc locum. pueritia & ſenectute, ſecundũ Gloſſam: Bonũ eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Thren. 3. d Vtroque autem tempore inſtanter eſt ſeminandum, quia vtroque tempore quamdiu ſeminare poſſimus, eſt incertum. Bernardus: Mors non parcit ætati, vbique ſenibus eſt in ianuis, iuuenibus autem in inſidijs. Certe ſi aliquis rex haberet bonam terrã & cõcederet tibi quidquid velles, & quantum velles, & vbi velles & quando velles, ſeminares infra ſeptẽ annos, puto quòd F non libenter pro tritico zizaniam, pro coro, ideſt magna quantitate ſolum granum, pro bona terra in petroſis, pro ſeptem annis ſeptem diebus vel ſeptem horis ſeminares. Quare ergo ſtultus & miſer homo mala opera pro bonis, parciſſima bona pro multis, in malo corde pro bono, breui tempore pro longo ſeminat: cum tamen modo ſeminare deberet, vnde in perpetuum quieſcendo viueret: Exo. 23. b Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges eius: Anno autem ſeptimo dimittes eam, *et cetera*. Per ſex annos ſignificatur vita præſens, quæ ſex ætatibus conſtat. Vnus autem annus quo quieſcendum erat, vitam æternæ quietis ſignificat. Si ergo aliquos annos ſeminando neglexiſti, ſemina plus in alijs.



## SERMO III.

Exijt *qui ſeminat*, & cetera. Luc. 8. a Eſt ſemen ſcientiæ, pœnitentiæ, miſericordiæ, iuſtitiæ. De primo: Luc. 8. b Semen eſt verbũ Dei. Hoc ſemen Dei doctos requirit ſeminatores: Prou. 15. b Labia ſapientum diſſeminabunt ſcientiam. Sed heu hoc ſemen, ſicut ſeminator Chriſtus oſtendit, quandoque ab auibus rapitur, quandoque æſtu exuritur, quandoque ſpinis opprimitur. Aues autem ſunt dæmones. B Æſtus perſecutores. Spinæ temporalium ſolicitudines. Econtrario peruerſi ſeminant ſemen erroris & falſitatis: Mat. 13. c Venit inimicus eius & ſuperſeminauit zizaniam, ideſt erroneas & falſas doctrinas. Sicut quidam modo ſeminant ſimplicem fornicationem non eſſe mortale peccatum, & huiuſmodi. Cum tamen dicat Apoſtolus: 1. Cor. 6. b Fornicatores & adulteri regnum Dei non poſſidebunt. De ſecundo: Pſal. 125. a Qui ſeminant in lacrymis in exultatione metent. Quot modo tribulationes habueris, quot lacrymas pro peccatis effunderis, quot peccatorum confeſſiones feceris, quot cibis abſtinueris, quot mortificationes aſſumpſeris, tot C pœnitentiæ ſemina iacis. Semina ergo lacrymando in contritione: & metes exultando in retributione: immo certe Angeli metunt exultando, quod nos ſeminamus ſuſpirando. Bernardus: Quoniam ſpectaculum facti ſumus, & angelis, & hominibus, ſi ſeminemus exẽplum bonum per bona opera, ſeminamus angelis gaudia per occulta ſuſpiria. Econtrario carnales ſeminant ſemen carnalitatis omni loco & tempore, quo poſſunt. Sed væ eis: Gal. 6. b Qui ſeminant in carne, de carne & metent corruptionem. De tertio: 2. Cor. 9. b Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo D non ex triſtitia aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus, *et cet.* Auguſtinus: Opera miſericordiæ ſemina noſtra ſunt. Si ergo ſeminas in agro pauperum Domini pecuniam, panem, veſtem, hoſpitium, non ſolum centuplum, immo fructum milleſimum recipies: 1. Tim. 4. c Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Ioannes Chryſoſtomus: O quanta beatitudo pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro morituris ſemper viuentia, & habere Dominum debitorem! Econtrario: Auari ſeminant ſemen cupiditatis: Oſee. 8. b In aranearum telis erit vitulus Samariæ: quia ventum E ſeminabũt & turbinem metent. Vitulus aureus amorem pecuniæ ſignificat, quod eſt idolum auarorum: Epheſ. 5. b Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hereditatem in regno Dei. Tela araneæ inſtabilitatem temporalium ſignificat. Multo enim labore texitur, facile deſtruitur, ſicut temporalia. Vnde auari ſunt araneæ diaboli. Ad modum enim aranearum, quando telam temporalium componunt exterius, ſe euiſcerant interius. Sic auari quando telas temporalium componunt, ventum quidem cupiditatis per vſuras, per rapinas, per illicita lucra ſeminant: ſed turbinem damnatio F nis metent. De quarto: Prou. 11. c Seminanti iuſtitiam merces fidelis, docendo, operando, iudicando. Seminanda eſt iuſtitia, vt iuſta ſit doctrina, iuſta vita, bona temporalia iuſta ſunt pro iuſtitia. Quo modo autem ſeminares niſi prius arares? Oſee 10. c Arabit Iudas, confringet ſibi ſulcos Iacob, ſeminate vobis in veritate iuſtitiam, & metite in ore miſericordiæ; innouate vobis nouale. Tempus autem requirendi Dominum, qui cum venerit docebit vos iuſtitiam. Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis: comediſtis frugem mendacij. Iudas confitens interpretatur. Confitens ergo arat, dum vomere confeſſionis aperit terram cordis. Vnde Auguſtinus quibuſdam ait: Semen ſeritis deuotis cordibus tamquam ſulcata inuenientes pectora noſtra ara-

tor confeſſionis. Confringere autem contritionis eſt, frangit enim contritio duritiam cordis. Deinde ſeminanda eſt iuſtitia. Legitur enim in præſenti Euangelio ſemen aruiſſe, quod humorem non habuit: ideo humore gratiæ & lacrymarum riganda ſunt ſemina Iſa. 44. a bonorum operum: Effundam aquam ſuper ſitientẽ, & fluenta ſuper aridam. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum. Econtrario iniuſti ſeminant ſe- Prou. 6. b men iniquitatis & iniuriæ. Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius: oculos ſublimes, linguam mẽdacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias, hoc eſt peſſimũ ſemen detractorum. Ecce in prædictis verbis Salomon deſcribit vitia oculorum, manuum, pedum, cordis, linguæ, cuiuſlibet vnum vitium, ſolius vero linguæ infeliciſſimæ tria vitia deſcribens, videlicet, mendaciũ, falſum teſtimonium, diſcordiæ ſeminatorem.

## SERMO IV.

Luc. 8. a *Aliud cecidit in terram bonam.* Quadruplex eſt terra bona. Materialis, virginalis, ſpiri- C tualis, æternalis. De materiali: In ſudore vultus tui, *et cetera*. Hoc eſt contra otio- Gen. 3. d ſitatem. Gregorius: Numquam eſt amor Dei otioſus, *et cet.* Libenter ſudorem laborum pro illo ſuſti- Luc. 22. e neamus, qui pro nobis ſudauit ſanguinem: Factus eſt ſudor eius, *et cet.* Sequitur donec reuertaris ad terram, de qua ſumptus es. Hic reprehendit ſuperbiam: Eccli. 10. b Quid ſuperbis terra & cinis? Merito enim debet eſſe ſubiectus, qui de terra, quæ omnium pedibus conculcatur, eſt ſumptus. De virginali quæ eſt beata Vir- Gen. 2. a go Maria dicitur: Fons aſcendebat de terra. Fons Pſal. 41. a Chriſtus eſt. Pſalmus: Sitiuit anima ad Deum fon- D tem viuum. Gregorius: Bone Ieſu fons indeficiens & humana corda reficiens: ad te curro, te ſolum ſitiens, tu ſolus mihi es ſufficiens. Fons aſcendebat de terra, quando Chriſtus naſcebatur de Maria. De qua ter- Ezec. 36. g ra: Terra illa inculta facta eſt velut ortus voluptatis. Terra inculta eſt Maria Virgo intacta: & tamen fœcunda. In hoc horto herbas virtutum floresq. exem- Eccli. 24. b plorum colligamus: Flores mei fructus honoris. De ſpirituali, quæ eſt cor humanum vel anima, dicitur in hoc Euangelio: Quod autem in terram bonam, hi ſunt qui in corde bono, *et cetera*. Hæc terra arida eſt, Pſal. 142. b quando humore gratiæ caret. Pſalmus: Anima mea E ſicut terra ſine aqua tibi. Ioannes Chryſoſtomus: Neque gratia ſine voluntate aliquid operatur, neque voluntas ſine gratia: nam terra non germinat niſi pluuiam ſuſceperit, neque pluuia fructificat ſine terra. Et ideo a patre noſtro, ſcilicet Deo debemus pe- Iudic. 1. c tere irriguum ſignificatum: Vbi Axa ſedens & ſuſpirans dixit patri ſuo: Terram arentem dediſti mihi, *et cetera*, expone hiſtoriam diligenter. De æternali: Mat. 5. a Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram: hanc Pſal. 141. b terrã vtique de qua pſalmus: Portio mea Domine in Num. 14. b terra viuentium: Terra, quam circuimus, eſt valde bo- F na & ſi propitius fuerit Dominus, inducet nos in eã, & tradet humum lacte & melle manantem. Lacte humanitatis & melle diuinitatis. Secundum hanc quadruplicem terram quadruplex eſt ſemen, videlicet generationis, redemptionis, eruditionis, boni operis. Primum eſt corpus noſtrum, quod ſeminatur in 1. Cor. 15. e terra materiali: Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. In hoc loco tangit Apoſtolus quattuor dotes corporis glorificati: in incorruptione, impaſſibilitatis: In gloria, claritatis: in virtute, agilitatis: in ſpirituali, ſubtilitatis notatur. Secundum ſemen eſt Chriſtus ſeminatus in terra virginali: Benedicentur in ſemine Gen. 22. d A tuo omnes gentes: In ſemine tuo, qui eſt Chriſtus. Gal. 3. c Tanta in terris charitas, ſeu cariſtia erat, quòd niſi Dominus hoc ſemen ſeminaſſet, totus mundus periſſet: Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſe- Iſa. 1. c men, quaſi Sodoma fuiſſemus, *et cet.* Væ in Sodoma hoc eſt in ſæculo remanentibus, ſed non Væ ſæculum tamquam Sodomam relinquentibus. Tertium ſemen eſt verbum Dei, & ſeminatur in terra ſpirituali: hoc autem facit fructum triceſimum in incipiẽtibus. Triginta enim ſunt ter decem: incipientes ergo quaſi denarium multiplicant, dum decem mandata miſeri- B cordiæ ſeruata per ternarium contritionis, confeſſionis, ſatisfactionis recuperant. Sexaginta autem facit in proficientibus per ſex opera miſericordiæ, qui denarium per ſenarium ducunt, dum decem mandata cum ſex operibus miſericordiæ offerunt. Centeſimũ autem facit in perfectis omnia relinquentibus: Centuplum accipient. Nunc in tempore iſto addidit Mar- Mat. 19. d cus: quod etiam ſignificatum eſt, vbi dicitur: Semi- Mar. 10. d nauit Iſaac in terra illa, & inuenit in ipſo anno, ideſt Gen. 26. c in hac vita, centuplum. Quartum ſemen eſt opus meritorium, quod ſeminatur in terra æternali: Qui ſe- Galat. 6. b minat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bo- C num autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus. In cælo vtique ſeminamus, ex quo in cælo metemus. O ſi aliquis potens quandoque nobis vellet dare de bona terra, quam vna die ſeminare poſſemus: vnam horam vnius diei nollemus negligere: & ecce de regno cælorum tantum nunc habemus, tantum metemus quantum nunc ſeminamus: Qui 2. Cor. 9. b ſeminat in benedictione de benedictionibus & metet. Quare ergo ſtulti tempus perdimus & ſeminare bona opera negligimus?

D

# DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

## SERMO I.

*Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquã flagellauerint, occident eum.* Quoniam Luc. 18. f ſolent oues gregis percuſſo paſtore diſpergi: hinc eſt quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus præſciens ſuos di- E ſcipulos in corporalis ſuæ mortis percuſſione in modum ouium diſpergi per deuia erroris, ad fortificandum eos in via fidei & in eis ceteros alios, ne poſſent credere hoc ſibi accidere ab euentu, ſiue ignorantia, dignatus eſt prædicere in verbo propoſito illud infinitum beneficium ſuæ paſſionis: & cæleſte myſterium noſtræ redemptionis, & quòd ipſe Deus æternus ſe inclinans humiliter mortis crucem pro ſalute generis humani cum deſiderio ſuſcepiſſet. Exprimitur autem in his verbis Chriſti paſſio quantum ad eius principium, medium, & vltimum, in quibus Dei perfecta cognitio conſiſtit. Principium namque paſſionis fuit F malignitas proprij diſcipuli, proueniens ex diaboli ſuggeſtione. Medium vero fuit contemptibilitas vltimi opprobrij in flagellatione, & faciei conſpuitione. Sed vltimum fuit acerbitas doloroſi ſupplicij, in corporis & animæ ſeparatione. Primo ergo malignitas proprij diſcipuli notatur cum dicitur: *Tradetur enim gentibus*, ideſt Filius Dei a Iuda, diabolo ſuggerente. Vnde dicitur: Cum iam diabolus in cor Ioan. 13. a miſiſſet Iudæ, vt traderet eum, *et cet.* Secundo contemptibilitas vltimi opprobrij, cum ſubdit: *Et illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur*. Illuſiones & ſputa atque flagellationes ſunt ſigna extremæ vilificationis. Tertio notatur acerbitas doloroſi ſupplicij, cum ſubinfert: *Poſtquam flagellauerint, occident eum*. Valde enim



enim fuit acerbum illud tormentum Chriſti, quod A tam celeriter eum occidit: ante enim obijt, quàm alij, qui cum eo erant crucifixi.

Dicit ergo: *tradetur*. Vbi notatur malignitas Iudæ proditoris proprij diſcipuli. Iſta enim malignitas ple- Iudæ malignitas. nius apparebit, ſi diligenter conſideremus triplicem conditionem iſtam, malignitatem proditoris aggrauantem, videlicet. Primo confidentiã, ſecuritatis, & amicitiæ. Secundo excellentiam dignitatis Apoſtolicæ. Tertio concupiſcentiam cupiditatis auaritiæ. Ex his tribus conditionibus poteſt apparere, quia nulla ſub cælo maior fuit malignitas, quàm illa Iudæ: qui tamquàm falſus amicus in datione oſculi tradidit ve- B rum amicum: & tamquam ingratus diſcipulus, immo Apoſtolus, tradidit benignum Magiſtrum: tamquam cupidus & auarus, vili pretio vendidit iuſtũ & pium, immo ſummum bonum. Primo magna fuit malignitas Iudæ in tradendo Dominũ propter confidentiam ſecuritatis & amicitiæ. Iudas enim non fuit tractatus tamquam extraneus amicus, vel ſuſpectus amicus: immo tamquam amicus ſecurus, dum non ſolum factus eſt a Chriſto de familia ſua comedendo, & bibendo panem in menſa Chriſti cum ceteris Apoſtolis: ſed etiam factus eſt diſpenſator temporalium totius familiæ: & ob hoc conqueritur in pſalmis Do- C Pſal. 40 c minus de ipſo, dicens: Homo pacis meæ, in quo ſperabam, qui edebat panes meos, ſupplantauit me ſupplantatione pacis meæ. Ecce falſa datio ſimulatæ pa- Luc. 22. e cis. Vnde dicit ei Ieſus: Iudas oſculo filium hominis tradis? Chryſoſtomus cum dicitur: Pax cæli in oſculo temere traditur. alligatur omni nexu: a falſo veritas accuſatur. In quo ſperabam: ecce confidentia animæ & ſecuritatis: magnificauit ſuper me: ecce immenſitas malignitatis Iudæ. Vnde Dominus dicit Mat. 26. b de Iuda: Amen dico vobis quoniam vnus ex vobis me traditurus eſt, qui manducat mecum. Secundo magna malignitas fuit Iudæ in tradendo Dominum D propter excellentiam dignitatis Apoſtolicæ. Iudas enim non ſolum ad gratiam, & ad doctrinam fidei eſt vocatus: ſed etiam ad dignitates apoſtolatus eſt aſſumptus, dum eum Chriſtus inter duodecim dignatus eſt adnumerare. Vnde de ipſo dicit Domi- Ioan. 14. c nus: Vnus ex vobis, ſcilicet duodecim me tradet. Si- Mat. 26. b militer: Vnus ex duodecim, qui dicitur Iudas, *et cet.* Tertio magna fuit malignitas Iudæ propter con- Mat. 26. b cupiſcentiam cupiditatis, & auaritiæ. Vnde dicit Iudas principibus ſacerdotum: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. Magna ſiquidem fuit iſtius ini- E quitas proditoris ſi conſideremus pro quanto vendidit Dominum: quia non magno ſed vili pretio, ſcilicet triginta argenteis. Maior vero, ſi conſideremus quibus tradidit & vendidit, quia non amicis, ſed inimicis & extraneis quærentibus animam eius. Maxima ſi conſideremus ad quid eum tradidit, & vendidit: quia non ad ſeruiendum, ſed illudendum, flagellandum, conſpuendum, & crucifigendum. Sed certe ſi conſideremus quis venditur & traditur, infinita eſt enim eius iniquitas: quia Rex regũ, & Dominus dominantium. Et propter hoc Dominus dicit Pilato. Ioan. 19. b Maius peccatum habet qui me tibi tradidit: & quia F malignitas proditoris ratione ſuæ iniquitatis eſt in Domini verbis explicata: ideo nolo amplius in hoc morari, ſed finem dare ſermoni. Secundo notatur contemptibilitas vltimi opprobrij in flagellatione: & faciei conſpuitione, cum dicit: *illudetur & flagellabitur, & conſpuetur*. Non enim ſine magna cauſa immo diuina diſpenſatione factum eſt, vt Filius Dei illuderetur, flagellaretur, & conſpueretur. Non enim ſine cauſa: quoniam per iſta tria miro modo ipſe Dei Filius reparator humani generis deſtruit corpus pecca- Tria in peccato. ti. Nam in peccato eſt frontis inuerecundia, excludẽs pudorem: delectationis complacentia, excludens dolorem: & elationis ſuperbia, excludens timorem: & A quoniam contraria contrarijs curantur. Primo deſtruxit frontis inuerecundiam, in ſuſtinendo pudorem in illuſione: Secundo elationis complacentiam, ſuſtinendo dolorem in flagellatione: Tertio elationis ſuperbiam, ſuſtinendo vilificationem in conſpuitione. Primo deſtruxit frontis inuerecundiam ſuſtinendo pudorem in illuſione, & de iſta illuſione dicitur: Clamidem coccineã circumdederunt ei, & ple- Mat. 27. d ctentes coronã de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & genuflexo ante eũ, illudebant eum. Fletum deducant oculi mei, & liqueſcat in me anima mea dolore compaſſionis ſuper contritionem viri huius. Quia Fi- B lius Dei clamide coccinea induitur, non vt honoretur, ſed vt vituperetur: corona de ſpinis ſuper caput eius ponitur, vt pudore confuſionis repleatur: arundo in dextera eius ponitur, & ante eum genuflectitur, vt regius honor parum ante ei exhibitus plenius derideretur. Vnde frontis meretricis inuerecundiam in peccato, cum Chriſto ad eam deſtruendam in illuſione ſui, peccati pudorem non aſſumere eſt magnæ iniquitatis. Secundo deſtruxit delectationis complacentiam, ſuſtinendo dolorem in flagellatione. Vnde: Tradidit Pilatus eis Ieſum flagellis cæſum: Chriſtus ad Mat. 27. e hoc voluit amaritudinẽ doloris ſuſtinere in flagella- C tione, vt deſtrueret dulcedinem carnalis delectationis. Non ergo cariſſimi euacuemus in nobis effectus diuinæ flagellationis, quam ſuſtinuit pro nobis metipſis: non Filium Dei rurſus flagellemus per delectationem peccati: quia mitigandus eſt eius dolor, non amplius innouandus. Vnde Bernardus: Heu me miſerum, Deus meus adaptatur ad verbera: ecce iam ceditur, rumpitur ſancta caro violentia flagellorum, & crudelia vulnera ſcapularum totam carnem confundunt. Tertio deſtruxit elationis ſuperbiam, ſuſtinendo deiectionem, ſiue vilificationem in conſpuitione: Expuentes in eum, acceperũt arundinem, & percutie- Mat. 27. d D bant caput eius. Miro enim modo excelſus Filius Dei confundit noſtram ſuperbiam in ſuſtinendo ſputorũ abominationes, quæ ſunt ſigna extremæ deiectionis: vt nullus quantumcumque nobilis, & excelſus videatur verecundari propter honorem Dei, humiliari, & deijci in conſpectu hominũ. Non ergo erubeſcat membrum deiectionem humilitatis, quam nouit præceſſiſſe in capite. Nihil enim glorioſius putet quàm opprobrium ſui capitis portare. Vltimo ſubinfert doloroſi ſupplicij acerbitatem, cum dicit: *Et poſtquam flagellauerint, occident eum*. Huius doloroſi ſupplicij acerbitatem oſtendit. Primo nobilitas teneri ſiue de- E licati ſubiecti veraciter patientis. Secundo malignitas Iudaici populi crudeliter ſæuientis. Tertio atrocitas amari ſupplicij celeriter perimentis. Primo vehementem amaritudinem huius doloroſi ſupplicij oſtendit nobilitas teneri ſubiecti veraciter patientis. Ex parte enim carnis erat teneritudo naturæ optime complexionatæ: & quanto natura tenerior, tanto eius pœna doloroſior. Ratione autem huius teneritudinis tantam pœnam inflixit ſola imaginatio mortis, quòd factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis Luc. 22. e decurrentis in terram: ergo ſi tantum fecit ſola imaginatio, quantum ſuperaddit deguſtatio acerbiſſimæ F paſſionis. Ex parte enim mentis erat in eo omnimoda peccati immunitas: quæ autem pœna venit indigne, dolenda venit ſecundum quòd dicit Auguſtinus. Ex parte etiam amicabilis vnionis animæ & carnis fuit in eo vehementia doloroſæ afflictionis: quia caro eius nulla erat corruptioni obnoxia: ideo anima fortiori amicitia ei coniungebatur. Vbi autem maior amor in coniunctione, ibi maior dolor in ſeparatione: & ratione huius non fuit ſub cælo dolor ſimilis, ſicut dolor Chriſti. Ad cuius expreſſionem clamans, Luc. 23. f & lacrymãs mortuus eſt: qui horribilis clamor etiam ipſis inſenſibilibus videbatur incutere horrorẽ: quoniam non tantum velum templi, ſed etiam petræ ſciſſæ ſunt, & ſol obſcuratus eſt. Sed hanc lacryma- Mat. 27. f bilem

bilem vocem non audiunt homines, qui duriores *A* ſunt ipſis lapidibus. De iſta vero occiſione ad litteram *Iſa. 53. c* dicitur in Iſaia: Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. Ouis eſt Chriſtus ratione tractabilitatis, & patientiæ: ſed agnus ratione puritatis & innocentiæ, cuius ratione peccata mundi tulit. Vnde ſequitur pro eo, quòd tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis deputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro *Luc. 23. e* tranſgreſſoribus orauit. Secundo vehementẽ acerbitatem huius doloroſi ſupplicij oſtendit malignitas populi Iudaici crudeliter ſæuientis. Multum enim ſæuierunt crudeles Iudæi: nam eius aures clamoribus *B* *Mat. 27. d* opprobrium impleuerunt: eius faciem abominationibus ſputorum ſordidauerunt: eius caput compunctionibus ſpinarum fregerunt, proprijs humeris ſuam ignominiam crucis portare fecerunt: eius maxillas ſacrilegis manibus percuſſerunt: in ſiti ſua felle & aceto eum potauerunt: & quod plus eſt, ſolo zelo inuidiæ eum occiderunt, ſecundum quòd figuratum erat *1. Ioan. 3. c* in occiſione Abel de quo dicitur: Cain, qui ex maligno erat, occidit fratrem ſuum: propter quid autem occidit eum, quoniam opera eius maligna erant, fratris eius iuſta. Peruerſus Cain, qui occidit iuſtum fratrem ſuum ſolo zelo inuidiæ ratione ſuæ maligni- *C* tatis, ſignat populum Iudaicum, qui occidit Chriſtũ natum de populo, & gente Iudaica inuidens bonis operibus eius. Et hoc eſt quod dicebat eis Dominus: *Ioan. 10. f* Multa bona opera operatus ſum vobis, propter quod vultis me occidere? Hic enim eſt Chriſtus, qui quæcumque myſtica veteris teſtamenti adimpleuit. Nam a latere Adæ ſequeſtratus eſt, vt inde fieret Eccleſia. In Abel occiſus eſt, in Noe nudatus, in Abraam multiplicatus, in Iſaac immolatus. Hoc enim ſingulare ſacrificium ad figurandum omnia veteris teſtamenti ſacrificia hactenus inſudauerant. In Iacob peregrinatus, in Ioſeph venditus, in Moyſe occultatus, in Da- *D* uid perſecutus, in Prophetis exhonoratus. Si ergo quilibet iſtorum, excepto Adam, habuit ſatis portare de ſua tribulatione: quantum ergo habuit Chriſtus portare, ſuper quem, & in quo omnes iſtorum fluctus fuerunt inducti & adimpleti. Vnde ratione illius crudelitatis, & ſæuitiæ, quam exercuerunt in eum *Iob 20. b* Iudæi, poteſt dici de eis: Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ. Tertio vehementẽ acerbitatem huius doloroſi ſupplicij oſtendit atrocitas amari ſupplicij celeriter perimentis. Valde enim crudele & amarũ fuit ſupplicium, eo quòd in eo habuit membrorum denudationes, & extenſiones, dolens in *E* omni parte ſui ſine vlla miſeratione. Clauorum perforationes in pedibus, & manibus, patiens in omni hora ſine requietione: tamquam enim carnifex ſui ipſius ſi parcebat pedibus, cruciabat manus: & ſi parcebat manibus, cruciabat pedes. Vnde quia maxima erat ibi collectio neruorum, ideo maxima erat afflictio pœnarum: & quia maxima in collectione neruorum vigebat viuacitas, maxima ſentiebatur pœnalitas: cuius immenſitate acerbitatis, & pœnalitatis celeriter anima fuit diuiſa a carne. Ante enim obijt, quàm alij, qui cum eo erant. Et cum percuſſus eſſet in latere ratione accelerationis, exiuit ſanguis & aqua. *F* Ex quo apparet quòd adhuc ſanguine exiſtente in corde, vbi eſt fons vitæ, facta eſt ſeparatio animæ a corpore. Si enim naturaliter anima appetat habitare in corpore, quàmdiu ſanguis abundat in domicilio vitæ: ergo abſque maximo dolore de tam aperto domicilio vitæ auelli non potuit. Ad cuius pœnalitatis expreſſionem cum clamoribus validis emiſit ſpiritũ. *Luc. 23. f* Et de hoc dicitur: Nos teſtes ſumus omnium, quæ *Act. 10. f* fecit Ieſus in regione Iudæorum, & quem occiderũt Iudæi in Ieruſalem ſuſpendentes in ligno Crucis. In quo non habuit, ratione arctitudinis, vbi caput ſuum inclinaret: nec vbi membra corporis appodiaret: ideo aliquando appodiabat ſe ad clauos pedum: aliquando *A* ad clauos manuum: & ideo omni hora ſine interpolatione vehementiſſime patiebatur. Rogemus ergo, *et cetera.*

## SERMO II.

*Tradetur gentibus & illudetur, & flagellabitur, & cõſpuetur:* *Luc. 18. f* Talia paſſus eſt Dominus antequam occideretur corporaliter: quia talia patitur anima, vt poſt occidatur ſpiritualiter. Traditur enim a diabolo ſuggeſtionibus, illuditur proſperitatibus, flagellatur aduerſitatibus, *B* conſpuitur delectationibus. De primo. Pſalmus: *Pſal. 87. b* Traditus ſum, & non egrediebar. Sicut enim qui traditionem timet, non audet egredi caſtrum & domũ: ſic anima timorata non libenter egreditur de prima cuſtodia: periculoſus enim eſt iſte egreſſus: Egreſſa *Gen. 34. a* eſt autem Dina, *et cet.* Traditur enim anima ſuggeſtionibus malis quandoque per amorem, quandoque per rationem, quandoque per fauorem. Quandoque diabolus ſuggerit homini temporalium concupiſcentiam, proximorum diſplicentiam, propriam complacentiam. Ideo Chriſtus vt hoc amoueret, vt pro his ſatisfaceret, ipſe traditur a Iuda, a Sacerdotibus, a *C* Pilato. A Iuda propter auaritiam: Quid vultis mihi *Mat. 26. b* dare, & ego eũ vobis tradã? Traditus eſt pro denarijs inimico, ne tu tradaris pro denarijs diabolo. Item a ſacerdotibus propter inuidiam: Sciebat enim Pila- *Mat. 27. b* tus quòd per inuidiam tradidiſſent eum. Item a Pilato propter complacentiam: Pilatus autem volens *Mar. 15. b* populo ſatisfacere, dimiſit illis Barabbam, & tradidit eis Ieſum. O quot hodie tradunt ipſum, & ipſi a diabolo tradũtur, propter iam dictas cauſas. De ſecundo *Pſal. 78. a* ait Pſalmiſta: Facti ſumus opprobriũ vicinis noſtris & ſubſannatio ijs, qui in circuitu noſtro ſunt, ideſt dæmonibus circuentibus: Circuit quærens quem de- *1. Pet. 5. c* *D* uoret. Illudit autem diabolus homini per proſperitatem, ſicut illuditur muri, vel aui, vel piſci per eſcam, in qua hamus latet. Illudit autem in tribus. In cognoſcendis, in agendis, in appetendis. Ideo Chriſtus tribus vicibus illuſus eſt. *Chriſtus cur ter illuſus.* Illudit diabolus errantibus in cognoſcendis, ligans oculos intellectus per velamen ignorantiæ. Contra quod Dominus Chri- *Mar. 14. g* ſtus in prima illuſione oculis velabatur. Illuditq. diabolus in agendis per hypocriſim, ſicut illuſio eſſet ſi ſordidum pulchrum, & ſi nigrum album appareret. Matthæus: Similes eſtis ſepulchris dealbatis. Contra *Mat. 23. c* quod Chriſtus in ſecunda illuſione coram Herode *E* veſte alba induitur & conſpuitur. Item illudit diabolus in appetendis, dum appetunt homines temporalia pro æternis. Temporales vtique excellentias, delicias, diuitias. Contra quæ Chriſtus in tertia illuſione *Mat. 27. d* corona ſpinea, veſte purpurea, arundine illuditur. Corona eſt excellentium, purpura delicatorum eſt. Arundo diuitias ſignificat. Et ſic illuſori diabolo Chriſtus ſuis illuſionibus illuſit: Illuſores ipſe delu- *Prou. 3. d* det. De tertio: En famuli tui flagellis cædimur. Pha- *Exod. 5. c* rao diabolum ſignificat, quia flagellis tribulationis multos ſibi ſeruire cogit, dum propter inopiam alij furantur, vel peius faciunt: alij propter anguſtias bla- *F* ſphemant: alij propter iniurias odiunt & occidunt. Vnde quibuſdam peruerſis tamquam flagellis vtitur diabolus, & lingua mala vtique flagellum diaboli eſt: A flagello linguæ abſconderis. *Iob 5. d* Contra hæc flagella Chriſtus flagellatus eſt, vt te a flagellis dæmonum erueret. Nota quòd diabolus flagellis ſuis inducit pronitatem, multiplicitatem, diuturnitatem in peccatis. Ideo Chriſtus ſatisfaciendum contra pronitatem promptus fuit ad flagella. Pſalmus: Ego in fla- *Pſal. 37. d* gella paratus ſum. Item contra multiplicitatem peccatorum. Multiplicata ſunt ſuper eum verba flagel- *Pſal. 34. c* lorum. Multiplicata ſunt ſuper me flagella. Item contra diuturnitatem, diu flagellatus eſt verberibus & verbis: Fui flagellatus tota die. *Pſal. 72. b* Flagellis enim lin-



guæ flagellatus eſt ab hora captiuitatis ſuæ, vſque ad *A* horam mortis. Sed heu a malis Chriſtianis flagellis peioribus cæditur, quàm a Iudæis flagellatus eſt Chriſtus flagellis Iudæorum: flagellatur nunc flagellis falſorum Chriſtianorum. *Num. 12 d* De quarto: Si pater eius ſpuiſſet in faciem eius, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Pater leproſæ animæ diabolus eſt: qui ſputum malæ delectationis proijcit in animam, per viſum, per verbum, per tactum. Per viſum, quando homo faciem non auertit, ne videat vanitatem: pro quo Chrſtus ſatisfecit ſicut dicitur: Fa- *Iſa. 50. c* ciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. Item per contritionem innocentium, *B* contra quod Chriſtus in ſecunda illuſione conſpui- *Mar. 14. g* tur coram Caipha, qui interpretatur vomitus oris. Item per tactum in violentia, contra quod Chriſtus in tertia illuſione, dum conſpuitur arundine, dure tangitur. Poſt hæc autem omnia, anima per conſenſum occiditur: & ideo poſt prædicta Chriſtus occiditur.

## SERMO III.

*Luc. 18. g* *Cæcus quidam ſedebat.* Quattuor ex cauſis contingit cæcitas culpæ in anima, videlicet carnis voluptate, ſuperbiæ vanitate, rerum cupiditate, mentis infidelitate. De *Gen. 19. c* primo: Eos, qui erant foris, percuſſerunt cæcitate. Nota hiſtoriam. Illa Sodomitarum cæcitas exterior interiorem ſignificat. Excæcantur enim in animabus ſuis omnes luxurioſi. Gregorius: Carnis delectatio mentem, quam inficit, obſcurat, ne videre inde luminis claritatem valeat: ſed vnde inferius delectatur, inde caliginem ad ſuperna patiatur. Bene autem dicitur, qui erant foris, & non intus cum Loth & Angelis: quia luxurioſi extra conſortium Angelorum, & ſanctorum perpetuo erunt. Vbi propter ardorem & fœtorem luxuriæ igne, & ſulphure *D* punientur æternaliter, ſicut iſti temporaliter. Pſal- *Pſal. 10 b* miſta: Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars ca- *Apoc. 22. c* licis eorum. Foris, inquam, erunt, *etcet.* Foris canes *etcet.* Quid enim canes facerent inter angelos? *Apoc. 3. d* De ſecundo: Dicis quia diues ſum & locuples, & nullius egeo. Ecce magna ſuperbia quòd homo ita magnũ de ſe ſentit, quòd nullius egeat, propter hoc ſequitur: Et neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper & cæcus. Cæcitas autem ſuperbiæ euenit de inflatione. Auguſtinus: Tumore meo ſeparabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos. Cæcitas inflationis maxime in potentibus & rectoribus, ſed væ ouibus habentibus cæcum paſtorem: quia co- *E* ram beſtijs, ideſt dæmonibus ſine defenſione ſunt: *Iſa. 56. c* Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus, ſpeculatores eius cæci omnes: beſtiæ *Pſal. 73. d* dæmones ſunt. Pſalmiſta: Ne tradas beſtijs, *etcetera.* Beſtiæ agri ſunt, qui impugnant actiones: beſtiæ ſaltus, qui contemplationes, & ſolitarios. Vel beſtiæ agri ſunt, qui ſæculares: beſtiæ ſaltus, qui religioſos impugnant ſaltus, qui ſaltum de mundo fecerunt, *et cet.* *Exod. 33. b* De tertio: Non accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. Ca- *Eccli. 20. d* ueant ſibi maxime iudices de iſta cæcitate: Enxenia *F* & dona excæcant oculos iudicum, & ideo fiunt cæci: culpas pauperum diſtricte examinant, diuitum autem *Mat. 23. c* diſſimulant, parcentes camelo, & non culici: Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Vel aliter: Camelum glutiunt, diſſimulando maiora: culicem colant, ponderando minora. Penſa quàm damnabilis ſit auaritia in iudicio iniuſto, cum deteſtabilis ſit in iudicio iuſto. Iſidorus: Qui recte iudicat & pretium remunerationis expectat: fraudẽ ideo procurat, quia iuſtitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. In primis duabus auctoritatibus, Exodi, & Eccleſiaſtici oſtẽditur, quòd iudices etiam prudentes, & iuſti etiam auaritia excæ- *A* cantur. Timenda ergo auaritia, per quam corrumpitur poteſtas, quæ in iudicibus: veritas, quæ in prudentibus: bonitas, quæ in iuſtis intelligitur. De quar- *Rom. 11. c* to: Cæcitas ex parte contingit in Iſrael. Ecce quantum regratiari debemus Deo, quòd amicis, ideſt Iſraeli, erui permiſit oculos, vt inimici, ideſt gentes illuminarentur. Bene dico quòd permiſit: Non enim oculos infidelium eruit Deus, ſed diabolus: Deus hu- *2. Cor. 4. a* ius ſæculi excæcauit mentes infidelium, oculum autem dextrum libentiſſime excæcat diabolus, ideſt fidem diuinitatis Chriſti. Nam fides humanitatis eſt ſiniſter oculus. Vnde dicit Naas Ammonites: In hoc *1. Reg. 11. a* *B* feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrum oculos dexteros. Naas diabolum ſignificat: Interpretatur enim ſerpens: Serpens decepit. *Gen. 3. c* Et hanc quadruplicem cæcitatem quattuor perſonæ, quas excæcatas legimus, figurant, videlicet Samſon, Sedechias, Tobias, Elimas magus. Cæcitas ergo concupi- *Iud. 16. f* ſcentiæ ſignificatur in Samſone, qui per meretricem traditus excæcatur, ſicut dicitur: Cæcitas ſuperbiæ in Sedechia rege excæcato ſicut dicitur. Excæcatus eſt, *4. Reg. 25. b* quia regia dignitate elatus, alij ſubeſſe noluit. Cæcitas auaritiæ in Tobia ſtercore hirundinum excæcato. *Tob. 2. b* Stercus enim ſunt temporalia bona & mundana: Om- *Phil. 3. b* *C* nia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora. Cæcitas infidelitatis eſt in Elima: qui reſiſtebat Paulo prædicanti Fidem, de quo: Ecce manus Domini ſuper *Act. 13. b* me & eris cæcus, *et cetera*, hæc quattuor exponendo, morare vt vis.

## SERMO IV.

*Confeſtim vidit*, & cetera: *Luc. 18. g* Quattuor ſunt, quæ animam peccantis excæcatam videre faciunt, videlicet tribulationis purgatio, Christi incarnatio, veritatis prædicatio, *D* gratiæ inſpiratio. De primo: Collirio *Apoc. 3. d* inunge oculos tuos, vt videas. Vt autem videas & ſcias quòd cum liquido collirio purgatio diuinæ correctionis eſt neceſſaria: ideo ſubiungitur immediate: Ego quos amo, arguo & caſtigo. Acutiſſima collíria ſuſtinentur pro oculis corporis, quanto magis pro oculis intellectus animæ purgandis? Vexatio intelle- *Iſa. 28. e* ctum dabit auditui. Vnde & Stephano virtute collirij paſſionis in tantum purgati ſunt oculi, vt videret gloriam Dei, & Ieſum ſtantem, *et cet.* ſicut dicitur: *Act. 7. g* De ſecundo: In iudicium ego in mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. *Ioan. 9. g* Quid mirum cum etiam in ſole materiali viſus infir- *E* mus lædatur, viſus fortis delectetur? Sic vtique in ſole æternali Chriſto viſus infidelium retunditur, & excæcatur. Vnde de ſole dicitur: Radijs ſuis excæcat *Eccli. 43. a* oculos. Sed viſus fidelium in hoc ſole delectatur: Dulce lumen & delectabile oculis videre ſolem, ideſt *Eccles. 11. b* Chriſtum. Auguſtinus: Senſi, expertus ſum, non eſſe mirum quòd palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis, & oculis ægris odioſa eſt lux, quæ puris eſt amabilis. De tertio: Audient ſurdi verba *Iſa. 29. f* libri & de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt. Hic eſt liber Scripturæ ſacræ, in quo, vt dici- *F* tur: Scripta erant lamentationes, & carmen, & væ. *Ezec. 2. d* Lamentationes pœnitentium in mundo, carmen pſallentium in cælo. Væ gementium in inferno: Gregorius: Mala, quæ nos egiſſe meminimus, fletibus puniamus, vt per lamenta pœnitentiæ perueniamus ad carmen vitæ: ne ſi affligi modo pœnitendo nolimus, poſtmodum ſine fine ſentiamus. Verba huius libri non ſolum faciunt audire ſurdos ad obediendum ad bonum, ſed etiam cæcos videre cognoſcendo. Pſalmus: Declaratio ſermonum tuorum illuminat, *et cet.* *Pſ. 118. r* De quarto: Saule frater, Dominus Ieſus miſit me, *Act. 9. c* qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & imples Spiritu ſancto. Vt videas, intellige vtroque modo. Item Gloſſa: Monſtratur in facie quòd lumen recepit

recepit in mente. Spiritus autem ſanctus veritatem ſuam nos videre non facit, niſi ad hoſpitium cordis venerit: *Ioan. 16. b* Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Et nota quòd Paulus viſum recepit poſtquam per triduum, neque comedens neque bibens, ſed orans fuit: ita cæcus peccator per triduum pœnitentiæ recipit viſum animæ. Auguſtinus: Pœnitentia cæcis viſum reſtituit, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat. Sic ergo viſus in anima reparatur per pœnam, per aſſumptam naturam, per doctrinam, per gratiam. Secundum hæc quattuor inuenimus in Scriptura quattuor cæcos illuminantia, videlicet, fel, lutum, verbum, tactum. Viſus enim animæ reparatur felle tribulationis, luto incarnationis, verbo prædicationis, tactu inſpirationis. De felle dicitur: *Tob. 11. c* Aſſumens Tobias de felle piſcis liniuit oculos patris ſui, *et cet.* ſtatimq. viſum recepit. Fel tribulationis patienter ſuſtineamus pro illo, qui pro nobis in paſſione de felle guſtauit: *Mat. 27. d* Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum. Bernardus: Quidquid afflictionis terrena propinat aduerſitas, leue erit ſi inſpiciamus quid biberat ad crucis patibulum, qui nos inuitat ad cælum. De luto dicitur: *Ioan. 9. c* Lutum poſuit mihi ſuper oculos, & laui, & video. Vnde verſus:

*Eſt caro noſtra lutum, patris ſapientia ſputum.*

*Iob 4. d* In hoc luto habitant ſpiritus humani: Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut a tinea, *et cet.* In domo lutea nobiſcum habitare voluit Filius Dei, vt ideo habitaremus in domo cæleſti: de quo Ioannes: In domo pa- *Ioan. 14. a* tris mei, *et cet.* De verbo dicitur in hoc Euangelio: *Luc. 18. g* Reſpice, *et cet.* Et confeſtim vidit. O quoties prædicator dicit peccatori: Reſpice præmium, reſpice in- *Eccli. 23. d* fernum, reſpice Dei mandatum: Nihil dulcius quàm *Mat. 20. d* reſpicere in mandatis Dei. De tactu dicitur: Miſertus autem eorum Ieſus, tetigit oculos eorum & confeſtim viderunt. Hic eſt tactus gratiæ, quo Deus tangit: de quo tactu Deus tangit cor per contritionem. *Pſal. 143. b* Pſalmiſta: Tange montes & fumigabunt, fumo contritionis: qui maxime ex conſideratione iræ Dei fu- *Pſal. 17. a* turæ reſoluitur in corde pœnitentis. Pſalmiſta: Aſcendit fumus in ira eius, *et cet.* Montes autem ſuperbi ſunt peccatores: hi autem fumigabunt in mundo, aut *Deut. 32. d* ardebunt in inferno: Montium fundamenta comburet, ideſt peccatorum.

# IN DIE CINERVM.

## SERMO I.

*Iob. 42. a* AGO *pœnitentiam in fauilla, & cinere:* Agere debemus pœnitentiam, non tantum pati. Patiuntur autem qui coacti ſubiacent pœnitentiæ. Agere pœnitentiam fructuoſum eſt reſpectu hominis agentis, reſpectu diaboli inuidentis, reſpectu angeli gaudentis, reſpectu Dei retribuentis. Fructuoſa vtique, & vtilis eſt actio pœnitentiæ ad hominis expiationem, diaboli ſpoliationem, angeli congratulationem, Dei remunerationem. *Ezec. 18. e* De primo: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, quæ operatus eſt, *et cet.* Non dicit a quibuſdam tantum. Bernardus: Pœnitentia eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non committere. Nam qui ſic alia deplorat, vt tamen quædam committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſſimulat. Sequitur: Et cuſtodierit omnia præ- *Ioan. 15. b* cepta, non vnum tantum. Maxime autem illud: Hoc eſt præceptum meum, *et cet.* Sequitur: Iudicium & iuſtitiam fecerit. Iudicium quo ad ſeipſum, & iu- *Pſal. 88. b* ſtitiam quo ad proximum. Pſalmiſta: Iuſtitia & iu-

A dicium præparatio ſedis tuæ. O quàm periculoſe faceret, qui regi, dum optime ſederet, ſedem detraheret. Sequitur: Vita viuet & non morietur, omnium iniquitatũ eius nõ recordabor quas operatus eſt. E contrario: Nunc recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum, *et cet.* *Oſee 8. d* De ſecundo dicitur: Si ſuperatus fuerit populus tuus ab inimicis: peccabunt enim tibi, & conuerſi egerint pœnitentiam, & obſeruauerint nomen tuum, & fuerint deprecati te in loco iſto: tu exaudies de cælo & propitiare peccato populi tui Iſrael, & reduc eos in terram, quam dediſti eis. *2. Paral. 6. d* Inimici iſti ſunt dæmones. Pſalmiſta: Eripe *Pſal. 58. a & 142. b* B me de inimicis meis, *et cet.* qui animam noſtram impugnant vt nos ruere faciant in gehennam. Sed ruina iſta per pœnitentiam vitatur: *Ezec. 18. g* Conuertimini, & agite pœnitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Contra iſtos inimicos multum valet pœnitentia. Auguſtinus: Acriores contra inimicos dolores non inferimus, quàm cum plagas peccatorum noſtrorum confitendo & pœnitendo ſanamus. Per pœnitentiam ergo ab his inimicis liberamur, & ad terram, ſcilicet Eccleſiæ reducimur. De tertio: *Luc. 15. b* Gaudium eſt angelis Dei ſuper, *et cet.* Non angelis diaboli: *2. Cor. 12. b* Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me cola- C phizet. Gaudent ergo de conuerſo impio, ſicut ſitiens de bono vino. Bernardus: Gaudent Angeli in conuerſione & pœnitentia peccatorum: Salutẽ hominum ſitientes lacrymæ, præuium vinum eorum. Gaudent Angeli dum per pœnitentiam liberamur de manu iuſtitiæ Dei, quam in ſocijs ſuis deiectis de cælo grauiſſimam viderunt, in quam etiam non agentes pœnitentiam incidunt: *Eccli. 2. d* Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum, *et cet.* De quarto: *Mat. 3. a* Pœnitentiam agite, *Luc. 3. a* appropinquabit regnum. Pœnitentia regnum facit appropinquare, quando datorem regni incipit pœ- D nitenti conglutinare. Ioannes Chryſoſtomus: Nihil ita Deo conglutinat & vnit, vt lacrymæ pœnitentis. Sed heu cum tanta bona per pœnitentiam conſequamur, pauci tamen pœnitentiam agunt. Ideo conqueritur Dominus: *Ier. 8. b* Nemo quod bonum eſt loquitur. Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci? Dicit ergo Iob: *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Gregorius: *Greg. li. 35. Moral. c. 5. to. 2.* In fauilla & cinere pœnitentiam agere, eſt contemplata diuina eſſentia, nihil aliud, quàm fauillam, cineremq. ſe cognoſcere: *Iob 34. b* Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuertetur. Prædictas quattuor vtilitates pœnitentiæ in E humilitate, in cinere facta inuenimus. De culpæ expiatione ſignificatum eſt, vbi de rege Niniues legi- *Iona. 3. b* tur, quòd abiecit veſtimentum & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Nihil enim prodeſt, quòd homo per memoriam mortis in cinere humiliatur, niſi veſtimentum veteris conuerſationis abijciatur, & ſaccus pœnitentiæ aſſumatur. De diaboli ſpoliatione ſignificatum eſt: *Eſther 4. a* Planctus ingens erat apud Iudæos: ieiunium, vlulatus, & fletus, ſacco & cinere multis pro ſtrato vtẽtibus, & de ipſa dicitur in Heſter: *Eſther 14. a* Pro vnguentis varijs cinere & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit, & ſic liberati ſunt de Aman, F & alijs inimicis. Sic & nos ſpiritualiter de diabolo & angelis eius liberamur. De angelica congratulatione: *Dan. 9. a* Poſui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, & deprecari in ieiunijs, ſacco & cinere, *et cet.* Et ſic completa oratione, angelus Gabriel conſolabatur eum tangens, & docens eum. De Dei remuneratione: *Iſa. 61. a* Darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Ecce humiliatis in cinere, ideſt contritis in mundo dabitur corona, oleum, pallium in cælo: dabitur corona dignitatis ſupernæ, oleum iucunditatis internæ, pallium immortalitatis æternæ.

SER-



## SERMO II.

*Ier. 6. g* CONſpergere cinere: *luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Cinere in capite mentis conſpergimur, dum incinerationis noſtræ futuræ, & mortis recordamur: & ex conſideratione noſtræ incinerationis *Iob 42. a* humiliamur: Ago pœnitentiam in fauilla & cinere. *Greg. li. 35. Moral. c. 5. to. 2.* Gregorius: In fauilla & cinere pœnitentiam agere, eſt contemplata diuina eſſentia, nihil aliud quàm fauillam & cinerem ſe cognoſcere. Sicut autem per cineres furum veſtigium proditur, lixiuium conficitur, ignis intus conſeruatur, panis aſſatur vel coquitur: ita per cineres noſtræ humiliationis proditur veſtigium culpæ, conficitur lixiuium pœnitentiæ, fouetur ignis gratiæ, coquitur torta Euchariſtiæ vel aſſa- *Dan. 14. c* tur. De primo dicitur quòd produntur per cineres eorum veſtigia, qui per occulta oſtiola intrantes, furabantur & comedebant cibos Bel. Bel diabolum ſignificat, cuius cibi ſunt peccata. Cibis ergo diaboli paſcitur, qui in peccatis delectatur. O quàm morti- *Iob 6. a* feri ſunt animæ iſti cibi: Aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem? Occulta oſtiola ſunt occultæ ad peccandum viæ & aſtutiæ. Contra quas: *Iſa. 29. e* Væ qui profundi eſtis corde, *& cet.* Veſtigia ſunt *Thren. 4. d* exempla vel cogitationes peccatorum: Lubricauerũt veſtigia noſtra, *et cet.* Cineres ergo in templo cordis ſpargere, eſt futuram incinerationem frequentius co- *Pſal. 147. a* gitare. Pſalmus: Nebulam ſicut cinerem ſparget. Nebula eſt vita noſtra propter inſtabilitatem & fra- *Sap. 2. a* gilitatem: Vita noſtra ſicut nebula diſſoluetur. Nebula ergo ſicut cinis ſpargitur, quando vita noſtra cineranda cogitatur. Per cineres ergo fures produntur, dum timore mortis & futuræ noſtræ incinerationis peccatores confitentur. Confeſſio enim eſt proditio. Ambroſius: Exi foras, delictum proprium prode, *Num. 19. c* vt iuſtificeris. De ſecundo: Tollent de cineribus combuſtionis, & mittent aquas viuas ſuper eos in vias. Hac commixtione, vel lixiuio immundi expiantur. Aqua viua eſt aqua contritionis, ſeu lacrymarum. *Pſal. 118. r* Pſalmus: Exitus aquarum, *et cet.* In vaſe ergo cordis commiſce aquam contritionis cum memoria tuæ *Ier. 6. g* incinerationis, iuxta illud: *Accingere cilicio, & conſpergere cinere, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum,* & cetera. Et ſic pœnitentiæ lixiuio mundaberis. Hæc confectio cineris, & lacrymarum numquam debet tibi deficere. Vnde Iſidorus: Cinis es, & in cinere viuere debes: ſemper lugens, ſemper mœrens, ſemper ſuſpiria cordium emittere. Lixiuio autem maxime ſolent lauari capita & veſtes. Sic tu *Ioan. 13. a* caput laua lixiuio mentis interius: Non tantum pe- *Exo. 19. b* des, *et cet.* Item veſtem conuerſationis exterius: Lauent & veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium. *1. Mac. 13 e* De tertio dicitur de Menelao. Hic quia multa erga aram Dei delicta commiſit, cuius ignis & cinis erat ſanctus, ipſe in cineris morte damnatus eſt. Ara Dei eſt conſcientia vel cor fidele. Auguſtinus: Oratio pure directa corde fideli tamquam de ara ſancta ſurgit in incenſum. Ignis aræ Dei, eſt feruor gratiæ Spiritus *Leuit. 6. b* ſancti: Ignis in altari ſemper ardebit, *et cet.* Ara cum igne Dei cinerem habet, quia mens quoque iuſti cum feruore gratiæ humilitatem tenet: ſicut Abraam, *Gen. 18. d* quando dicit: Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis. Sicut enim ignis conſeruatur cinere, ſic gratia humilitate: & ſicut multus ignis multum facit cinerem: ſic multa gratia multam habet humilitatem. Homo enim quanto plus ad Deum accedit, tanto plus infirmitatem propriam cognoſcit. Gregorius: Numquam legitur quòd Abraam cinerem vel puluerem ſe eſſe confeſſus ſit, niſi cum habere meruit Domini colloquium. Nota ergo quòd contra aram delinquit, qui cõtra conſcientiam agit. Contra aram ergo delinquens interius, a iuſto iudice damnatur,

A quando contra conſcientiam agens, corpore incineratur, in anima damnatur. De quarto dicitur de He- *3. Reg. 19. a* lia: Ecce ad caput tuum ſubcinericius panis, & vas aquæ. Panem Euchariſtiæ non debemus ſumere crudum, incurate & indeuote accedendo: *Exo. 12. b* Non comedetis ex eo quidquam crudum: ſubcinericius autem aſſatur, dum timore mortis, & futuræ incinerationis homo ad communionem per contritionem, & deuotionem digne præparatur. Aqua ad caput eſt illa, de qua: *Ier. 9. a* Quis dabit capiti meo aquam? *et cet.* Panem cum aqua ſumit, qui corpus Chriſti cum lacrymarum potu recipit. Vel cinis memoriam mortis Chriſti ſigni- B ficat. Hoc ſacramentum offertur in memoriam Dominicæ paſſionis: *Luc. 22. b* Hoc facite in meam commemorationem. Panis ergo ſub cinere coctus, Chriſtus eſt ſub ſacramento in memoriam paſſionis oblatus. Ad caput quoque hic panis habetur, dum ſacramentum cum excellenti reuerentia, & deuotione tractatur. Ad pedes autem locatur, dum ab indigne communicantibus quaſi pedibus conculcatur.

## SERMO III.

*Ioel. 2. c* C CONuertimini *ad me in toto corde veſtro,* & cetera: Quattuor ſunt, quæ conuerſionem peccatoris impediunt: videlicet, pudor, timor, ſpes, & deſperatio. *Quattuor impedimenta cõuerſionis peccatoris.* Pudor confeſſionis, timor ſatisfactionis, ſpes futuræ conuerſionis, deſperatio remiſſionis. Contra primum dicitur *Pſal. 104. c* in Pſalmo: Conuertit aquas eorum in ſanguinem, *et cet.* Aquæ Ægyptiorum ſunt fluctus vitiorum, in *Exo. 15. b* quibus peccatores ſubmergũtur: Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. Per ſanguinem ſignificari poteſt rubor erubeſcentiæ de peccatis, tum propter colorem, tum propter hoc, quòd vti vita animæ in ſanguine eſt, ita vita gratiæ eſt in rubore, quem D homo habet pro peccato, qui cum erubeſcit pœnitendo mala, quæ fecit, ad vitæ libertatem peruenit. Sanguinis huiuſmodi vox clamare debet in confeſſione postquam frater, ideſt corpus animã occidit in tranſ- *Gen. 4. b* greſſione: Vox ſanguinis fratris tui clamat, *et cetera.* Cum ergo virga comminationis diuini iudicij extenditur in prædicatione, aquæ vitiorum in ſanguinem per erubeſcentiam conuertuntur in confeſſione: & ſic piſces carnalium deſideriorum occiduntur, & Pharao, ideſt diabolus, percutitur in iuſtificatione. Con- *Iona 3. d* tra ſecundum dicitur de Niniuitis: Vidit Dominus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & E miſertus eſt, *et cet.* Opera pœnitẽtiæ eorum fuerunt, quia rex indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere, & præcepit, dicens: Homines & pecora non guſtent quidquam, & aquam non bibant, & operiantur homines ſaccis, & iumenta, *et cet.* Ecce timor tam grauis pœnitentiæ non retraxit Niniuitas a cõuerſione: ſed heu timor multos ſic retrahit, quòd quando timent peccata vitare, non poſſunt iniuſta bona reſtituere, & pœnitentias portare. Nos autem chariſſimi, cum Niniuitis non timeamus pœnitentias trãſitoriæ ſatisfactionis, vt euadamus iram æternæ ſubmerſionis. Pſalmi- *Pſal. 84. a* ſta: Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, *et cetera.* Cer- F te tu potius conuerti debes, qui neque vnius diei inducias habes. Gregorius: Qui pœnitẽti veniam ſpopondit, peccãti diem craſtinum non promiſit. Neſcis *Luc. 12. c* certe ſi hodie moriaris: Stulte hac nocte repetent animam tuam a te, *et cet.* Ecce o peccator etiam diem hodiernum habes incertum, & certum eſt, quòd morieris, ſed incertum quando, aut quo modo, aut vbi: quoniam te vbique mors expectat: tu quoque ſi ſapiens fueris, vbique eam expectabis. Sed diabolus auertit ab eis ſua aſtutia talium conſiderationem. De *Pſal. 72. b* tertio, Pſalmus: Auertatur populus meus & dies pleni inuenientur in eis, *et cetera.* Dies inquam, pœni- *2. Cor. 6. a* tentiæ ad redimenda peccata: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Sed multi de Dei

miſeri-

miſericordia, de longa vita, futura conuerſione, de finali contritione tantum præſumunt, quòd plenos ad ſoluendam pœnitentiam dies non aſſumunt. Vnde nec pleni, nec quandoque dimidij, neque quandoque vnius diei plenitudo inuenitur in eis: & ideo ſæpe Dei iudicio relinquuntur impœnitentes in die extremo. Auguſtinus: Percutitur hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret, oblitus eſt Dei: *Amos 2. a* Super tribus ſceleribus Moab, & ſuper quattuor non conuertam eum, eo quòd incenderit oſſa regum Idumeæ vſque in cinerem: & mittam ignem in Moab. Primum ſcelus eſt malus conſenſus, ſecundum actus, tertium conſuetudo, quartum impœnitentia: ſuper quam peccator non conuertitur. Rex eſt ſpiritus, qui regere debet corpus. Oſſa ſunt virtutes, quibus anima ſuſtentatur, ſicut corpus oſſibus. Oſſa ergo regis incenduntur, dum virtutes animæ flamma vitiorum deſtruuntur. Pſalmiſta: *Pſal. 73. b* Incenderunt igni ſanctuarium tuum. O ſtultiſſime homo, domum tuam ardentem in vna hora extinguere non differres: animam vero ardentem extinguere differs per multos annos. Bernardus: Domus ardet, ignis a tergo inſtat, & fugienti prohibetur egredi, euadendo: ſuadetur regredi, & hoc ab ijs, qui in incendio poſiti ſunt. Væ ergo talibus incendiarijs & incenſis. Dum ergo qui ſunt de quarto ſcelere, quod eſt impœnitentia, non conuertuntur, æterno igne incenduntur. Vnde bene ait: Mittam ignem in Moab. *Eccli. 17. d* Contra quartum dicitur: Magna miſericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad ſe. Vere magna miſericordia & liberaliſſima, & feſtina. *Aug. de ſpir. & ani. ca. 6. to. 3.* Auguſtinus: Nullus de Dei miſericordia deſperet. Maior eſt enim eius miſericordia, quàm noſtra miſeria. Tardius ſiquidem ei videtur veniam dare, quàm peccatori accipere. Sic enim feſtinat a tormento conſcientiæ reum abſoluere, quaſi eum plus cruciet compaſſio miſeri, quàm ipſum miſerum paſſio ſui.

## SERMO IV.

*Ioel 2. c* *Thren. vlt. d* CONUERTIMINI *ad me*, & cetera: Adiuua nos Deus ad hanc cōuerſionem: Conuerte nos ad te, & cōuertemur. Sicut in præcedenti ſermone dictum eſt, quattuor ſunt quæ impediunt conuerſionem peccatoris, videlicet pudor de malitia, timor de pœnitentia, ſpes de miſericordia, deſperatio de venia. Contra hæc conſiderare debemus remedia ad conuerſionem vtilia. Primo ne pudor conuerſionem impediat, videlicet vt conſideres quàm vtilis, quàm tolerabilis, quàm rationabilis ſit pudor confeſſionis. Primo nota quàm vtilis. Pſalmus: *Pſal. 67. c* Dixit Dominus, ex Baſan conuertam, *et cetera.* In profundo maris ſunt, qui in imo vitiorum ſunt: *Iſa. 31. c* Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael. Et vere periculoſius mergitur in vitijs anima, quàm corpus in aquis. Baſan interpretatur confuſio: per confuſionem enim, & verecundiam confeſſionis anima conuerſa eruitur de profundo ſubmerſionis. Vere ergo eſt vtilis, quoniam verecundia magna eſt pœna pro peccato, quia talis fit dignus miſericordia. De ſecundo nota, quòd tolerabilis eſt conuerſis pudor confeſſionis, quia velociter tranſit. Pſalmus: *Pſal. 6. b* Conuertantur, & erubeſcant valde velociter. Breuis eſt hora & verecundia confeſſionis, qua tollitur longa verecundia diutinæ tranſgreſſionis, qua iam viginti, vel triginta, vel ſexaginta annis coram Deo, & angelis eius confuſus fuiſti in peccatis. Vnde cogita quare erubeſcis vna hora, & vni homini dicere quod per xx. vel xxx. vel lx. annos, & cum multis hominibus non erubuiſti facere? Auguſtinus: Peccare non erubuiſti, & confiteri erubeſcis: dicito in hac vita, vt requiem habeas in alia. Tolerabilis eſt ergo, & leuis eſt erubeſcentia confeſſionis, non ſolum propter breuitatem, ſed etiam ex comparatione intolerabilis erubeA ſcentiæ in iudicio. Si enim hic coram vno erubeſcere nolis, in iudicio coram multis millibus erubeſces: Reuelabo pudenda tua, *et cet.* *Naum. 3. a* Item irrationabilis eſt pudor, qui te cogit non reuerti: ſicut irrationabile, & ſtultum eſſet, ſi corruiſſet aliquis in cloacam quòd potius vellet ibi perire, quàm clamare. Et certe quoniam peccaſti, in cloacam diaboli corruiſti: Conuertere Iſrael ad Dominum Deum tuum, *Oſee 14. a* quoniam corruiſti in iniquitate tua: tollite vobiſcum verba, & conuertimini, *et cet.* Verba vtique confeſſionis. Item valde eſt irrationabile, quòd propter verecundiam potius velles eſſe leproſus, quàm oſtendere te medico. B Oſtenſio autem fit in confeſſione: Ite, oſtendite vos *Luc. 17. c* ſacerdotibus, *et cet.* Item peccatum tuū proditum cito curatur: crimen autem tacendo ampliatur. Circa ſecundum vero, ne timor conuerſionem impediat, nota quòd valet ad conuerſionem, vt attendas auxilium gratiæ, præmium gloriæ, iudicium gehennæ. Vnde contra malum timorem conuerſionem impedientem valet, vt attendatur auxilium gratiæ. Deus enim tibi vult infundere ſpiritum gratiæ, qua omnia erunt tibi leuia ad portandum, ſi vere conuerteris te ad Dominum. Conuertimini ad correctionem meam, en *Prou. 1. c* C proferam vobis ſpiritum meum. Correctio Dei eſt pœnitentia, qua corrigitur anima, quæ eſt ſedes Dei. Pſalmus: Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis eius. *Pſal. 88. c* Talibus ergo conuerſis profert Dominus ſpiritum amoris, quo omnia leuia ſunt eis. Ideo quòd nihil amantibus durum, nullus difficilis labor. Amemus & nos Chriſtum, & facile videbitur omne difficile. Item præmium gloriæ: Conuertentur, & venient in *Iſa. 35. d* Sion cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, *et cet.* Vere enim conuerſis leuiſſimum eſt quidquid hic tolerant, ſi imaginem ſempiternæ lætitiæ penſant: Quod in præſenti eſt momentaneum, & *2. Cor. 4. d* D leue tribulationis. Gregorius: Quidquid intolerabile puſillaminitas aſſerit, hoc leue remunerationis ſpes oſtendit. Item iudicium gehennæ. Pſalmiſta: Niſi *Pſal. 7. d* conuerſi fueritis, *et cetera.* Per gladium & arcum damnatio corporis, & animæ ſignificatur. Et vere leuis reputanda eſt omnis pœna, qua euaditur æterna. Leuis eſt enim parum ſpina pungi, quàm gladio occidi. Pſalmiſta: Conuerſus ſum in ærumna mea, dum *Pſal. 31. b* configitur ſpina. Econtra Bernardus ait: Miſera ſane, & extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, & præparatum diabolo ſtridorem eligere ſempiternum.

## E SERMO V.

CONUERTIMINI, et cetera. Nunc complendum *Ioel 2. c* eſt quod hodie dimiſſum eſt. Circa tertium ergo, ne conuerſionem tuam vana ſpes impediat, valet ad conuerſionem, & contra ſpem vanam, vt attendas dierum tuorum incertitudinem, periculorum multitudinem, præmiorum diſſimilitudinem. De primo: Ne tardes con- *Eccli. 5. b* uerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubito enim veniet ira illius, *et cet.* De die in diem differt, qui neque vnum diem certum habet: Veniet *Luc. 12. f* F Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, quam neſcit, & diuidet, *et cet.* Auguſtinus: Ipſa res, quæ multos decipit, cum dicunt: Cras, cras: & ſubito clauditur oſtium, remanſit cum voce coruina: quia non habuit gemitum columbinum. Cras cras vox corui eſt. De ſecundo: Patet quàm periculoſum ſit languenti differre medicinam, ſanatiua enim valde medicina eſt conuerſio ſiue pœnitentia: Conuerti- *Ier. 3. d* mini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras. Vere ſanat animas pœnitentia. Auguſtinus: Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, quam conſeruat. Sed caue periculum: Si enim medicina pœnitentiæ differtur, morbus animæ augetur. Inſuper inueteratus difficulter ſana- *Eccli. 10. b*



tur: Longuor prolixior grauat medicum. Inſuper in extrema ægritudine morbus corporis ſæpe impedit conualeſcentiam animæ, quando anima morbo cordis opprimitur, & quando loquela priuatur. Auguſtinus: Quoniam multa ſunt, quæ impediunt, & languentem abſtrahunt, periculoſum eſt, interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitētiæ remedium. *Pſal. 125. a* De tertio. Pſalmus: Conuerte Domine captiuitatem noſtram: per culpam eſt homo captiuus diaboli. Bene dicit: ſicut torrens in auſtro. Flante enim calido auſtro, ideſt Spiritu ſancto diſſoluitur glacies peccatorum, currunt torrentes lacrymarum, & ipſis lacrymis, quaſi quibuſdam auſtralibus pluuijs ſemina bonorum operum conualeſcunt ad meſſem æternæ vitæ. *Pſal. eodem* Vnde ſequitur: Qui ſeminant in lacrymis, *et cet.* *Gloſ. in hūc locum.* Gloſſa fructum æternæ beatitudinis, qui autem parce ſeminat parce metet. *2. Cor. 9. b* Qui tarde conuertuntur parum ſeminant, qui cito conuertuntur multum ſeminant, & multum metere poſſunt. Difficile ergo erit eorum præmium, & non ſolum præmium, ſed etiam purgatorium. Quanto enim minus ſatisfaciunt in mundo, tanto plus tarde conuerſi ardebunt in purgatorio. Auguſtinus: Purgandus autem eſt igne purgationis, qui in aliud ſæculum diſtulit fructum conuerſionis. Quarto valet contra deſperationem, & ad conuerſionem, vt attendas poteſtatem, veritatem, *Pſal. 79. a* bonitatem Dei. De primo: Excita potentiam, *et cet.* Deus conuerte. Ecce Dauid populū inuocat, vt ſe conuertat ei, poteſtatem enim habet Deus dimittendi peccata, & potentior eſt ad dimittendum, quàm peccator ad committendum. Auguſtinus: Qui de Deo nō præſumit veniam, non aduertit plus peccato ſuo poſſe Dei clementiam: et tantam eſſe Dei potentiam ad dimittendum innumerabilia ſicut pauca, potens quoque eſt cor lapideum conuertere in fontem gratiæ, & *Pſal. 113. b* lacrymarum. Pſalmus: Qui conuertit petram in ſtagna aquarum. *Ezec. 33. c* De ſecundo: Impietas impij non nocebit ei, in quocumque die conuerſus fuerit. Ecce magna promiſſio veritatis. Si ergo Deus conuerſo impio veniam negaret, veritatem ſuam (quod abſurdiſſimum eſt cogitare) negaret. Gregorius: Nullum pœnitentem reuerſum deſpicit, qui peccatores redimere venit. *Ioel. 2. c* De tertio: Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus, *et cet.* & præſtabilis ſuper malitia. Attende peccator benignitatem, & miſericordiam Dei in filio pro te in morte tradito. Bernardus: Si ſupra modum peccaui, non deſpero, quia ſupra modum doluit, in quo reſpiro. Si exacerbatur pater immanitate ſceleris mei, mitigabitur in dolore filij ſui. Item multiplici conuerſorum exemplo: *Mat. 26. g* *Luc. 7. f* *Act. 9. a* *Iſa. 60. a* Apparet enim miſericordia Dei in conuerſione Petri & Pauli, & Magdalenæ, & latronis in cruce: Niniuitarum, & totius mundi ad Chriſtum conuerſi: Mirabitur, & dilatabitur cor tuum: quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris: fortitudo gentium venerit tibi, *et cet.* Gregorius: Quoniam multos a ſuis iniquitatibus ſanatos aſpicimus, quid aliud quàm ſupernæ miſericordiæ pignus tenemus?

## SERMO VI.

*Mat. 6. b* Ieiunium. CUM *ieiunatis*, & cetera. Ieiunium perficitur plena conuerſione, pura intentione, deuota continuatione, & humiliatione vera. *Ioel. 2. c* De primo: In toto corde veſtro conuertimini ad me, dicit Dominus, in ieiunio, & fletu, *et cetera.* Qui ergo vult meritorie ieiunare, primo conuertatur. Parum enim eſt abſtinere a cibis, *Iſa. 58. a* quando non abſtinetur a vitijs: Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis. Iſidorus: Qui cibis abſtinent, & praua agunt, dæmones imitantur: quibus eſca non eſt, & nequitia ſemper eſt. Ideo vt digne ieiunetur, contritio vera A confeſſio, ſatisfactio, ieiunio aſſocientur, contritio vera. Vnde dicitur: Conuertimini in ieiunio, & fletu, *et cetera.* Item confeſſio: Ioſaphat timore perter- *2. Par. 20. a* ritus, totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium in vniuerſo Iuda. Iuda confeſſio interpretatur. Qui ergo digne vult ieiunare, debet peccata confiteri. Item ſatisfactio: Licet enim pars ſit ſatisfactionis, tamen aliæ partes omittendæ non ſunt: Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſy- *Tob. 12. b* na, magis quàm theſauros recondere. De ſecundo: Audientes plorabant, & ieiunabant, & orabant, in *Baruc. 1. a* conſpectu Domini, non in conſpectu hominum: in B quo oſtenditur, quàm pura debeat eſſe intentio ieiunantis. Nota ergo quòd ieiunandū eſt non intentione placendi, non retinendi, non nocēdi. Ieiunandum vtique non ad placendū, ſcilicet in cōſpectu mortalium hominū, ſed in conſpectu Dei. Vnde ſuperius dicitur: Cum ieiunatis, *et cet.* vſque receperunt mercedem ſuam. Item non ad retinendum. Multi enim ſunt, qui parum comedunt propter parcitatem, vt retineant & res, & pauperes in damnum habent. De eorum ieiunio Gregorius: Non Deo ſed ſibi quiſque ieiunat, ſi ea, quæ ad tempus ventri ſubtrahit, non pauperibus tribuit, ſed ventri poſt modicum offerenda cuC ſtodit. Item non ad nocendum, ſicut illi, de quibus: Prædicauerunt ieiunium & ſedere fecerunt Nabot. *3. Reg. 21. c* Ieiunauerunt, vt innocentem occiderent, vt per ieiunium malitia eorum palliaretur. Ita homines hæretici, & peruerſi Chriſtiani bonum ſimulant, vt magis noceant. Sic Iudas oſculo Dominum tradidit. De *Luc. 22. e* tertio: Quoniam exaudiuit Dominus preces veſtras *Iudith. 4. c* ſi manētes permāſeritis, in ieiunijs & obſecrationibus in conſpectu Domini. Bene quidam incipiunt ieiunia, ſed cito deſiſtunt. Quidam vno die ieiuni ſunt, ebrij altero. Continuatio ieiunij, præcipue autem ab- *Ieiunij continuatio.* ſtinere a ſuperfluis, valet contra pericula trium hoD ſtium noſtrorum, videlicet diaboli. Vnde Chriſtus ſatan vicit, cum continuaſſet ieiunium quadraginta dierum, & quadraginta noctium. Ambroſius: Ieiuni hominis ſputum ſi ſerpens guſtauerit, moritur. Vides quanta vis ieiunij ſit: & vt ſputo ſuo homo ſerpentem terrenū interficit, ſic & merito ſpiritualem. Item mundi: Vnde in periculo maris Paulus, & ſocij ſui ieiunium continuantes euaſerunt: Quarta die ex- *Act. 27. d* pectantes, ieiuni permanentes, nihil accipientes, *et ce.* Mare autem mundum ſignificat. Pſalmiſta: Hoc ma- *Pſal. 103. c* re magnum, *et cet.* Item carnis, quæ pericula incontinentiæ nobis ſuſcitat. Hanc ieiunando vicit continēs E Anna: Quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs & ob- *Luc. 2. e* ſecrationibus ſeruiens die, ac nocte. De quarto. Pſalmiſta: Humiliabam in ieiunio animam meam. *Pſal. 34. c* Hic autem attende qualis debeat eſſe humiliatio quo ad proximū. Vera eſt ieiunantis humiliatio ſi non ſit quo ad ſe infructuoſa: Qui ieiunat pro peccatis ſuis, & *Eccli. 34. d* iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? Item ſi non ſit quo ad Deum præſumptuoſa, ſicut illorum qui dicunt: Ieiunauimus, *Iſa. 58. a* & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras & neſciſti. Item ſi non ſit quo ad proximum F iniurioſa, ſicut phariſæi illius: Ieiuno bis *Luc. 18. c* in ſabbato, *et cet.* Vnde iniurioſe contempſit publicanum. Contra quæ: Qui non manducat, *Rom. 14. a* manducantem non iudicet.

# DOMINICA PRIMA IN QVADRAGESIMA.

## SERMO I.

2.Cor.6. a — Quattuor tẽpora memoria retinenda.

*Ecce nunc tempus acceptabile*. Quattuor ſunt tempora, quæ homines frequenter debent habere in memoria: videlicet tẽpus acceptabile noſtræ reconciliationis, tempus miſerabile humanæ reſolutionis, tempus formidabile extremæ examinationis, tempus intolerabile æternæ damnationis. De primo dicitur hic: *Ecce nunc tempus acceptabile*. Acceptabile vtique eſt tempus gratiæ, in quo pacem cum Deo, & cum Angelis, & medelam animabus noſtris poſſumus, ſi volumus, inuenire. Ier. 8. e Tale tempus antiqui deſiderabant: Expectauimus pacem, & non erat: bonum tempus medelæ, & ecce formido. O quanta cæcitas, quanta inſania, tempus medelæ corporis negligis vno die, tempus medelæ animæ negligis multis annis. Ioannes Chryſoſtomus: Si forte in corpore parui aliquid morbi pulſauerit, ſtatim medicos adhibemus, & pecuniam profundimus: anima vero quotidie cum vulneretur, cum per ſingula lanietur, vratur, præcipitetur, & modis omnibus patiatur, ne parua quidem pro ea nos cura ſolicitat. Merito ergo tantam temporis negligentiam Deus a te requiret. Gregorius: Omne tempus tibi impenſum requiret Deus, qualiter ſit expenſum. O quàm infeſtus eſt diabolus homini in hoc tempore, & tanto certe infeſtior, quanto tempus infeſtandi ſuſpicitur breuius: Apoc.12.c Deſcendit diabolus ad nos, habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet. Gal. 6. c Ergo ſicut dicitur: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. 2.Tim.4.b De ſecundo: Tempus meæ reſolutionis inſtat. Mirabilis conditio, quòd omnes mori debere nos ſcimus: ſed ſicut piſces vel aues quando capiantur, ita & nos tempus mortis ignoramus: Eccls. 9. c Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & aues comprehenduntur laqueo, ſic homines capiuntur tempore malo, cum eis extemplo ſuperuenerit. More enim piſcis homo ſequitur eſcam voluptatum carnalium, vel rerum temporalium, & decipitur ſicut auis dulci ſono adulationis, & ludo pennarum vanitatis, & diſſolutionis, donec hamo vel laqueo mortis capiatur, & hoc extemplo. Gregorius: Quanti ad veſperam ſani acturos ſe in craſtinum aliquid putabant, & tamen in voce repentina morte defuncti ſunt. Eccls. 3. c De tertio: Iuſtum & impium iudicabit Dominus, & tempus omnis rei tunc erit. Certe ipſe non tantum iuſtum, immo ipſas iuſtitias iuſtas iudicabit. Auguſtinus: Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia, diſcutias eam. Modo reliquit nobis tempus ad ſatisfaciendum: ſed tunc accipiet tempus ad puniendum. Bene autem dicit Salomon quòd illo tempore iuſtum, & impium iudicabit. Mat.13.d De hoc tẽpore dicitur: In tempore meſſis dicã meſſoribus: Colligite primũ Zizaniam, & alligate eam in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Vbi per Zizaniam impij, per triticum iuſti ſignificantur. Sed Zizania in faſciculos alligatur, dum ſocij vel pares in culpis in pœnis paribus ſociantur. Qui vero electi ſunt, ſcire debent quòd dum flagellis tribulationum triturantur, ad horreum cæli præparantur, hic enim per flagella purgantur. Auguſtinus: Quod lima ferro, quod fornax auro, hoc facit tribulatio iuſto. De Pſal. 80. d Quarto ait Pſalmiſta: Inimici Domini mẽtiti ſunt ei, *et cet.* Inimici Domini ſunt impij, qui toties Domino mentiuntur, quoties promiſſiones in baptiſmo factas, & vota ſua, & iuramenta tranſgrediuntur. Item

A orando, Domino mẽtiuntur, dum dicunt ſe debitoribus dimittere, & non dimittunt: ergo tempus erit in ſæcula, Mat. 6. b quia ignis eorum erit in ſæcula: Vermis Iſa. 66. g eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Ignis enim iſte non erit vnius anni tantum, neque mille millium tantum annorum, ſed æternus: Diſcedite Mat. 25.d a me maledicti in ignem æternum, *et cet.* Auguſtinus: Aut continui dolores cruciabunt pœnitentem vitam, aut æterni cruciatus vexabunt puniendam animam. Vnde bene ait Dauid: Erit tempus eorum in Pſal. 80. c ſæcula, ſcilicet iniuſtorum. Vide ergo tempora qualia tunc eos ſequentur, qui nunc tempus acceptabile B negligunt.

## SERMO II.

*Dvctus eſt Ieſus a ſpiritu in deſertum, vt tentaretur a diabolo.* Mat. 4. a Quoniam efficacius perſuadet vita, quàm lingua, & exemplũ, quàm verbum: hinc eſt quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius quælibet actio eſt noſtra inſtructio, vt dicit Gregorius, Greg. ho 16 in Euang. vt exemplo vitæ ſuæ ad reſiſtendum diabolo ceteros efficaciter informaret, voluit a ſpiritu dirigi, deinde in deſertum morari, poC ſtea a diabolo tentari. Vnde ad noſtram inſtructionem qualiter debeamus diabolo reſiſtere tria de Chriſto proponuntur in verbo propoſito. Primo Spiritus ſancti interior inſpiratio, ad dirigendum. Secundo loci ſecurior inhabitatio, ad reſiſtendum. Tertio diaboli interior impugnatio, ad ſubuertendum. Primo notatur Spiritus, ſcilicet inſpiratio ad dirigendum, cum dicit: *Ductus eſt Ieſus a ſpiritu*. Secundo loci ſecurior inhabitatio ad reſiſtendum, cum ſubdit: *In deſertum*. Tertio exterior diaboli impugnatio, ad ſubuertendum, cum ſubinfertur: *Vt tentaretur a diabolo*. Et habent ſe iſta tria valde ordinate. Nam qui D vult de diabolo perfecte triumphare exemplo Chriſti, oportet vt primo a Spiritu ſancto dirigatur, deinde in loco munito moretur, & poſtea vt impugnatio diaboli conſtanter ſuſtineatur. Primo ergo in verbo propoſito notatur Spiritus ſancti inductio, ſiue inſpiratio ad dirigendum, cum dicitur: *Ductus eſt Ieſus a ſpiritu*. Inuenimus autem in ſacra Scriptura Ieſum ductum, ſiue inſpiratum multiplici ſpiritu. Quia quamuis Spiritus ſanctus ſit vnus in ſubſtantia eſt tamen multiplex in effectu. Primo ergo ductus, eſt Ieſus a ſpiritu veritatis, ad docendum ignarum. Secundo a ſpiritu æquitatis, ad arguendum iniquum. E Sed tertio a ſpiritu fortitudinis, ad ſuperandum diabolum. Vt primum ſit contra ſpiritum erroris. Secundum contra ſpiritum diſſimulationis adulantis. Sed tertium contra puſillanimitatis ſuccumbentis. Primo ergo ductus eſt Ieſus a ſpiritu veritatis ad docendum ignarum, vnde dicitur: Spiritus Domini Iſa. 61. a ſuper me, eo quòd vnxerit me: ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem. Exemplo enim Chriſti quilibet ad officium prædicationis, ſecundum quòd continetur in hoc verbo, debet primo eligi propter ſanctitatem F animi, propter quod dicitur: Spiritus Domini ſuper me. Deinde debet inſtitui, propter æquitatẽ iudicij & obſequij: eo quòd vnxit me præ participibus meis: Pſal.44. b quia dilexi iuſtitiam, & odiui iniquitatem. Poſtea tamquam verus legatus miſſus a Deo, debet exequi actionem officij, quod notatur cum dicit: Ad annunciandum manſuetis miſit me, cuius officij executio debet eſſe ad medendum, ſiue ad conſolandũ triſtem a tribulatione, & dolore pœnali, ad ſanandum ægrotum a vulnere peccati, ad liberandum captiuum a carcere diaboli. Secundo ductus eſt Ieſus a ſpiritu æquitatis, ad arguendum iniquum. Vnde dicitur: Arguet in æquitate pro manſuetis terræ, & percutiet Iſa. 11. a terram virga oris ſui: & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet



terficiet impium. Non enim Dominus Ieſus propter metum poteſtatis terrenæ timore amittendæ, nec propter quæſtum mundanæ cupiditatis, amore acquirendæ, ſiue propter ambiguam ſimilitudinem falſitatis, veritate cõplacendæ, veritatem ſilebat, immo veritatis iaculis, tam magnos, quàm paruos æque feriebat. Hic ſpiritu ductus eſt in templum, quando nõ parat aures, vt audiat, ſed flagella, quo feriat ementes, Mat.21. a & vendentes ſpiritualia pro temporalibus: nec decet quòd domum orationis feciſſent domum negotiationis, immo nogotiatores de templo eiecit. Tertio ductus eſt a ſpiritu fortitudinis, ad ſuperandum Pſal.142.c diabolum. Vnde dicitur in pſalmis: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Ad deſertũ, ad quod deduxit Spiritus ſanctus, Ieſum, dicitur terra recta, eo quòd eſt locus idoneus ad faciendam abſtinentiam, propter quam ſenſualitas recto ordine, per omnia ſubiacet rationi, ne perturbetur ratio ad bene operandum. Licet inter carnem, & ſpiritum Chriſti nulla eſſet rebellio, eo quòd ſemper illa beatiſſima caro ſequebatur illum ſanctiſſimum ſpiritum, propter nomen tuum viuificabis me in æquitate tua, quaſi dicat: Domine pater indigeo auxilio tuæ ſuſtentationis: quia tanto ieiunio afflixi meum corpus, quòd præ nimia attenuatione, totaliter ſentit ſe mortificatum. Et educes de tribulatione animam meam, ſcilicet de tribulatione famis, & attenuationis. Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos, ſcilicet ſpecialiter diabolum, qui inique, & ſuperuacue innititur me impugnare ad ſubuertendum. Vnde antequã fuerit ductus Ieſus ſpiritu fortitudinis in hoc deſerto, eo quòd non abhorreret adhærere ſolitudini, vbi aſperitatem famis, & malignitatem hoſtis ſuſtinuit, immo aggreſſus eſt locum incultum, & eum deiecit feliciter. Secundo notatur in propoſito verbo ſecurior habitatio ad reſiſtendum cum dicitur: *In deſertum*. Deſertum enim, propter triplicem proprietatem erat valde aptus locus, & ſecura habitatio ad reſiſtendum diabolicæ tentationi, quam de propinquo expectabat. Nam deſertum, locus eſt aſperitatis, ſterilitatis, & deſpectabilitatis. Cum ergo expectaret ipſe de propinquo tentari a diabolo, a gula, ab auaritia, & a vana gloria, ad informandum nos exemplo ſuæ vitæ, voluit duci in deſertum a ſpiritu. Primo quia eſt locus aſperitatis, ad exercendam abſtinentiam corporalis ſanctificationis. Secundo, quia eſt locus deſpicabilis, ad confundendam iactantiam ſæcularis ambitionis. Tertio, quia eſt locus ſterilitatis, ad ſuppeditandam auaritiam exitialis aggregationis. Primo voluit duci in deſertum, quia eſt locus aſperitatis, ad exercendam abſtinentiam corporalis Deut. 8. a ſanctificationis. Vnde poteſt exponi illud: Adduxit te Dominus Deus tuus, quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te atque tentaret, vt nota fierent, quæ in animo tuo verſabantur: afflixit te penuria, & dedit tibi cibaria magna. Adduxit te Dominus Deus tuus, quadraginta annis, ideſt quadraginta dies, vt annus pro die annumeretur, ſecũdum quòd frequenter conſuetum eſt fieri in ſacra Scriptura, per deſertum aſperitatis, vt affligerem te fame, atque penuria, atque tentare, ideſt permitterem tentari, vt nota fierent, quæ in animo tuo verſabantur, ideſt continebantur, omni populo, vt inſtruantur exemplo tuæ patientiæ: afflixi te penuria, & dedi tibi cibaria magna. Mira diſpenſatio diuina: quia non datur conſolatio Exo. 16. d cæleſtis cibi, niſi præcedat afflictio cibi terreſtris. Vnde filijs Iſrael pluit manna de cælo in deſerto aſperitatis & penuriæ, non in Ægypto ſterilitatis, & abundantiæ. Secundo voluit duci in deſertum, quia locus deſpectabilitatis, ad confundendam iactantiam ſæcu-2. Mac. 5. d laris ambitionis. Vnde Iudas Machabæus, qui decimus fuerat, receſſit in deſertum locum, ibiq. interfectus vitam cum feris in montibus gerebat. Iudas, qui interpretatur glorificans ratione ſuæ humi-

A litatis, & virtuoſitatis ſignat Ieſum Chriſtum, qui ratione humilitatis, & virtuoſæ conuerſationis fuit gloria Dei Patris in aſſumpta humanitate. Dicitur autem decimus ratione ſuæ humilitatis, & virtuoſæ conuerſationis, & eminentis perfectionis. Hoc notatur ad confundendam totaliter iactantiam ambitionis intantum ſe humiliauit, vt formam ſerui accipiens in- Philip.2. a ter homines conuerſaretur, & etiam intantum ſe vilificauit, vt vellet fieri opprobrium hominum, & abiectio plebis: vitam ſuam in deſerto, cum beſtijs Pſal.21. a gerendo. Erubeſcat ergo membrum, quod ſe eleuat in altum per ambitionem, cum eius caput voluit deB primi in imum, per humiliationem. Alioquin monſtruoſa res eſt, ſi pes, qui debet ſubeſſe, vel aliquod aliud membrum ſupponatur capiti, quod debet præeſſe. Tertio voluit duci in deſertum: quia locus ſterilitatis, ad ſuppeditandam auaritiam exitialis aggregationis. Vnde dicitur: Exclamauit voce magna mathatias in ciuitate dicens: Omnis qui zelum habet legis ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me, & fugit ipſe, & filij eius in montes: & reliquerunt quæcumque habebant in ciuitate, & tunc deſcenderunt multi cum eo in deſertum requirentes iudicium, vt ſederent ibi. Mathathias, qui interpretatur donatus ratione C ſuæ eminentis ſanctitatis ſignat Chriſtum, qui eſt humano generi donatus a Deo Patre: hic clamat prædicando, vt omnis, qui habet zelum legis Euangelicæ, per quam ſtatuitur teſtamentum pacis, & amicitiæ cum Deo, exeat poſt eum, de mundana conuerſatione, omnia, ſaltem affectu, relinquendo. Nam ipſe & filij eius, ideſt Apoſtoli omnia, quæ in mundo erant, contempſerunt, vt citius poſt eum currerent, cum cordis dilatatione ad montana, ideſt eminentiam perfectionis Euangelicæ. Et tunc deſcenderunt multi, ſcilicet perfecti religioſi relictis omnibus, tam in communi, quàm in proprio poſt eum in deſertum vere D mendicitatis, & inopiæ, requirentes iudicium per punitionem delictorum, & iuſtitiam per adimpletionem præceptorum, vt ſedeant ibi per mentis quietudinem, & corporis requiem, nullam curam mundanæ ſolicitudinis admittendo: ſed tantummodo deuotæ orationis, & ſacræ lectionis ſtudio inſiſtendo. Sed hodie ſunt nonnulli, qui deſcendunt in deſertum religionis, non vt ſedeant, ſed vt diſcurrant, per mentis diſtractionem, & corporis inquietudinem: ſemper temporalia aggregando, & vix aut numquam deuotæ orationi vacantes, non attendentes, licet experimentaliter cognoſcant, quod dicit Gregorius, noE no Moralium: Perturbatæ mentes ſæcularium eo ipſo clamant quòd inquietæ ſunt, quia a recta ſapientia diuiſæ ſunt. Vnde non eſt reputandus otioſus, qui inſiſtit labori cognoſcendæ veritatis, eo quòd pluris meriti eſt, quàm excitatio corporalis. Vnde Ambro- Ambr. lib. 7. commen. in 10. cap. Luc. to. 3. adit. Rom. ſius: Otioſus non eſt, qui Verbo Dei ſtudet, nec pluris meriti eſt, qui laborat extra quàm qui laborem diuinitatis cognoſcendæ exercet. Vltimo notatur diaboli exterior impugnatio, ad ſubuertendum, cum dicit: *Vt tentaretur a diabolo*. Tentauit autem diabolus Chriſtum de tribus, de quibus tentauit primum parentem, quem decepit. Primo enim tentauit ChriF ſtum de gula in deſerto: ſecundo de vanagloria, in templo: ſed tertio de auaritia in monte. Sed certe diabolus non habebat facere cum Adam ſtulto, & inſipiente quod cum Chriſto aſtuto, & ſapiente. Nam tentationem gulæ vicit abſtinentia, & tentationem vanægloriæ vicit humilitate, & tentationem auaritiæ vicit paupertate. Vnde licet diaboli aggreſſus fuerit præſumptuoſus, proceſſus malitioſus, tamen eius proceſſus fuit opprobrioſus, cum nihil certitudinis de ſua dubitatione poterit inueſtigare, nihilq. gloriationis de ſua doloſa tentatione potuit reportare, & nihil excuſationis de ſua confuſione potuit allegare, quoniam ſuperatur a famelico, & debili & deſpecto, & contemptibili, a mendico & inopi. O ſtupenda duelli

duelli dimicatio? o imitanda patientiæ perfectio, & admiranda ſapientiæ dignatio, cum dux vitæ a principe mortis tentatur, & ab eius membris crucifigitur, et nihilominus ipſe princeps mortis ab ipſo duce vitæ per mortis inductionem ſuperat. Primo ergo tentauit Chriſtum de gula, vt inficiat animæ, & corporis puritatem. Secundo de vanagloria, vt inducat mundanæ oſtentationis vanitatem. Tertio de auaritia, vt decipiat per mundanæ pulchritudinis delectabilitatem. Primam tentationem, ſcilicet gulam, vicit per ſpiritualis cibi iugem deguſtationem. Secundam tentationem vanægloriæ, per voluntariæ abiectionis humiliationem. Tertiam tentationem auaritiæ, vicit per omnis terrenitatis deſpectionem. Tentauit primo de gula, vt inficeret animæ, & corporis puritatem, cum dixit: Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant, quaſi cum volens capere per gulam, tamquam facilius vitium ad omnia facinora paratum. Vnde niſi prius gula refrenetur, fruſtra contra alia vitia laboratur, ſecundum quòd dicit Gloſſa. Hanc tentationem gulæ docuit Dominus vincere per ſpiritualis cibi iugem deguſtationem, cum reſpondit diabolo: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei, quaſi dicat: Cum homo ſit compoſitus ex duplici ſubſtantia, ſcilicet corporali, & ſpirituali: ſicut corpus indiget recreari, & ſuſtentari cibo materiali, ſic ſpiritus cibo ſpirituali, qui quidem cibus eſt verbum, quod reficit ſpiritum, ſi audiatur reuerenter, ſiue intelligatur diligenter, ſiue ad memoriam reducatur delectabiliter. Et propter hoc
*Luc. 22. d* dicebat Dominus Apoſtolis: Vigilate, & orate, inquit, per fomitis repreſſionem. Nam vigilia honeſtatis ta-
*Eccli. 31. a* beſcere facit carnes, ſicut dicitur: Et nunc amota carnis petulantia ad deguſtandam dulcedinem diuini
*Mat. 17. c* verbi. Orate per mentis eleuationem. Nam hoc genus dæmoniorum, ideſt hoc vitium gulæ non eijcitur niſi in ieiunio, & oratione. Secundo tentauit de vanagloria, vt induceret ad mundanæ oſtentationis vanitatem, cum dixit: Si Filius Dei es, mitte te deorſum, quaſi volens eum allicere ad oſtentationem ſæcularis iactantiæ. Vnde Chryſoſtomus: Volare per aerem non eſt proprie opus Dei: quia nec vtile alicui, nec ad animam, nec ad corpus. Hanc tentationem vanægloriæ docuit Chriſtus vincere per profundæ abiectionis cordialem humiliationem, cum dixit: Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum, quaſi dicat: Experientiam non ſumes de me per oſtentationis ſignum: qui hoc facit, Deum tentat præſumptione elationis. Ecce chariſſimi exemplo Chriſti habemus quòd qui ex contemptu vanægloriæ ſe humiliat, vitia ſuperat: ſed qui ſe exaltat vincitur, & ſupera-
*Eccli. 18. c* tur. Et propter hoc bene dicitur: Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum. Si voluerimus quòd oratio noſtra ſit coram Deo accepta & gratuita, debemus præparare animam noſtram per profundam humiliationem cordis, & nihil reputemus nos, & velimus eſſe, quaſi homo qui tentat Deum, propter aſpectum ſuperbiæ reputando ſe aliquid magnum, cum nihil ſit.
*Luc. 18. b* Sicut ille Phariſæus, qui aſpernabatur ceteros, & ſuæ temeritate præſumptionis arbitrabatur ſe eſſe iuſtum, & propter hoc publicanus ratione ſuæ humilitatis deſcendit iuſtificatus in domum ſuam ab illo ſuperbo. Tertio tentauit de auaritia, vt deciperet per mundanæ pulchritudinis delectabilitatem, cum dixit: Omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me. Oſtendendo enim ei omnium rerum pulchritudinem, quaſi volens eum capere per illicitam delectationem, vt per auaritiam ducat eum ad peccatum idolatriæ. Hanc tentationem auaritiæ docuit Chriſtus vincere per mundanæ proſperitatis totalem deſpectionem. Reſpondit Ieſus: Scriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, quaſi dicat: Qui propter aurum, vel aliquod aliud, alium quàm Deum ado-
A rat idolatra eſt, ſed qui omnia contemnit propter Deum, ſeruit ſoli Deo, eo quòd nulla admittit contraria, nulla æquiparat diſparata, & nihil aliud per affectum alligatur præter ad illum, cui in dilectione totum cor debetur. Et propter hoc Apoſtolus dicit: *1. Tim. vlti. b*
Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa & inutilia & vana, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem: Radix enim omnium malo- *Ibidem.*
rum eſt cupiditas. Apoſtoli namque contenti erant alimentis: ſed diabolus apponit cupidis, & auaris
B mundanæ pulchritudinis delectamenta, qui tanto amore cæco cupiditatis ad ea feruntur, vt permittant ſe in laqueum a diabolo adduci in interitum perditionis æternæ. Vnde Bernardus: Auaritia eſt radix omnium malorum, funeſta peſtis, virus Eccleſiæ, mater hipocriſis, liuoris parens, criminis fomes, virtutum erugo, tinea largitatis.

## SERMO III.

*Mat. 4. a*
C *Dvctus eſt Ieſus in deſertum a ſpiritu vt tentaretur a diabolo:* Sicut propter nos natus, propter nos occiſus, ita propter nos tentatus eſt Chriſtus, vt exemplum vincendi nobis daret. Chriſtus ergo gerit typum cuiuſlibet fidelis, qui in deſerto huius mundi, vel Eccleſiæ, vel religionis, ad quam venit ductu Spiritus ſancti non poteſt eſſe ſine tentationibus maligni ſpiritus. In tentationibus ergo noſtris habemus a Domino exemplum, quo inſtruamur, apparatum quo congrediamur, auxilium quo muniamur, promiſſum quo alliciamur. De primo dicitur hic: *Vt tentaretur a diabolo*. Tentauit autem diabolus Chriſtum in deſerto de carnalitate: in templo de ſuperbiæ vanitate: in
D monte de cupiditate. His enim tribus tentationibus primum hominem deiecerat, cum dicit: In quacum- *Gen. 3. a*
que die comedetis, *et cetera*. His tribus tentationibus adhuc impugnat fideles quotidie, *et cet.* Significatæ autem ſunt in leone, in vrſo, & gigante, quos occidit Dauid, ſicut legitur: Per leonem enim, qui ani- *1. Reg. 17. d. f*
mal ſuperbum eſt, ſuperbia: per vrſum, qui mel ſequitur, concupiſcentia: per gigantem, qui quaſi inſuperabilis videbatur, auaritia ſignificatur: quia auaritia quaſi inſuperabilis eſt. Inuenitur enim qui leonem, & vrſum carnis vincat, ſed ſi quis vſuras, rapinas & quælibet iniuſta bona habeat reſtituere, tunc
E quaſi gigantem inuadit, tunc vincere non poteſt. Sed quis vincere poteſt, niſi ductorem habeat Spiritum ſanctum? Ductor tuus fui in ſolitudine, in qua erat *Deut. 8. a*
ſerpens flatu adurens, & ſcorpio ac dipſas. Serpens flatu adurens ſignificat inflantem ſuperbiam. Scorpio, qui in facie blãditur, cauda interficit, ſignat concupiſcentiam. Dipſas, quæ mordendo facit homines ſitire vſque ad mortem, ſignificat auaritiam, qua vſque ad mortem ſititur pecunia. Qui ergo exemplo Chriſti vincit ita poteſt dicere illud Pſalmiſtæ: Bene- *Pſal. 143. a*
dictus Dominus, qui docet manus meas ad prœlium, *& cet.* De ſecundo apparatu armorum, quæ ſunt vir-
F tutes animam armantes dicitur: Fili accede ad ſerui- *Eccli. 2. a*
tutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Iuſtitia enim lorica eſt animæ. Vnde arma, quibus indigemus, procurator exercitus Domini Paulus oſtendit: Accipite armatu- *Epheſ. 6. c*
ram Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, *et cet.* Gloſſa, ideſt in hac vita, in qua vbique eſt tentatio. Specificans autem arma ſubiungit: Induti lorica iuſtitiæ, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, ideſt ſpem ſalutis æternæ vitæ, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Nota, certe bene armatus debet eſſe homo contra fortem armatum diabolum, de quo: Cum fortis armatus, *et cet.* *Luc. 11. c*
De ter-



*Apoc. 3. b* De tertio: Ego dilexi te, quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ. Ego te ſeruabo ab hora tentationis, *et cet.* Quando curret tibi opportunitas fornicandi, lucrandi iniuſte, occidendi inimicum, ſuccumbendi in tribulationibus, hora tentationis eſt: ſed ſi tu ſeruas verbum Dei, ſeruabit te Deus in hora hac, ſi-
*Dan. 3. c* cut ſeruauit Deus pueros in hora de qua dicitur: Si non adoraueritis, in eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis. Quicumque adhuc hodie ſtatuam auream mundanæ vanitatis, vel cupiditatis non colunt, in ignem tentationis mittuntur a diabolo. Sed per ventum roris Spiritus ſancti in tentationibus re-
*1. Cor. 10. c* frigerantur: Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis. Sed attende quòd de his tribus pœnitentijs ait Iſidorus: Corpus, quod abſtinentia frangit, tentatio non exurit. Vnde & tres
*Dan. 3. e* pueros abſtinentes etſi flamma Babylonici incendij
*Iac. 1. b* tetigit, non combuſſit. De quarto: Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam. Bonum autem promiſſum allicit ad pugnandum. O quanta mala libenter ſufferres, vt coronam Imperij, vel coronam Franciæ acciperes. Et ecce corona vitæ æternæ tibi promittitur, ſed cum
*2. Tim. 2. a* probatus fueris: Qui certat in agone, non coronabi-
*Greg. hom. 37. in Euãgel. to. 3.* tur niſi qui legitime certauerit. Gregorius: Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum.

## SERMO IV.

*Mat. 4. a* *Cvm ieiunaſſet quadraginta diebus*, & cetera. Qui ieiunium ſuum deſiderat Deo eſſe acceptum, debet in principio quadrageſimæ pure confiteri, & conuerti ad Dominum. Vnde bene in principio quadrageſimæ legitur: Con-
*Ioel. 2. c* uertimini ad me, *et cet. in* ieiunio, *et cetera*. Et bene Chriſtus immediate poſt baptiſmum incœpit quadraginta diebus ieiunare, oſtendens cum quanta ſanctificatione debemus quadrageſimam ſuſcipere. San-
Quadrageſima ſancta & vtilis. cta enim eſt quadrageſima, quæ homini fructuoſa, & a Deo ordinata eſt, vtilis ad conſequendam veniam, ad augendam gratiam, ad obtinendam victoriam, ad promerendam gloriam. Primum ſignifica-
*Ionæ 3. b* tum eſt: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ Domino, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis a maximo
*Gloſ. in hũc locum.* vſque ad minimum. Gloſſa: Quadragenarius conuenit peccantibus ad pœnitentiam, & ieiunium, & orationem. Multi dicunt non eſt vis de veſtibus, ſed de corde; quod ſi verum eſt, quare iſti ſacco induti ſunt ad placandum Deum? Dicitur autem ibidem, quòd vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt, *et cetera*. Hoc ergo ieiunium acceptum eſt Deo, & veniam peccatoribus meretur, quando homo non ſolum a cibis, ſed a vitijs
*Iſa. 58. b* malis abſtinet: Nonne hoc eſt maius ieiunium quod elegi, diſſoluere colligationes impietatis, *et cet.* Iſidorus: Qui a cibis abſtinent, & peruerſe viuere non cauent, dæmones imitantur. Secundum in quadra-
*Deut. 9. b* geſima Moyſi ſignificatum eſt: Perſeueraui in monte quadraginta diebus, & noctibus non comedens panem, & aquam non bibens. Dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas ſcriptas vtroque digito Dei. Duę tabulæ ſunt amor Dei, & proximi, quæ lapideæ ſunt vt durare poſſint perſeuerãdo. Sed heu quorumdam tabulæ non lapideæ, ſed vitreæ videntur. In his duabus tabulis mandata omnia ad ſalutem neceſſaria ſcripta ſunt. Qualiter enim ad Dominum, vel ad proxi-
*Mat. 22. d* mum te debeas habere, ibi ſcriptum eſt: In his duobus mandatis lex vniuerſa pendet, & prophetæ. Et propter hoc digitus Dei Spiritus ſanctus dicitur: Si
*Luc. 11. c* in digito Dei, *et cet.* Re vera diabolus, qui poſſidet luxurioſum, auarum, vſurarium, raptorem, & inuidum, & alium impium, non eijcitur niſi per hunc
A digitum, ſcilicet per Spiritum ſanctum. Qui ergo Scripturam Spiritus ſancti in corde, per gratiam habere voluerit, deuote ieiunet. Bernardus: Ieiunium ergo non ſolum obtinet veniam; ſed & meretur gratiam. Tertium ſignificatum eſt in quadrageſima Chriſti, de qua hic dicitur: *Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & noctibus*. Vicit omnes tentationes diaboli in deſerto, in monte, in templo. Ieiunium enim maxime efficax eſt contra tentationes: Hoc ge- *Mat. 17. d*
nus non eijcitur, niſi per orationem & ieiunium. Vnde cum filij Iſrael tentati eſſent per Holofernem, dixit Heliachim ſacerdos: Scitote quoniam exaudiet *Iudi. 4. b*
B Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in ieiunijs, & orationibus. Orationes ergo & ieiunia ſunt quaſi arma contra hoſtes vtilia. Ioannes Chryſoſtomus: Sicut neque miles ſine armis eſt aliquis, neque arma ſine milite: ſic neque oratio ſine ieiunio, neque ieiunium ſine oratione. Quartum ſignificatũ eſt in quadrageſima Heliæ, de qua: Ambulauit in for- *3. Reg. 19. a*
titudine illius cibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Oreb, qui interpretatur menſa: Ieiunando enim ad menſam gloriæ peruenimus, de qua: Ego diſpono vobis, *et cet.* Sed *Luc. 22. c*
C hæc menſa perdita eſt per gulam in paradiſo, recupe- *Gen. 3. b*
randa ergo eſt per abſtinentiam in mundo. Gregorius: Quia a paradiſi gaudijs per cibum cecidimus, ad hæc quantum poſſumus per abſtinentiam reſurgamus. Iſtam quadruplicem quadrageſimæ vtilitatem in alijs quadraginta diebus ſignificatam inuenimus. Purgat culpam. Vnde poſt quadraginta dies coruus *Gen. 8. a*
de arca emittitur, dum aperta oris feneſtra in confeſſione peccati nigredo ore proditur, & dimittitur. Item confert gratiam. Vnde poſt quadraginta *Luc. 2. e*
dies Ieſus ad templum cordis venit cum columba pœnitentiæ, & turture continentiæ. Item parat victo-
D riam. Vnde poſt quadraginta dies Golias a Dauid *1. Reg. 17. f*
vincitur, ſicut dicitur. Item præparat, vel ducit ad gloriam. Vnde poſt quadraginta dies, Chriſtus aſcen- *Act. 1. a*
dit in cælum.

## SERMO V.

*Mat. 4. a* *Tvnc aſſumpſit eum diabolus*, & cetera. Aſſumptio hominis Chriſti vel humanæ naturæ Chriſti quadruplex eſt. Prima in incarnatione: ſecunda in tentatione: tertia in iuſtificatione: quarta in aſcenſione. Prima diuina,
E ſecunda diabolica, tertia humana, quarta angelica. De prima Pſalmus: Beatus quem elegiſti, & aſſum- *Pſal. 64. a*
pſiſti. Vere beata aſſumpta a Dei filio natura. Inter omnem creaturam elegit rationalem, inter omnem rationalem elegit humanam: Nuſquam enim ange- *Heb. 2. d*
los apprehendit, *et cetera*. Inter omnem humanam elegit Iſraeliticam, cum tamen non ſolum Iſrael, ſed totum genus humanum ſaluare vellet. Inter omnem Iſraeliticam Dauiticam, cui iurauit, dicens: De fru- *Pſal. 131. b*
ctu ventris tui, *et cetera*. Inter omnem Dauiticam elegit Mariam. Vnde in Apocriphis Eſdræ: Elegiſti tibi vnam columbam ex omnibus volucribus cæli,
F ideſt ex omnibus ſanctis. Inter omnes particulas corporis mei elegit carnem pretioſiſſimam. Bernardus: O diues in omnes, & ſuper omnes Maria, de cuius ſubſtantia modica pars aſſumpta, totius mundi ſuffecit reddere debita. De ſecundo dicitur hic: *Tunc aſſumpſit eum diabolus*. In tribus locis tentauit Chriſtũ. In deſerto, in monte, ſuper templum. Deſertum eſt mundus, in quo arbores ſteriles ſunt mali homines, latrones autẽ dæmones animas occidẽtes: Homo qui- *Luc. 10.*
dam deſcendit, & abierunt, ſemiuiuo relicto, *et cet.* Hic impugnat omnes fideles. Mons eſt altitudo dignitatis, & poteſtatis, ſiue Eccleſiaſticæ, ſiue ſæcularis. Hic impugnat rectores, & potentes. Per templum vita monaſtica ſignificatur, hic impugnat regu-





lares.

lares. Primos impugnat per carnalitatem. Vnde dicit: *Mat. 4. a* Dic vt lapides iſti panes fiant: ſecundos per auaritiam. Vnde dicit: Hæc omnia tibi dabo, *et cet.* tertios per apoſtaſiam. Vnde ait: Mitte te deorſum. Adiuua nos Domine Deus, quia vbique impugnat nos diabolus. Neque in deſerto, neque in monte, neque in tēplo *Thren. 4. d* finit nos quieſcere: Super montes perſecuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis. Bernardus: Heu me Domine Deus, quia vndique mihi mala, vndique tela volant, vndique pericula, vndique impedimenta: quocumque vertam me, nulla vſquam eſt ſecuritas: ſed Chriſtus in his omnibus vincens, vincere docet, in deſerto actiuos, in templo contemplatiuos, in mon**B**te prælatos. *Sap. 8. d* De tertio: Circuibam quærens, vt mihi illam aſſumam, de ſapientia loquitur. Chriſtus autem eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, quæ in iuſtificatione in corde aſſumitur ſpiritualiter, in communio*Mar. 14. c* ne vero aſſumitur ſacramentaliter: Sumite, hoc eſt *Thren. 2. e* corpus meum. Sed heu dicitur: Viderunt enim aſſumptiones falſas, & eiectiones. Caue ne Dominum falſe aſſumas. Caue ne aſſumptum turpiter eijcias. Miraris quòd ſe Chriſtus permiſit aſſumi ab vno diabolo, & non miraris quòd quotidie, quaſi a centum & millibus hominibus, immo quaſi a tot dæmonibus, quot peruerſis hominibus ſub ſacramento altaris re**C**cipitur, immo in hoc peccatores peiores ſunt diabolo, qui Chriſtum in ſanctam ciuitatem, ſuper templum, & in montem aſſumpſit. Peruerſi autem homines ipſum in Babylonem, in lutum, & in ſentinam *Mar. vlt. d* aſſumunt. De quarto: Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum. Aſſumptus autem eſt non ab Angelis eum adiuuantibus, vel ſuſtinentibus, ſed a ſuſcipientibus, & mira laude obſequentibus cum debita veneratione. Auguſtinus: Sublatus eſt Chriſtus in manibus angelorum, quando aſſumptus eſt in cælum, non quia ſi non portarent eum angeli ruiturus erat, ſed quia obſequebantur **D** regi. Aſſumptus eſt quoque non ſolum ab angelis, immo ſuper angelos a Deo Patre ad dexteram eius. Vnde bene ait Marcus: Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet ad dexteram Dei. Vnde poterit bene dicere *Aggæi. 2. d* Deus Pater de Chriſto illud: Aſſumam te Zorobabel ſerue meus, & ponam te quaſi ſignaculum. Signa enim vulnerum patri pro nobis in cælo repræſentat. Bernardus: Mater oſtendit filio pectus & vbera; filius patri latus, & vulnera, ibi nulla poterit eſſe repulſa, vbi tot occurrunt amoris inſignia.

# DOMINICA SECVNDA **E**

## IN QVADRAGESIMA.

### SERMO I.

*1. Theſ. 4. a* *Pſ. 142. c*

HÆc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Olim Dauid orauit dicens: Doce me facere voluntatem tuam. Et nunc miſericors Deus per Apoſtolum Paulum, & Apoſtolum Petrum, & ſe**F**metipſum nos ſuam docuit voluntatem. Conſiderauere autem quòd voluntas Dei eſt, vt a peccatis ſanctificemur, vt in bono exercitemur, vt in vtroque cōfirmemur, vt tādem in cælo glorificemur. De primo dicitur hic: *Hæc eſt voluntas Dei*, &c. *Ephe. 5. f* Ille enim ſanctificatur, qui a peccatis mūdatur. Munda enim debet eſſe dilecta ſpōſa Chriſti: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ. Mundat autem Deus animam non ſolum lauacro baptiſmi primi, ſed etiam ſecundi, ſcilicet lacrymarum. Iſidorus: Lacrymæ pœnitentis apud Deum pro baptiſmate reputantur. Sed quid prodeſt homini ſi balneetur, & **A** ſtatim ſordidis veſtimentis induatur? Sic quid prodeſt animæ, ſi mundetur, & ſtatim in vitioſam conſuetudinem relabatur? Propter hoc præcipitur: Vade ad populum & ſanctifica eos, hodie & cras lauēt *Exod. 19. b* veſtimenta ſua, ideſt mores ſuos: Omni tempore ſint *Eccls. 9. b* veſtimenta tua candida. Gregorius: Qui fletibus ſuis vitæ munditiam ſubtrahit, ante Dei oculos ſordidas etiam ipſas lacrymas facit. De ſecundo: Sic eſt vo*1. Pet. 2. c*luntas Dei, vt bene facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Si ergo benefacitis, voluntatem Dei impletis, immo & ex Deo nati eſtis: Qui facit bene, ex Deo eſt. Qui male facit, *1. Ioan. 3. a* **B** non videt Deum, immo neque videbit in æternum. Deus enim benefacit benefacientibus, *et cetera*. Pſalmiſta: Benefac Domine bonis, & rectis corde: decli*Pſal. 124. a*nantes autem in obligationem adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Sed attende quòd ait Petrus: Obmuteſcere faciatis, *et cet.* Magna virtus bonorum factorum, quæ noſipſos apud Deum creſcere, & aduerſarios obmuteſcere, & amicos non erubeſcere faciunt. Auguſtinus: Qui nos amant, quærunt quod laudent in nobis: qui autem oderunt, detrahūt nobis. Nos autem in vtroque medio cōſtituti, vitam noſtram & famam ſic cuſtodire debemus, vt non eru**C**beſcant corā detractoribus laudatores. Sed certe quia detractionibus, & contentionibus, & conſpirationibus, & alijs peruerſis locutionibus obmuteſcere nolunt in mundo, obmuteſcent in iudicio: At ille ob*Mat. 22. b*mutuit. De tertio: Hæc eſt voluntas eius, qui miſit *Ioan. 6. d* me, *et cetera*. Sola perſeuerantia facit, vt non pereamus: Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, ſal*Mat. 10. c*uus erit. Vnde abſque perſeuerantia, neque qui pugnat, victoriam, neque palmam victor conſequitur. Illi autem perduntur, qui non perſeuerando a Deo ſeparantur. Pſalmus: Perdidiſti omnes, qui for*Pſal. 72. d*nicantur abs te. Fornicantur, qui relicto vero ſpon**D**ſo Ieſu Chriſto, cum mundo luxuriantur. Si vero non vis perdi, adhæreas Deo, voluntatem eius ſemper & perſeueranter implēdo: Semper quod bonum *1. Theſ. 5. d* eſt, ſectamini in inuicem, & in omnes. Semper gaudete, ſine intermiſſione orate. In omnibus gratias agite, hæc eſt enim voluntas Dei. Vnde Iſidorus: Tunc placet Deo conuerſatio noſtra, quando bonum quod inchoamus fine perſeueranti complemus. Et nota quòd de triplici voluntate dicitur: Reformamini *Rom. 12. a* in voluntate ſenſus veſtri, vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Voluntas Dei bona eſt, vt a malis ſanctificemur: bene placens, vt bonum operemur: perfecta, vt in vtroque **E** confirmemur. De quarto: Hæc eſt autem voluntas *Ioan. 6. a* Patris mei, qui miſit me, vt omnis qui credit in eum, *et cet.* Bene dicitur, qui credit in eum. Si autem ſcire deſideras an credas in eum, attende quid dicitur: Signa eos, qui in me credunt, *et cet.* vſque bene ha*Mar. 16. d*bebunt. Require expoſitionem in vigilia Pentecoſtes in ſermone: Nolite contriſtare Spiritum ſanctum. Voluntas ergo Dei eſt, vt qui credit in filium habeat vitam æternam: Oues propriæ, *et cet.* *Ioan. 10. c*

### SERMO II.

DImitte eam, quia clamat poſt nos. Clamor *Mat. 15. c* orationis optimus nūcius eſt ad aures Dei. Pſalmus: Clamor meus in conſpectu eius, *Pſal. 101. a* *et cet.* Gregorius: Voces valentiores apud ſacratiſſimas aures Dei faciunt non multa verba, ſed deſideria. Sunt autem quattuor, quæ faciunt homines clamare, Aqua, ignis, gladius, beſtia. Sic & nos clamare debemus propter aquam, & tempeſtatem ſpiritualem, propter ignem æternalem, propter gladium iudicialem, propter beſtiam infernalem, ſcilicet diabolum. De primo: Mare ibat, & intumeſce*Iona. 1. d*bat ſuper eos, & clamauerunt ad Dominum, *et cet.* Quid eſt fluxus præſentis miſeriæ, niſi mare, vel aqua,





vbi tempeſtatibus tentationum anima periclitatur? **A** immo peccando ſubmergitur. Ideo in orationibus ſic clamandum eſt, quaſi homo iam ſubmergi timeret, *Mat. 8. d* ſicut dicitur de Petro: Domine ſalua nos, perimus. Vſitatum verbum eſt. Qui neſcit orare, aſcendat mare. Sed certe periculoſius mare eſt, in quo anima, quàm in quo corpus ſubmergitur, & ideo ma*Pſal. 68. a*gis clamandum eſt. Pſalmus: Veni in altitudinem maris, *et cet.* laboraui clamans, *et cet.* Auguſtinus: Vt liberemur, clamemus, ne forte in preſſuris conſentiamus iniquitati, & vere irrecuperabiliter abſorbea*Ioel. 1. d*mur. De ſecundo: Ad te Domine clamabo, quia ignis comedit ſpecioſa deſerti, ideſt huius mundi: **B** ſicut nobilitas, potentia, gloria, iuuentus, pulchritudo huius mundi. O quot potētes, nobiles, glorioſos iuuenes, & pulchras mulieres, & viros iam comedit ignis inferni? per duo, vel per tres, vel per quattuor, vel per quinque, vel per ſex millia annorū, vel forte per plura: & non ſolum tales, immo omnia *Deut. 32. d* ligna regionis, ideſt quoſlibet alios peccatores: Ignis ſuſceptus eſt, *et cet.* Ideo clamandum eſt in oratione. Verſus:

*Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.*

Iam enim proximus paries tuus ardet, ſcilicet maritus, vel vxor, vel frater, vel pater, vel alius proximus **C** tuus forte per annum, vel decem, vel viginti annos arſit in inferno. Nonne times? nonne clamas? & forte pro eiſdem bonis ardet pater tuus, quæ tu adhuc habes, & tu cum eo pro eiſdem bonis ardebis. Nonne clamas? Flamma vero ſuccendens ligna, eſt illa, *Luc. 16. f* de qua: Crucior in hac flamma. Peccator clama, & aquam lacrymarum fundas, vt ignem non gehennæ, ſed culpæ tibi extinguas. Iſidorus: Dei ſeruus quoties quolibet tangitur vitio, toties ad orationem ſe ſubdat. Frequens oratio vitiorum impugnationem *Ezec. 21. c* extinguit. De tertio: Iſte exacutus eſt gladius, & iſte limatus eſt, vt ſit in manu interficiētis, ideſt Chri**D**ſti. Clama, & vlula fili hominis, *et cetera*. Iſte gladius eſt ſententia, qui non ſolum acutus, ſed exacutus eſt, vt per ipſum non ſolum corpus, ſed etiam anima feriatur: limatus, & ſplendens eſt, vt in prom*Deut. 32. f*ptu habeatur: Si acuero vt fulgur gladium meum, *et cet.* Promptus eſt non ſolum in iudicio, ſed etiam in morte peccatoris. Vnde omni hora timendus eſt. Ideo in oratione clamandum eſt, ac ſi iam gladio *Ier. 25. g* transfodi deberes. Vlulate & clamate, aſpergite vos cinere: quia completi ſunt dies, vt interficiamini. Clamate in cinere, ideſt futuros vos cineres conſideran*Iona 3. c*tes. Hoc etiam dicitur quòd rex ſedit in cinere, & **E** homines, & mulieres, & iumenta nihil guſtantes, ſaccis operiebantur, vt clamarent ad Dominum in for*Pſal. 56. a*titudine ſua. De quarto: Clamabo ad Deum Altiſſimum, *et cetera*, vſque de medio catulorum leonū. O ſi te iam leo, vel lupus, vel ſerpens inuaderet, o quo modo clamares? O quanto magis clamandum *1. Pet. 5. c* eſt contra diabolum, leonem fortiſſimum: Tamquam leo rugiens, *et cet.* Neceſſarius autem eſt clamor orationis contra diabolum. Ioannes Chryſoſtomus: Oratio iugis, infirmitas eſt hoſtis. Ipſe contra ſe tela miniſtrat, qui hoſtem precum inſtantia non fatigat. Vnde etiam Tobias clamauit, cum inuaderet eum piſcis, **F** *Tob. 6. a* ideſt, diabolus: Expaueſcens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me piſcis. Si clamat quem piſcis iſte diabolus inuadit tentando, multo magis clamet, qui in ventre huius piſcis eſt male *Iona 2. b* viuēdo: Clamaui ad Dominum de tribulatione mea, & exaudiuit me de ventre inferi.

### SERMO III.

*Mat. 15. c*

DImitte eam, & cetera. Ecce mulier multum clamando, multos mouit ad intercedendū. Nos quoque orando clamabimus, ſi multitudinem impedimentorū, inimicorum,



**A** neceſſariorum, interceſſorum conſideramus. Clamare ergo debemus, vt impedimenta tranſeamus, vt inimicos confundamus, vt interceſſores moueamus, vt neceſſaria obtineamus. De primo: Qui præibant, *Luc. 18. g* increpabant eum, vt taceret. Turbæ increpantes ſunt cogitationes, & phantaſiæ orationes impedientes, magis autem impedit clamorem orationis elongatio clamantis. Tanto autem eſt homo a Deo longius, quanto in vitijs profundius. Et ideo in perſona profundi peccatoris ait Pſalmiſta: Infixus ſum in limo *Pſal. 68. a* profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Auguſtinus: Debet **B** vnuſquiſque noſtrum videre in quo profundius ſit, de quo clamet ad Dominum. Clamauit enim de profundo Ionas de ventre ceti. Vnde melius eſt nunc pœ*Ion. 2. b*nitendo de profundo peccati clamare ſalubriter. Pſalmiſta: De profundis clamaui, *et cet.* quàm de pro*Pſal. 129. a*fundo inferni inutiliter: ſicut diues in inferno ſepultus: Ipſe clamans, dixit: Pater Abraam, *et cet.* De *Luc. 16. f* ſecundo: Ne timueris multitudinem eorum, & im*1. Mac. 4. a*petum eorum ne formides, *et cet.* vſque nunc clamemus in cælum. O quàm clamandum eſſet propter tentationis impetum, & formidinem, & propter multitudinem tentantium. Non enim habes in capite tot **C** capillos, quot anima tua habet inimicos. Pſalmus: Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: mul*Pſal. 68. a*tiplicati ſunt ſuper capillos, *et cet.* Si enim legio dæmonum vexauit vnum hominem corporaliter, ſicut dicitur: quid ergo erit de anima, quam plus perſe*Luc. 8. e*quuntur? Clamore ergo orationis fugandi ſunt. Legitur enim quòd per tubas ſonantes, & per confra*Iudic. 7. e*ctas lagenas hoſtes fugabantur. In confractione lagenarum, mortificatio corporum: in tubis orationes ſignificantur. Tuba enim in fine vno flatum recipit, in alio reddit ſonum. Sic & orationis flatus in mundo fit, ſed ſonus auditur in cælo. Gregorius: Magna **D** virtus orationis, quæ effuſa in terris, in cælis operatur. Sic ergo oratione, & mortificatione confunditur diabolus: Hoc genus non eijcitur, niſi per oratio*Mat. 17. e*nem & ieiunium. De tertio dicitur hic, quòd Chananæa tamdiu clamauit, vſquequo Apoſtolos interceſſores habuit. Hoc etiam ſignificatum eſt, vbi di*Eſther 4. a*citur, quòd ſcidit Mardochæus veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, & ſpargens cinerem capiti, & in platea mediæ ciuitatis voce magna clamauit, & hoc eiulatu ad fores palatij venit. Veſtis veteris conſuetudinis debet ſcindi, ſaccus pœnitentiæ indui, cinis memoriæ mortis menti imprimi, in platea mediæ ciui**E**tatis Eccleſiæ in oratione clamare: In medio Eccle*Eccli. 15. a*ſiæ. Vſque ad fores palatij cæleſtis regni tantum clamare debet anima tua, vt Angeli, virgines, martyres, Apoſtoli audiant, & iterum dicant Domino: Dimitte eam, *et cet.* Forte enim Eſther, ideſt Maria mouebitur ad intercedendum, ſi audit clamorem tuum. Bernardus: Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore tuo, non diſcedat a corde tuo, vt impetres orationis ſuffragium, non deſeras conuerſationis exemplum. De quarto. Nota quòd clamare debemus, ſicut mendicus pro ſubuentione. Pſalmus: Iſte pauper, *et cet.* Item Pſalmus: Non eſt oblitus clamo*Pſal. 9. e***F**rem pauperis, *et cetera*. Item ſicut infirmus pro ſanatione. Pſalmus: Domine Deus clamaui, *et cet.* Item, ſicut cæcus pro illuminatione: Cæcus autem *Luc. 18. g* multo magis clamabat, *et cetera*. Item ſicut dæmoniacus pro liberatione, ſicut hæc Chananæa clamauit. Item ſicut tribulatus pro conſolatione. Pſalmus: Clamauerunt iuſti, *et cetera*. Item ſicut mori*Pſal. 33. d*turus pro euaſione: Clamauit autem voce magna Suſanna, & dixit: Domine Deus æterne, *et cetera*. *Dan. 13. e* Clama ergo miſer peccator, pro tantis neceſſitatibus ad Deum. Sed certe lingua ſerpentis ſibilare poteſt, clamare non poteſt. Ita oratio linguæ venenatæ, non eſt clamor orantis, ſed ſibilus ſerpentis apud Deum. Hieronymus: Neſcio qua conſcientia ea lingua, quis

Deum rogat, qua mentitur, aut maledicit, aut detrahit: labia ſancta exaudit Deus.

## SERMO IV.

*Mat. 17. a* *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum, & transfiguratus eſt ante eos.* Quia myſterium Dominicæ reſurrectionis, quæ eſt exemplum noſtræ glorificationis inter omnia opera reſtaurationis plus habet ammirationis, & difficultatis ad credendum: ideo Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad manuducendum Apoſtolos, & in eis ceteros Chriſtianos, vt leuius crederent miraculoſum opus ſuæ reſurrectionis, cum iam completum eſſet: voluit coram tribus idoneis, & præordinatis a Deo teſtibus, quibus totus mundus crederet diuina diſpenſatione transfigurari, vt eis gloriam, quam habiturus erat in reſurrectione, præoſtenderet. Et quoniam impoſſibile eſt aliquem figere aciem ſui oculi ad gloriam diuinæ maieſtatis, niſi ſit purus, & a diuina gratia præelectus, & præuentus: deinde ſua diligentia ſit paratus, atque ſummo deſiderio, vel ſtudio amoris eleuatus: ideo in verbo propoſito valde ordinate, & recto ordine proceditur. Nam primo notatur diuina dignatio myſticæ aſſumptionis. Secundo notatur deuota præparatio affectuoſæ eleuationis. Tertio notatur diſpēſatiua oſtenſio futuræ glorificationis. Primo ergo notatur diuina dignatio myſticæ aſſumptionis, cum dicit: *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Secundo notatur deuota præparatio affectuoſæ eleuationis, cum ſubdit: *Et duxit illos in montem excelſum.* Gloſſa transfiguratus in montem aſcendit, vt innuat, vt qui reſurrectionem expectant, in excelſum debent eleuari, & continuis precibus inſiſtere. Tertio notatur diſpenſatiua oſtenſio futuræ glorificationis, cum ſubinfert: *Transfiguratus eſt ante eos.* Dicit ergo: *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Vbi notatur diuina dignatio myſticæ aſſumptionis. Dicitur autem myſtica illa aſſumptio eo quòd aſſumptione iſtorum trium myſticatur, & figuratur aſſumptio triplicis ſtatus militatis Eccleſiæ, ſcilicet prælationis, actionis, & contemplationis. Nam ſtatus prælationis per Petrum deſignatur: quia primus futurus erat in regimine Eccleſiæ per officium prælationis. Status actionis per Iacobum ſignatur, qui primus futurus erat in amaritudine pœnitentiæ, per tormentum paſſionis: quia primus inter Apoſtolos paſſus fuit. Status contemplationis per Ioannem deſignatur, qui primus futurus erat in plenitudine gratiæ, per augmentum dilectionis. Primo ergo aſſumpſit Petrum, & in Petro ceteros de ſtatu prælationis, ad præſidentiam virtualis protectionis in regimine Eccleſiæ. Secundo aſſumpſit Iacobum, & in Iacobo ceteros de ſtatu actionis ad abſtinentiam carnalis delectationis, in amaritudine pœnitentiæ. Tertio aſſumpſit Ioannem, & in Ioanne omnes de ſtatu contemplationis, ad affluentiam ſpiritualis conſolationis, in plenitudine gratiæ. Primo aſſumpſit Petrum, & in Petro ceteros, de ſtatu prælationis ad præſidentiam virtualis protectionis in regimine Eccleſiæ. *Aggæi 2. d* Vnde dicitur: Ego aſſumam te Zorobabel filij Salathiel ſerue meus dicit Dominus, & ponam te, quaſi ſignaculum, quia te elegi. Zorobabel princeps in Iudæa, qui interpretatur princeps tranſlationis, ſignificat quemlibet prælatum, qui eſt dux, & princeps militantis Eccleſiæ, quam eripuit Dominus de iugo poteſtatis diabolicæ ratione originalis peccati, ſiue actualis, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuę. Huic autem dicit Dominus: Aſſumam te per gratiam benignæ adoptionis, ſerue meus per reuerentiam Dominicæ ſubiectionis, & ponam te, quaſi ſignaculum certificatiuum doctrinæ, ad faciendum fidem, promotiuum in pugna ad prœliandum,

A contra hoſtem, & directiuum in via, ad dirigendum in gloriam cæleſtem. Et propter hoc elegi te ad cathedram Apoſtolicæ prælationis. Secundo aſſumpſit Iacobum, & in Iacobo ceteros de ſtatu actionis ad abſtinentiam carnalis delectationis, in amaritudine pœnitentiæ. Vnde dicitur in Pſalmo: *Pſal. 26. d* Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in ſemitam rectã, propter inimicos meos. Quoniam pater meus diabolus, mater mea concupiſcentia, dereliquerunt me propter amaritudinem doloroſæ pœnitentiæ. Ideo Dominus aſſum- **B** pſit me: propter collationem gratuitæ iuſtificationis. Et ratione huius vere pœnitens petit cum deſiderio dicens: Legem pone mihi Domine in via præceptorum, & dirige me in ſemita recta conſiliorum, ne aliquando incidam in manus inimicorum. Et de hoc dicitur: *Ezec. 3. e* Spiritus Domini leuauit me, & aſſumpſit me, & abij amarus in indignatione ſpiritus mei. Spiritus Domini leuauit me in cruce per affectum lacrymoſæ compaſſionis. Et aſſumpſit me per exceſſum inflammatæ dilectionis. Et tunc abij amarus in indignatione ſpiritus, ideſt Dominicæ paſſionis, cum cogito quòd iterum in ſeipſo crucifigo Filium Dei, reite- **C** rando peccatum. Tertio aſſumpſit Ioannem, & in Ioanne ceteros de ſtatu contemplationis, ad affluentiam ſpiritualis conſolationis, in plenitudine gratiæ. Vnde dicitur in Pſalmo: *Pſal. 64. a* Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti, habitabit in atrijs tuis. Beatus quem elegiſti ad ſtatum actionis per exercitium bonæ operationis, & aſſumpſiſti ad ſtatum contemplationis per augmentum dilectionis. Habitabit in atrijs tuis, per continuationem deuotæ orationis. Et procedit valde ordinate propheta, eo quòd otium vitæ contemplatiuæ, quæ eſt finis vitæ actiuæ, præſupponit exercitium actiuæ. Vnde Gregorius in Moralibus: *Greg. lib. 6. Mor. c. 17. ſupra finē. to. 2.* Qui contem- **D** plationis arcem deſiderant, prius per exercitium in campo operationis ſe probent. Sequitur ſecundo, ſcilicet deuota præparatio affectuoſæ eleuationis, cum dicit: *Et duxit eos in montē excelſum,* vt per hoc innuat: quòd qui gloriam maieſtatis vult videre, mentem in excelſum deuotionis debet eleuare. Per montē enim ratione ſuarum trium proprietatum conueniēter datur intelligi debita præparatio prælatorum actiuorum, & contemplatiuorum. Nam mons eſt ſitualis eminentiæ, immobilis perſiſtentiæ, & liberalis communicantiæ, ſiue communicabilis influentiæ. Videmus enim in monte altitudinem ſituationis, forti- **E** tudinem incommotionis, & diffuſionem communicationis. Ducit ergo primo prælatos in montem ſitualis eminentiæ, propter receptionem primariam diuinæ irradiationis receptionem. Secundo ducit actiuos in montem immobilis perſiſtentiæ, per virtuoſam tolerantiam omnimodæ tribulationis. Tertio ducit contemplatiuos in montem liberalis communicantiæ, propter charitatiuam diffuſionem gratuitæ prædicationis. Primo duxit prælatos in montem ſitualis eminentiæ, propter primariam receptionem diuinæ irradiationis. Sol enim primo irradiat montes, deinde illuminat valles, ſic prælati tamquam **F** ſublimes montes, diuinæ lucis irradiationes debent primo in ſe recipere, & deinde per bonæ vitæ exempla in ſubditos tamquam in valles tranſmittere. Vnde de bono prælato dicitur: *Exo. 25. d* Inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi monſtratum eſt in monte hoc. Et hoc eſt, quia vita prælati imprimitur cordi ſubditorum, vt ſit ſicut forma ſigilli ceræ, eo quòd plus mouent corda ſubditorum operum exempla, quàm verba. Vnde Gregorius in paſtorali: *Greg. paſt. cur. 2. Par. c. 3.* Actione rector præcipuus, vt vitæ viuendo ſubditis viam denunciet, & grex qui paſtoris vocē moremq. ſequitur per exempla melius, quàm per verba gradietur. De quo dicitur: *Iſa. 2. a* Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum



eum omnes gentes. Mons iſte præparatus in vertice montium, & ſublimis inter omnes colles, eſt prælatus perfectus, qui propter excellentem eminentiam Euangelicę perfectionis, ratione cuius excellit etiam omnes ſubditos in vita, quantumcumque perfectos, ſicut dicit Bernardus: *Ber. de cōſ. lib. 2. circa med.* Monſtruoſa res eſt gradus, ſummus & animus infimus, ſedes prima & vita ima. Et tunc fluent ad eum omnes populi, propter liberalem affluentiam, ſiue beneuolentiam piæ ſubuentionis. Sed væ hodie quorumdam prælatorũ auaritiæ, qui ſic appropriant ſibi theſauros crucifixi, quaſi a carnalibus parentibus accepiſſent, & pinguant inde nepotes, ditant conſanguineos, & ipſi vacant **B** cibis, & potibus delicatis. Sed certe tales ſunt fures, & latrones, & etiã loculos habēt, eo quòd omnia quæ mittuntur pauperibus, portant conſanguineis, & nepotibus, & carnalitati gulæ. Et propter hoc multi prælati, licet ratione ſtatus inducant Ieſum vſque in ſupercilium montis, tamen inde præcipitant eum in cordibus ſubditorum, propter mala exempla quibus longe melius fuiſſet toto tempore vitę ſuæ ſtetiſſe in plano, quia quanto ſtatus altior, tanto caſus grauior. Secundo duxit actiuos in montem immobilis perſiſtentiæ, propter virtuoſam tolerantiam omnimodę tribulationis. Montes enim ventis, & pulſio- **C** nibus aeris & grandinum ſunt immobiliter expoſiti. Sic actiui debent eſſe expoſiti ad tolerandum conſtanter omnes tribulationes exemplo Chriſti, qui expoſuit corpus ſuum impulſionibus lanceę, & clauorum, & tamdiu clipeum patientiæ portauit, donec vitam mortalem terminaret. Vnde de bonis actiuis dicitur in Pſalmo: *Pſal. 124. a* Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem. Quia puſillanimitas eſt cauſa ruinæ, & confidentia cauſa conſtantiæ, ideo dicuntur confidentes in Domino firmi ſicut mons Sion, propter ſoliditatem fortitudinis, & patientiæ. Qui habitat in Ieru- **D** ſalem per tranquillitatem pacis, & concordiæ, non turbando ſeipſum interius in animo, & non ſcandalizando proximum exterius in verbo: Non commouebitur propter impetuoſitatem furoris, & iracundiæ. Tertio duxit contemplatiuos in montem liberalis communicantiæ, ſiue communicabilis influentiæ, propter charitatiuam diffuſionem gratuitæ prædicationis. Tantæ enim communicationis, & diffuſionis ſunt montes, vt omnia quæcumque recipiunt ſtatim diffundunt, & quaſi ſe exonerantes ad plana tranſmittunt. Nam pluuia, mox vt infunditur ſtatim refunditur, & flumina quæque percurrunt conualli- **E** bus communicant, & etiam lapides, & metalla, & alia quæ producunt ad plana tranſmittunt. Per iſtum modum contemplatiui debent eſſe irradiatores cogitationum pluuiæ, ſiue irrigationis pluuiarũ, & etiam rore chariſmatum donorum ad modum mōtis Sion, per verbum prædicationis, per exemplar conuerſationis, ad alios tranſmittere, quia tunc implebitur illud: *Ioel 2. d* In illa die ſtillabunt mōtes dulcedinem, & colles fluent lacte, & ſuper omnes riuos Iuda ibut aquæ. Contemplatiui dicũtur ſtillare dulcedinem piæ compaſſionis, ad tractandum afflictos, & colles fluere lac piæ prædicationis, ad nutriendum debiles, & tunc ſuper omnes riuos, ſcilicet lacrymarum. Iuda, ideſt pœnitentium: Iuda enim confitens interpretatur, ibunt aquæ, ſcilicet gratiarum ad multiplicandum opera iuſtitiæ, & pietatis. Et illud contemplatiuis maxime, qui tenentur profeſſione alicuius regulæ, competit. Concordat quod dicitur: *Ezec. 36. a* Montes Iſrael ramos expandite, & frondete, & florete, & fructus facite: Iſrael enim videns Deum interpretatur, & ſignat contemplatiuum, qui debet videre Deum in propria conſcientia. Dum dicitur: montes Iſrael, ideſt contemplatiui ramos veſtros expandite, ſcilicet ad vagantis populi congregationem frondete, per diuini verbi prædicationem. Florete per odoriferi exempli oſten-



A tationem, & fructus facite, per veſtræ ſalutis acquiſitionem, & proximorum promotionem, quia tunc eritis mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. *Pſal. 67. e* Tertio & vltimo oſtenditur diſpenſatiua oſtenſio futuræ glorificationis, cum dicitur. *Et transfiguratus eſt ante eos.* Voluit Dominus noſter Ieſus Chriſtus transfigurari coram iſtis tribus, per quos prælati, actiui, & contemplatiui intelliguntur, & oſtendere eis ſuam futuram gloriam, vt per hoc (appropriate loquendo) primo illuminaret in Petro prælatos ſplendore virtutis, & intelligentiæ: ſecundo confirmaret in Iacobo actiuos in ſpe expecta- **B** tionis futuræ gloriæ: tertio inflammaret in Ioanne contemplatiuos amore charitatis, & beneuolentiæ. Primo transfiguratus eſt ante Petrum, vt in Petro illuminaret prælatos ſplendore virtutis, & intelligentiæ, vt per ipſos ceteri in fide illuminarentur. Vnde dicit Gloſſa: Et Chriſtus voluit transfigurari coram tribus teſtibus, quibus totus mundus crederet. Nec tamen Chriſtus in ſua transfiguratione tantum habuit teſtimonium hominum de mundo, immo etiam habuit ſuper hoc teſtimonium Dei Patris de ſummo cælo. Teſtimonium Moyſi de profundo lymbo, & teſtimonium Eliæ, quaſi de medio, ſcilicet paradiſi ter- **C** reſtris. Vnde in ſua transfiguratione voluit teſtimonium habere, diuinum, propheticum, & humanum, ſiue Apoſtolicum. Vt primo per teſtimonium Dei Patris dicentis: Hic eſt filius meus dilectus, per quem facta ſunt omnia, cognoſcat quòd omnium eſt ſtabilitor magnificus, ſcilicet creando. Vt ſecundo per teſtimonium Moyſi, qui fuit dator legis, & Eliæ qui fuit eximius prophetarum cognoſcatur, quòd ipſe eſt cunctorum reconciliator pijſſimus, ſecundum quòd fuerat promiſſum, & prophetatum in lege. Vt tertio per teſtimonium humanum, ſiue Apoſtolicum, ſcilicet Apoſtolorum, qui erunt iudices in die iudicij, **D** cognoſcatur, quòd ipſe eſt omnium retributor iuſtiſſimus in remunerando. De illa transfiguratione poteſt exponi illud: *Sap. 16. d* Omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deſeruiebant ad voluntatem eorum, quæ a te ſunt deſiderata. Dicũtur autem omnia transfigurari in transfiguratione Chriſti, eo quòd aliquid de omni creatura fuit in Chriſto trãsfiguratum. Nam Chriſtus inquantum homo communicat cum omnibus creaturis. Habet enim eſſe cum lapidibus, viuere cum plantis, ſentire cum iumentis, & intelligere cum Angelis. *Greg. hom. 29. in Euãgel. to. 2.* Cum ergo Chriſtus in quo, inquantum homo, de omni creatura eſt aliquid, ſit transfiguratus: **E** ideo dicuntur omnia in ipſo eſſe transfigurata. Nutrici gratię deſeruiebant: quia illa transfiguratio non fuit vt acciperet dotem claritatis gloriæ, ſed diuina gratia diſpenſante, vt acciperet actum dotis claritatis gloriæ, ad nutriendum debiles Apoſtolos in fide, & maxime in hora mortis Chriſti. Nam omnia deſeruiebant nutrici gratiæ ad voluntatem eorum, ideſt Apoſtolorum, propter complacentiam dilectionis, quam habuit in mundo propter gloriam Chriſti. Vnde Petrus dixit: *Mat. 17. a* Domine bonum eſt nos hic eſſe, quæ a te deſiderata ſunt, propter mutuam cohabitationē mutuæ dilectionis. Nam deliciæ Filij Dei ſunt eſſe **F** cum Apoſtolis, & prælatis. Secundo voluit transfigurari ante Iacobum, vt in Iacobo confirmaret actiuos, vt in ſpe expectationis futuræ gloriæ. Vnde Beda dicit in Gloſſa: *Beda com. in c. 9. Luc. cap. 38.* Super prædictũ verbum ſic: In montē transfiguratus aſcendit, vt innuat eos, qui reſurrectionem expectant, montem in excelſum debere eleuari, & continuis precibus inſiſtere. De hoc poteſt exponi quod dicit Apoſtolus: *1. Cor. 4. a* Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarũ, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique a Deo. Hæc autem fratres transfiguraui in me, & Apollo propter vos, vt diſcatis in vobis ne ſupra, quàm ſcriptum eſt, vnus aduerſus alium infletur pro alio, *et cetera.* Per paulum, &

Apollo, quorum vnus interpretatur mirabilis, & al-
ter admirandus, poteſt figurari Dominus noſter Ieſus
Chriſtus, cuius nomen vocatur admirabilis. Hic au-
tem voluit transfigurari in Iacobo, vt per hoc diſcant
actiui expectare futuram gloriam reſurrectionis cum
1.Cor.4. a modeſtia ſermonis in ore. Vnde dicitur: Nolite an-
te tempus iudicare quouſque veniat Dominus. Cum
innocentia cordis & operis, eo quòd Dominus in die
iudicij illuminabit abſcondita tenebrarum, & mani-
feſtabit conſilia cordium. Et cum patientia ſupporta-
tionis in opere, ne ſupra quod ſcriptum eſt: Vnus ad-
uerſus alium infletur. Et tunc laus erit vnicuique a
Deo cum propriam mercedem accipiet. Tertio tranſ-
figuratus eſt ante Ioannem, vt in Ioanne inflammaret
contemplatiuos amore charitatis, & beneuolentiæ. Et
de hoc dicitur in prædicto themate: *Duxit illos in mon
tem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos, &
reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtimenta autem eius
facta ſunt alba ſicut nix.* Dominus noſter Ieſus Chri-
ſtus ad inſtruendum, quòd nullus poteſt clare videre
Deum in propria conſcientia, niſi primo ſit eleuatus
in Deum per mentalem deuotionem, deinde ſeque-
ſtratus a tumultu temporalium ſolicitudinum, per
cordis quietationem, voluit ducere Apoſtolos, ideſt
contemplatiuos in montem excelſum, quaſi eleuan-
do eos per exceſſum mentalis deuotionis, ſeorſum, ſe-
queſtrando eos a tumultu ſæcularis inquietationis, &
tunc transfiguratus eſt ante eos, ad oſtendendam eis
excellentiam ſuæ futuræ gloriæ. Sed quia ex iſta vi-
ſione diuina contemplata, inflammatur anima ardo-
re charitatis, & concupiſcentiæ, & dulcoratur cando-
re caſtitatis, & pudicitiæ, per nimium amorem ſolis
iuſtitiæ, & candorem lucis æternæ; ideo dicitur quòd
*reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtimenta autem eius
facta ſunt alba ſicut nix.* Rogemus, *et cet.*

## SERMO V.

Mat.15.c *Catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa,*
& cetera. Catelli ſunt humiles peccatores.
Micæ ſunt verba Dei, vel gratiarum præ-
Menſa qua- guſtationes. Menſa eſt quadruplex, mate-
druplex. rialis, doctrinalis, ſacramentalis, æternalis. De pri-
Luc.16. e ma: Cupiens ſaturari de micis, *et cet.* In hac menſa
vitanda ſunt quattuor. Primum eſt gula, ſecundum
Ibidem. immiſericordia. Vnde iſte qui ſplendide epulabatur
quotidie, & micas Lazaro non dedit, ſepultus eſt in
inferno. Quidam enim plus dant canibus, quàm pau-
Mat.15.e peribus, cum tamen Dominus dicat eis hic: Non eſt
bonum, *et cet.* Tertium eſt ſocietas mala. Homo non
debet turpes commenſales habere. De malo enim
Mat.24.d ſeruo manducante cum ebrioſis dicitur, quòd Deus
diuidet eum, *et cet.* Auguſtinus quoque in menſa hos
verſus habuit:
Aug. ad fra *Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,*
tres in ere- *Hanc menſam indignam nouerit eſſe ſibi.*
mo ſer. 25. Abominabilius eſt ad menſam per detractionem euo
circa med. mere aliorum vitia, quàm propria cibaria: Omnes
tu. 10. menſæ repletæ ſunt vomitu, & ſordibus. Quartum
Iſa. 28. b eſt cibaria illicita: Non licet nobis, aut edere de fur-
Tob. 2. d to aliquid, aut contingere. De ſecunda menſa, quæ
Exod.25.c eſt Scripturæ: Pone ſuper menſam panes propoſitio-
nis, *et cet.* Menſa hæc panem, & coronam habuit, ſi-
cut ibidem dicitur: quia ſacra Scriptura in præſenti
Iſa. 61. a nos reficit, & in futuro coronam promittit: Datem
eis coronam pro cinere, *et cet.* Corona vero quattuor
Glo. interl. digitis alta fuit: quia ſecundũ Gloſſam: Per doctri-
in c.25. nam quattuor Euangeliſtarum ad ipſam peruenitur.
Aureola autem, quæ ſuper corona fundatur, doctori
Scripturæ datur. Duodecim panes propoſitionis duo-
decim articulos fidei ſignificant, qui in ſymbolo con-
tinentur. Signum mortis hominis eſt, quando huius
menſæ cibos male viuendo retinere non poteſt. Pſal-
Pſal.106.b mus: Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, &

A appropinquauerunt vſque ad portas mortis. In hac
menſa tot ſunt fercula quot præcepta, conſilia, virtu-
tes, & exempla commendantur in Scriptura. De ter-
tia. Pſalmus: Paraſti in conſpectu meo menſam, *et* Pſal.22. b
*cet.* Tribulationes noſtræ ſunt dæmones, menſa, al-
tare: in qua panis corpus eſt Chriſti: Probet autem 1.Cor.11.f
ſeipſum homo, *et cet.* Oleum in capite eſt, gratia Sa-
cramenti in mente. Certe non eſt bonum ſumere pa-
nem filiorum, ideſt angelorum, & dare canibus, ideſt
ſordidis peccatoribus. O quantum peccatum repu-
tares ſi corpus Chriſti cani dares. Et certe tu luxurio-
ſe, tu inuide, tu auare ſordidior es quolibet cane, &
B fœtidior. Auguſtinus: Quanto tolerabilius canis pu-
tridus fœtet hominibus, quàm anima peccatrix Deo.
Magna patientia quòd Dominus permittit ſe a cani-
bus comedi. Nonne ſicut canis per vomitum, ita per
confeſſionem faciunt, & poſt Paſcha ad ea, quæ vo-
muerunt, redierunt. Sicut canis, qui reuertitur ad vo- Prou.26. b
mitum. De Quarto: Ego diſpono vobis, *et cet.* hæc Luc.22. c
eſt menſa admiratione digna ſicuti ſignificatum eſt:
Videns autem regina Saba omnem ſapientiam Salo- 3. Reg.10
monis & domum, quam ædificauerat, & cibos men- a
ſæ eius, & habitacula ſeruorum, ordinemq. mini-
ſtrantium, veſteſq. eorum, & pincernas, & holocau-
C ſta, non habebat vltra ſpiritum. Regina eſt anima
euolatura coronanda in cælis, quæ mirabitur in ſa-
pientiſſima diſpoſitione domus cæleſtis. Cibi, men-
ſæ cæleſtes ſunt delectationes in dextera Dei. Habi-
tacula ſunt manſiones multæ pro diuerſitate merito-
rum. Ordines miniſtrantium ſunt ordines angelorũ,
pincernæ ſunt animæ ſanctorum, vinum æterni amo-
ris, & Deo & ſanctis inuicẽ propinantes. Veſtes ſunt
claritates. Eorum holocauſta ſunt laudes, quæ ſine
fine offeruntur. Ecce his omnibus viſis, anima beata
non habebit vltra ſpiritum: quia a ſe deficiens, tota
tranſibit in Dominum. In his omnibus Salomonis
D ſapientiam mirabitur, & in ordinatiſſima prædicto-
rum multitudine delectabitur. Auguſtinus: Tanta
eſt pulchritudo iuſtitiæ, tãta eſt iucunditas lucis æter-
næ, hoc eſt incommutabilis veritatis, atque ſapien-
tiæ, vt etiam ſi non licet amplius videre, quàm vnius
diei hora, propter hoc ſolum innumerabiles anni hu-
ius vitæ pleni delicijs, & circumfluentia temporalium
bonorum merito contemnerentur.

# DOMINICA TERTIA IN QVADRAGESIMA.

E

## SERMO I.

*Erat Ieſus eijciens dæmonium.* Oportet Luc.11. b
vt diabolus eijciatur per contritionẽ,
vt mutus loquatur per confeſſionem.
Eiectio autẽ diaboli quadruplex eſt,
videlicet de cæco, de impio, de ob-
ſeſſo, de mundo. Prima, diabolo ſu-
perbiente, ſecunda impio pœnitente, tertia, Chriſto
præcipiente, quarta, mundo credente facta eſt. De
F prima: Peccaſti & eieci te de monte Dei, & perdidi Ezec.28.d
te o Cherubim. Timendum eſt ergo ſuperbis. Si
enim in monte cæli ſtare nõ potuit angelus ſuperbus,
quo modo aſcendere poteſt homo ſuperbus? Item
ſi propter vnam ſuperbiam cecidit angelus, quid fiet
de hominibus, qui omnibus vitijs pleni ſunt? Odibi-
lis eſt ergo ſuperbia non ſolum angeli, ſed homines
miſeri: Tres ſpecies odiuit anima mea. Pauperem Eccli.25.a
ſuperbum, diuitem mendacem, ſenem fatuum. Pau-
per ſuperbus eſt homo, pauper enim mundum in-
greditur, pauper egreditur: Nudus egreſſus ſum de Iob 1. d
vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc, ſcilicet ad
magnam matrem, quæ eſt terra. Diues mendax, eſt
diabolus diues in promiſſione: Hæc omnia tibi Mat. 4. b
dabo,



dabo, *et cet.* Mendax autem eſt in ſolutione. Augu-
ſtinus: Veniet dies iudicij, & inuenies verum, quod
comminatus eſt Deus, & falſum, quod pollicitus eſt
diabolus. Senex fatuus eſt mũdus, qui fatua ſequitur,
& fatuos facit. Superbia Luciferum de cælo, Adam
de paradiſo, Nabuchodonoſor de regno eiecit. De
Mar.16.b ſecundo: Apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua
eiecerat ſeptem dæmonia. Septem autem dæmoni-
bus ſpiritualiter oſeſſus eſt, qui ſeptem capitalium vi-
tiorum principibus ſubiectus eſt: videlicet ſuperbiæ,
inuidiæ, iræ, accidiæ, auaritiæ, gulæ, luxuriæ. Vn-
de in hoc Euangelio: *Tunc aſſumit alios ſeptem Spiri-
tus, et cetera.* Eijciuntur autem per illos ſeptem ſpi-
Apoc.5. b ritus, de quibus: Vidi agnum ſtantem tamquam oc-
ciſum habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem,
qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei. His cornibus agni eij-
ciuntur in contritione ſeptem maligni ſpiritus. Ber-
nardus: Cordis compunctio eſt, qua eijciuntur dæ-
monia, cum affectu cordis eradicantur peccata. Quod
autem dicitur de ſeptem ſpiritibus nequioribus, quòd
ingreſſi habitant ibi, non eſt intelligendum quòd
ſubſtantialiter illabantur menti, quia ſolius Trinita-
Ioan.13.c tis eſt, ſed ſuggeſtione: Poſt buccellam intrauit in eũ
Satanas. Mirum eſt quòd non timent homines quòd
poſt buccellam, quam de rapina, vel de vſura, vel de
Mat. 8. d iniuſto acquirunt, intret in eos diabolus. De tertia:
Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum, *et cet.*
Porci ſunt luxurioſi. Ioannes Chryſoſtomus: Porci
ſunt qui vitam ſuam cœnoſæ libidini, & voluptatibus
ſæculi manciparunt. In his diabolus poteſtatem acci-
Tob. 6. d pit: Qui coniugia ita ſuſcipiunt, vt Deum a ſe & a
ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut
equus & mulus quibus non eſt intellectus, habet ſu-
Pſal. 31. c per eos poteſtatem dæmonium. Horribile videtur
quòd tot millia dæmonum, ſcilicet legio vnum ob-
ſederunt hominem. Sed certe horribilius eſt habere
tot peccata mortalia, immo vnum mortale. Sed no-
ta quòd quandoque vnus, ſicut dicitur hic: *Erat
Ieſus eijciens dæmonium,* & cetera, quandoque ſeptem,
quandoque legio vexat hominem. Vnus, quando in
vno peccato mortali laborat homo. Septem, quando
in ſeptem peccatis mortalibus. Legio, quando eadem
Ioan.12. e vitia multimode multiplicantur. De quarto: Prin-
ceps mundi huius eijcietur foras, hoc factum eſt per
Chriſti paſſionem, & per mundi conuerſionem: hic
Num.25.d eſt princeps, de quo dicitur quòd Finees Iſraelitam
fornicantem cum filia nobiliſſimi principis Madiani-
tarum ſimul cum ipſo interfecit. Princeps diabolus
ſeptem habet filias ſeptem vitia capitalia, quas tradi-
dit hominibus: aliquis habet vnam, alius habet plu-
res, alius habet omnes. Quanto plus autem habes fi-
lias diaboli, tanto plus habebis de hereditate eius,
ideſt de igne æterno, quando cum filiabus eius vene-
ris ad infernum. Iſtæ filiæ habent ſuas filias, ideſt vi-
tia de ipſis naſcentia. Væ tibi ſi matrem cum filia ha-
bueris. Nobilis principis filia eſt iniquitas operis, no-
bilioris autem nequitia conſuetudinis, nobiliſſimi ve-
ro obduratio impœnitentis. Qui hanc habuerit, gla-
Deut.32.f dio Finees, ideſt ſententia Chriſti damnabitur: Si
acuero, vt fulgur gladium meum, & arripuerit iu-
dicium manus mea: reddam vltionem hoſtibus meis,
*et cet.* Auguſtinus: Nolentes corrigi, ſi peccauerint
nihil aliud elegerunt niſi cum mundo damnari.

## SERMO II.

Luc.11. c *Porro ſi in digito Dei eijcio dæmonia, profecto
venit in vos regnum Dei.* Quia virtutis eſt
naturaliter in bonum dirigere: ideo Do-
minus noſter Ieſus Chriſtus videns oculo
ſuæ ſapientiæ temerarias cogitationes Iudæorum di-
centium ipſum in beelzebub eijcere dæmonia, reſpe-
ctis eorum cogitationibus, & refutatis efficaciter in-
diſſolubilibus rationibus ad dirigendum eos conclu-

A dit pro veritate propoſitum verbum dicens: *Porro ſi
in digito Dei,* & cetera. In quo quidem verbo tria no-
tantur, videlicet: Malignitas diabolicæ nequitiæ. Im-
menſitas diuinæ potentiæ. Vtilitas conſecutæ miſeri-
cordiæ. Primo notatur malignitas diabolicæ nequi-
tiæ, cum dicit: *Porro ſi.* Secundo immenſitas diuinæ
potentiæ, cum ſubdit: *In digito Dei eijcio dæmonia.* Ter-
tio vtilitas conſecutæ miſericordiæ, cum ſubinfert:
*Venit in vos regnum Dei.* Dicit ergo: *Porro ſi.* Vbi no-
tatur malignitas diabolicæ nequitiæ. Magna enim
malignitas eſt ex parte diaboli, eo quòd tam pulcher-
rimam creaturam, ſcilicet animam factam ad imagi-
B nem, & ſimilitudinem Dei interficit, & ſecundum
omnes ſuas potentias a Deo auertit, & peruertit. Nam
primo rationalem excæcat errore falſitatis, & mali-
tiæ. Secundo concupiſcibilem deformat fœtore car-
nalitatis, & luxuriæ. Tertio iraſcibilem deordinat
tumore vanitatis, & ſuperbiæ. Primo ergo maligni-
tas diaboli rationalem excæcat errore falſitatis, & ma-
litiæ. Vnde dicitur: Oblatus eſt ei dæmonium ha- Mat.12.b
bens cæcus, & mutus, & curauit eum ita, vt loque-
retur, & videret. Dæmonium quem inhabitat per
dominium facit eum cæcum per errorem cæcitatis, &
mutum per pudorem confeſſionis crucifixi: ſed cum
C offertur Chriſto credendo in eum per captiuationem
intellectus curatur a dæmonio duræ malignitatis per
illapſum ſummæ diuinitatis. Non enim compatiun-
tur ſeinuicem diabolus, & Deus in vno habitaculo.
Nam diabolus eſt groſſus, & inflatus per elationem Rom.10.b
ſuperbiæ, & Deus eſt magnus, & excelſus per immen-
ſitatem eſſentiæ. Reſtituitur viſus per agnitionem pri-
mæ veritatis in corde, & redditur verbum per expreſ-
ſionem creditæ veritatis in ore. Nam creditur corde
ad iuſtitiam, confeſſio autem ore fit ad ſalutem. Se-
cundo malignitas diaboli concupiſcibilem deformat
fœtore carnalitatis, & luxuriæ. Vnde dicitur: Qui Tob. 6. d
D coniugia ita ſuſcipiunt amore, ſcilicet libidinis Deum
excludunt a ſe, propter fœtorem fornicationis, & a
ſua mente propter immoderationem delectationis.
Homo enim luxurioſus, ita abſorbetur delectatione
carnis, vt totaliter ſit deditus libidini, ſicut equus, &
mulus, quibus non eſt intellectus, propter ſubuerſio-
nem rationis. Et ſuper talem habet dæmonium pote- Pſal.31.c
ſtatem præcipitando de peccato in peccatum, quouſ-
que faciat eum ruere in profundum inferni, ſicut vas
quod tantum de loco voluitur in locum, donec laba-
tur in puteum. Tertio malignitas diaboli deordinat
iraſcibilem tumore vanitatis, & ſuperbiæ. Vnde di-
E citur: Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de mo- Mat. 8. d
numentis exeuntes ſæui nimis, ita vt nemo poſſet
tranſire per viam illam. Homines dæmonia haben-
tes elationis, & ſuperbiæ licet ſint eleuati, quantum
ad apparentiam, per elationem ſuperbiæ in corde, &
oſtentationem iactantiæ in opere ſuper omnes alios,
qui ſunt ſuper terram, tamen ſecundum veritatem
in tantum ſunt depreſſi, & humiliati ſecundum ratio-
nem infallibilem diuinæ iuſtitiæ, quæ eſt: Qui ſe exal- Luc.14.b
tat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur, vt
iam viuentes ſint ſepulti, & habitent cum dæmonibus
in monumentis inferni. Et propter hoc dicitur: Oc-
F currunt ei duo habentes dæmonia de monumentis
exeuntes ſæui nimis, propter furorem iracundiæ:
ita vt nullus poſſet tranſire per viam illam propter li-
uorem inuidiæ. Sequitur: *In digito Dei eijcio dæmonia.*
Vbi notatur immẽſitas diuinæ potentiæ. Iſta immẽſi-
tas diuinæ potentiæ in hoc apparet. Primo quia dæ-
monium erroris, & malitiæ eijcit illuminando ratio-
nalem, in aſpectu primæ veritatis. Secundo quia dæ-
monium fœtoris, & luxuriæ eijcit decorando concu-
piſcibilem, in amplexu munditiæ, & caſtitatis. Ter-
tio quia dæmonium elationis, & ſuperbiæ eijcit or-
dinando iraſcibilem in deſpectu ſubiacentiæ, & hu-
militatis. Primo ergo immenſitas diuinæ potentiæ
in hoc apparet, quia dæmonium erroris, & malitiæ
eijcit,

eijcit, illuminando rationalem in aſpectu primæ veritatis. Vnde dicitur: Obtulerunt hominem vnum *Mat. 9. d* dæmonium habentem, & eiecto dæmonio locutus eſt mutus. Homo habens dæmonium cæcitatis, & malitiæ efficitur mutus propter ruborem confeſſionis crucifixi, ſed cum offertur Chriſto in eum credendo per captiuationem intellectus, eijcitur dæmonium cæcitatis, & malitiæ per illapſum illuminantis ſapientiæ, & reſtituitur verbum per expreſſionem veritatis *Luc. 11. b* creditæ. De hoc ſimiliter dicitur: Cum eieciſſet dæmonium locutus eſt mutus. Secundo immenſitas diuinæ potentiæ dæmonium fœtoris, & luxuriæ eijcit decorando concupiſcibilem in amplexu munditiæ, & B *Mat. 17. c* caſtitatis. Vnde dicitur: Exiuit ab eo dæmonium, & curatus eſt, & ſequitur: Hoc genus nõ eijcitur niſi per ieiunium, & orationem. Exiuit ab eo dæmoniũ carnalitatis, & luxuriæ, & curatus eſt per amplexum caſtitatis, & munditiæ. Sed modum curandi, & eijciendi illud dæmonium docet Dominus cum ſubdit: Hoc autem genus non eijcitur, niſi per ieiunium macerationis refrenãdo voluptatem laſciuiæ carnis exterius, & orationem deuotionis in refrenãdo ardorẽ immo- *Hier. com. in cap. 9. Marc. to. 6.* deratæ dilectionis interius. Vnde Hieronymus: Ieiunio ſanantur peſtes carnis, & oratione peſtes mentis, & quanto oratio purior, & feruentior, tanto ad C expellendum vitium luxuriæ efficacior. Vnde Chryſoſtomus: Quis non oratione deuicit? Quanto oratio fuerit purior, & feruentior celebrata, tanto celerior erit de inimico victoria. Tertio immenſitas diuinæ potẽtiæ dæmonium tumoris, & ſuperbiæ eijcit, ordinando iraſcibilem in deſpectu ſubiacentiæ, & *Ioan. 12. e* humilitatis. Vnde dicitur: Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcitur foras, & ſi ego exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum. Nunc enim eſt iudicium mundi, vt vnus moriatur homo pro populo, propter mitigabilem rigorem di- *Ioan. 18. c* uinæ iuſtitiæ, & non tota gens pereat propter immu- D tabile decretum promiſſæ miſericordiæ. Ergo Chriſtus ad deſtruendam ſuperbiam primi hominis, qui voluit æquari Domino dignatus eſt tantum, & plus humiliari, quantum Adam ſuperbiuit, factus homo: quia non emendatur damnum, niſi tantum, vel plus reſtituatur. Sed vt omnia, ideſt de omni gente, & natione aliquos, vt intelligatur pars pro toto, ad ſeipſum traheret per vnicum vinculum amoris, voluit exaltari a terra per opprobrioſam mortem crucis: quia & diabolus iniecerat manus in alienum ſeruum, ſcilicet Chriſtum, in quo non habebat quidquam, ſuggerendo ſuis membris, vt crucifigeretur, ideo iuſtũ E fuit vt amitteret proprium ſeruum, ſcilicet captiuum hominem. Vnde in lege dicitur: Qui alienam poſſeſſionem iniuſte poſſidet, vel occupat, debet propriam amittere. Et ſic princeps ſuperbiæ amiſſa poteſtate, quam habebat ſuper ſeruum ſuum hominem, eo quòd iniuſte manum in Chriſtum miſerat, cum vituperio eiectus eſt foras. Tertio notatur vtilitas conſecutæ miſericordiæ ex parte humani generis, cum dicit: *Peruenit ad vos regnum Dei.* Primo per gratiam baptiſmalem, reſpectu mali amouendi. Secundo per gratiam pœnitentialem, reſpectu ardui inchoandi. Tertio per gratiam finalem, reſpectu boni conſum- F mandi. Primo ergo appropinquat regnum Dei per gratiam baptiſmalem reſpectu mali amouendi. Vnde *Ioan. 3. a* dicitur: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei, quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt. Quia omnes naſcimur filij iræ, & carnales ratione fœditatis originalis culpæ: ideo iuſtæ ſumus priuati illa hereditate regni cæleſtis, nec poſſumus ad illam peruenire, niſi per gratiã baptiſmalem prius efficiamur mundi, & ſpirituales, & ſic tamquam *Rom. 8. c* veri heredes Dei, & coheredes Chriſti fuerimus in regnum filij dilectionis ſuæ aſſumpti: quia caro, & ſanguis regnum Dei non poſſidebit, nec corruptio

A incorruptionem. Secundo appropinquat regnum Dei per gratiam pœnitentialem, reſpectu ardui in- *1. Cor. 15. f* choandi. Et de hoc dicitur: Agite pœnitentiam, ap- *Mat. 3. a* propinquat enim regnum cælorum. Qui faciunt dignos fructus pœnitentiæ in exercitijs virtuoſæ operationis, caſtigando corpus proprium in bonis exemplis, ædificando proximum in cõtinuis laudibus honorando Deum. Vnde qui vult vt appropinquet ſibi *Ibidem. b* regnum Dei, debet facere dignos fructus pœnitentiæ eradicando a ſeipſo omnia vitiorum genera: quia non eſt dignus intrare ſuperbus, & altus: quia ab humili, & baſſo oſtio, quod eſt Chriſtus, caput conquaſ- B ſabitur. Non inuidus: quia eius participatio in idip- *Pſal. 121. a* ſum. Non iracundus, & iaculoſus: quia ibi eſt ſum- *Phil. 4. b* ma pax, quæ exuperat omnem ſenſum. Non auarus, *Mat. 19. d* quia foramen actus camelum cum ſarcinis non ad- *Rom. 14. d* mittit. Non guloſus: quia regnũ Dei non eſt eſca, & *Mat. 12. c* potus. Non luxurioſus: quia ibi neque nubent, neque *1. Cor. 15. f* nubentur. Similiter caro, & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt ſicut dicitur. Tertio modo appropinquat regnũ Dei per gratiã finalem reſpectu boni conſummãdi. Vnde dicitur: Per multas tribulationes oportet *Act. 14. d* nos intrare in regnum cælorum. Et ratio eſt, quia Deus nullum recipit in regnum ſuum niſi amicum. C Nullus eſt amicus niſi ſit finaliter per patientiam in tribulatione probatus. Vnde ad intrandum illud regnum, quod eſt magnum longitudine æternitatis, interminabile latitudine capacitatis, incoarctabile in celſitudine ſublimitatis, debet ſemper habere in propoſito æternitatem bonæ voluntatis, impermutabilitatem gratuitæ veritatis, & ſuſtinere confidenter pœnalitatem humanæ miſeriæ, *& cet.*

## SERMO III.

*Lvc. 11. d* D T*Vnc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe.* Ecce quod hic dicitur ſæpe videmus, nam qui poſt conuerſionem peruertuntur, ſæpe pluribus vitijs quàm ante ſubijciuntur. Septem autem ſpiritus, ſecundum ſeptem vitia capitalia poſſumus hic accipere. Primus ergo eſt ſpiritus ſuperbiæ. Contritionem procedit ſuperbia, *Prou. 16. c* & ante ruinam exaltabitur ſpiritus, non ſolum ſpiritus ſuperbi hominis, immo ſuperbus diabolus, ſicut exaltabatur ante ruinam in cælo, ita exaltatur quotidie ante ruinam noſtram. Secundus inuidiæ: Non *1. Reg. 18. c* rectis oculis, *et cetera*, vſque inuaſit ſpiritus malus Saul. Adhuc hodie quos ſpiritus inuidiæ vexat, non E recte aliquos aſpiciunt. Tertius iræ: Ira non habet *Prou. 27. a* miſericordiam: neque erumpens furor: & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit? Incendiarij diaboli ſunt iracundi, & ideo eos nulla domus ferre poteſt timore incendij: Secundum ligna ſiluæ ſic ignis *Eccli. 28. b* exardeſcet, & ſecundum virtutem hominis ſic iracundia illius erit, & ſecundum ſubſtantiam ſuam exaltabit iram ſuam. Quartus auaritiæ: Egrediar, & ero *3. Reg. 22. d* ſpiritus mendax omnium prophetarum. Spiritus iſte, qui perſuaſit regi Achab tollere Ramach Galaad, eſt ſpiritus auaritiæ, qui ſemper perſuadet temporalia, quæ multis congregantur. Pſalmus: Mendaces filij *Pſal. 61. d* F hominum in ſtateris, *et cet.* Quintus accidiæ: Spiri- *Prou. 17. d* tus triſtis exſiccat oſſa. Et: Ecce mulier quæ habebat *Luc. 13. c* ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, *et cetera*. Accidia enim infirmum reddit ad opera decem mandatorum, & octo beatitudinum, neque ſurſum aſpicere ſinit hominem ad Deum. Sextus eſt gulæ: *Iſa. 19. c* Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecit Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, & vomens. Caue tibi de vertigine ebrietatis. Septimus eſt luxuriæ: Spiritus fornicationis in *Oſee 4. b* medio eorum, & Dominum non cognouerunt. Caue *Epheſ. 6. c* ſagittas cuiuſlibet horum ſeptem ſpirituum nequiorum: In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Nequam ſunt



ſunt iſti ſpiritus in peccantibus ante conuerſionem. A Nequiores autem ſunt in recidiuantibus poſt conuerſionem. Iſidorus: Grauius illos concupiſcentia ſæculi ferit, quos poſt renunciationem ad mundi amorem reducit. Nequiſſimi vero ſunt in perſeuerantibus vſque ad damnationem. Iſti ſeptem ſpiritus nequam ſunt eijciendi ſex modis. Videlicet verbo ſan- *Mat. 8. b* ctæ prædicationis: Verbo eijciebat ſpiritus. Primum bonum Verbi Dei eſt, quòd per timorem humiliat *3. Reg. 21. g* cor, ſuperbiam reprimens: Cum audiſſet Achab, *et cet.* vſque non vidiſti Achab humiliatum coram me, *1. Reg. 16. c* *et cetera*. Item beneficio Dominicæ paſſionis. Vnde dicitur quòd per citharam Dauid ſpiritus malus rece- B debat a Saule. Cithara vero eſt Chriſtus in cruce. Sicut enim in cithara tenduntur chordæ ſuper lignũ, ita membra Chriſti ſuper lignum crucis tendebantur. Per memoriam autem paſſionis Chriſti charitas accenditur, inuidia confunditur. Item exemplo bonæ *Act. 19. b* conuerſationis. Vnde dicitur quòd per ſudaria, & ſemicinctia Pauli fugabantur ſpiritus nequam. Sudarium, quo laborantium ſudor extinguitur, eſt exemplum patientiæ in laborãtibus. Semicinctium autem, quod eſt veſtis ex vno latere depẽdens, ſignificat exemplum patientiæ, vel manſuetudinis in tribulationibus. Patientia enim indigemus in latere ſiniſtro aduerſita- C tis, non in latere dextro proſperitatis. Item digito occultæ inſpirationis. Vnde in hoc Euangelio: Si in digito Dei, *et cetera*, auaros nec prædicatio, neque Chriſti paſſio, neque exemplum mouere poteſt ad reſtitutionem, niſi digitus Dei ſpecialiter tangat eos. Sunt enim ſicut malefici Pharaonis, ideſt diaboli, *Exo. 8. e* qui non reprimuntur Dei digito ſicut dicitur: Item ſtudio continuę orationis, quæ ſpecialiter maxime valet contra accidiam. Item inedia deuotę ieiunationis, quæ ſpecialiter valet contra gulam. De his duobus dici- *Mat. 17. d* tur: Hoc genus non eijcitur niſi per orationem, & *Tob. 6. b* ieiunium. Item fumo amaræ contritionis: Cordis D eius particulam ſi ſuper carbones, ſcilicet infernales per recordationem poſueris, fumus eius, ideſt contritio, extirpat omne genus dæmoniorum. Contritio valet contra omnia vitia, ſpecialiter tamen fumus iſte fugauit dæmonium, quod ſuper luxurioſos habuit poteſtatem.

## SERMO IV.

*Luc. 11. d* B*Eatus venter qui te portauit*, & cetera. Sicut Maria in ventre, ſic nos in mente Chriſtum portemus. Quattuor autem ſunt, quæ por- E tanda nobis ſunt. (Quattuor portanda.) Portare enim debemus Chriſtum in corde per dilectionem, crucem Chriſti in corpore per caſtigationem, nomen Chriſti in ore per prædicationem, coronam Chriſti in capite per glorificationem. De primo hic: *Beatus venter*, & cetera. Sicut per matrem, cuius eſt diligere, portatur in caſtiſſimo ventre, ita non niſi per amantem portatur mundo corpore. Certe melius eſt portare panem in ventre, quàm lapidem vel ſerpentem. Peccatum autem eſt lapide grauius, & ſerpente multo horribilius. *Iob 20. b* Panis eius in vtero eius vertetur in fel aſpidum. O F quàm horreret homo ſerpentem habere in ventre! Et certe periculoſius eſt vnum peccatum in corde, quàm mille ſerpentes in corpore. Dilectio autem non ſolum debet eſſe in corde, ſed in opere. Ideo non ſo- *Luc. 2. d* lum Mater in vtero, ſed etiam Symeon in brachio Chriſtum portauit. Libenter chariſſimi in vtero cordis portemus, qui nos in vtero ſuæ ſanctæ miſericordiæ ſemper portat quouſque in lucem vitæ æternæ *Iſa. 46. a* nos pariat: Qui portamini a meo vtero, *et cet.* ideſt *Gal. 6. c* miſericordia. Debet ergo diligi. De ſecundo: Ego ſtigmata Ieſu in corpore meo porto. Crux Ieſu non ſolum per vulnera, & ſtigmata paſſionum portatur, ſed etiam per pœnitentiam, & carnis mortificatio- *1. Cor. 6. d* nem, & ſenſuum refrenationem: Glorificate & por-

A tate Deum in corpore veſtro. Portare autem debemus tempeſtiue, ne negligamus temporis breuitatẽ. Bonum eſt viro cum portauerit, *et cetera*. Item volun- *Thren. 3. d* tarie, ne cogamur neceſſitate ſicut Simon: Impoſue- *Luc. 23. d* runt illi portare crucem poſt Ieſum. Item ſtrenue, ne vincamur tentatoris importunitate: probus enim miles ſtrenuiſſime clypeum portat quàmdiu inter hoſtes eſt: Filij Iuda portantes clypeum, & haſtam, *et* *1. Par. 12. d* *cet.* Clypeus pœnitentiam ſignificat, protegit enim nos ab hoſtibus, & ne vulneremur. Haſta eſt zelus iuſtitiæ. Sed heu multi de pœnitentia faciunt, ſicut de quodam dicitur, qui clypeum vſque ad oſtium porta- B uit, & tunc in lutum proiecit. Gregorius: Incaſſum bonum agitur, ſi ante terminum vitæ deſeratur. Libenter portemus crucem pro Chriſto, qui libenter portauit pro nobis: Baiulans ſibi crucem exiuit, *et cet.* *Ioan. 19. c* De tertio: Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet no- *Act. 9. c* men meum, *et cet.* Nomen Ieſu in ore portare debemus non ſolũ in prædicatione, ſicut Paulus, ſed etiam in oratione, & in laudatione, in collocutione, in frequenti ruminatione. Bernardus: Ieſus mel in ore, *Bernar. in Cant. ſer. 15. poſt me.* melos in aure, iubilus in corde. Chariſſimi ſemper portemus aliquid boni in ore, ſicut columba de qua: Portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo. Oli- *Gen. 8. b* C ua Chriſtum, vel virum iuſtum ſignificat. Pſalmus: *Pſal. 51. a* Ego autem ſicut oliua, *et cet.* Ramus autem eſt bonum opus, vel exemplum. Folia autem virentia ſunt verba ædificatoria, verba veracia, pudica, pacifica, vtilia. Hæc columba, ideſt anima innocens debet in ore habere, ſi ad Noe, ideſt ad Chriſtum vult venire. Sed heu quidam non columbæ Dei, ſed ciconiæ ſunt diaboli, qui ſæpius ranam, quàm ramum in ore habent, vt detractores, mendaces, turpiloqui, proditores & huiuſmodi: Vidi de ore draconis, & de ore be- *Apoc. 16. a* ſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ exire tres immundos ſpiritus in modum ranarum. Libẽter nomen eius D nos portare debemus, qui nos verbo oris ſui portat: Portanſq. omnia verbo virtutis ſuæ. Porta eum in *Heb. 1. b* ore tuo, ne te euomat de ore ſuo: Incipiam te euo- *Apoc. 3. c* mere ex ore meo. De quarto: Inſuſpicabilis porta- *Eccli. 11. a* uit diadema, ſicut Paulus perſecutor, & magnalia, & multa quondam peiores nunc portant coronam: Pu- *Mat. 21. c* blicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Et quia multis doloribus, & laboribus animæ, & cordis ad portandam hanc coronam peruenitur, ideo bene dicitur: Occupatio magna creata eſt omnibus ho- *Eccli. 40. a* minibus, *et cet.* Nota quòd ibidem per præſidentem ſuper ſedem glorioſam, & vtentem hyacintho, ideſt E ſtola cæleſti, & per portãtem coronam ſignificari poteſt ſpiritus cuiuſlibet iuſti in cælo beatificati. Per humiliatum autem in terram, & cinerem, & per opertum lino crudo, ſignificari poteſt corpus, quod panno lineo inuolutum eſt in ſepulchro. In his enim occupatio, & graue iugum dum adhuc in mundo viuebat. Vt hanc coronam portemus in cælo, Chriſtus pro nobis coronam portauit in mundo: Exiuit ergo *Ioan. 19. a* Ieſus, portans coronam ſpineam. Bernardus: Deus pro te coronatus eſt ſpinis, vt tu coroneris in cælis.

F

# DOMINICA QVARTA IN QVADRAGESIMA.

## SERMO I.

S*Equebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur.* *Ioan. 6. a* Quoniam maioris læſionis eſt infirmitas mentis, quàm corporis: ideo in hodierno Euangelio exemplo multitudinis Chriſtum ſequentis per deſertum, propter ſigna ſanitatis, quæ videbant ſuper infirmos fieri corporaliter, informantur

A tur omnes ſpiritualiter infirmi ſequi Chriſtum per deſertum aſperitatis, & pœnitentiæ, vt ab eorum infirmitatibus liberentur. Sed quia prius eſt ad medicum recurrere, deinde morbum oſtendere, & poſtea curationem recipere: ideo ad hoc, vt ordinate procedamus, poſſumus dicere quòd in verbis iſtis primo notatur iuſtitiæ, & ſanctitatis inchoatio. Secundo humanæ calamitatis deſignatio. Tertio diuinæ bonitatis oſtenſio. Primo ergo notatur iuſtitiæ, & ſanctitatis inchoatio, cum dicit: *Sequebatur eum multitudo magna*. Secundo humanæ calamitatis deſignatio, cum dicit: *Super his, qui infirmabantur*. Tertio diuinæ bonitatis B oſtenſio, cum ſubinfert: *Quia videbant ſigna, quæ faciebat*. Dicit ergo: *Sequebatur eum multitudo magna*, vbi notatur iuſtitiæ, & ſanctitatis inchoatio. Ille enim eſt verus inchoator iuſtitiæ, & ſanctitatis, qui Chriſtum ſequitur. Primo in voluntaria deſpectione terrenæ cupiditatis. Secundo in vera deiectione profundæ humilitatis. Tertio in continua maceratione propriæ carnis. Primo ille eſt verus inchoator iuſtitiæ, & ſanctitatis, quæ Chriſtum ſequitur in voluntaria deſpectione terrenæ cupiditatis. Vnde dicitur: *Luc. 9. g* Dixit quidam: Sequar te quocumque ieris, & ait illi Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autẽ hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. C Quia iſte volebat ſequi Chriſtum ad hoc, vt ditaretur, & honoraretur, eum vocauit Dominus vulpem habentem terrenam foueam cupiditatis, & volucrem habentem aereum nidum vanægloriæ, & ambitionis, propter hoc non poterat ſequi Chriſtum, qui erat pauperrimus, & humillimus. Vnde de beato Matthæo: *Mat. 9. a* Vidit hominem ſedentem in teloneo Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum. Beatus Matthæus pro ſtatu ſuo ſignare poteſt hominem auarum, qui ſedet in teloneo terrenæ cupiditatis, cui dicitur a Chriſto, ſequere me, per deſpectionem D terrenæ cupiditatis, & ſurgens a puluere cupiditatis ſecutus eſt eum, per amplexum ſanctiſſimæ paupertatis in affectu, ſiue in effectu, ſecundum illud Pſalmi: *Pſal. 61. a* Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Secundo ille eſt verus inchoator iuſtitiæ, & ſanctitatis, qui ſequitur Chriſtum in vera deiectione profundæ humilitatis. *Gen. 33. c* Et de hoc poteſt intelligi verbum Iacob: Præcedat Dominus meus ante ſeruum ſuum, & ego ſequar veſtigia eius. Verbum illud Iacob, qui interpretatur ſupplantator, poteſt eſſe verbum cuiuſlibet humilis ſupplantantis diabolum per humilitatem, dicentis ad Chriſtum: Præcedat Dominus meus per voluntariam E abiectionẽ profundæ humilitatis, & ego ſeruus tuus ſequar cum timore filialis reuerentiæ veſtigia tua. Veſtigia, inquam, non ſublimitatis potentiæ, quia præſumptuoſum eſt, eo quòd ſunt adoranda non imitanda. Non profunditatis ſapiẽtiæ, quia curioſum, quoniam non ſunt ſcrutanda, & imitanda, ſed admiranda. Sed veſtigia profundæ humilitatis: quia glorioſum eſt, eo quòd in talibus eſt gloria magiſtri ſequi Deum. Tertio ille eſt verus inchoator iuſtitiæ, & ſanctitatis, qui Chriſtum ſequitur in continua maceratione propriæ carnis. Vnde dicitur: *Mat. 10. d* Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenit animam ſuam perdet eam, & qui perdiderit F animam ſuam prpPter me, inueniet eam. Ecce quòd Chriſtus rex regum ſtatuit decretum, quòd nullus poſſit eum videre niſi ſit ſecum crucifixus. Et hoc decretum eſt tantæ generalitatis, vt nullus excipiatur: tantæ autem neceſſitatis, vt cum nullo diſpenſetur. Sed quilibet tenetur accipere crucem mortificationis in ſuo corpore, vt & vita Domini Ieſu in corpore ſuo per imitationem manifeſtetur, alioquin non eſt dignus ſequi eum ad coronam, ſine vexillo victoriæ. Vnde poſt exhortationem ſubiungit retributionem, cum dicit: Qui inuenit animam ſuam perdet eam: item qui patibulum mortificationis crucis negligit aſſumere, expectet ſuæ exterminationis iudicium. Sed qui perdit animam ſuam propter me, inueniet eam, ideſt qui carnem ſuam crucifigit cum vitijs, & concupiſcentijs, aſſumendo vexillum victoriæ, expectet ſuæ coronationis præmium. Sequitur: *Super his, qui infirmabantur*. *Pſal. 5. d* Vbi ſecundo notatur humanæ calamitatis deſignatio, & quia tunc temporis infirmitas exterior erat ſignum infirmitatis interioris. Nam nullum curauit Dominus corporaliter quem primo non curaret ſpiritualiter. Ideo nomine infirmitatis corporalis poteſt deſignari calamitas, ſiue infirmitas ſpiritualis propter aliquam conuenientiam, quam habent ad inuicem. Nam ſicut inæqualitas humorum eſt cauſa infirmitatis corporalis, ſic infirmitas ſpiritualis cauſatur ex inæqualitate, ſiue inordinatione quattuor affectionum, quæ ſunt hæ, ſpes, timor, gaudium, & amor. Primo propter puſillanimitatem timoris, & diffidentiæ cauſatur infirmitas inconſtantiæ, & deſperationis. Secundo propter gaudium, & exultationem afflictionis alienæ cauſatur infirmitas inuidiæ, & rancoris. Tertio propter inordinatum amorem proſperitatis mundanæ cauſatur infirmitas auaritiæ, & cumulationis. Primo propter puſillanimitatem timoris, & diffidentiæ, cauſatur infirmitas inconſtantiæ, & deſperationis. Vnde dicitur: *Deut. 3. a* Videbit quòd infirmata ſit manus, clauſi quoque defecerunt, reſiduiq. conſumpti ſunt. Infirmata eſt manus virtuoſæ operationis. Defecerunt clauſi in carcere diffidentiæ, & deſperationis. Reſiduiq. conſumpti ſunt per ardentiſſimam diffuſionem ſuper quæque genera peccatorum. Sed de illis, qui liberantur ab illa infirmitate poteſt exponi illud: *1. Reg. 2. a* Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore. Arcus fortium, ideſt dæmonum: multum enim nituntur dæmones cũ iſto arcu diffidentię, & deſperationis ſagittare timidos, & imbecilles homines: ſed quando ſuperatus eſt, arcus ille per conſiderationem diuinæ benignitatis, quæ parcit faciliter, infirmi reſumunt vires, & accinguntur robore confidentię. Et de hoc dicitur in Pſalmo: *Pſal. 26. a* Ipſi infirmati ſunt, per timorem diffidentiæ, & deſperationis, & ceciderũt in profundum, æternæ damnationis. Sed ſi conſiſtant aduerſus me confidentem in Domino, caſtra diabolicæ nequitiæ, incutiendo timorem deſperationis, non timebit cor meum, per puſillanimitatem timoris. Secundo propter gaudium & exultationem afflictionis alienę cauſatur infirmitas inuidiæ, & rancoris. Vnde dicitur: *2. Par. 16. d* Ægrotauit Aza dolore pedum vehementiſſimo, & nec in infirmitate ſua requiſiuit Dominum. Aza ratione ſuæ infirmitatis, ſcilicet podagræ poteſt ſignare hominem inuidum. Nam ſicut podagricus perdit greſſum corporalem, ſic inuidus profectum ſpiritualem, nec in infirmitate ſua inuidus requiſiuit Dominum propter difformitatem ſuæ voluntatis ad diuinam. De hoc ſimiliter dicitur: *2. Para. 21 d* Tu autem ægrotabis languore peſſimo vteri, donec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos dies, & ſequitur: Mortuus eſt in infirmitate peſſima. Inuidus tanto languore liuoris tabeſcit, & torquetur, quando bonus proficit, vt videantur ſibi viſcera de ſuo ventre exire, & ſic moritur in infirmitate peſſima propter putridam putrefactionem totius hominis. Nam putredo oſſium eſt inuidia. Tertio propter inordinatum amorem proſperitatis mundanæ cauſatur infirmitas auaritiæ, & cumulationis. Vnde dicitur: *Deut. 29. c* Peregrini qui de longe venerint videntes plagas terræ illius, & infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus, ſulphure, & ſalis ardore comburens, ita vt vltra non ſeratur, nec virens quippiam germinet. Et quia auaritia reddit hominẽ callidum, & aſtutum in corde, fœdum in conuerſatione, aridũ in opere, quia ſine compaſſione: ideo dicitur auarus affligi ſulphure fœtoris, ardore ſolis ad modum terræ aridæ, & combuſtæ, ita vt non ſeratur: quia nec prius ſaturatur cor auari auro, quàm ſaturetur vento, & ideo non ſiſtit appetitus, quia numquam inuenit ſoliditatem,



A ſoliditatem, ſed potius vanitatem in proſperitate mundana. *Heb. 13. c* Videntes autem peregrini, qui non habent hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirunt propter plagas quibus afflictus eſt auarus, exemplo didicerunt omnia deſpicere, propter amorem Dei. Vltimo notatur diuinæ bonitatis oſtenſio, cum dicit: *Quia videbant ſigna, quæ faciebat*. Licet oſtendatur diuina bonitas per multa ſigna, tamen quantum ad præſens, poteſt dici quòd oſtenditur diuina bonitas per tria ſigna, quæ fecit ſuper triplicem prædictam proprietatem. Nam primo fecit ſignum pietatis, & clementiæ in gratuita condonatione omnimodæ iniquitatis, contra infirmitatem diffidentiæ. B Secundo fecit ſignum charitatis, & beneuolentiæ, in charitatiua exhibitione propriæ carnis contra infirmitatem rancoris & inuidiæ. Tertio, fecit ſignum paupertatis, & inopiæ in voluntaria deſpectione mundanæ proſperitatis contra infirmitatem auaritiæ. Primo fecit ſignum pietatis, & clementiæ in gratuita condonatione omnimodæ iniquitatis. *Pſal. 85. d* Vnde dicitur in pſalmo: Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me. Fac mecum ſignum pietatis, & miſericordiæ in bonum ſalutis æternæ, vt C videant dæmones, qui oderunt me propter rigorem ſeueritatis iuſtitiæ, & confundantur propter conſtantiam ſeueritatis humanæ. Quoniam tu Domine adiuuiſti me, propter collationem corroborantis gratiæ, & conſolatus es me, per condonationem iniquitatis. *Ier. 50. a* De hoc ſimiliter poteſt dici, & exponi illud: Annunciate in gentibus, & auditum facite, leuate ſignum, prædicate, & nolite celare. Prædicatores, & maxime prælati ſacerdotes debent prædicare verbo, & leuare facto illud ſignum diuinæ miſericordiæ in condonatione delictorum, nec debent illud celare vendendo miſericordiam Dei liberalem pretio tempora- D li, vt ſic peccatores experti dulcedinem diuinæ miſericordiæ annunciẽt, & auditum faciant timentibus rigorem ſeueritatis iuſtitiæ, quoniam pronior eſt Deus ad miſerandum, quàm ad condemnandum. Vnde *Aug. de ſpir. & ani. ca. 6. to. 3.* Auguſtinus in libro de anima: Tardius ſiquidem videtur Deo dare peccatori gratiam, quàm ipſi peccatori qui accipit, ſic feſtinat abſoluere a tormento, quòd quaſi plus ipſum cruciet cõpaſſio miſeri, quàm ipſum miſerum compaſſio ſui. Secundo fecit ſignum charitatis, & beneuolentiæ in charitatiua exhibitione propriæ carnis contra infirmitatem rancoris, & inuidiæ. *Cant. 8. b* Vnde dicitur: Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, E quia fortis eſt, vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Licet magnum ſignum charitatis, & beneuolentiæ fecerit Filius Dei in incarnatione, dando ſe in fratrem humani generis, naturam aſſumendo, in paſſione dando ſe in pretium noſtræ redemptionis, pœnam ſuſtinendo. Maius tamen ſignum dilectionis fuit cum proprium corpus tradidit homini in cibum refectionis. Nam in alijs duobus modis, eſt quædam ſeparatio, & diuiſio inter dantem, & datum: ſed iſto modo eſt mirabilis, & interminabilis vnio inter cibatum, & cibum, & conuerſio vnius, & alterius. F Et ratione iſtius vnionis dicit Chriſtus animæ guſtanti dulcedinem ſacramenti Euchariſtiæ, & amoris: Pone me, vt ſignaculum charitatis, & beneuolentiæ, ſuper cor tuum, quod eſt in medio homine, propter vnionem internam cibi, & cibantis, & conuerſionem cibati ad cibum. Vt ſignaculum ſuper brachiũ tuum, propter oſtenſionem virtuoſæ operationis. Nam probatio dilectionis exhibitio eſt operis: quia fortis eſt, vt mors dilectio, quæ me duxit ad anguſtias tribulationis temporalis toto tempore vitæ meæ, & ad vltimum traxit me ad crudele ſupplicium crucis. Dura ſicut infernus æmulatio mei patris æterni, qui poſtquam filium habuit incarnatũ, ad mortem duci permiſit, & reſuſcitatum pro vobis oſtendit, cum gloria & honore coronatum, & ſublimatum ſuper cælos, eum conſtituit vobis adiutorem viatorum, & beatificatorum comprehenſorum. Tertio fecit ſignum paupertatis & inopiæ, in voluntaria deſpectione mundanæ proſperitatis contra infirmitatem auaritiæ. Vnde dicitur: *Luc. 2. b* Et hoc vobis ſignum erit: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Hoc erit vobis ſignum paupertatis, & penuriæ, quia inuenietis filium Dei, inquantum hominem pannis inuolutum neceſſitatis, & indigentiæ, non purpura ſuperfluitatis, & iactantiæ, & poſitum in humili, & aſpero præſepio voluntariæ abiectionis, non in lecto B ſerico pompoſæ oſtentationis. Vnde Bernardus: Tempus elegit quod moleſtius eſt paruulo, & pauperis matris filio, quæ vix habebat pannos ad inuoluendũ: ſed in præſepio reclinauit. Et cum tanta eſſet neceſſitas nullam audio pellium fieri mentionem, non tale eſt iudicium mundi, aut mundus fallitur, aut ille errat: ſed diuinam falli ſapientiam eſt impoſſibile: ergo mundus errat. Rogemus, *et cetera*.

## SERMO II.

C *Eſt puer vnus hic, quinque panes ordeaceos habens*. *Ioan. 6. a* Puer eſt Chriſtus a quo quinque panes habemus videlicet naturæ, doctrinæ, pœnitentiæ, Euchariſtiæ, gratiæ. Primus eſt corporalis, ſecundus doctrinalis, tertius pœnitentialis, quartus ſacramentalis, quintus ſpiritualis. De primo: *Gen. 3. d* In ſudore vultus tui, *et cet.* Pro pane iſto parum ſudant vſurarij, & alij, qui in adulationibus, & detractionibus, & in periurijs, immo & in emptionibus, & venditionibus, & multis mendacijs victum acquirunt: *Prou. 20. c* Suauis eſt homini panis mendacij, & poſtea implebitur os eius calculo, ideſt lapide ignito. Dicit Gloſſa: De iſto pane colliguntur fragmẽta elee- D moſynarum: *Iſa. 58. b* Frange eſurienti panem, *et cet.* Frange eſurienti in mundo: *Tob. 4. c* Panem tuum cum eſurientibus, & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege, *et cet.* *Neem. 8. c* Item in purgatorio: Mittite partes eis, qui non præparauerunt ſibi. Item in cælo, eſuriunt enim ſancti eleemoſynam, & alia bona opera noſtra, & maxime Chriſtus: *Mat. 25. d* Eſuriui, *et cet.* Gregorius: Ad retribuendum pigri cur eſtis? quando hoc, quod iacenti in terra porrigitis, ſedenti in cælo datis. Sic ergo habes quaſi trium ſportarum fragmenta. De ſecundo: *Eccli. 15. a* Cibauit illum pane vitæ, & intellectus, *et cet.* Sicut paterfamilias eijcit de familia eum, qui otioſe come- E dit panem ſuum, ſic Chriſtus. Otioſe autem comedit, qui doctrinam intelligit, & non facit. Econtrario: *Prou. 31. d* Panem otioſa non comedit. Vide quo modo ordeaceus eſt, quoniam non otioſe, ſed cum labore comedendus eſt. Iſtius panis, quaſi trium cophinorum fragmenta, ſunt credendorum, fugiendorum, agendorum documenta, olim dictum: *Tren. 4. a* Paruuli eius petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Modo frangitur, & paruis, & magnis pluſquam velint. De tertio. *Pſal. 79. b* Pſalmiſta: Cibabit nos pane, *et cet.* Sed quia pœnitentia, & auſtera vita ſæpe corrumpitur per fermentum variæ laudis, vel admixtæ carnalitatis, vel F ſeruilis timoris, quando ſolum timore gehennæ fit pœnitentia. *Deut. 16. a* Ideo dicitur: Septem diebus comedes abſque fermento panem. Septem diebus, ideſt ſemper, omne tempus ſeptem diebus ſoluitur. De iſto pane fiunt fragmenta contritionis, confeſſionis, ſatisfactionis, quaſi trium ſportarum: plurima autem fragmenta ſunt, quæ pœnitentibus, & lugentibus pauci frangere ſciunt, vel nolunt: *Ier. 16. b* Non frangent inter eos lugenti panem. De quarto: *1. Cor. 11. f* Quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Timendum valde eſt hoc verbum. Vide ergo quo modo ordeaceus eſt, qui non ſolum in dolore de memoria paſſionis Chriſti, ſed etiam in dolore de peccatis, quaſi agnus cum

cum lactucis agreſtibus comedendus eſt. Qui hunc non indigne vult comedere, debet ſicut ouicula manſuete, & innocenter viuere. Vnde de ouicula pauperis, quam diues illi abſtulit, dicitur quòd erat de pane illius comedens, & de calice bibens. [2.Reg.12.a] Pauper eſt Chriſtus, qui paucas oues habet. Diues eſt diabolus, qui habet oues, & boues, & inſuper pecora mundi. Iſtius panis fragmenta ſunt tres partes hoſtiæ fractæ: Panis, quem frangimus, *et cet.* [1.Cor.10.d] Hunc Deus etiam benedixit, & fregit. Quid autem ſignificent iſtæ tres partes, dicitur in Sentẽtijs. [In 4. lib. Sent. d. 12. art. 3. q. 2.] Poſſumus etiam dicere quòd tres partes fiunt, quia hoc ſacrificium offertur ad honorem ſanctorum in cælo, ad ſalutem viuorum in mundo. Vnde ſacerdos dicit: Vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem, *et cet.* Item ad ſolutionem purgandorum in purgatorio. Vnde in Canone commemoratio fit nominatim, & ſanctorum viuorum, & mortuorum. De quinto Pſalmiſta: Panis cor hominis confirmet. [Pſal.103.b] Iſtum panem timoris ſolicitudo facit ordeaceum. Vnde Bernardus: Time cum acceſſerit gratia, time cum abierit, time cum denuo redierit. Sed quis vidit vmquam dormientem comedere? Sic tu niſi de ſomno peccatorum ſurrexeris, pane gratiæ non paſceris. Vnde bene dicitur quòd Angelus Heliam bis excitauit, vt panem comederet, in cuius fortitudine quadraginta dies ambulauit. [3.Reg.19.a] Excitatur homo bis, primo per timorem gehennæ, ſecundo per amorem gloriæ. Iſtius panis fragmenta ſunt varia gratiarum dona: Cognouerunt eum in fractione panis: [Luc. 24. e] quæ fragmenta in duodecim cophinos diuiduntur, vt pleni ſint. Opera enim noſtra ſine gratia non ſunt plena: Non inuenio opera tua plena. [Apoc.3. a] Habet puer iſte etiam duos piſces, primus eſt lætitia de propria conſcientia, quia de dolore gaudet, hic piſcis natat in aqua amara, quia in ipſo dolore. Auguſtinus: Doleat pœnitens, & de dolore gaudeat: Viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum. [Ioan. 21.b] Secundus piſcis eſt diuina miſericordia: Venit Ieſus & accepit panem, & dabat eis, & piſcem ſimiliter. [Ioan. 21.b] Hic piſcis aquæ dulcis eſt, quia miſericordiæ ſuauiſſimæ. Pſalmiſta: Quia magna multitudo dulcedinis tuæ Domine. [Pſal. 30. c]

## SERMO III.

[Ioan. 6. a] *Eſt puer vnus hic habens quinque panes ordeaceos.* Ordeacei panes ſignificare poſſunt auſteras refectiones, quas habet anima fidelis de doctrina legali, vel de pœnitentia medicinali, vel de diſciplina, ſiue continentia ſenſuali, vel de pœna dominicali. Iſta licet ordeaceam habent, reficiunt tamen animam, & confortant. De primo: Non in ſolo pane, *et cet.* [Deut. 8. a] Legitur quòd Abacuch quos panes intriuerat in alueolo, portauit Danieli ductu angelico in lacum ſeptem leonum. [Dan. 14. f] Intritio eſt ſcripturarum impreſſio in cordis alueolo. Malum eſt ſignum, cum infirmus abominatur panem: Abominabilis fit panis ei in vita ſua. [Iob 33. c] Lacus eſt mundus. Leones ſunt dæmones: Tamquam leo rugiens, *et cetera.* [1.Pet.5. c] Septem leones ſunt ſeptem dæmones vitiorum capitalium principes. Quicumque ergo in mundo eſt, ipſe in lacu leonum eſt, & panis doctrinæ ipſi neceſſarius eſt. Sed nota quòd quinque panes, ſunt quinque libri legales. Vel panes doctrinæ ſunt quinque verba, quibus tota Scriptura comprehenditur, quæ ſunt hæc: Crede, fuge, age, time, appete. [Quinque verba, quibus tota ſcriptura comprehẽditur.] Crede in Deum. Fuge vitium. Age bonum. Time ſupplicitũ. Appete præmium: Volo quinque verba ſenſu meo loqui. [1.Cor.14.d] De ſecundo Pſalmiſta: Fuerunt mihi lacrymæ meæ, *et cet.* [Pſal. 41. a] Auguſtinus: Da mihi Domine in hoc exilio panem doloris, & lacrymarum, quem eſurio ſuper omnia in copiam deliciarum. Hic eſt panis, qui per coruum miniſtratur Eliæ in torrente Carith. [3.Reg.17.a] Torrens contritionem ſignificat: Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem, & noctem, *et cet.* [Tren. 2. f] Per coruum autem nigrum, & clamoſum ſignificatur confeſſio peccatorum. Hic coruus ſignificatus eſt: Aperta oris feneſtra, mittitur de arca conſcientiæ. [Gen. 8. a] Hic miniſtrat tibi panem refectionis pœnitentiæ ſedenti in torrente ploratus. Plora ergo peccator. Auguſtinus: Qui ſe cognoſcunt, ſicut ſemper peccant, ita ſemper plorant in tota vita ſua, quæ eſt tentatio ſuper terram plorans totam vitam ſuam. Sed nota quòd hi quinque panes, ſunt quinque pœnitentiæ partes, videlicet contritio, confeſſio, oratio, ieiunium, eleemoſyna. [Pœnitentiæ partes.] De tertio ſignificatum eſt, vbi legitur quòd panis ſubcinericius ex ordeo apparuit, qui caſtra Madian ſubuertere videbatur. [Iudic. 7. d] Caſtra Madian ſunt ſenſus noſtri, qui vtique Madianitæ ſunt, quod interpretatur contradicentes. Contradicit enim frequenter ſpiritui. Pſalmiſta: Vidi iniquitatem & cõtradictionem in ciuitate. [Pſal. 54. b] Vnde in caſtris inimicorum habitant animæ noſtræ in ſenſibus conſtitutæ. Panis autem ex ordeo eſt rigor diſciplinæ, & continentiæ ſenſus contradicentes, cohibentes: Panis & diſciplina, & opus ſeruo, ideſt ſenſui & corpori. [Eccli.33. c] Ab illicitis optime prohibemus ſi notemus efficaciter, quòd hi quinque panes, ſunt quinque ſenſuum diſciplinæ, ſiue continentiæ. Auguſtinus: Continendus eſt animi appetitus a voluptate oculorum, a voluptate olfaciendi, tangendi, guſtandi. Tali continentia anima paſcitur, & tamquam panibus confortatur. De quarto dicitur mulieri colligenti duo ligna: Fac de ipſa farinula ſubcinericium panem paruulum. [3.Reg.17.b] Duo ligna crucem ſignificant: Mittamus lignum in panem eius. [Ier. 11. d] Farina eſt granum contritum. Granum eſt Chriſtus: Niſi granum frumenti, *et cet.* [Ioan.12. d] qui contritus eſt per paſſionem: Attritus eſt propter ſcelera noſtra. [Iſa. 53. b] Mulier ergo, ideſt Eccleſia, vel anima colligens per fidem, & deuotionem duo ligna crucis, de farinula panem facit, quando de paſſionibus Chriſti ſe reficit. Panis iſte paruulus eſt, quia Chriſtus per paſſionem minutus eſt, & humiliatus eſt: Humiliauit ſemetipſum, *et cet.* [Philip.2. a] Subcinericius quoque eſt, quia ſub cinere amaræ paſſionis Chriſti memoriæ coctus eſt. Pſalmus: Cinerem tamquam panem manducabam, *et cet.* [Pſal.101.b] Sed nota quòd hi quinque panes, quinque vulnera Chriſti ſunt, qui multum reficiunt animam deuotam, qui nõ ſolum ſunt ordeacei per compaſſionem, ſed etiam oleati, immo melliti per deuotionem. Bernardus: Foderint manus eius, & pedes, latusq. lancea perforauerunt: & per has rimas licet mihi ſurgere mel de petra, oleumq. de ſaxo duriſſimo: [Ber. in Cãt. ſer. 61. ante med.] de omnibus his quinarijs panum intelligi poteſt quod Dauid Achimelech dixit: Si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi. [1.Reg.21.a] Item colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta.

## SERMO IV.

[Ioan. 6. b] *Hic eſt vere propheta.* Iſti quinque panum miraculo illuminati veritatem cognoſcũt, & vere dicunt: Hic eſt vere, *et cet.* Attende quòd dicunt: vere. Et iuxta hoc attende quòd ſacra Scriptura ſub atteſtatione veritatis nobis inſinuat humanam fragilitatem, angelicam charitatem, diuinam auctoritatem, diabolicam importunitatem. De primo: Vere fenum eſt populus: exſiccatum eſt fenum, & cecidit flos, ideſt pulchritudo carnis vel gloria mundana. [Iſa. 40. b] O quàm miſerabile fenum eſt: hodie homo per tranſitoriam vitam vireſcit, cras per mortem, vel adhuc hodie, ſicut fenum areſcet: Si fenum agri, quod hodie eſt, *et cetera.* [Mat. 6. d] Vbi ergo eſt flos impiorum, *et cetera,* quando fenum aridum mittetur in clibanum ignis. Auguſtinus: Florent in ſæculo, areſcent in iudicio, & poſt ariditatem in ignem mittentur. O Domine Deus ſi fenum eſt homo, ergo cibus vermium, & iumentorum eſt? Certe ſic. Sicut ergo



ergo cibus eſt vermium corporaliter, ita cibus eſt dæmonum ſpiritualiter: Ecce Beemoth, quem feci tecum, fenum quaſi bos comedet. [Iob. 4. b] Beemoth eſt diabolus. Interpretatur deinde animal, vel beſtia. Pſalmiſta: Ne tradas beſtijs, *& cet.* [Pſal.73. d] De ſecundo: Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, *et cet.* [Act. 12. b] Herodes eſt diabolus, de cuius manu nos eripuit angelus. Pſalmiſta: Imittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. [Pſal. 33. b] Vere eripuit nos in morte, dum per angelum de carcere huius mundi educimur: Factum eſt, vt moreretur mendicus, *et cet.* [Luc. 16. e] Tunc per angelum primam, & ſecundam cuſtodiam dæmonum euadimus. Primam, quam habent contra viuentes, ſecundam, quam habent contra decedentes. Pſalmiſta: Educ de cuſtodia animam meã. [Pſal.141.b] His tranſitis, porta ferrea, ideſt aditus cæli, vltro aperitur. Ferrea dicitur propter firmitatem. Pſalmus: Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, *et cet.* [Pſal.147.a] Auguſtinus: Ieruſalem ſecura eſto, ſecura lauda, ſine fine lauda. Fortiter clauſæ ſunt portæ tuæ, non exit amicus, nec intrat inimicus. De tertio dicitur hic: *Hic eſt uere propheta.* Mirabantur de poteſtate, quam oſtendit in quinque panibus, & non mirantur homines de poteſtate, quam oſtendit in omnibus panibus mundi, quos de paucis granis multiplicat. [Idẽ in ſer. præcedenti.] Poſſunt autem quinque panes ordeacei, quinque partes pœnitentiæ ſignificare, quæ ſunt contritio, confeſſio, ieiunium, eleemoſyna, oratio: quibus noſtræ animæ optime confortantur. Vnde dicitur, quòd Angelus oſtendit Eliæ ſubcinericium panem, & vas aquæ, de quo comedens, & bibens ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Oreb. [3.Reg.19.a] Panis ſubcinericius pœnitentiam ſignificat. Pœnitentes enim in cinere humiliari ſolebant: Olim in cilicio, & cinere, *et cet.* [Mat. 11. c] Et quia pœnitentia cum lacrymis fieri debet: ideo vas aquæ ad caput oſtenditur: Quis dabit capiti meo aquam, *et cet.* [Ier. 9. a] Quadraginta ſunt quater decem. Quadraginta ergo dies ſignificant totum tempus, quo ſecundum legem quattuor Euangeliorum, & decem mandatorum bene viuendo ambulare debemus vſque ad montem cæleſtis patriæ, vt ad menſam gloriæ veniamus. Oreb menſa interpretatur: Ego diſpono vobis, *et cet.* [Luc. 22. c] De quarto: Vere enim Domine fecerunt deſertas Aſsyriorum reges terras, & deos eorum dederunt igni. [Iſa. 37. d] Reges Aſsyriorum, ideſt iniquorum dæmones ſunt: Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. [Iob 41. d] Terræ ſignificant Eccleſias Chriſti, eo quòd plures ſunt particulares, licet vna vniuerſalis ſit. Sed qui ſunt dij. Deus bonus, potens eſt, & ſapiens. Boni ergo potentes, & ſapientes per deos ſignificantur. Pſalmus: Ego dixi dij eſtis, *et cet.* [Pſal.81. d] Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. [Exod. 7. a] Diabolus quoque ait: Eritis ſicut dij, *et cet.* [Gen. 3. d] Bernardus: O maleuole, o maligne, ad quem erit ſimilitudo huius ſcientiæ. Sunt certe ſicut dij, iuſti, recti & veraces. Tales deos ſæpe dæmones igne iniquitatis incendunt. Legitur quòd Chaldæi pro Deo ignem colentes, per hoc Deum potentiſſimum probauerunt, quòd alios omnes deos conſumeret. Vnde alia gens idolum ſuum aqua impleuit, & foramina parua in ipſo faciens cera obſtruxit, ipſumq. miſſum in ignem, liquefacta cera, aqua erumpens ignem extinxit. Sic nos aqua gratiæ, & contritionis impleti, extinguere debemus ignem vitiorum per foramina lacrymantium oculorum. Gregorius: Extinguamus fletibus, & dignis pœnitentiæ fructibus culpas, operum, indulta ne pereant.



# DOMINICA IN PASSIONE

## SERMO I.

*Si ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti?* & cetera. [Heb. 9. d] Commendatur in hac epiſtola pretioſus ſanguis Chriſti, per quem ipſe Pontifex noſter Chriſtus cælum, tamquam ſancta ſanctorum intrauit, & mundum inquinatum ſanctificauit. Conſiderandum eſt ergo, quòd Pontifex noſter per ſanguinem ſuum operatus eſt mundi purgationem, inferni ſpoliationem, cæli reſerationem, iudicij euaſionem. De primo dicitur hic: *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum:* & omnia pene in ſanguine mundantur, ſecundũ legem miſer mundus leproſus fuit: vnde per ſanguinem mundari debuit. Sacerdos autem ipſum mundans, eſt Chriſtus, de quo: Aſperget domum ſepties, purificabitq. eam tam in ſanguine paſſeris, quàm in aquis viuentibus. [Leuit.14.g] Domus leproſa mundum, paſſer carnem Chriſti, aquæ viuentes baptiſmum, ſeptem aſperſiones, ſeptem ſanguinis Chriſti effuſiones ſignificare poſſunt. Prima effuſio fuit in circumciſione. [Septem effuſiones ſanguinis Chriſti.] [Luc. 2. e] Secunda in oratione: Factus eſt ſudor eius, *et cet.* [Luc.22. e] Tertia in flagellatione. Quarta in coronatione. Quinta in manuum perforatione. Sexta in pedum confixione. Septima in lateris apertione. [Ioan. 19. f] Ecce quando Chriſtus in terra, & in aere commiſſa immunda mundaret. Vnde Ioannes Chryſoſtomus: Non ſub tecto, ſed ſub cælo Chriſtus immolabatur, vt vniuerſus aer in excelſo immolatæ ouis odore a tetro mundetur. Sed terra ſimile beneficium ſentiebat, decurſi de latere ſanguinis ſtillatione mundata. De ſecundo: Tu quoque in ſanguine teſtamenti emiſiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. [Zach. 9. c] Gloſſa: Nulla refrigerans miſericordia, quam diues petijt, cum dicit: Mitte Lazarum, *et cet.* [Luc. 16. f] Quære ergo miſericordiam Dei non in inferno, ſed dum viuis in mundo. Ibi enim aquam negat, hic ſanguinem dat, ibi miſericordiæ guttam aquæ negauit, hic plurimas guttas, immo fluuios ſanguinis miniſtrat. Bernardus: Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum, *et cet.* [Ber. in Cãt. ſer. 22. circa med.] [Pſal. 129.a] Quia non guttam, ſed vndam ſanguinis largitur, quæ per quinque partes corporis emanauit. Hoc ergo ſanguine liberauit infernum, ſicut legitur, quòd ſtruthio, cuius pullum Salomon vitro incluſerat, tulit vermiculum, cuius ſanguine vitrum liniuit, & fractum eſt, & pullus liberatus eſt: ſic Chriſtus electos ſuos liberauit fracto inferno per ſanguinem vermiculi carnis ſuæ. Pſalmus: Ego vermis, & non homo, *et cet.* [Pſal.21. a] Infernus enim Chriſto frangenti fuit quaſi vitreus, ſed damnato eſt quaſi ferreus. De tertio: Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem, foris autem, *et cet.* [Apoc.22. a] Lignum vitæ eſt Chriſtus, per quem ſpiritualiter, & æternaliter animæ noſtræ viuunt, quæ mortuæ erant in peccatis. Vnde Chriſtus bene ait in Pſalmo: Similis factus ſum pelicano. [Pſal.101.b] Pelicanus enim, ſicut Gloſſa dicit, eſt pullos ſuos triduo lugens, & tunc roſtro ſanguinem ſuum fundens, & reuiuiſcunt: ita Chriſtus ſanguine ſuo nos reuiuificauit. Sed ecce ad ligna vitæ per portas ciuitatis ſupernæ nullus poteſt intrare, niſi lotus Chriſti ſanguine, ſolus enim ſanguis agni aperire portas potuit. Bernardus: Sanguis Chriſti eſt clauis paradiſi. Vnde clauiger noſter primus per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta. De quarto: Commendat ſuam charitatem Deus in nobis, *et cet.* [Rom. 5. b] vſque iuſtificati

cati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum.
Sicut electi per ſanguinem Chriſti iram iudicij eua-
dunt, ita reprobi per ſanguinem habebunt grauius
Iob 16. d iudicium, quia ſanguis Chriſti clamat contra eos: Ter
ra ne operias ſanguinem meum, ne inueniat in te lo-
cus latendi clamor meus. Tunc quidem contra, ſed
Heb. 12. f nunc pro peccatoribus ſanguis Chriſti clamat: Acceſ-
ſiſtis ad ſanguinem aſperſionis melius loquentem
quàm Abel. Gregorius: Sanguis Abel mortem fra-
tricidæ petijt: ſanguis Domini vitam perſecutoribus
impetrauit. Quia ergo ſanguis Chriſti in iudicio ſal-
Apoc. 19. c uat electos, & cōfundit reprobos: ideo dicitur quòd
Ioannes vidit veſtitum veſte aſperſa ſanguine, haben-
tem diademata multa in capite, & gladium in vtraque
parte acutum in ore. Diademata ad coronādum ele-
ctos, gladium ad refellēdum reprobos. Caput Chri-
ſti diuinitas eſt. In capite ergo diademata habuit, quia
in contemplatione, & fruitione deitatis, honor, co-
ronaq. beatorum erit.

## SERMO II.

Ioan. 8. f *SI veritatem dico vobis, quare non creditis mi-
hi?* Adhuc Dominus iam multis hæc verba
dicere poteſt, quorum opera oſtendunt eos
Iac. 2. d debiliter credere: Fides ſine operibus mor
tua eſt. Cum ergo homines ſoleant credere iuramen-
to, ſigillo, promiſſo, teſtimonio: quare vos non cre-
ditis iuramento paternæ veritatis? ſigillo maternæ
virginitatis? promiſſo meæ felicitatis? teſtimonio pro-
Heb. 6. d pheticæ auctoritatis? De primo: Omnis controuer-
ſiæ finis ad confirmationem eſt iuramentum. Gloſſa:
Si homini, qui mendax eſt, creditur per iuramentum,
multo magis credendum eſt Deo, qui mentiri non
poteſt. Iurauit autem tria credenda. Credendum eſt
Baruc. 2. g enim Deum eſſe bonorum remuneratorem: Reuoca-
bo eos ad terram, quam iuraui patribus eorum. Item
Pſal. 94. b impiorum vltorem. Pſalmus: Ipſi vero non cogno-
uerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, *et cetera.*
Iurauit Dominus in anima ſua, deteſtor ego ſuper-
biam Iacob, *et cet.* Item pœnitentium reconciliato-
Pſal. 109. a rem. Pſalmus: Iurauit Dominus, & non pœnitebit
eum, *et cet.* Sacerdotis enim eſt reconciliare pœniten-
tes Deo. Magnus ſacerdos eſt Chriſtus, & magnas
conſueuit dare indulgentias, maxime illis, qui cru-
cem pœnitentię portare accipiunt ad terram ſanctam,
Mar. 10. d ad Ieruſalem cæleſtem, alioqui dicitur: Qui non ac-
cipit crucem, *et cet.* Bene ait, ſecundū ordinem Mel-
chiſedech, qui protulit panem, & vinum, vt dicitur:
Gen. 14. d Ita & Chriſtus in ſacramento. De ſecundo: Hunc
Ioan. 6. c præſignauit Deus, *et cet.* vſque hoc eſt opus Dei, vt
credatis in eum, quem miſit ille. Ecce filius a patre ſi-
Apoc. 5. a gnatus eſt: ſignatus eſt autem ſeptē ſigillis. Si vno ſi-
gillo creditur, quanto plus ſeptem? Sed de primo tan-
tū ad præſens dicēdum eſt. Primum ergo ſigillum vir-
ginitatem Mariæ poteſt ſignificare. Origenes: Mater
filij facta eſt, & caſtitatis ſigillum non amiſit. De hoc
Apoc. 6. a ſigillo: Exiuit vincens, vt vinceret in equo albo, ideſt
Filius Dei in carne munda. Sub hoc ſigillo per Chri-
ſtum, & per Euangelium ſuum, tamquam per litte-
ras regales ſententia mortis æternæ reuocata eſt. Vn-
de bene de litteris, quas miſit Aſſuerus rex ad reuo-
candam ſententiam mortis, datam contra Iudæos di-
Eſther. 8. b citur: Conſuetudo in epiſtolis, quæ ex regis nomine
mittebantur, & illius annulo ſignatæ erant, nemo au-
debat contradicere. Digitus Dei, Spiritus ſanctus di-
citur. Annulus ergo huius digiti donum eſt Spiritus
ſancti, quo impreſſa eſt virginitas Mariæ. Sicut enim
regale ſigillum ſine rege, ita virginitas haberi non po-
Sap. 8. d teſt ſine Dei dono: Sciui quòd aliter non poſſem eſſe
Iſa. 65. a continens, niſi Deus det. De tertio: Expandi manus
meas tota die ad populum incredulum, *et cet.* Incre-
dulo expanditur manus, vt manuali promiſſione cre-
dulus fiat, ſicut Chriſtus in cruce manus. Sed quid

A promiſit, niſi veniam, gratiam, & gloriam? Gloſſa:
Expandi manus meas in cruce orans: Pater ignoſce Luc. 23. e
illis, vel vt eos reciperem, & collocarem in ſinu meo,
vel beneficia hominum largiendo. De promiſſione
gloriæ dicitur: Beatus vir qui ſuffert tētationem. Sed Iac. 1. b
heu timendum eſt, quòd non ſolum pijs, & gratis
coronā, ſed etiam impijs a ſua paſſione ingratis pro-
miſerit gehennam. Vnde bene vtraſque manus ex-
pandit in cruce, quaſi dextera gloriam, ſiniſtra vero
pœnam promittens. Vnde etiam ad dexteram pen-
dens ſaluatur, ad ſiniſtram pendens damnatur. Olim
Deus iſta per chirographum Scripturæ promiſit, ſed
B mundus non credidit: & ideo per fideliſſimum fide-
iuſſorem filium ſuum promiſſiones ſuas firmauit, im-
mo perſoluit. Auguſtinus: Quia incredibile videba-
tur hominibus quod promittebat Dominus non ſo-
lum Scripturam fecit, vt crederent, ſed etiam fidei
ſuæ poſuit mediatorem, non quemlibet principem,
aut quemlibet Angelum, aut Archangelum, ſed vni-
cum Filium. De quarto: Si crederetis Moyſi, crede- Ioan. 5. f
retis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit: Hic ve- Ioan. 1. a
nit in teſtimonium, *et cet.* vſque crederent per illum.
Vere magna magnorum, & multa multorum teſti-
monia habuit Chriſtus. Crede ergo ipſis. Ambro-
C ſius: Vides paſtores Angelo crediddiſſe, & tu Patri, &
Spiritui ſancto crede: Angelis, prophetis, Apoſtolis
& tu crede. Habet certe Dominus teſtimonium non
ſolum magnarum perſonarum, ſed etiam magnorum
operum: Si mihi non vultis credere, operibus cre- Ioan. 10. g
dite. O Domine Ieſu ecce teſtimonia credibilia facta Pſal. 92. b
ſunt nimis. Sed heu peccator miſer adhuc vix ei cre-
dis. Bernardus: Putas ne Filium Dei reputat Ieſum
quiſquis ille homo, qui neque ipſius terretur com-
minationibus, neque attrahitur promiſſionibus, ne-
que præceptis obtemperat, neque conſilijs acquieſcit?
nonne eſt de eis qui fatentur ſe noſſe Deum, factis
D autem negant?

## SERMO III.

*SI quis ſermonem meum ſeruauerit mortem* Ioan. 8. f
*non guſtabit in æternum.* Quoniam mos bo-
ni hortolani eſt arborem non producen-
tem fructum radicitus euellere, & extra
hortum proijcere, ne inuanum occupet terram: hinc
eſt quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus tamquàm
bonus hortolanus deſiderans quamlibet arborem ſui
horti, ſcilicet militantis Eccleſiæ fructificare, ne ſe-
E curi damnationis æternæ ſuccidatur, propoſitum ver-
bum proponit, dicens: *Si quis ſermonem meum,* & ce-
tera. Sed quia prius arbor recipit ſolaris radij influen-
tiam, deinde producit fructuum abundantiam, &
poſtea hortulanus habet ſuper eum ne pereat diligen-
tem cuſtodiam, ideo conuenienti modo proceditur
in verbo propoſito. Nam primo notatur emanatio
diuinæ irradiationis, cum dicit: *Sermonem meum.* Se-
cundo fructificatio bonæ operationis, cum dicit: *Si
quis ſeruauerit.* Tertio euaſio æternæ damnationis,
cum ſubinfertur: *Mortem non guſtabit in æternum.* Pri-
mo notatur diuini radij emanatio cum dicit: *Sermo-
F nem meum.* Sicut arbor materialis per influentiam ra-
dij ſolaris diſponitur ad producendum bonos fru-
ctus, ſic arbor ſpiritualis, ideſt anima per emanatio-
nem boni ſermonis diuini diſponitur ſecundum om-
nes ſuas potentias ad multiplicandum opera ſanctita-
tis, & iuſtitiæ. Nam ſermo diuinus primo illuminat
rationalem, per intelligentiam virtutis fidei. Secun-
do inflammat concupiſcibilem, per beneuolentiam
charitatis Chriſti. Tertio roborat iraſcibilē per per-
ſeuerantiam longanimitatis ſpei. Habet enim hæc
tria ſcilicet Fidem, Charitatem, & Spem, quæ ſunt
neceſſaria ad ſalutem. Tunc eſt enim anima valde be-
ne diſpoſita, ſecundum omnes ſui potentias ad ope-
randum bene. Primo quando ſermo diuinus illuſtrat





rationalem, per intelligentiam virtutis fidei. Vnde
Pſal. 118. r dicitur in Pſalmo: Declaratio ſermonum tuorum il-
luminat, & intellectum dat paruulis. Os meum ape-
rui & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabā.
Qui enim vult a radio diuini ſermonis illuſtrari, de-
bet ſeipſum præparare, & diſponere, exemplo Da-
uid dicentis: Os meum aperui, per diuini nominis
inuocationem, cum deſiderio obſeruandi diuina præ-
cepta. Nam nulla eſt melior præparatio ad cognitio-
nem veritatis, quàm inuocatio diuini nominis in ora-
tione cum obſeruatione præceptorum. Et attraxi ſpi-
ritum, per recollectionem, tam ſenſuū quàm actuum
exteriorum ad interiora. Quia qui minoratur actu
percipiet ſapientiam. Et tunc declaratio ſermonum
tuorum, per verba ad expoſitionem diuini eloquij fa-
cientia, illuminat quemlibet audientem exterius: ſed
intellectum exequendi diligenter quod auditur reue-
renter, dat paruulis non ſuperbis: quia obſtaculum
veritatis eſt tumor mentis, qui dum inflat obnubilat,
ſicut dicit Gregorius in Moralibus. De hoc dicitur:
Ioan. 8. d Si manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eri-
tis, & vos cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit
vos, ſcilicet a tenebris ignorantiæ, & cæcitatis. Vnde
Ioan. 17. c dicitur: Sanctifica eos in veritate, quia ſermo tuus
veritas eſt. Secundo ſermo diuinus inflammat con-
cupiſcibilem per beneuolentiam charitatis Chriſti.
Prou. 30. a Vnde: Sermo Dei ignitus, clypeus eſt omnibus ſpe-
rantibus in ſe, ſupple in diuina miſericordia. Eſt er-
go clypeus ignitus: quia inflammat affectum ad mo-
dum ignis, ne tepeſcat interius per puſillanimitatem
timoris, & protegit totum corpus ad modum clypei,
& loricæ ne lædatur exterius, ſiue impugnetur diabo-
Heb. 4. c lica tentatione. De hoc ſimiliter dicitur: Viuus eſt
ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio
ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, &
ſpiritus. Tertio diuinus ſermo corroborat iraſcibilem
Luc. 6. g per perſeuerantiam longanimitatis ſpei. Vnde: Om-
nis qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit
eos, oſtendam vobis cui ſimilis ſit. Similis eſt homi-
ni ædificanti domum, qui fodit in altum, & poſuit
fundamentum ſupra petram. Inundatione autem fa-
cta illiſum eſt flumen domui illi, & non potuit eam
mouere, fundata enim erat ſupra petram. Omnis qui
venit ad me per fidem, & audit ſermones meos cum
deuotione, & facit eos per operis executionem, ſimi-
lis eſt homini, ideſt Chriſto mediatori, ædificanti do-
mum in expoſitione intellectuali, qui fodit in altum,
& ponit fundamentum ſupra petram, ideſt non immu
tabilitate terrenorum, ſed in perpetuitate æternorum.
Vnde Gloſſa: Fodit in altum qui præceptis humilita-
tis terrena omnia de corde ſuo funditus eruit, ne pro-
pter aliquod fluxibile Deo ſeruiat, vt inconcuſſam in
eis habeat manſionem. Inundatione autem facta, ideſt
perſecutione inſurgente, illiſum eſt flumen, ideſt car-
nis laſciuia, mundi oblectamenta, & dæmonum im-
pulſio: domui, ideſt illi ædificationi virtutum, non
potuit eam mouere, ideſt dirimere, & ratio eſt: quia
fundata erat ſuper petram, ideſt Chriſtum, quæ au-
tem cadit, non ſuper Chriſtum ædificatur. De
2. Mac. vlt. his ſimiliter: Singulos autem eorum armauit non
b clypei, & haſtæ munitione, ſed ſermonibus optimis.
Sequitur: Si quis ſeruauerit. Vbi ſecundo notatur
fructificatio bonæ operationis. Quia enim anima ex
influentia diuini ſermonis eſt illuſtrata veritate fidei,
inflāmata charitate Chriſti, corroborata longanimi-
tate ſpei, ideo eſt valde bene diſpoſita ad obſeruan-
dum diuinum ſermonem, ex cuius obſeruatione pro-
ducit fructum bonarum operationū, in magna abun-
dantia. Vnde ſecundum prædictam triplicem diſpo-
ſitionem ex influentia diuini ſermonis debet triplici-
ter fructificare, ſiue obſeruare diuinum ſermonem,
quod idem eſt quod fructificare per bonas operatio-
nes. Nam primo, quia illuſtrata per veritatem fidei,
debet ſeruare diuinum ſermonem cum puritate con-

A ſcientiæ, in contemnendo mundum. Secundo, quia
inflammata per beneuolentiam charitatis Chriſti, de-
bet ſeruare diuinum ſermonem cum latitudine bene-
uolentiæ, in diligendo Deum. Tertio, quia corro-
borata per perſeuerantiam longanimitatis ſpei, debet
ſeruare diuinum ſermonem cum firmitate patientiæ,
in tolerando malum. Primo, quia illuſtrata veritate
fidei debet ſeruare diuinum ſermonem cum puri-
tate conſcientiæ in contemnendo mundum. Vnde
dicitur: Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos Ioan. 17. b
dediſti mihi de mundo, tui erant, & eos mihi dediſti,
& ſermonem meum ſeruauerunt. Verbum eſt Chri-
B ſti dicentis ad patrem: Manifeſtaui nomen tuum ho-
minibus humilibus, & ſimplicibus, quod abſcondi-
ſti a prudentibus & ſapientibus, quos dediſti mihi de
mundo propter obſeruationem puritatis, & mundi-
tiæ, quæ in hoc mundo conſeruari non poteſt. Nam
omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia car- 1. Ioan. 2. c
nis, faciens lubricos, & voluptuoſos: aut concupi-
ſcentia oculorum, faciens cupidos, & auaros: aut ſu-
perbia vitæ, faciens magnificos, & ambitioſos: tui
erant per gratiam benignæ adoptionis, & eos mihi
dediſti in diſcipulos, vt notam facerem eis viam ſalu-
tis æternæ. Vnde primo Deus Pater adoptat quemli-
C bet in Filium, & poſtea tradit Chriſto eum in diſci-
pulum, vel eius vicario, vt inſtruatur contemnere ter-
rena, & appetere cæleſtia. Vnde Apoſtoli, quia mun-
di, & immaculati fuerunt per contemptum terreno-
rum, & appetitum diuinorum: ideo ſermonem diui-
num ſeruauerunt cum puritate conſcientiæ, ſine qua
diuinus ſermo ſeruari non poteſt. Secundo, quia in-
flammata charitate Chriſti, debet ſeruare diuinū ſer-
monem cum latitudine beneuolentiæ, in diligendo
Deum. Vnde dicitur: Si quis diligit me, ſermonem Ioan. 14. c
meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum
veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Quia
D probatio diuini amoris exhibitio eſt operis, ideo di-
cit: Qui diligit me ſermonem meum ſeruabit, quaſi
dicat: Mea dilectio opere probatur, eo quòd amor
Dei operatur magna, ſi eſt: ſi autem operari renuit,
amor Dei non eſt, & Pater meus diliget eum, propter
obſeruationem mei ſermonis. Nam dignatio diuini
amoris, ſiue dilectionis, fructus eſt humanæ obedien-
tiæ, ſiue bonæ operationis. Et ad eum veniemus per
ſeptiformem gratiæ Dei collationem, & manſionem
apud eum faciemus per boni operis multiplicationē,
& conſummationem. Et propter hoc dicitur: Con- Sap. 6. b
cupiſcite ergo ſermones meos, & diligite eos, & ha-
E bebitis diſciplinam paternæ correptionis non ſenten
tiam æternæ damnationis. Tertio, quia corrobora-
ta longanimitate ſpei debet ſeruare diuinum ſermo-
nem cum virtute patientiæ, in tolerando malum. Vn-
de dicitur: Quia ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & Apoc. 3. b
ſeruabo te ab hora tentationis. Ille obſeruat verbum
patientiæ Chriſti, qui exemplo patientiæ, nullis ſup-
plicijs, nullis damnis, nullis contumelijs illatis, ab
obſeruatione diuini ſermonis ceſſat, & tali dicit Chri-
ſtus: Seruabo te ab hora tentationis, & maxime in
morte, in qua hora maxime nititur diabolus homi-
nem tentare, vt eum finaliter poſſit ſubuertere. Gre-
F gorius in Moralibus: Niſi Dominus miſericors hu-
manis viribus tentamenta modificet, nullus eſt qui
malorum inſidias euitare poſſit. Tertio ſequitur: Mor
tem non guſtabit in æternum. Vbi notatur liberatio,
ſiue euaſio mortis æternæ. Sed quia nullus poteſt li-
berari a morte æternæ calamitatis, niſi primo præſer-
uetur, ſiue liberetur a propriæ inquitatis morte. Et
aliquem liberari a morte propriæ iniquitatis eſt im-
poſſibile, niſi liberetur a morte culpæ originalis:
ideo quilibet adultus obſeruans diuinum ſermo-
nem. Primo liberatur a morte originalis culpæ per
gratiam baptiſmalem. Secundo liberatur, ſiue ob-
ſeruatur a morte iniquitatis propriæ, per gratiam
pœnitentialem. Tertio liberatur a morte pœnalitatis

æternæ, per gratiam deiformem. Primo liberatur homo a morte originali culpæ per gratiam baptiſmalem, vnde dicitur: *Rom. 5. c* Si enim vnius delicto mors per vnum regnauit, multo magis abundantiam gratiæ & donationis iuſtitiæ accipientes in vita, regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Si enim vnius, ſcilicet primi parentis delicto mors regnauit in omnes alios, qui deſcendunt ab illo ſtipite per viam libidinis, & concupiſcentiæ, multo magis accipientes abundantiam gratiæ in benigna adoptione, & donationis, in chariſmatum Spiritus ſancti repletione, & iuſtitiæ in bonorum operum promotione, in vita gratiæ, per ſacramentum baptiſmi, regnabunt tamquam heredes regis regni cælorum, per vnum Ieſum Chriſtum. Et arguit hic Apoſtolus a minori, eo quòd efficacior eſt gratia Chriſti in bonum, quàm culpa primi hominis in malum. Ideo dicitur: *1. Cor. 15. c* Sicut in Adam omnes moriuntur, merito ſuæ primæ præuaricationis, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur, merito ſuæ paſſionis, per ſacramentum baptiſmi. Secundo liberatur homo a morte propriæ iniquitatis, per gratiam pœnitẽtialem. Vnde dicitur: *Epheſ. 5. c* Surge qui dormis, exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Surge per mali deteſtationem. Exurge per deſertionem peccati, a mortuis, ideſt ab operibus mortis in peccato mortali factis, & extra charitatem, ſine qua nihil dignum eſt æterna remuneratione, & illuminabit te Chriſtus, per illuminantis gratiæ infuſionem, per quam cognoſcitur diſtantia boni, & mali, cuius adhæſione, & delectatione, bono incommutabili ſpreto, cognoſcit ſe erraſſe. Et de hoc dicitur in Pſalmis: *Pſal. 88. g* Quis eſt homo qui viuit, & non videbit mortẽ, & eruet animam ſuam de manu inferi? Ille viuet vita gratiæ, & non videbit mortem culpæ, qui eruet animam ſuam de manu inferi, exercendo ſe operibus pœnitentiæ. Tertio liberatur homo a morte pœnalitatis æternæ per gloriam deiformem. Vnde dicitur: *1. Cor. 15. g* Oportet autem hoc corruptibile induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria. Oportet autem hoc corruptibile, & mortale induere incorruptionem immortalitatis, per configurationem ad claritatem corporis Chriſti, qui eſt caput noſtrum, alioquin inconueniens eſſet, ſi caput eſſet pulchrum, & immortale, membra vero corruptibilia, & deformia, cum autem hoc erit, tunc mors abſorbetur victoria reſurrectionis Chriſti, *et cet.* Rogemus ergo.

## SERMO IV.

*Ioan. 8. g* T*Vlerunt lapides Iudæi*, & cetera. Adhuc lapides in Ieſum iaciunt, qui in membra eius ſcandala mittunt. Solent autem homines iacere ſagittas, ſemina, onera, lapides. Spiritualiter autem ſagittæ ſunt Dei verba, ſemina, noſtra merita, onera temporalia, lapides, ſcandala. Iaciuntur ergo ſagittæ prædicando, ſemina operando, onera renunciando, lapides ſcandalizando. De primo. Nota quòd Eliſeus ad Ioas dixit: *4. Reg. 13. c* Iace ſagittam, & iecit, & iterum dicit: Percute iaculo terram, qui percuſſit terram. Eliſeus iratus ait: Si percuſſiſſes quinquies vel ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumationem. Sagitta eſt verbum Dei, quod de arcu Scripturæ iacitur contra hoſtes Domini, contra peccatores. Pſalmus: *Pſal. 143. b* Emitte ſagittam tuã, *et cet.* Auguſtinus: Vulnerauit charitas Chriſti cor meum, & geſtabam verba eius in viſceribus meis, quaſi ſagittas acutas. Sed heu clypeum obdurationis multi a diabolo receperunt, ita quòd ſagitta verbi vulnerare per contritionem non poteſt. *Naum. 2. a* Clypeus fortium ignitus eſt. Bene videbitur in iudicio, quis clypeum diaboli, quis Chriſti portet. Per terram ſi-A gnificantur terreni peccatores, qui iaculo prædicationis percutiuntur ter, dum fides Trinitatis, quinquies, dum quinque ſenſuum refrenatio: ſexies dum ſex opera miſericordiæ: ſepties, dum ſeptiformis gratia, & ſeptem vitiorum victoria eis per doctrinam inculcatur. Sed tantum tres ictus recipiunt, qui fidem ſine operibus habent. De ſecundo: *Deut. 28. d* Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis. Tot ſemina iacis, quot bona opera facis. Bernardus: Nunc pereunt opera noſtra, vt videtur, ſed æternitatis quidem ſemina iaciuntur. Sed quia multa opera bona facis, vel in ſtatu peccati mortalis, vel cauſa timoris B ſeruilis, vel intentione commodi temporalis, de quibus, heu, nullum fructum æternæ vitæ recipies: ideo de multo ſemine ſæpe parum congregas. Iactis autem ſeminibus, neceſſaria eſt gratiæ irrigatio. Vnde *Deut. 11. b* dicitur quòd in terra Ægypti iacto ſemine in hortorum morem, aquæ irriguæ ducuntur: terra vero Iſrael de cælo expectat pluuias. Multi, heu, aquam compunctionis, vel lacrymarum habent ex ſolo timore gehennæ: vnde in ipſis quaſi ab inferiori aquæ ducuntur. Quidam autem amore cæleſtis patriæ, & in his terra cordis, quaſi de cælo irrigatur. Hoc quoque bene ſignificatum eſt, vbi dicitur quòd cum Axa, *Iudic. 1. c* C ideſt fidelis anima, ſedens in aſino, ideſt corpore, ſuſpiraſſet, dedit pater eius, ſcilicet pater cæleſtis, irriguum inferius, & irriguum ſuperius. De tertio: *Act. 27. d* Valida autem tempeſtate nobis iactatis, ſequenti die iactum fecimus, *et cetera*. Quicumque ergo ſubmergi non vult, iaciat nauis onera, ſcilicet temporalia. Iaciat certe iniuſta bona reſtituendo, alioqui ſubmergetur. Iaciat etiam eleemoſynas erogando. De vtroque dicitur: Ecce dimidium bonorum, *et cetera*. *Luc. 19. a* Iaciat quoque omnia relinquendo: Ecce nos reliquimus omnia, *et cet.* *Mat. 19 d* Miſerunt vaſa, quæ erant in naui in mare, *et cet.* *Ioan. 1. b* Auguſtinus: Abijce a te diuitiarum D vincula voluntaria, abijce anxietates, & tædia, quæ te pluribus annis inquietant. De quarto dicitur hic: *Tulerunt lapides, et cet.* Lapides ſunt ſcandala, ſcilicet verba vel facta, quibus dum alij, vel ad iram, vel ad luxuriam, vel ad auaritiam, vel ad iudicium prouocantur, quaſi iactibus lapidum læduntur. Et quia fideles ſunt membra Chriſti, lapides in Chriſtum iaciuntur, qui membra eius ſcandalis percutiunt. Sed nota, quòd quattuor modis peruerſi tentauerunt occidere Chriſtum. Primum gladio: *Mat. 2. c* Futurum eſt, vt Herodes, *et cet.* Item præcipitatione: *Luc. 4. e* Duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, ſuper quem ciui-E tas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum: Ipſe autem tranſiens, per medium illorum ibat. Item lapidatione, vt hic. Item crucifixione. Sed, heu, adhuc hodie Chriſtum in membris perimere tentant iudices gladio, qui gladio mundano, vel Eccleſiaſtico male vtuntur contra alios. Item hypocritæ, vel traditores præcipitio, qui aliquod bonum ſimulando, quaſi in montem ducunt. Sed quia male intendunt, præcipitare quærunt. Item ſcandalizatores, vel blaſphemi lapidatione. Quot enim ſcandala, quot blaſphemias faciunt, tot lapides in Deum mittunt. Item impœnitentes in crucifixione, quia fructum crucis in ſe eua-F cuant: Rurſum crucifigentes, *et cet.* *Heb. 6. b* Gloſſa: In ſe Filium Dei crucifigunt, qui gratiam eius vilipendentes in peccatis iacent. Bernardus:

Nonne ſatis pro te ſum vulneratus?
nonne ſatis afflictus? noli me
plus affligere: me enim
plus affligit compaſ-
ſio vulneris tui,
quàm lateris
mei.

DOMI-



# DOMINICA IN RAMIS PALMARVM.

## SERMO I.

*Cant. 3. d* E*Gredimini, & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eũ mater ſua.* Quoniam ſecundum beatum Auguſtinum: *Aug. li. 16. de Ciuit. Dei.* Quæ de Salomone dicuntur a Deo, cõueniunt ſoli Chriſto, vt in illo ſit figura obumbrata, in Chriſto veritas repræſentata. Ideo vere, & proprie propter complerionem vmbræ figuralis, & exhibitionem veritatis verbum propoſitum poteſt aſſumi ad commendationem hodiernæ feſtiuitatis. Hodierna namque die Iudaica ſynagoga mater Chriſti, ſecundum carnem, egrediens obuiam Chriſto verbis, & factis, gloria imperiali, & regio honore coronauit, hunc honorem Chriſto exhibendo: ideo mater Eccleſia exiens extra ciuitatem proceſſionaliter hoc repræſentat, vt diſcant eius filij. Primo a peccati deformitate exire. Deinde in propria conſcientia Dei claritatem cognoſcere, & videre. Et poſtea debitum honorem eius maieſtati exhibere. Vnde ad noſtram inſtructionem hæc tria per ordinem in verbo propoſito notantur. Primo deſertio deformitatis propriæ. Secundo contemplatio ſpecioſitatis diuinæ. Tertio exhibitio honoris, & magnificentiæ, & hoc quia vnũ eſt diſpoſitio alterius. Nam puritas conſcientiæ diſponit ad cognitionem, ſiue viſionem ſpecioſitatis diuinæ ſapientiæ, & contemplatio lucis æternæ diſponit ad honorificẽtiam maieſtatis diuinæ. Primo namque Spiritus ſanctus in verbo propoſito quamlibet Chriſtianam animam excitat ad deſertionem deformitatis propriæ, vt diſponatur, cum dicit: *Egredimini Filiæ Sion*. Sion enim ſpecula interpretatur, & ſignificat animam puram, & diſpoſitam per modum ſpeculi ad receptionem reſultantis diuinitatis. Secundo inuitat ad contemplationem ſpecioſitatis regiæ, vt delectetur, cum ſubdit: *Et videte regem Salomonem*, ideſt Chriſtum multiplici figura per Salomonem ſignatum. Tertio explicat exhibitionem honoris, & magnificentiæ, vt inſtruatur, cum ſubinfertur: *In diademate quo coronauit eum mater ſua*. Primo ergo hortatur ad deſertionem peccati quamlibet animam fidelem, vt diſponatur ad Dei viſionem, cum dicit: *Egredimini filiæ Sion*. Illa anima deſerit deformitatem peccati, & diſponit ſe ſecundum omnes ſui potentias ad viſionem Dei, quæ egreditur. Primo a tenebris erroris, & ignorantiæ, rationalem obcæcantis. Secundo ab illecebris carnalis laſciuiæ, concupiſcibilem deformantis. Tertio a præſidentijs crudelitatis diabolicæ, iraſcibilem deprimentis. Primum habet fieri per veritatis inſpectionem in ſummo intelligibili. Secundum per voluntatis adhæſionem, in ſummo diligibili. Tertium per libertatis adeptionem in ſummo honorabili. Primo debemus egredi a tenebris erroris, & ignorantiæ, rationabilem obcæcantis. Et hoc per veritatis inſpectionem in ſummo intelligibili. Et de hoc dicitur: *Mat. 15. c* Ecce mulier chananæa a finibus illis egreſſa clamauit, dicens: Miſerere mei fili Dauid. Qui enim vult percipere bonum fidei, & egredi a tenebris ignorantiæ, debet imitari exemplum huius mulieris, quæ primo præparauit ſe per captiuationem intellectus ad credendum primæ veritati propter ſe, & ſuper omnia, & hoc eſt quod dicitur. Ecce mulier chananæa. *Chananæa quid.* Interpretatur enim chananæa præparata. Secundo elongauit ſe a mala ſocietate, eo quòd corrumpunt bonos mores colloquia praua. Vnde ſequitur: A finibus illis, ſcilicet infidelium, egreſſa, poſtea clamauit cum animi ſanctitate in affectiua. Item cum ſedulita-



A te propoſiti in operatiua: quia tunc Ieſus Chriſtus, qui eſt lux vera animæ, in diſpoſitione infundit veritatem fidei in cognitiua. Vnde tanta luminoſitate fidei fuit illa mulier illuſtrata, vt diceretur ei ab ipſa veritate: *Mat. 15. c* O mulier magna eſt fides tua. Secundo debemus egredi ab illecebris carnalis laſciuiæ, cõcupiſcibilem deformantis, & hoc per erectionem voluntatis in ſummo diligibili. De iſto egreſſu dicit Loth generis ſuis: *Gen. 19. c* Surgite, & egredimini de iſto loco, quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et viſus eſt eis, quaſi ludens loqui. Ciuitas iſta, quaſi ſodoma, quæ inter ceteras ciuitates erat ſceleratiſſima, ſignat ſtatum carna-B lium, qui immunditijs ſuis perdunt lumen rationis, & totaliter abſorti delectationibus fiunt ſteriles, nullum fructum vtilitatis habentes, propter conſumptionem naturalium, & ſpoliationem gratuitorum, ſiue ſpiritualium. Igitur exiſtentibus in iſto ſtatu dicitur a Spiritu ſancto per prædicatores, qui ſunt diuini nuncij: Surgite per peccati deteſtationẽ, & de loco iſto egredimini carnalis laſciuiæ, per peccati deſertionẽ. Quia delebit Dominus ciuitatem hanc, per æternæ damnationis exterminationem. Sed quia lubrici, & carnales, ita ſunt abſorti a delectationibus carnis, vt præ nimia mentis alienatione videatur eis prædicator lu-C dens loqui. Sed poſtea quando in peccatis ſuis moriuntur, experiuntur factis, quod noluerunt animaduertere verbis prædicatorum. Vnde & iſti, qui noluerunt credere verbis Loth viam ſalutis annunciantis, perierunt inſimul cum ſcelere ciuitatis. Tertio debemus egredi a præſidentijs diabolicæ crudelitatis, iraſcibilem deprimentis, & hoc per libertatis adeptionem in ſummo honorabili. Et de hoc egreſſu dicitur in figura: *Exo. 13. a* Mementote huius diei, in qua egreſſi eſtis de terra Ægypti, & de domo ſeruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco iſto. Eduxit vos per liberationem de domo ſeruitutis, ſcilicet dia-D bolicæ. Nam ſicut Pharao affligebat filios Iſrael ſibi ſeruientes in paleis colligendis, in luto congregando, in lateribus conficiendis, & in ciuitatibus conſtruendis, ſic diabolus ſuos opprimit, & affligit. In colligendis paleis vanarum cogitationum, in congregando luto immundarum delectationum, ſiue affectionum. In conficiendis lateribus prauarum operationum. Et in conſtruendis ciuitatibus irreuocabilium auerſionum. Beneficium ergo iſtius liberationis, de tam crudeli ſeruitute, ideo Dominus reducit ad memoriam, vt ſimus ei grati cum dicit: *Exo. 13. a* Memẽtote huius diei qua egreſſi eſtis de domo diabolicæ ſeruitutis, ſed tantum E beneficium nõ eſt adſcribendum humanæ infirmitati, ſed diuinæ virtuoſitati: ideo addit, quoniam eduxerim vos in manu forti diuinitatis non in manu debili humanitatis. Secundo inuitat ad contemplationem ſpecioſitatis regiæ, cum ſubdit: *Et videte regem Salomonem*, ideſt Chriſtum. Ille contemplatur, & videt ſalubriter in propria conſcientia verum Salomonem, ideſt Chriſtum. Primo qui eius veritati infallibilis ſapientiæ credit firmiter, cum captiuatione intellectus. Secundo qui eius benignitatem indicibilis clementiæ diligit ſinceriter, cum deuotione affectus. Tertio qui eius humilitatem abiectionis pro-F fundæ imitatur conformiter cũ executione effectus. Hodierna namque die rex regum Chriſtus oſtendit profunditatem humilitatis ad imitandum, quando Ieruſalem intrauit, ſedens ſuper aſinam, non ſuper equum faleratum. Magnam benignitatem exhibuit quando ipſe, qui erat Imperator, & Dominus omnium ſpirituum cæleſtium, ſiue agminum ſupernorum, dignatus eſt fieri rex, & caput agminum peregrinantium inferiorum. Et completam veritatem legalis vmbræ monſtrauit, quando quod de eo fuerat prophetatum, & figuratum, factis oſtendit eſſe impletum. Primo videte regem Salomonem, cuius veritas infallibilis ſapientiæ credenda eſt firmiter cum captiuatione intellectus. Et de hoc dicitur in figura:

3.Reg.10.c Magnificatus eſt rex Salomon, ſuper omnes reges
terræ, diuitijs, & ſapientia, & vniuerſa terra deſide-
rabat videre vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam
quam dederat Deus in corde eius. Multiplici figura
Salomon verum illum Salomonem Chriſtum expri-
mit. Nam Chriſtus eſt ille verus Salomon ſapientiſ-
ſimus, immo ſapientia Patris, a quo omnis ſapientia,
& intellectus in angelicis ſpiritibus, & humanis, &
Epheſ. 2. c verus ille rex pacificus: Quia pax noſtra, qui facit
vtraque vnum, & antiquam diſcordiam federe pro-
prij ſanguinis concordauit. Atque verus rex ille ma-
gnificus, qui inquantum homo magnificatus eſt ſuper
omnes reges cæli, & terræ, propter aſſumptionem hu-
manitatis in vnitate perſonæ, in donis chariſmatum
diuinorum, & ſapientia limpidæ cognitionis. Et vni-
uerſa terra, ideſt homines terreni, ponitur hic conti-
nens pro contento, deſiderabant vultum videre Sa-
lomonis, propter nitorem originalis innocentiæ, vt
audirent cum inclinatione auditus ſapientiam, quam
dederat Deus in corde eius per infuſionem (quia non
didicerat per humanam inueſtigationem) & crederet
auditam ſapientiam ſine hæſitatione, cum captiuatio-
ne intellectus. Secundo videte regem Salomonem
cuius benignitas indicibilis clementiæ eſt, diligenda
ſinceriter cum deuotione affectus. Et hoc dicitur:
Prou. 20.d Miſericordia & veritas coſtodiunt regem, & robora-
bitur clementia thronus eius. Quia pietas miſericor-
diæ ſine veritate iuſtitiæ eſt potius vitium, quàm vir-
tus. Nam manus mulierum miſericordium coxerunt
filios ſuos, & ſeueritas iuſtitiæ ſine pietate miſericor-
diæ Deo non eſt placita, nec ab eo approbata: Quia
Iac. 2. c iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non facit mi-
ſericordiam. Ideo dicitur miſericordia, & veritas
Prou. 8. b cuſtodiunt regem Chriſtum, per quem reges regnãt,
& principes iuſta diſcernunt. Ipſe enim eſt verum
exemplar omnis miſericordiæ, & iuſtitiæ, eo quòd
vniuerſæ viæ Domini Chriſti regis regum, miſericor-
Pſal.24. d dia, & veritas. Sed quia eius pietas miſericordiæ in
parcendo ſuperexaltat iudicium ſeueritatis, in con-
demnando, ideo addit: roborabitur clementia thro-
nus eius, vt per hoc quilibet peccator quantumcum-
que magnus non deſperet per timorem, conſiderans
ſeueritatem iuſtitiæ proferentis ſententiam, immo
reſumat vires, & confidat propter benignitatem mi-
ſericordiæ, quæ parcet faciliter, & obliuiſcetur tota-
liter, & ſuſcipit clementer. Tertio videte regem Sa-
lomonem, cuius humilitas abiectionis eſt imitanda
conformiter cum executione effectus. Et de hoc di-
Zach. 9. b citur: Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem;
Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator, ipſe pau-
per, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum fi-
lium aſinæ. Et diſpergam quadrigam ex Effraim, &
equum de Ieruſalem, & diſſipabitur arcus belli. Et
loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius a mari vſ-
que ad mare. Quælibet fidelis anima filia Sion, &
Ieruſalem, ideſt matris Eccleſiæ, debet hodierna die
exemplo Iudæorum egredi obuiam Chriſto, non ſo-
lum paſſibus corporis, ſed etiam affectionibus men-
tis, cum exultatione cordis, cum iubilo oris, cum
proſtratione propriæ veſtis, per mortificationem la-
ſciuiæ carnis, cum ramis oliuarum, in ſignum vn-
ctionis internæ deuotionis, cum ramis palmarum,
in ſignum victoriæ, & honoris. Eo quòd rex noſter
Chriſtus per ſuam humilitatem deuicto ſuperbo dia-
bolo, & eius exercitu in pelago maris inferni ſub-
merſo, populum ſuum liberauit ſanguine proprio.
Vnde ſuperius parum poſt prædictam auctoritatem
ſequitur: Tu vero in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti
vinctos de lacu, ſcilicet homines de poteſtate diaboli
liberatos, ſuppeditata cupiditate, per ſuam pauperta-
tem heredes, & reges regni cælorum conſtituit. Et
propter hoc ipſe rex noſter Chriſtus non venit hodie
faſtuoſus in curribus, & equis faleratis: ſed manſue-
tus, & aſcendens ſuper aſinam contemptibilitatis,
A non pompoſus in diuitijs, & gemmis pretioſis, &
Saluator ipſe pauper, vt ſic per humilitatem ſuam
diſperderet quadrigam faſtuoſitatis, & equum ſuper-
bæ pompoſitatis, & diſperderet arcum diabolicæ
fraudis, vt per ſuam paupertatem loqueretur pacem
gentibus, eos ab amore mundi reuocando, ad amo-
rem, & laudem Dei attrahendo. Vltimo notatur ex-
hibitio honoris, et magnificentiæ, cum dicit: *In dia-
demate, quo coronauit eum mater ſua*. Honorauit Chri-
ſtum, ſiue coronauit. Primo mater Virgo Maria car-
neo diademate originalis innocentiæ, in conceptio-
ne. Secundo mater ſynagoga ſpineo diademate do-
B loris, & ignominiæ, in paſſione. Tertio mater diui-
næ iuſtitiæ ſplendido diademate honoris, & gloriæ
in reſurrectione. Primo coronauit eum mater Vir-
go Maria carneo diademate originalis innocentiæ, in
conceptione, ſecundum quòd dicitur: *Egredimini fi-
liæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo
coronauit eum mater ſua in die deſponſationis, & læti-
tiæ cordis ſui*. Filiæ Sion egredimini a deformitate
peccati, & videte regem regum noſtrum Saluatorem
Chriſtum incarnatum, in diademate originalis in-
nocentiæ, quo coronauit eum mater ſua Virgo Ma-
ria, virtute Spiritus ſancti eum concipiendo in die de-
C ſponſationis humanæ naturæ, quæ in vnitate perſonæ
copulata eſt Deo, & coniuncta Verbo, vt ſponſa ſpon-
ſo, vinculo indiſſolubili in vtero virginali, & amore
pudico, & beneuolo cum lætitia inenarrabili, & gau-
dio magno. Secundo coronauit eum mater Iudaica
ſynagoga, ſpineo diademate doloris, & ignominiæ,
in paſſione. Et de hoc poteſt exponi illud: In capi- Apoc. 19.c
te eius diademata multa, habens nomen ſcriptũ quod
nemo nouit niſi ipſe, & veſtitus erat veſte aſperſa
ſanguine. Non enim impia ſynagoga coronauit Chri-
ſtum ſolo diademate ſpineo ignominioſæ doloſitatis,
immo ſuper illud addidit multa alia deformia diade-
D mata opprobrioſæ contemptibilitatis. Sicut hodie
magnificauit eum gloria imperiali, & honore regio,
vt glorioſe intraret ſanctam Ieruſalem, ſic in para-
ſceue fecit eum exire de ſancta Ieruſalem, cum vitu-
perio, & opprobrio. Et quidquid honoris hodie
impia ſynagoga cõtulit, in die veneris in dedecus con-
uertit. Nam pro floribus imponit eius capiti coro-
nam de ſpinis, pro ramis oliuarum adaptauit crucem
proprijs humeris, pro veſtimentis in terra proſtratis,
propria veſtimenta ſibi exuta in quattuor partes diui-
ſit, pro laudibus, blaſphemijs exprobrauit. Et quia
poſt gloriam hodiernæ venerationis, quaſi in eodem
E tempore, in eadem ciuitate, & ab eadem plebe ſub-
ſecuta eſt ignominia opprobrioſæ paſſionis: ideo
mater Eccleſia poſt proceſſionem, legi inſtituit paſ-
ſionem. Ipſe autem rex Chriſtus, in cuius capite erãt
omnia iſta prædicta diademata, habebat nomen ſcri-
ptum ſuper caput ſuum: Ieſus Nazarenus Rex Iu-
dæorum, quod nemo perſequentium eum nouit eſſe
verum niſi Chriſtus, & cui ſibi placuit reuelare. Et
veſtitus erat veſte corporali aſperſa proprio ſanguine.
Tertio coronauit eum mater ſua, ſcilicet diuina iu-
ſtitia ſplendido diademate honoris, & gloriæ, in re-
ſurrectione. Et de hoc poteſt exponi illud: Iuſtitia Iob 29. c
F indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento, & dia-
demate iudicio meo. Quia Dominus Ieſus Chriſtus
tantum ſe humiliauit, vt vellet tradi, & traditus, a
peccatoribus iudicari, & iudicatus tamquam reus
condemnari, & condemnatus morte turpiſſima oc-
cidi. Ideo ſecundum infallibilem regulam diuinæ iu-
ſtitiæ, quæ eſt: Qui ſe humiliat exaltabitur, exaltatus Mat. 23.a
eſt propter ſuam profundam humilitatem in ſolium Luc. 14. b
regale, & coronatus eſt diademate honoris, & glo-
ria. Vnde quanto caro eius fuit vilius in terram pro-
iecta, tanto maiori gloria, & honore eſt circumdata.
Rogemus, *et cet.*

SER-



SERMO II.

Mat. 21. a *CVm appropinquaſſet Dominus Ieroſolimam &
veniſſet Betphage*, & cetera. In hoc E-
uangelio oſtenditur Dominus quadru-
pliciter honoratus. Honorauerunt enim
eum aſinum ducentes, veſtimenta pro-
ſternentes, ramos mittentes, Oſanna clamantes. In
his verbis ſignificatur, quòd in quattuor cauſis maxi-
me honoratur Deus, videlicet, in peccatoris conuer-
ſione, corporis expoſitione, operis exhibitione, oris
glorificatione. Prima ſignificatur in aſini adductione
ad Ieſum. Quid enim eſt peccator, niſi aſinus, qui
ſicut aſinus ſtolidus eſt ſenſibus, & piger in actibus.
Bernardus: Puto ſi iumenta poſſent loqui, dicerent:
Ecce iſte homo factus eſt, quaſi vnus ex nobis. Hic
eſt aſinus, qui timore diuinæ ſeueritatis correptus,
Num. 22. e loquitur, ſicut ſignificatum eſt, in aſina Balaam, quæ
videns euaginatum gladium Angeli, locuta eſt. Gla-
dius eſt diuinæ iuſtitiæ ſeueritas, quæ nunc latet in
vagina miſericordiæ, ſed in iudicio euaginabitur.
Hunc videt aſina, quando ſeueritatem iudicij conſi-
derat peccatrix anima, & tunc loquitur in confeſſio-
ne, & oratione. Aſinum ergo ad Ieſum adducit, qui-
cumque peccatorem ad Deum conuertit. O ſi vnum
aſinum hodie ad Ieſum adducere poſſem. Ieſus ta-
men non ſedet in aſino ligato. Vis ergo eſſe aſinus
Chriſti? vis Ieſum portare? ſoluaris prius a vinculis
Iſa. 52. a peccatorum: Solue vincula colli tui, *et cetera*. Secun-
dum figuratur in veſtimentis proſtratis. Quid enim
noſtra corpora ſunt, niſi quædam animarum veſti-
Iob. 13. d menta? Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi
veſtimentum, quod comeditur, *et cetera*. Hoc veſti-
mentum in via proſternit, qui corpus ſuum pro Chri-
ſto exponit. O ſi penſaremus, quo modo Chriſtus
veſtimentum corporis ſui pro nobis expoſuit, & ſan-
guinem profudit, tunc facilius nobis eſſet pro Chri-
ſto veſtimentum noſtri corporis paſſionibus expone-
re, afflictionibus ſcindere. Hoc figuratum eſt in
Gen. 37. g Iacob, qui videns tunicam Ioſeph ſanguinolentam,
ſcidit veſtimenta ſua. Parum eſt ſi pro illo ſcindas vi-
liſſimam tuam tunicam, qui pro te ſcidit pretioſiſſi-
mam. Quid eſt corpus tuum ad corpus illius? Ber-
nardus: Nonne ſi conferrentur omnes vitæ filiorum
Adam, immo & omnes dies ſæculi, & labores om-
nium hominum, qui fuerunt, qui ſunt, & qui erunt,
nihil eſſent ad comparationem corporis illius quod
ſpectabile, & ſtupendum eſt etiam virtutibus ſuper-
nis. Scindas ergo ſaccum tuum pro purpura Chriſti.
Scindas ergo ſaccum triſtitiæ, vt recipias ſtolam læ-
Pſal. 29. d titiæ. Pſalmus: Conſcidiſti ſaccum meum, *et cetera*.
Tertium ſignificatur in ramis. Ramus enim bonum
opus ſignificat. Quot enim bona opera propter
Chriſtum facis, tot eum ramis honoras. Si enim his
ramis anima euolãs ad Deum venit, bene ſuſcipietur,
ſicut ſignificatum eſt in columba cum ramo virente
Gen. 8. b ad Noe veniente. Sed nota quòd de arca emiſſus
eſt coruus, & columba. Arca fluctuans eſt Eccleſia mi
litãs, Sicut enim extra arcam nullus ſaluatur, ita neque
extra Eccleſiam. Coruus autem, & columba animas
ſignificãt Chriſtianorum in arca Eccleſiæ per fidem
exiſtentium. Sed coruus animam cuiuſlibet peccato-
ris ſignificat. Auguſtinus: Anima peccatoris nigrior
eſt coruo. Columba autem animam iuſti ſignificat.
Emittuntur autem de arcà, quando in morte de Ec-
cleſia migrant. Væ tunc coruo, ſed bene columbæ.
Coruus vacuus rediens, animam cuiuſlibet paruuli
abſque meritis operum euolantem ſignificat. Colum-
ba vero cum ramis veniens, animam cum bonis ope-
ribus euolantem ſignificat. Virens autem fuit ramus,
Greg. hom. quia in charitate debet fieri bonũ opus. Vnde Deum
21. in Euã- adorant cum ramis aridis, qui bona opera faciunt vi-
gel. [illegible] uendo in peccatis. Gregorius: Neque habet aliquid
A viriditatis ramus operis boni, ſi non manet in radice
charitatis. Quartum ſignificatur in clamore dicen-
tium: Benedictus qui venit, *et cet.* Eliſabeth exultan-
te Ioanne in vtero eius, ait: Benedictus fructus ven- Luc. 1. d
tris tui. Si ergo Ioannem in vtero, ideſt gratiam in
corde: ſi ramum in manu, meritum in opere habue-
ris, tunc Deum ore optime benedicis. Vnde bene de
Simeone dicitur quòd Spiritus Sanctus erat in eo, Luc. 2. d
& quòd accepit Ieſum in vlnas ſuas, & benedixit.
Si enim fuerit Spiritus ſanctus in corde, Ieſus in ma-
nu, ideſt in opere, tunc benedictio laudis, & oratio-
nis eſt in ore. Benedic Deum in mundo, vt benedi-
B caris a Deo in iudicio, quando dicet: Venite bene-
dicti. Vnde de Chriſto accipi poteſt illud: Qui be- Mat. 25. d
nedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Gen. 27. d

SERMO III.

*ECce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſu- Mat. 21. a
per aſinam*, & cetera. Vtinam quilibet Iſa. 62. d
noſtrum mereretur eſſe aſinus Domini. Zach. 9. b
Oportet autem, vt qui voluerit eſſe aſi-
nus Domini, veſtimenta ei præceptorum
Apoſtolicorum, & exemplorum imponantur, vt ſic
C Chriſtus in ipſo ſedeat, donec in Ieruſalem cæleſtem
veniat. Conſiderandum autem quòd Dominus ſuper
tria myſtica animalia libenter ſedet, libenter equitat:
videlicet, ſuper aſinum, ſuper camelũ, ſuper equum.
Aſinum autem Domini, quemlibet pœnitentem, &
incipientem, camelum quemlibet proficientem,
equum quemlibet perfectum, & peruenientem. In
his ſedet Dominus per gratiam. De primo dicitur: Zach. 9. b
Ecce rex tuus, *et cet.* Aſinus Chriſti eſt, qui onus
pœnitentiæ portat: Cibaria & virga, & onus aſino, Eccli. 33. c
*et cet.* Malus aſinus eſt, qui & ſaccum pœnitentiæ, &
Dominum inſidentem proijcit. Grauius enim onus
D peccator aſſumit. Pſalmus: Sicut onus graue, *et cet.* Pſal. 37. a
Grauiorem ſeſſorem, ſcilicet diabolum accipit, ſicut
ſignificatum eſt in aſina, in qua ſedebat Balaam, Num. 22. e
quam angelus euaginato gladio obſtans, nec ad dex-
teram, nec ad ſiniſtram ire permiſit, donec aſina lo-
quebatur murmurans contra ſeſſorem, cur tertio per-
cuteretur. Balaam interpretatur deuorans populum,
& ſignificat diabolum, de quo: Circuit quærens, 1. Pet. 5. c
quem deuoret, *et cet.* Gregorius: Ore peſtiferæ per-
ſuaſionis eos quotidie deuorat, quibus a confeſſione
fidei reproba vita diſcordat. Huius aſina eſt peccatrix
anima. Angelus prædicator eſt, vel confeſſor: La- Malac. 2. a
E bia ſacerdotis, *et cetera*, vſque quia Angelus Domini
exercituum eſt. Gladius extremi iudicij terrens pec-
catorem, ipſum in via iniquitatis ſecundum volun-
tatem Balaam, ideſt diaboli procedere non permittit.
Dominus ergo ſentiens aſinam, ideſt animam trepi-
dare, & nolle in via iniquitatis procedere, plus eam
ſtimulat, & tertio eam percutit, quando triplici ad-
uerſitate, primo in rebus, ſecundo in amicis, tertio
in corpore eam affligit, per malos homines, vel per
ſeipſum, ſicut Iob tripliciter percutitur, deinde ani-
ma contra ſeſſorem diabolum murmurat in confeſ-
ſione, & oratione. De ſecundo: Vidit currum duo- Iſa. 21. b
F rum equitum aſſeſſorem aſini, & cameli, ideſt, in-
cipientis & proficientis, qui maxime trahunt currum
Eccleſiæ. Pauci enim ſunt perfecti. Camelus animal
patiens laborum, animal mercatorum eſt, & merces
portare ſolet, ita proficientes multum laborant, &
merces meritorum, vſque in cæleſtem Ieruſalem
portant. Vnde dicitur quòd regina Sabba, ideſt Ec- 3. Reg. 10. a
cleſia, ingreſſa Ieruſalem cum multo comitatu, ſcili-
cet ſaluandorum, & diuitijs meritorum, & camelis,
ideſt proficientibus portantibus aromata bonorum
operum aurũ charitatis infinitũ, & gemmas pretioſas
virtutum ad regem Salomonem, ideſt, ad Chriſtum
venit. Certe bene veneris, ſi aliquid attuleris. Augu-
ſtinus: Apud Dominum plus habet loci, qui plus
attulerit,

à ttulerit, non argenti, ſed fidei. Caueant ſibi a la-
tronibus, qui tales merces ducunt. Gregorius: De-
prædari deſiderat, qui theſaurum publice in viam
portat. Idem: Auari cameli ſunt diaboli onerati in-
iuſtis temporalium diuitijs, quas niſi deponant, cæle-
*Mat.19.d* ſtem Ieruſalem intrare non poſſunt: Facilius eſt ca-
melum per foramen acus intrare, *et cet.* Dicitur Ieru-
ſalem eſſe porta arcta, quæ acus dicitur, per quam ca-
meli intrare non poſſunt, niſi depoſitis oneribus.
Abijce ergo omnia, vt in cæleſtem Ieruſalem intres.
*Apoc.19.c* De tertio: Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper
eum vocabatur fidelis, & verax, *et cet.* Perfectus qui-
libet equus albus, & qui ſedet ſuper eum Chriſtus.
Fidelis eſt propter audaciam in bellis contra diabolũ,
*Zach.10.b* mundum, & carnem: Poſuit eos, quaſi equum glo-
riæ ſuæ in bello. Item propter fortitudinem in ſuſti-
*Iob.39.c* nendis. Numquid præbebis equo fortitudinem? Item
propter velocem curſum quo deſiderijs, & actibus
feſtinant ad patriam. Vnde de equis varijs dicitur:
*Zach.6.b* Quærebant ire, & diſcurrere per omnem terram:
*1.Cor.9.d* Sic currite, vt comprehendatis, *et cet.* Bene curre-
remus, ſi bene de patria cogitaremus, ad quam eſt cur-
rendum. Auguſtinus: Cur non properamus, & cur-
rimus, vt patriam videre, vt parentes ſalutare poſſi-
mus? Magnus nos illic charorum numerus expectat.
Econtrario equi diaboli ſunt, qui præcipites ad pun-
*Prou.1.b* ctum currunt ad infernum: Pedes eorum ad malum
currunt, *et cetera.* Et certe tales equi cum ſeſſore ſuo
diabolo nunc de vitio in vitium curſitantes, in pro-
*Exo.15.a* fundum pœnarum mergentur: Equum & aſcenſo-
rem proiecit in mare, *et cetera.*

## SERMO IV.

*Ioan.12.b* T*Vrba multa, quæ conuenerat ad diem feſtum,
cum audiſſet, quia Ieſus venit Ieroſolymam,
acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt
ei,* & cetera. Per palmam ſignificatur vi-
ctoria. Palma enim victores coronabantur. Per pal-
mam ergo ſignificatur perſeuerantia. Palma enim
diutiſſime perſeuerat, vt tamdem fructum habeat:
*Iob 29.c* Sicut palma multiplicabo dies. Rami autem opera,
vel exempla ſunt. Cum palmarum ergo ramis, ideſt
cum victorioſis, vel perſeuerantibus operibus, &
exemplis honorandus eſt Ieſus. Per has enim palmas
fides noſtra conſummatur in mundo, mens noſtra
ſecuratur in extremo, vita noſtra approbatur in iudi-
cio, gloria noſtra augmentatur in cælo. De primo:
*Exo.15.d* Venerunt autem in Helim filij Iſrael, vbi erant duo-
decim fontes, & ſeptuaginta palmæ. Helim inter-
pretatur robuſti, vel deficientes, & ſignificant Ec-
cleſiam, in qua ſunt firmi & infirmi, perfecti & im-
perfecti. Duodecim fontes, & ſeptuaginta palmæ,
duodecim Apoſtoli, & ſeptuaginta diſcipuli. Licet
enim duo diſcipuli ſuperabundent, tamen Scriptura,
ſicut dicit ibi Gloſſa, non facit vim de inimicis. Vel
duodecim fontes, ſunt duodecim articuli fidei, qui
*Iſa.12.a* in Symbolo continentur: Haurietis aquas in gaudio,
*et cet.* Quia vero fides ſine operibus mortua eſt, ideo
ſeptuaginta palmæ iuxta fontes eſſe debent. Septua-
ginta ſunt ſepties decem. Septuaginta ergo palmæ,
ſunt omnes victores, & perſeuerantes in bonis operi-
bus, vel omnia victorioſa perſeuerantia opera, quæ
fiunt per ſeptem dona, contra ſeptem vitia, in de-
cem mandatorum perſeuerantia. Vel ſeptuaginta hæ
palmæ ſunt flores virtutum in mundo pullulantiũ.
*Pſal.91.d* Pſalmus: Iuſtus vt palma florebit. Fructus vero præ-
*Cant.7.c* miorum habent in cælo: Aſcendam in palmam, *et cet.*
*Aug. tract.* Fructus palmæ etiam Chriſtus dici poteſt. Auguſti-
*de quattuor* nus: Expalmatur, qui eſt vera palma victoriæ: ſpi-
*virtutibus* nis coronatur, qui ſpinas peccatorum venit confrin-
*charitatis* gere. De ſecundo: Filij Cinei aſcenderunt de ciui-
*poſt med.* tate palmarum cum Filijs Iudà in deſertum ſortis eo-
*Iudi.1.d* rum. Cineus luctus interpretatur, & ſignificat pœ-
A nitentem: Beati qui lugent. Iudas interpretatur glo- *Mat.5.a*
rificans, & ſignificat illum qui ait: Quicumque ho- *1.Reg.2.f*
norificabit me, glorificabo eum: qui autem contem-
nunt me, erunt ignobiles. Vere ignobilis cuius pa-
ter diabolus eſt. Filij ergo Iuda Angeli ſunt. Deſer-
tum ſortis eorum eſt regnum cælorum, hoc eſt deſer-
tum, in quo nonaginta oues, ideſt nouem ordines
angelorum dimittuntur, ſicut dicitur: Filij ergo Ci- *Luc.15.a*
nei, ideſt lugentes pro peccatis aſcendunt in montem
cum filijs Iuda, cum angelis ipſos ducentibus in ſor-
tem eorum, ideſt in ordines angelorum. Hierony-
mus: Legimus per quàm ſæpe angelos animas electo-
B rum vſque ad cælos cum hymnis atque laudibus de-
tuliſſe. Fiduciam ergo angelis aſcendendi in mon-
tem habebis, ſi de palma victoriæ, & perſeuerantiæ
veneris. Vnde bene legitur quòd Salomon in oſtijs *3.Reg.6.d*
templi ſculpſit cherubim, ideſt ſimilitudines angelo-
rum, & palmas, in quo ſignificatur quòd oſtium tem-
pli cæleſtis per angelos, & per palmam intrandum
eſt. Gregorius: O felix victoria, per quam talis in
morte habetur fiducia. Idem: Initiũ tribulationis eſt
in habitu ſecuritas mentis. De tertio: Iudices quem iu- *Deut.25.a*
ſtũ eſſe proſpexerint, illi iuſtitiæ palmã dabunt, quem
impium condemnabunt impietatis. Iudices ſunt, de
C quibus: Sedebitis vos ſuper ſedes duodecim, *et cet.* *Mat.19.d*
Iſti enim iudicij dabunt approbationem. Sed ſum-
mus iudex auctoritate dabit quidem iuſtis palmam
iuſtitiæ, ideſt pro iuſtitia honorem, vel coronam iu-
ſtitiæ: Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, *et cetera.* Sed *2.Tim.4.b*
quia non coronabitur niſi qui legitime certauerit, *2.Tim.2.a*
ideo ſi vis habere palmam in iudicio, vince vitia in
mundo. Gregorius: Sine laboris certamine non eſt
palma victoriæ. De quarto: Vidi turbam magnam, *Apoc.7.c*
*et cet.* vſque in conſpectum agni amicti ſtolis albis, &
palmæ in manibus eorum. Stolæ albæ ſunt veræ, &
mundiſſimæ bonorum claritates. Palmæ in manibus,
D ſunt retributiones, quas habent ex perſeuerantia in
bonis, & victorioſis operibus. Propter hoc bene le-
gitur quòd Salomon omnes parietes templi texit *3.Reg.6.d*
auro, & fecit in eis cherubim, & palmas, & varias
picturas. Homo eſt templum cæleſte, in quo animæ
auro immortalitatis, & charitatis teguntur. Cheru-
bim ſunt angeli, palmæ victores ſancti, vel perſeue-
rantes iuſti. Variæ picturæ, ſunt varia præmiorum
ornamenta. Perſeueret ergo nunc in bono, qui inter
angelos palmam vult habere in cælo. Bernardus:
Prorſus abſque perſeuerantia, neque qui pugnat, vi-
ctoriam, neque palmam victor conſequitur.
E

# IN COENA DOMINI.

## SERMO I.

C*Vm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo,* *Ioan.13.a*
& cetera. O quanta eſt dilectio quam
charis ſuis Chriſtus exhibet in cælo, ex
quo tantam eis exhibet in mundo. Ele- Chriſti erga ſuos dilectio.
ctis enim ſuis dilectionem exhibet in
mundo quadrupliciter. Videlicet mun-
F dando per veniam, reconciliando per hoſtiam, illu-
minando per ſapientiam, conſolando per gratiam.
Prima dilectionis exhibitio fit per lacrymas, & fle-
tum, ſecunda per ſacrificium, tertia per verbum,
quarta per ſpiritum. De primo: Chriſtus dilexit *Epheſ.5.a*
Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, vt eam
ſanctificaret, mundans aqua, *et cet.* Non ſolum laua-
cro baptiſmi, ſed & lacrymarum mundat eam Deus,
ſcilicet animam. Sed certe timendum eſt quòd ait *Ioan 13.a*
Dominus Petro: Si non lauero te non habebis par-
tem mecum. Magna dilectio, quòd Chriſtus ſordi-
dam animam ſemel mundat lauacro fluminis. Maior
autem quòd totiens mundat lauacro flaminis. Maxi-
ma vero quòd mundauit lauacro ſanguinis: Dilexit *Apoc.1.b*
nos,



nos, & lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. A
Certe niſi mater diligeret filium, tædium haberet to-
tiens eum mundare, & pannos eius abluere, quo-
tiens immundantur. Attende quàm maternæ Chri-
ſtus nos dilexit, qui tot millia animarũ ſordidarum,
totiens mille vicibus a totiens mille ſordidiſſimis pec-
catis lauat. Vere ipſe dicere poteſt cuilibet noſtrum,
*2.Reg.1.d* quod Dauid de Ionatha dicit: Sicut mater vnicum
*Epheſ.5.a* amat filium, ita ego te diligebam. De ſecundo: Am-
bulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, &
tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & ho-
ſtiam Deo, *et cetera,* pro nobis ſuo patri reconci-
liandis. Bene dicit, ſemetipſum, non ouem, vel bo- B
*1.Pet.1.d* uem ſicut in lege, non aurum, vel argentum: Non
corruptibilibus auro, vel argento, non Ioannem Ba-
ptiſtam, vel alium amicum, vel Michaelem, vel An-
gelum aliquem, non matrem ſuam (quod maximum
fuiſſet) immo ſeipſum, ſtupendum quod dicit pro
nobis, immenſiſſimus pro viliſſimis. Gregorius:
Quàm ſtupẽda dulcedo, quàm inuicta manſuetudo,
regem gloriæ pro deſpectiſſimo vermiculo crucifigi?
Tradidit autẽ ſemetipſum ſicut Ionas in naui ad eij-
*Ion.1.d* ciendum: Sicut Iſaac patri ad offerendum: Nota hi-
*Gen.22.c* ſtoriam. Iſaac diuinam, aries humanam Chriſti na-
turam, vepres coronam ſpineam, ſtrues lignorum C
*Deut.4.f* crucem ſanctam ſignificat. De tertio: Audiſti verba
illius de medio ignis, quia dilexit patres, loquitur
*Exod.19.c* de lege veteri: quia ſicut dicitur, data fuit in igne,
*Pſal.118.s* quia vere verba Dei ignea ſunt. Pſalmus: Ignitum
eloquium tuum, *et cet.* Vere enim ſicut ignis illumi-
nat animam, ne in tenebris huius vitæ cadat in lutum
*Pſal.118.o* peccati, in foueam inferni. Pſalmus: Lucerna pedi-
bus, *et cet.* Hæc lucerna clarior eſt ſole. Hanc qui nõ
*Sap.7.d* ſequitur, nequaquam a Deo diligitur: Neminem di-
ligit Deus, niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat. Eſt
enim hæc ſpecioſior ſole. Certiſſimum autem dile-
ctionis Dei eſt ſignum per lumen: verbum Dei eſt in D
*Ioan 15.b* faciendo non in audiendo: Sicut dilexit me pater,
& ego dilexi vos, manete in dilectione mea. Si præ-
cepta patris mei ſeruaueritis, manebitis in dilectio-
ne mea. Eſt ne aliquis hic, qui velit diligi a Chriſto?
Audiat quod ait: Si præcepta mea ſeruaueritis, mane-
*2.Theſ.2.d* bitis in dilectione mea. De quarto: Qui dilexit nos,
& dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in
gratia. Hæc conſolatio fuit per Spiritum ſanctum.
*Act.9.e* Vnde de Eccleſia dicitur: Spiritus ſancti conſolatio-
ne replebatur. Penſa o anima quantum te diligit, qui
tibi arrham pretioſiſſimã dedit. Arrha eius eſt Spiri-
tus ſanctus. Auguſtinus: Ille pretioſus eſt, dans ar- E
rham ſponſæ ſuæ ſanguinem ſuum, & ſpiritum, quo
locupletauit nos in iſta peregrinatione. O quàm mel-
liflua eſt animæ amanti iſta conſolatio, ſcilicet Spiri-
*Eccli.24.c* tus ſancti: Spiritus meus ſuper mel dulcis, *et cetera.*
*Ber. in Cãt.* Sed vbi illud mel inueniemus, Bernardus oſtendit
*ſer.61. an-* dicens: Foderunt manus eius, & pedes, latusq. eius
*te med.* lancea perforauerunt. Per has rimas licet mihi ſuge-
re mel de petra, oleumq. de ſaxo duriſſimo. Huius
petræ rimas non vultures diaboli, ſed columbæ Dei
*Cant.2.c* inhabitant: Columba mea in foramine petræ. *Cum
ergo dilexit,* & cetera. Bene dicit. *In finem dilexit eos.*
In hac enim finali cœna omnia prædicta dilectionis F
ſigna inuenimus. Pedes enim lauit, corpus ſuum de-
dit, ſermonem fecit, Spiritum ſanctum promiſit.
Adapta ſingula ſingulis.

## SERMO II.

*Ioan 13.a* S*I non lauero te, non habebis,* & cetera. La-
uat nos Dominus quadrupliciter. Vide-
licet aqua baptiſmi, lacryma pœnitentia-
li, vino ſacramentali, ſanguine triumpha-
*Ezec.16.a* li. De primo: Laui te aqua, & emunda-
*Pſal.50.c* ui ſanguinem tuum, ideſt peccata. Pſalmus: Libera
me de ſanguinibus Deus. Laui te, inquam, aqua. O
A ſi eſſet aliqua terra, in qua eſſet fons, cuius aqua om-
nes infirmitates lauando ſanaret, quantum diligere-
tur & quæreretur? certe hoc facit aqua baptiſmi, ſi-
gnificatum eſt, vbi Naaman leproſo Eliſeus dicit: *4.Reg.5.c*
Lauare ſepties in Iordane, *et cet.* Sed heu multum
abhorrẽt homines lepram corporis, qui leproſas non
abhorrent animas, quod tamen multo horribilius
eſt: & ideo nunc in paſſione ſua voluit tamquam le-
proſus contemni, vt noſtram lepram mundaret: Nos *Iſa.53.b*
reputauimus eum tamquam leproſum, *et cet.* De ſe- *Pſal.50.b*
cundo. Pſalmus: Lauabis me, *et cet.* Quo autem li-
quore vellet lauari dicit alibi: Lauabo per ſingulas *Pſal.6.b*
B noctes, *et cet.* Mira virtus huius lotionis, qua anima
fit niue albior, quæ prius in peccatis fuit carbone
nigrior: Denigrata eſt ſuper carbones facies eius, *Tren.4.b*
ideſt conſcientia. Pſalmus: Arguam te, & ſtatuam *Pſal.49.d*
contra faciem tuam. Carbo quando igneus eſt, niger
non eſt, immo candens & lucidus. Sed quando ex-
tinguitur, niger efficitur. Sic anima amore Dei igni-
ta, & pulchra, & lucida eſt: Similitudo animalium, *Ezec.1.d*
& aſpectus eorum, quaſi ignis carbonum ardentium.
Sed quando, abundante iniquitate, charitas refrige-
ſcit, tunc anima quaſi carbo nigreſcit, ſed per lacry-
mas iterum ſuper niuem albeſcit. Lauate ergo cha-
C riſſimi lacrymis veſtris animas veſtras, Chriſtus enim
ad lauandum addidit nobis lacrymas ſuas. Ambro-
ſius: Me illi in facie Chriſti abluunt fletus lacrymæ,
illæ delicta mea lauerunt peccatis. De tertio: Laua- *Gen.49.b*
bit in vino ſtolam ſuam. Vinum enim eſt, quod quo-
tidie pro peccatis in altari offertur. Auguſtinus: Quia
quotidie labimur, quotidie Chriſtus myſtice pro no-
bis immolatur: ſed quia vinum eſt ſpecie, ſanguis in
re, ideo ſequitur: Et in ſanguine vuæ pallium ſuum.
Hæc vua in torculari crucis multum preſſa fuit, & ex-
preſſa. Auguſtinus: Primus in torculari Chriſtus
cum ille botrus in paſſione expreſſus emanauit. Vnde
D Pſalmus: Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt! *Pſal.22.b*
Quid autem eſt hæc ſtola, & hoc pallium, vtique Ec-
cleſia, quæ multum lauatur, quia multum dicitur eſſe
candida: Veſtimenta autem eius candida facta ſunt *Mat.17.a*
ſicut nix. De quarto: Qui dilexit nos, & lauit nos a *Apoc.1.b*
peccatis noſtris. Nota quòd dicit a peccatis. Certe
qui aliquem lauaret, qui in ſterquilinio cloacæ per
diem latuiſſet, ſatis eum diligeret. Et certe peccatum
eſt millies ſordidius quolibet ſterquilinio, in quo
iacent peccatores: In ſterquilinio ſuper faciem terræ *Ier.25.g*
iacebunt. Nota etiam quòd dicit nos, non me. Non
enim vnum ſolum in ſterquilinio iacentem neque
E vno die tantum iacentem lauat Dominus, immo in-
numerabiles animas innumerabilibus diebus in pec-
catis iacentes. Ioannes Chryſoſtomus: Hic ſanguis
effuſus eſt, qui omnem orbem terrarum lauit. Nota
ergo illud: *in ſanguine ſuo.* Certe nos ſatis amicus ille
diligeret, qui in balſamo nos lauaret, quanto magis
qui in ſanguine nos lauit tam pretioſo? Vere pretio-
ſo: Non corruptibilibus auro, vel argento, *et cetera.* *1.Pet.1.d*
Vere pretioſo. Bernardus: Mittitur Virginis filius,
Altiſſimi Dei, & iubetur occidi, vt vulneribus meis
pretioſo ſanguinis illius balſamo medeatur. Hæc
quattuor lauacra hos quattuor liquores Chriſtus de
F ſuo corpore exhibuit, aquam latus, lacrymam ocu-
lus, vinum manus, ſanguinem totum Chriſti corpus
miniſtrauit, de aqua dicitur: Continuo exiuit ſan- *Ioan.19.f*
guis, & aqua. Qui hac aqua mundari & refici vult,
non ad ſiniſtrum cum impijs, ſed ad dextrum latus
Chriſti ſit: Ecce aquæ redundantes ex latere dextro, *Ezec.47.a*
*et cetera.* De lacryma: Lacrymatus eſt Ieſus, ſicut *Ioan.11.e*
tunc mortuum Lazari corpus, ita mortuas animas
quotidie ſuſcitat. De vino patet, quia illud mundiſ-
ſimis manibus diſcipulis dedit: Accipiens calicem, *Mat.26.c*
*et cet.* Væ ergo immundis manibus ſacerdotis, de quo
dici poteſt illud: Ecce manus tradentis, *et cetera.* *Luc.22.c*
De ſanguine quoque patet, quòd illum de manibus,
& pedibus, de latere, immo de toto corde, etiam de
minimo

minimo digito emiſit. Auguſtinus: Orauit Patrem, & cum oraret, globi ſanguinis de toto corde eius ſtillabant.

## SERMO III.

[*Ioan. 13. b*] Qvi lotus eſt, non indiget niſi, vt pedes lauet. Pedes animæ ſunt affectus, qui etiam in bonis a puluere venialium ſunt mundandi. Pedes ergo lauantur, quando affectus animæ mundantur. Iſtorum pedum lotio, ideſt affectuum purgatio, vtilis eſt nobis ad deuotionem, ad communionem, ad defenſionem, ad beatificatio- [B] nem. Vtilis vtique eſt nobis ad augendam gratiam, ad accipiendam Euchariſtiam, ad habendam victo- [*Iob. 29. a*] riam, ad conſequendam gloriam. De primo: Lauabam butyro pedes, & petra fundebat mihi riuos olei. Butyrum ouium eſt, in quo lauandi ſunt pedes. Ouis [*Iſa. 53. c*] autem Chriſtus eſt: Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt. Butyrum eſt pinguis Chriſti doctrina. Butyro ergo lauantur, qui ad Chriſti doctrinam compunguntur. Mundatis autem affectibus, gratia deuotionis accedit. Ideo ſequitur: Petra fundebat mihi riuos olei. Petra autem erat Chriſtus, in qua columba requieſcit per meditationem, per deſiderium, per amo- [C] [*Cant. 2. c*] rem: Columba mea in foraminibus petræ, ideſt vulneribus Chriſti. Laues ergo pedes animæ, ſi oleum deuotionis, & gratiæ de foraminibus petræ vis habe- [*Bernar. in Cãt. ſer. 61 ante med.*] re. Bernardus: Per has rimas, licet mihi ſugere mel de petra, oleumq. de ſaxo duriſſimo. De ſecundo dicitur patriarchis fratribus Ioſeph, quòd lauerunt pe- [*Gen. 43. f*] des ſuos, deditq. pabula aſinis eorum, illi vero & præparauerunt munera, donec ingrederetur Ioſeph meridie. Audierunt ergo quòd ibi comeſturi eſſent panem. Ioſeph Chriſtum ſignificat propter venditionem, & propter tunicæ exutæ ſanguinolentiam. Chriſti enim tunica eſt caro eius ſanguine perfuſa, quæ [D] etiam anima in morte fuit exuta. Panis, quem cum Ioſeph manducamus, corpus Chriſti quod ſumimus, quem hic ſuis diſcipulis dedit. Hic eſt panis quē [*3. Reg. 17. b*] Elias petijt a muliere colligente duo ligna, quæ crucem Chriſti figurant. Quia ergo Chriſtus celebrari vult ab Eccleſia hoc ſacramentum in memoria ſuæ immolationis in cruce, ideo a muliere colligente duo ligna quæſiuit. Si panem digne cum Ioſeph vis manducare, pedes affectuum lacrymoſa compunctione laua, munera orationum, eleemoſynarum, & bonorum operum para, ſicut de Caſſio Epiſcopo Varienſi ſcribitur in homilijs: Cuncta quæ habebat in eleemoſynis tribuens. Cum ad horam offerendi [E] ſacrificij veniſſet, velut totus in lacrymis defluens, ſemetipſum cum magna cordis contritione mactabat. [*Tob. 6. a*] De tertio: Exiuit, vt lauaret pedes ſuos, & ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum, ſcilicet Tobiam. Hunc piſcem per Raphaelem confortantem ſuperauit. Piſcis iſte diabolus eſt, hic quia humanum genus deuorauerat, Deus Pater hamum contra ip- [*Iob 40. d*] ſum miſit filium ſuum: An extrahere poteris Leuiathan hamo? Inuadens ergo diabolus in paſſione eſcā humanitatis, captus eſt hamo deitatis. Piſcis Tobiam inuaſit, quando pedes lauit, quia diabolus pœniten- [F] tem, & conſcientiam lauare volentem maxime infe- [*Eccli. 2. a*] ſtat: Fili accedens ad ſeruitutem, *et cet.* Raphael medicina Dei interpretatur, & ſignificat Chriſtum qui nobis, & medicina, & medicus fuit, a quo confortati, diabolum vincimus. Si ergo vis vincere piſcem diabolum, pedes laua. Tunc quaſi in mari lacrymarū Pharaonem, ideſt diabolum, ſuffocas. O lacryma victorioſa, quid mirum ſi vincis diabolum, cum etiam vincas Deum. De te enim Bernardus ait: A certantibus inimicis ſilentium imponis, & quandoque ſententiam ab ore iudicis rapis. Et quid plura: vincis inuincibilem, & ligas omnipotentem. De quarto di- [*Ioan 13. d*] citur in præſenti Euangelio: *Si non lauero te, non ha-* [A] *bebis partem mecum*. Pſalmus: Pars mea Deus in [*Pſal. 73. d*] æternum. Hanc amittere poſſumus in hoc mundo, ſed non in cælo. Primum in Petro ſignificatum dicitur: *Si non lauero te, et cet.* Secundum in Maria ſi- [*Luc. 10. g*] gnificatur: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, *et cet.* Quòd iſta quattuor bona pedū lotione, ideſt affectuum purgatione conſequamur, ſi- [*Gen. 18. a*] gnificatum eſt, vbi tribus angelis dicit Abraam: Lauentur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore, *et cet.* Poſtea, quis eſt ita perfectus, vt ablutione non egeat, cum & pedes angelorum lauentur? Laua igitur pedes animæ, vt requieſcas ſub arbore crucis in deuotione: [B] Vnde dicit: Requieſcite ſub arbore. Laua pedes animæ, vt reficiaris in coronatione. Vnde additur: Ponam buccellam panis. Laua pedes animæ, vt conforteris in tentatione. Vnde ſubiungitur: Confortetur cor veſtrum. Laua pedes animæ, vt tranſeas in euo- [*Ioan. 13. a*] latione ad gloriam. Vnde ſequitur: Poſtea tranſibitis: Vt tranſeat de hoc mundo ad patrem.

## SERMO IV.

[*Luc. 22. b*] Hoc facite in meam commemorationem, & cet. Corporis ſui, & ſanguinis myſteria Chri- [C] ſtus in cœna inſtituit, & in Eccleſia celebrari vult, vt per hoc memores ſui ſimus. Vnde ait: *Hoc facite in meam commemorationem*. Certe in commemorationem meæ paſſionis, meæ propitiationis, meæ dilectionis, meæ vnionis. De primo: [*1. Cor. 11. f*] *Hoc facite quotieſcumque biberitis in meam commemorationem. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis.* Semper quidem in memoria Chri- [*Thren. 3. e*] ſtiani Chriſti paſſio eſſe debet. Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſynthij, & fellis memoria memor ero. Recordare paupertatis contra [D] auaritiam, tranſgreſſionis contra ſuperbiam, abſynthij & fellis contra concupiſcentiam. Præcipue tamen quotieſcumque hunc panem manducamus, memoriam Dominicæ paſſionis habere debemus. Bene autem memoria eius paſſionis in ſacrificio panis habetur, ſi ad memoriam reducitur quo modo panis fiat de grano triturato, mola contrito, in clibano cocto. [*Ioan. 12. d*] Granum ergo Chriſtus eſt: Niſi granum frumenti, [*Ioan 19. a*] *et cetera*. Trituratus autem eſt in flagellatione: Tunc apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit. Contritus [*Iudic. 16. f*] etiam eſt in mola crucis. Vnde dicitur quòd Philiſthiim Samſonem molere fecerūt, ſicut iudaicus populus, niſi per dæmones excæcatus fuiſſet, Chriſtum [E] [*Iſa. 53. b*] in mola crucis nō attriuiſſet: Attritus eſt propter ſcelera noſtra. Miſſus fuit quoque in clibanū ſepulchri, quo ad corpus, inferni autem, quo ad animam, de [*Leuit. 2. b*] quo dicitur, quòd ſacrificium de clibano debuit eſſe ſine fermento, ſcilicet culpæ, & ignorantiæ, & con- [*Leuit. 2. a*] ſperſum oleo, ſcilicet gratiæ. De ſecundo dicitur: quòd ſacerdos tollet in holocauſtum ſuauiſſimum Domino pugillum ſimilæ, & olei ac totum tus, & ponet memoriale ſuper altare, *et cet.* Hoc eſt memoriale propitiationis. Per oblationem enim ſuper altare propitiatio fit, ergo maxime per ſacramentum al- [F] taris. Gregorius: Singulariter ad abſolutionem noſtram oblata cum lacrymis hoſtia ſuffragatur. Sed nota quòd in Chriſto tres ſunt ſubſtantiæ, ſcilicet corpus, anima, deitas. Per ſimilam enim caro Chriſti ſignificatur, quemadmodum ſimila caruit vitio, furfure ſcilicet. In ſimilia corporis Chriſti munditia, in oleo autem animæ eius gratia, in ture vero diuinitatis latria, ſiue honor ſignificatur. Per ſimilam ergo capimus propitiationem contra culpam, vt dictum eſt. Item ſuſtentationem per gratiam ſicut filij Iſrael [*Exo. 16. g*] manna ſuſtentabantur in deſerto, cuius naturalis ſa- [*Num. 11. b*] por, vt dicitur, & fuit quaſi ſimilæ cum melle, & quaſi panis oleati: ſapor enim huius ſacramenti, quaſi ſimilæ ex parte corporis, quaſi olei ex parte animæ, quaſi



quaſi mellis ex parte diuinitatis. Item promotione [A] [*Ezec. 16. b*] ad gloriam. Vnde animæ Chriſtianæ dicitur: Similam & mel, & oleum comediſti, & facta es decora vehementer nimis, & profeciſti in regnum. Bernardus: Euchariſtiæ plane ſacramentum potens eſt peccata conſumere, debellare aereas poteſtates, inferre [*Oſee 14. b*] cælis reuertentes de terra. De tertio: Diligam eos ſpontanee, quia auerſus eſt furor meus ab eis. Vbi enumerans beneficia ſuæ dilectionis, inter alia ſubiungit: Viuent tritico, memoriale eius ſicut vinum libani. Pro memoriali ergo dilectionis diuinæ habes triticum corporis, & vinum ſanguinis Chriſti. Dilectio autem Dei, qui nobis in hoc ſacramento oſten- [B] [*2. Reg. 12. a*] ditur, euidenter ſignificatur, vbi de ouicula pauperis [*2. Cor. 8. b*] dicitur, quòd pauper iſte Chriſtus eſt: Propter nos [*Luc. 15. b*] egenus factus eſt. Ouicula eſt fidelis anima: Inueni ouem quam perdideram, *et cet.* Magna Dei dilectio, [*1. Cor. 6. d*] hæc ouis pretio ſanguinis emitur: Empti enim eſtis [*Sap. 16. c*] pretio. Item ſacramento corporis nutritur: Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum. Item ſinu miſericordiæ fouetur, vt in ſinum Abraæ recipiatur. De [*Pſal. 110. a*] quarto. Pſalmus: Memoriam fecit, *et cetera*, vſque eſcam dedit timētibus ſe. Sicut enim magna eſt vnio eſcarum ad ſumentem, quia carni, & ſanguini ſumentis vnitur, ſic nos mirabiliter vnimur eſca corporis [C] Chriſti. Auguſtinus: Cibus ſum grandium, ideſt [*Aug. lib. 7. confeſſ. cap. 10. to. 1.*] grandis gratiæ. Non enim ego mutabor in te, ſed tu mutaberis in me. Bernardus autem vnionem animæ cum Deo alijs ſimilitudinibus exprimit, dicens eam vniri cum Deo ſicut vnitur ignis ferro ignito, aer cum ſolis radio, aquæ ſtilla cum vino.

## SERMO V.

[*Sap. 16. c*] PAratum panem de cælo præſtitiſti eis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem. Mirabilis Deus, quia ita mirabiliter panem [*Pſ. 110. a*] ſuis parat. Pſalmiſta: Memoriam fecit [D] mirabilium, *et cet.* Oſtenditur autem in his verbis propoſitis in pane corporis Chriſti mirabilis ſubſtantia cum dicitur: *Panem de cælo*, mirabilis potentia, cum additur, *omne delectamentum, et cetera.* Inueni- [*Octo mirabilia circa panem exhibita.*] mus autem in veteri teſtamento octo mirabilia circa panem exhibita, videlicet mirabile productionis, multiplicationis, miniſtrationis, conſumptionis, ſubuerſionis, confortationis, delectationis, tranſmiſſionis. Horum mirabilium memoriam fecit Dominus [*Pſal. eodem*] in pane corporis ſui. Ad cuius ſubſtantiam pertinent prima quattuor mirabilia. Ad potentiam alia quattuor ſequentia. Conſidera ergo circa ſubſtantiam [E] mirabile productionis, in verbis tranſubſtantialibus, mirabile multiplicationis, in locis continentibus, mirabile miniſtrationis, in miniſtris diſpenſantibus, mirabile conſumptionis, in formis tranſeuntibus. [*Exo. 16. a*] De primo: Ecce ego pluam vobis panem de cælo. Mirabilis vtique modus producendi panem, qui pluendo de cælo deſcendit. Sic per verba tranſubſtantialia oſtenditur in verbis iſtis formæ ſenſibilitas, gratiæ multiplicitas, naturæ ſublimitas, primum ibi: Ecce, fit enim demonſtratio formæ ad oculum. Ecce dicit, ſicut Ioannes Baptiſta: Ecce Agnus Dei. Secun- [*Ioan. 1. d*] dum ibi: Pluam. Pluuia habet multas ſtillas, & hoc [F] [*Pſal. 77. c*] ſacramentū multas gratias. Pſalmus: Pluit illis man- [*Ioan. 3. d*] na, *et cet.* Tertium ibi: De cælo: Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt. Et quia de cælo venit, credenda eſt cæleſtis familia adeſſe cæleſti cibo. Gregorius: Quis veſtrum dubium habere poſſit in ipſa immolationis hora ad ſacerdotis vocem cælos aperiri, & in illo Ieſu Chriſti myſterio angelorum choros adeſſe? De ſecun- [*4. Reg. 4. g*] do: Vir quidam venit deferens viro Dei panes primitiarum, & panes ordeaceos, & frumentum nouum in pera, qui panes miraculoſe multiplicati ſunt ad ſatietatem centum virorum, & ſimiliter in Euangelio [*Mat. 14. b & 15. d*] quinque, & ſeptem panes. Hic multiplicatio fit etiam corporis Chriſti, qui in multis locis eſt ſimul, & ſe- [A] mel, & multis ſumentibus, ſicut illi panes in multis erant edentibus. Vir ferens panes, eſt Chriſtus. Conſideratur autem corpus Chriſti ſecundum ſtatum incarnationis, & ſic per frumentum nouum ſignifica- [*Ier. 31. d*] tur: Creauit Dominus nouum, *et cet.* Item ſecundum ſtatum paſſionis, & ſic per panem ordeaceum. Ordeaceum enim aculeatum, & aſperum eſt. Vnde etiam quinque panes ordeaceos de quinque vulneribus quidam exponunt. Item ſecundum ſtatum reſur- [*1. Cor. 15. c*] rectionis, & ſic per panes primitiarum: Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium. De tertio [*3. Reg. 17. a*] dicitur de Elia: Corui quoque deferebant ei panem, [B] & carnes mane, ſimiliter panem & carnes veſpere. Mirabile eſt quòd panem per coruum miniſtrabat Dominus, non per hominem, ſicut mirabile eſt quòd corpus ſuum per ſacerdotem miniſtret, quod angeli vix digni ſunt miniſtrare, & mirabilius quòd per peccatores, qui per coruos propter vitiorum nigredinem forte ſignificantur, hic eſt coruus, qui ad arcam [*Gen. 8. a*] Eccleſiæ non reuertitur. Oſtenditur ergo mali miniſtri indignitas in coruo. Auguſtinus: Anima peccatoris coruo nigrior eſt. Item ſacramenti veritas in panibus, in carnibus. In pane, propter ſpeciem, in carnibus, propter rem, quæ eſt vera Chriſti caro. Vnde: [C] [*Ioan 1. b*] Verbum caro factum eſt. Non putes ergo malum ſacerdotem non conficere, cum videas coruum non ſolum panem miniſtrare, ſed etiam carnes. Item ſacramenti durabilitas in mane, & in veſpere, per quæ exordium & finis Eccleſiæ ſignificatur. Mane vero & veſpere, & a principio Eccleſiæ vſque ad finem, [*Mat. 28. d*] hoc ſacramentum miniſtratur: Vobiſcum ſum vſque [*Iudic. 6. d*] ad conſummationem, *et cet.* De quarto: Aſcendit ignis de petra, & carnes, azymoſq. panes conſumpſit. Ita in hoc ſacramento mirabilis conſumptio accidentium, quando a dentibus ſumentium ſumptum fuerit. Sed nota quòd in igne ſignificatur Spiritus ſan- [D] [*Exo. 12. b*] cti poteſtas: Si quid reſiduum ſuperfuerit, igni comburetur, ideſt ſecundum Gregoriū, quidquid de hoc ſacramento intelligere non poſſumus Spiritui ſancto committendum eſt. Item in petra fidei firmitas. In [*Pſal. 39. a*] hac enim petra fortiter ſtare debemus. Pſalmiſta: Statuit ſupra petram pedes meos. Item in azymis panibus corporis Chriſti puritas, & a fermento peccati [*Exo. 12. b*] immunitas ſignificatur: Edent carnes nocte illa aſſas igni, *et cet.* ideſt cum amaritudine pœnitentiæ: nam puriſſimum corpus niſi purgati per pœnitentiam ſumere non debemus. Auguſtinus: Talis conuenit cura ſinceritatis ſacramentalis, qualia ſunt ſacra ipſa, [E] quibus exhibentur officia ſeruitutis. Ignis ergo de petra ſacrificium conſumit, quando fides firma virtuti Spiritus ſancti totum committit.

## SERMO VI.

[*Sap. 16. c*] PAratum panem de cælo præſtitiſti eis ſine labore, & cetera. Mirabilis huius panis potentia, vel effectus oſtenditur cum dicitur: *Omne delectamentum*, & cetera. Ad hunc autem pertinet effectum, mirabile ſubuerſionis, confortationis, delectationis, tranſ- [F] miſſionis. Conſidera in pane corporis Chriſti mirabile ſubuerſionis in peruerſis, mirabile confortationis in attritis, mirabile contemplationis in contemplatiuis, mirabile, tranſmiſſionis in defunctis. De [*Iudic. 7. d*] primo nota quòd de pane ſubcineritio dicitur: Vidi ſomnium & videbatur mihi, quaſi ſubcineritius panis ex ordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere. Cumq. perueniſſem ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit. Conſidera huius miraculi memoriam in hoc ſacramento, quo peruerſi & indigne communicantes percutiuntur, ſubuertuntur, terræ coequantur, & hoc per tri- [*1. Cor. 11. g*] plicem mortem, ſecundum quòd innuit Apoſtolus. Percutiuntur ergo per mortem ſpiritualem. Vnde ait

[*Ibidem. f*] A ait Apoſtolus: Quicumque manducat & bibit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Subuertuntur per mortem æternalem. Vnde dicitur ibidem: Qui manducat & bibit, *et cet.* Quàm multos Iudas implet, ſaucians indigne accipiẽtes buccellas ad iudicium ſuum! Terræ vero coæquantur per mortem temporalem, quando terra in terram reuertitur. Vnde dicitur ibidem: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, *et cetera.* De [*3. Reg. 19. a*] ſecundo: Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Oreb. Hoc dicitur de pane, quem, excitante Angelo, comedit Elias. Panis iſte eſt corpus Chriſti, B quo mirabiliter confortamur in laborioſis huius vitæ actionibus, & tentationibus. Tria autem in his verbis oſtenduntur. Primo actiuorum confortatio, cum [*Pſal. 103. b*] dicitur: Ambulauit in fortitudine, *et cetera.* Panis cor hominis confirmat. Secundo, confortationis continuatio, cum dicitur: Quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ponit autem in die proſperita- [*Gen. 31. f*] tis, in nocte aduerſitatis ſignum: Die noctuq., æſtu & gelu vrebar. In æſtu male accendens amor in die proſperitatis: in gelu vero timor male conſtringens in nocte aduerſitatis ſignificatur, contra quæ confortari multum indigemus. Tertio innuitur continuationis C remuneratio, quæ erit in cæleſti refectione. Vnde additur: Vſque ad montem Dei Oreb. Oreb enim [*Luc. 22. e*] interpretatur menſa: Vt edatis & bibatis ſuper menſam meam, *et cetera.* De tertio dicitur hic: Omne delectamentum in ſe habentem, quod ibidem plenius exprimitur, cum ſubiungit: Et deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, conuertebatur, ita & panis corporis Chriſti mirabiliter delectat contemplatiuos, & deuotos. Manna enim propterea hanc mirabilem triplicem naturam habuit. Saporem, ſicut Scriptura manifeſtat, ſcilicet ſimilæ cum melle, & panis oleati. Sic & hoc ſacramentum ſecundũ triplicem ſubſtantiam D in Chriſto triplicem ſpiritualem ſaporem habet, vt in guſtu animæ deuotæ. Habet enim ſaporem mellis quo [*Eccli. 24. c*] ad diuinam naturam: Spiritus meus ſuper mel dulcis, *et cet.* Quaſi ſaporem olei, quo ad animam ſpecioſiſ- [*Pſal. 44. b*] ſimam gratia vnctam. Pſalmus: Vnxit te Deus oleo, *et cet.* Quaſi ſimilæ, quo ad corpus purum a furfure [*Ezec. 16. b*] fomitis, & corruptionis originalis: Similam & mel, & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis. Vbi tria verba prædicta animæ ingratæ obij- [*Dan. 14. f*] ciuntur. De quarto, legitur quòd panes, quos Abacuc intriuerat in alueolo, ductu angelico tranſmittuntur Danieli in lacum leonum. Hic eſt panis corporis E Chriſti, qui dum pro defunctis offertur, tunc in lacum purgatorij tranſmittitur per effectum. Hæc autem tria paſſionis Chriſti memoratiua, cuius paſſione purgantur animæ a culpa, & pœna, ſignificantur per hoc quod dicitur, intriuerat panes. In pœnalitate enim paſſionum attritus, & intritus eſt Chriſtus etiam [*Iſa. 53. b*] in alueo crucis: Attritus eſt propter ſcelera noſtra. Innuitur etiam angelicæ curæ diligentia, quia ductu angelico panis iſte perlatus eſt. Vnde in Canone. *Iube hoc perferri per manus ſancti Angeli tui.* Innuitur tertio purgatoriæ pœnæ ſæuitia, in leonibus qui erant F in lacu. In ferocitate enim leonum, ferocitas pœnarum ſignificatur. Septenarius autem ad pœnarum vniuerſitatem pertinet. Vnde bene cantat Eccleſia: Libera eas de ore leonis. Ex prædictis collige, quàm periculoſum ſit mente indigna, quàm fructuoſum ſit mente digna communicare. Propter hoc bene ait Auguſtinus: Quotidie Euchariſtiæ accipere communionem, nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen Dominicis diebus cõmunicandum hortor, ſi tamen mẽs in affectu peccandi non ſit. Nota iſtũ ſermonem: Cum videris nudum, & duos ſequentes: Vere languores, *et cet.* Prædica clauſtralibus & eis, qui ſpiritualiter non carnaliter nouerunt ſe parare.

# IN PARASCEVE

## SERMO I.

[*Iſa. 53. a*] V*Ere languores noſtros ipſe tulit.* Quoniã valde incredibile videbatur, quòd tanta maieſtas ad tantam veniret humilitatem, ideo quaſi iurando ait: *Vere.* Languidum erat genus huma- [*Iſa. 1. b*] num: Omne caput languidum, *et cet.* B [*Ier. 17. b*] Vnde propheta: Sana me Domine, & ſanabor. Fuerunt autem ſeptem languores humani generis ſpirituales, & ſignificati ſunt per ſeptem languores corporales, quos Dominus curaſſe legitur. [*Languores humani generis ſeptẽ.*] Septem languores, ſeptem capitalium vitiorum, quos Deus tulit, ideſt abſtulit ſpiritualiter, vel tulit, ideſt portauit per quaſdam ſimilitudines corporaliter. *Vere* ergo *languores, et cetera.* Leproſum fuit genus humanum [*Mat. 8. a*] per ſuperbiam: Ecce leproſus veniens, *et cet.* Lepra enim tumeſcere facit carnem, & ſuperbia ſpiritum. Iſtum languorem Dominus pro nobis portauit per ſimilitudinem. Leproſi enim cum horrore videntur, C [*Sap. 2. c*] ſic & Chriſtus: Grauis eſt nobis ad videndum. Et: [*Iſa. 53. a*] Nos putauimus eum quaſi leproſum, *et cetera.* Item leproſi ab hominibus eijciuntur, ſic & Chriſtus: Ex- [*Heb. 13. b*] tra portam paſſus eſt: exeamus igitur ad eum, *et cet.* [*Mat. 26. f*] Item ab amicis relinquuntur, ſic & Chriſtus: Diſci- [*Prou. 19. a*] puli, relicto eo, omnes fugerunt: Fratres hominis pauperis oderunt eum in ſuperbia, & amici eius procul receſſerunt ab eo. Iudæi & Iudas oderunt Chri- [*Ioan 15. b*] ſtum. Amici autem ſunt Apoſtoli, & diſcipuli: Vos amici mei eſtis. O anima inflata quo modo poſt tantam medicinam adhuc remanet in te ſuperbiæ lepra? Auguſtinus: Quid tumeſcis o homo, o pellis morti- D cina? quid tenderis, o ſanies fœtida? quid inflaris? princeps tuus fœtidus eſt, & tu ſuperbus. Paralyti- [*Mat. 9. a*] cum item fuit genus humanum per inuidiam: Ecce [*Paralyſis.*] offerebant ei paralyticum, *et cetera.* Paralyſis autem aufert motum, & ſenſum: ſic & inuidia motum charitatis ab effectu, & ſenſum veritatis ab intellectu. Iſtũ languorem Dominus pro nobis portauit per ſimilitudinem, ſicut patet. Paralyſis enim ſpecialiter manifeſtatur in cruribus, ita quòd vix poteſt homo ſtare in [*Mat. 26. g*] eis quin labatur: Sic & Chriſtus per impulſum alaparum, & colaphorum collabi potuit inter manus per- [*1. Reg. 21. d*] ſequentium, ſicut ſignificatum eſt: Collabebatur in- E [*Idem ſer. proxi. ſuperiore.*] ter manus eorum. Item in manibus, quia reddit eas ad operandum inutiles: ſic & Chriſti manus volebant Iudæi inutiles reddere ligando: Comprehende- [*Ioan 18. c*] runt Ieſum, & ligauerunt eum, immo & clauis fer- [*Iudith. 6. b*] reis ligabantur ei manus in cruce: Ligauerunt Achior ad arborem manibus, & pedibus. Auguſtinus: Ligatur qui ſoluit compeditos, ligno ſuſpenditur, qui erigit eliſos, aceto potatur fons vitæ. Item in capite, [*Ioan 19. f*] quia reddit ipſum tremulum, ſicut & in Chriſto: Inclinato capite tradidit ſpiritum. *Vere* ergo *languores noſtros, et cet.* Febricitans fuit genus humanum per [*Ioan. 4. g*] iram: Hora ſeptima reliquit eum febris. Iraq. F ad modum febris accendit homines. Ira eſt accenſio ſanguinis circa cor. Iſtum quoque dolorem Chriſtus pro nobis portauit per ſimilitudinem, ſicut patet. Febricitantes enim ſolent maxime caput dolere: ſic & Chriſtus vere caput dolere potuit, quia præ cete- [*Mat. 27. d*] ris membris maxime paſſum fuit. Licet enim dorſum fuerit flagellatum, manus & pedes perforati, ipſum tamen caput ſanctiſſimum, & miſerandum alapis cæditur, ſputis maculatur, arundine percutitur, [*4. Reg. 4. c*] ſpinis coronatur. Vnde bene potuit dicere illud: Caput meum doleo, caput meum doleo. Huius capitis membra non ſunt, qui carnaliter viuendo, tantis eius doloribus non compatiuntur. Bernardus: Sub ſpinato capite non decet corpus viuere delicate. Item ſolent



ſolent per ſudorem creticare, ſic Chriſtus pro nobis A [*Luc. 22. e*] agonizauit, & ſudauit: Factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius. Ecce quam grauis fuit infirmitas generis humani, quam non per ſudorem ſimplicem, ſed ſanguinis oportebat curari. Item per calorem ſolent veſtimenta abijcere, ſic & Chriſtus dum nudus in cruce pependit. Vnde Michol ad Da- [*2. Reg. 6. d*] uid ait: Quàm glorioſus, *et cet.* vſque, quaſi videretur vnus de ſcurris. Dauid Chriſtum, Michol ſynagogam ſignificat. Sicut enim Michol primo fuit Dauid copulata, ſecundo alteri data, Dauid reddita, ſic ſynagoga primo adhæſit Chriſto, modo autem Chriſtum reliquit, in fine vero mundi ad fidem conuertetur. Synagoga ergo deridet nuditatem Chriſti in cruce pendentis.

## SERMO II.

[*Iſa. 53. a*] V*Ere languores noſtros ipſe tulit.* Reſtat dicere de quattuor languoribus humani generis, quos tulit Dominus. Languidum quoque fuit genus humanum, & imbecille per ac- [*Ioan. 5. a*] cidiam: Erat autem quidam homo ibi triginta, & octo annos habens in infirmitate ſua. Accidioſi enim imbecilles ſunt ad fortia, & languidi ad opera. Iſtum languorem pro nobis Dominus tulit per ſimilitudinem ſicut patet. Languidi enim propter diuturnitatem morbi ſeruientes ſibi tædio afficiunt: ſic Chriſtus. Vnde quidam dicunt quòd cuſtodes dederunt ei acetum bibere, vt citius moreretur, & a cuſtodia liberarentur. Item de lecto per ſe non aſcendunt, niſi per alium deponantur: Sic Chriſtus de lecto crucis, quamuis ſatis eum prouocarent, dicentes: Si Filius [*Mat. 27. e*] Dei es, *et cet.* tamen non deſcendebat, donec a Io- [*Luc. 23. g*] ſeph deponeretur: Depoſitum inuoluit in ſyndone [*2. Reg. 4. d*] munda. Hic eſt lectus, de quo: Impij fecerunt virum innoxium in domo ſua. Domus eſt ſynagoga. [*Pſal. 101. a*] Item tandem areſcunt: ſic & Chriſtus. Pſalmus: Omnia oſſa mea, ſicut cremium aruerunt. Quid mirum ſi corpus aruerat, de quo non ſolum in cruce, ſed etiam in oratione tantus ſanguis fluxerat? Auguſtinus: Cum oraret, globi ſanguinis de toto corpore eius diſtillabant: *Vere* ergo *languores*, & cetera. Hydropicum etiam fuit genus humanum, per auari- [*Luc. 14. a*] tiam: Ecce homo quidam hydropicus, *et cet.* Sicut enim hydropici quanto plus bibunt, tanto plus ſitiunt: ita auari quanto plus temporalia creſcunt, tanto plus in auaritiam ardeſcunt. Iſtum languorem Dominus portauit pro nobis per ſimilitudinem ſicut patet. Hydropici enim multum ſitiunt: ſic & Chri- [*Ioan. 19. e*] ſtus: Sitio. Bernardus: Domine, quid ſitis? Ergo ne te plus cruciat ſitis, quàm crux? de cruce ſiles, & de ſiti clamas: Sitio. Quid? Veſtram fidem, veſtram ſalutem, veſtrum gaudium: plus animarum veſtrarum quàm corporis mei cruciatus me tenet. Item ſicut tympanum diſtenditur, ſic Chriſtus in cruce. Legi- [*Exod. 15. c*] tur, quòd tranſito mari rubro, ſumpſit Maria tympanum & præcinebat. Maria animam deuotam, mare rubrum, paſſionem vel ſanguinem ſignificat, in quo Iſrael, ideſt fideles ſaluantur, Ægyptij, ideſt dæmones, vel impij pereunt. Tympanum autem eſt Chriſtus in cruce. Sicut enim in tympano pellis ſuper lignum, ita Chriſtus in cruce diſtenſus eſt. Tympanum ergo fit, & præcinit, qui Chriſtum in cruce conſiderans, imitatur, & gratias agit. Item quandoque inciduntur, vt aqua emittatur: ſic & Chriſtus. [*Ioan 19. f*] Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis, & aqua. *Vere* ergo *languores*, & cet. Lunaticum, & epilepticum fuit genus humanum [*Mat. 17. b*] per gulam, & ebrietatem: Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt. Sicut enim lunatici corruunt & inſaniunt, ita & ebrij. Iſtum languorem pro nobis Dominus tulit per ſimilitudinem ſicut patet. Solent enim tales ſe præcipitare in ignem, & in aquam: ſic



A & Chriſtus ſe quaſi præcipitauit in ignem paſſionis. Vnde ipſe Dominus: Ego ſum, ſi me quæritis, *et cet.* [*Ioan. 18. b*] Hic eſt ignis, quo rubus humanitatis ardebat, in quo [*Exod. 3. a*] Dominus apparuit. Præcipitauit etiam ſe in mare in amaritudine paſſionum: Mitte me in mare, *et cet.* [*Ionæ 1. d*] Item ſolent ſpumare: ſic & Chriſtus bene ſignificatur in Dauid, de quo: Defluebantq. ſaliuæ eius in [*1. Reg. 21. d*] barbam. Saliuæ ſcilicet cõſpuentium: Faciem meam [*Iſa. 50. c*] non auerti. Item ſolent horrendas voces emittere: ſic & Chriſtus: Ieſus autem clamans voce magna, [*Mat. 27. f*] emiſit ſpiritum. Hæc vox dæmonibus fuit horrenda, ſed hominibus multum attendenda. Bernardus: Va- B lide clamauit, vt audiretur ab hominibus: clamoribus lacrymas addidit, vt homo compateretur. Sanguifluum etiam fuit genus humanum per luxuriam: Ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum, *et cetera.* Sicut [*Mat. 9. c*] enim verecunda eſt iſta infirmitas, ſic & peccatum luxuriæ. Iſtum languorem Dominus pro nobis tulit per ſimilitudinem, ſicut patet. Manifeſte enim ſanguine fluxit. Terra ne operias ſanguinem meum. Item [*Iob 16. d*] tales decolorantur, ſicut & Chriſtus: Non eſt ſpecies [*Iſa. 53. b*] ei, neque decor. Item interius torſiones, & dolores habent, & in Chriſto ſuper omnes dolores corporis C exterius, fuit dolor de humana ingratitudine interius. Pſalmus: Super dolorem vulnerum meorum addi- [*Pſal. 68. c*] derunt, *et cet.* Bernardus: Homo vide quid pro te patior, ſi eſt dolor ſicut quo crucior: ad te clamo, qui pro te morior, vide pœnas quibus afficior, vide clauos quibus confodior. Cum ſit tantus dolor exterior, interior tamen planctus eſt grauior, dum te ingratum experior.

## SERMO III.

[*Iſa. 58. b*] C*Vm videris nudum, operi eum.* Vide ergo ocu- D lis mentis Saluatorem pro te nudum in cruce pendentem, & operi eum Fide, Charitate, deuotione, & operibus miſericordiæ. Solent autem quattuor genera hominum eſſe nuda, videlicet, ebrij, ſpoliati, mendici, mimi ſiue ſcurræ, ita Chriſtus fuit nudatus. De primo: Bibens [*Gen. 9. d*] inebriatus eſt, & nudatus iacuit in tabernaculo. Noe, de quo iſtud dicitur, Chriſtum ſignificat, qui fortiſſimo charitatis vino inebriatus fuit, quando pro hominis ſalute mori voluit. Cui bene ebriorũ proprietates conueniunt. Ebrius enim nudatur quandoque, ſic Chriſtus nudatus fuit quandoque, & deriſus, ſicut Noe a Cham. Vnde verſus:

E *Cham ridet, dum membra videt detecta parentis:*
*Iudæi riſere Dei pœnam patientis.*

Item ebrius fatue incedit, ſic & Chriſtus. Vnde ipſe eſt Dauid, de quo: Collabebatur inter manus eorum, [*1. Reg. 21. d*] & impingebat in oſtia portæ, defluebantq. ſaliuæ eius in barbam. Collabebatur inquam, quando ſcilicet alapis hinc inde replebatur. Defluebantq. ſaliuæ in [*Mat. 26. d*] barbam, quando ſputis in facie maculatus fuit. Impingebat quoque ad oſtia inferni. Item ebrius inermis audacter inuadit armatum, ſic Chriſtus diabolũ, ſicut ſignificatum eſt in Dauid, qui armatum Goliam [*1. Reg. 17. e*] inuaſit baculo crucis, & quinque lapidibus, quinque F vulneribus. De ſecundo: Nudauerunt eum tunica [*Gen. 37. e*] talari, & polymita, miſeruntq. eum in ciſternam veterem. Ioſeph nudatus Chriſtum ſignificat, quem expoliantes nudauerunt in paſſione. Spoliatum autem fuit Chriſti corpus veſtibus. Pſalmus: Diuiſe- [*Pſal. 21. e*] runt ſibi veſtimenta mea, *et cet.* ſpoliata fuit anima corpore. Vnde per tunicam talarẽ Ioſeph, caro Chriſti accipitur, quia ſpoliatus deſcendit ad ciſternam inferni. Item ſpoliata fuit diuinitas: Spoliauit me [*Iob 19. b*] gloria mea. Hoc factum eſt, quando Deum non, vt [*Rom. 1. c*] Deum glorificauerunt, ſed ſicut maleficum tracta- [*Mat. 26. e*] uerunt: Tamquam ad latronem exiſtis, *et cet.* De tertio: Nudus fui, & non cooperuiſtis me. Nudus [*Mat. 25. d*] eſt Chriſtus in membris, ſcilicet in pauperibus fide-



libus

libus quotidie, ſed nudus fuit olim in membris corporalibus in cruce. Bernardus: Vide pauperem Chriſtum natum ſine hoſpitio, iacentem inter bouem, & aſinum in præſepio, inuolutum vili panniculo, fugientem in Ægyptum, ſedentem in aſino, nudum in patibulo. Adiuuantur pauperes nudi, quãdo motus exercitio currunt vel laborant, vt calefiant. Sed pauper nudus Chriſtus quo modo pedibus currere, vel manibus laborare potuit, qui in vtriſque confixus fuit? Item adiuuantur qualicumque hoſpitio, vbi vel apud larem, ſeu focum, vel ſaltem ſub tecto eſſe poſſunt: ſed pauper & nudus Chriſtus non ſolum de domo, *Heb. 13. b* ſed etiam de ciuitate eijcitur: Ieſus, vt ſanctificaret populum per ſuum ſanguinem, extra portam paſſus eſt. Exeamus ergo ad eum extra caſtra, *et cet.* Item adiuuantur pauperes nudi ſolis beneficio: ſedent enim ſæpe in ſole, ſed pauperi & nudo Chriſto ſol quoque *Mat. 27. e* ſubtrahitur: A ſexta enim hora tenebræ factæ ſunt. De quarto: Nota quòd Michol ſubſannans Dauid, *2. Reg. 6. d* ait: Quàm glorioſus fuit rex Iſrael hodie diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, nudatus eſt, quaſi nudetur vnus de ſeruis. Michol ſynagogam; Dauid autem Chriſtum ſignificat. Ancillæ ſeruorum animas fidelium ſignificant, coram quibus immo pro quibus nudatus eſt Chriſtus. Bernardus: Pro te nudatus eſt, vt te a nuditate æternæ damnationis liberaret. Sunt autem tria genera ſcurrarum. Sunt enim illuſores, qui illudunt ſenſus hominum. Bonus illuſor eſſet, qui hoc faceret, vt cum putaretur occidi homo, occideretur ouis, vel aries. Sic fecit Chriſtus, *Gen. 22. c* ſicut ſignificatum eſt, vbi pro Iſaac, occiſus eſt aries. Aries humanam, Iſaac diuinam Chriſti naturam ſignificat. Item ſunt ioculatores, vtpote cithariſtæ, viellatores, & huiuſmodi. Talis quoque videbatur Chriſtus. Vnde ipſe ſignificatur per Dauid, qui per *1. Reg. 16. d* citharam ſpiritum malũ fugauit. Per citharam Chriſtus ſignificatur, de hoc require infra ſermone: *Exurge gloria mea, et cetera.* Item ſunt hiſtriones, *et cet.* hi ſunt viliores, & colaphis cæduntur. Sic vtique Chriſtus colaphis, & alapis cæſus fuit. Iſtis etiam illudi ſo- *Pſal. 68. c* let in cibo, & in potu, ſicut & Chriſto. Pſalmus: De- *Abac. 2. c* derunt in eſcam meam fel, *et cetera.* Hoc heu adhuc multi faciunt ſpiritualiter, ſed væ eis: Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel. *et cet.* Penſa homo ex prædictis, quantum propter te vilificatus eſt Chriſtus. Sed certe, vt Bernardus ait, quanto pro te minorem ſe fecit Dei filius in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate, quanto pro me vilior, tanto mihi charior.

## SERMO IV.

*Thren. 4. d* S*piritus oris mei Chriſtus Dominus captus eſt, in peccatis noſtris.* Chriſtus Dominus, cuius doctrina, cuius gratia, cuius ſanguis eſt nobis ſpiritus, & vita, in noſtris non in ſuis peccatis captus eſt. Conſiderandum autem quòd capiuntur quidam in vijs, ſicut mercatores & diuites, quidam in bellis, ſicut hoſtes, & milites, quidam in peccatis, ſicut fures & latrones. Capiuntur, inquam, alij pro pecunijs; alij pro inimicitijs, alij pro maleficijs: Sic Chriſtus captus eſt ſicut diues pro diuitijs extorquendus, ſicut miles pro inimicitijs cõponendis, ſicut latro pro ma- *1. Reg. 4. d* leficijs puniendis. De primis: Arca Dei capta eſt: Arca diues, arca theſauros ſapientiæ, & gratiarum continens eſt Chriſtus. Bene autem legitur ibi, quòd Heli audiens arcam eſſe captam, fractis ceruicibus, mortuus. Heli enim peccatorem quemlibet ſignificat, qui merito ceruices ſuperbiæ, & obſtinatæ mentis, & aliorum peccatorum mortalium frangere per contritionem deberet, dum Chriſtum ſic captum audiret. Sanguine hircino adamas frangi dicitur. Sed heu ſanguine Chriſti cor tuum non frangitur. Ber-

A nardus: O duri, & obdurati Adam filij, quos non mollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus ſarcinulis tam pretioſas merces expendit. Sicut autem diues captus quanto durius tenetur, tanto plus dare cogitur: Sic & Chriſtus dure tenebatur in cibis. Pſalmus: Dederunt in eſcam meam fel. Item in tor- *Pſal. 68. c* mentis, quia manus, & pedes ferro ligati ſunt, maxime ergo tortus, maxima dedit. Dedit enim paradiſum malefico: Hodie mecum eris in paradiſo. Lar- *Luc. 23. f* giſſime dedit regnum mundo: Sicut Moyſes exalta- *Ioan. 3. b* uit ſerpentem, *et cetera*, vſque habeant vitam æter- B nam. Dedit ſpiritum inferno, ſed non finaliter. Pſal- *Pſal. 15. c* mus: Non relinques animam meam in inferno, *et cetera.* De ſecundo: Portæ fluuiorum apertæ ſunt, tem- *Naum. 2. b* plum vſque ad ſolum dirutum, & miles captiuus adductus eſt, & ancillæ eius minabantur gementes. In his verbis quattuor conſideranda ſunt, videlicet vulnerum Chriſti gratia, cum dicitur: Portæ fluuiorum apertæ ſunt. Vulnera enim Chriſti, portæ cæli ſunt. de quibus non ſolum fluuius ſanguinis & aquæ, ſed in ſanguine gratiarum profluxit plenitudo. In his animæ deuotæ mentem habere debent, ſicut columbæ, quæ ſicut dicitur, reſident iuxta fluenta pleniſſi- *Cant. 5. c* C ma. Item pœnarum ſæuitia, cum dicitur: Templum vſque ad ſolum dirutum eſt. Templum enim eſt Chriſtus: Soluite templum hoc, *et cet.* Templum ergo vſ- *Ioan. 2. c* que ad ſolum dirutum eſt, quando corpus Chriſti a capite vſque ad pedes laceratum, & attritum eſt. Bernardus: Reſpice a planta pedis, vſque ad verticem capitis, vbique mœror, vbique dolor. Item capientium violentia, quando additur: Et miles captiuus adductus eſt. O quàm ſtrenuus miles fuit Chriſtus, qui gigantem gladio inuaſit, ideſt crucis baculo. Valde verecundum eſt militi, ſi colaphizatur. Et heu de milite meo Chriſto dicitur: Colaphis eum ceciderunt, *Mat. 26. g* D *et cetera*: Iſtum militem præ omnibus militibus, quos habuit in cælo, & in mundo, dilexit Deus Pater. Vnde per eius captiuitatem pacificata ſunt omnia: Cum *Rom. 5. b* inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius. O maximum beneficium. Auguſtinus: Quid tam magnum beneficiũ quàm mori pro impijs? quam ſanguine iuſto delere chirographum peccatoris? Item compatientium anguſtia, cum dicitur: Ancillæ eius minabantur gementes. Auguſtinus: Gementes ſunt animæ Chriſto compatientes. Bona ancilla illa de qua: Reſpexit humilitatem, *et cet.* De tertio dicitur *Luc. 1. e* hic: *Chriſtus Dominus captus eſt*, & in peccatis noſtris E non in ſuis. Vnde ad patrem dicit Chriſtus in Pſalmo: Ecce ceperunt animam meam irruerunt in me *Pſal. 58. a* fortes, & quaſi pater dicat: Quid o fili peccaſti? Subiungitur, neque iniquitas mea, neque peccatũ meum, ſine iniquitate cucurri, & direxi, tamen in peccatis noſtris capitur ſicut latro: Tamquam ad latronem, *Mat. 26. e* *et cetera*: Nota primo, quòd tamquam latro capitur. Secundo peſſimum genus latrocinij ipſi imponitur, ſcilicet fractio Eccleſiæ: Audiuimus eum dicentem: *Ibidem. f.* Ego diſſoluam templum hoc, *et cet.* Tertio latro pro Chriſto dimittitur: Tolle hunc, & dimitte nobis Ba- *Luc. 23. c* rabbam. Quarto cum latronibus crucifigitur: Cru- F cifixi ſunt cum eo duo latrones, *et cet.* Vere multum *Mat. 27. e* eſt diligendus, qui tam multa pro nobis paſſus eſt. Bernardus: Super omnia reddit te amabilem mihi, bone Ieſu, calix, quem bibiſti, opus redemptionis noſtrę, hoc omnino amorem noſtrum facile vendicat totum ſibi, hoc inquam eſt, quod noſtram deuotionem blandius allicit, & iuſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius.

SER-



## SERMO V.

*Ioan. 6. b* C*olligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.* Panes hordeacei aſperi ad comedendũ, poſſunt ſignificare quinque aſpera vulnera Chriſti, quibus animæ noſtræ reficiũtur. Fragmẽta enim duodecim cophinorum, ſunt circumſtantiæ, & conditiones duodecim cauſarum paſſionem Chriſti aggrauantium. Conſiderandum eſt enim quæ perſona, quam pœnam, qua parte, qua culpa, quibus miniſtris, quibus ſocijs, quibus ſolatijs, quibus inſtrumentis, quo loco, quo tempore, quo fructu, quo modo ſuſtinuit, & harum cauſarum fragmenta diligenti conſideratione, & feruenti deuotione colligenda ſunt. Et licet plurima ſint, colligite tamen ad præſens tria groſſiora ſingularũ ſportarum fragmenta. Vide igitur quæ perſona patitur, & hic collige tria fragmenta. Chriſtus enim eſt quo ad diuinam naturam excellentiſſimus, & ideo paſſio grauior. Grauius enim eſt principi alapa cædi, vel hu- *Phil. 2. a* miliari, quàm pauperi: Qui cum in forma Dei eſſet, *et cet.* vſque, mortem crucis. Item quo ad animam de- *Cant. 8. b* licioſiſſimus: Delicijs affluens innixa ſuper dilectum, ideſt ſuper Verbum incarnatum. Grauius enim eſt delicioſo affligi, quàm alteri. Afflicta fuit anima Chri- *Mat. 26. d* ſti: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Item quo ad corpus fuit tenerrimus. Vnde bene dicitur, *Gen. 18. a* quòd Abraam tulit vitulum tenerrimum, & optimũ, ideſt, carnem Chriſti ad coquendum in paſſione. Partus enim virginalis tenerrimus eſt. Quanto autem caro tenerior, & natura melior, tanto dolor maior. Auguſtinus: Dolor eſt teſtimonium bonæ naturæ. Secundo vide quam pœnam patitur, & hic collige tria *Ber. ſer. in die Pentec. prope fin.* fragmenta, de quibus Bernardus: O bone Ieſu, quàm dura & quàm aſpera pro hominibus paſſus es, dura verba, duriora verbera, duriſſima & horrenda crucis ſupplicia. De his tribus exempla per ſe patent. Tertio vide in qua parte corporis patitur, & hic collige tria fragmenta, ſecundum triplicem corporis dimenſionem, ſcilicet longitudinem, latitudinem, profunditatem. In longitudine collige omnia, quæ paſſus eſt a capite vſque ad pedes. Bernardus: Reſpice a planta pedis vſque ad verticem capitis, vbique mœror, vbique dolor. Latitudinem attende a dextra in ſiniſtram, & hic collige omnia, quæ paſſus in manibus, in brachijs, & in humeris, confixiones, diſtenſiones, denudationes, flagellationes. In profunditate attende quàm in profundo corporis fuerunt claui, & lancea, quàm de profundo exiuerunt ſanguis, & aqua. Bernardus: O quàm vehementi amplexu amplexatus es me bone Ieſu in cruce, vbi ſanguis de corde, aqua de latere, anima de corpore exiuit! Quarto, qua culpa patitur, & hic collige tria fragmenta, quæ ſunt inſtrumentorum partes. Graue enim eſt pati ſine offenſione, grauius pro falſi criminis impoſitione, grauiſſimum pro beneficij exhibitione. Omnibus his mo- *1. Pet. 2. d* dis paſſus eſt Chriſtus. De primo: Qui peccatum non *Luc. 23. f* fecit, *et cet.* Et latro in cruce ait: Hic vero nil mali *Ibid. b* geſſit. Et quod plus eſt, Pilatus ait: Nullam cauſam inuenio, *et cetera*. De ſecundo patet quòd impoſuerunt ei de prohibitione tributi, de vſurpatione regni, *Ier. 18. d* de deſtructione templi. De tertio: Numquid redditur pro bono malum? *et cet.* Quinto vide a quibus miniſtris, vel auctoribus patitur. Et hic colliguntur tria fragmenta. Patitur enim ab illis, qui neque per læſionem, neque per indiſcretionem, neque per coactionem excuſari poſſunt. Leuius enim ferunt homines quando patiuntur ab ijs, quos læſerunt. Sed *Ioan 10. f* ecce Dominus Iudæos non ſolum non læſerat, ſed eis benefecerat: Multa bona, *et cet.* Item quando patiuntur ab ijs, quorum ſtultitiæ, vel pueritiæ imputare poſſunt. Sed certe a Scribis legis doctoribus, non ab *Luc. 22. g* imperitis. Item a ſenioribus, & non a pueris patitur: Conuenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdo-

*Circumſtantiæ duodecim Chriſti paſſionem aggrauãtes.*



A tum, & Scribæ, *et cet.* Item leuius ferunt homines, quando patiuntur a coactis, ſed Iudæos nullus coegit, ſed ipſi potius iudicem coegerunt: Si dimittis hunc, *et cet.* Sexto vide cum quibus ſocijs patitur. *Ioan. 19. b* Et hic colliguntur tria fragmenta. Graue enim eſt pati cum vilibus, regem ſuſpendi cum latronibus: Cum *Iſa. 53. d* ſceleratis reputatus eſt. Grauius eſt cum conuiciantibus: Qui cum eo crucifixi erant, conuiciabantur ei. *Mat. 27. e* Grauiſſimum autem eſt pati cum charis, & amantibus, vtpote cum matre, vel cum fratre ſuſpendi. Et ecce mater Chriſti cum ipſo crucifigebatur: Tuam *Luc. 2. e* ipſius animam pertranſibit gladius, *et cet.* B

## SERMO VI.

C*olligite quæ ſuperauerunt fragmenta.* Vide *Ioan. 6. b* quibus ſolatijs, vel conſolantibus Chriſtus patitur, certe nullis, & hic tria colliguntur fragmenta. Graue enim eſt homini, ſi in tormentis eum nullus conſolatur. Pſalmus: Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, *et cetera*. Grauius autem *Pſal. 68. c* ſi a multis exprobratur: Alios ſaluos fecit, *et cet.* Ber- *Mat. 27. e* nardus: In dictis ſuſtinuit contradictores, in tormentis illuſores, in factis obſeruatores, in morte expro- C bratores. Item grauiſſimum eſt ſi ab hominibus deſeratur: Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt. Et *Mat. 26. f* ad ipſum patrem ait Chriſtus: Deus meus, vt quid *Pſal. 21. a* dereliquiſti me? Octauo. Vide quibus inſtrumentis patitur, & hic tria collige fragmenta, videlicet illuſoria, vilificatoria, tortoria inſtrumenta, vt fuerunt purpura, ſputum, crux, & ſimilia. Sunt certe tot fragmenta quot inſtrumenta, vtpote vincula, purpura, ſputa, corona, flagella, velum faciei, manus colaphizantes, arundo, claui, crux, acetum, lancea: immo tot ſunt hic fragmenta quot ſunt inſtrumentorum partes, vtpote ſingulæ ſpinæ in corona, ſinguli digiti, D vel articuli in manibus colaphizantibus. Nono vide quo loco patitur Chriſtus, & hic collige tria fragmenta. Aggrauatur enim paſſio ex loco propter multitudinem. Quanto enim quis pluribus locis confunditur, tanto grauius eſt. Et ecce Chriſtus in horto ligatur: in domo Annæ a miniſtro alapa cæditur, in atrio Cayphæ conſpuitur, in hoſpitio Herodis illuditur, in prætorio Pilati flagellatur, condemnatur, *et cet.* In via, crux ab eo baiulatur, in Golgota crucifigitur. Item propter loci turpitudinem: Exiuit in eum, qui *Ioan. 19. c* dicitur Caluariæ locus, qui ſic dictus eſt propter caluarias decaluatorum. Turpis ergo eſt locus iſte, & E propter tormenta, & propter cadauera damnatorum. Item propter altitudinem. In alto enim ſuſpenditur, vt manifeſtius confundatur. Sed quod illi ad confuſionem, Chriſtus ad ſalutem fecit. Bernardus: In altum Chriſtus aſcendit, vt ab hominibus videretur. Valide clamauit, vt ab omnibus audiretur. Clamori lacrymas addidit, vt homo compareretur. Decimo vide quo tempore patitur, & hic tria collige fragmenta. Tempus enim aggrauat Chriſti paſſionem: Vocauit aduerſum me tempus. Aggrauat autem propter *Thren. 1. e* feſti magnitudinem, propter quod multi conuenerũt in Ieruſalem, vt coram pluribus inhonoraretur, in F quo tempore grauius eſt affligi: Tempus flendi, & *Eccls. 3. a* tempus ridendi. Item propter ſupplicij longitudinem paſſus eſt per totam noctem, & per diem vſque ad horam nonam, qua expirauit. Pſalmus: Die ac nocte, *Pſal. 31. a* *et cet.* Item propter beneficij ingratitudinem. Illo enim tempore a Iudæis patitur, quo eos de Ægypto liberauit. Inſuper illo die anima expirauit, quo homini animam inſpirauit. Illo die homo latus eius transfigitur, quo de latere matrem omnium tranſmiſit. Vndecimo vide quo fructu patitur, & hic tria collige, fragmenta. Paſſus eſt, vt paſſio ſua eſſet pretium redemptionis, ſignum dilectionis, exemplum imitationis. De primo: Non corruptibilibus, *et ce- 1. Pet. 1. d* *tera.* Vnde graue eſt, quia tantum pretium in multis

 eſt

eſt perditum. Bernardus: Fleuit Chriſtus in cruce, quia cum paſſio ſua ſufficeret redemptioni omnium, profuit in redemptionem paucorum. De ſecundo: [*Ioan. 15. b*] Maiorem hac dilectionem, *et cet.* Bernardus: Sufficiſſet ad redemptionem humani generis minutiſſima gutta ſanguinis Chriſti, ſed data eſt copia, vt ex inundatione beneficij, virtus innoteſceret diligentis. Vnde graue eſt, quòd tantum diligens, tantum oditur. [*Pſal. 108. a*] Pſalmus: Poſuerunt aduerſum me mala, *et cet.* De [*1. Pet. 2. d*] tertio: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, *et cet.* Auguſtinus: Extremum moriendi genus elegit Chriſtus, vt nullam mortem martyres formidarent. Vnde graue fuit quòd fructus imitationis ſtatim in diſcipulos euacuatus fuit, quando relicto eo, omnes fugerunt, & [*Mat. 26. f*] Petrus eum negauit. Duodecimo: Vide modum paſſionis. Modus enim fuit contra noſtram ſuperbiam [*Sap. 2. d*] turpiſſimus: Morte turpiſſima, *et cet.* Item contra auaritiam humanam pauperrimus: [*Thren. 3. c*] Recordare paupertatis. Item contra humanam laſciuiam acerrimus: [*Ibidem.*] Recordare paupertatis abſynthij & fellis, ſicut multipliciter patet, ſpecialiter tamen in duriſſima diſtentione membrorum in cruce. [*Pſal. 21. c*] Pſalmiſta: Dinumerauerunt omnia oſſa mea. [*Glo. interl. in hunc locum.*] Gloſſa: Non poterat melius deſcribi corporis extenſio in ligno. Sed omnia hæc ad ſalutem noſtram protulit.

## IN SABBATO SANCTO

### SERMO I.

[*Gen. 2. a*] *Requieuit Deus die ſeptimo*, & cetera. Sicut in creatione mundi Deus hominem ſexta die creauit, ita in ſexta, ſicut heri, hominem recreauit. [*Gen. 2. b*] Creauit hominem inſpirando: Inſpirauit in faciem eius, *et cetera*. Recreauit autem extirpando: [*Mar. 15. d*] Emiſſa voce magna, expirauit. Heri ergo ſexta die opus redemptionis cõpleuit: ſed hodie ſeptima, ab opere in ſepulchro quieuit. Conſiderandum autem quòd eſt quadruplex requies, [Requies quadruplex] videlicet diabolica, humana, diuina, angelica. De prima qua per peccatum diabolus in peccatore, & peccator in diabolo requieſcit, dicitur: [*Iſa. 7. c*] Requieſcent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & vniuerſis foraminibus. Requieſcent dæmones in peruerſis per delectationes, quæ per torrentes vallium ſignificantur. Torrens cito creſcit, cito tranſit: ſic voluptas peccati. Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat. Item per obſtinationes, & hoc in cauernis petrarum ſignificatur. Cauernæ petrarum ſunt corda obſtinatorum. Item per ſimulationes, & hoc in frutetis, ideſt in herbis ſimulatatum virtutum. Item per occultationes peccatorum, & hoc in foraminibus ſignificatur. Sed nota quòd requies diaboli fit per ſeptenariũ vitiorum, ſicut requies Dei per ſeptenarium virtutũ: [*Luc. 11. e*] Cum immundus ſpiritus, *et cetera*, vſque tunc: vadit, & aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, videlicet ſuperbiæ, inuidiæ, iræ, auaritiæ, accidiæ, gulæ, luxuriæ. De ſecunda requie, qua anima requieſcit in Deo, dicitur: [*Ier. 46. g*] Reuertetur Iacob, & requieſcet, & cunctis affluet bonis, & non erit, quem formidet. Ecce tres conditiones requiei. Prima eſt pœnitentia in conuerſione. [*Cant. 6. d*] Vnde ait: Reuertetur Iacob, & hoc quadruplici culpa, ſcilicet cordis, oris, operis, conſuetudinis: Reuertere, *et cet.* Secunda affluentia in conſolatione. [*Cant. 8. b*] Vnde dicit: Cunctis affluet bonis, delicijs affluens. Tertia conſtantia in tentatione. Vnde ait: Non erit, quem formidet. [*Pſal. 114. a*] Ideo bene dicitur in Pſalmo: Conuertere anima mea in requiem tuam: quia, *et cetera*. In quo? quia eripuiſti animam meam de morte, ſcilicet in conuerſione, oculos meos a lacrymis in conſolatione, pedes meos a lapſu in tentatione. Hæc [A] requies tantum eſt bonorum. Auguſtinus: Omnis homo malus ſabbatũ habere non poteſt. Numquam enim conquieſcit illi conſcientia, quæ bona conſcientia tranquillitas eſt, & illa tranquillitas ſabbatum eſt cordis. Sed attende quòd hæc requies per ſeptennarium fit. [*Pſal. 14. a*] Pſalmus: Quis requieſcet in monte ſancto tuo. Qui ingreditur, *et cetera*. Mons ſanctus eſt Chriſtus, in quo qui quieſcere vult, debet eſſe immaculatus in cogitatione, iuſtus in operatione, ſincerus in locutione, innocuus in conuerſatione, victorioſus in tentatione, fidelis in promiſſione, vacuus ab iniuſta temporalium collectione. De primo dicitur: Qui [B] ingreditur ſine macula, *et cet.* Sic omnia inuenies per ordinem in eodem. De tertia dicitur hic: *Requieuit Deus die ſeptimo*. [*Pſal. 4. b*] Pſalmus: In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. In ſepulchro autem requieuit in linteo. [*Ioan 19. g*] Item in aromatibus: Ligauerunt eum in linteo cum aromatibus. Item in lapide. Sepulchrum enim lapideum fuit, ſic quoque ſpiritualiter in anima deuota requieſcit Dominus in linteo munditiæ, in aromatibus virtutum, & gratiæ, in lapide perſeuerantiæ. [*Pſ. 131.*] Pſalmus: Elegit Dominus hæc, *et cet.* Sion eſt anima ſancta. Sion ſpeculum interpretatur. Ergo ſpecialiter elegit Dominus Sion propter munditiam. [C] Elegit eam nihilominus propter virtutis gratiam, hæc requies noſtra in ſæculum ſæculi, quo ad perſeuerantiam. Sed attende quòd hæc requies, & per ſeptennarium habetur: [*Iſa. 11. a*] Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, *et cet.* vbi ſeptem dona Spiritus ſancti enumerantur, per quæ ad requiem Dei anima præparatur. Ordinatur enim affectiua per ſpiritum timoris ad Deum, per ſpiritum pietatis ad proximum, per ſpiritum fortitudinis contra diabolum, & mundum. Ordinatur autem apprehenſiua per ſpiritum ſapientiæ ad ſuperiora, per ſpiritum ſcientiæ ad inferiora, per ſpiritum intellectus ad interiora, per ſpiritum conſilij ad [D] exteriora. De quarta quæ eſt gloriæ, in qua angeli cum hominibus, & homines cum angelis requieſcẽt, dicitur: [*Ezec. 34. d*] Ibi requieſcent in herbis virentibus, ideſt varijs Chriſti, & ſanctorum meritis, in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſrael, ideſt ſuper ordines angelorum: [*Heb. 4. c*] Feſtinemus ingredi in illam requiem. Sed attende quòd hæc requies etiam per ſeptẽnarium attingitur: [*Gen. 8. a*] Menſe ſeptimo requieuit arca, ideſt Eccleſia ſuper montes Armeniæ, ideſt ſuper excelſa cælorum in ordinibus angelorum, licet nunc vacillet in aquis miſeriæ. Per ſeptem menſes, ſeptem ætates ſignificantur, ſeptima autem quieſcendum, in hoc cor- [E] pore in ſepulchro, animæ in cælo requieſcunt.

### SERMO II.

[*Exo. 35. a*] *Septimus dies erit vobis ſanctus, ſabbatum, & requies Domini*. Hodie chariſſimi eſt requies Domini in ſepulchro. Sicut autem dictum eſt in præcedenti collatione, eſt requies diabolica, humana, diuina, angelica. De prima: [*Mat. 12. d*] [*Luc. 11. e*] Cum immundus ſpiritus, *et cet.* vſque quærens requiem, *et cet.* Ibi diabolus plane requieſcit, vbi ei non reſiſtitur. Vel quia peccatum occultatur, vel quia [F] defenſatur, vel quia bonum ſimulatur. Requieſcit diabolus in peccatorum occultatione: [*Ier. 48. b*] Et requieuit Moab in fæcibus ſuis. Fæces latent in profundo liquoris. In fæcibus ergo latentia ſignificantur peccata, in quibus diabolus requieſcit. Item in peruerſorum defenſione: [*Iſa. 7. a*] Requieuit Syria ſuper Effraim. Quando enim peccator in defenſione malæ ſocietatis confidit, tunc Syria ſuper Effraim requieſcit. Gregorius: Quos ſimilis reatus ſociat concordi pertinacia, etiam defenſione peruerſa conſtipat, vt de facinoribus ſuis alterna ſe inuicem defenſione tueantur. Item in virtutum ſimulatione, quando propter ſpem boni liberius peccatur. De hac dicitur hic: *Quærens requiem, et cet.* Domus autem ſcopis mundata dicitur, dum vita hy-

pocritæ



pocritæ apparet ſancta & auſtera, *et cet.* De ſecunda: [A] [*Prou. 24. b*] Ne inſidieris, & quæras impietatem in domo iuſti, neque vaſtes requiem eius. Hæc requies triplex eſt, [*Mat. 26. d*] ſcilicet corporalis: Dormite iam & requieſcite, vbi legitur quòd tribus vicibus inuenit eos Dominus dormientes. Prima vice redarguit, ſecunda diſſimulat, tertia conceſſit: quia requies corporalis quandoque fit ex carnalitate & laſciuia, & tunc reprehenditur, quandoque ex grauitate corporis & pigritia, & tunc diſſimulatur. Non de illa pigritia dico, quæ peccatum eſt, quandoque ex neceſſitate, & indigentia, & hæc conceditur. [*Exo. 35. a*] [*Leuit. 23. a*] Item legalis: In die ſeptimo ſabbatum eſt requies ſancta Domino, omnis, qui fecerit [B] opus in die hac, morietur. Hæc requies ſeruanda eſt diebus ſollemnibus, quod eſt contra illos, qui a cupiditatibus, & a vanitatibus non requieſcunt. De talibus ait Auguſtinus: Cum Deus præceperit obſeruari ſabbatum, illi, in ijs, quæ Deus prohibet, ſe exercẽt. Sabbatum vacatio noſtra a malis operibus. Vacatio illorum a bonis operibus eſt. Melius enim eſt arare, quàm ſaltare. [*Thren. 3. d*] Item mentalis: Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. [*Mat. 11. d*] Et: Tollite iugum meum, *et cetera*, vſque inuenietis requiem animabus veſtris. Non dicit cordibus quod eſt contra quoſdam. Tria hic commendat Dominus, iugum [C] in præceptis, mititatem in aduerſis, humilitatem in proſperis. De tertia requie, quæ eſt requies Dei in [*Iſa. 28. c*] nobis: Hæc requies mea, reficere laſſum, ſcilicet proximum vel Chriſtum in paſſione laſſatum. Requies [*Eccli. 24. a*] autem Dei triplex, videlicet in ventre virginali: Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Tabernaculum eſt corpus, vel vterus Mariæ. [*Pſal. 45. a*] Pſalmus: Sanctificauit tabernaculũ ſuum Altiſſimus. Item in morte triumphali. [*Exo. 4. b*] Pſalmus: In pace in idipſum dormiam [*Gen. 49. b*] & requieſcam: Requieſcens accubuiſti vt leo, *et cet.* [*Gloſ. in hũc locum.*] Gloſſa, tradunt philoſophi quòd catulus leonis cum fuerit natus, tribus diebus, & tribus noctibus dor- [D] mit. Deinde patris fremitu excitatur, ſic & Chriſtus paterna virtute a dormitione mortis. Item in virtute ſpirituali. Vnde ſecundum aliam litteram dicitur: [*Iſa. 66. a*] Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem in proſperis, & quietum in aduerſirs, trementem ſermones in præceptis. In talibus enim floribus [*Iſa. 11. b*] ſicut apes libenter requieſcit Spiritus ſanctus: Flos de radice eius aſcendet, *et cet.* Spiritus ſancti requies in nobis eſt noſtra requies in ipſo Auguſtino: Quantum nos amat Deus fratres, vt quia nos requieſcimus in eo, & in nobis ſe dicat requieſcere. Non enim ipſe aliquando turbatur. [*Iſa. 32. d*] De quarta requie: Sedebit [E] populus hic in pulchritudine pacis in tabernaculis fiduciæ & requie opulenta. In hac requieſcit Chriſtus, Angelus, homo, requieſcit Deus ab omnibus operibus creationis, redemptionis, reſurrectionis. Pſalmus: Surge Domine in requiem tuam. Item angelus. Vnde de grano ſinapis quod Chriſtum ſignificat [*Mat. 13. d*] dicitur: Quod fit arbor, vt volucres & Angeli quieſcant in ramis eius. Rami ſunt extenſiones illuminationum. Item homo ibi requieſcit: [*Iſa. 58. c*] Requiẽ dabit tibi Dominus Deus tuus, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit. Requies in affectione, ſplendor in cognitione, liberatio in reſurrectione.



## IN RESVRRECTIONE DOMINI.

### SERMO I.

[*Pſal. 3. b*] *Exurge Domine ſaluum me fac, quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa*. Hodie illuxit nobis feſtiuus dies exultationis & lætitiæ, aduenit [B] paſcale gaudium iucunditatis immenſæ, eo quòd inuitatur ad nuptias agni reſurgentis, & eius ſponſæ matris ſuæ Eccleſiæ. Ideo Chariſſimi gaudeamus, & animo exultemus in ſigno: Deo gloriam debemus in verbo, vt Chriſto Redemptori noſtro, & eius ſponſæ ſit iucunda decoraque laudatio. Gaudeamus, inquam propter introitum noſtræ lætitiæ, exultemus propter fructum noſtræ fiduciæ, Deo gloriam debemus propter incrementum noſtræ victoriæ. Et dicamus Chriſto triumphãti cum lætitia noſtri cordis: Tu ſpes noſtri certaminis, tu gloria noſtri generis, quia omnes aduerſarios noſtros ſuperaſti. [C] In naſcendo namque contulit conſortium naturæ. In patiendo beneficium gratiæ. Sed in reſurgendo complementum gloriæ. Hoc autem Paſcale gaudium, & infinitum gloriæ beneficium deſiderans propheta Dauid fieri in diebus ſuis, exclamabat flagrantiſſimis deſiderijs dicens: *Exurge Domine, ſaluum me fac*, & cetera. In quo quidem verbo rectiſſimo ordine tria notantur, ſcilicet. Primo Dominicæ reſurrectionis affectuoſa exclamatio. Secundo captiui hominis perfecta liberatio. Tertio diabolicæ poteſtatis iuſta exterminatio. Hodierna namque die Dominus noſter Ieſus virtute propria reſurrexit, captiuum [D] hominem de diabolica poteſtate liberauit, & diabolum cum eius exercitu in profundum maris inferni ſubmerſit. Primo ergo notatur Dominicæ reſurrectionis affectuoſa exclamatio, cum dicit: *Exurge Domine*, ſcilicet a mortuis. Secundo captiui hominis perfecta liberatio, cum ſubdit: *Saluum me fac*. Tertio poteſtatis diabolicæ iuſta exterminatio, cum ſubinfert: *Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi, ſine cauſa*. Sine autem cauſa dicitur, eo quòd licet homo iuſte detineretur, tamẽ diabolus iniuſte detinebat. Ideo iuſta fuit eius poteſtatis exterminatio. Dicit ergo: *Exurge Domine*, vbi notatur affectuoſa exclamatio Do- [E] minicæ reſurrectionis. Vere iſta reſurrectio affectuoſe ex totis medullis cordis erat deſideranda, & mellifluis vocibus laxis vibris gutturis exclamanda, propter tria ſpecialia priuilegia, quæ habuit Chriſtus in ſua reſurrectione nobis ſuper omnia expedientia. Primum ergo priuilegium fuit, primitas inſolitæ nouitatis. Secundũ priuilegium fuit, virtuoſitas propriæ poteſtatis. Tertium priuilegium fuit, exemplaritas noſtræ neceſſitatis, ſiue reſurrectionis. Primo Chriſtus habuit primitatem inſolitæ nouitatis in ſua reſurrectione. Nullus enim depoſita morte lamentabilis vetuſtatis, nouæ vitæ inæſtimabile lætitiam inchoan- [F] do reſurrexit a mortuis, quia homo Dominus Ieſus Chriſtus fuit primogenitus mortuorum, quia deuicto mortis imperio coronatus eſt, diademate nouæ incorruptibilitatis. Quis enim debuit prior vincere mœſtitiam inueteratæ mortis, & inchoare lætitiam noſtræ perpetuitatis, niſi qui habet clauem reſerandi aditum æternitatis? Ipſe enim tamquam auctoritatẽ habens poterat Angelis præcipere: [*Pſal. 23. b*] Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: Nam per meum ſanguinem facta eſt reperatio concordiæ humilis & vtilis, & relaxatio vindictæ iudicialis. [*Gen. 3. a*] Nũc ergo amoto gladio flammeo de porta paradiſi, volo vt fiat reſeratio ianuæ cæleſtis, quia ego ſum Dominus virtutum, qui per proprium ſanguinem deuicto



diabolo

diabolo acquiſiui regnũ cæleſte. Et ideo non inquantum Deus, ſed inquantum homo ipſe eſt rex gloriæ. *1. Cor. 15. c* De iſta autem nouitate dicitur: Chriſtus reſurgens a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio *Ibidem.* mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Ita Apoſtolus tamquam prudens, & diſcretus exprimit primitias nouitatum, quas poſt habuit in reſurgendo. Primo ne conſolatio diſſoluatur in lætitiam proponit miſeriam mortis, quæ eſt materia deſolationis, cum dicit: per hominem mors. Secũdo ne deſolatio abſorbeatur in triſtitiam, medicinam reſurrectionis ſub- B iungit, quæ eſt materia conſolationis, cum ſubiungit: & per hominem Chriſtum reſurrectio mortuorum. Vt ergo vnum ex altero mitigetur, & quælibet mors trahat occaſionem a fraudulentia hoſtis (tamen cauſam, ſiue originem habet ab arrogantia mentis, & conſummationem a concupiſcentia carnis) ideo dicitur: Sicut in Adam omnes moriuntur, merito ſuæ præuaricationis, ſed medicina mortis eſt per diuinam *Cauſa mortis.* miſericordiam, merito dictæ paſſionis. Vnde prima & immediata cauſa mortis non eſt Deus, cum ſit ſumme ens, & indeficiẽs, & mors ſit maximum inter omnes defectus pœnalitatis; ſed voluntas cadens a recti- C *Sap. 1. c* tudine, & perpetuitate iuſtitiæ, ſicut dicitur: Deus mortem nõ fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Iuſtitia enim perpetua eſt, & immobilis. Iniuſtitia enim acquiſitio eſt mortis. Secundo Chriſtus in ſua reſurrectione habuit virtuoſitatem propriæ poteſtatis. Non enim indiguit ſuffragio orationis deuotæ, nec adminiculo adminiſtrationis angelicæ, quamuis vſus ſit obſequio cæleſtis iuſtitiæ, & de hoc dicitur in Pſal- *Pſal. 11. b* mo: Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Pauperes & inopes erant ſancti patres in lymbo poſiti, quia in carcere teterrimo, non habentes, vnde ſe redimerent: & D ideo valde miſeri, & gementes affectuoſis deſiderijs anhelabant accelerari illud beneficium reſurrectionis, quorum vota exaudiens dicit Dominus: Nunc exurgam, loquitur in prima perſona, quaſi poteſtatem habens ponendi animam ſuam in paſſione, & iterum ſumendi eam in reſurrectione. Sed dicet forſitan naturalis philoſophus: quo modo poterit hoc fieri, vt corpus animale, & ex contrarijs compoſitum ſit indiſſolubile, & perpetuo durabile? Et theologus: Si vis vt argumẽtum tuum in omni materia teneat, ad multa inconuenientia te adducam. Nam primo vis quòd Deus non poſſit plus, quàm natura, & opifex pluſquam opus, quod inconueniens eſſe nullus dubitat. E Arguit etiam ſic: Eſt impoſſibile ſecundum naturam: ergo eſt impoſſibile ſimpliciter. Conſequens non ſequitur. Secundum inconueniens eſt, quòd tu vis quòd natura habeat virtutes occultas, vt in adamante attrahere ferrum, & in ſalamandra, quæ conſeruatur in igne, & in multis alijs. Deus autem vis quòd non habeat virtutem, niſi quam tuis oculis poſſis conſpicere, quod maximum inconueniens eſſe conſtat, cum parua ſint, quæ videmus opera Dei, & infra *Eccli. 43. d* abſcondita ſunt maiora his, ſicut dicitur. Tertium inconueniens eſt, quòd vis quòd Deus promiſerit F obedientiam naturæ, quod ſi verum eſſet, non illuminaſſet cæcum, non mundaſſet leproſum, non ſuſcitaſſet mortuum. Quarto ſupponis falſa, procedis per incõceſſa, dicendo corpus animale eſſe, & ex contrarijs compoſitum, quia non animale, ſed ſpirituale, & ab omni contrarietate eleuatum per habitum gloriæ, & diſpoſitum ab anima in perpetuum in vita conſeruari. Sententia horum verborum poteſt elici ex verbis Auguſtini, in epiſtola ad Coloſſenſes, vbi dicit ſic: Ex conſuetudine operum expertorum, opera Domini inexperta infirmitas humana garrit acrius, dicens: Si caro eſt, & ſanguis, ſi ſanguis, & ceteri humores, & ſi ceteri humores: ergo corruptio.

A Eodem modo dicit: Si flamma eſt, ardet, ſi ardet, vrit: ergo tres pueros in camino ignis incendit. Si ergo credis id miraculum, quare de rebus mirabilibus ambigis, quòd ſi non credis, Iudæorum eris cæcior cæcitate. Valet ergo diuina potentia de corporali natura manente, auferre quas voluerit qualitates, ac per hoc valet mortalia membra mortalitate ſemota ſtabilire vigore, vt vera ſit effigies, nulla ſit labes, vera ſit motio, nulla ſit fatigatio, vera comedendi poteſtas, nulla eſuriendi neceſſitas. Tertio erat deſideranda reſurrectio iſta, propter exemplaritatem noſtræ reſurrectionis, ſiue neceſſitatis. Chriſtus caput, B & exemplar noſtræ reſurrectionis ad hoc reſurrexit, vt nos eius membra de noſtra reſurrectione certificaret, alioquin monſtruoſa res eſſet ſi caput reſurgeret ſine membris. Et propter hoc arguebat Apoſtolus valde bene, & efficaciter contra illos, qui negabant reſurrectionem, dicens: Si mortui non re- *1. Cor. 15. b* ſurgunt, nec Chriſtus reſurrexit. Si ergo neceſſe eſt Chriſtum reſurrexiſſe, quia ante fuit, hoc impoſſibile eſt non fuiſſe: neceſſe eſt ergo mortuos reſurgere. Vnde ſtatim ſequitur: Oportet autẽ hoc corruptibile induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Vnde ad inſerendam cordibus fideliũ C fidem reſurrectionis, & ad amouendam ambiguitatem diffidentiæ, & deſperationis, dicit: Si enim cre- *1. Theſ. 4. c* dimus quòd Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Ieſum adducet cũ eo. Hanc ergo firmam fiduciam cũ beato Iob habentes, *Iob. 19. d* non debemus propter alicuius boni Chriſtiani mortem contriſtari, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent.

Secundo ſequitur captiui hominis perfecta liberatio, cum ſubdit: *Saluum me fac*, perfecte namque Chriſtus miſerum hominem liberauit, ſiue ſaluauit eo quòd, Primo ſaluauit eum ab offenſione totalis culpæ, per infuſionem iuſtificantis gratiæ. Se- D cundo ſaluauit eum ab obligatione reatus pœnæ, per tolerationem mortis ſatisfactoriæ. Tertio liberauit eum complete, in generali reſurrectione a calamitate corporalis miſeriæ, per collationem reformantis gloriæ. Primo ſaluauit eum ab offenſione totalis culpæ, per infuſionem iuſtificantis gratiæ. Et de hoc dicitur: *Epheſ. 2. a* Deus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccato, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati. Vere diues, & ſuperabundans fuit Deus pater in miſericordia, quando ad omnimodam charitatem, & dilectionem quam erga nos habuit, voluit mortuos in peccatis viuificare, & ſaluare a E morte quorumlibet peccatorum, infundendo nobis vitam gratiæ merito paſſionis filij ſui vnigeniti. Certe ſi torrens tantæ dulcedinis attingit Chriſtianas animas, non eſt locus ingratitudinis, immo præ nimia deuotione dilectionis continuæ redderet gratiarum actiones multifariam. Similiter de hoc dicit Angelus Virgini: Ipſe eſt qui ſaluum faciet populum ſuum a *Mat. 1. d* peccatis eorum. Secundo ſaluauit ab obligatione reatus pœnæ, per tolerationem mortis ſatisfactoriæ, ſicut dicitur: Quis eſt iſte, qui venit de Edom tin- *Iſa. 63. a* ctis veſtibus de Boſra: ipſe formoſus in ſtola ſua, gra- F diens in multitudine virtutis ſuæ. Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum, quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Angelici namque ſpiritus videntes ipſum formoſum in ſua ſtola gradientem in multitudine virtutis ſuæ præ nimia admiratione prorumpunt in hæc verba. Edom enim interpretatur ſanguinolẽtus, tinctis veſtibus ex abundanti aſperſione proprij ſanguinis, qui fluxit de manibus, & pedibus in crucifixione, de capite in coronatione, de toto corpore in flagellatione. Et de cor- *Ioan 19. f* de in lateris apertione. Quis eſt iſte qui venit de Boſra, de loco tribulationis, & anguſtiæ? Boſra anguſtia



interpretatur. Reſpondit eis Ieſus: Ego qui loquor iuſtitiam, verbo proferendo, & facto adimplendo. Nam mortem ſuſcepi propter inflexibilem rigorem præuenientis iuſtitiæ, ratione primæ præuaricationis, & propugnator ſum ad ſaluandum patres veſtros de lymbo inferni, propter immutabile decretum, ſiue iuſiurandum politicum, quod iurauit Deus *Luc. 1. g* Pater ad Abraam, daturum me ei in pretium liberationis. Vt ſine timore populus meus de manu dæmonum liberatus, libere ſeruiat Deo: & ideo rubrum, & ſanguinolentum eſt indumentum mei corporis. Et veſtimenta, ideſt membra mea compreſſa ſunt, ſicut calcantium racemos in torculari, eo quòd torcular eſt B vas aptum ad premendum racemos mortis, & anguſtiæ. Calcaui ſolus, vt de meo ſanguine compreſſo ex toto corpore ſolueretur debiti reatus pœna pauperri- *Pſal. 71. a* mi hominis. Vnde Pſalmus: Liberauit pauperem a potente, & pauperem cui non erat adiutor: parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum ſaluas faciet *Pſal. 73. c* rex noſter Ieſus Chriſtus ante ſæcula operans ſalutem in medio terræ. Tertio ſaluabit hominem in generali reſurrectione a calamitate corporalis miſeriæ, per collationem reformantis gratiæ, vel gloriæ. Et de hoc *Philip. 3. d* dicitur: Saluatorem expectamus Dominum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ C configuratum corpori claritatis ſuæ. Qui enim vult, vt configuretur corpus ſuum claritati corporis Chriſti in patria, debet primo in via ad exemplum Chriſti ſuum corpus conterere ieiunijs, & humiliare afflictionibus, & etiam ſubmittere vilibus ſeruituribus: quia tanto in gloria ſurget claritati corporis Chriſti conformior, quanto pro eius amore fuit vita iſta humilior. Tertio in verbo propoſito notatur diabolicæ poteſtatis miſeria, vel iuſta exterminatio, cum ſubinfert: *Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi, ſine cauſa*. Dicitur autem diaboli exterminatio iuſta triplici de cauſa. Primo propter doloſitatem dece- D ptionis, & fraudulentiæ, in vſurpando dominationem hominis primi. Secundo propter malignitatem præſumptionis, & iniuſtitiæ, in ſuggerendo occiſionem innocentis Chriſti. Tertio propter rectitudinem æquitatis iuſtitiæ, in non patiendo perturbationem ordinis vniuerſi. Vnde iuſtum fuit, vt exterminaretur diaboli poteſtas, tum quia doloſe, & fraudulenter vſurpauit dominium primi hominis, tum quia iniuſte, & nequiter perſuaſit mortem Chriſti innocentis, tum quia æquitatis diuinæ iuſtitiæ non debebat pati deordinationem totius vniuerſi. Primo iuſta fuit diabolicæ poteſtatis exterminatio, propter E doloſitatem deceptionis, & fraudulentiæ in vſurpando dominium primi hominis. Et de hoc poteſt expo- *Num. 24. c* ni illud: Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga ex Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitq. omnes filios Seth: Et erit idumæa poſſeſſio eius. Stella iſta eſt virgo Maria propter refulgentiam virtutum gratiarum: ſed virga habens virilitatem ad expugnandum, vt fiat miſeris in adiutorium, eſt Dominus noſter, qui virtute proprij ſanguinis percuſſit infernales duces ſuperbi Moab, & arte ſuæ multiformis ſapientiæ fallens fraudem proditoris diaboli, per mortis inductionem, abſtulit ſibi captiuum hominem, quem F poſſidebat, & medelam ſalutis inde tulit, ſcilicet de ligno, hoſtem vnde læſerat decipiendo. De hoc ſimiliter dicitur in prædicto themate: *Exurge Domine ſaluum me fac*. Secundo fuit iuſta diabolicæ poteſtatis exterminatio propter malignitatem præſumptionis iuſtitiæ, in perſuadendo mortem innocentis Chri- *Abac. 3. c* ſti. Vnde dicit Abacuc: Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum, vſque ad collum. Maledixiſti ſceptris eius capiti bellatorum eius, venientibus, vt turbo ad diſpergendum me. Quia diabolus perſuadendo eius infernalibus membris venientibus, vt turbo ad diſpergendum innocentem, vt crucifigerent eum: ideo iuſtum fuit, vt ipſe diabolus ca-

A put infernalis domus percuteretur poteſtate, & dominio proprij ſerui denudaretur, & priuaretur. Tertio iuſta fuit diabolicæ poteſtatis exterminatio propter æquitatem rectitudinis iuſtitiæ, in non patiendo perturbationem ordinis vniuerſi. Vnde: Dextera *Exo. 15. a* tua Domine percuſſit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios meos: miſiſti iram tuam, & deuorauit eos quaſi ſtipulam. Æquitas enim diuinæ iuſtitiæ ordinem vniuerſi conſeruari iubet, & perturbari vetat. Vnde ne diabolus de ſua malitia, & peccato per quod turbauerat totum vniuerſum, reportaret commodum, dignum fuit percuti, B priuari, & puniri. Et propter hoc dicitur: Pauebit Aſſur virga percuſſus. Aſſur diabolum ſignat, qui *Iſa. 30. g* paueſcit cum percutitur virga diuinæ æquitatis. Rogemus, *et cetera*.

## SERMO II.

*Exurge gloria mea, exurge pſalterium.* &c. *Pſal. 56. b* Ecce quàm amabiliter, & dulciter pater alloquitur filiũ de ſua reſurrectione. Nã ſecundũ Gloſſam verba iſta pij ſunt patris ad filium, vel diuinæ naturæ ad huma- C nam, *et cet.* *Exurge*, ad diuinam gloriam magnificandam, ad angelicam ruinam reparandam, ad humanam miſeriam ſubleuandam, ad diabolicam malitiam diſſipandam. De primo dicitur hic: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium*, & cetera. Chriſtus enim eſt gloria patris in reſurrectione. Fuit tunc pſalterium, & cithara in paſſione. Sicut enim in huiuſmodi inſtrumentis chordæ ſuper lignum tenduntur, ſic membra, & nerui Chriſti ſuper lignum crucis. Vnde Eccleſia compatiendo cantat: Tenſa laxa viſcera. O quàm dulces ſonos, quos de chorda cordis reddidit hæc cithara, dum Chriſtus in cruce loquebatur octo D verba. Duas chordas pro malis, duas pro bonis, duas pro toto mundo, duas pro ſemetipſo. Tangens pro bonis ergo primus ſonus eſt: Mulier ecce filius tuus. *Ioan. 19. e* Secundus: Ecce mater tua. Oſtenditur autem in his, quàm ſpecialem curam bonorum habeat Chriſtus. Item pro malis, primus: Pater dimitte illis, *et cet.* Se- *Luc. 23. e* cundus: Hodie mecum eris in paradiſo. Hoc enim *Ibidem. f* ſono omnibus impijs ſpem dedit. Item pro toto mundo, primus: Sitio, ideſt deſidero fidem & ſalutem. *Ioan. 19. e* Secundus: Conſummatum eſt, quidquid ſcilicet pro redemptione mundi debui pati. Item pro ſe primus: Deus meus vt quid me dereliquiſti. Secundus: Pater *Mat. 27. f* E in manus tuas. De ſecundo. Pſalmus: Tu exurgens *Pſal. 101. b* miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus: quoniam placuerunt ſeruis tuis, lapides eius, *et cet.* In hoc miſereberis cæleſtis Sion, vt exurgas, & reædificetur per fidem reſurrectionis tuæ. De lapidibus eius, qui ſeruis tuis, ideſt Angelis placent, pretioſe enim empti ſunt, dicitur quòd de pecunia *4. Reg. 12. b* templi emẽbantur lapides exciſi de lapidicinis ad inſtaurandum Domini templum. Templum eſt corpus Chriſti: Soluite templum, *et cetera*. Pecunia huius *Ioan. 2. c* templi, qua empti ſunt huius lapides viui, eſt ſanguis Chriſti: Non corruptibilibus, *et cet.* Auguſtinus: San- *1. Pet. 1. d* F guine ſuo nos emit, ſanguine agni immaculati emit, ſanguine vnigeniti Filij Dei emit. Tres dicit eſſe lapidicinas. Mundum, infernum, ſepulchrum. De prima lapides exciduntur, in conuerſione impiorum. De ſecunda, in liberatione in lymbo captiuorum. De tertia, in reſurrectione mortuorum. In primam deſcendit Chriſtus in corpore, & in anima. In ſecundam in anima. In tertiam in corpore, de qua hodie corpus ſuum excidit, & multa corpora ſanctorum, quæ ſurrexerunt cum eo. Quicumque ergo lapides ſic per bonam vitam aptati fuerunt, vt ſeruis tuis placeant, in ædificium cæleſtis Sion ponentur. Noli ergo negligere tempus ædificandi. Auguſtinus: Nunc eſt tempus, vt ædificetur Sion, nunc intrant lapides in ſtru-

in ſtructuram. Perfecto ædificio, & dedicata domo,
quid curris ſero quæſiturus, inaniter petiturus, fru-
ſtra pulſaturus, foris remanſurus. Væ lapidibus, qui
Exo. 15. a non placent ſeruis iſtis. Deſcenderunt in profundum
Pſal. 11. b quaſi lapis. De tertio, Pſalmiſta: Propter miſeriam,
*et cet.* De gemitu dic, & de miſeria beatæ Virginis,
& Magdalenæ, & diſcipulorum pro morte Chriſti,
quo modo Iacobus ſe iurauerat non comeſturum pa-
nem, donec Chriſtus reſurgeret, immo certe pro ſub-
leuanda totius mundi miſeria Chriſtus reſurrexit.
Niſi enim a morte reſurrexiſſet, mundus in eum non
crediſſet, & ſic in triplici miſeria permanſiſſet. Pri-
Iob 10. c ma eſt grauis in hoc mundo: Si impius fuero, væ
mihi eſt: ſi iuſtus, non leuabo caput, ſaturatus affli-
ctione, & miſeria. Secunda eſt grauior in iudicio:
Soph. 1. d Dies calamitatis & miſeriæ. Totus mundus non poſ-
ſet enarrare miſerias malorum in die iudicij. Tertia
Iob 10. d grauiſſima in inferno: Dimitte me, vt plangam, *et cet.*
vſque, terram miſeriæ, & tenebrarum. De quarto,
Pſal. 67. a Pſalmiſta: Exurgat Deus, & diſſipentur, *et cet.* Fu-
giant dæmones, fugiant æquitatem, qui fugerunt pe-
ditem animam Chriſti. De equo corporis deſcendẽs
in morte dæmones fugauit. Cum ergo in reſurre-
ctione ad equum redierit, magis timeant & fugiant.
Fugiant autem non ſolum dæmones, ſed etiam eo-
rum armigeri homines impij & infideles. Fugiant
Ier. 4. f certe gehennam, & pœnitentiam: A voce equitis, &
mittẽtis ſagittam fugit omnis ciuitas. Eques eſt Chri-
ſtus. Ciuitas, mundus. Sagitta damnationis ſententia
Pſal. 59. b de arcu iudicij ſuper impios mittenda. Pſalmiſta: Vt
fugiant a facie, *et cet.*

## SERMO III.

Pſal. 85. d F*Ac mecum ſignum in bonum.* Verbum iſtud
eſt filij ad patrem pro ſua reſurrectione
monentis. O mi ſancte Pater fac mecum
ſignum Ionæ prophetæ, quod iam factum
eſt in capite, & adhuc fiet in membris. Bonum ſignũ
eſt reſurrectio Chriſti. Eſt enim ſignum gloriæ eius
in cælo, ſignum miſericordiæ in mundo, ſignum vi-
ctoriæ in inferno, ſignum iuſtitiæ in iudicio. Reſur-
rectio itaque Chriſti ſignum eſt glorificationis eius,
Num. 17. c & noſtræ per ipſum: Refert virgam Aaron in taber-
naculum teſtimonij, vt ſeruetur in ſignum. Nota quo
modo magorum virgis in ariditate permanentibus,
virga Aaron cito floruit. Vnde & ipſe, & filij eius
exaltati fuerunt. Quod exponit Gregorius in Gloſſa
de Chriſti reſurrectione. Virga enim arida fuit caro
Chriſti in morte. Arida vtique propter ſanguinis ex-
tractionem, & ſpiritus emiſſionem. In flore autem
Pſal. 27. c gloria corporis reſurgentis ſignificatur. Pſalmus: Re-
floruit caro mea. Bene poteſt autem Chriſtus dicere:
Cant. 2. a Ego flos campi. Flos horti clauſus eſt. Flos campi
communis eſt. Ita Chriſtus communis eſt omnibus.
Quidam tamen dicunt quòd flos campi dicitur qui-
dam paruus flos valde rubicundus habens quinque
folia, ſicut Chriſtus quinque vulnera rubicunda.
Aaron autem Chriſtum ſignificat ſummum ſacerdo-
tem. Virga igitur arida floruit, quando caro Chriſti
mortua reſurrexit. Et hoc eſt ſignum exaltationis
Aaron, & filiorum eius, ideſt Chriſti & Chriſtiano-
rum in æterna gloria. Virgæ autem reliquæ corda no
ſtra ſignificare poſſunt, quæ vſque ad diem nouiſſi-
Ezec. 37. a mum permanent in ariditate incinerationis: Oſſa ari-
da, *et cet.* ſed in die nouiſſimo pulcherrime florebũt
Pſal. 91. d per gloriam reſurrectionis. Pſalmus: Iuſtus vt pal-
ma florebit. Auguſtinus: Videte fratres ſi plantati
eſtis in domo Domini, ſi vultis florere ſicut palma, &
multiplicari ſicut cedrus libani, & non areſcere ſicut
fœnum, ſole cadente, ſicut ij, qui videntur florere,
ſole abſente. Heu tunc de iſtorum virgis, ideſt de
malorum corporibus non flores, ſed quaſi ſerpentes,
& dracones fient, quando mali plus quàm ſerpentes,
A & dracones abominabiles, & horribiles reſurgent.
De ſecundo: Sicut fuit Ionas ſignum Niniuitis, ita Mat. 12. d
erit filius hominis generationi iſti. Sicut enim fuit
Ionas in ventre ceti tribus noctibus, vſque, in corde
terræ, ideſt in inferno. Vnde ſuper illud: Proieciſti Ionæ 2. b
me in profundum in corde maris, *et cet.* Gloſſa inter-
linearis, ideſt in inferno, pro quo in Euangelio habe-
tur in corde terræ, ideſt in inferno, & ita infernus in
medio terræ eſſe perhibetur. Vnde terræ amatores,
qui per auaritiam in corde glutiunt, ipſi tamdem a
corde terræ, ideſt in inferno glutientur, per ventrem
ergo ceti abyſſus inferni ſignificatur. Et bene: ſicut
B enim multa millia aloſarum ſunt in ventre ceti, ita
multa millia animarum in inferno: Dilatauit infer- Iſa. 5. d
nus animam ſuam, *et cet.* Cuſtodiat nos Deus ne in
iſtum ventrem horrendum veniamus. De hoc ventre
poſt triduum Ionas euomitur in aridam, & tertio die
Chriſtus ab inferis ad immortalitatem reſurrexit. Et
certe non ſolum de ventre inferi hodie egredietur,
ſed omnium iuſtorum animæ, quæ per multa anno-
rum millia deuoratæ in hunc ventrem deſcenderant,
hodie cum Chriſto euomuntur, & magna pars vacua
relinquitur. Vnde de diabolo dici poteſt illud: Di- Iob. 20. c
uitias, quas deuorauit, etiam euomet, & de ventre
C illius extrahet eas Deus, ideſt de inferno. Gregorius: Gregor. in
Deſcendit ad inferos, ſolos illos per gratiam ſuam Reg. lib. 6.
liberauit, qui eum & venturum eſſe crediderunt, & cap. 179.
præcepta eius viuendo tenuerunt. Sicut autem poſt ind. 15.
ſignum in Iona factum, Niniue per Ionam conuerſa
eſt, ita poſt reſurrectionem Chriſti mundus, qui per
Niniue ſignificatur, per Chriſtum, & eius Apoſtolos
conuerſus fuit. Ex hoc enim mundus in eum crede-
re, & ſperare vere potuit, quia ipſum tam potenter
reſurrexiſſe audierunt. Vnde ſuper dictum verſum:
*Fac mecum ſignum in bonum*, dicit Gloſſa: Reſurrectio
Chriſti ſignum eſt, quo virtus Dei declaratur, ſpes
D credentium confirmatur.

## SERMO IV.

F*Ac mecum ſignum in bonum.* Sicut hodie Pſal. 85. d
dictum fuit, reſurrectio Chriſti non ſo-
lum ſic eſt ſignum gloriæ eius in cælo, vel
miſericordiæ in mundo, ſed etiam victo-
riæ in inferno. Quo modo enim tam po-
tenter de inferno ad reſurgendum exiuiſſet, niſi ty-
rannos inferni primus viciſſet! De hoc tertio ſigno:
Ipſe eſt liberator atque ſaluator faciens ſignum in cæ- Dan. 6. g
E lo, & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leo-
num. Daniel Chriſtum ſignificat, interpretatur enim
iudicans, Chriſtus enim pro peccatis hominum fecit
Deo Patri iudicium ſatisfactionis in cruce, & faciet
iudicium condemnationis in fine: Omne iudicium Ioan. 5. d
dedit Pater Filio. Per lacum infernus ſignificatur: Tu Zach. 9. c
in ſanguine teſtamenti emiſiſti vinctos de lacu, in quo
non eſt aqua Gloſſa: In quo non eſt vlla refrigerans
miſericordia, quam diues quærebat: Intingat extre- Luc. 16. f
mum digiti ſui in aquam, *et cet.* Septem leones vero
ſunt dæmones: Tamquam leo rugiens, *et cet.* Septem 1. Pet. 5. c
leones dicuntur, qui per ſeptem vitia capitalia homi-
F nibus dominantur. Deſcendente ergo Daniele, ideſt
Chriſto in lacum inferni ſicut agnus coram leone, ita
iſti leones coram agno tremuerunt, neque Danielem
Chriſtum inuadere præſumpſerunt. Ecce ergo ma-
gnum ſignum Daniel, de lacu leonum victor exiuit, &
Chriſtus ab inferis victor dæmonum reſurrexit. Non
ſolum certe de lacu exiuit, ſed etiam vinctos ſecum
duxit. Gregorius: Illos ex inferni clauſtris rapuit quos
ſuos in fide & actibus recognouit. Sed nota quòd
damnum, quod per Danielem leones habuerunt, in
perſecutoribus Danielis in lacum miſſis ferociſſime
vindicauerunt. Caue ergo perſecutor Danielis noſtri,
Caue peccator inimice Ieſu Chriſti. Caue, pœnitẽdo
in hoc mundo, ne Leones infernales damnum eis per
Chriſtum



Chriſtum illatum atrociſſime in te vindicent in infer-
no. De quarto nota quòd reſurrectio Chriſti ſignũ
eſt iuſtitiæ in iudicio. Vnde cum ſub figura futuri iu-
dicij flagello de funiculis facto Chriſtus eieciſſet ven-
Ioan. 2. c dentes, & ementes de templo, dixerunt Iudæi: Quod
ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Reſpondit
Ieſus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus
diebus excitabo illud. Ecce reædificationem templi
in triduo, ſignum dicit eſſe iudicij ſui, quod fiet in
Naum 2. b flagello. Templum ergo corpus Chriſti, de quo: Por-
tæ fluuiorum apertæ ſunt, templum ad ſolum dirutum
eſt. Portæ autem fluuiorum ſunt vulnera Chriſti, e
quibus fluxit ſanguis Chriſti, & ſalus mundi. De illa
autem media porta duo fluuij venerabiles exierunt,
Ioan. 19. f videlicet de porta vulneris in latere: Continuo exiuit
ſanguis, & aqua. Templum ergo, ad ſolum, dirutum
fuit, quando corpus Chriſti flagellis, & ſpinis, cla-
uis, & lancea laceratum extitit, & ſic ſolutum fuit
miſerabili ſolutione templum corporis Chriſti in eius
paſſione. Sed reædificatum eſt tertio die reſurrectio-
nis. Illud ergo idem templum, & non aliud, illud
idem corpus, quod ſolutum fuit tam miſerabiliter,
idem reædificatum fuit tertio die mirabiliter. Augu-
ſtinus: Ille qui flagellatus eſt, qui conſputus eſt,
ille qui ſpinis coronatus eſt, ille qui colaphis cæſus,
ille qui in ligno ſuſpenſus eſt, ille qui in cruce
mortuus eſt, ille qui in lancea percuſſus, ille qui
ſepultus, ille eſt qui reſurrexit. Et hæc feſtina,
& mirabilis, & potentiſſima reædificatio ſignum
eſt poteſtatis eius in iudicio. Qui quia cum tanta
potentia reſurrexit de ſepulchro, ſignum eſt quòd
cum magna poteſtate veniet de cælo, tunc flagel-
lo ſuæ diſtrictionis eijciet reprobos, præcipue ſi-
moniacos. Funiculi autem, ex quibus hoc flagellum
Pſal. 118. b paratur, peccata hominum ſunt. Pſalmus: Funes pec-
catorum circumplexi ſunt me, quaſi funiculos ad
ſeipſos flagellandos Domino miniſtrant, qui pecca-
torum reſtes faciunt, quos non faciunt niſi inſani.
Nunc ergo chariſſimi quæramus bene viuendo Do-
minum tam mitem in ſua reſurrectione, ne inuenia-
mus ipſum tam ſeuerum in noſtra reſurrectione. Ber-
nardus: Vitam veſtram fratres componite: qui mi-
tis reſurrexit ex morte, quàm diſtrictus iudex ve-
niat, præuidete.

## SERMO V.

Mar. 16. b I*Eſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſur-
rexit, non eſt hic.* Commemoratio hic fit
paſſionis Chriſti, & reſurrectionis. Sed
de reſurrectione videamus, de qua dicit
Angelus: *Surrexit, non eſt hic.* Surrexit
autem gloriosiſſime, veriſſime, potentiſſime, vtiliſ-
Iudic. 16. a ſime. De primo: Dormiuit autem Samſon vſque ad
medium noctis, & inde conſurgens apprehendit am-
bas portæ fores, & portauit ad verticem montis. Sam-
ſon interpretatur ſol eorum, & ſignificat Chriſtum,
qui etiam corpore ſole clarior fuit in reſurrectione.
Quid mirum? omnes enim iuſti claritatem ſolis ha-
Mat. 13. e bebunt: Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol, *et cetera.* An-
ſelmus: In illa vita pulchritudo iuſtorum ſolis pleni-
tudini, quæ ſeptempliciter quàm modo ſit ſplendi-
dior erit, adæquabitur. Nota ergo quòd in ſplen-
dore ſolis ſignificatur dos claritatis, in perpetuitate
ſolis, dos impaſſibilitatis, in virtute ſolis actiua (ſol
enim penetrat integrum vitrum) dos ſubtilitatis, in
celeritate ſolis, dos agilitatis, immo ſole celeriores
erunt ſancti. Anſelmus: Velocitas agilitatis tanta nos
concomitabitur, vt ipſis Angelis Dei æque celeres ſi-
mus, qui a cælo ad terras, & econtrario dicto citius
dilabuntur. Samſon igitur noſter Chriſtus dormiuit
ſomno mortis, a quo in reſurrectione ſurrexit, qui
non totam ciuitatem infernalem, ſed tantum fores,
ideſt eos, qui in lymbo, quaſi in foribus erant, ſecum
A in montem cæli tulit. Ambas quoque fores tulit, quia
iuſtos vtriuſque ſexus ſecum duxit. De ſecundo: In- Luc. 24. e
uenerunt congregatos vndecim, & qui cum ipſis erãt
dicentes, quòd ſurrexit Dominus vere, *et cetera.* Di-
cunt, vere. Sed vnde hanc veritatem ſciebant? Certe
Chriſtum audiendo: Ego ſum, nolite timere. Item Ibidem. f
videndo. Tunc aperti ſunt oculi eorum, & cogno- Ibidem. e
uerunt eum. Item tangendo: Infer digitum tuum Ioan. 20. f
huc. Gregorius: Ille dubitando cicatrices vulnerum
tetigit, & a noſtro pectore dubietatis vulnus amputa-
uit. Item corde ſentiendo: Nonne cor noſtrum ar- Luc. 24. e
dens erat, *et cet.* Vnde: Quod audiuimus, & vidimus 1. Ioan. 1. a
B oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ
contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata
eſt, ſcilicet cordis. Tu vero fac, vt cum Apoſtolis
Chriſtum reſurgentem audias, verbo eius obedien-
do, videas per fidem cognoſcendo: tangas, operi-
bus attingendo: ſentias, corde diligendo. De tertio
ſcribitur, vbi dicitur quòd ſurrexit Iudas Macha- 1. Mac. 3. a
bæus, & oſtẽditur quàm potenter ſurrexerit Iudas, &
inter cetera dicitur: Similis factus leoni in operibus
ſuis, & ſicut catulus leonis, *et cet.* Iudas Machabæus
Chriſtum ſignificat. Iudas enim glorificans: Macha-
bæus percutiens interpretatur. Chriſtus autem glori-
C ficat bonos, percutit malos: Quicumque honorifica-
uerit me, ego glorificabo eum, *et cetera.* Chriſtus
autem leo fuit, inferos inuadendo, & catulus leonis
in reſurgendo. Vnde: Requieſcens accubuiſti vt leo, Gen. 49. b
& vt catulus leonis, ſecundum aliam litteram Gloſ- Glo. in hũc
ſæ. Dicunt Phyſici, quòd catulus leonis cum fuerit na- locum.
tus, tribus diebus, & tribus noctibus dormit, deinde Idem ſup.
patris fremitu tremeſcens cubilis locus excitat dor- ſer. 2. de ſab
mientem. Sic Chriſtus in cubili ſepulchri paterna vir- bato ſancto.
tute excitatur: Ecce vicit leo de tribu Iuda. Vnde Apoc. 5. b
etiam de illis ſanctis quattuor animalibus, quæ vidit
Ioannes, Chriſtus ſignificatur, ſcilicet in homine,
D vitulo, leone, aquila. Deus eſt homo, naſcendo: eſt
leo, reſurgendo: eſt vitulus, patiendo: eſt auis, alta
petendo. De quarto, Pſalmus: Surge Domine in Pſal. 131. b
requiem tuam, *et cet.* Auguſtinus: Arca eius Eccle-
ſia eſt, ſurrexit prior, ſurgat Eccleſia, non auderet
ſibi in reſurrectione corpus promittere, niſi prius
exurgeret caput. Ecce ex verbis Auguſtini patet vtili-
tas reſurrectionis Ieſu Chriſti. Et bene per arcam ſi-
gnificatur. Sicut enim arca auro tegebatur, & veſtie-
batur, ita Eccleſia auro immortalitatis, & æternæ
claritatis in reſurrectione veſtietur. Sicut enim arca,
quando caſtra mouenda erant in quattuor angulis
E per circulos aureos eleuebatur, quaſi ad ſurgendum:
ita Eccleſia ſecundũ fidem quattuor Euangeliſtarum
ſurget a quattuor plagis mundi: Mittet filius homi- Mat. 24. b
nis angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & con-
gregabit electos eius a quattuor ventis cæli.

## SERMO VI.

E*Go ſum reſurrectio & vita.* Hoc verbum con- Ioan. 11. c
uenit feſtiuitati hodiernæ reſurrectionis
Dominicæ. Chriſtus enim Ieſus virtute
diuinitatis, & merito humanitatis, eſt re-
F ſurrectio ſua, & aliorum effectiue. Eſt autem reſur-
rectio ſua corporalis, fidelium ſpiritualis, omnium
generalis. De prima: Recordamini qualiter locutus Luc. 24. a
eſt, *et cet.* vſque & tertia die reſurget. Verba iſta ſunt
duorum Angelorum. Vnde nota, quòd Angeli reſur-
rectionem Chriſti denunciant, & ſignificant quadru-
pliciter, videlicet per habitum, per verbum, per fa-
ctum, per ſitum. Per habitum. Vnde ibi duo Angeli
apparuerunt in veſte fulgenti, ad ſignificandam glo-
riam humanitatis, qua in reſurrectione veſtitus eſt fi-
lius Dei. Quod etiam ſignificatur in transfiguratione,
de qua dicitur: Veſtitus eius albus refulgens. Grego- Luc. 9. d
rius: Candor enim veſtis ſplendorem noſtræ denun-
ciat ſollemnitatis. Item per verbum. Vnde dicunt:
Recor-

*Mar.16.b* Recordamini, *& cet.* Surrexit, non eſt hic. Item per- A
*Mat.28.a* factum. Vnde Angelus reuoluit lapidem, vt videndo
non ſolum audiendo certificentur de reſurrectione.
Myſtice autem ſignificatur, quòd quando lapis infi-
delitatis de corde tollitur, reſurrectio verius creditur.
*Mar.16.a* Item per ſitum: Viderunt iuuenem ſedentem a dex-
*Ioan.20.c* tris, dicitur de duobus Angelis, quòd vnus ad caput,
& vnus ad pedes ſedit, in quo ſignificatur, quòd ille,
cuius reſurrectionem nunciabant, iam non in ſiniſtra
tranſitoriæ vitæ, ſed in dextera vitæ perpetuæ eſt, & ſi-
mulibi eſt cũ capite diuinitatis, & pedibus humanita-
*Luc.2.e* tis. De ſecunda: Ecce hic poſitus eſt in ruinã, & in re-
ſurrectionem multorum in Iſrael. Reſurrectio iſta fit B
a morte culpæ. Debet autem fieri ad imitationem re-
ſurrectionis Chriſti, cuius reſurrectio fuit matutina-
lis, integralis, ſocialis, immortalis. Fuit itaque matuti-
*Mar.16.b* nalis: Surgens Ieſus mane, *et cet.* Sic tu non ſero, ſed
*Prou.8.b* mane reſurge a peccatis: Qui mane vigilabunt ad
*Eccli.5.b* me, *et cet.* Ne tardes conuerti ad Dominum, *et cet.*
Item integralis. Vnde neque manum, neque pedem
reliquit Chriſtus in ſepulchro, immo poſt reſurre-
ctionem oſtendit manus, & pedes: ſic tu a peccatis
*Ioan.7.a* totus reſurgas: Totum hominem ſanum feci in Sab-
bato. Qui ergo adhuc manus operum, vel pedes af-
fectuum mortuos habet, vel qui conuerſus iniuſta C
bona, vel odium, vel aliud vitium non reliquit, non-
dum reſurrexit. Deus enim nullum reſuſcitat, niſi in-
tegraliter. Auguſtinus: Numquam Dominus aliquẽ
ſanauit, quem omnino non liberauit, totum enim
*Mat.27.f* hominem vere ſanauit in ſabbato. Item ſocialis: Mul-
ta corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.
Sic & merita tua per peccatum extincta tecum reſur-
gent in conuerſione. Auguſtinus: Pœnitentia non
ſolum dimittit peccata, ſed etiam reſtituit ablata. Si-
cut autem cum Chriſto non omnia corpora, ſed mul-
ta ſurrexerunt, ita tecum non omnia, ſed in charita-
te facta bona opera viuificantur. Verſus: D

*Illa reuiuiſcunt, quæ a viuis facta fuerunt.*

Vel aliter poteſt dici quòd localis dicitur reſurrectio
animæ, quia ſocios culpæ immo quoſlibet familiares
ſecũ trahere debet ad vitam, ſicut Noe, Loth, Moab
ſuas familias ſaluauit. Auguſtinus: Rape ad Deum
quot potes, & dic eis: Tunc amemus. Item immor-
*Rom.6.b* talis: Reſurgens ex mortuis iam non moritur: ſic &
tu perſeueranter reſurgas in conuerſione, vt de cete-
*Pſal.117.c* ro non moriaris tranſgreſſione. Pſalmus: Non mo-
*Ioan.8.g* riar, ſed viuam: Si quis ſermonem meum ſeruauerit,
*1.Cor.15.c* mortem non guſtabit in æternum. De tertia: Per
hominem mors, per hominem reſurrectio mortuo- E
rum. Qualiter autem futura ſit reſurrectio, dicitur
ibidem: Omnes reſurgemus, *et cet.* Vbi oſtenditur
quòd mortui reſurgent vniuerſaliter, diſſimiliter, ce-
leriter, integraliter. Reſurgent vtique vniuerſaliter.
*Apoc.20.d* Vnde ait: Omnes quidem reſurgemus: Vidi mortuos
magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni. Item
diſſimiliter. Vnde ſequitur: Sed non omnes immu-
*Ioan.5.e* tabimur, ſcilicet per gloriam reſurrectionis: Proce-
dent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, *et ce-
tera.* Item celeriter. Vnde ſequitur: In momen-
to, in ictu oculi, *et cetera.* Item integrali-
ter. Vnde ſequitur quòd mortui
reſurgent incorrupti, ideſt ſine
diminutione membrorum.
*Iob 12.d* integri: Qui multipli-
cat gentes, & per-
dit eas, &
ſubuer-
ſas
in integrum reſtituit. Perdit
per mortem, reſtituit
per reſurrectio-
nem.

# FERIA SECVNDA POST PASCHA.

## SERMO I.

M*Ane nobiſcum Domine, quoniam adue-* *Luc.24.e*
*ſperaſcit.* Libenter manent homines,
vbi habent amicos, item vbi rogan-
tur, item vbi epulentur, & eſt hoſpi-
B tium, item vbi pax eſt, & ſecuritas.
Ita Chriſtus ad manendum nobiſcum
allicitur per charitatis amicitiam, per orationis in-
ſtantiam, per mentis opulentiam, per pacis confi-
dentiam. De primo: Si quis diligit me, ſermonem *Ioan.14.e*
*et cet.* & pater, *et cet.* vſque, & manſionem apud eum
faciemus. Magna promiſſio. Si papa vel Imperator
apud te manſionem per diem facturus eſſet, quan-
ta ſolicitudine te, & domũ tuam ad hoc præparares?
Ecce ſi diligis Deum, Deus tecum manet. Si etiam
diligis proximum, omne odium relinquendo, neque
factis, neque verbis proximo nocendo, Deus tecum
C manet: Si diligamus inuicem, Deus manet in nobis. *1.Ioan.4.c*
Hic eſt Chriſtus, qui cum Maria, & Martha libenter *Luc.10.g*
manſit, quæ eum tantum dilexerunt. In Maria eſt
charitas, qua Deo inhæretur: in Martha vero chari-
tas, qua proximo miniſtratur. Vnde bene dicitur:
Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, *1.Ioan.4.e*
*et cet.* Igitur ſicut nullus ibi manere poſſet, vbi ſeden-
ti nullus locus daretur, ſic nec Chriſtus ſine charita-
te in nobis manet. Charitas enim & ſedem, & locum
ſedendi in anima præparat Deo. Auguſtinus: Cha-
ritas Chriſti cor pacificat, mentem in tentationibus
roborat, & vt ſedes ſapientiæ ſit in anima iuſti, quie-
D tem tribuit, & locum præparat. De ſecundo dicitur
hic: *Coegerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum Domi-
ne, quoniam aduesperaſcit,* & cetera. Quando finis vi-
tæ noſtræ appropinquat, tunc adueſperaſcit. Sicut
mane principium, meridies, medium, ita veſpera fi-
nis vitæ. Mane iuuentus, meridies virilitas, veſpera
eſt ſenectus. Omnibus his temporibus ſi Dominum
inuitaremus, ipſe libenter exaudiret. Pſalmus: Ve- *Pſal.54.c*
ſpere & mane, & meridie narrabo, & annunciabit,
& exaudiet vocem meam. Si ergo neglexiſti eum in-
uitare mane, inuita veſpere, *et cet.* Certe multi cre-
dunt mane, vel meridiem eſſe, quibus iam veſpera
E eſt. Vnde non decipiat quemquam flos iuuentutis,
qui tam cito areſcit veſpere. Pſalmus: Mane floreat, *Pſal.89.b*
& tranſeat veſpere, *et cet.* Auguſtinus: Decidat in *Aug. enar.*
morte, & dureſcat in cadauere, areſcat in puluere. *in Pſal. 89.*
Dicamus ergo orantes mane, & rogemus nos: Mane *to. 8.*
nobiſcum, Chriſtum, vt Chriſtus roget nobiſcum
manere ſpiritum ſuum: Ego rogabo patrem, *et cet.* *Ioan.14.b*
Sed certe non ſolũ eſt oratione inuitandus, ſed etiam
lacrymis cogendus. Dicitur hic enim: *Et coegerunt
illum.* Vnde ſuper hoc dicit quædam Gloſſa: Oratio
Dominum linit, lacryma cogit, hæc vngit, illa pun-
git. De tertio: Hodie in domo tua oportet me mane- *Luc.19.a*
F re. Zacchæus, cui hoc dicitur, erat princeps publicano-
rum, & illud bene ſciuit Dominus quòd apud diuites
bonum hoſpitium eſt. Diues hoſpitium eſt mens vir-
tutibus opulenta. Vere enim diuitiæ ſunt timor Do-
mini, iuſtitia, miſericordia, humilitas, caſtitas, pa-
tiẽtia, *et cet.* Talibus diuitijs beata Virgo ſuper quam-
libet animam puri hominis abundauit: Multæ filiæ *Prou.31.d*
congregauerunt diuitias, *et cet.* Et ideo in eius hoſpi-
tio Dominus libenter manſit. Si has diuitias habes,
multos per ipſas habebis amicos, ſcilicet Patrem, Fi-
lium, & Spiritum ſanctum, & Angelos: Diuitiæ ad- *Prou.19.a*
dunt amicos plurimos, a paupere autem, & hi, quos
habuit, ſeparantur. Signum eſt diuitis hoſpitij, vbi
multa ad portam pauperibus dantur, & ibi libenter
manet



*1.Ioan.3.c* manet Dominus, alioqui non. Vnde: Qui habet A
ſubſtantiam huius mundi, *et cet.* vſque, quo modo
*Ioan.10.g* charitas Dei manet in eo? De quarto: Quærebant
Ieſum Iudæi apprehendere, & exiuit de manibus eo-
rum, & abijt iterum trans Iordanem in eum locum,
vbi erat Ioannes baptizans primum, & manſit illic.
Ecce fugit perſecutores, & inimicos ſuos, & manet
vbi ſecurus videtur in loco baptiſmi in Bethania, quæ
interpretatur domus obedientiæ. In illis enim bapti-
zatis, qui obediunt prælatis, & Dei mandatis, manet
Dominus, vnde inimici ſui diabolus, & mundus eum
non eijciant, vel vbi domum mentis per ignem luxu-
riæ, vel auaritiæ, ſuper caput ſuum non crement, vel B
*Luc.2.f* odio ſeu iracundia pacem pectoris non turbent: Re-
manſit puer Ieſus in Ieruſalem, quod interpretatur
*Pſal.75.a* pacifica. In pace libenter manet Ieſus. Pſalmus: In
pace factus eſt locus eius. Sed pacificam, & ſecuram
non habet manſionem in pectore illo, vbi bona ſua
in continuo ſunt periculo. Bernardus: Periclitatur
caſtitas in delicijs, humilitas in diuitijs, pietas in ne-
gotijs, veritas in multiloquio, charitas in hoc ne-
quam ſæculo.

## SERMO II.

*Luc.24.c* N*Onne cor noſtrum ardens erat in nobis!* Quid
mirum ſi cor ardebat, quod Chriſtum in
via ſocium habebat? Cor enim aman-
tis caminus eſt Dei inflammantis. Sicut
enim cor eſt ſpeculum Dei, arca Dei, ager
Dei, ita & caminus Dei. Vnde & cor iuſtum tam-
quam ſpeculum, debet eſſe mundum, vt arca, opu-
lentum, tamquam caminus accenſum, tamquam
ager fructiferum. Cor debet eſſe mundum innocen-
tia, diues virtutum opulentia, ardens amoris vehe-
mentia, fructiferum bonorum operum vehementia.
*Mat.5.a* De primo: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum D
videbunt. Videbunt certe, & tanto melius, quanto
*Pſal.83.c* ſpeculum cordis fuerit mundius. Pſalmiſta: Videbi-
tur Deus deorum in Sion, quod interpretatur ſpecu-
lum. O ſtultitia mirabilis, mundat homo faciem, ma-
nus, pedes, immo etiam calceos mundat, & miſerum
cor non mundat, cum tamen niſi mundum ſit, ſtare
*Pſal.23.a* in conſpectu Dei perpetuo non poſſit. Pſalmus: Quis
ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, & mun-
do corde. Item quod plus eſt, purgant ſe corpora
naturaliter, ſicut mare mortuos expellendo, vinum
fæces eijciendo, corpus humanum per hos, per na-
res, per alias vias immunda expellendo, ſed miſerum
cor ſe non mundat, ſed plus ſordes congregat, cum E
tamen per munditiam conſequeretur diuinam amici-
*Prou.22.b* tiam: Qui diligit cordis munditiam, propter gra-
tiam labiorum ſuorum habebit amicum regem. O
quàm cor mundum abominatur ſordes peccatorum?
Anſelmus: Mallem purus a peccatis, & innocens ge-
hennam intrare, quàm ſorde pollutus cælorum regna
tenere: cum conſtet ſolos malos torqueri, & bonos
*Luc.6.g* in cæleſti beatitudine foueri. De ſecundo: Bonus ho-
mo de bono theſauro cordis, *et cet.* Theſauri cordis
ſunt virtutes, quas hic enumera. Iſti ſunt regales the-
*Mat.2.b* ſauri regi Chriſto offerendi: Apertis theſauris ſuis, F
obtulerunt ei munera, aurum dilectionis, tus ora-
*Pſal.50.d* tionis, myrrham contritionis. Pſalmus: Cor contri-
tum & humiliatum, *et cet.* Quicumque theſauros
habet, a latronibus caueat, ideſt dæmonibus. Grego-
rius: Tentari deſiderat, qui theſauros publice in via
portat. Caueant ergo ſibi de peregrinatione, & elee-
moſynis, & alijs bonis operibus, de quibus ſolent
gloriari. Theſauri enim virtutum in arca cordis clau-
dendi ſunt ſera humilitatis. Ambroſius: Cuſtos vir-
tutum eſt humilitas. Hanc ſeram imitando acquire a
*Mat.11.d* filio fabri Ieſu Chriſto: Diſcite a me, quia mitis ſum
& humilis, *et cet.* Clauos etiam ad confirmandam
ſeram ab ipſo accipe, quibus humiliter cruci affixus

A fuit. De tertio dicitur hic: *Nonne cor noſtrum ardens,*
& cetera. Ardor dilectionis fornacem, ſiue caminum
cordis impleat totaliter: Diliges Dominum Deum *Mat.22.d*
ex toto corde tuo, *et cetera.* Item perſeuerãter: Ignis *Leuit.6.b*
in altari, ideſt in corde, ſemper ardebit, quem nutriet
ſacerdos, ſubijciens ligna mane per ſingulos dies. Li-
gna ſunt Dei beneficia. O quanta naturalia beneficia
corporis, & animæ contulit tibi Deus. Nota quòd
quidam a principe exoculari iuſſus, petiuit vnum ſibi
oculum relinqui, aſſerens quòd tunc dicere poſſet,
numquam principem aliquem tam magnum donum
dediſſe. Quid ergo nos dicemus, cum non ſolum
B oculos, ſed omnia membra, & ipſam animam nobis
Deus dederit. Ligna vero ſunt Chriſti naturalia in
morte pro nobis tradita, & per ipſa alia ſcilicet ſa-
cramentalia, ſpiritualia, & redemptionalia, & æter-
na, quæ ſacerdos Chriſtus per ſingulos dies ſubijcit,
dum quotidie beneficia nobis expendit, vel impen-
ſa, vel impendenda ad mentem nobis reducit. Hæc
ergo ſunt ligna, hi ſunt carbones viui, quibus cor
tuum ardere debet per dilectionem, immo & fuma-
re debet per contritionem: Cordis eius particulam ſi *Tob.6.b*
ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne ge-
nus dæmoniorũ. De quarto: Quod autem in terram *Luc.8.b*
C bonam, hi ſunt qui in corde bono, & optimo, *et cet.*
Fructus boni cordis ſunt bona opera: In omni opere *Coloſſ.1.b*
bono fructificantes. Sed væ terræ cordis humani, quæ
non fructus meritorum, ſed ſpinas profert peccato-
rum: Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens *Heb.6.b*
imbrem, & germinans herbam opportunam illis, a
quibus colligitur, accipit benedictionem a Deo, pro-
ferens autem ſpinas, & tribulos, reproba, & maledi-
cto proxima. Hæc eſt benedictio, quæ miſericordi-
bus dabitur in iudicio, ſicut: Eſuriui enim & dediſtis *Mat.25.d*
mihi, *et cetera.* Quid ergo de proferentibus ſpinas
nequitiæ, cum maledicatur, qui non habet ficus mi-
D ſericordiæ? Quæ maledictio ſignificata eſt, vbi fi- *Mat.21.b*
cus maledicitur.

## SERMO III.

S*Vrrexit Dominus vere.* Notabile eſt quòd *Luc.24.c*
diſcipuli dicunt vere. Et iuxta hoc notan-
dum, quòd in Scriptura ſub atteſtatione
veritatis nobis inſinuantur quattuor de
Deo. Videlicet potentia, ſapientia, clementia, proui-
dentia diuina. De primo nota quòd Heliodorus, cum *2.Mac.3.d*
theſaurum ærarij templi Ieroſolymitani auferre vel-
let, per militis cuiuſdam aurea arma habentis prio-
E res equi calces illiſus fuit. Vnde interrogatus a rege,
qui eum miſerat: Quiſnam eſſet aptus adhuc ſemel
Ieroſolymam mitti? ait: Siquidem habes hoſtem,
aut regni tui inſidiatorem mitte illuc, & flagellatum
eum recipies, ſi tamen euaſerit, ſubiungens eo, quòd
in loco illo vere ſit Dei quædam virtus, *et cetera.* Ti-
meant inuaſores locorum ſacrorum. Myſtice autem
rex iſte diabolus eſt. Ipſe eſt rex, *et cetera.* Homo ve- *Iob.41.d*
ro Dei templum: Templum Dei eſtis vos, & Spiri- *1.Cor.3.c*
tus ſanctus habitat in vobis. Ærarium eſt cor iuſti, in
quo ſunt theſauri virtutũ, & meritorum: Bonus ho- *Luc.6.g*
F mo de bono theſauro cordis ſui, *et cet.* Nuncij eius
diaboli ſunt homines peruerſi, qui theſaurum iſtum
auferre conantur, dum bonos ad peccatum factis, vel
verbis pertrahunt. Alliciendo enim te ad luxuriam,
auferunt theſaurum continentiæ, ſi lædunt te verbis,
& factis auferunt theſaurum charitatis, dum eos odis.
Gregorius: Non curat antiquus hoſtis, vt tempora-
lia tollat, ſed vt charitatem in nobis finiat. Per equi-
tem autem ſignificatur Chriſtus, cuius equus eſt caro
de quo deſcendit in mortem, dum anima ſeparata
fuit a carne. Vere autem ad equum ſuum redijt in
reſurrectione. *Surrexit* enim *Dominus vere.* Nam ip-
ſe certiſſime eſt Dei virtus. Aurea vero arma ſunt
immortalitatis donum, & alia dona corporis indu-
menta.

menta. Hic equus illidit malefacientes in præſenti
corripiendo, vel in futuro damnando. De ſecundo:
Nota quòd cum Daniel ſomnium de ſtatua, & de la-
pide abſciſo de monte ſine manibus, & ſtatuam con-
terente, expoſuiſſet Nabuchodonoſori, ipſe Nabu-
*Dan. 2. g* chodonoſor ait: Vere Deus veſter Deus Deorum eſt,
& Dominus regum reuelans myſteria. Vere magna
Dei ſapientia apparet in huius myſterij reuelatione,
& maxime in ſignificatione, videlicet in incarnatione
Chriſti, & mundi conuerſione, quæ in eodem my-
ſterio ſignificantur. Statua enim regnum mundi ſi-
gnificat, qui ad modum ſtatuæ ædificatur. Fuit autem
ex auro & argento, in quibus opulentia. Item ex ære
& ferro, in quibus potentia: & ex luto, & re fictili,
in quibus concupiſcentia ſignificatur. Ex his tribus
*1. Ioan. 2. c* conſtat ſtatua mundanæ vanitatis: Omne quod eſt in
mundo, *et cetera*. Hæc ſtatua per lapidem, ideſt Chri-
ſtum, ſine manibus amplexus virilis de monte excel-
lentiſſimæ Virginis abſciſum, eſt contrita in mundi
conuerſione, & horribiliter conteretur in malorum
*Mat. 21. d* damnatione: Qui ceciderit ſuper lapidem, *et cet.* vſ-
*Iſa. 53. a* que conteret. De tertio: Vere languores noſtros ipſe
tulit. Inter omnia diuinæ clementiæ indicia maximũ
eſt paſſio Chriſti, quæ animarum noſtrarum languo-
res tulit. Vnde cantat Eccleſia: Quæ te vicit clemen-
tia, *et cet.* ſuper omnia reddit te amabilem, *et cet.*
Bernardus: Require in ſermone: Spiritus oris mei.
Sed nota quòd languor vitiorum humanum genus
*Iſa. 1. b* totum infecerat: Omne caput languidum. Gloſſa in-
terlinearis, ideſt princeps, & omne cor mœrens, ideſt
ſapiens, quia in corde eſt ſapientia, a planta pedis,
*et cet.* ideſt a minimis vſque ad ſummos. Hierony-
mus: Chriſtus dolores noſtros portauit in capite ſpi-
nis coronatus, in corde lancea vulneratus, in pedibus
clauis confoſſus, & breuiter, a planta pedis, vſque
*Thren. 1. d* ad verticem capitis, non fuit in eo ſanitas: O vos om-
nes, *et cetera*. O vos ſuperiores, qui eſtis caput alio-
rum, attendite caput pro vobis ſpinatum. O vos in-
feriores, qui eſtis pedes in corpore Eccleſiæ, attendi-
te pedes pro vobis confoſſos clauis. O vos ſapientes,
qui eſtis cor, attendite cor, & latus pro vobis tranſ-
fixum. Bernardus: O quàm vehementi amplexu,
*et cet.* Require in ſermone: Colligite fragmenta ne
pereant, in tertio membro. Caput tamen per arundi-
nem, per colaphos, per ſpinas, plura paſſum eſt, quia
*Gen. 28. d* ſuperiores in plurimis offenduntur. De quarto: Cum
Iacob angelos in ſcala vidiſſet, & Dominum, dicit:
Vere Dominus eſt in loco iſto. Certe in omni loco eſt
*Ier. 23. e* Dominus: Cælum & terram ego impleo, ſpecialiter
tamen præſens eſt per gratiam, mediante ſcala fidei.
Cuius duo ligna extenſa, ac principalia ſunt fides di-
uinitatis, & humanitatis Chriſti, ligna vero gradalia
ſunt ſinguli fidei articuli. Per hanc ſcalam in cælum
aſcendunt, qui angeli per ſanctitatem ſunt. Sed bone
Deus, ſcala eſt iam plena dæmonibus. Qui enim non
peccant, angeli ſunt, qui peccant & pœnitent homi-
nes ſunt, qui peccant & non pœnitent, diaboli ſunt
ſiue dæmones. Sed dicis: Quo modo diabolus ſum,
*Iac. 2. d* cum fidem habeam? Reſpondeo: Et dæmones cre-
dunt, & contremiſcunt.

# FERIA TERTIA

## POST PASCHA.

### SERMO I.

*Luc. 24. f* S*Tetit Ieſus in medio*, & cetera. Domi-
nus eſt in medio Eccleſiæ, & fidelis
animæ ad quattuor, videlicet ad con-
fortandum per gratiam, ad illumi-
nandum per ſapientiam, ad vindi-
candum per iuſtitiam, ad beatifican-
A dum per gloriam. De primo, Pſalmus: Fluminis im- *Pſal. 45. a*
petus, *et cet.* vſque, Deus in medio eius non commo-
uebitur, *et cet.* Ciuitas hæc eſt Eccleſia, vel fidelis ani-
ma, fluminis impetus eſt virtus gratiæ Spiritus ſancti:
Qui credit in me flumina, *et cet.* Per iſtud flumen eſt *Ioan. 7. f*
Dominus in medio ciuitatis, ideſt Eccleſiæ, vel ani-
mæ, & ideo ipſa non commouebitur ad malum, quæ
per gratiam conſeruatur. Sicut enim lignum vitæ in
medio paradiſi vitam naturæ, ſic Chriſtus vitam gra-
tiæ conſeruat: Lignum vitæ in medio paradiſi. Hoc *Gen. 2. b*
lignum vitæ non guſtant quicumque in paradiſo cæli
non ſunt per mundam vitam, ſed potius in ſtabulo
B diaboli ſunt per putridam vitam: Computruerunt *Ioel. 1. d*
iumenta in ſtercore ſuo, *et cet.* De ſecundo: Vidi ſe- *Apoc. 1. c*
ptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candela-
brorum aureorum ſimilem filio hominis. Septem
candelabra aurea ſeptem ſtatus in Eccleſia ſignificare *Septem ſtatus in Eccleſia.*
poſſunt. Primus eſt paruulorum baptizatorum: ſe-
cundus coniugatorum: tertius viduarum: quartus
virginum electorum: quintus clericorum minorum:
ſextus prælatorum: ſeptimus religioſorum. In his
ſtatibus boni in Eccleſia illuminantur, & illuminant
proximos, vnde & candelabra dicuntur: illuminan-
tur a Deo, vnde facies eius, qui in medio candela-
C brorum videbatur, ſicut ſol fuit. Reuera ſol illumi-
nans bonos, Chriſtus eſt. Sed heu ſol iſte per tres
horas occubuit in paſſione Chriſti. Per tres horas
tres ætates hominum ſignificari poſſunt. Iuuenilis,
virilis, ſenilis. Quicumque ergo per tres horas, ideſt
per tres ætates in tenebris vitiorum ſunt, ſignum eſt,
quòd in eis Chriſtus crucifigatur. Boni ergo ſunt, in
quorum medio ſol iſte non occubuit: Stetit vtique *Ioſue 10. c*
ſol in medio cæli, non feſtinauit occumbere, *et cet.*
Sol in medio cæli ſtans omnibus eſt communis, ſic
& Chriſtus. Bernardus: Non diſſimulemus, non ex-
cuſemus, in medio eſt, omnibus ſe Chriſtus offerens.
D De tertio. Pſalmus: In medio autem Deos dijudi- *Pſal. 81. a*
cat. Gloſſa: Diſcernit vaſa alia in honorem, alia in
contumeliam, vbi dij dijudicantur. Timendũ eſt an-
gelis, magis autem timendum eſt hominibus, maxi-
me autem dæmonibus. Angeli ſunt qui boni ſunt
per gratiam, homines qui peccant per ignorantiam,
dæmones qui peccant per malitiam, dij autem non
ſolum perfecti intelligi poſſunt. Pſalmus: Ego dixi dij *Pſal. 81. b*
eſtis. Sed etiam perfecti apparentes, & potentes &
ſapientes & diuites, quos in mundo iſto homines, vt
deos venerantur, quos dæmones igne iniquitatis ſæ-
pe ſuccendunt: Dederunt deos eorum igni. Deus er- *Iſa. 37. d*
E go & hic, & in futuro in medio deos diuidat, dum
bonos a malis diſcernit. Vnde: Fiat firmamentum *Gen. 1. a*
in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Per
firmamentum Chriſtus. Pſalmus: Firmamentum eſt *Pſal. 24. c*
Dominus timentibus ſe. Per aquas ſuperiores boni,
per inferiores mali ſignificantur. Iudica homo te-
metipſum ne iudiceris. Gregorius: Iuſti viri cum di-
ſtrictionem futuri iudicis contemplantur, peccata
ſua ad memoriam reducunt, deflent quæ commiſe-
runt, diſtricte ſe iudicant ne iudicentur. De quarto: *Zach. 2. b*
In gloria ero in medio eius, loquitur Dominus Ieru-
ſalem, & ſignificat illam, quæ ſurſum eſt. Vnde Chri-
F ſtus in medio ſanctorum, & angelorum eſt diuinita-
te & humanitate. Vnde: Introduxerunt arcam Dei, *2. Reg. 6. c*
& poſuerunt eam in locum ſuum in medio taberna-
culi. Arca corpus Chriſti, vrna aurea anima Chriſti,
manna diuinitatem ſignificat. Propter prædicta bene *Iſa. 1. a*
inuenitur Chriſtus in medio animalium ſicut pabu- *Luc. 2. a*
lum ad confortandum per gratiam. In medio docto- *Luc. 2. g*
rum, ad illuminandum per ſapientiam. Item in me- *Mat. 27. e*
dio latronum, ad iudicandum per iuſtitiam, quod iu-
dicium in eiſdem latronibus apparuit. Item in me- *Luc. 24. f*
dio diſcipulorum, ad beatificandum in gloria. In
medio enim illorum ſtetit poſt euaſionem omnis mi-
ſeriæ. Poſſunt etiam ſignificari hæc quattuor in filio
hominis, quem in medio candelabrorum vidit Ioan-
nes:



*Apoc. 1. e* nes: Poſuit enim manum ſuper Ioannem ad confor- A
tandum. Item facies eius erat ſicut ſol ad illuminan-
dum. Item gladius in ore eius ad dimicandum. Item
ſeptem ſtellæ in dextera eius ad beatificandum. Stel-
læ enim in dextera ſunt beatorum animæ in gloria:
*Sap. 3. a* Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt.

### SERMO II.

*Luc. 24. f* P*Ax vobis*. Per peccatum habuit homo ini-
micitias cum Deo, cum Angelis, cum ir-
*Rom. 5. b* rationabilibus: Et cum inimici eſſemus,
Deo reconciliati ſumus per mortem filij B
eius: ideo nunc per Chriſtum offertur fi-
delibus pax trium perſonarum diuinarum, pax pote-
ſtatum angelicarum, pax creaturarum humanarum,
*Ioan. 14. d* pax irrationabilium creaturarum. De primo: Pacem
meam do vobis, pacem relinquo vobis, *et cet.* Non ſo-
lum a filio, ſed a tota Trinitate datur hæc pax, ſcilicet
*Apoc. 1. a* a Patre, & a Filio, & Spiritu ſancto: Gratia vobis, &
pax a Deo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, &
a ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ſunt, &
a Ieſu Chriſto. Anima ſecundum Auguſtinum, eſt ad
imaginem Patris per memoriam, Filij per rationem,
Spiritus ſancti per voluntatem. Si ergo in memoria C
nihil mali retineas, in ratione nihil mali ſentias, in
voluntate nihil mali cupias, per quæ pax violetur,
cum pace gaudebis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:
*Ioan. 20. e* Legitur ter Chriſtum dixiſſe diſcipulis ſuis: Pax vo-
bis. Væ eis, qui pacem Patris, & Filij, & Spiritus
ſancti non ſeruant. Auguſtinus: Qui in pace non fue-
rit inuentus, abdicatur a Patre, exhereditatur a Filio,
nihilominus a Spiritu ſancto efficitur alienus, neque
poterit ad hereditatem Domini peruenire, qui teſta-
mentũ eius noluit obſeruare. Sed nota quòd pacem
a ſeptem ſpiritibus non poſſunt habere, qui pacem
cum ſeptem ſpiritibus diaboli habere volunt, de qui- D
*Mat. 12. d* bus: Tunc vadit & aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores
ſe. Auguſtinus: Qui pacem ſuſcipit Saluatoris, & ini-
micitias contrahit mundi, nihil diſcordauerit a dia-
bolo, pacem non habebit cum Chriſto. De ſecundo:
*Coloſſ. 1. c* Pacificans per ſanguinem eius, ſiue quæ in cælis, ſiue
quæ in terris ſunt, ſcilicet angelos, & homines. An-
geli enim inimici fuerunt homini propter offenſam
Creatoris, ſpecialiter autem per luxuriam, ſicut pa-
tet in duobus angelis, quos miſit Dominus ſubuerte-
*Gen. 19. c* re Sodomã & Gomorrham. Item propter ſuperbiam
*2. Reg. 24. a. b* ſicut patet in Angelo percutiente ſeptuaginta millia
hominum propter ſuperbiam Dauid populum nume- E
rantis. Item propter auaritiam, & blaſphemiam, vt
*4. Reg. 19. g* patet in angelo qui percuſſit de exercitu Senacherib
centum octoginta quinque millia: qui huius vitia
non ſequuntur, ſed ab ipſis conuertuntur, pacem
habent cum angelis. Vnde pacem angeli talibus nun-
*Luc. 2. b* ciat: Pax hominibus, ſed certe bonæ voluntatis. De
*Prou. 16. b* tertio: Cum placuerint Domino viæ hominis inimi-
cos quoque eius conuertet ad pacem, igitur cum ini-
micis immo cum omnibus hominibus eſt pax haben-
*Rom. 12. d* da: Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum hominibus
*Marc. 9. g* pacem habentes. Pacem vtique cum bonis: Habete
in vobis ſal, & pacem habete inter vos. Iſidorus: Pa- F
cem cum bonis, & bellum cum vitijs ſemper habea-
mus, mala ſiquidem hominum impiorum odio ha-
*Pſal. 119. b* benda ſunt. Item cum malis. Pſalmus: Cum ijs, qui
oderunt pacem, erã pacificus. Item a mortuis, de qui-
*Sap. 3. a* bus: Illi autem ſunt in pace. Pacem autem mortuis
non dat, qui adhuc mortuos detrahendo, & odiendo
impugnat, & maxime ſanctos, quorum Eccleſias ſpo-
liant, ſimiles militi, qui ſua lancea Dominum mor-
*Iob 5. d* tuum perforauit. De quarto: Beſtiæ terræ erunt pa-
cificæ tibi, vt ſcias quia tabernaculum tuum pacem
habeat. Hæc enim pax cum beſtijs irrationalibus per-
dita eſt per peccatum. Sicut enim dicit Iſidorus: Si
homo non peccaſſet, nullus eum ignis vreret, nulla
aqua ſubmergeret, nulla beſtia noceret. Ex dono au-
tem ſpeciali adhuc creaturæ pacem ſeruant cum ſan-
ctis, ſicut ignis cum tribus pueris: Sicut aqua cum fi- *Dan. 3. e*
lijs Iſrael in mari rubro: Sicut leones cum Daniele: *Exo. 14. e*
Sed qualem creaturæ cum hominibus pacem habe- *Dan. 6. f*
bunt in nouiſſimo tempore, oſtendetur: quia ſicut
dicitur: Pugnabit pro eo orbis terrarum contra in- *Sap. 5. d*
ſenſatos, nobiſcum modo bene ageretur, ſi beſtia
auaritiæ, ſi aqua luxuriæ, & ignis ſuperbiæ animas
noſtras non læderent. Natura ignis eſt aſcendere, ſic
& ſuperbis. Pſalmus: Superbia eorum, qui te ode- *Pſal. 73. d*
runt, aſcendit ſemper. Per beſtiam quoque auaritia
ſignificatur. Sicut enim beſtiæ deuorantes ſunt, ſic &
auaritia: Facti ſunt greges mei in rapinam, & in de- *Ezec. 34. b*
uorationem omniũ beſtiarum agri. Et ſicut in aquis *Mat. 8. d*
porci ſubmerguntur, ſic & in aquis luxuriæ homi-
nes porcorum more viuentes.

### SERMO III.

P*Ax vobis*, & cetera. Bonis hominibus eſt *Luc. 24. f*
pax in mundo, pax in extremo, pax in iu-
dicio, pax in cælo. De primo: Si in via *Baruc. 3. b*
Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique in pace
C ſuper terram. Ecce duæ ſunt viæ: diaboli vna, altera
Dei. In prima numquam aliquis pacem habuit, quin
ſpoliaretur vel occideretur. Per hanc deſcendit homo
ab Ieruſalem in Ierico, vt dicitur: Ieruſalem paci- *Luc. 10. f*
fica interpretatur. Ierico luna. Luna enim inſtabi-
litatem præſentis vitæ, vel mundi ſignificat. Qui er-
go veram cum Deo pacem poſtponit, & ad mundum
ſe conuertit, ab Ieruſalem in Ierico venit, & in la-
trones, ſcilicet dæmones incidit, a quibus ſpoliatur
gratia, & vulneratur in natura. Pſalmiſta: Contritio *Pſal. 13. b*
& infelicitas, *et cet.* In ſecunda via ſemper pax eſt in-
terior, licet non ſemper exterior: Omnes ſemitæ il- *Prou. 3. c*
D lius pacificæ, *et cet.* Pſalmiſta: Pax multa diligentibus *Pſal. 118. x*
legem, *et cet.* Inſania ergo eſt ire per viam, in qua
numquam homo euaſit, & relinquere viam, in qua
numquam homo perijt, licet forte iſta planior, & illa
aſperior videatur. Beda: Felicius eſt duci per aſperam
viam ad regnum quàm per planam, & amœnam ad
ſupplicium. De ſecundo: Nunc Domine ſecundum *Tob. 3. a*
voluntatem tuam fac mecum miſericordiam, & præ-
cipe in pace recipi ſpiritum meum. Vere bona pace
indiget homo in exitu de corpore, quia tunc inimici
maxime inſidiantur. Vnde: In tempore illo non erit *2. Para. 15. a*
pax egredienti, ſed terrores vndique in cunctis habi-
E tationibus terrarum, ſicut viri ſpirituales dicuntur
habitatores cæli: Noſtra conuerſatio eſt in cælis. Car- *Philip. 3. d*
nales & mali terrenis vitijs, voluntate, opere & con-
ſuetudine dicuntur terræ habitatores: Væ, væ, væ ha- *Apoc. 8. d*
bitantibus in terra. Væ pro voluntate. Væ pro opere.
Væ pro cõſuetudine. Talibus in tempore mortis non
eſt pax egrediendi, & ingrediendi. Sine pace ingre-
dimur infernum. Vnde: Inimici, ſcilicet dæmones *Luc. 19. g*
circumdabunt te, ſcilicet exitum tuum obſeruando,
coanguſtabunt te, animam de corpore rapiendo, pro-
ſternent te ad terram tenebroſam, & opertam mor-
tis caligine, vbi animam proijcient. De tertio: Quis *Luc. 14. g*
F rex iturus, *et cet.* vſque, rogat ea quæ pacis ſunt, *et
cet.* Rex eſt homo regens ſuos, ſi bene rexerit, coronã
in cælo portabit, accipiet coronam vitæ. Rex autem *Iac. 1. b*
contra hunc veniens ad iudicium eſt Chriſtus. Gloſ-
ſa: Cum decem millibus occurrit Domino, qui of-
fert opera decem mandatorum, quæ exterius geſſit,
ſed Dominus, quaſi duplicato numero contra eum
venit, cum præparatum in ſolo opere, diſcurrit ac di-
ſcutit ſimul de opere, & voluntate: & ideo adhuc lon-
ge cum dilatione iudicij nos noſtram inſufficientiam
attendentes ad impetrandam ſeueri iudicis pacem,
debemus præmittere legationem lacrymarum, bono-
rum operum, & purorum affectuum. Vere bona pa-
ce indigemus in die iudicij, quando ſic dicitur: Acci- *Sap. 5. d*
piet

piet armaturam zelus Domini, & armabit creaturam
ad vltionem inimicorum, *et cet.* Anſelmus: O angu-
ſtia, hinc erunt accuſantia peccata, inde terrens iu-
ſtitia, ſubtus patens horridum chaos inferni, deſu-
per iratus iudex, intus vrens conſcientia, foris ardens
mundus. Si iuſtus vix ſaluabitur, peccator ſic depre-
henſus in quam partem ſe premet conſtrictus, vbi la-
tebit? vbi apparebo? latere erit impoſſibile, appare-
re intolerabile. Licet autem mali anguſtias, boni ta-
*Iſa. 26. c* men pacem habebunt: Ignis hoſtes tuos deuorat Do-
mine, dabis pacem nobis. De quarto: Sedebit Do-
*Idem. 32. d* minus in pulchritudine pacis in tabernaculis fiduciæ,
*et cet.* De hac pace æterna ait Auguſtinus: Cæleſtis
ciuitatis eſt ordinatiſſima ſocietas fruendi Deo, & in-
uicem in Deo. In hac pace ſedet populus meus in cæ-
*Luc. 1. g* lo. In mundo in pace debemus ambulare: Ad diri-
gendos pedes noſtros in viam pacis. In cælo autem
ſedere debemus in tabernaculis, ideſt in ordinibus an-
gelorum, qui dicuntur fiduciæ. Magna enim fiducia
pacis eſt in tabernaculo, quando hoſtis intrare non
poteſt propter munitionem, hæc vtique in prima
*Pſal. 147. d* eſt. Pſalmiſta: Confortauit ſeras portarum, *et cetera.*
vſque, fines tuos pacem. Auguſtinus: Quiſne deſide-
ret illam pacem, vbi amicus non deerit, quo inimi-
cus non intrat, vbi nullus depredator adeſt, nullus ſe-
ditioſus, nullus deridens Eccleſiam.

## FERIA QVARTA

### SERMO I.

*Ioan. 21. a* E*Rant ſimul Simon Petrus, & Thomas*,
& cetera. Bonum eſt bonos ſimul eſ-
ſe in bono, quia mali ſæpe ſimul ſunt
in malo. Conſiderandum eſt ergo,
quòd diuerſo modo habent homines
eſſe ſimul. Sunt enim homines ſimul
in mundo, ſimul in inferno, ſimul in iudicio, ſimul
in cælo, ſeu in cæli palatio. Simul in mundo ſunt bo-
ni & mali, ſed Chriſtus tamquam dux belli ſuis mili-
*Iſa. 50. c* tibus ait: Stemus ſimul. Quis eſt aduerſarius, *et cet.*
quaſi dicat: Multi ſunt qui impugnant, pauci qui
adiuuant. Stemus ergo ſimul in hoc mundo. Simul
ergo nos dæmones inuadunt, ſimul reprobi fugiunt,
ſimul ſancti reſiſtunt. Simul nos dæmones inuadunt.
*Iob 19. b* Vnde: Simul venerunt latrones eius, & fecerunt ſibi
viam per me. Latrones ſæuiſſimi ſunt dæmones, ex-
poliant, vulnerant, & iugulant. Expoliant nos gratui-
tis, vulnerant in naturalibus, iugulant in pœnis ge-
hennalibus. Iſti ſunt latrones, in quos incidit homo
*Luc. 10. f* deſcendens de Ieruſalem in Ierico, *et cet.* Simul er-
go veniunt impugnando. Viam per hominem faciũt
impugnantes comminando. Simul etiam reprobi fu-
*Ier. 46. e* giunt: Mercenarij quoque eius, qui verſabantur in
medio eius, quaſi vituli ſaginati verſi ſunt, vt fugerẽt
ſimul. Mercenarij ſunt qui pro bonis operibus glo-
riam humanam, vel temporalia quærunt, de quibus:
*Mat. 6. a* Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Vel
mercenarij ſunt, qui in cura animarum mercedem
temporalem non æternalem quærunt. Iſti quaſi vitu-
*Ioan. 10. b* li ſaginati laſciui ſunt, & ſimul fugiunt: Mercena-
rius autem, *et cet.* Simul reprobi fugiunt, *et cet.* Fu-
*Pſal. 52. a* giunt autem ſimul ad iniquitates. Pſalmus: Simul
inutiles facti ſunt, *et cet.* Simul quoque ſunt electi ſi-
cut hic dicitur: *Erant ſimul Simon Petrus*, & cetera:
*Iſa. 50. c* Stemus ſimul. Standum eſt in acie, non cadendum:
*Epheſ. 6. c* Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die
malo, & in omnibus perfecti ſtare. Arma noſtra vir-
tutes ſunt, non ſolum autem ſimul ſtandum, ſed etiam
*Ioan. 20. a* currendum: Currebant duo ſimul. Stant qui malo
reſiſtunt fortiter. At vero illi bene currunt, qui in
bono proficiunt feruenter. Bernardus: Currite fra-
tres, quia non ſolum angeli, ſed ipſe Creator ange-

A lorum nos expectat. De ſecundo: Simul etiam mali
ſunt in inferno, vt æternaliter pereant. Pſalmus: Si- *Pſal. 48. b*
mul inſipiens, & ſtultus peribunt, & relinquent alie-
nis diuitias ſuas, ſcilicet quoniã per eas nihil boni pro
animabus ſuis de ipſis faciunt. Simul autem ſunt dam-
nati tripliciter, ſcilicet cum immundis vermibus, ſi-
mul cum damnatis peccatoribus, ſimul cum crudeli-
bus dæmonibus. Simul cum immũdis vermibus in
ſepulchro: Iſte moritur diues ſanus, & robuſtus, *et* *Iob 21. d*
*cet.* vſque ſimul in puluere dormient, & vermes ope-
rient eos. Corpus nunc opertum pulchris veſtibus in
ſepulchro operietur vermibus. Caro nunc tam flori-
B da tam laſciua putredine, & vermibus conſumetur.
Putredini dixi, *et cetera.* Bernardus: Poſt hominem: *Iob. 17. d*
vermis, poſt vermen fœtor & horror, ſic in non ho-
minem vertitur omnis homo. Simul quoque ſunt
damnati cum damnatis hominibus, quorum ſimul
ſocietatem abhorrens propheta clamat ad Dominum:
Ne ſimul tradas me cum peccatoribus, *et cet.* Quia *Pſal. 27. a*
enim hic ſimul erant in culpa, ſimul colligati ſunt in
pœna: Colligite zizaniã, & alligate eam in faſciculos *Mat. 13. d*
ad comburendum. Hic ſocij culparum, ibi ſocii pœ-
narum. Vis ergo non ſimul eſſe cum damnatis in in-
ferno in pœnis, non ſis hic ſimul cum eis in culpis.
C Simul inſuper ſunt damnati, cũ crudeliſſimis dæmo-
nibus: Abſcindentur, excutientur, & relinquentur *Iſa. 18. c*
ſimul auibus montium, & beſtijs terræ. Abſcinden-
tur in monte damnati ab amicis, & omnibus tempo-
ralibus, excutientur eorum animæ de cordibus, re-
linquentur ſimul auibus, ideſt dæmonibus, propter
hoc ait Bernardus: Mors peccatorum peſſima. Ma-
la quidem quando ab his, quæ hic dilexerunt, ſepa-
rantur, peior quando eorum animæ a malignis ſpiri-
tibus torquentur, peſſima quando corpus, & anima
ſimul æternis ignibus adijciuntur. Aues propter ve-
locitatem. Beſtiæ propter crudelitatem. Quia in ſe-
D paratione peccatricis animæ a corde eorum velocita-
tem dæmonum effugere impoſſibile eſt, crudelitatem
ſuſtinere intolerabile: Deuorabunt eos aues morſu *Deut. 32. d*
amariſſimo. Dentes beſtiarum innuit Pſalmus: Ne *Pſal. 73. d*
tradas beſtijs, *et cet.*

### SERMO II.

E*Rant ſimul Simon Petrus*, & cetera. Hodie *Ioan. 21. a*
dictum fuit quòd ſimul ſunt homines in
mundo, ſimul in inferno, ſimul in iudicio,
ſimul in cælo. Prima duo hodie expoſita
E ſunt, de alijs duobus videamus. Tertio igitur ſimul
erunt in iudicio, & boni & mali: Simul ad iudicium *Iſa. 41. a*
propinquemus. Vt autem de bonis taceamus, mali
miſerabiliter erunt ibi ſimul tripliciter, ſimul erunt
confuſi, ſimul ſtupidi, ſimul abſorpti. Simul confuſi
mali vniuerſaliter in omnium præſentia, ſimul ſtupi-
di in communi audientia, ſimul abſorpti a ferociſſi-
ma ſententia. In iudicio damnandi ſimul erunt con-
fuſi in omnium præſentia: Conuenient omnes, & *Iſa. 44. b*
ſtabunt, & pauebunt, & confundentur ſimul. Con-
uenient, inquam vniuerſaliter, ſtabunt præſentiali-
ter, pauebunt mentaliter, confundentur ſimul æter-
F naliter. Sed vnde erit ille pauor niſi de omnibus pec-
catis? Gregorius: Nunc cuncta peccata ſimul ante
oculos redeunt, ibi omnia, quæ cum delectatione fa-
cta ſunt, ad memoriam cum pauore reuocantur. Si-
mul etiam erunt reprobi ſtupidi, & quaſi muti in pu-
blica audientia: Accedant & tunc loquantur, ſimul *Iſa. 41. a*
ad iudicium propinquemus. Ecce quòd audientia
non negatur eis, patet cum dicitur: Tunc loquantur,
quaſi dicat Dominus per prophetam: Modo reprobi
ſatis ſe excuſant, modo dicunt non poſſumus hæc, vel
illa peccata dimittere, non valemus hæc vel illa bona
facere. Modo ſatis loquuntur, ſed certe tunc parum
loqui poterunt, tamquam ſtupentes & obmuteſcen- *Mat. 22. b*
tes: At ille obmutuit. Simul quoque erunt reprobi
abſorpti



*Iſa. 42. c* abſorpti a voraciſſima ſententia. Tacui, ſemper ſilui,
patiens fui, ſicut perturiens loquar: diſſipabo & ab-
ſorbebo, ſimul deſertos faciam montes, ideſt ſuperbos
peccatores. Dominus nunc tacet ad tuas fœdas cogi-
tationes, ſcilicet ad tuas malas locutiones; patiens eſt
ad tuas iniquas operationes, ſed ſicut parturiens lo-
*Mat. 25. d* quitur: Ite maledicti in ignem æternum, & tunc diſ-
ſipabuntur malorum conſilia, abſorbebuntur omnes
a voraciſſima ſententia. Simul deſerti erunt ab om-
ni auxilio & gratia. Propter has reproborum an-
guſtias in iudicio ait Anſelmus: O anguſtia, *& cet.*
Require in ſermone: Pax vobis, vt ſupra. Quarto
*Iſa. 52. e* modo erunt homines boni ſimul in cæli palatio. Si-
mul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum
conuerterit Dominus Sion. Non ſolum Sion mili-
tantem, ſed etiam triumphantem Eccleſiam ſignifi-
cat. Nam ſicut illa in tenebris ſuis conuertitur de
culpa ad gratiam: ita iſta de miſeria ad gloriam. Ibi
oculo ad oculum, facie ad faciem videbimus Deum.
Simul autem boni erunt in tribus. In animarum fe-
licitate, in angelorum ſocietate, in corporali immor-
talitate. Simul erũt boni in animarum felicitate: quæ
maxime conſiſtit in Dei viſione, propter hoc dicitur
ſimul laudabunt, quia oculo ad oculũ videbunt: Bea-
*Mat. 5. a* ti mundo corde quoniã ipſi Deũ videbunt. Sed quo-
modo videtur Deus? Auguſtinus: Ita eſt Deus notus
atque conſpicuus, vt videatur a nobis ſingulis, in no-
bis videatur, ab altero in altero videatur, vel ſeipſo
videatur in cælo nouo, & in terra noua. Sed heu
iſtum oculum, quo videre debent Deum deorum in
Sion multi turbant, multi excæcant puluere auaritiæ:
*Exo. 23. a* Neque accipies munera, quæ excæcant etiam pru-
dentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. Vnde & To-
*Tob. 2. c* bias excæcatus ſtercore hirundinum fuit. Simul erunt
beati Angelorum ſocietate, quia ordinum ipſorum
*Iſa. 52. e* ruinam inſtaurabunt. Vnde ſubiungitur: Gaudete
& laudate ſimul deſerta Ieruſalem. Deſerta cæleſtis
Ieruſalem dici poſſunt ordines vel manſiones, quas
deſertores Angeli deſeruerunt, propter hoc cælum
*Luc. 15. a* dicitur deſertum. Quis ex vobis homo habet centum
oues in deſerto? Qui ergo cælorum deſerta habita-
bunt cum angelis ſimul laudabunt. Auguſtinus: Cum
tranſierit gemitus, mox vna in voce, vno in populo, in
vna patria erimus millia hominum coniuncta in pſal-
lẽtibus angelorum choris cæleſtium perpetuo in vna
ciuitate viuentium. Simul inſuper erunt beati in cor-
*1. Theſ. 4. d* porũ immortalitate. Simul rapiemur cum illis *& cet.*
& ſic ſemper cum Domino erimus, ſed rapti corpo-
re ſemper cum ipſo erimus: ergo immortales erimus.

## DOM. IN OCTAVA PASCHÆ

### SERMO I.

*Ioan. 20. e* P*Ax vobis*. Commendabilis & ſeruan-
da eſt hæc pax, propter principis
auctoritatem, propter fœderis firmi-
tatem, propter iudicis ſeueritatem,
propter pacis vtilitatem. De primo,
quia principis eſt dare pacem, ideo
*Iſa. 9. b* de Chriſto dicit: Pater futuri ſæculi, princeps pacis,
multiplicabitur eius imperium, *& cet.* O quàm ma-
gna auctoritate nobis indicitur pax: auctoritate vtri-
*Apoc. 1. a* que Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Gratia vobis &
pax a Deo, qui eſt, & qui erat, *& cet.* & a ſeptem ſpi-
ritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt, ab Ieſu
Chriſto, *& cet.* Vnde etiam in Euangelio dicitur ter:
*Pax vobis*, & cet. Sed nota quòd Patri potentia, Filio
ſapientia, Spiritui ſancto bonitas attribuitur. Pacem
*Mat. 26. g* Patris violat, peccans ex ignorantia, ſicut Petrus ne-
gans timore mortis: Pacem Filij, peccans ex ignoran-

A tia, ſicut Paulus perſequens fideles. De primo: Igno-
rans feci: Pacem Spiritus ſancti, peccans ex maligni- *1. Tim. 1. c*
tate, ſicut Iudas. De ſecundo: Percutiam illis fœdus *Ezec. 37. g*
pacis, pactum ſempiternum erit eis. Sicut enim ma-
nu in manum percutitur ad pactum pacis, ſic Chriſtus
in cruce manus extendit: quia pacem promittens, fir-
mauit eam tripliciter. Videlicet manu, facto, pa-
cto, promiſſo, vt dictum eſt. Item oris oſculo. Vn-
de: Inclinato capite tradidit ſpiritum. Tunc fa- *Ioan. 19. f*
ciem ſuam quaſi ad oſculum pacis dandum inclina-
uit: Conuertat Dominus vultum ſuum ad te & det *Num. 6. d*
tibi pacem. Bernardus: Vide caput inclinatum ad
B oſculandum, brachia extenta ad amplexandum, ma-
nus perforatas ad largiendum, latus apertum ad dili-
gendum, totius corporis diſpoſitionem ad ſe totum
impendendum. Hinc eſt quòd etiam oſculum Iudæ *Mat. 26. e*
dedit, vt nullus peccator de pace Dei deſperet, ex quo
traditori oſculum non negauit. Item ſanguinis ſa-
cramento: Pacificans per ſanguinem crucis eius, *& cet.* *Coloſ. 1. c*
Nota quòd gentiles ſanguinem animalis mundi, &
aquam in confirmatione pacis oſtendere ſolebant, ſi-
gnificantes quòd ſic eius ſanguis & vita effundi de-
berent, qui pacem violaret. Sed Chriſtus, vt pacem
inter Deum & hominem firmaret, vtrumque effudit:
C Continuo exiuit ſanguis & aqua. Væ ergo illis, qui *Ioan. 19. f*
per luxuriam, inuidiam, auaritiam, & alia crimina
pacem violant tantis fœderibus firmatam. De ter-
tio: Suſurro & bilinguis maledictus, multos turba- *Ezec. 28. b*
uit pacem habentes. Maledictus vtique illa maledi-
ctione, de qua: Diſcedite a me maledicti in ignem *Mat. 25. d*
æternum. Si ergo ſeueritas iudicij humani cogit ho-
mines pacem ſeruare, quanto potius iudicij Dei? Et
certe qui hanc ſeueritatem non timet in mundo, in-
ueniet in iudicio & in inferno: Quis dabit me ſpi- *Iſa. 27. a*
nam & veprem in prœlio: Dominus enim contra
animam peccatricem quaſi prœliatur, dum ſpina tri-
D bulationis eam pungit, vt conuertatur. Sed infelix
anima in hoc prœlio non vincitur, dum caſtigatione
non corrigitur. Item in iudicio. Vnde de anima pec-
catrice ſubiungit, dicens: Gradiar ſuper eam ſcilicet
cum gladio euaginato ſententiæ condemnationis fi-
nalis. Item in inferno. Vnde ſubdit: Succendam eam
ſcilicet igne gehennali. Ibi dabitur violatoribus pa-
cis quod meruerunt. Loquuntur pacem cum proxi- *Pſal. 27. b*
mo, *& cet.* Vſque: da illis ſecundum opera eorum.
De quarto: Acquieſce ergo ei, & habeto pacem *Iob 22. e*
cum eo, & per hoc habebis fructus optimos. Vere
optimos. Per pacem enim habemus interius ſecuri-
E tatem. Bona enim eſt ſecuritas, vbi bona eſt cuſto-
dia: Pax Dei quæ ſuperat omnem ſenſum. Item ex- *Philip. 4. b*
terius vnitatem cum proximo. Soliciti ſeruare vnita- *Epheſ. 4. a*
tem ſpiritus in vinculo pacis. Item ſuperius heredi-
tatem: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. *Mat. 5. a*
Si autem filij & heredes. Qui ergo ſunt pacifici in
hoc mundo tanquàm filij hereditabunt pacem Dei
in cælo. Erit pax purgata in filijs Dei ſe animanti-
bus, & ſe videntibus plenos Deo, cum erit omnia in
omnibus: commune ſpeculum habemus, communem
poſſeſſionem habemus Deum.

F

### SERMO II.

G*Auiſi ſunt diſcipuli, viſo Domino*. Quoniam *Ioan. 20. e*
de cuius amiſſione magna eſt deſolatio, in
eius recuperatione magna eſt conſolatio.
Hinc eſt quòd Apoſtoli dolentes de amiſ-
ſione præſentiæ filij Dei, quem ſuper ſe, & ſuper om-
nia diligebant: cum iam eum cernunt viſu corporeo
a mortuis reſurrexiſſe, gauiſi ſunt gaudio magno.
Sed quia homo niſi primo habeat timorem filialis re-
uerentiæ, deinde ſplendorem celeſtis intelligentiæ,
non poteſt experiri gaudium, & dulcedinem ſpiritua-
lis lætitiæ: ideo ad hoc vt recto ordine littera con-
ſtruatur, primo in verbo propoſito notatur ſubie-

ctio reuerentiæ & humilitatis. Secundo contemplatio diuinæ maieſtatis. Tertio oblectatio internæ iucunditatis. Subiectio reuerentiæ & humilitatis notatur cum dicitur: *Diſcipuli*, non magiſtri, non domini, non ſocij. Contemplatio diuinæ maieſtatis notatur cum ſubdit: *Viſo Domino*. Oblectatio internæ iucunditatis notatur, cum ſubinfertur: *Gauiſi ſunt*.

Primo ergo notatur in propoſito verbo, ſubiectio reuerentiæ & humilitatis, cum dicitur: *Diſcipuli*. Illi autem ſunt reuerentes & diſcipuli ſubiecti Chriſto, qui per Chriſtum & eius exemplar & ſecundum eius doctrinam viuunt, & vitam ſalutarem regulant. Vita & doctrina boni magiſtri Ieſu Chriſti docet quemlibet ſuum diſcipulum habere. B Primo humilitatem fidelis obedientiæ, reſpectu mundi contemnendi. Secundo confœderationem charitatis & beneuolentiæ, reſpectu proximi diligendi. Tertio perpetuationem finalis perſeuerantiæ, reſpectu inchoati boni continuandi. Et hæc tria neceſſaria ſunt cuilibet adulto ad ſalutem. Primo eſſe in diſcipulo oportet humiliationem fidelis obedientiæ, reſpectu mundi contemnendi. *Luc. 14. e* Omnis ex vobis qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Magiſter ſapiens Chriſtus dat neceſſariam ſalutis cuilibet Chriſtiano doctrinam cum dicit: Niſi C quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et licet non teneamur omnia quæ poſſidemus relinquere, ſiue pauperibus erogare, & ad exemplum Chriſti oſtiatim mendicare, ſiue in monaſterio Deo ſeruire niſi perfecti, qui conſtricti ſunt voto paupertatis: tamen omnes tenemur renunciare omnibus quæ poſſidemus affectu, ſecundum illud Pſalmi: *Pſal. 61. d* Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere, *1. Tim. 6. b* vt ſic extirpata de corde cupiditate quæ eſt radix omnium malorum, plantetur paupertas, quæ eſt primarium fundamentum omnium virtutum. Secundo in diſcipulo Chriſti debet eſſe confœderatio D charitatis & beneuolentiæ, reſpectu proximi diligendi. Et de hoc dicit Dominus: *Ioan. 13. d* Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Mandatum de dilectione licet ſit vetus quantum ad lationis antiquitatem, dicitur tamen nouum quantum ad obligationis firmitatem. Vnde ne crederetur diſpenſabile propter antiquitatem lationis, addidit Dominus nouitatem obligationis, cum dicit: Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Quia maius ſignum dilectionis non potuit nobis dare quàm E vt pro nobis animam ſuam poneret. Sed quia ſignum veri diſcipuli imitantis Chriſtum eſt confœderatio nimiæ dilectionis, ideo addidit: In hoc cognoſcent omnes quia mei diſcipuli eritis, ſi dilectionem ad inuicem habueritis. Illud quidem mandatum ſiue præceptum adeo Dominus de nouo firmauit vt ratione ſuæ firmæ obligationis cum nullo diſpenſetur. Vnde Bernardus in tertio de cōſideratione, *Bern. lib. 3. de conſid.* dicit quòd ratio diſpenſationis in præceptis eſt euidens neceſſitas vel communis vtilitas. Vbi autem neceſſitas vrget, diſpenſatio eſt excuſabilis. Sed vbi communis vtilitas non prouocat, diſpenſatio eſt inexcuſabilis. Cum ergo F habere odium nulli ſit vtile, ſed nociuum & mortale peccatum: nec vnquam in veritate de diligendis inimicis, propter aliquam neceſſitatem poteſt aliquis ſe excuſare, ſecundum beatum Auguſtinum: quia non generat capiti vertiginem, non dolorem, non ſtomacho torſionem vel conſtipationem ſiue aliquam paſſionem, non corporis debilitatem, ſicut forte faceret vigilia vel ieiunium, non inducit egeſtatem ſicut poſſet facere abrenunciatio mundanæ proſperitatis: ideo non fuit conueniens vt cum aliquo diſpenſaretur, ſed omnes tenemur inuicem diligere. Tertio in diſcipulo Chriſti eſſe debet perpetuatio finalis perſeuerantiæ, reſpectu inchoati boni continuandi. Et de hoc A dicitur: *Ioan. 8. d* Si manſeritis in meo ſermone, vere diſcipuli mei eſtis: & vos cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Ille verus eſt diſcipulus Chriſti qui ſemper manet in eius doctrina & ſermone, nec vnquam per aliquam tentationem ſeparatur ab eius dilectione: nec vnquam quibuſlibet damnis, opprobrijs, & ſupplicijs illatis, ceſſat ab eius nominis confeſſione, quia tunc meretur illuminari a prima veritate. Et hoc eſt quod dicit: Cognoſcetis veritatem adiuuari a diuina virtute ſiue poteſtate, & hoc eſt quod ſubdit: Veritas liberabit vos ab omni aduerſitate, & nihilominus meretur præmiari ab iſta dilectione.

B Secundo ſequitur contemplatio diuinæ veritatis, cum ſubditur: *Viſo Domino*. Viderunt ſiue contemplati ſunt Apoſtoli diuinam maieſtatem triplici modo. Nam primo viderunt in mundana creatura Dominum eminentem proprietatibus. Secundo viderūt Dominum in propria aſſumpta natura reſurgentem cum cicatricibus. Tertio viderunt Dominum in propria conſcientia regnantem in cæleſtibus. Per primam viſionem (appropriate loquendo) illuminati fuerunt ænigmatica cognitione, ad intelligendam diuinam potentiam eſſe omnium creatricem. Per ſecundam viſionem illuminati & informati fuerunt in- C terna reuelatione, ad credendum diuinam ſapientiam eſſe omnium reparatricem. Per tertiam viſionem eleuati fuerunt eccleſiaſtica dilectione, ad diligendum diuinam clementiam eſſe omnium remuneratricem. Primo viderunt Dominū Chriſtum Creatorem in mundana creatura, eminentem proprietatibus. Et de hoc dicitur: *Sap. 13. b* A magnitudine enim ſpeciei creaturæ cognoſcibiliter poterat Creator horum videri. *Rom. 1. c* Videmus enim inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt: cum eleuamur a cognitione creaturæ ad cognitionem Dei, quaſi per ſcalam mediam, ſecundum Bernardum: *Bern. lib. 5. de conſid. ad Eugen.* Magnitudo enim & pulchritudo creatu- D ræ clamat magnitudinem & ſpeciem Creatoris. Nam ſapientia artificis manifeſtatur in opere & relucet in effectu. Vnde Dauid: *Pſal. 18. a* Cæli enarrant gloriam Dei, non voce quæ auribus audiatur ſenſibilibus: ſed ex propria magnitudine conditoris virtutes oſtenduntur, quorum pulchritudinem excogitantes, factorem ſicut optimū artificem admiramur & glorificamus. Et propter hoc non eſt ſiſtendum in pulchritudine creaturæ: ſed per eam eſt tendendum in ſuum Creatorem, alioquin faceret de via terminum: quod eſt ſumma peruerſio & abuſio. Vnde Hugo de libero arbitrio: Væ illis qui dereliquerunt te ducem, & oberrant in veſtigijs tuis: qui nutus tuos propter ſe amant, E & obliuiſcuntur quod innuant. Secundo viderūt Dominum Ieſum Chriſtum Redemptorem omnium in natura aſſumpta, reſurgentem cum cicatricibus. Et de hoc dicitur: *Luc. vlt. f* Videte manus meas, quia ego ipſe ſum. Dominus noſter Ieſus ad hoc voluit diuina diſpēſatione cicatrices, quas in paſſione recepit, retinere poſt glorificationem in ſuo corpore, & diſcipulis demonſtrare, vt probaret identitatem ſui corporis patientis & reſurgentis. Nam ſi idem ſeruatur accidēs ſiue cicatrices, neceſſe eſt idem eſſe corpus ſiue ſubiectum. Impoſſibile eſt enim accidens mutare ſubſtan- F tiam. Et propter hoc Dominus primo proponebat ad videndum manus, in quibus ſeruatæ erant cicatrices cum dicebat: Videte manus meas. Deinde concludebat vt probaret identitatem corporis patientis & reſurgentis, cum addebat: Quia ego ipſe ſum qui paſſus fui & non alius. De iſta viſione ſimiliter dicitur: *Ioan. 20. g* Infer digitum tuum huc, vide manus meas & affer manum tuam, & mitte in latus meum & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Vnde dicit Gregorius: *Greg. hom. 26. in Euangel. to. 3.* Minus mihi profuit Maria Magdalene, quæ citius credidit quàm Thomas, qui diu dubitauit. Ille enim dubitando cicatrices tetigit, & de noſtro pectore dubietatis vulnus amputauit: quia beati qui non viderunt & crediderunt. Tertio viderunt Dominum Ieſum



Ieſum Chriſtum omnium remuneratorem, in propria conſcientia, regnantem in cæleſtibus. Et de hoc dicitur: *Mat. 5. a* Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Ecce quòd ad videndum Deum in propria conſcientia requiritur puritas conſcientiæ. Vnde Auguſtinus de Trinitate: *Aug. li. 17. de Trinit.* In agnitione Dei iuſtitia eſt neceſſaria, quia qui veritatem ſanctitatis de die in diem renouat, transfert amorem a temporalibus ad æterna, a carnalibus ad ſpiritualia, a viſibilibus ad inuiſibilia. Et non ſolum ad diuinam viſionem requiritur purgatio a peccato, ſed etiam abſtractio ab amore mundano, ſecundum illud pſalmi: *Pſal. 45. c* Vacate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Vacate ab operibus, & deſiderijs ſæcularibus, per quietationem mentis. Et videte Dominum in propria conſcientia per excelſum contemplationis, quoniam ſuauis eſt Dominus, propter dulcedinem ſapientialis oblectationis, quam quidem dulcedinem experitur anima, quando eius affectus eſt purgatus a peccatorū fœditatibus, eius intellectus abſtractus a ſenſibilibus ſpeciebus, a fantaſticis imaginibus, & philoſophicis rationibus. Vnde Auguſtinus de Trinitate: Hæc viſio rapit ſui deſiderio omnem animam, tanto ardentiorem quanto ad ſpiritualia aſſurgentem, & carnalibus morientem. Tertio notatur internæ iucunditatis oblectatio, C cum ſubinfertur: *Gauiſi ſunt*. Quia illud gaudium ſapientiæ oblectationis, nullus poteſt experiri niſi primo, appropriate loquendo, a ſapientia filij illuminetur, deinde a potentia Patris in Filium adoptetur, & poſtea delicijs Spiritus ſancti repleatur: ideo Apoſtoli, & eius imitatores, ad hoc vt haberent perfectum gaudium internæ oblectationis gauiſi ſunt. Primo de cognatione primæ veritatis. Secundo de acquiſitione perpetuæ hereditatis. Tertio de guſtatione diuinæ ſuauitatis. Ratione primi, eorum gaudium fuit verum per amotionem falſi. Ratione ſecundi, eorum gaudium fuit perpetuum, per excluſionem termini. Ra- D tione tertij, eorum gaudium fuit plenum, propter completionem deſiderij. Primo gauiſi ſunt veraciter ſine amixtione falſi in cognitione primæ veritatis. Et de hoc dicitur: *[Ier]. 15. c* Factum eſt verbum tuum in gaudium, & lætitiam cordis mei. Verbum diuinum poſtquàm perfecta fide creditur, ita miro modo delectat, cum intelligitur, vt fiat in gaudium, & lætitiam cordis intelligentis. Vnde Bernardus: Nihil libentius intelligimus, quàm quod credimus fide, cum tamen homo non aſſentiat primæ veritati propter rationem, ſed ſolum propter eius timorem: quia tunc ratio humana nō euacuat meritum, ſed euacuat cordis ſolatium. E Secundo gauiſi ſunt perpetualiter, ſine præfixione termini, de acquiſitione perpetuæ hereditatis. Et de hoc dicitur: *Luc. 10. d* Gaudete & exultate, quoniam nomina veſtra ſunt ſcripta in cælo. Gloſſa: Siue cæleſtia, ſiue terreſtria opera quis geſſerit, per hæc quaſi litteris annotatus Apoſtolus, Dei memoria eſt affixus. Cum ergo diſcipuli Chriſti gerant opera cæleſtia. *Phil. 3. d* Nam eorum cōuerſatio in cælis eſt, merito attribuuntur regno perpetuo ad Dei memoriam: tota anima gaudet in præſenti ſecundum rectitudinem fidei, & expectationem ſpei, odor enim illius ſupernæ hereditatis omnem animam ad gaudendum trahit, eo quòd in F ea concupiſcentias excitat æternales. Tertio gauiſi ſunt ſupereſſentialiter in completione deſiderij, in deguſtatione diuinæ ſuauitatis. Et de hoc dicitur: *Iſa. 66. d* Gaudete cum Ieruſalem gaudio, qui lugebatis ſuper eam vt ſugeatis, & repleamini ab vberibus conſolationis eius, vt mulgeatis, & delicijs affluatis. Qui enim volunt deuenire ad excelſum contemplationis, primo debent ſe per lamenta pœnitentiæ exercere in ſtatu actionis, quia tunc anima repleta tanta dulcedine gratiæ, ſuget ab vberibus conſolationis Spiritus ſancti, vt tota repleta, & perfuſa ſuper lumina in cæleſtibus eleuetur, vt ſupra ſeipſam in ſublimitatibus ſuſpendatur, & a ſeipſa alienetur, & tanto interno tri-



A pudio delectetur & iucundetur, vt magis ebria, quàm ſobria videatur. Vnde & ſacra Scriptura quandoque illam dulcedinem guſtum appellat, quandoque ebrietatem vocat. Ideo Deus ſi modica ſcintilla de illo torrente tantæ dulcedinis, dilapſa & diſtillata menti humanæ, ita perfecte inebriat, quod erit quando anima totaliter abſorbetur, & inebriabitur in illo pelago infinitæ felicitatis? Cum ergo in vna gutta perfecte anima liqueſcit, dulcorat iucunditati, vt non poſſit exprimi neque narrari, multo minus tota abyſſus poterit cognoſci. Vnde Chryſoſtomus: Gaudeamus nos meriti magnitudine donorum, quæ hic accipimus, & B quæ illuc expectamus. Rogemus ergo, *et cet.*

## SERMO III.

ACcipite Spiritum ſanctum. *Ioan. 20. e* O quàm magna licentia quòd dicit, Accipite, O quàm magna gratia, quòd dedit non aurum, non argentum, ſed Spiritum ſanctum.

Conſiderādum autem, quòd Ieſus Chriſtus quattuor accipienda valde notabilia propoſuit nobis in Euangelio, videlicet crucem in caſtigatione corporali, corpus ſuum in communione ſacramentali, Spiritum ſanctum in vnctione mentali, denarium in remuneratione æternali. *Quattuor accipienda nobis a Chriſto proponuntur.* De primo: *Mat. 10. d* Qui non accipit crucem, & ſequitur me. Crux eſt carnis mortificatio: *Gal. 5. d* Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentijs. Crucem accipit qui pœnitentiam, vel religionem accipit, qui per mare ſæculi in terram ſanctam, ſcilicet viuentium tranſire intendit: accipit autem remiſſionem omnium peccatorum. Ad hanc crucem accipiendam quattuor ſunt cogentia. Primum eſt exemplum irrefutabile Domini noſtri Ieſu Chriſti: *Mat. 16. d* Si quis vult poſt me venire, abneget, *et cet.* Glorioſum enim eſt ſeruis Domino configurari. Secundum eſt adiutorium inuincibile. Dominus D enim adiutor eſt cruce ſignatorum. Pſalmiſta: *Pſal. 85. d* Tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me. Adiuuiſti me contra malum culpæ, & conſolatus es me, contra malum pœnæ. Vnde in templo vbi ſignum crucis apparet, vnctio olei ſubeſt, quia in nobis debet eſſe triumphus exterior, & vnctio interior. Bernardus: Multi vident noſtram crucem, ſed non vident vnctionem. Tertium eſt priuilegium inuiolabile: cruce ſignati ſolent ex priuilegio eſſe in tuitione Papæ. Sed hæc multotiens violatur, & non ſic in hac cruce: *Ezec. 9. c* Super quem videritis Thau ne occidatis: *Gal. 6. d* De cetero nemo mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata Domini E Ieſu in corpore meo porto. Quartum eſt præmium inamiſſibile. Multi de ſancta terra redeunt, & negligendo & male viuendo præmium amittunt. Secus eſt in his ſignatis: *Apoc. 7. a* Signati ex omni tribu erant ſtantes ante thronum. In hac cruce pendere o anima Chriſtiana continue debes, ſicut Chriſtus, qui viuens numquam deſcendere voluit, ſic nec tu de pœnitentia, vel de ordine. Bernardus: Neminem audiamus fratres, non ſanguinem, non ſpiritum quemlibet deſcenſum a cruce ſuadentem, perſiſtamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non noſtris, exemplo illius, qui in cruce dicit: *Ioan. 19. f* Conſummatum F eſt: ſic & tu finaliter ſtes in cruce, & ſic in fine vitę tuæ quādo exſpirare debes, potes dicere: Conſummatum eſt, regulam quam voui obſeruaui, obedientiam, pœnitentiam, præcepta Dei, totum conſummaui iuxta illud: *2. Tim. 4. b* Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, *et cet.* De ſecundo: *Mat. 26. c* Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quo modo accipiendum ſit corpus Ieſu dicitur: *Mat. 27. g* Accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda. Illo ergo feruore, & deuotione corpus Ieſu accipere debes de altari, quo illud corpus accepit Ioſeph de cruce. Altare quattuor cornibus crucem ſignificat. *Altare crucem ſignificat.* Sic autem acceptum ſindone inuoluas. Gloſſa: In ſindone munda Ieſum inuoluit, qui mente pura eum ſuſcipit. Bene autem munditia per ſindo-

ſindonem, quod eſt genus lini candidiſſimum, ſigni-
ficatur, quoniam candidi in animabus eſſe debemus.
Thren. 4. b Dicitur: Candidiores Nazaræi eius myrrha, nitidio-
res lacte. Munditia cordis eſt lac, quo Deus & Ange-
li delectantur. In lacte cito apparet muſca, vel puluis,
ita in conſcientia munda latere non poteſt qualiſcum-
que macula, & ſicut de lacte cito eijcitur muſca a co-
medente, ita de pura conſcientia abijcitur muſca vo-
latilis cogitationis prauæ. Multum diſplicet diabolo,
& placet Deo & Angelis, quando muſcam diaboli
cito eijcis de lacte cordis. Bernardus: Dæmonum eſt
cogitationes malas ingerere, noſtrum eſt illis nõ con-
ſentire. Nam quotiens reſiſtimus, diabolum ſupera-
mus, angelos glorificamus, Deum honoramus. Non
eſt dictu poſſibile, quantum gaudium capiant angeli
de noſtra ad Deum mentis conuerſione: ſic contra
exprimi non poteſt quantam triſtitiam de eadem dæ-
mones accipiant, qui ſemper inſidiantur ſaluti noſtræ.
De tertio dicitur hic: *Accipite Spiritum ſanctum*. Da-
tus eſt Spiritus ſanctus, hic diſcipulis clauſis foribus,
ſic oleum clauſis oſtijs multiplicatum eſt in vaſis peti-
4. Reg. 4. a tis a vicinis: Nota hiſtoriam. Oleum eſt gratia Spiri-
Pſal. 44. b tus ſancti. Pſalmus: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo læ-
titiæ, *et cet.* Vaſa manu leuata ſunt virtutes, & exem-
pla, quæ a ſanctis nunc conuerſantibus in mundo at-
tendimus, & in domum mentis noſtræ colligimus,
quaſi a vicinis vaſa accipimus, ſed vaſa in nobis vacua
ſunt, ſi exempla illa ſanctorum per gratiam Spiritus
ſancti non imitamur. Contra quod prudentes virgi-
nes acceperunt oleum in vaſis, *et cet.* ſicut dicitur:
Mat. 25. a Oſtia ſunt ſenſus noſtri: Viſus, guſtus, auditus, ta-
ctus, olfactus, & os tuum eſt oſtium. Hæ fores niſi
ab illicitis cogitationibus clauſæ fuerint, oleum gra-
tiæ in domum mentis tuæ in vaſis non multiplicatur.
Anſelmus: Intra in cubiculum mentis tuæ, & clau-
de ſuper te oſtium contra omnia præter Dominum,
Mat. 20. b & quæ iuuant ad quærendum illum. De quarta: Ac-
ceperunt & ipſi ſingulos denarios. Denarius eſt vita
æterna, qui non datur niſi operantibus in vinea, ideſt
pœnitentia vel religione, in qua vinea non ſolum la-
borandum eſt, ſed etiam triumphandum de leone dia-
bolo, quod ſignificatum eſt in Samſone, vbi dicitur:
Iudi. 14. a Cumq. veniſſet ad vineas, oppidi apparuit ei catulus
leonis, quem vicit, ac poſtea in ore eius mel inuenit;
Eccli. 24. c mel eſt dulcedo cõſolationis Spiritus ſancti: Spiritus
meus ſuper mel dulcis. Vides ergo quòd mel gratiæ
non datur niſi pugnantibus, neque denarius gloriæ
niſi laborantibus in vinea.

## SERMO IV.

Ioan. 20. g AFfer manum tuam, *&* mitte in latus meum.
O Thoma felicem habes licentiam a Sal-
uatore tuo, vt manum mittas in latus, in
quo ſalus noſtra conſiſtit: huius enim la-
teris beneficio ab ira ſaluamur, in gratia regenera-
mur, a culpa ſanamur, in gloria ſublimamur. De
Gen. 6. c primo: Oſtium arcæ pones in latere deorſum, ideſt
vulnus in latere Chriſti, dicit interlinearis. Arca enim
eſt Chriſtus. Sicut enim tunc mundo pereunte per
diluuium, nullus euadere potuit niſi in arca, ita nunc
mortem æternalem nullus euadere poteſt niſi in Chri
ſto per fidem maneat & amorem: ſicut in arcam non
ſolum immunda animalia collecta ſunt, ita Chriſtus
Luc. 5. f non ſolum iuſtos, ſed etiam peccatores colligit: Non
veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. In
arcam autem venire non poſſemus niſi oſtium habe-
ret. Oſtium ergo nobis Dominus in arca fecit, quan-
Ioan. 19. f do latus ſuum perforari voluit: Vnus militum lancea
latus eius perforauit, *et cet.* Auguſtinus in Gloſſa: Ec-
ce oſtium in latera arcæ, quo intrant animalia non
peritura in diluuio. Gratias ergo agamus Chriſto pro
lateris ſui oſtio: licet enim anguſtum ſit, tamen multi
intrare poſſunt. Auguſtinus: Quid anguſtius illo fo-

A ramine, quod vnus militum in latere Domini aperuit?
& tamen per illas anguſtas portas fere totus mundus
intrauit. De ſecundo: Filiæ tuæ de latere ſurgent. Iſa. 60. a
Filiæ iſtæ ſunt animæ credentium, quę de latere Chri-
ſti generatæ ſurgunt, dum per vulnus lateris eius ad
vitam veniunt. Mirabilis eſt virtus huius lateris: vn-
de non ſolum filiæ, ſed etiam ſponſa formatur, ſcili-
cet Eccleſia. Sicut ſignificatum eſt, vbi de dormien- Gen. 2. d
tis Adæ coſta formatur Eua. Auguſtinus: Dormit
Adam, vt fiat Eua: moritur Chriſtus, vt dormiente
Chriſto in cruce, fiat Eccleſia. Facta eſt Eccleſia de la-
tere, percuſſum eſt enim latus pendentis a lancea, &
B fluxerunt ſacramenta. Dilige ergo anima Chriſtiana
talem ſponſum, ex cuius latere inter membra Eccle-
ſiæ proceſſiſti. Noli propter vilem carbonarium talis
ſponſi fidem violare, diaboli voluntatem faciendo,
qui carbones inferni miniſtrat: Ego creaui fabrum Iſa. 54. f
ſufflantem in igne prunas, *et cetera*. Gratias agamus
Chriſto pro lateris ſui beneficio. De tertio: Ecce aquæ Ezec. 47. d
redundantes ex latere dextro. Loquitur de templo,
quod ſignificat corpus Chriſti: Soluite tẽplum hoc; Ioan. 2. d
*et cetera*. Corpus enim Chriſti ſolutum fuit in mor-
te, excitatum in reſurrectione, de cuius latere dextro
aqua ſaluberrima profluxit: Continuo exiuit, *et cet.* Ioan. 19. f
C Aqua enim valde ſanatiua erat, quæ de latere templi
exiuit, ſicut legitur ibidem: Erunt piſces multi ſatis, Ezec. 47. b
poſtquam venerunt illuc aquæ iſtæ & ſanabuntur, &
viuent omnia, ad quæ venerit torrens. Piſces ergo,
ideſt fideles, qui in hoc torrente baptiſmi capiuntur,
valde ſani ſunt. Vnde de torrente baptiſmi in torren-
tem gaudij tranſponentur, de quo Pſalmus: Torren- Pſal. 35. a
te voluptatis tuæ potabis eos, quia apud te eſt fons vi-
tæ. Piſces autem diaboli homines peruerſi, qui in pa-
ludibus vitiorum nutriuntur, ſani non ſunt. Vnde
dicitur ibidem: In littoribus eius, & paluſtribus non Ezec. 47. c
ſanabuntur. In littoribus ſunt impij per cupiditates
D terrenorum, in paludibus autem per corruptionem
carnalium voluptatum. Vnde tamquam piſces diaboli
aſſabuntur perpetuo ſuper prunas inferni. Gratias er-
go agant omnes beati Chriſto, pro lateris ſui benefi-
cio. De quarto dicitur hic: *Affer manum tuam, & mit-
te*, & cetera. Hic oſtenditur eius latus, & manus.
Glorificatus ergo Chriſtus oſtendit latus, quaſi dice-
ret: Ad hanc reſurrectionis gloriam huius lateris be-
neficio peruenitur. Hoc ſignificatum eſt; vbi dici-
tur, quòd tulit Samuel lenticulã olei, & inunxit Saul 1. Reg. 10. a
in regem. Lenticula, vt dicit Gloſſa, Eſt fictile vas
quadrangulum habens foramen in latere. Vas fictile
E Chriſti corpus eſt, quod eſt quadrangulum per qua-
drifariam diſtentionem in cruce. Bernardus: Aſtat
Ieſus in medio quadrifida ſui parte diſtenſus, vt om-
nibus ex omni parte ad ſe venientibus ampliſſimum
ſuæ miſericordiæ ſinum oſtendat. Foramen in latere
vulnus eſt lateris. Ex hoc foramine oleum gratiæ ema-
nauit, per quod populus Dei ad regnum gloriæ cæle-
ſtis inungitur. Vnde etiam qui ad hoc latus pendebat
audiuit: Hodie mecum eris in paradiſo. Gratias ergo Luc. 23. f
agamus Chriſto pro tam multiplici lateris beneficio.

F

# DOMNICA PRIMA POST OCT. PASCHÆ.

## SERMO I.

EGo ſum paſtor bonus, bonus paſtor ani- Ioan. 10. b
mam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Do-
minus noſter Ieſus Chriſtus paſtor
triumphantis, & militantis Eccleſiæ,
ad modum cuiuſlibet boni paſtoris
amiſſa oue humana collocans angeli-
cum gregẽ in deſerto diuinæ oblectabilitatis, induit
veſtimentum humanæ carnis, & tamdiu perditam
ouem



ouem viſibiliter quæſiuit, quouſque inter hiatum
dæmonum inuenit. Vt eam a morſibus eorum libe-
raret, proprium corpus morti exponit, vt ſic inuen-
tam & liberatam ad ouile cæleſtis patriæ reduceret, &
vna cum grege angelico in quiete gloriæ collocaret.
Sed quia ad bonum paſtorem pertinet erga ſuum
gregem primo habere ſolicitudinem vigilantiæ in
cuſtodiendo. Deinde effectum beneuolentiæ, in fo-
uendo vel nutriendo. Poſtea diſcretionem pruden-
tiæ in ouibus, proprijs ſumptibus expendendo: ideo in
verbo propoſito oſtenditur nobis bonus paſtor Chri-
ſtus imitabilis & commendabilis a tribus prædictis
conditionibus. Primo namque commendatur a ſo-
licitudine vigilantiæ, in executione paſtoralis officij.
Secundo a latitudine beneuolentiæ in expoſitione
corporis proprij. Tertio a diſcretione prudentiæ, in
liberatione ſui gregis, non alieni. Primo commen-
datur bonus paſtor Chriſtus a ſolicitudine vigilantiæ
in executione paſtoralis officij, cum dicitur: *Paſtor bo-
nus*. Bonitas enim paſtoris oſtenditur, cum ſolicite
vigilat, & cuſtodit gregem ſuum. Secundo commen-
datur a latitudine beneuolẽtiæ in expoſitione corpo-
ris proprij, cum ſubdit: *Animam ſuam ponit*. Maius
enim ſignum dilectionis & beneuolentiæ non poteſt
paſtor erga ſuum gregem oſtendere, quàm vt pro
eius defenſione & liberatione, propriũ corpus morti
exponatur. Tertio commendatur a diſcretione pru-
dentiæ in defenſione & liberatione ſui gregis, non
alieni, cum ſubinfert: *Pro ouibus ſuis*, per confor-
mitatem imitantis, non alieni, per infidelitatẽ erroris.

Dicit ergo: *Bonus paſtor*, vbi commendatur a dili-
genti executione paſtoralis officij. Ille enim paſtor
diligenter ſuum officium exercet, ſecundum quòd
euidentia facti manifeſtat, qui ſua animalia primò
erudit & domeſticat exteriori verbo. Secundo paſcit
& ſuſtentat corporali ſubſidio. Tertio cuſtodit & de-
fenſat, virili præſidio. Per hunc modum bonus pa-
ſtor Eccleſiæ Chriſtus humanum gregem primo
erudit documento ſalutaris eruditionis vel prædica-
tionis. Secundo paſcit ſubſidio ſacramentalis refe-
ctionis. Tertio defendit præſidio virilis protectionis.
Per primum autem illuminatur quãtum ad intellecti-
uam. Per ſecundum dulcoratur quantum ad affecti-
uam. Per tertium roboratur quantum ad effectiuam.
Primo paſtor Chriſtus erudit vtili documento ſaluta-
ris prædicationis, illuminando intellectiuam. Et de
Eccli. 18. c hoc dicitur: Qui miſericordiam habet, docet & eru-
dit quaſi paſtor gregem ſuum. Quia Domini noſtri
Ieſu Chriſti doctrina debet eſſe tota ad benignitatem
miſericordiæ & charitatem beneuolentiæ, ideo eſt fa-
cilis ad intelligendum, breuis & vtilis ad faciendum.
Vnde Dominus noſter Ieſus Chriſtus propter nimiã
dulcedinem ſummæ miſericordiæ, & charitatem be-
neuolentiæ quam habet erga ſuum gregem, docet
eum verbo doctrinæ, & erudit exemplo vitæ. Et hoc
quia docere ſolo verbo eſt vanum, erudire ſolo exem-
plo eſt parum: ſed vtroque modo eſt perfectum. Do-
ctrina enim huius paſtoris debet imprimi cordibus
prælatorum, ſicut forma ſigilli imprimitur ceræ, vt
poſtea verbo & exemplo ſit in cordibus ſubditorum.
Ier. 3. d Vnde de bonis prælatis dicitur: Dabo vobis paſtores
iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.
Tunc prælati præſunt ſecundum diuinæ voluntatis
beneplacitum, quando paſcunt gregem ſuum ſcientia
quantum ad verbum, doctrina quantum ad exem-
plum: quia plus mouent operum exempla quàm ver-
Greg. paſt. borum. Vnde Gregorius: Actione rector præcipuus
cura. 2. vt vitæ ſubditis denunciet, & grex qui paſtoris vocem
par. c. 3. moresq. ſequitur, per exempla melius quàm per ver-
ba gradietur. Secundo paſtor Chriſtus paſcit nos
oblectabili ſubſidio ſapientialis refectionis, dulcoran-
do affectiuam. Vnde licet Chriſtus inquantum Ver-
bum increatum ſupportans vniuerſa, paſcat ſacramen-
taliter ſublimando ad ſapientiam: tamen inquantum

A Verbum inſpiratum ſuſtentans intellectualia, paſcit
ſpiritualiter, reformando ad iuſtitiam: & inquantum
Verbum incarnatum reſtaurans humana paſcit ſacra-
mentaliter, reficiendo per gratiam. Et iſte triplex pa-
ſtus eſt neceſſarius homini ad hoc vt perfecte paſca-
tur. Nam in homine eſt ſpiritus, motus, & ſenſus.
Ad hoc enim vt homo perfecte reficiatur ſpirituali-
ter, neceſſe eſt eum habere ſpiritum vitæ in reforma-
tione gratiæ, motum in exercitatione iuſtitiæ, & ſen-
ſum in contemplatione ſapientiæ. Et de hoc paſtu
ſacramentali dicitur Eliæ in figura: Præcepi coruis 3. Reg. 17. a
vt paſcant te, ſequitur: Corui deferebant ei panem
B & carnes mane, ſimiliter panem & carnes veſperi.
Corui dicuntur ſacerdotes qui ad modum corui de-
bent ignoſcere per pœnitentiam, ſpernere per lotio-
nem momentaneam, & attractare cras cras, annun-
ciando futuram gloriam. Iſtis vero præcepit Deus
vt paſcant Eliam, ideſt quemlibet bonum Chriſtia-
num, deferendo ei panem & carnes, ideſt carnem
Chriſti ſub ſpecie panis nõ excoctum igne materiali:
ſed ſola cruce paſſionis, & coctum in igne dilectionis.
Dicuntur autem mane deferre panem & carnes corui
Eliæ, eo quòd mane ſacerdotes debẽt carnem Chriſti
ieiuno populo ſub ſpecie panis miniſtrare, & veſperi,
C reducendo ad memoriam quòd ſub ſpecie panis car-
nem ſuam poſt cœnã Chriſtus Apoſtolis dedit. Tertio
Chriſtus defendit nos inſuperabili præſidio virilis
protectionis, roborando effectiuam. Vnde dicitur:
Sicut paſtor viſitat gregem ſuum in die quando fue- Ezec. 34. c
rit in medio ouium diſſipatarum, ſic viſitabo oues
meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus di-
ſperſæ fuerant. Dominus Ieſus Chriſtus in modum
paſtoris boni voluit viſibiliter viſitare ſuas diſperſas
oues per deuia quæque vitiorum, a morſibus dæmo-
num ſanguine teſtamenti æterni liberatiuo, & eorum
vulnera oleo pietatis & miſericordiæ alligata & ſa-
D nata ad ouile vnitatis fidei congregatiuæ, & etiam vt
eorum debilitatem multiplici virtute corroboratiuo
conſolidaret.

Secundo commendatur Chriſtus a latitudine be-
neuolentiæ in expoſitione corporis proprij, cum ſub-
dit: *Animam ſuam ponit*. Propter charitatem ni-
miam beneuolẽtiæ, quam habuit Chriſtus erga ſuum
gregem, poſuit animam ſuam, ideſt vitam corpora-
lem. Primo in pretio humanæ redemptionis, ad li-
berandum captiuos. Secundo argumentum præci-
puæ dilectionis, ad inflammandum tepidos. Tertio
in exemplum virtuoſæ imitationis, ad animandum ti-
E midos. Primo poſuit animam ſuam in pretio huma-
næ redemptionis ad liberandum captiuos. Et de hoc
dicitur: Si poſuerit animam ſuam pro peccato, vide- Iſa. 53. d
bit ſemen longæuum, & voluntas Dei in manus eius
dirigetur, ſequitur: Pro eo quòd tradidit animam ſuã
in mortem & cum ſceleratis deputatus eſt, & ideo ip-
ſe peccata multorum tulit. Diuina ſapientia Chriſtus
habens duplicem theſaurum, ideſt ſupercæleſtem &
ſubcæleſtem, quaſi facto ſcrutinio in vtroque ſubſit
quòd erat vtrobique nobilius & precioſius, quòd ſu-
percæleſti excellentia deitatis, de ſubcæleſti in noti-
tiam humanitatis. Hos ergo duos theſauros in vni-
F tate perſonæ compactos, & in ſtatera crucis appenſos
pro redemptione humani generis expendit, cum non
ex obligatione ſed ex dignatione mortem pro ſalute
humani generis cum deſiderio ſuſcepit, & ſic debito
ſoluto primæ præuaricationis, quando cum ſceleratis
deputatus eſt, peccata multorum tulit, & ſatisfacto
rigore diuinæ iuſtitiæ, voluntas Dei in manu, ideſt
opere eius, completa eſt. Et propter hoc Dominus
dicebat: Filius hominis non venit vt miniſtraretur Mat. 20. d
ei: ſed vt miniſtraret, & daret animam ſuam in re-
demptionem pro multis. Pro multis dicitur quan-
tum ad efficaciam, licet pro omnibus fuerit datus
quantum ad ſufficientiam. Vnde licet paſſio Chriſti
ſit ſufficiens omnibus ad ſalutem, tamen ſalutem non
efficit

efficit niſi in illis, quorum fides operatur per dilectionem. Secundo poſuit animam in argumentum præcipuæ dilectionis, ad inflammandum tepidos, & per hoc cognouimus charitatem Dei: quoniam ille ani- *Ioan. 15. b* mam ſuam pro nobis poſuit. Et de hoc dicitur: Maiorem dilectionem nemo habet hac, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Filius Dei in ſignum vehementiſſimi amoris, & ad ſimilitudinem quorundam aquatilium. De quibus dicit Ambroſius: Quòd quædam belluæ marinæ ſunt quæ quando inſidias contra catulos ſuos præſenſerint, viſcera ſua mox aperiunt, natosq. ſuos integros recipiunt & tandiu eos portant, donec ad ſecuritatem deſerant, aut ab ictu proprij corporis defendant. Hoc modo Chriſtus in argumentum vehementiſſimi amoris voluit aperire pedes, manus feneſtrari & latus, vt nos reciperet intra viſcera charitatis ſuæ, & ab hoſte maligno tueretur & defenderet. Et propter hoc Chariſſime cum inſurget diaboli fraudulentia, ingredere in petram, ideſt Chriſtum, imponendo meditationes, cogitationes, & affectiones: quia numquam poteſt diabolus melius vinci quàm in memoria paſſionis Chriſti. Vnde Bernardus: Nullus vmquam dæmonum ſtare poterit videns gladium, in quo deuictus fuit. Sic cum inſurgit moleſtia tentationis, maxime carnis, abſconde te in foſſa humo, ideſt in corpore Chriſti multiplici vulnere confoſſo, non per corporis præſentiam, ſed per meditationem aſſiduam, & quod deeſt tibi, vſurpa de viſceribus Chriſti, quia de vulneribus eius corporis ad modum botri in torculari compreſſit: non deſunt fluenta gratiarum, quibus inflammatus, & confortatus, faciliter de diaboli fraudulentia, de mundi moleſtia, & de carnis illecebris triumphabis. Tertio poſuit animam ſuam in exemplum virtuoſæ imi- *1. Ioan. 3. c* tationis ad animandum timidos. Vnde: Ille animam ſuam poſuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus *Mat. 10. d* animas ponere. Vnde Dominus dicit: Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus, qui inuenit animam ſuam perdet eam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Ille accipit crucem ſuam, & ſequitur Chriſtum, qui crucis mortificationem iugiter in ſuo corpore gerit, vt & vita Ieſus in ipſo per imitationem manifeſtetur: talis cum perdiderit animam ſuam, cum vitijs & concupiſcẽtijs in præſenti, inueniet eam per deiformis gloriæ acquiſitionem in futuro, quia qui ſocij ſunt tribulationum, erunt & conſolationum. Tertio commendatur Chriſtus a diſcretione prudentiæ in liberatione gregis proprij, non alieni, cum ſubinfertur: *Pro ouibus ſuis*, imitantibus eum in vita, & moribus. Vnde Dominus tamquam prudẽs paſtor non poſuit animã ſuam pro ouibus alienis, per diſſimilitudinem vitæ, vt eas liberaret, ſed pro ouibus ſuis, quæ Chriſtum ſe- *Ouis proprietas.* quuntur ſecundũ triplicem proprietatem ouis. Nam ouis habet ſimplicitatem innocentiæ in nõ lædendo, tractabilitatem patientiæ in ſuſtinendo, & fœcunditatem multiplicem in fructificando: per iſtum modum iſtæ ſunt oues ſuæ, per quarum liberationem prudens paſtor Chriſtus poſuit animam ſuam, qui habet triplicem proprietatẽ prædictam. Primo ſimplicitatem innocentiæ, per rectitudinem intentionis. Secundo tractabilitatem patientiæ, per tolerationem omnimodæ tribulationis. Tertio fœcunditatem multiplicem, per multiplicationem bonæ operationis. Primo ergo Chriſtus liberat oues ſuas, quæ habent ſimplicitatem innocentiæ, per rectitudinem puræ intentionis. Illa enim anima eſt, quaſi ouis, quæ ad modum ouis innocentis nulla habet arma ad impugnandum, non cornua ſuperbiæ, non calces violentiæ, non dentes crudelitatis, non vngues rapacitatis, non venenum malignitatis. Propter hoc ratione iſtius proprietatis in- *2. Reg. 24. c* nocentiæ dicebat Dauid de populo ſuo: Iſti qui oues ſunt quid fecerunt? quaſi dicat nihil mali commiſerunt. Et hoc eſt quando homo habet puritatem in

A affectione, veritatem in operatione, vt nulla duplicitas ſit interius, nulla falſitas exterius. Secundo Chriſtus liberauit oues ſuas, quæ habent tractabilitatem patientiæ per tolerantiam omnimodæ tribulationis. Vnde: Sicut ouis ad occiſionẽ ductus eſt, ſicut enim *Iſa. 53. b* ouis ducitur ad macellum non recalcitrat pede, non mordet dente, non impetit cornu, ſic verus patiens ad exemplum Chriſti poſitus in tribulatione, non debet murmurare in corde, non obloqui in ore, nec repugnare in opere, vt impleatur in eo illud in Pſalmo: *Pſal. 43. d* Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Tertio liberat Chriſtus B oues ſuas, quæ habent fœcũditatem multiplicem bonæ operationis. Vnde bonus Chriſtianus debet eſſe fœcundus bonis operibus ad modum ouis, dare paſtori ſuo Chriſto lac mundæ affectionis, caſeum bonæ operationis, & lanam honeſtæ conuerſationis, vt poſſit dici de eis: Oues fetoſæ abundantes in greſſibus ſuis ſecundum quòd dicitur, in Pſalmo. Rogemus *Pſ. 143. c* ergo, *et cet.*

## SERMO II.

C *Ego ſum paſtor bonus*. Bonitas paſtoris noſtri Ieſu Chriſti in hoc Euãgelio quadrupliciter commendatur. *Ioan. 10. b* *Chriſtus paſtor bonus.* Videlicet, in paſcendo, in defendendo, in cognoſcendo, in vniendo. Primo commendatur bonitas in paſcendo. Vnde ait: *Ego ſum paſtor bonus*. Paſtores enim a paſcendo dicuntur. Paſcit autem oues ſuas Chriſtus, per doctrinam, per gratiam, per Euchariſtiam. Paſcit vtique ſuos per doctrinam: In paſcuis vberrimis paſcham eos, in montibus excelſis. *Eze. 34. d* Scripturarum altitudines, quaſi montes paſcuæ ſunt. Paſcit autem Chriſtus ſuos non ſolũ per ſe, ſed etiam per alios docendo: Dabo paſtores vobis ſecundum *Ier. 3. d* D cor meum, & paſcent vos in ſciẽtia, & doctrina. Item per gratiam, quod ſignificatum eſt, vbi dicitur quòd Moyſes paſcebat oues, & minauit ad interiora deſer- *Exod. 3. a* ti, vbi Dominus in rubo apparuit. Moyſes eſt Chriſtus, vel prælatus, per quos oues ad interiora deſerti in paſtum veniunt, quando exteriorem conſolationem relinquunt, interiorem vero quærunt, vbi Dominus in rubo ardenti, ideſt in corde feruenti eſt: Nonne cor noſtrum ardens, *et cet.* Item per Euchari- *Luc. 24. a* ſtiam. Hoc ſignificatum eſt in ouicula pauperis, ideſt Chriſti, de qua dicitur quòd erat de pane illius co- *2. Reg. 12. a* medens, & de calice bibens. Bernardus: Bonus paE ſtor, qui dat carnem in cibum, ſanguinem in potum, animam in pretium. Secundo commendatur bonitas paſtoris noſtri Ieſu Chriſti in defendendo, cum dicitur: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis* de- *Ioan. 10. b* fendendo, ſcilicet contra lupum, ſicut hic dicitur, & contra leonem, & vrſum. Vnde Dauid qui Chriſtum ſignificat, ait: Leonem & vrſum interfeci *1. Reg. 17. e* ego, inuaſerant enim oues eius. In leone ſignificatur diabolus: Tamquam leo rugiens, *et cet.* In vrſo autem *1. Pet. 5. c* caro ſignificatur. Sequitur enim mel, ſicut caro voluptatem. Debilis etiam eſt in capite, fortis in brachijs, ſic & carnis impetus debilis eſt, ſcilicet, cogita- F tione. Vnde ibi eſt reſiſtendum. Fortis autem in brachijs delectationis conſenſus: Beſtia alia ſimilis vrſo *Dan. 7. a* tres ordines in ore eius, ſcilicet cogitatio, delectatio, conſenſus. In lupo autem mundus ſignificatur, propter auaritiam & crudelitatem, immo tot ſunt lupi, quot homines peruerſi: Mitto vos ſicut oues inter lu- *Mat. 10. c* pos, *et cet.* Gregorius: Sicut agni inter lupos mittimur, vt ſcutum ſeruantes innocentiæ, morſum malitiæ non habeamus. Talis agnus fuit Apoſtolus, qui ait: Maledicimur, & benedicimus, perſecutionem *1. Cor. 4. c* patimur, & ſuſtinemus. Tertio commendatur bonitas paſtoris noſtri Ieſu in cognoſcendo, cum ait: *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ*. Ecce quales Dominus approbando cognoſcit



cognoſcit, ideſt ſe cognoſcentes oculo animæ, fide *Iſa. 1. a* vera. Sed Dominus conqueritur: Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, *et cet.* Sed væ non cognoſcenti pium Dominum in mundo, quia cognoſcet ſeuerum, Dominus iuſtitiam faciens, qui nunc ignoratur, miſericordiam quærens. Item cognoſcit ſibi obedientes: *Ioan. 10. e* Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas: vocem vtique præceptorum, & doctrinæ meæ vel *Pſal. 94. b* clamoris in cruce. Pſalmus: Nos oues paſcuæ eius, vel oues manus eius, hodie ſi vocem eius audieritis, *Pſal. 80. c* *et cet.* Sed heu Dominus cõqueritur in Pſalmo: Non audit populus meus vocem, *et cet.* Item cognoſcit *Ioan. 10. d* Dominus ſe ſequentes: Cognoſco meas, & ſequuntur me, ſcilicet per bonam vitam. Dominus enim cognoſcit colore, ſicut ſignificatum eſt, vbi legitur quòd *Gen. 30. f* Iacob oues ſuas colore diſcreuit, variæ enim erãt oues eius, nigræ autem & albæ Laban. Iacob Chriſtum ſignificat. Nigræ oues ſunt opera peccatorum. Albæ *Mat. 23. c* ſunt ſimulatores: Similes eſtis ſepulchris dealbatis. Variæ autem pœnitentes, qui & albi ſunt per iuſtificationem, & nigri per ſuam reputationem, dum ſe peccatores reputant, apud Deum ſunt albi, apud ſe *Cant. 1. b* nigri: Nigra ſum ſed formoſa, *et cet.* Quarto commendatur bonitas paſtoris in vniendo, ſiue in congregando, cum dicit: *Alias oues habeo, et cetera*, vſque: *Fiet vnum ouile, & vnus paſtor*. Congregat autem & vnit oues ſibi in mundo, & hoc per fidem, & *Ioan. 10. c* charitatem, de quibus hic dicitur: Fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Certe qui in ouile Eccleſiæ non intrãt per oſtium fidei, ſed aſcendit aliunde per hæreſim, ille fur eſt & latro. Item congregabit oues in iudicio: *Mat. 25. c* Statuet oues quidem a dextris. Item in cælo. Vnde *Luc. 15. b* legitur quando reduxit ouem vnam perditam in deſertum, ideſt ad nouem ordines angelorum.

## SERMO III.

*Ioan. 10. c* *Animam meam pono pro ouibus meis*. Bonus paſtor Chriſtus pro nobis poſuit, & dedit animam ſuam in pretium redemptionis, in ſignum dilectionis, in monimẽtum recor- *Mat. 20. d* dationis, in exemplum imitationis. De primo: Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, *et cet.* vſque, pro multis. O quanta dignatio? Miniſtrat & ſeruit nobis, cui miniſtrant angeli. Si igitur fraudando ſeruum tuum mercede vnius anni peccas, quanto magis ſubtrahendo Dei filio animam tuam, pro qua triginta tribus annis ſeruiuit? pro qua animam ſuam *Eccli. 7. b* in tuo ſeruitio dedit? Ne lædas ſeruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam, dantẽ inquam animam in redemptionem pro *1. Pet. 1. d* multis: Non corruptibilibus auro, vel argento, *et cet.* Qui ergo mercedem ſanguinis, hoc eſt animam propriam tali mercenario ſubtrahit per luxuriam, vel per auaritiam, vel per odium, vel per alia vitia, ſimilis eſt *Eccli. 34. d* eis, qui in cruce eius ſanguinem effuderunt: Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario fratres ſunt. Quid ergo de miſeris, qui non tantum animam propriam, ſed tot Chriſto animas auferunt, quas per peccatum auferunt. Bernardus: Si Dominus proprium ſanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur ab eo grauiorem ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione mala, exemplo pernicionis, ſcandali occaſione auertit ab eo animas, quas redemit, quàm ab illo qui ſanguinem Ieſu *Ioan. 15. b* fudit? De ſecundo: Maiorem charitatem hac, *et cetera*. Si enim te incipiente ſubmergi iam in mari, amicus tuus ſcienter ſe ſubmergeret, vt ſuo euaderes adiutorio, o quanta eſſet illa dilectio? Sic pro nobis *Ionæ 1. d* fecit Chriſtus, quod optime ſignificatum eſt in Iona, qui ſe pro ſalute aliorum in mare præcipitari fecit. Nota hiſtoriam, & expone, vt per mare ſignificetur mundus, per cetum mors, per Ionam Chriſtus. Ecce quo modo Chriſtus animam ſuam

A poſuit pro amicis ſuis, immo quod mirabilius eſt, pro inimicis: Cum inimici eſſemus, reconciliati ſu- *Rom. 5. b* mus Deo per mortem filij eius. Nonne Dei inimici ſunt, qui domum Domini cum familia, ideſt cor cum virtutibus igne vitiorum ſcienter incendunt? Pſalmus: Incenderunt igni ſanctuarium tuum. Item *Pſal. 73. b* qui filium ſuum, ideſt ſpiritum, vel animam occidũt? Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperum, quaſi *Eccli. 34. b* qui victimat filium in conſpectu patris ſui, quàm maximum dilectionis Dei beneficium eſt, quòd pro huiuſmodi pro inimicis moritur Chriſtus. Auguſtinus: Quod tam beneficium, quàm ſanguinem iuſti delere B chirographum peccatoris? De tertio quòd in monimentum recordationis dedit animam ſuam, vt numquam ſui obliuiſcamur. Dicitur: Gratiam fideiuſſo- *Eccli. 29. c* ris tui ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam. Fideiuſſor noſter Chriſtus eſt. Totus mundus per ſententiam Dei Patris damnatus fuit, compatiens autem Dei Filius fideiuſſit pro nobis. Poteſt autem homo pro tam magna re fideiubere, quòd oporteat eum propter hoc quandoque relinquere domum, quandoque totam hereditatem ſuam, quandoque etiam vitam ſuam, ſic & fideiuſſor noſter fecit Chriſtus: Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem *Ier. 12. c* C meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Domus eſt cælum, hereditas ſinagoga. Pſalmus: Reſtitues hereditatem meam mihi. *Pſal. 15. c* Hereditas ſua Chriſto reſtituetur, quando Iudæi conuertentur: Cæcitas ex parte contingit in Iſrael, donec *Rom. 11. c* plenitudo gentium ſubintraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Non ſolum autem fuit Chriſtus fideiuſſor hominis ad patrem, ſed etiam patris & hominis tamquam fideliſſimus mediator. Auguſtinus: Quàm incredibile videbitur hominibus? Require in ſermone ſupra: Si veritatem dico. De quarto: Ille pro nobis *1. Ioan. 3. c* animam ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus D animas ponere. Qui habuerit ſubſtantiam mundi huius, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quo modo charitas Dei manet in eo? Ecce ſi pro fratribus debes ponere animam, quanto magis temporalem ſubſtantiam? Exemplo autem Chriſti non ſolum pro fratribus, immo pro Chriſto animam ponere debemus, ſicut ipſe pro nobis eam poſuit: ſicut Petrus voluit quando dixit: Ani- *Ioan. 13. d* mam meam pono pro te, qui licet poſtea negauerit, tamen gallo cantante fleuit amare. O quot cum Petro quotidie negant Chriſtum, ſi non ore, tamen opere. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Et *Tit. 1. d* non tantum ter Chriſtum ſicut Petrus, immo mil- E lies aliqui facinoribus ſuis negauerunt, & tamen cum Petro non flent. Gallus enim prædicator eſt: Quis *Iob. 38. d* dedit gallo intelligentiam?

## SERMO IV.

*Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere*. *Ioan. 10. c* Iſtæ oues fuerunt gentes crediture in Chriſtum, quæ non fuerunt de ouili Eccleſiæ, quas adduxit per fidem, & vnum ouile per vnam Eccleſiam de F Iudæis & gentibus fecit. O felices qui merentur eſſe oues Chriſti, non porci diaboli. O felices qui per Chriſtum adducuntur, & non per diabolum ſeducuntur. Conſiderandum ergo quòd Chriſtus oues ſuas adducit, deducit, perducit, educit, inducit. Adducit enim pœnitentes, deducit proficientes, perducit conſummantes, educit decedentes, inducit peruenientes, ſcilicet ad patrem. De primo hic dicitur: Illas oportet me adducere, ſcilicet per conuerſionem: Ignoras quòd benignitas Dei te ad pœni- *Rom. 2. a* tentiam adducit? *et cetera*. De modo autem adducendi dicitur: Eleuauit me ſpiritus inter cælum & terram, *Ezec. 8. a* & adduxit me in Ieruſalem. Qui ergo in cæleſtem Ieruſalem voluerit venire, adduci debet per Spiritum ſanctum,

ſanctum, & ſic quòd neque cælum per præſumptionem, neque terram per deſperationem tangat: vel *Iob 20. a* ſic, neque cælum tangat per ſuperbiam: Si aſcenderit in cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur: neque terram per *Apoc. 8. d* auaritiam, vel concupiſcentiam: Væ væ væ habitanti- *Pſal. 76. d* bus in terra. De ſecundo, Pſalmus: Deduxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moyſi, & Aaron. Hæc deductio fit per quotidianum in proficiendo bonorũ *Pſal. 79. a* operum augmentum. Pſalmus: Deducis velut ouem Ioſeph, quod interpretatur augmentum. Per manum Moyſi, & Aaron poteſtas Eccleſiarum, & ſæcularium *Exo. 17. c* iudicum ſignificatur. Legitur autem de manibus B Moyſi, quòd licet graues eſſent, dum tamen eleuabantur vincebat Iſrael: dum remittebantur, Iſrael vincebatur, quia quando auctoritas iudicialis leuatur in correctione, ſubditi contra hoſtes infernales proficiunt. Si autem per negligentiam remittitur, deficiũt & vincuntur. Sed heu hæc manus ſæpe percutit in- *Act. 12. a* nocentes: Miſit Herodes rex manus, *et cet.* De tertio, *Pſal. 77. f* Pſalmiſta: Perduxit eos tamquam gregem in deſerto. Gloſſa de Ægypto. Ægyptus autem mundum ſignificat, deſertum vero religionem, vel iuſtam vitam, qualem Chriſtus & Ioannes habuerunt in deſerto. Pſal- *Pſal. 77. b* mus: Interrupit mare, & perduxit, *et cetera.* Perdu- C xit, ideſt ad perfectum duxit. Perducuntur autem *Ezec. 47. a* electi per angelum, de quo legitur: Menſus eſt mille cubitos, & traduxit, & perduxit me per aquam vſque ad talos. Rurſumq. menſus eſt mille, & traduxit me per aquam vſque ad genua, & menſus eſt mille: & traduxit, ideſt perduxit me per aquam, vſque ad renes, & menſus eſt mille per torrentem, quem non potui pertranſire, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſuadari, & dixit ad me: Certe vidiſti fili hominis. Et eduxit me & conuertit ad ripam torrentis, *et cet.* Aqua hæc eſt gratia Spiritus ſancti, in qua incipientes minus profunde, D proficientes profundius, perfecti profundiſſime ſunt. Vel de coniugatis, & viduis, & virginibus intelligi poteſt. Torrens autem, qui tranſuadari non poteſt, eſt profunditas gratiæ in beatis, quam mortalis homo attingere non poteſt. Angelus autem menſurans, & traducens eſt Chriſtus, qui menſurat gratiam in me- *Ioan 10. a* ritis, & gloriam in præmijs gratiæ. De quarto: Proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Inter vineas de Ægypto in doctrinam, ſiue ad regnum, *et cetera.* Ecce quotidie Dominus nominatim, & ſingulariter vocat electos ſuos in morte ad ſeipſum, ſicut in ordinibus vocantur ordinandi ad Epiſcopum. Ha- E *Luc. 10. d* bet enim Dominus nomina eorum in ſcripto: Nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Vocat illos Dominus nominatim de cælis, qui non vocauerunt nomina ſua in terris. Beatus eſt cuius nomen dignatur noſcere Deus. Auguſtinus: Vt nouerit Deus nomina noſtra, hoc optare debemus, hoc agere, hoc ſatagere quantum poſſumus. Vocat ergo electos, vt educat de carcere ad regnum, de miſeria ad gloriam. Pſal- *Pſal. 39. a* mus: Eduxit me de lacu miſeriæ, ideſt de mundo, & de luto fæcis, ideſt de carcere. De quinto Dominus *Ezec. 34. c* loquens de ouibus ſuis, ait: Inducam eas in terram ſuam, & paſcam eas in montibus Iſrael in riuis, & F in cunctis ſedibus terræ. Montes ſunt ordines ange- *Pſal. 86. a* lorum. Pſalmus: Fundamenta eius in montibus ſanctis. Riui ſunt delectationes de fonte ſummi boni effluentes, a quibus quilibet peruerſus longe erit: Non *Iob 20. c* videat riuos fluminis torrentis mellis, & butyri. In melle dulcedo diuinitatis, in butyro humanitatis Chriſti ſignificatur. Sedes autem manſiones, de qui- *Ioan. 14. a* bus: In domo patris mei manſiones, *et cet.* Sic ergo Dominus humiles oues ſuas multipliciter ducit, & in vno ouili per charitatem proximi, & vni paſtori Chriſto per charitatem Dei vnit, vt ſic fiat vnum ouile, & vnus paſtor. Vnde in libro de ſpiritu, & anima dicitur: Animam, quam Dei pietas reſpicit, humilitas A ſubijcit, pœnitentia reducit, iuſtitia deducit, obedientia conducit, perſeuerantia perducit, deuotio introducit, puritas iungit, charitas vnit.

# DOMINICA SECVNDA POST OCT. PASCHÆ

## SERMO I.

*Ioan. 16. b* ITerum modicum, *& videbitis me.* B Modicum, & non viderunt Deum diſcipuli, quãdo fuit in ſepulchro, & iterum modicnm, & viderunt eum poſt reſurrectionem, vſque ad Aſcenſionem aliquoties. Sed nunc conſiderandum, quo modo Deus videatur in mundo a credentibus, in extremo a decedentibus, in cælo a fruentibus, in iudicio a reſurgentibus. De primo myſtice intelligi poteſt quod dicitur hic: *Modicum & videbitis.* Modicum enim non tam duratione, quàm cognitione; imperfecta eſt enim viſio fidei reſpectu viſionis æternæ. Modice enim, & C imperfecte videtur, quidquid modo tantum in imagine, & a tergo, & a longe videtur. Videmus enim Deum non in ſe, ſed per imaginem repræſentatam in creaturis: Videmus nunc per ſpeculum. Gloſſa: per *1. Cor. 13. d* imaginem obſcuram. Videmus enim aliquas creaturas, in quibus aliqua ſimilitudo Dei relucet. Vel videmus non facie, ſed a tergo incarnationis. Videbis *Exod. 33. d* poſteriora mea, faciem autem meam non videbis. Poſteriora ſunt humiliora, quæ in carne geſſit. Item videmus Deum non in lumine, ſed quaſi in voce obſcuræ cognitionis, & intelligentiæ humanæ: Aſpicie- *Dan. 7. b* bam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quaſi D filius hominis veniebat, *et cet.* Tam obſcura enim ſunt naturalia quòd quidquid de Deo cognoſcimus, quaſi in nocte videmus. De hac nocte dicitur: Per noctem *Cant. 3. a* quæſiui quæ diligit anima mea. Gregorius: Per noctem quærimus, quia etſi iam in illo mens vigilat, tamen oculus adhuc caligat. Item videmus nunc Deũ non prope, ſed quaſi a longe per diſtantiam diſſimilitudinis, vel auerſionis. Videbo eum, ſed non modo, *Num. 24. e* intuebor illum, ſed non prope. De ſecundo: Ecce *Act. 7. g* video cælos apertos, & Ieſum ſtantem quaſi paratum ad ſuſcipiendam animam meam: ſicut de multis ſanctis legitur, qui viderunt Deum in extremis. Quo E modo autem mereatur videre Deum ſignificatum eſt, vbi legitur quòd Iacob ſupponens lapidem capi- *Gen. 28. c* piti, dormiuit, & vidit ſcalam tangentem cælos, & & Dominum innixum ſcalæ. Attende quid de lapide, & de ſcala, & de Angelis, & de Domino dicitur hic. Lapis duram & grauem pœnitentiam ſignificat. Hunc lapidem diabolus in panem conſolationis carnalis vult verti: Dic vt lapides iſti panes fiant. Dor- *Mat. 4. a* mitio mortem ſignificat. Pſalmus: In pace in idip- *Pſal. 4. b* ſum dormiam, & requieſcam. Super lapidem ergo dormit, qui in pœnitentia dura decedit. Per ſcalam virtutum gradus ſignificatur. In ſcala duo ligna prin- F cipalia ſunt, amor Dei, & proximi. Gradus vero omnes aliæ virtutes. Si hanc ſcalam fabricaueris dum viuis, tunc in ſomno mortis eam habebis, & angelos pro tua ſalute aſcendentes, & Dominum tuam animam ſuſcipientem videbis. Sicut autem pij quandoque vident in morte ſua Dominum: ſic & impij quandoque in morte ſua vident dominum, ſcilicet diabolum. Vnde de quodam beatus Gregorius ait: Ecce iuuenis paruus draconem vidit, cui ſeruiuit in vita. De tertio: Beati mundo corde, *et cet.* Auguſtinus: *Mat. 5. a* Tota merces eſt viſio. Notate chariſſimi, ſi tam ar- *Aug. in pſ. 90. conc. 2. cir. fi. to. 8.* dentiſſime diligitur Deus in præſenti ab electis ſuis, quòd ferrum, & ignem, & omne genus tormentorum parati ſunt ſuſtinere pro ipſo, quod tamen nunc tam



tam modicum videtur, quid erit in cælo, vbi non *1. Ioan. 3. a* per ſpeculum, ſed per ſeipſum videtur? Videbimus eum ſicuti eſt. Item vbi non a tergo, ſed facie videbi- *1. Cor. 13. d.* mus: Tunc autem facie ad faciem: Vidi te domine, *Eſther. 15. d* quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es domine, & facies tua plena eſt gratiarũ. Item vbi non in *Pſal. 35. c* tenebris, ſed in luce clariſſima videbitur. Pſalmiſta: In lumine tuo videbimus lumen, *et cet.* Item vbi non de longinquo, ſed de propinquo videbitur: quia electi non in remoto, ſed in eodem loco cum ipſo erunt: *Ioan. 17. d* Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ſum ego, illic ſint mecum, vt videant claritatem meam. Penſate ex prædictis quàm incomprehenſibilis dulcedinis ſit iſta viſio gloriæ. Vnde Fulgentius ait: Dei faciem ſi omnes damnati in inferno viderent, nullum dolorem, nullam pœnam, nullam triſtitiam ſentirent. De quar- *Apoc. 1. b* to: Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Certe oculus adulteri, & ſuperbi, & immundi, inuidi & aliorum peruerſorum. Hæc autem viſio *Dan. 7. c* plenius nobis oſtenditur in illa viſione, de qua: Aſpiciebam in viſione, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Fluuius igneus rapidusq. egrediebatur a facie eius. Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. Iudicium ſedit & libri aperti ſunt, *et cet.* Significatur enim ibi per poſitionem thronorum, iudicum aſſeſſorum auctoritas. Per fluuium igneum, ſententiæ extremæ ſeueritas. Per millia millium miniſtrantium, executorum copioſitas. Per apertionem librorum, conſcientiarum nuditas.

## SERMO II.

*Ioan. 16. b* ITerum autem *videbitis me*, & cetera. Valde conſolatorium eſt hoc verbum. Conſiderandum autem quòd Dominus videt omnes ſimplici notitia generali, bonos in gratia ſpiritali, malos in ira iudiciali, beatos in gloria æternali. Videt omnes communiter, bonos amicabiliter, malos terribiliter, bea- *Pſal. 32. c* tos ineffabiliter. De primo, Pſalmiſta: De cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum terræ, ſcilicet bonos & malos, in tenebris, & in luce, in an- *Heb. 4. d* gulo, & in publico, bene vel male agentes: Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius, *et cet.* O ſi ſol eſſet oculus, quanta videret in hoc mundo? Et certe oculi *Eccli. 23. c* Domini ſole clariores ſunt in infinitum: Oculi Domini multo lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profunditatem abyſſi, & hominum corda, intuentes in abſconditas partes. Væ ergo illis, qui occultas nequitias ſuas credunt *Pſal. 93. b* celari poſſe Domino, contra quos Pſalmus: Non videbit Dominus, *et cet.* vſque, qui finxit oculos non conſiderat? *et cet.* Impij autem non attendunt Dominum videre mala omnia, quia ſtatim non vindicat. Videt vtique omnia Deus ſapientiſſimus, ſed non ſtatim vindicat omnia patientiſſimus. Gregorius: Conditor noſter mira diſpenſatione conſilij, & culpas reſpicit, & viuendi tempora impendit, vt longiora vitæ temporalis ſpatia, aut conuerſo fiant ad adiutorium numeris, aut non conuerſo ad augmentum damna- *Mat. 9. a* tionis. De ſecundo: Vidit Ieſus ſedentem in thelo- *Mat. 4. c* nio, *et cetera.* Vidit duos fratres, *et cet.* & hoc per reſpectum gratiæ. Vnde ſecuti ſunt eum. Ergo eſt virtus Domini, qua ſtatim ſequuntur diſcipuli. O ſi vos videret Dominus hoc miſericordiæ ſuæ oculo, vtique Deus veſtris oculis lacrymas educeret pro peccatis. *Luc. 22. g* Vnde cum gallo cantante, Petrum reſpexit Dominus: Petrus fleuit amare. Nihil enim cantus galli, nihil clamor prædicatoris prodeſt, niſi reſpectus oculi miſericordiæ diuinæ cor tangat, niſi paternis oculis benigne filium ſuum reuertentem pater reſpiciat: *Luc. 15. e* Cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum pater ip- A ſius; & miſericordia motus eſt, *et cet.* Ecce gratia huius viſus, quo pater miſericordia motus tria facit. Accurrit, per gratiam præuenientem. Super collum cadit, per gratiam ſubſequentem. Oſculatur, per fiduciam de peccatorum remiſſione conſolantem. De *Mat. 22. a* tertio: Vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptia- *Eccls. 9. b* li, *et cetera.* Veſtis nuptialis eſt bona vita: Omni tempore veſtimenta tua ſint candida. Bona enim vita melius veſtit hominem omni purpura, & panno pretioſo. Sed quidam habent pretioſas, quidam omnino ſordidas, quidam interciſas, qui partim Deo, partim diabolo ſeruiunt. Hi dominorum ſuorum veſtes ac- B cipiunt, cum tamen niſi alteri eorum deſeruire non *Mat. 6. c* poſſunt: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, aut enim vnum, *et cet.* Terribili ergo viſu carentes pretioſa veſte videbit Dominus in iudicio. O quàm ar- *Apoc. 1. c* dentibus oculis: Oculi eius tamquam flamma ignis. *Gen. 6. a* Hunc viſum faciunt crudelem ſcelera hominum: Videns autem Deus quòd multa malitia eſſet in terra, *et cetera.* Infra: Delebo, inquit, hominem. Sicut autem in diluuio aquam nullus euaſit niſi per arcam, ita in iudicio ignem nullus euadet, niſi per arcam, ideſt Eccleſiam: qui ſcilicet in ipſa fuerit nõ tantum in nu- *Ioan. 16. c* C mero, ſed etiam merito. De quarto: Vos quidẽ nunc triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, *et cet.* Viſionis huius gaudium non poteſt tolli. Viſio hæc eſt tantum in patria. Bernardus: Illud ſolum eſt verum gaudium, quod non de creatura, ſed de Creatore concipitur, quod cum poſſederis, nemo tollet a te, cui comparata omnis aliunde iucunditas, mœror eſt: omnis ſuauitas dolor, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne poſtremo quod delectare poſſet, moleſtum. Videbo inquit, vos, *et cetera.* O quàm dilectores ſuos iucunde videbit, *Eccli. 34. b* vbi nil in eis videbit, quod oculis diſplicebit: Ocu- D li Dei viderunt diligentes ſe. Quod non ſolum gratiæ, ſed etiam gloriæ poteſt intelligi. Quanto ergo plus diligimus Deum, tanto plus dilectiſſimi oculi Dei in nos, & certe oculi noſtri erunt in ipſum. Auguſtinus: Amore Dei nihil ſuauius, nihil dulcius, nihil dignius, quòd quanto quis fuerit feruentior, tanto eius viſio erit ſuauior, quãto nunc deſideramus ardentius, tanto ipſum intuebimur clarius.

## SERMO III.

*Ioan. 16. c* MVndus *autem gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in* E *gaudium.* Quia oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Ideo Dominus in verbo propoſito aperit ſtatum religioſitatis apoſtolicæ per oppoſitum mundanæ lubricitatis, cum dicit: *Mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini.* In quo quidem verbo, primo notatur illicita delectatio humanæ lubricitatis. Secundo temporanea tribulatio apoſtolicæ religioſitatis. Tertio futura conſolatio æternæ iucunditatis. Primo notatur illicita delectatio mundanæ lubricitatis, cum dicit: *Mundus gaudebit.* Secundo temporanea tribulatio apoſtolicæ religioſitatis, cum ſubdit: *Vos autem contriſtabi-* F *mini.* Tertio futura conſolatio æternæ iucunditatis, cum ſubinfert: *Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Mira diſpenſatio diuinæ bonitatis, quòd non datur dulcedo ſapientiæ, niſi præuia amaritudine pœnitentiæ, quoniam per luctum tribulationis, & anguſtiæ (exemplo Chriſti) oportet intrare in regnum felicitatis æternæ.

Dicit ergo: *Mundus gaudebit*, vbi notatur illicita delectatio mundanæ lubricitatis. Tota vero delectatio, ſiue gaudium mundanæ lubricitatis poteſt comprehendi ſub triplici differentia hominum, ſecundum *1. Ioan. 2. c* quòd innuitur: Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, faciens lubricos & luxurioſos: aut concupiſcentia oculorum, faciens auaros & pecunioſos.

niosos: aut ſuperbia vitæ, faciens magnificos, & am- A
bitioſos. Vnde ſecundum iſtam triplicem differen-
tiam hominum ex qua pullulát omnia genera pecca-
torum, in qua conſiſtit totum gaudium mundanum,
poteſt dici, quòd primo gaudent luxurioſi, in expe-
rientia carnalis laſciuiæ. Secundo gaudent auari in co-
pia inſatiabilis pecuniæ. Tertio gaudent ambitioſi, ſi-
ue ſuperbi, in excellentia honoris, & iactantiæ. Ra-
tione primi illud gaudium deprauat naturam propriã.
Ratione ſecundi obligat ad pœnam æternam. Ratio-
ne tertij prouocat diuinam offenſam. Primo gaudẽt
luxurioſi in experientia carnalis laſciuiæ, deprauantis
Iſa. 22. e naturam propriam. Et de hoc dicitur: Et ecce gau- B
dium, & lætitiam occidere vitulos, & iugulare arie-
tes, & comedere carnes, & bibere vinum. Quia lu-
brici homines non intendunt vacare niſi laſciuiæ,
gulæ, & luxuriæ. Nam vitium gulæ attrahit luxuriã,
ideo dicitur: Ecce gaudium occidere vitulos, mane
comedere carnes quantum ad laſciuiam gulæ, & læti-
tiam bibere vinum, quantum ad luxuriam. Nam lu-
Prou. 20. a xurioſa res eſt vinum. Illa enim duplex laſciuia in ani-
ma, quæ a Deo auertitur, vt amiſſo honore caſtitatis,
& munditiæ, & brutis animalibus quibus non eſt in-
Pſal. 31. c tellectus comparetur, eo quòd in eis peruertitur or-
do naturalis, quando cogunt ſpiritum ancillari, & C
carnem dominari, & ad ſimilitudinẽ porci non inten-
dunt niſi curationi cutis. Secundo gaudent auari in
copia inſatiabilis pecuniæ, & obligantis ad pœnam
Ezec. 24. g æternam. Vnde: Tollam ab eis fortitudinem eorum,
& gaudium dignitatis eorum, & deſiderium ocu-
lorum ſuorum, quibus requieſcunt animæ eorum.
Quia auari, in quibus eſt terrenũ deſiderium; & con-
cupiſcentia oculorum, ponunt finem lætitiæ, & ſpem
dilectionis in diuitijs ſuis, in quarum multitudine
gloriantur, & requieſcunt, quaſi vltimo fine: ideo
Dominus minatur eis tollere diuitias in præſenti, &
nihilominus punire eos in futuro pœna infernali, eo D
quòd maximam iniuriam ſibi intulerunt, cum pro-
poſuerunt Creatori æterno, & bono incommutabili
Epheſ. 5. b creaturam temporalem, & caducam. Vnde auaritia
Coloſſ. 3. a ab Apoſtolo appellatur idolorum ſeruitus. Bernar-
dus ſuper illud: Tu vero cruciaris. Quid ergo dice-
mus ad hæc, ſi talis eſt exitus, ſi tale iudicium, vt ex-
trema gaudij luctus occupet. Tertio gaudent ambi-
tioſi in excellentia honoris, & iactantiæ, prouocantis
Iob 20. a diuinam offenſam. Vnde: Gaudium hipocritæ ad
inſtar puncti, ſi aſcendit vſque ad cælum ſuperbia
eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium
in fine perdetur. Quia gaudium ambitioſi eſt vanum, E
eo quòd ad modum hipocriſis non habet exiſtẽtiam,
ſed tantum apparentiam. Ideo dicitur gaudium hi-
pocritæ, ſed additur ad inſtar puncti, quia tale gau-
dium eſt, quaſi momentaneum, & eius finis interitus.
Sed quia ambitioſus, & ſuperbus per ſuam reputatio-
nem, quaſi eleuatur vſque in cælum, præferendo ſe
omnibus, ideo ſecundum rectam diuinæ iuſtitiæ re-
gulam deprimetur vſque ad profundum abyſſi, ſecun
dum veritatem, quoniam in fine mortis ſuæ, quaſi
vile ſterquilinium perdetur.

Secundo notatur temporanea tribulatio religioſi-
tatis, cum ſubdit: *Vos autem contriſtabimini*. Apoſtoli F
namque tamquam viri religioſi, ſecundum Deum tri-
plicem habuerunt tribulationem, ſiue triſtitiam. Pri-
mo habuerunt triſtitiam lacrymoſæ contritionis, in
propriæ tranſgreſſionis recordatione. Secundo do-
loroſæ compaſſionis in Dominicæ paſſionis medita-
tione. Tertio afflictionem deſolationis, in Chriſti
præſentiæ corporalis priuatione. Primo habuerunt
triſtitiam lacrymoſæ contritionis, ex propriæ tranſ-
2. Cor. 7. c greſſionis recordatione. Vnde: Quæ enim ſecundum
Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem
operatur. Ille namque exemplo Apoſtolorum contri-
ſtatur, ſecundum Deum, qui cum cogitat propter
ſuum peccatum Deum offendiſſe, ita dolet intime,

A & colaphizatur dure interius, vt prorumpat in lacry-
mas exterius, exemplo principis Apoſtolorum Petri, Mat. 26. g
qui cum negaret Chriſtum, præ nimia triſtitia fleuit
amare, & talis triſtitia, operatur pœnitentiam in ſalu-
te æterna, eo quòd meretur veniam omnium pecca-
torum quibus obligabatur ad pœnam æternam. Vn-
de in Pſalmis: Tota die ingrediebar contriſtatus, Pſal. 37. b
amouet ipſum continue terminãdum, ne aliquod pec-
catum in mea conſcientia lateret. Vnde Bernardus Bernar. in
ſuper illud: Tempus putationis aduenit: Parum eſt Cãt. ſer. 58
ſemel putaſſe, ſæpe putandum eſt, immo ſi fieri poteſt, Cant. 2. c
ſemper: quia ſemper quod putari oporteat (ſi nõ diſ-
B ſimulas) inuenis: Quantumlibet, in hoc corpore ma-
nens profeceris, erras, ſi vitia putas emortua, & non
magis ſuppreſſa. Velis nolis habitat inter fines tuos
habitat Iebuſæus. Vnde Gregorius ſuper illud: Pa- Iob 12. a
rata ad tempus ſtatutum: Tempore igitur miſe- Greg. li. 10.
ricordiæ deflenda eſt humiliter culpa, ne in tem- Mor. c. vlt.
pore iuſtitiæ miſerabiliter deploretur acerbitas pœnę.
Secundo habuerunt triſtitiam doloroſæ compaſſio-
ni in Dominicæ paſſionis meditatione. Vnde in Pſal
mis: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte Pſal. 41. a
dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus? quare
triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Et re-
C ſpondet parum inferius: Abyſſus abyſſum inuocat in
voce cataractarum tuarum. Quilibet verus Chriſtia-
nus cum dicitur ſibi a prædicatore, quòd Deus tuus
fuit in cruce crudeliter vulneratus, turpiter exprobra-
tus, & viliter abiectus, debet in tantum gemere, vel
geminare voces doloris, & latius inundare lacryma-
rum torrentes, vt poſſit dicere cum fideli Dauid:
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die; ac nocte, dum
dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus? Sed &
præ nimia admiratione de exhibitione tantæ beni-
gnitatis, debet ſeipſum examinare, & interrogare,
dicens? Quare triſtis es anima mea, & quare contur-
D bas me: Et poſtea rationem reddere ſibijpſi ſubiun-
gendo: Abyſſus compaſſionis Chriſti, inuocat abyſ-
ſum compaſſionis Chriſtiani, quia nõ alium habitum
debet prætendere Chriſtianus, niſi qualem veritas
profeſſionis exprimit a Chriſto. In voce cataractarũ
tuarum, ideſt plagarum, omnia excelſa tua, & fluctus
tui, ideſt opprobria, dolores & tormenta indicibili
compaſſione, in propriam perſonam retorquens ſen-
tiendo quod & in ipſo Ieſu, ſuper me tranſierunt.
Iſtam triſtitiam continue habebat Paulus, cum dice-
bat: Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo por- Galat. 6. d
to, ſic & omnes Apoſtoli. Nam præ nimia triſtitia
E doloroſæ compaſſionis de Domini paſſione transfor-
mati erant in crucifixi effigie, per conformitatem.
Tertio habuerunt triſtitiam afflictæ deſolationis in
pœnitentiæ Chriſti corporalis amiſſione, vnde: Vado Ioan. 16. a
ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat
me quo vadis, ſed quia hæc locutus ſum vobis, triſti-
tia impleuit cor veſtrum. Dominus noſter Ieſus Chri
ſtus tamquam benignus magiſter, propter nimiam Epheſ. 2. a
dilectionem, qua dilexit nos diſcipulos ſuos, & ma- Ioan. 13. a
xime in finem, non ſolum ſolicitauit eos ad inquiren
dum beneficium ſuæ paſſionis. Nemo ex vobis inter-
rogat me: quo vadis; immo ſine inquiſitione prædicit
F eis ſuam mortem, quam voluntarie in proximo erat
recepturus, pro redemptione humani generis, cum
addit: Vado ad eum qui miſit me, ſed quia de morte
eius diſcipuli vehementer deſolabantur, ideo ſequi-
tur: ſed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit
cor veſtrum. Si ergo ſola imaginatio de priuatione
Chriſti ſocietatis tantum dolorem inflixit, vt triſtitia
impleret cor eorum, propter hoc pro certo multum
additur experientia facti. Vnde de eis cantatur:

*Triſtes erant Apoſtoli*
*De nece ſui Domini.*

Tertio notatur futura conſolatio æternæ iucundi-
tatis, cum ſubinfertur: *Sed triſtitia veſtra vertetur in
gaudium*. Triplicem conſolationem, ſiue gaudium
habue-



habuerunt Apoſtoli ſecundum prædictam triplicem A
triſtitiam. Nam primo, triſtitia lacrymoſæ contri-
tionis de propriæ tranſgreſſionis recordatione, verti-
tur in gaudiũ internæ dilectionis propter euaſionem
mortis æternę. Secundo, triſtitia doloroſæ cõpaſſionis
de Dominicæ paſſionis meditatione, vertetur in gau-
diũ mutuæ cõgratulationis, propter coheredationem
cæleſtis patriæ. Tertio, triſtitia afflictæ deſolationis de
corporalis Chriſti pęnitẽtię amiſſione, vertetur ingau
dium lætitiæ, & conſolationis, propter viſionem re-
ſurgentis ſapientiæ. Primo lacrymoſæ contritionis
triſtitia de peccati recordatione verſa eſt in gaudium
lætitiæ, & exultationis, propter euaſionem mortis B
Iſa. 51. b æternæ. Vnde: Gaudium & lætitiam obtinebunt, &
fugiet dolor & gemitus, quia ego ipſe conſolabor
vos. Gaudium & lætitiam dulcorantis gratiæ obtine-
bunt, qui habuerunt triſtitiam contritionis de ſuæ
iniquitatis commiſſione, inſuper fugiet dolor, & ge-
mitus mortis æternæ, quia ipſe ego Dominus conſo-
labor vos, remittendo omnia peccata. Et de hoc ſimi-
Pſal. 29. d liter dicitur in pſalmis: Conuertiſti planctum meum
in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & cir-
cumdediſti, *et cet.* Secundo habuerunt triſtitiam do-
loroſæ compaſſionis de morte Chriſti, quæ verſa eſt
in gaudium mutuæ congratulationis, propter cæleſtis C
gloriæ participationem. Conueniens enim eſt, vt qui
condolent Chriſto per compaſſionem, congaudeant
cum eo per gloriæ participationem, vt qui ſunt ſocij
paſſionum, ſint ſimiliter & conſolationum. Vnde:
1. Pet. 4. c Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt
in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Ter-
tio, triſtitia afflictæ deſolationis de amiſſione Chriſti,
verſa eſt in gaudium lætitiæ, & conſolationis propter
Pſal. 20. b viſionem reſurgentis ſapientiæ, vnde in Pſalmis: Læ-
tificabis me in gaudio cum vultu tuo: quod fuit adim-
pletum quando Chriſtum reſurrexiſſe Apoſtoli viſu
cernũt corporeo. De primo gaudio ſimiliter dicitur: D
Iſa. 66. d Videbitis & gaudebit cor veſtrum, *Et ſequitur*: Vide-
bunt gloriam meam, & ponam in eis ſignum, & mit-
tam ex eis, qui ſaluati fuerunt ad gentes in mare, in
Africã & Libyam, tenens ſagittam in Italiam, & Græ-
ciam, & inſulas longe ad eos, qui non audierunt de
me: & non viderunt gloriam, & annunciabunt glo-
riam meam. Apoſtoli namque poſtquam viderunt
gloriam Chriſti reſurgentis, & poſtquam fuerunt ſi-
gnati ſignaculo Trinitatis, tenentes ſagittam prædica-
tionis, miſſi fuerunt tamquam veri teſtes per vniuer-
ſum mundum, vt annunciarent gloriam Dei, quam
ſuis oculis conſpexerunt. Rogemus. E

## SERMO IV.

Ioan. 16. e TRiſtitia veſtra vertetur in gaudium. Ma-
gna conſolatio eſt iſta. Conſiderare au-
Quadruplex verſio. tem hic poſſumus quadruplicem verſio-
nem. Vertitur enim quandoque triſtitia
in lætitiam, lætitia in triſtitiam, triſtitia
in triſtitiam, lætitia in lætitiam. De primo dicitur hic:
*Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. Hoc ſignifi-
Exo. 15. d catum eſt in aquis amaris, de quibus: Oſtendit ei li-
gnum, quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinẽ ver-
ſæ ſunt. Aquæ amaræ triſtitiæ ſunt, vel lacrymæ tri- F
Luc. 22. g bulationis, vel pœnitentiæ: Egreſſus foras fleuit ama-
re. Amaritudo ergo præſentis aduerſitatis per lignum
crucis vertetur nobis in dulcedinem æternæ iucundi-
Iudi. 14. b tatis. Hæc eſt dulcedo, de qua: Ecce examen in ore
leonis erat, ac fauus mellis. Leo eſt quilibet perſecu-
tor, vel turbator proximorum. Apes aculeatæ ſunt
verba pungentia, & turbantia proximos. Quanto au-
tem plures fuerint apes, tanto plus de melle habebis
dulcedinis æternæ. Vult ergo nos ſuſtinere Deus apes
in mundo, vt dulcedinem habere poſſimus in cælo.
Auguſtinus: Ideo Deus terrenis felicitatibus amari-
tudinem admiſcet, ne alia aliqua felicitas quæratur,
Deut. 23. a cuius dulcedo nos fallat. Ecce pulchra verſio: Noluit



A Dominus Deus tuus audire Balaam, ſed vertit male-
dictionem ſuam in benedictionem tuam. De ſecun-
do: Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum. Iob 20. b
Si panis vertitur guloſis in tantam triſtitiam, quid erit
de voluptuoſiſſimis cibarijs? & certe nõ ſolum in tri-
ſtitiam gehennæ, vel pœnitentiæ vertitur voluptatis
guſtus, ſed etiam auditus: Verſa eſt in luctum cithara Iob 30. b
mea, *et cetera*. & organum meum in vocem flentiũ.
Quidam vero detractiones, turpia verba, mala conſi-
lia audiunt, ita delectabiliter, ſicut citharam, ſed in
luctum vertetur hæc cithara. Item voluptas viſus:
Reſpiciensq. vxor Loth poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam Gen. 19. e
B ſalis. Quid erit de ijs, qui totiens nequiſſimo viſu pec
cant, ex quo ſemel reſpiciens eſt ita punita? Per pa-
nem igitur, qui in fel aſpidum conuertitur, poteſt
quælibet malorum conſolatio, vel voluptas ſignifica-
ri. In hunc enim panem lapides, ideſt duritias pœni-
tentiæ verti vult diabolus: Dominus autem non lapi- Mat. 4. a
des duræ pœnitentiæ in panes voluptatis, ſed volupta-
tis panes vertit in fel aſpidum æternæ amaritudinis.
Bernardus: Via iniquitatis ingredientibus mel ſophi-
ſticum, progredientibus fel & acetum, egredienti-
bus execrabile venenum aſpidum. Qui hos panes
comederit, omnes micæ, ideſt cogitationes, & deſide-
C ria in fel triſtitiæ illi vertentur: Omnis puluis terræ Exod. 8. d
verſus eſt in ciniphes. Et quia pungunt, remorſiones
conſcientiarum æternas ſignificare poſſunt. Vides
ergo quo modo ſicut dicitur: Riſus dolore miſcetur. Prou. 14. b
De tertio ſignificatum eſt, vbi virga Moyſi verſa eſt Exod. 4. a
in colubrum. Hæc eſt virga diuinæ correptionis.
Pſalmus: Viſitabo in virga, *et cetera*. Virga ſæpe de Pſal. 88. e
corde lapideo aquam contritionis, & lacrymarum
educit; ſicut in virga, quæ petra bis percutitur, ſicut
ſignificatum eſt: Per colubrũ autem horror damna- Num. 20. b
tionis ſignificatur. Vnde de vino carnalis delectatio-
nis dicitur: In nouiſſimo mordebit vt coluber. Vir- Prou. 23. d
D ga ergo in colubrum vertitur, quando in obſtinatis
præſentem tribulationem horror damnationis ſequi-
tur, quando hic & in futuro affligimur, ſicut de An-
tiocho legitur, & de Herode. Nota hiſtorias. Gre- 2. Mac. 9. b
gorius: Pœna præſens ſi afflicti animum conuertit, fi- Act. 12. d
nis eſt culpæ præcedentis. Si tamen ad timorem mi-
nime conuertit, initiũ eſt pœnæ ſequentis. Sed econ-
trario legitur de virga Aaron arida, quæ flores, & Num. 17. c
fructus habuit, quia caſtigatio electorum flores vir-
tutum in præſenti, & fructus præmiorum producit
in futuro. De quarto: Paruus fons creuit in fluuium, Eſther. 10.
& in lucem ſolemq. conuerſus eſt, & in aquas pluri- b
E mas redundauit. Fons eſt charitas, vel conſolatio
Spiritus ſancti: Fiet in eo fons, *et cet.* Omne autem Ioan. 4. b
gaudium ſpirituale quod habetur, hic in amore Dei,
& proximi, & in conſolationibus Spiritus ſancti, exi-
guum eſt reſpectu conſolationis æternæ: ideo dici-
tur fons paruus. Per fluuium autem abundantia vo-
luptatum æternarum ſignificatur. Pſalmus: Torren- Pſal. 35. a
te voluptatis potauit eos. Per lucem vero ſplendor
animarum: Implebit ſplendoribus animam tuam. Per Iſa. 58. c
ſolem claritas corporum: Tunc iuſti fulgebunt ſicut Mat. 13. f
ſol. Per aquas plurimas, omnium gaudiorum acci-
dentalium copia ſignificatur.
F

# DOMINICA TERTIA POST OCT. PASCHÆ.

## SERMO I.

CVm autem venerit ille, arguet mundum Ioan. 16. b
*de peccato*. Qui non vult argui de pec-
cato, ſequitur illum, qui ait: Quis ex Ioan. 8. f
vobis arguet me de peccato? Conſi-
derandum autem quòd arguitur pec-
catum corde, ore, opere. Arguitur
in corde quadrupliciter, Videlicet interius, exterius,
L inferius,

inferius, ſuperius. Interius per conſcientiam. Pſalmiſta: *Pſal. 49. d* Arguam te, & ſtatuam contra te faciem tuam. Gloſſa: Primo oſtendam te tibi, & diſplicebis tibi, ſicut ſerpens, & quælibet horribilis beſtia diſplicet homini, & fugit, dum eam videt: ſic peccator animam propriam abhorreret, ſi eam videret. Eſt enim *Mat. 23. d* ſerpente horribilior: Serpentes genimina viperarum, *et cet.* Quare ergo ſeipſum non fugit pœnitendo, niſi quia ſe non videt, & ſe ante faciem non habet, ſed a tergo. Auguſtinus: Omnis, qui non videt peccata ſua, poſt dorſum ſe ponit. Item exterius per ſcripturam: *2. Tim. 3. d* Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, & arguendum, *et cet.* O quo modo ſuperbos, B auaros, fornicatores, & alios peruerſos terribiliter arguit Scriptura. Item inferius per infamiam: *Ier. 2. d* Arguet te malitia, *et cet.* Verecundia infamiæ ex malitia proueniens ſæpe arguit impios, & hanc ſæpe argutionem timent, & fugiunt homines pluſquàm Deum: *Ioan. 3. c* Qui male agit, *et cet.* *vſque* non arguantur opera eius. Item ſuperius per gratiam, ſiue per inſpirationem diuinam per Spiritum ſanctum. Vnde hic dicitur: *Luc. 7. f* *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato,* quod commiſerunt: *Idem 22. g* de iuſtitia, quam neglexerunt, & de iudicio, quod non timuerunt. Iſte ſpiritus arguit Magdalenam, & Petrum & multos alios pœnitentes ita, C dure quòd fleuerunt. Arguitur etiam peccatum ore quadrupliciter, videlicet ore iumentino, humano, angelico, & diuino. Iumentino vt de Balaam dicitur: *2. Pet. 2. c* Correptionem habuit veſaniæ ſuæ ſubiugale mutum animal hominis voce loquens, & prohibuit prophetæ inſipientiam, *et cetera.* Vere magna verecundia quòd aſina arguit peccatorem. Item ore humano: *2. Tim. 4. a* Argue, increpa, obſecra, *et cet.* Sicut arguebat *Mat. 14. a* Herodem Ioannes pro inceſtu. Auguſtinus: Qui errantem non corripuerit, de negligentia iudicabitur. Qui pro eo non orauerit, de perditione iudicabitur. Hæc argutio ad prælatos pertinet ex auctoritate. D *1. Reg. 4. d* Vnde Heli, qui non arguit filios, fractis ceruicibus expirauit. Ad omnes autem pertinet ex charitate: *Mat. 18. b* Si peccauerit in te frater tuus, *et cet.* Item ore angelico. *Gen. 31. f* Vnde Iacob ad Laban ait: Afflictionem meam & laborem meum reſpexit Dominus, & arguit te heri. Nota quòd dicit heri. Certe tu peccator non ſolum heri, immo quotidie ab angelo tuo poſſes argui. Neque mirum de angelo, cum etiam diabolus arguat *Apoc. 12. c* impios, quod ad dolendum eſt. Arguit vtique accuſando: Proiectus eſt autem accuſator, *et cet.* Gregorius: Malignitas ſpiritus cogitationi, locutioni, atque operi noſtro inſiſtit frequenter: ſi fortaſſe quid inueniat apud examen æterni iudicis, accuſator exiſtit. E Item in ore diuino, ſcilicet Chriſti iudicio. In canonica: *Iudæ 3. c* Ecce veniet Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de operibus iniquitatis eorum, *et cet.* Ecce patet quòd in iudicio arguentur impij de impia oratione. Item de impia locutione. Vnde ſequitur: Et de omnibus, quæ locuti ſunt. Item de impia cogitatione. *Eccli. 17. d* Quid nequius eo, quod excogitat caro, & ſanguis, & ex hoc arguetur? Arguitur etiam peccatum opere quadruplici, videlicet opere correctionis in mundo: *Heb. 12. b* Fili mi noli negligere diſciplinam Domini, neque fa- F *Prou. 3. b* tigeris, dum ab eo argueris. Certe non debes fatigari, *Apoc. 3. d* quia ſignum eſt diuinæ dilectionis: Ego quos amo arguo, & caſtigo. Auguſtinus: Si exceptus es a paſſione flagellorum, exceptus es a numero filiorum. Item opere paſſionis Chriſti in patibulo: non eſt vtique qui vtrumque valeat arguere, & ponere manus in *Iob 9. d* ambobus, ſicut olim conquerebatur Iob: ſed certe poſtea Chriſtus in paſſione ſua ſatisfaciendo arguit vtrumque, ſcilicet pœnam, & culpam, & manum ambobus ſcilicet in Patrem ſuum, & in hominem miſit, ambos reconciliando. Vel vtrumque arguit, ſcilicet diabolum & hominem, diabolum tamquam deceptorem, hominem tamquam tranſgreſſorem, &

A manum in ambobus miſit, diabolum feriendo, hominem eripiendo. Item opere damnationis, vt in inferno. Item correctionis in purgatorio. De vtroque dicitur in Pſalmo: Domine ne in furore tuo arguas me, *Pſal. 6. a* ſcilicet in inferno, neque in ira tua corripias me, in purgatorio.

## SERMO II.

*Princeps mundi huius iam iudicatus eſt.* *Ioan. 16. b* Princeps amator mundi diabolus eſt, ſub cuius principatu ſunt omnes iniqui. Qui B quidem iam iudicatus eſt, & tamen quotidie operatur, vnde grauius iudicetur. Cum autem princeps debeat eſſe fidelis, pacificus, clemens, iuſtus, princeps tenebrarum totum contrarium habet. *Princeps qualis debeat eſſe.* Fraudulentiſſimus eſt in promiſſione, inquietiſſimus in tentatione, crudeliſſimus in perditione, iniuſtiſſimus in retributione. De primo: *Ier. 6. g* Omnes iſti principes declinant, ambulantes fraudulenter, *et cet.* Principes iſti ſunt dæmones, qui vere fraudulenti ſunt: promittendo enim dignitates, voluptates, diuitias, longam vitam, finalem pœnitentiam, multos decipiunt. Gregorius: Diabolus modo aliorum facta C grauiora, modo nil eſſe, quod perpetratum eſt, modo miſericordem Deum loquitur, modo ſubſequens tempus ad pœnitentiam pollicetur, vt per hoc decepta mens abducatur ab intentione pœnitentiæ, & ſuſpendatur: *Prou. 21. a* Conſilia impiorum fraudulenta, *et cet.* O quanta fraudulentia, cum maxime arrident homini in proſperitatibus, vt fallant laſciuijs, & vanitatibus, tunc maxime timendi ſunt. Cyprianus: Diabolus blanditur, vt fallat, arridet vt noceat, allicit vt occidat. Hoc ſignificatur in Ioab principe qui Amaſam *2. Reg. 20. c* oſculando interfecit. Oſculum diaboli falſa ſecuritas peccatoris. Libentius deberes a Chriſto caſtigari, D quàm a diabolo oſculari: *Prou. 27. a* Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta odientis oſcula. Econtrario Chriſtus princeps fideliſſimus eſt, qui cogitationes fraudis neſcit: *Iſa. 32. b* Princeps vere ea, quæ digna ſunt principi, cogitabit. De ſecundo: *Epheſ. 6. b* Induite vos armaturā Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, *et cetera.* Bene indigemus, vt armemur virtutibus, quia principes iſti ſemper nos armati impugnant, ſicut ſignificatum eſt. Dicitur: *Ezec. 23. d* Omnes principes principum & nominati aſcenſores equorum inſtructi ve- E niunt ſuper te, & inſtructi curru, & tota multitudo populorum lorica, & clypeo, & galea armabuntur contra te vndique. Principes principum ſunt princeps dæmonum. Equi autem dæmonum ſunt peruerſi, quos de vitio ad vitium nunc equitant, donec ſimul in infernum cadant: *Exo. 15. a* Equum & aſcenſorem proiecit in mare. Currus autem diaboli eſt mala ſocietas, quæ voluntate & operatione, & conſuetudine & obſtinatione corrupta, quaſi quattuor rotis ſimul currit. Multitudo populorum eſt multitudo impiorum, per quos diabolus animas impugnat, qui armati ſunt lorica malæ conſuetudinis, clypeo obdura- F tionis, galea præſumptionis, qui præſumunt nimis de Dei miſericordia, vel finali pœnitennia. Econtrario Chriſtus eſt princeps pacificus: *Chriſtus princeps pacificus.* Factus eſt principatus, *et cetera.* *vſque* princeps pacis, *et cet.* De tertio: *Iſa. 9. b* Leo rugiens, & vrſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem. Peccatores vero ſunt pauperes virtutibus, & bonis operibus, ideo paucos habent amicos animæ: *Prou. 28. c* Fratres hominis pauperis oderunt eum, & inſuper amici procul receſſerunt ab eo. *Prou. 19. a* Etiam proximo ſuo pauper odioſus eſt. *Nota ergo *Ibid. 14. c* quid fratres, & amici, & proximus ſpernentes ſemper pauperem virtutibus. Fratres ſunt ſancti, amici ſunt angeli, proximus Chriſtus, talibus pauperibus eſt diabolus ſicut leo rugiens, & vrſus eſuriens in morte.



morte. Gregorius: Magnis quotidie fletibus cogitandum eſt, quàm ſeuerus, quàm terribilis in die noſtri exitus princeps huius mundi veniat, qui etiam ad Dominum in carne morientem venit. Econtrario Chri- *Apoc. 1. b* ſtus princeps clementiſſimus eſt: Princeps regum ter- *Eccls. 10. b* ræ, qui dilexit, *et cet.* De quarto: Eſt malum quod vidi ſub ſole per errorem egrediens a facie principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum. Stulti enim ſunt peccatores, qui per principem malum ſimonijs, vſuris, rapinis, & alijs iniuſtis modis in honoribus, & rebus exaltantur, & diui- *Iob. 2. c* tes virtutibus humiliantur, ſicut Iob ſedens in ſterquilinio. Item princeps iſte maxime ſeruientes ſibi ad maxima tormenta rapit in futuro: quod licet iuſtum ſit ex parte hominis patientis, iniuſtum tamen eſt ex parte diaboli agentis. Agit enim hoc non iuſtitia, ſed inuidiæ zelo. Vnde grauiſſimum eſt ipſi ſeruire. Auguſtinus: Graue eſt offenſo ſeruire, qui nullo placatur obſequio. Econtra Chriſtus princeps iuſtiſſimus, qui ſibi ſeruientes iuſte remunerat in futu- *1. Pet. 5. b* ro: Cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam. Nota de appari- *Pſal. 16. d* tione, quòd in ea Dauid ſatietatem, Ioannes ſimilitu- *1. Ioan. 3. a* dinem, Palus vitam, Petrus coronam immarceſſibi- *Coloſ. 3. a* lem promittunt. Ipſe erit nobis corona in æternitate, vita in charitate, ſimilitudo in cognitione, ſatietas in fruitione.

## SERMO III.

*Ioan. 16. b* *Cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Videns Dominus noſter Ieſus Chriſtus diſcipulos ſuos deſolari de ſua abſentia corporali, in remedium deſolationis in verbo propoſito promitit eis regale xenium, imperiale donum, ſcilicet Spiritum ſanctum, quo habito, non eſt locus deſolatio- D nis & mœſtitiæ, immo conſolationis, & lætitiæ. Vt autem eorum animos in eius concupiſcentiam prouocet, deſcribit eum quantum ad triplicem proprietatem, quæ omnē animam deſiderio ſui in eius amorem trahit. Primo deſcribit eum quantum ad benignitatem, propter communicatiuam præſentiam maieſtatis altiſſimæ. Secundo quantum ad nobilitatem propter excellentiam dignitatis perſonæ. Tertio quantum ad liberalitatem, propter redundantiam copioſitatis doctrinæ. Primo deſcribit eum, vt benigniſſimum propter communicatiuam præſentiam altiſſimę maieſtatis, cum dicit: *Cum venerit.* Vere magna be- E nignitas, quia talis & tantus doctor non dedignatur venire ad ſuos diſcipulos, contra conſuetudinem aliorum magiſtrorum. Secundo deſcribit eum, vt nobiliſſimum, propter excellentiam dignitatis perſonæ, cum ſubdit: *Ille ſpiritus veritatis.* Nihil enim excellentius, nihil pretioſius, nihil nobilius Spiritu ſancto. Tertio deſcribit eum, vt liberaliſſimum, propter redundantiam copioſitatis doctrinæ, cum ſubinfert: *Docebit vos omnem veritatem.* De iſto tam fortiſſimo doctore omnes riui ſapientiæ, & ſcientiæ deriuantur.

Dicit ergo: *Cum venerit.* Vbi deſcribit eum quan- F tum ad benignitatem propter communicatiuam præſentiam altiſſimæ maieſtatis. Si quæratur ratio quare ille benigniſſimus ſpiritus dignatur ad ſuos diſcipulos venire: Optime reſpondetur quòd ſua benignitas eſt ratio præcipua. Nam ratione benignitatis ſuæ venit iſte ſpiritus. Primo vt medicus totius experientiæ, propter collationem ſpiritualis, & corporalis vitæ. Secundo vt magiſter totius ſapientiæ, propter inſtructionem vtilis doctrinæ. Tertio vt rex totius opulentiæ, propter amotionem totalis indigentiæ. Primum eſt reſpectu infirmorum. Secundum reſpectu ignorantium. Tertium reſpectu pauperum. Primo venit vt medicus totius experientiæ, propter



A collationem ſpiritualis, & corporalis vitæ. O quàm peritus eſt ille medicus, qui mortuos ſpiritualiter, & corporaliter viuificat, & omnem languorem curat, ſine ferro, & ſine igne, ſed ſolo ſuæ voluntatis beneplacito. Vnde: *Ezec. 37. c* Veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant, ſcilicet a morte culpæ per collationem gratiæ. Vnde ſicut corpus eſt mortuum ſine anima, ſic & anima ſine Spiritu ſancto. Secundo venit, vt magiſter totius ſapientiæ, propter inſtructionem vtilis doctrinæ. Ipſe enim eſt fontale principium omnis ſcientiæ, & ſpecialiter Chriſtianæ doctrinæ, ſiue propheticæ, ſiue Apoſtolicæ: docet B enim rectam legem. Et propter hoc dicitur: *Sap. 7. a* Optaui & datus eſt mihi ſenſus, & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, & præpoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Quia Spiritus ſanctus, licet ſit liberalis, & largus in dando, quia etiam eſt prudens, & diſcretus in diſpenſando, ideo ad hoc, vt aliquis ab ipſo magnum beneficium impetret, requiritur conuenientia debitæ diſpoſitionis ex parte ſui. Et propter hoc dicitur: optaui vehementi deſiderio amoris, & inuocaui cum deuotione in oratione. Et tunc datus eſt mihi ſenſus diſcretionis, & prudentiæ, & venit in me ſpiritus illu- C minantis ſapientiæ. Et præpoſui illam omnibus rebus temporalibus, eo quòd nihil ſunt in comparatione illius. Nam ſi Scriptura ſileret, experientia doceret, quia cunctę res non ſatiant appetitum animæ rationalis, eo quòd homines his omnibus adeptis ardentiores ſunt in acquirēdo: & ideo nihil manifeſtius quàm horum acquiſitio, vel poſſeſſio plus habet fatuitatis, & indigentiæ, quàm ſoliditatis & ſufficientiæ. Vnde in eis numquam ſiſtit appetitus, quia non inuenit ſoliditatem. Sed ſpiritus ſapientiæ eſt totius animæ cōpletiuus, & moderatiuus; ita enim inebriat animam, vt in omnibus operibus ducatur ſobrie. Tertio venit D vt rex totius opulentiæ, propter amotionem totius indigentiæ. Vnde: *Act. 2. a* Factus eſt de cælo ſonus tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Vnde ſequitur: Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Ita enim Spiritus ſanctus Apoſtolos virtutibus, & donis & muneribus adimpleuit, & opulentauit, vt in nullo egerent, cum eos conſtituit heredes, & reges regni cælorum, & principes fidei Chriſtianæ. Eſt enim qui ſuſcitat de *1. Reg. 2. b* terra auaritiæ auarum, & inopem, & erigit de ſterco- *Pſ. 112. a* re immunditiæ peccatorem & pauperem, vt opulentatus veris diuitijs gratiæ, ſedeat cum apoſtolicis prin- E cipibus, & ſolium gloriæ teneat in cæleſti patria. Sequitur:

*Ille ſpiritus veritatis.* Vbi deſcribit eum ſecundo principaliter, quantum ad nobilitatem, propter excellentiam dignitatis perſonæ. Ille enim ſpiritus ratione ſuæ dignitatis, & excellentiæ eſt primo admirabilis in incipientibus, propter purgationem ſpiritualem omnium peccatorum. Secundo venerabilis in proficientibus propter fidelem diſpenſationē chariſmatum donorum. Tertio deſiderabilis in peruenientibus, propter mentalem refectionem ſuauium ciborum. Ratione primi, virtutis ſummæ. Ratione F ſecundi, æquitatis perfectæ. Ratione tertij, bonitatis ſupremæ. Primo ille admirabilis ſpiritus eſt in incipientibus, propter ſpiritualem purgationem omnium peccatorum. Vnde ſanctus vocabitur omnis qui ſcri- *Iſa. 4. a* ptus eſt in vita in Ieruſalem: Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem tulerit de medio eius in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris. Dicitur Spiritus ſanctus ſpiritus iudicij, in quantum imprimit in animam timorem diuinæ ſeueritatis, ſed ſpiritus ardoris, inquantum eleuat ad amorem bonitatis, his ductus, ſcilicet timore & amore, abluit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem; ideſt maculas peccatorum ſpiritualium, & carnalium. Ad illud balneum debent accedere omnes peccatores

ſordibus inquinati. Secundo eſt venerabilis in proficientibus propter diſpenſationem fidelem chariſmatum donorum. 1.Cor.12.a Vnde: Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & poſt enumerationem donorum & gratiarum ſequitur: Hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Spiritus ſanctus diſtribuit omnia bona ſecundum noſtrum meritum, & ſuam complacentiam. Vnde licet diuerſi, diſtincti, & multiplices riuuli a fonte egrediantur, tamen vnus eſt fons, qui ſine defectu ſe multiplicat. Sic ab vno fonte æterno, ab vno paradiſo, ab vno Spiritu ſancto, ſine ſui defectibilitate egrediuntur diuerſi riuuli gratiarum, donorum, & beati- B tudinum. Tertio eſt deſiderabilis in peruenientibus, propter mentalem refectionem ſuauium ciborum. Sap. 12. a Vnde poſſunt dicere ſancti in patria: O quàm bonus, & ſuauis eſt ſpiritus tuus in nobis Domine! Vnde bene coniungitur bonum ſuaui. Nam eſt bonum quod non eſt ſuaue, ſicut timor pœnæ, & eſt ſuaue quod non eſt bonum, ſicut voluptas laſciuiæ, ſed totum bonum dixit, qui bonum ſuaui coniunxit, dicendo: O quàm bonus eſt, & ſuauis. Sed quia vix inuenitur aliqua delectatio terrena, quæ non ſit reſperſa amaritudine, vel præ frequenti aſſuetudine generet faſtidium, Eccli.24.c ideo diuina ſapientia Chriſti dicit: Spiritus meus ſu- C per mel dulcis. Spiritus meus qui a me procedit ſuper mel dulcis, ideſt ſuper omnem delectationem creaturæ. Nam mel in genere creaturæ habet dulcedinem. Vnde dulcedo Spiritus ſancti ſic dulciter reficit, vt perfecte animam ſatiet, nec generat faſtidium, immo continuat deſiderium.

Vltimo deſcribit eum, quantum ad liberalem redundantiam copioſitatis doctrinæ, cum ſubinfertur: *Docebit vos omnem veritatem*. Ratione enim ſuæ redundantiæ, & copioſitatis doctrinæ, docet iſte ſpiritus triplicem veritatem, ad quam omnis veritas poteſt reduci. Primo enim docet fugere deformitatem cul- D pæ, propter timorem diuinæ ſeueritatis. Secundo omnia facere ſine acceptione perſonæ, propter amorem iuſtitiæ, & æquitatis. Tertio appetere inhabitationem cæleſtis patriæ, propter viſionem diuinæ maieſtatis. Primum eſt reſpectu ſui. Secundum reſpectu proximi. Tertium reſpectu Dei. Et ſic cum doceat iſte ſpiritus fugienda mala, propter diuinæ reuerentiæ timorem, operando bona, propter amorem iuſtitiæ, & appetenda cæleſtia, propter fruitionem ſapientiæ, & per hæc tria ordinetur homo ad ſeipſum, ad proximum, & ad Deum: recte poteſt dici quòd docet omnem veritatem. Primo docet fugere mala E propter timorem diuinæ reuerentiæ. Vnde in Pſal- Pſal. 33. c mis: Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. Et ſequitur: Declina a malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam. Quia timor Domini eſt initium, & primarium fundamentum omnis boni, ideo Spiritus ſanctus tamquam verus Magiſter, primo docet quemlibet ſuum diſcipulum timorem Domini, per quem declinat homo a malo, & facit bonum iuſtitiæ, & inquirit, & ſequitur bonum pacis in conuerſatione. Secundo docet facere bonum pro- Sap. 8. a pter amorem iuſtitiæ. Vnde: Sobrietatem enim, & iuſtitiam docet veritatem, & prudentiam. Quia du- F plex eſt iuſtitia, ideſt quantum ad ſeipſum, & quantum ad proximum: ideo Spiritus ſanctus primo docet prudentiam, & ſobrietatem modeſtiæ in vtendo, quantum ad ſeipſum. Secundo docet veritatem iuſtitiæ in reddendo, quantum ad proximum. His duobus nihil vtilius eſt hominibus ad conſummationem vitæ ſpiritualis. Tertio docet appetere cæleſtia, propter deguſtationem diuinæ ſapientiæ. Docuiſti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iuſtum eſſe, & humanum, & bonæ ſpei feciſti filios tuos. Spiritualiter autem iſta auctoritas intellecta, poteſt ad præſens ſic exponi, vt dirigatur verbum ad Spiritum ſanctum: Docuiſti populum tuum, ideſt Chriſtianum

A fidem per talia opera miraculoſa, quo modo iuſtum eſt, & humanum, vt per effectum deueniamus in cognitionem cauſæ, & per viſibilia ad inuiſibilia, tamquam animales, & ſenſibiles reducamur, eo quòd vera cognitio in via incipit a poſteriori, & bonæ ſpei feciſti filios tuos in expectando cum deſiderio futuram gloriam. Spes enim cæleſtis patriæ excitat in filijs Dei concupiſcentias æternas. Et de hoc ſimiliter dicitur: Sicut docuit vos, manete in eo, vt cum apparuerit 1.Ioan.2.d habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius. Rogemus ergo, *et cet.*

## SERMO IV.

*SPiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Ioan. 16. b Attende quis, quos, quid doceat. Quis, non homo, non angelus, ſed Spiritus ſanctus. Quos, non beſtias, non quoſlibet indignos, ſed vos Apoſtolos, vos humiles. Quid, non falſum, non vnam tantum, ſed omnem veritatem. Circa primum, nota quòd Pater nos docet: Erunt omnes docibiles Dei. Omnis, Ioan. 6. e qui audiuit a patre & didicit, venit ad me. Si non vis C diſcere a patre æterno, diſcas ſaltem a vili vermiculo. Vade ad formicam o piger, & conſidera vias eius, & Prou. 6. a diſce ſapientiã, *et cet. vſque:* congregat in meſſe cibum ſibi. Sic & nos bona opera, & bona merita congregare deberemus, vnde æternaliter cibaremur. Item Filius nos docet: Quotidie apud vos eram in templo Mat. 26. f docens: non docet in ſtabulo, nec in cloaca diaboli, ideſt in corde ſordido, ſed in templo cordis deuoti, in quo adorationes, ac oblationes votorum, & deſideriorum bonorum fiunt. Hieronymus: Bonum Chriſti templum eſt anima credentis, illam exorna, illam veſti, in illa offer donaria, in illam Chriſtum D ſuſcipe. Spiritus ſanctus docet nos ſicut hic dicitur: Vnctio eius vos docet in omnibus. 1. Ioan. 2. d Sed heu, vnctionem iſtam vanæ cogitationes, praua deſideria, ſæculares præoccupationes ſæpe impediunt: Muſcæ mo- Eccls.10.a rientes perdunt ſuauitatem vnguenti. Magna ſtultitia, pro muſca dare columbam Spiritus ſancti. Circa ſecũdum nota quòd dicitur: *Docebit vos.* Vos, inquam, tam habiles, vos vtique humiles cõtra proſperitatem, vos mites contra aduerſitatẽ, vos ſpirituales contra ſenſualitatẽ. De primo: Vbi eſt doctor paruulorum, ideſt Iſa. 33. e humilium: Reuelaſti ea paruulis. Mat. 11. d Pſalmiſta: Intellectũ dat paruulis. De ſecũdo, Pſalmiſta: Docebit mites vias Pſal. 118. r E ſuas. Pſal. 24. b Spiritus ſanctus in columba apparuit, quæ eſt auis mitiſſima. Diſcipulos ergo eius etiam columbinos, & mites eſſe oportet, non contentioſos, non iracundos. Sed certe non ſufficit quòd ſis mitis ad tolerandum niſi etiam ſis feruens ad operandum, mitis ſis contra iniuriam, feruens ad iuſtitiam. Gregorius: Spiritus ſanctus in igne demonſtrari debuit, & in columba, quia cor quod eius gratia tingitur, & manſuetudinis lenitate tranquillum, & zelus iuſtitiæ accenſum facit. De tertio: Quem docebit ſcientiam, Iſa. 28. c & quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, auulſos ab vberibus. Lac eſt carnalis delectatio, F duo vbera, duplex concupiſcentia, ſcilicet exterior in ſenſu, & interior in affectu. De his lactantur peccatores: Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt Thren. 4. a catulos ſuos. Lamia eſt ſenſualitas. Et dicitur lamia quaſi lania, dicitur enim laniare proprios catulos, ſic ſenſualitas carnalis. Vel catuli qui lactantur ab vbere exteriori ſunt quinque ſenſus, qui autem de interiori, ſunt deſideria praua. Circa tertium nota quòd docet triplicem veritatem, videlicet doctrinæ. Pſalmiſta: Pſal. 93. b Qui corripit gentes, *et cet.* Docet te vt a te doceatur proximus: Qui autem docti fuerint, *et cet.* Dan. 12. a Sicut autem qui ad iuſtitiam erudiunt alios, erunt quaſi ſtellæ lucentes in cælo, ſic qui ad iniuſtitiam erudiunt alios quaſi faculæ ardentes in inferno: Cecidit de cælo Apoc. 8. c ſtella



ſtella magna ardens tamquam facula, hic eſt maius hæreticus, vel malus conſiliarius. Item docet verita- Sap. 8. a tem vitæ: Sobrietatem enim, ideſt prudẽtiam docet, & iuſtitiam & veritatem, quibus nihil vtilius eſt in vita hominibus. Sobrietatem pro temperantia, virtutem pro fortitudine ponit. Hæ ſunt virtutes Cardinales de quibus Iſidorus: Prudentia eſt bona virtus, qua bona a malis diſcernuntur. Fortitudo eſt, qua AuctorCẽt. 3.p.ſcet.41 to.4. aduerſa æquanimiter tolerantur. Temperantia eſt, qua libido, cõcupiſcentiaq. refrenãtur. Iuſtitia eſt qua recto iudicio ſua cuique diſtribuuntur. Item docet Ioel. 2. f veritatem iuſtitiæ: Lætamini in Domino, quia dedit nobis doctorem iuſtitiæ. Spiritus malignus docet calumnias & iniquitates, quæ in iudicijs fiunt non ſo- Iob 15. a lum factis, ſed etiam verbis: Docuit iniquitas os tuũ, 3.Reg.3. b *et cet.* ſed Spiritus ſanctus docet iuſtitias: Dabis ſeruo tuo cor docile, vt poſſit iudicare, & diſcernere inter bonum, & malum. Item de doctrina huius tripli- Pſal. 118. i cis veritatis in Pſalmis: Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Scientiam doctrinæ, bonitatem vitæ, diſciplinam iuſtitiæ.

## DOMINICA QVARTA POST OCT. PASCHÆ

### SERMO I.

Ioan. 16. d *PEtite, & accipietis, vt gaudium veſtrum plenum ſit*. Licet tantæ ſit liberalitatis, & diffuſionis diuina bonitas, vt etiam alios ad accipiendum quæque ſua pretioſa inuitet, tamen quia propter prudentiam diſcretionis, quæ inſimul habet cum affluentia diffuſionis, nulli dat ſua D pretioſa dona gratiæ niſi diligenter ſe præparet: ideo Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad hoc, vt diſcipuli ſui idonei eſſent ad recipiendum influentiam diffuſiuæ bonitatis, in verbo propoſito eos, & in eis quemlibet noſtrũ inuitat. Primo inducit ad conuenientem congruentiã debitæ præparationis, ex parte noſtri. Secundo aſſerit liberalem affluentiam ſupernæ diffuſionis, ex parte Dei. Tertio aperit vtilem efficaciam, ex parte doni. Primo conuenientia debitæ præparationis ex parte noſtri notatur, cũ dicitur: *Petite.* Nulla enim melior præparatio ad impetrandum diuinam gratiam, quàm petitio deuotæ orationis. Secundo notatur affluentia ſupernæ diffuſionis, ex parte Dei, cum ſubditur: *Et accipietis*. E Quaſi diceret, tantæ liberalitatis, & diffuſionis eſt diuina bonitas, vt in nobis ſit accipere. Tertio notatur efficacia completæ perfectionis ex parte doni, cum ſubinfertur: *Vt gaudium veſtrum plenum ſit.*

Dicit ergo: *Petite*. Vbi nos inducit ad conuenientem congruentiam debitæ diſpoſitionis ex parte noſtri. Ille enim debite ſe diſponit ad diuinam gratiam quantum eſt de ſe, qui petit. (Quo modo Deo ſit petendum.) Primo ſinceriter, cum rectitudine conſcientiæ, in declinando mala. Secundo prudenter, cum diſcretione prudentiæ, in eligendo bona. F Tertio fiducialiter, cum certitudine confidentiæ, in expectando futura. Primo: *Petite*, ſinceriter, cum rectitudine conſcientiæ, in declinãdo ma- 1.Ioan.3.d la. Vnde: Chariſſimi ſi cor noſtrum non reprehendit nos, fiduciam habeamus ad Deum, vt quæcumque petierimus, accipiemus ab ipſo. Sicut enim ſol cum eſt aer depuratus, per reſolutionem nubium, emittit ſuos radios, & claritatem ſui luminis per aera diffundit circumquaque, ſic Deus ſol iuſtitiæ in cor mundum & rectum, in quo non eſt remorſus conſcientiæ, infundit dona ſuæ gratiæ abundanter. Non eſt enim conueniens, vt cæleſte aroma gratiæ ponatur in fœtido vaſe cordis. Secundo: *Petite*, prudenter, cum diſcretione prudentiæ, in eligendo bona.

A Vnde de Salomone dicitur: Quia poſtulaſti verbum 3.Reg.3. b hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti ſapientiam tibi, ad diſcernendum iudicium, ecce feci ſecundum ſermones tuos, quaſi dicat Deus: Quia non petiſti diuturnitatem vitæ, vt eleuareris in ſuperbiam: nec cupiditatem pecuniæ, vt deprimereris per auaritiam, nec impietatem vindictæ, vt peruertereris per inuidiam, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum, & eligendum bonum gratiæ a malo culpæ, ideo petitionem tuam effectui mancipaui. De hoc ſimiliter poteſt exponi illud: Quæ eſt petitio tua Eſther, & Eſther.7.b B quid vis tibi fieri? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris dabo tibi. Et ait: *Si* inueni gratiam coram te, da mihi animam meam, & populum pro quo rogo. Si ergo iſta ſapiens mulier propoſuit ſalutem corporis ſui, & proximorum regnis & ſedibus, multo fortius nos debemus proponere ſalutem animæ omnibus bonis terrenis, eo quòd plus eſt anima quàm cor- Mat. 16. d pus, nec prodeſt quidquã homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum mortis patiatur, quia nulla commutatio poteſt dari pro anima. Tertio: *Petite*, fiducialiter cum certitudine confidentiæ, in expectando futura. Vnde: Hæc eſt fidu- 1.Ioan.5.c C cia quam habemus ad Deum, quòd quæcumque petierimus ſecundum voluntatem eius, audiet nos, & ſcimus, quia audiet nos, quæcumque petierimus. Quando eſt aliquis naturaliter diffidens de ſua impotentia, confidenter recurrit ad diuinam clementiam: ſtatim miſericors Deus aures ſuæ pietatis ad exaudiendum eius preces clementer inclinat, dum tamen non petatur quod ſit contrarium ſaluti ſuæ, vel proximi: quia talis petitio diſpliceret oculis diuinæ maieſtatis, nec inclinaret dulcedinem pietatis, immo irritaret rectitudinem æquitatis. Et propter hoc dicitur: Pe- Iac. 4. c titis & non accipitis, eo quòd male petatis. Quod D fit quando petitur aliquid quod ſit contrarium ſaluti ſuæ, vel proximi, quia adeo diſplicet Deo, ſicut qui alicui regi peteret, vt faceret ſibi vituperium, vel opprobrium. Sed quia vitia ſub ſpecie virtutum aliquando offeruntur, & ſub quadam ſimilitudine, quæ mater eſt falſitatis, animus concitatur, ideo multi in ſui petitione decipiuntur.

Sequitur: *Et accipietis*. Vbi ſecundo aſſerit liberalem affluentiam ſupernæ diffuſionis. Iuxta triplicem enim diſpoſitionem prædictam, accipient triplex donum ab affluentia diuinæ liberalitatis. Nam primo petentes ſinceriter cum rectitudine conſcientiæ, in declinando malum, accipient claritatem ſapientiæ di- E rigentis animam, quantum ad rationalem. Secundo petentes prudenter, cum diſcretione prouidentiæ negligendo bonum, accipient pretioſitatem gratiæ diuinitatis ſtabilientis animam, quantum ad concupiſcibilem. Tertio petentes cum certitudine confidentiæ, in expectando futura, accipient ſoliditatem conſtantiæ roborantis animam, quantum ad iraſcibilem. Vt ſic per iſta tria dona configuretur anima ſecundum omnes ſui potentias illi beatæ Trinitati. Primo accipientes claritatem ſapientiæ dirigentis animam, quantum ad rationalem. Vnde: Accipite di- Prou. 8. b F ſciplinam meam, & non pecuniam, doctrinam magis quàm theſaurum eligite. Melior eſt ſapientia cunctis opibus, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari. Et quia verbum doctrinæ, ſine exemplo vitæ eſt vanum, & exemplum vitæ ſine documento doctrinæ eſt parum, ſed vtrumque perfectum, ideo dicit: Accipite primo diſciplinam vitæ, & poſtea magiſterium doctrinæ, & tunc doctrina intelligentiæ, & vita diſciplinæ præponenda eſt cunctis operibus, quoniam iſtæ opes terrenæ non illuminant, immo adeo oculos auaræ mentis denigrant, & obcæcant, vt reputet eſſe in tenebris lucem. Vnde Seneca: Inflant diuitiæ animi ſuperbiam, pariunt inuidiam, & contrahunt, & vſque eo mentem alienant, vt nos etiam nocitura delectent.

delectent. Doctrina autem ſapientiæ adeo animam perfecte illuminat & dirigit, vt cognoſcat quanta ſit diſtantia inter tenebras culpæ, & lucem gratiæ, vt *Iſa. 7. c* ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Secundo accipientes pretioſitatem gratiæ diuinitatis ſtabilientis animam, quantum ad concupiſcibilem. Vnde: *Rom. 5. c* Abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt. Accipientes abundantiam gratiæ in benigna adoptione, & donationes in chariſmatum Spiritus ſancti repletione, & iuſtitiæ in bonorum operũ promotione locupletati, gratiæ abundantia virtutibus, & bonis operibus, regnabunt tamquam heredes, & reges regni cælorum in vita gloriæ. Tertio accipientes ſoliditatem conſtantiæ roborantis ani- *Epheſ. 6. c* mam, quantum ad iraſcibilem. Vnde: Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die mala. Non enim poteſt humana fragilitas, obtenta cognitione fidei in ſanctificatione Dei perſeueranter reſiſtere, niſi per virtutem conſtantiæ roboretur. Vnde humana infirmitas intuitu fragilitatis molleſceret per puſillanimitatem timoris, in expectando futura, & in aggrediendo ardua, fracta anchora ſpei, naufragium intraret, ideo Apoſtolus inuitat ad accipiendam armaturam conſtantiæ, & fortitudinis, ſcilicet diuinum adiutorium, quo præmuniti, & protecti, poſſunt faci- C liter reſiſtere in die mala, & perſeuerare in omni bono. Inſurgant ergo procellæ inuidiæ: quia virtute huius armaturæ effugantur aſtutiæ dæmonum: quia tegmine huius adiutorij, confundentur violentiæ Ægyptiorum: quia fortitudine huius patroni ſubmerguntur peſtilentiæ inimicorum ſpiritualium.

Vltimo notatur efficacia completæ perfectionis ex parte Dei, cum ſubinfertur: *Vt gaudium veſtrum plenum ſit*. Tunc experiemur illam efficaciam completæ perfectionis, quando iuxta prædictum acceptum donum gratiæ, accipiemus triplex gaudium gloriæ, eo quòd omne aliud gaudium noſtrum poteſt ad hoc re- D duci, tamquam ad plenum & perfectum. Primo enim accipientes claritatem ſapientiæ illuminantis, gaudebunt veraciter de aperta viſione primæ veritatis. Secundo accipientes pretioſitatem gratiæ diuinitatis, gaudebunt dulciter de quieta fruitione ſupernæ delicioſitatis. Tertio accipientes ſoliditatem conſtantiæ, gaudebunt perpetualiter de firma tentione diuinæ immobilitatis. Et in iſtis tribus dotibus, in quibus imago gloriæ conſiſtit, plenum & perfectum gaudium reperitur. Primo gaudebunt ſancti veraciter de aperta viſione primæ veritatis. Vnde in Pſal- *Pſal. 15. c* mis: Adimplebis me lætitia in gaudio cum vultu tuo. E Magna lætitia, & gaudio adimplebitur anima, quando videbit Deum facie ad faciem. In quo modo videndi non poteſt error interuenire, ſicut in modo videndi, qui eſt per ſpeculum in ænigmate in via. Vnde *Aug. li. 15. de Trinit. to. 3.* Auguſtinus de Trinitate: Veritatem ſine vlla difficultate videbimus, eaq. clariſſima, & certiſſima perfruemur, nec aliquid quæremus mente concionante, ſed *Iſa. 66. d* tenemus contemplante. De hoc ſimiliter: Videbitis, & gaudebit cor veſtrum. Secundo gaudebunt ſancti dulciter in quieta fruitione fraternæ ſuauitatis. Vnde: *Ibidem.* Gaudete cum Ieruſalem gaudio, qui lugebatis ſuper eam, vt ſugatis, & repleamini ab vberibus conſolatio- F nis eius, vt mulceatis ac delicijs affluatis. Quanto homo magis luget præ nimio deſiderio, ex dilatione ſupernæ Ieruſalem, tanto maiorem dulcedinem gloriæ ſuget ab vberibus diuinæ mulcebritatis, ex qua quidẽ dulcedinẽ gloriæ anima repleta, & perfuſa non tantum ſauciatur, immo inebriatur, & totaliter abſorbetur. Vnde Anſelmus: In gaudiũ Dei introibit, quòd ſi tantum ſaperet, & non mergeretur, & abſorberetur, adhuc poſſet inſurgere appetitus ad amplius capiendum. Tertio gaudebunt ſancti perpetualiter in *Iſa. 51. d* firma tentione diuinæ immobilitatis. Vnde: Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt. Vnde erit ſempiterna illa lætitia,

A & perpetuum illud gaudium, quia tunc ſancti adhærebunt vinculo indiſſolubiliter per amorem ſummo & incommutabili bono. Et propter hoc dicebat Chriſtus: Gaudium veſtrum nemo tollet a vobis. Ro- *Ioan. 16. e* gemus ergo, *et cet.*

## SERMO II.

*Ioan. 16. d* R*Etite & accipietis, vt gaudium veſtrum plenum ſit.* Si plenitudinem gaudij cæleſtis ſentiremus, ſtudioſiſſime eam peteremus. Nam ſi per petitionem plenum gaudium B in cælo quis non obtinebit, ſine petitione plenum ſupplicium in inferno ſuſtinebit. Conſidera ergo quadruplicem plenitudinem. [Plenitudo quadruplex] Plena enim miſericordia in mundo, plena iuſtitia in iudicio, plena lætitia in cælo, plena miſeria in inferno. De primo, Pſalmi- *Pſal. 32. a* ſta: Miſericordia Domini plena eſt terra. Miſericordia maxima nobis miſeris in mundo remiſſio eſt peccatorum, de qua Pſalmiſta: Miſerere mei Deus, *et cet.* *Pſal. 50. a* Hac miſericordia tam plena eſt terra, vt etiam nulli quantumcumque pleno peccatis denegetur, ſicut patet in illo debitorem decem millium talentorum: Mi- *Mat. 18. c* ſertus Dominus ſerui illius dimiſit eum, & debitum C dimiſit ei. Auguſtinus: Nullus de miſericordia Dei *Aug. de ſpir. & ani. ca. 6. to. 3.* deſperet. Maior eſt eius miſericordia, quàm noſtra miſeria. Tardius ſiquidem videtur ei veniam dare, quàm peccatori accipere. Hic dic quo modo in beneficijs naturalibus, & temporalibus, & ſacramentalibus, & ſpiritualibus, & quo modo non ſolum iuſtificando conuerſos, ſed etiam in tolerando peruerſos miſericordia Domini plena eſt terra: plurimos enim tolerauit, & adhuc tolerat in mundo, qui potius iam deberent ardere in inferno, ſi non miſericordia Domini plena eſſet terra, nonne & maligni ſpiritus paſſim homines iugularent? ſicut olim ſeptem viros Sar- *Tob. 3. b* D ræ: ſi non miſericordia Domini plena eſſet terra: Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti. *Thren. 3. c* De ſecundo, Pſalmiſta: Iuſtitia plena eſt dextera tua. *Pſal. 47. a* Iuſtitia vtique non ſolum impios damnare habet, ſed etiã pios coronare: Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, *2. Tim. 4. b* *et cetera, vſque*, iuſtus iudex. Quis coronabit iuſtos? numquid Abraam, vel Petrus, aut Ioannes? Non certe. Numquid ergo Gabriel, aut Michael? Nõ certe. Numquid regina cæli? Non vtique, immo iuſtus iudex ma- *Sap. 5. c* nu ſua: Accipient regnũ decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini, *et cet.* Vnde bene dicitur de illo, qui vo- *Apoc. 19. c* cabatur fidelis, & verax & cum iuſtitia iudicat, & pu- E gnat, quòd habebat diademata multa in capite, & gladiũ ex vtraque parte acutũ in ore, *et cet.* Require feria tertia poſt Pentecoſtẽ in expoſitione infra in ſermone: Oues illum. De tertio dicitur hic: *Vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Hanc plenitudinẽ neque oculus vidit, ne- *1. Cor. 2. b* que auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit. Quàm plenitudinem propheta cognoſcens, ait: Re- *Pſal. 64. a* plebimur in bonis domus tuæ. O quàm gaudium eſſet mendico ſi daretur ei domus plena omnibus bonis, quæ optare vellet? Et vere ſic in cælo. Vnde intrantibus terram promiſſionis dicitur: Poſſederunt *2. Eſdræ. 9. e* domos plenas omnibus bonis. Domos intellige illas, F de quibus: In domo patris mei mãſiones multæ ſunt. *Ioan 14. a* Nota quòd dicitur cunctis bonis, ideſt bonis totius Trinitatis, maxime bonis angelorum, bonis prophetarum & Apoſtolorum, bonis martyrum, Confeſſorum, bonis Virginum, pleni erimus: Super omnia *Mat. 24. d* bona cõſtituet eum, tunc ergo erit plenum gaudium. Anſelmus: Pleno corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine illo gaudio? adhuc ſupereſt gaudium. De quarto: Tollent omnes labores tuos, & *Ezec. 23. e* dimittent te nudam, & ignomina plenam, *et cetera.* & infra: Dolore repleberis calice mœroris, & triſtitiæ, calice ſororis tuæ Samariæ. Vnde dicitur: Tollent omnes labores tuos, ideſt bona tuo labore congregata. Res enim tollent heredes, corpus vermes, animam



mam dæmones. Sola enim peccata animæ remanebunt. Nudus quoque dimittetur homo, peccatorum tegumento tegetur, quod eſt ignominia & confuſio, bene ergo erit ignominia, & confuſione plena. Væ væ animæ damnandæ de calice ignominiæ de quoli- *Pſal. 10. b* bet in inferno. Pſalmiſta: Ignis, ſulphur, *et cet.* Duæ autem ſorores ſunt anima & caro, quæ ſimul in vtero vnius matris fuerunt, vnde vna ſoror, ſcilicet anima damnata, bibet calice mœroris, vſque in diem iudicij, alia ſoror, ſcilicet caro poſt reſurrectionẽ incipiet bibere de horribili calice cum ſorore. Tunc infelices ſorores, anima, & caro bibẽt generaliter in pœna quod ſimul perpetrarunt, ſeu commiſerant in culpa.

## SERMO III.

*Ioan. 16. d* I*Pſe enim pater amat vos*, & cetera. Si hoc dixiſſet nobis propheta, vel angelus, vel mater Chriſti, magna conſolatio eſſet: ſed ecce filius exiẽs de corde patris. Pſal- *Pſal. 44. a* miſta: Eructauit cor meum verbum bonum, filius inquam totum cor Patris ſciens, ait: *Ipſe pater amat vos*. Hunc patrem ſicut ipſe filius teſtatus eſt, habemus propitiatorem in mundo, ſuſceptorem in extremo, glorificatorem in cælo, amatorem ab *Mat. 6. b* æterno. De primo: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis, *et cet.* Vt autem pater iſte dimittat nobis, filius patrem pro nobis interpellat: *1. Ioan. 2. a* Aduocatum in cælo habemus apud patrem. Gregorius: Non in fletibus, non in actibus noſtris confidamus, ſed in aduocati noſtri allegatione. Quid mirum ſi patrem exoret pro nobis in cælo, qui pro crucifi- *Luc. 23. e* xoribus orauit in patibulo? Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt. De hoc verbo ait Auguſtinus: Quem petit? pro quibus? quis? vbi? Petit patrem filius, pro impijs crucifixus, inter ipſas iniurias mortis illatæ, pendens in cruce. In his tibi datur exemplum quàm integre, quàm magna voluntate, quàm cito debeas indulgere peccantibus in te. Integre, quia amicos tuos volentes te vindicare, oportet te rogare, vt dimittant, ſicut Chriſtus rogauit patrem. Magna voluntate, quia in mortis illatione. Cito, quia in eodem loco, vbi mortem patris, vel aliam iniuriam *Luc. 23. f* accipis. De ſecundo: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Hoc non ſolum in morte, ſed omni die orare debes. Securiſſimæ ſunt animæ, quæ *Ioan. 10. f* hac manu ſuſcipiuntur in morte: Nemo poteſt rapere de manu patris mei. Sed attende quòd debent eſſe lucidi per gratiam, qui manu Dei ſuſcipiendi ſunt *Apoc. 2. a* ad gloriam. Vnde bene ſeptem ſtellas in manu habuit, quem beatus Ioannes in medio candelabrorum aureorum vidit. Quicumque enim ſunt, tamquam candelabra lucentia, per iuſtitiam in mundo, eorum animæ erunt, tamquam ſtellæ clariſſimæ in manu *Sap. 3. a* Dei in cælo: Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. Quare autem ſeptem ſtellæ dicuntur, require ſupra in ſermone: Stetit Ieſus. Econtrario ſeptem alia per *Iſa. 19. a* ſeptem vitia capitalia peruerſorum: Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium. De tertio: *Mat. 20. c* Sedere autem ad dexteram, vel ad ſiniſtram non eſt meum, *et cet.* Sedent ad dexteram in contemplatione diuinitatis, ad ſiniſtram vero in contemplatione humanitatis Chriſti. Et quia vna ſine alia non eſt, ideo bene dicitur: Neſcitis quid petatis, cum per potum calicis, ideſt tolerantiam paſſionum, & aduerſitatum ad hanc ſeſſionem veniatur: et ideo dicit: Poteſtis *2. Cor. 4. d* bibere calicem, *et cet.* Illud enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis, *et cet.* Leue ergo erit fratres quidquid in aduerſis, & pœnitentijs ſuſtinemus, ſi gloriam iſtius ſeſſionis attendimus. Bernardus: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur, ad præſentem gratiam, quæ immittitur, ad futuram gloriã, quæ promittitur. De quarto: Dicitur hic: *Ipſe enim*

A *pater amat vos*. Quare? quia vos me amaſtis. Vnde: Ego diligentes me diligo. *Prou. 8. b* Hæc dilectio Dei patris optima perpẽdi poteſt per hanc parabolam: Quidam pater habuit duos filios, vnum innocentem, alium inſolentem. Iſte inſolens pro furto ducebatur ad patibulum. Pater illius tradidit bonum filium ſuſpendio pro malo, qui ſtans ſub patibulo, in quo frater ſuus pro ipſo ſuſpendebatur, iterum furabatur. Nota ad patibulum. Nota, iſte Pater, Deus Pater, duo filij ſunt Chriſtus, & homo. Sed homo pro ſcelere ſuo ducebatur ad patibulum inferni. Vnde Deus Pater amans ineffabiliter hominem miſertus, Chriſtum B pro homine tradidit in patibulo crucis: Sic Deus di- *Ioan. 3. b* lexit mundum, vt vnigenitum daret, *et cetera*. Auguſtinus: Suſpendendus erat, debitum eſt ſolutum pro eo, liberatus dicitur de ſuſpendio. Et quia alte pendebat in cruce, alte leuatur corpus eius in miſſa, vbi quaſi patibulum repræſentant brachia ſacerdotis ipſum leuantia. Et tu peccator ibi ſtans cum odio, & vſura & alijs vitijs, quæ non relinquis, iterum furaris animam tuam, & fidem & amorem quibus teneris Deo: & ideo in patibulo gehennæ ſuſpenderis, talis frater merito diligendus eſt nobis, vt nos pater diligat: Qui autem diligit me, diligetur a patre meo. *Ioan. 14. c* C

## SERMO IV.

N*Vnc ſcimus, quia ſcis omnia*. Diſcipuli Do- *Ioan. 16. d* mino loquuntur hic de duplici ſcientia. Videlicet, humana, dum dicunt: *Nunc ſcimus*. Et diuina, cum addunt: *Quia ſcis omnia*. Conſidera ergo quinque, quæ homo de Deo, & quinque, quæ Deus de homine ſcit. Scit homo, vel ſcire debet Dei poteſtatem, Dei veritatem, Dei bonitatem, Dei voluntatem, Dei ſeueritatem. De primo: Certamen forte dedit illi, vt vin- *Sap. 10. b* D ceret, & ſciret quoniam potentior eſt ſapientia, ſcilicet Chriſtus omnium vtique cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Vere potentior. Omnes enim potentes non poſſent creare vnum vermiculum, vel oculum. Scitote ergo, quòd maxima eſt illa poteſtas, qua omnia bona condidit. Pſalmiſta: Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, & quia infinita mala deſtruuntur: Vt autem ſciatis quòd filius hominis *Pſal. 99. a* habet poteſtatem, *et cetera*. De ſecundo: Magiſter *Mat. 9. a* ſcimus quia verax, *et cet.* immo veritas eſt, *et cet.* Ego *Ioan. 14. a* ſum via, veritas, & vita. Hæc veritas omnia nouit. Vnde hic dicitur: *Nunc ſcimus, quia ſcis omnia*. Nulla *Idem. 22. f* E ergo bona, nulla mala, veritatem vel ſcientiam Dei latere vel fallere poſſunt: Omnia videt oculus illius, *Eccli. 23. c* *et cet.* De tertio: Scio quia tu Deus clemens, & miſe- *Ionæ 4. a* ricors, patiens & multæ miſericordiæ, & ignoſcens ſuper malitiam. Scire autem poſſumus bonitatem non ſolum ex propitiatione peccatorum, ſed etiam ex redemptione cunctorum vitiorum: Scitis gratiam *1. Cor. 8. b* Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt, *et cet.* Item ex remuneratione electorum: Scio cui credidi, *et cet.* De quarto: Mitte illam *2. Tim. 1. c* de cælis ſanctis tuis, & a ſede magnitudinis tuæ, vt *Sap. 9. c* mecum ſit, & mecũ laboret, vt ſciam quid acceptum F ſit coram te. Sciam credenda, ſciam decem mandata, ſciam tuam in alijs voluntatem: Si hæc ſcitis, beati *Ioan. 13. b* eritis ſi feceritis ea. Sed væ ſcienti, & non facienti. Ait enim Ioannes Chryſoſtomus: Non poteſt eſſe ijs excuſatio damnationis ignorantia virtutis, quibus fuit inueniendi, facultas ſi fuiſſet quærendi voluntas. Væ etiam ſcienti, & non facienti: Seruus ſciens volunta- *Luc. 12. f* tem Domini, *et cetera*. De quinto: Sciat omnis caro *Ezec. 21. a* quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina ſua irreuocabilem. Gladius eſt ſententia damnationis, qui de vagina miſericordiæ educitur, cum vlterius peccatori non parcitur: Verebar omnia opera *Iob 9. d* mea, ſciens quòd non parceres delinquenti. Vides ergo nunc homo, quæ ſcienda ſunt tibi. Sed Bernardus

dus ait: Multa ſcienda non ſciuntur, aut ſciendi incuria, aut diſcendi deſidia, aut verecundia inquirendi. Et quidem huiuſmodi ignorantia non habet excuſationem. Circa ſecundum attende, quòd Deus ſcit aduerſa quæ ſuſtinemus, neceſſaria quibus indigemus, merita quæ habemus, tempora quæ timemus, *Apoc. 2. b* ſtipendia quæ recipiemus. De primo: Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam: ſed diues, *& cet.* In omnibus quæ pateris manifeſte, & occulte ſcit Dominus quanta, quare, quo modo patiaris. Scit enim an dura, an ſuauia, an iuſte, an iniuſte, an impa- *2. Mac. 6. g* tienter, an patienter pateris. Vnde Eleazarus ait: Domine, qui ſanctam habes ſcientiam, *& cet.* De ſe- *Mat. 6. b* cundo: Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis. Scit vtique non ſolum quæ corpori, ſed etiā quæ animæ ſunt neceſſaria. Scit quis fide, quis pœnitentia, quis patientia, quis charitate, & huiuſmodi in- *Sap. 9. c* digeat: Scit enim omnia illa, & intelligit. De tertio: *Ioan. 21. a* Tu ſcis quia amo te. Non ſolum ſi amas, verum omnia merita cordis, & operis ſcit Deus. Scit quoque *Pſal. 68. a* mala merita. Pſalmus: Tu ſcis inſipientiam. Scio *Apoc. 3. c* opera tua, quia neque frigidus, neque calidus, *& cet.* Scit certe non ſolum operationes, ſed etiam cogita- *Pſal. 93. b* tiones malas. Pſalmus: Dominus ſcit cogitationes hominum. Vnde bene ait Bernardus: Noli falli, nouit te Dominus tuus, & ſic te nouit, vt capillos tuos *Mat. 24. c* habeat numeratos. De quarto: De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque angeli cælorum, ſed ſolus Pater. Cum non ſolum diem, & horam iudicij, ſed etiam mortis neſciatis, ac ſi in illa die morituros vos *Luc. 12. e* ſciatis: Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret, *& cet.* *Sap. 8. b* De quinto: Signa & monſtra ſcit antequam fiant: Scit Deus omnia ſigna gloriæ, quæ iuſti in cælo, & omnia monſtruoſa tormenta, quæ impij habebunt in inferno.

# IN DIEBVS ROGATIONIBVS

## SERMO I.

*Eſther. 14. a* E*ſther Regina confugit ad Dominum, pauens periculum.* Secundum ſcripturas fuerunt aliqui philoſophi ita excellentis ingenij, habentes intellectum ita clarum, quòd deuenerunt in cognitionem Dei, ponentes vnum primum principium cauſam omnium rerum: verumtamen propter defectum luminis fidei errauerunt in hoc, quòd omnium prouidentiam Deo negauerunt, dicentes eum nullam de rebus habere prouidentiam, licet enim omnia concederent eſſe a Deo, tamen negabant eum omnia prouidere, regere, & gubernare, ſed dicebant omnia a caſu, & fortuna euenire. Sed iſti errauerunt, quia ſi ſic eſſet non oporteret negotiari, vel de aliquo conſiliari, nec Deum orando rogare, quia omnia æque bene neceſſario euenirent. *Pſal. 26. d* Sed mentita eſt iniquitas ſibi, quia ſicut in principio *Gen. 1. a* creauit Deus cælum & terram, ſic omnia regit, & ad proprios fines perducit: et ideo quidquid nobis accidit, ſiue peſtilentiæ, ſiue fames, ſiue tempeſtates, ſiue quodcumque aliud malum, totum eſt ex prouidentia diuina, vt ſuam iuſtitiam oſtendat, malos corrigendo & puniendo, & bonos per eaſdem tribulationes probando, & purgando, vt tamdem æternaliter coronet. Et ideo cum iam ſimus in periculo, confugiamus *1. Pet. 5. b* ad ipſum, iuxta illud Apoſtoli: Omnem ſolicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis, ſicut fecit illa ſancta mulier, quæ videns periculum populi ſui, confugit ad Dominum per orationem. Per quem etiam modum nos videntes periculum temporis imminere, debemus ad Deum confugere deuotiſſime, orando ſicut & iam de facto incœpimus, ducti exemplo huius mulieris de qua dicitur

A verbum aſſumptum: *Eſther Regina confugit ad Dominum, pauens periculum.* Vbi tanguntur tria ad impetrandum aliquid a Domino requiſita. Primo enim requiritur conſcientia bene ordinata, quia Eſther regina. Secundo requiritur quòd illa conſcientia ſit per fidem eleuata, quia confugit ad Dominum. Tertio cauſa, & ratio manifeſta, quia pauens periculum. Non enim Deus debet pro inutilibus, & vanis inuocari, ſed pro vtilibus & neceſſarijs. Et ſic poſſum dicere, quòd tria tanguntur in verbis aſſumptis, cauſa noſtræ congregationis apparens, & manifeſta, quia pauens periculum.

Requiſita ad impetrādū aliquid a Domino.

B Quantum ad primum. Nota quòd Eſther interpretatur abſcondita, vel abſcondens, per quod intelligimus conſcientiam bene ordinatam, & in domo clauſam, non deordinatam, non diſcurrentem, non fronte eleuatam per vicos, & plateas tranſuadentē, quia talis non poteſt aliquid impetrare a Deo, quia talis conſcientia, ſeu talis homo eſt ſicut imagines in foribus Eccleſiarum, quæ non poſſunt in ſua pulchritudine permanere eo quòd exponuntur ventis, & pluuis: ſic talis homo diſcurrens exponit ſe per ſuos diſcurſus ventis tentationum, & pluuijs voluptatum; ſe per peccatū deturpat, & hoc ex eo quòd ſe, & alios C ad peccatū trahit, ſed imagines intra Eccleſiam bene abſconſæ in ſua pulchritudine bene cuſtodiuntur, & diu in ea permanent, ſic perſona, ſeu conſcientia bene ordinata concluſa, non diſcurrens, pulchritudinem ſuæ innocentiæ poteſt cuſtodire, & ſic a Deo quidquid voluerit impetrare. Iſtum autem diſcurſum non ſolum intelligo per pedes corporis, ſed potius per pedes mentis & affectionis: licet enim aliqui corpore non diſcurrant, mente tamen nō modicum vagantur. Sed quo modo veniet anima ad Dominum pro petitione facienda. Certe veniat præparata. Vnde Eſther interpretatur præparata. Ipſa enim ſicut legitur pri- D mo diſpoſuit veſtimenta planctui, & luctui apta. Et per hunc modum, qui ſumus hic congregati ad petitionem noſtram impetrandam debemus deponere veſtes regias, ideſt ſuperfluitatem omnem, & curioſitatem: Depone omnem magnitudinem. Sicut enim *Iob 36. c* limax quando exaltatur extendit cornua, ſed quando percutitur reſtringit ea: ſic pauo videns turpitudinem pedum gloriam caudæ deponit. Sic multi quando eis adulatur dicendo eis: Vos eſtis talis & talis, extendunt cornua ſua ſe dilatando in pretioſitate veſtium, & in multis alijs ſuperfluitatibus, vt ſic dicatur: Quàm magnus potens eſt talis! Quando ergo E ſic erectis cornulis procedimus, tunc citius a Domino percutimur, aut tempeſtate, aut infirmitate, tunc certe exemplo limacis citiſſime humiliemus animas noſtras. Exemplo etiam pauonis debemus reſpicere pedes, ideſt finem noſtrum, quādo, velimus nolimus, oportet omnia hæc deponere & dimittere. Vnde bene tunc in morte aſſimilabimur ſimiæ quæ duos fœtos habēs fugiēdo venatores, minus charum ponit verſus dorſum, chariorem brachijs circumfouet, ſed appropinquante venatore cum canibus, chariorem primo cogitur proijcere, alium vero dorſum hærentem, & ipſam fortiſſime ne effugere valeat ſtrin- F gentem libenter proijceret, ſed non poteſt, & ſic miſerabiliter cum eo capitur. Sic de nobis, nam in peccato duo ſunt, ſcilicet delectatio præſens, & pœna ſequens, peccatores vero modo amplectuntur delectationem, quam diligunt, volentes dimittere pœnam quam odiunt, ſed non ſic impij non ſic, immo econtra, quia in morte oportebit dimittere delectationem, pœnam vero æternam, velint nolint, ſecum portare ſuper humeros oportebit. Pſalmus: Domine *Pſal. 67. c* Domine exitus mortis. Nota bis dicit Domine, quia Dominus malos puniens, & bonos præmians. Dicit ergo figura noſtra quòd Eſther accepit veſtimenta luctui apta, & humiliauit ſe coram Domino: ſic & nos faciamus, quia ſicut videmus quòd montes impediunt



diunt curſum aquarum pluuialium, & deſcendunt ſemper in vallibus: ſic ſpiritualiter loquendo elati, qui per montes intelliguntur, impediunt aquam gra- *2. Reg. 1. d* tiæ. Vnde & per Dauid maledicti ſunt montes gelboe, nec ros nec pluuia, ſcilicet ſicut currunt ad vallem, *et cet.* Vnde & Axa patri, qui ſedebat ſuper aſinam, per quam intelligimus animam habentem dominium corporis, dicebat flens patri, vt daret irriguū inferius & ſuperius, ideſt pluuiam gratiæ, & gloriæ, vel irriguum mentis, & corporis, vel irriguum temporale in hoc tēpore ſiccitatis, & ſpirituale. Sic Elias humilians ſe coram Domino: & ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. Sequitur: Et facta eſt pluuia grandis.

Secundo requiritur quòd ſit eleuata ad Dominum, quia *confugit ad Dominum*. In omni congregatione bene ordinata eſt vnus princeps, qui habet dominium ſuper alios, & principatum, ſicut videmus in congregatione apum quòd vna eſt, quæ alias regit non habens aculeum. Eccleſia eſt congregatio fideliū, Chriſtus eſt caput, qui omnes gubernat non habens aculeum peccati, ideo non reſtat niſi confugere ad ip- *Heb. 6. d* ſum, ſicut fecit Eſther. Vnde Apoſtolus: Fortiſſimum ſolatium habemus, quo confugimus ad tenendam nobis propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus tutam & firmam. Nota, aliud eſt de ſolatio diuino, & humano, quia ſolatium humanū eſt momentaneum vnde comparatur muſto quod inceſtat hominem, ſed quando depuratum eſt, tunc eſt paruum: ſic ſolatium mundi in feruore ſuo inceſtat hominem, ideſt abſorbet rationē hominis, & vſum eius, ſed tale ſolatium deſœdatum reputabitur. Illo ſolatio potatus eſt primus homo, Loth, Noe, & diuites huius mundi. Sed ſolatium diuinum fortiſſimum eſt, quia ſemper durat, & eſt maximum. Vnde ſic eſt de ſolatio quod accipit homo a Deo, ſicut eſt ſolatium quod accipit homo nobilis in aue prædiali, & auis in præda. Nam aliter ſolatiatur homo in præda, aliter auis, quia quando auis accipit prædam, vbicumque eam inſequitur, ſed quando accipit tenendo eam, ſolatium ſuum ceſſat: ſed homo habet ſolatium in proſecutione eius, ſic eſt de Deo, quando Deus oſtendit ſe alicui conſcientiæ, tunc inſequitur eam toto affectu cum deſiderio, ſed quādo tenet eum, tunc habet ſuum ſolatiū: ſed Deus delectatur in proſecutione, ſcilicet quādo homo inſequitur eū toto deſiderio & affectu. Fortiſſimū ergo ſolatium habemus, quando confugimus ad Dominum, ponendo quaſi anchoram, & tunc exiſtimus tuti, & firmi quando nauis eſt in mari, firmata anchora, quia tunc eſt timendum tempeſtates ventos, & turbines. Ille mundus eſt, quaſi quoddam mare magnum in quo piſces magni, ideſt potentes & nobiles *Abac. 1. d* comedunt minores, vt de hoc conqueratur: Quare non reſpicis ſuper inique agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe? & facies homines quaſi piſces maris. O quantum iam iniqui ſua potentia, & malitia deuorant iuſtos, vnde & tot tentationes, & venti, & perſecutiones iam inſurrexerunt, quòd valde neceſſe eſt ſpem noſtram in Deo anchorare, & ſic non conturbabit iuſtum quidquid acciderit ei.

Tertio tangitur noſtræ congregationis cauſa manifeſta, *pauens periculum*, cum ſimus in periculo ſiccitatis, tempeſtatis, *et cetera*, propter cuius periculi euaſionem ſumus congregrati, vt Deus liberet nos, *Eccli. 43. c* pericula autem magna ſunt in mari, iuxta illud: Facientes operationes in mari, enarrant pericula eius. Et licet ſint ibi multa pericula, tamen quando ventus eſt propitius, & nullæ inſurgunt tempeſtates, tranſeunt mare multū ſuauiter, & modico tempore multum ſpatium, ſed quando eſt eis ventus contrarius tranſeunt cum timore. Sic in iſto mundo, qui dicitur mare, aliqui tranſeunt quiete, & ſuauiter ſicut diuites quibus ventus fortunæ eſt propitius, nec aliquas ſentiunt tribulationes, & in modico tempore tranſeunt

A multum, neſcientes Deo reddere rationem in die iudicij. Alijs vero ſcilicet pauperibus ventus fortunæ ſemper contrarius eſt, & iſti tranſeunt mundum in magna amaritudine. Vnde bene conqueritur Paulus *2. Cor. 11. f* in perſona eorum: Periculis fluminum periculis, in mari, *et cet.* Sed in his omnibus hoc nobis remanet ſolatium, vt cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum reſiduum habemus, vt oculos noſtros dirigamus ad te Domine, qui in cælis es, *et cet.*

## SERMO II.

B C*onfitemini alterutrum peccata veſtra*. Con- *Iac. 5. d* feſſio debet eſſe propria, vera, pura, integra, munda, pia. Propria, vt tua, non alterius peccata confitearis. Pſalmus: Dixi *Pſal. 31. b* confitebor aduerſum me, non aduerſus alium iniuſtitiam meam, non alterius. Non ergo viro vel feminæ imponas peccata tua, ſed tibi ipſi. Noli *Gen. 3. c* confiteri ſicut Adam, & Eua in paradiſo. Adam enim peccatum Euæ, Eua vero ſerpentis culpam confeſſa. Ita adhuc ſæpe fit quòd homo in hominem, vel diabolum ſerpentem antiquum refundit culpam ſuam, C quando dicit confeſſori: Diabolus induxit me ad hoc malum. Auguſtinus: Dimitte ſatanam accuſare, vt accuſatione tua Dei miſericordiam merearis. Parcas illum accuſare, qui non habet veniam, te accuſa, & accipis indulgentiam. Item vera: in confeſſione non mentiaris nec de peccatis, nec de peccatorum circumſtantijs requiſitus a confeſſore, deneges veritatē. Valde enim ineruditus eſt qui in confeſſione mentitur: *Eccli. 4. d* De mendacio ineruditionis tuæ confundere. Non confundaris confiteri peccata tua. Eruditus vtique homo magis de mendacio, quàm de veritate deberet confundi. Siue ergo propter verecundiam peccatum negando vel attenuando, ſiue propter humilitatem D culpam fingendo, vel falſe aggrauando mentiaris, inerudita & inutilis eſt tua confeſſio. Noli ergo confiteri ſicut Cayn, qui dum fratricidium humiliter *Gen. 4. b* debuit confiteri requirenti Domino: Vbi eſt Abel frater tuus? reſpondit: Neſcio, numquid cuſtos fratris mei ſum ego? Item pura: vt in confeſſione tua intendas dimittere & emendare peccata tua, & facere de cetero quod Deo placet. Vnde: Vos tranſgreſ- *1. Eſd. 10. b* ſi eſtis, *et cetera*. Et nunc date confeſſionem Domino Deo patrum veſtrorum, & facite placitum eius. Si ergo ante Paſcha confiteris quod tamen poſt intendis facere ſicut ante, vel ſi infirmitate flagellatus a Domi- E no, non intendis, ſi euaſeris, Dei placitum facere, ſed tuum, tunc tua confeſſio impura eſt. Noli ergo con- *Exod. 9. f* fiteri ſicut Pharao, qui flagellatus dicit: Peccaui, & nunc Dominus iuſtus; ego autem & populus meus impij. Hæc tamen pietas obedire non intendebat. Item integra: vt effundas in confeſſione quidquid cul- *Pſal. 110. a* parum habes in corde. Pſalmus: Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quod non ſolum de confeſſione laudis, ſed etiam peccatorum accipi poteſt. Si ergo nullam quantumcumque verecundam culpam *Thren. 2. f* in corde retinueris, tunc in toto corde confiteris: Effunde ſicut aquam cor tuum, Non dicit effunde ſicut F oleum, vel ſicut ſanguinem, vel ſicut lac, vel ſicut vinum. In his enim aliquid remanet de ſubſtantia, vel de colore, vel de ſapore, vel de odore dum effunduntur. Effunde integraliter ſicut aquā. Integritas etiam confeſſionis in hoc attenditur, quòd non diuidatur. Vnde Auguſtinus: Quidam vni celant, quod alij manifeſtandum conſeruant, quod eſt ſe laudare, & ad hypocriſim tendere. Noli ergo confiteri ſicut Achor. *Ioſ. 7. c* Vere ego peccaui Domino Deo Iſrael, *et cet.* Confeſſus quidem fuit furtum, ſed quòd propter hoc occiſi *Prou. 28. b* erant triginta ſex homines tacuit. Item nuda: Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Non debet ergo abſcondere peccata, neque excuſare,

excuſare, ſed nude confiteri & factum, & circumſtantias aggrauantes, tamen abſque turpibus verbis, & indecentibus. Vnde Auguſtinus: Os tuum oſtium aperiatur, & claudatur. Aperiatur ad peccati accuſationem nudam, claudatur ad peccati excuſationem. Noli ergo facere pallium peccatis tuis. Noli confiteri *1.Reg.15.d* ſicut Saul: Incuſatus enim a Samuele de trāſgreſſione mandati Domini, quod præceptum fuit non parcere Amalechitis & peccatoribus, quando debuit auaritiā, vel inobedientiam ſuam confiteri, culpam palliauit, dicens: Pepercit populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarent Domino Deo tuo. Item pia, vt cum ſpe veniæ confitearis. Confeſſio enim multis remiſſionem obtinuit peccatorum. Vnde: Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt, vt remittat nobis peccata noſtra. *1.Ioan.1.d* Noli miſer confiteri ſicut *Mat.27.a* Iudas, qui ſicut dicitur: Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. Vera fuit hæc confeſſio, ſed impia propter deſperationem, propter quam & laqueo ſe ſuſpendit.

## SERMO III.

*Luc.11.b* PEtite & dabitur vobis. O quàm magna promiſſio, magna hic fiducia orandi. Sed circa petitiones orationū noſtrarum attendere debemus noſtram neceſſitatem, petitionis dignitatem, diuinam largitatem. Circa primum notandum eſt quòd homines orare neſciunt, quia proprias neceſſitates ignorant. Conſideranda eſt triplex neceſſitas. Prima eſt hoſtis ſeueriſſima impugnatio. Hæc figurata eſt in Holoferne obſidente filios *Iudith.7.a* Iſrael, ſicut dicitur: Per totam noctem intrans Eccleſiam orauit, petens auxilium a Domino Iſrael. Sicut obſeſſi ergo a Tartaris, vel a ferociſſimis inimicis, ſic inſtantiſſime oremus, quia obſeſſi ſumus a dæmonibus in vili caſtello corporis. Secunda eſt hominis viliſſima defectio, & paupertas, quia neque hoſpitiū *Pſal.26.b* habet homo niſi petat. Pſalmus: Vnam petij a Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. *Pſal.20.a* Item neque panem vitæ, & gratiæ habet homo, niſi *Luc.11.b* petat. Pſalmus: Vitam petijt a te. Quis ex vobis patrem petijt panem, *et cet.* neque alias neceſſitates animæ habet, niſi petat non ſolum a Deo, ſed etiam hominibus ingrediētibus templum gloriæ cæleſtis, ideſt a ſanctis: ſicut ſignificatum eſt in claudo illo, de quo: *Act.3.a* Quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa, vt peteret eleemoſynam ab introeuntibus templum, *et cet.* Sicut ergo qui mendicant ante fores Eccleſiarum omnem dolorem, & doformitatē, quam habent in corpore, oſtendunt, ſic & tu Domino, & Angelis eius infirmitatem animæ tuæ oſtendas in oratione, oſtendas in confeſſione. Tertia eſt iudicis grauiſſima offenſio. Vnde ſicut aliquis ſuſpendendus ſtans coram iudice inſtantiſſime peteret vitam corporis, ita tu cum maxima inſtantia vitam animæ *Pſal.20.d* petere debes. Pſalmus: Vitam petijt a te. Vitam vtique ſpiritualem, & æternalem. Sed attende quod Gre*Greg. li.22. Mor. c.13. ante med.*gorius: Æternam vitam ſi ore petimus, nec corde deſideramus, clamantes taceamus. Circa ſecundum nota quòd petitionis cōgruitas eſt in tribus, videlicet, vt congruus congrua cōgrue: dignus digna digne pe*1.Ioan.3.d*tat. Primo ergo dignus debet eſſe petens: Chariſsimi ſi cor noſtrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, vt quæcumque petimus, accipiamus a Deo. Vnde quem reprehendit cor de omiſſis bonis, vel commiſſis vitijs, quæ non vult relinquere, non eſt *Pſal.65.a* dignus exaudiri. Pſalmus: Iniquitatem ſi aſpexi, *et cet.* Gregorius: Cum is, qui diſplicet ad intercedendum, mittitur petere, animus irati ad duriora pro*Eccli.28.a*uocatur, & maxime qui eſt in odio: Ipſe cum caro ſit, ſeruat iram, & a Deo petit propitiationem. Se*1.Ioan.5.c*cundo digna, & congrua debet petere: Quæcumque A petierimus ſecundum voluntatem eius, audiet nos. Salutem animæ tuæ, & ea, quæ ad ſalutem fiunt, petere debes, talia enim ſecundum volūtatem Dei ſunt. Qui autem petit alij malum, & huiuſmodi, incongrua petit. Auguſtinus: Qui de diuitijs, aut honoribus ſæculi, aut certe de inimici morte ſolicitus obſecrat, ipſe in infimis iacens viles ad cælum preces mittit. Vnde Dominus ait Salomoni: Quia poſtulaſti *3.Reg.3.b* verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, aut diuitias, aut animas inimicorum tuorum, *et cetera*. Tertio congrue, & digne petendum eſt, ideſt, attente. Pſalmus: Dabit tibi petitiones cordis tui. *Pſal.36.a* Bene dicit B petitiones cordis tui, non tantum oris. Iſidorus: Verba deprecantis Deus non intendit, ſed orantis cor deſpicit. De tertio: Omnia quæcumque petieri*Mat.21.b*tis in oratione credentes, accipietis. Magna largitas. Omnia dicit. Spiritualia, temporalia, æternalia. Reuera temporalia. Pſalmus: Petierunt & venit cothur*Pſal.104.d*nix, & pane cæli ſaturauit eos. Panis cæli victus, qui iuſte: panis inferni, qui iniuſte acquiritur: Panis illius *Iob 20.b* in vtero illius vertetur in fel aſpidis intrinſecus. Item ſpiritualia: Si ergo vos cum ſitis mali, *et cet. vſque* *Luc.11.b* dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Miſerabile eſt, ſi ſiccitas vnius anni fieret in terris, ardentiſſime plu C uiam peteres, modo ſiccitas gratiæ fuit tibi viginti, vel triginta annis, & pluuiam gratiarum Spiritus ſancti, vel lacrymarum non petis: Petite pluuiam a Do*Zach.10.a*mino. Item æternalia, ſicut ſignificatum eſt, vbi Aſ*Eſther.5.a 7.a*ſuerus poſtquam incaluerat vino, dixit ad Eſther: Si dimidiam partem mei regni petieris, impetrabis. Sic anima deuota poſtquam Chriſtum vino compunctionis, dilectionis, deuotionis, & lacrymarum inebriauit, regnum gloriæ de facili impetrabit. Alioqui dicetur regnum petentibus: Neſcitis quid petatis.

## SERMO IV.

D *Luc.11.b* PEtite, & dabitur vobis. Quid dabitur? Reſpondet Propheta: Gratiam & gloriam *Pſal.83.d* dabit Dominus. Dabit, inquam, certiſſime, copioſiſſime, prudentiſſime, frequentiſſime. Dabit indubitanter, abundanter, prudenter, inceſſanter. De primo dicitur: Si quid petieritis patrē *Ioan.16.c* in nomine meo, dabit vobis, & hic dicitur: *Petite & dabitur vobis.* Ecce quis poteſt dubitare, quin detur quòd veritas dandum promiſit. Quis ergo non peteret? Ioannes Chryſoſtomus: Petentis negligentia reprehenditur, ſi de dantis miſericordia non dubitatur: E maxime cum non ſolum promiſit dare, ſed etiam iurauit: Iurauit ad Abraam patrem noſtrum daturum *Luc.1.g* ſe nobis. Si tamen hoc non datur quod petis, non tepeſcas. Bernardus ait: Nemo paruipendat orationem ſuam. Dico enim vobis, antequam exeat de ore veſtro, ille conſcribi facit in libro ſuo, & vnum ex duobus indubitanter ſperare debemus, quia aut dabit quod petimus, aut quod nobis ſcit eſſe vtilius. De ſecundo: Si quis indiget ſapiētia, poſtulet a Deo, *Iac.1.a* qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei. Econtrario vero diabolus modica dat, & multa imperat. Exigua dabit, & multa imperabit: F Exigua dabit in delectatione, & multa imperabit in *Eccli.20.b* exactione pœnæ. Gregorius: Momentaneū eſt quod delectat, æternum quod cruciat. Bene autem dicit affluenter, plus enim ſæpe dat, quàm petere præſumamus: Potens eſt omnia facere ſuperabundanter, *Epheſ.3.d* quàm petimus, aut intelligimus. Hoc patet in peti*Luc.15.e*tione filij prodigi: Maiora enim, & plura accepit, quàm petiuit. Et certe quòd ſuperabundans, & affluens dator ſit Deus, patet his verſibus:

*Plus dare quàm tollat, rogitetur, polliceatur:*
*Salomone, Deus virga florente probatur.*

De Iob patet: Dominus conuerſus eſt ad pœnitētiam *Iob 42.e* Iob, cum oraret ille pro amicis ſuis, & addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia. Re-



quire in præcedēti ſermone, de Salomone, De Aaron A *3.Reg.3.b* virga: Legitur quòd tantum promiſit Dominus ger*Ser. præced. poſt mediū.*minare, ſed poſtea & germinaſſe, & floruiſſe, & fru*Num.17.c*ctificaſſe inuenta eſt. Ecce quàm liberaliſſimus dator eſt Dominus. Vide ergo apertius, ſi Dominus daret tibi omnia creata, quæ in cælo & in terra ſunt, tunc videretur vtique liberaliſſimus tibi, & certe plus dedit, cum ſeipſum dedit. Auguſtinus: Nolumus omnia, quæ dedit, ſi non dat ſeipſum, qui omnia dedit. *Mat.25.b* De tertio: Vni dedit quinque talenta, alij duo, alij vnum. Vnicuique ſecundum propriam virtutem. Quàm ſapienter dat Dominus, apparet ex hoc, quia ad lucra meritorum augenda, dat bona ſua. Vnde & B ille ſeruus, qui talentum Domini ſibi a Deo collatum ſine lucro tenuit, damnatus fuit. Vel ex hoc, quia dat vnicuique ſecundum propriam virtutem. Scit enim cui dandum, cui non dandum, cui plus, cui minus dandum. Si enim illi daret quinque, cui dat vnū, & ſic negligeret quinque ſicut vnum, maior eſſet eius damnatio. Quinque data Dei. Nota ergo hic quinque data Dei, quibus homo, quaſi quinque talentis lucra ſpiritualia cumulare debet. *Iſa.42.a* Primum eſt datū naturæ: Hæc dicit Dominus Deus creans cælos, & extendens eos, firmans terram, & quæ germinat ex ea, dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam. C Dat vtique Dominus flatum, & omnia bona naturalia corporis & animæ. Secundum eſt datum fortunæ, *Iob 1.d* ſcilicet temporalia: Dominus dedit, Dominus abſtulit. Tertium eſt datum potentiæ mundanæ, & Eccle*Sap.6.a*ſiaſticæ: Data eſt poteſtas a Domino nobis, *et cetera*. *Pſal.31.c* Quartum eſt datum ſcientiæ. Pſalmus: Intellectum *Iac.4.b* tibi dabo, *et cet.* Quintum eſt datum gratiæ: Humili*Eccli.17.a*bus autem dat gratiam. De quarto: Numerum dierum, & tempus dedit illi. Quis tibi dat diem, quo hodie viuis, vel omnes dies, quibus adhuc viues, vel vixiſti, niſi ſolus Deus? Quot ergo dies, aut horas vixeris, tot data Dei recipis. D Quid ergo dicam de bonis, quæ per omnes dies, & horas vitæ tuæ tibi dantur? De bonis, inquam, naturalibus, quæ & in anima & in corpore, & in omnibus membris tibi dantur, & de temporalibus, & ſpiritualibus, & de ſacramentalibus. Quotidie enim corpus ſuum dat pro te offeren*Ioan.6.d*do: Domine ſemper da nobis panem hunc. O dator æterne Deus? quanta putatis dabit in cælo, qui tanta dat in mundo? Auguſtinus: Qui peccatori mortem donauit filij ſui, quid ſeruat ſaluato per mortem filij ſui? Dominus ergo non ceſſat dare, ſi tu non ceſſes petere, ſicut dicitur hic: *Petite & dabitur vobis*. Item *Mat.25.c* ſi non ceſſas habere, ſcilicet bona merita: E Omni habenti dabitur, *et cet.*

## SERMO V.

*Iac.5.d* COnfitemini alterutrum peccata veſtra. Chariſſime, vt eo libentius confitearis tuas iniquitates, penſare debes confeſſionis vtilitates. Confeſſionis vtilitas. Attende ergo, quòd per confeſſionem a malo liberamur, in bonum adiuuamur, in cælo glorificamur. Per confeſſionem liberamur a malo ſpirituali, a malo temporali, a malo æternali. Liberamur inquam a malo culpæ, miſeriæ, gehennæ. F De primo: *1.Ioan.1.d* Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. O quàm ſtultus eſſet leproſus, qui ſe proprijs verbis curare poſſet, & non faceret? Et certe peccator leproſus eſt coram Deo, & Angelis, qui propria confeſſione curatur, & quandoque deſiderio *Luc.17.c* confitendi: Ite, oſtendite vos ſacerdotibus, & factum *Leuit.26.f* eſt, dum irent, mundati ſunt. De ſecundo: Propter peccata patrum ſuorum, & ſua affligentur, donec confiteantur iniquitates ſuas, *et cet.* Vnde afflictis per infirmitates, & alias quaſcumque aduerſitates ſemper conſulendum eſt in principio, vt confiteantur ſincere peccata ſua. Sæpe enim propter peccata affliguntur. A Confeſſio autem non ſolum contra infirmitates corporis, ſed etiam animæ valet. Videlicet, contra tentationes, deſperationes, varias animæ triſtitias. Pſalmus: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas *Pſal.46.b* me? *et cet. vſque* confitebor illi. De tertio. Pſalmus: *Pſal.73.d* Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi. Debent ergo confiteri ſalubriter, qui nolunt tradi beſtijs infernalibus, ſcilicet dæmonibus æternaliter. Confiteantur ſincere, qui pœnam æternam, & quandoque temporalem volunt euadere. Auguſtinus: Peccata tua, ſiue magna, ſiue parua ſint, impunita eſſe non poſſunt, quia vel homine pœnitente, vel Deo vindicante ple B ctuntur. Ceſſat autem diuina vindicta, ſi confeſſio præcurrat humana. Circa ſecundum nota. Per confeſſionem adiuuamur in bono, adiuuamur vtique in tentatione ad triumphandum, in oratione ad impetrandum, in operatione ad fructificandum. De primo. Pſalmus: Ex voluntate mea confitebor illi, & in *Pſal.27.c* medio ſequitur: Dominus fortitudo plebis ſuæ. Ac ſi aperte dicat: Ex voluntaria confeſſione recipitur. Vnde bene legitur quòd Iudas Machabæus, & Iudith victorioſi. Iudas confitens interpretatur. Confeſſione enim vincimus diabolum. Auguſtinus: Neque facilius ab inimico deuincimur, quàm cum ſuperbien C do ipſum imitamur. Neque vehementius eum proſternimus, quàm cum humilitate Deum conſequimur. Neque ei dolores acriores infligimus, quàm cum plagas peccatorum noſtrorum confitendo, & pœnitendo ſanamus. De ſecundo: Cumq. adhuc lo*Dan.9.e*querer, & orarem, & confiterer peccata mea: ecce vir Gabriel, *et cet.* Vbi oſtenditur quòd per angelum in oratione conſolatur, qui peccata confitetur. Gregorius: Qui promereri vult bonum, quod expetit, debet malum confiteri, quod fecit. De tertio: Ara*Oſee 10.c*bit Iudas, confringet ſibi ſulcos Iacob. Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ. D Iudas interpretatur confitens. Arare ergo eſt confeſſionis, confringere contritionis, ſeminare ſatisfactionis, & metere operationis. Si ergo fructū vitæ æternæ multiplicare vis ſemine boni operis, oportet quòd terra cordis in principio aperiatur vomere confeſſionis. Auguſtinus: Initium operum bonorum, eſt confeſſio malorum operum. Circa tertium conſidera quomodo per confeſſionem glorificamur. Per confeſſionem enim inuenimus faciem Chriſti placatam, portam cæli reſeratam, coronam regni magnificatam. De primo, Pſalmus: Præoccupemus faciem eius in con*Pſal.94.a*feſſione, ideſt in conſpectu futuri iudicis. Bene dicit, E præoccupemus faciem eius. Gloſſa: Ne inimicus accuſando præueniat nos, & ne id tunc ſit diſcutiendū. Ioannes Chryſoſtomus: Habes accuſatorem acerbiſſimum, propera ſponte confitendo delicta. De ſecundo, Pſalmus: Introite portas eius in confeſſione. *Pſal.99.a* Portam cæli apertam inuenies ad introeundum in euolatione, ſi porta cordis tui os tuum nunc plene apertum fuerit in confeſſione. Auguſtinus: Oſtium aperiatur, & claudatur. Aperiatur ad confeſſionem peccati, claudatur ad excuſationem peccati. Per confeſſionem ergo peccati introibimus ad portam cæli. De tertio, Pſalmus: Confeſſio & pulchritudo, *et cet.* *Pſal.95.a* F Gloſſa: In confitendo fit homo pulcher. Bernardus: Vbi confeſſio, ibi & pulchritudo, ibi decor. Peccata in confeſſione lauantur, bona opera in confeſſione mundantur. Notentur tria, quæ hic in confeſſione innuuntur, videlicet, pulchritudo, ſanctimonia, & magnificentia. Per confeſſionem enim conſequimur pulchritudinem animæ, ſanctimoniam vitæ, magnificentiam gloriæ.

SER-

## SERMO VI.

Luc.11. b Q*Varite & inuenietis*. Quid quæremus? Re-
Pſal.104. a ſpondet Propheta: Quærite Dominũ, & cõ
Mat. 6. d firmamini: Et Primum quærite regnũ Dei:
Deũ ergo & regnũ ſuum quærere bene vi-
uendo debemus. Alliciunt autẽ nos ad quærendũ tem
poris opportunitas, loci amœnitas, quærendæ rei pre-
Iſa. 55. b tioſitas, inueniendi ſecuritas. De primo: Quærite Do-
minũ dum inueniri poteſt. Quis enim in hieme florẽ,
in nocte ſolẽ, in tenebris faciem in ſpeculo quæreret?
Hiems autẽ & nox tenebræ erũt peccatoribus in mor B
te, poſt hanc vitam etiã hiems, & nox ſunt in corde ge
lido, & tenebroſo peccatoris. In die ergo & æſtate
huius vitæ, vel bonæ vitæ quæramus ſolem iuſtitiæ,
Cant. 2. c flores virtutum: Iam hiems, ideſt refrigeratio, tranſijt,
ideſt congelatio infidelitatis. Imber abijt & receſſit,
ideſt perſecutio: Flores apparuerunt in terra noſtra,
flores, inquam, virtutum & bonorum operum. Sur-
ge igitur amica mea, & veni, quòd pro te fluctus ſe-
dani, ſcilicet in cruce pro te moriendo. Item ad quæ-
rendam faciem in ſpeculo, temporis opportunitas:
Ier. 50. a Flentes properabunt, & Dominum ſuum quærent in
Sion: quod interpretatur ſpeculum, & ſignificat cor C
mundum, in quo facies Dei quærenda eſt. Pſalmus:
Pſal.104. a Quærite faciem eius ſemper. Opportunitas temporis
Mat. 6. d ex ordine cõſideranda eſt: Primum quærite regnum
Dei. Noli ergo tempus opportunum quærendi ne-
gligere, ne forte contingat te fruſtra quærere. Ber-
nardus: Quærentes fruſtrari ſolent, aut cum non in
tempore debito quærunt, aut vbi non oportet. De ſe-
Cant. 5. d cundo: Quo abijt dilectus meus, *et cet. vſque* dilectus
6. a meus aſcendit in hortum, ſcilicet pulchra multum eſt
Eccleſia plena fide, pulchrior ſpe, pulcherrima cha-
ritate. Vel aliter: Pulchra in coniugatis, pulchrior in
viduis, pulcherrima in virginibus. Vel aliter: Pul- D
chra in incipientibus, pulchrior in proficientibus,
pulcherrima in perfectis. Hortus autem eſt cor vir-
tutibus floridum, & operibus lucriferum. Delectabi-
lius eſt quærere in horto, quàm in cloaca, in corde
ſordido. In horto ergo virtuoſi cordis quærendus eſt
Chriſtus. Vbi enim quærendus eſt hortolanus niſi in
Ioan.20. c horto? Mulier quid ploras? quem quæris? Illa exiſti-
mans quòd hortolanus eſſet, *et cet*. Gregorius: An
non ei ſpiritualiter hortolanus erat, qui in eius pecto-
re per amoris ſui ſemina virtutum virentia plantauit?
Item vbi quærendus eſt ſponſus niſi in thalamo? In
Cant. 3. a lectulo meo per noctem, *et cet*. Item vbi quærendus E
Luc. 2. g eſt ſacerdos, niſi in templo? Dolentes quærebamus
te. In templo autem inuenerunt. Cor autem noſtrum
hortus eſt bonorum operum in fructificatione, thala-
mus in dilectione, templum in oratione. In templo
Mat.13. f enim orandum eſt. De tertio: Simile eſt regnum cæ-
lorum homini quærenti, *et cet*. Pretioſa margarita
eſt Chriſtus, qui tanto pretioſior eſſe cognoſcitur,
quanto veracius quæratur. Gregorius: Sancti viri om-
nis præſentis vitæ copiam reputant inopiam, quia ni-
hil extra Deum menti ſufficit, qui veraciter Deum
quærit. Libenter & diligenter quæreret homo gem-
mam valentem mille marchas, quanto magis quære- F
re decet hanc margaritam, quæ melior eſt toto mun
do? Bene dicit hic: ſua dedit omnia, & compara-
uit eam. Pro dilectione enim Dei totus mundus con-
Cant. 8. c temnitur: Si dederit homo omnem ſubſtantiam do-
mus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Si-
cut autem in mobilibus nihil pretioſius vita, ita nihil
pretioſius quærere poſſumus gemmis virtutum, de
quibus hic dicitur: Quærenti bonas margaritas. Item
Mat. 6. d regnum gloriæ: Primum quærite regnum Dei. Item
Pſal. 68. d vitam animæ, quæ eſt Chriſtus. Pſalmus: Quærite Do
minũ & viuet anima veſtra, ideſt quærite panem, vt vi
uat anima veſtra. De quarto dicitur hic: *Quærite &
inuenietis*. Aurum quæritur libenter, vbi citius in-
A uenitur. Et ecce gratia Dei, immo Deus omni auro
pretioſior, certiſſime inuenitur, ſi pure, ſi integre, ſi
congrue quæritur. Pure ſine fictione: In ſimplicitate Sap. 1. a
cordis quærite illum, quoniam inuenietur. Item inte-
gre ſine dimidiatione, vt non partim Deo, partim
mundo, vel carni, vel diabolo ſeruiatur, ſed totaliter
Deo: Quæretis me & inuenietis, cum quæſieritis me Ier. 29. c
in toto corde veſtro. Item continue ſine derelictio-
ne: Inuenitur ab his, qui quærunt illum. Et: Si quæ- Sap. 6. b
ſieritis eum inuenietis, ſin autem dereliqueritis eum, 2.Par. 15.
derelinquet vos. a

## SERMO VII.

Q*Varite & inuenietis*. Si quæritis meditan- Luc.11. b
do, ſeu deſiderando, orando, bene a-
gendo, inuenietis in mundo gratiam,
in iudicio iuſtitiam, in cælo gloriam. Vn-
de: Qui ſequitur iuſtitiam & miſericordiam, inue- Prou.21. c
niet vitam, iuſtitiam, & gloriam. De primo: Adea- Heb. 4. d
mus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericor-
diam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxi-
lio opportuno. Triplex autem eſt inuentio gratiæ. In-
ueniunt enim boni quærentes peccatorum indulgen-
C tiam: Ante iudicium interroga teipſum, & in conſpe- Eccli. 18. c
ctu Dei inuenies propitiationem. Interrogat ſeipſum
homo in conſcientiæ diſcuſſione, arguens ſeipſum
quare iſtas, vel alias iniquitates fecerit. Facit enim ſic
iudicium in corde ſuo. Gregorius: Conſcientia ac-
cuſat, ratio iudicat, timor ligat, dolor cruciat. Inter-
rogat quoque vicarius Dei in confeſsione. Interro-
gat & Deus in extrema examinatione: Interrogabit Sap. 6. a
opera noſtra, *et cet*. Inueniunt virtutum opulentiam:
Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in Mat. 13. f
agro, *et cet*. Theſaurus in agro, eſt opulentia virtu-
tum in corde. Iſte theſaurus etiam in ſepulchro reli-
D gionis inuenitur, & pœnitentiæ: Quaſi effodientes Iob 3. d
theſaurum, gaudent vehementer cum inueniunt ſe-
pulchrum. Item inueniunt cognoſcendorum ſapien-
tiam, quod etiam de ſapientia increata, quæ eſt Chri-
ſtus, intelligi poteſt, qui per ſtellam veræ cognitionis
inueniri poteſt: Inuenerunt puerum cum Maria ma- Mat. 2. b
tre eius. Sicut autem nec ſol in nocte, nec roſa in ſta-
bulo, ſic nec Chriſtus in carnali anima inuenitur: Non Iob 28. b
inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Bernardus:
Circuire poſſem cælum, terram, mare, & aridam, &
nuſquam te inueniam niſi in cruce, ibi dormis, ibi
paſcis, ibi cubas in meridie. De ſecundo: Qui timẽt Eccli. 32. c
E Deum, inuenient iuſtum iudicium. Hic viduæ & pau-
peres, & Deum timentes raro inueniunt iuſtitiam, ibi
autem inuenitur. Auguſtinus: Ferto iniurias, ſecurus
eſto, faciet enim Dominus miſericordias, & iudiciũ
omnibus iniuriam patientibus. Sed attende in die
nouiſsimo triplicem inuentionem timentibus Deum.
Inuenient enim membra ſua in reſurrectione, ſiue lu-
pi, ſiue canes, ſiue vermes comederẽt ea: Alij diſten- Heb. 11. g
ti ſunt non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem
inuenirent reſurrectionem. Inuenient opera bona
in manifeſtatione: Mitte panem tuum ſuper tranſeun Eccls. 11. a
tes aquas, & poſt multa tempora inuenies illum: in-
F uenies certe panem eleemoſynarum tuarum, quando
dicetur tibi illud: Eſuriui & dediſtis mihi ad mandu- Mat. 25. d
candum, *& cet*. Sic & alia bona ibi inuenies. Econ-
trario de quibuſdam dicitur. Pſalmus: Dormierunt Pſal. 75. a
ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diui-
tiarum in manibus ſuis. In reſurrectione enim de
ſomno mortis ſurgent, & nihil inuenient in manibus
ſuis. Auguſtinus: Vis aliud inuenire in manibus tuis
poſtea, noli contemnere modo manum pauperis, &
reſpicere manus inanes, ſi vis habere manus plenas.
Item inuenitur iuſtitia in retributione: Bene fac iu- Eccli. 12. a
ſto, & inuenies retributionem magnam, & ſi non ab
ipſo, certe a Domino. Econtrario impij inuenient
malam retributionem, Pſalmiſta: Inueniatur manus Pſal. 20. b
tua



Prou. 11. b tua omnibus inimicis tuis. De tertio: Mulier gratio-
ſa, ideſt anima ſancta, inueniet gloriam. In hac gloria
inuenient iuſti ſuper ſe opulentiam, & diuinitatem:
Prou. 8. b Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Mecum
ſunt diuitiæ, & gloria, & opes ſupernæ, & iuſtitiæ.
Bernardus: Additur iuſtitia, quia in mundo diuitiæ,
& gloria, & opes ſæpe cum iniuſtitia habentur. Vnde
iniuſti diuites iuſtos æternos attingere non poſſunt:
Mat. 19. d Facilius eſt camelum, *et cetera*. Item inuenient intra
Iſa. 51. b in ſe gratiſſimam iucunditatem: Gaudium & lætitia
inuenientur in ea, gratiarum actio & vox laudis. Vn-
de dicit vtrumque, ſcilicet gaudium, & lætitiam, pro-
pter vtramque ſtolam, ſiue gloriam corporis, & ani-
mæ, qui econtrario hic gaudent contra Deum, ibi
Prou. 14. b gaudere in Deo non poſſunt: Extrema gaudij luctus
occupat. Item inuenient extra ſe iucunditatem, ſcili-
Ioan. 10. d cet angelorum, & hominum: Ingredietur & paſcua
inueniet. Sicut in paſcuis multæ ſunt herbæ, quibus
oues reficiuntur, ſic intra nos tot erunt herbæ, quot
merita noſtra, extra nos tot herbæ, quot ſancti, vel
potius, quot ſanctorum merita & præmia, quibus
Ezec. 34. d æternaliter reficiemur: In montibus excelſis Iſrael
erunt paſcua eorum, ibi requieſcent in herbis viren-
tibus. Montes excelſi, ſunt ordines angelorum.

## SERMO III.

Iac. 5. d C*Onfitemini alterutrum peccata veſtra*. Bea-
tus Iſidorus: Confeſſio ſanat, confeſſio
iuſtificat, confeſſio peccati veniam dat,
omnis ſpes in confeſſione conſiſtit in mi-
ſericordia. Quia ergo tam neceſſaria eſt
confeſſio, conſiderandum eſt, cui, quid, quando,
quo modo, tu debeas confiteri. Attende ergo con-
feſſoris auctoritatem, ſceleris fœditatem, temporis
congruitatem, confeſsionis qualitatem. De primo:
Luc. 17. c Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Auguſtinus: Præue-
niat homo iudicium Dei per confeſsionem: præcepit
enim Dominus mundatis, vt oſtenderent ſe ſacerdo-
tibus. Sacerdos ergo debet eſſe cui confitendum eſt,
& talis ſacerdos, qui tibi ſciat dare conſilium. Qui-
dam autem ſi in eadem parochia ſciant ſedentes de-
cem ſacerdotes, libentius accedunt ad ſimpliciorem,
contra quos ait Auguſtinus: Qui confiteri vult pec-
cata, vt inueniat gratiam, quærat ſacerdotem ſcien-
tem ſoluere & ligare, ne vt ſi negligens circa ſe exti-
terit, negligatur ab eo, qui miſericorditer monet &
petit, ne ambo in foueam cadant. Confitendum er-
go eſt habenti auctoritatem, & ſcientiam. *In neceſſita-
te tamen laico confitendum, ſi ſacerdos haberi non poſſit*.
Auguſtinus: Fit dignus venia ex ſacerdotis deſide-
rio, qui crimen confitetur ſocio. Si autem nec lai-
cum habere poſsis, confitearis Domino confeſſori
Pſal. 31. b ſummo. Pſalmiſta: Dixi confitebor Domino. De
Prou. 28. b ſecundo: Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirige-
tur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea,
miſericordiam conſequetur. Ecce ſcelera debet
confiteri homo, & ſua non alterius ſcelera. Pſalmi-
Pſal. 31. b ſta: Confitebor aduerſum me, *et cetera*. Non ſolum
autem ſcelera mortalia, ſed etiam venialia peccata
ſunt confitenda. Auguſtinus: Iſta aſsidua peccata, &
quodam modo neceſſaria aſsidue lauentur in confeſ-
ſione, aſsidua reſtaurentur iubilatione. Item ſuper il-
lum locum: Confitemini alterutrum peccata veſtra, ait
Beda: Coæqualibus quotidiana & leuia, & grauiora
ſacerdotibus pandimus. Melius tamen eſt, & leuia,
& grauiora ſacerdotibus confiteri: poteſt autem ho-
mo confiteri ſcelera ſua, ſecundum tranſgreſsiones
decem mandatorum, vel ſecundum ordinem ſeptem
Circumſtã- mortalium vitiorum, & filiarũ eorum. Confiteri quo-
tiæ peccato que debet circũſtantias peccatorum de quibus verſus:
rum.

*Aggrauat ordo, locus, perfecta ſcientia, tempus:*
*Ætas, conditio, numerus, mora, copia, cauſa.*
*Et modus in culpa, ſtatus altus, lucta puſilla.*



A De tertio: Viuus & ſanus confiteberis. Ecce tempus Eccli. 17. d
confeſsionis, dicitur viuus in mundo, quia non po-
teſt confiteri in inferno. Pſalmus: In inferno autem Pſal. 6. a
quis confitebitur tibi? Maxime autem tempus confeſ-
ſionis eſt, dum ſanus es, dum pœnitentiam facere po-
tes. Confitendum eſt ergo huius vitæ tempore, non
tempore vno, ſed multis temporibus: Confitebantur Neem. 9. a
peccata ſua, *et cet*. vſque quater in die, & quater in
nocte confitebantur. O ſi modo quater in anno con-
fiteri velles. Semel quilibet tenetur, poſtquam ad
annos diſcretionis venerit, & recipere corpus Domi-
ni, alioquin ſicut dicit canon, ab ingreſſu Eccleſiæ De pœn. &
B arceatur, & moriens eccleſiaſtica careat ſepultura. remiſ. c. om
Quanto ergo ſæpius, & etiam pluribus homo cõfite- nis.
tur, tanto melius eſt. Auguſtinus: Quanto pluribus
confitetur in ſpe veniæ turpitudinem criminis, tanto
facilius conſequitur gratiam remiſſionis. De quarto: Supra ſer
Require primum in primo ſermone: *Confitemini al-* 1. in Roga-
*terutrum peccata veſtra*, per totum, vbi ſatis inuenies tionibus.
qualiter homo debeat confiteri. De quo etiam nota
verſus:

*Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis.* Idem Cen-
*Vera ſit accuſans, fortis, parere parata.* til. ſec. 51.

O peccator ſi confitearis, ad confeſſionem quoque to. 6.
C te alliciat quod ait Auguſtinus: Credendum quòd
omnes eleemoſynæ, opera iuſtitiæ, & operationes mi-
ſericordiæ ſuccurrant recognoſcenti mortem ſuam
ad conuerſionem.

## SERMO IV.

P*Vlſate & aperietur vobis*. Magna gratia ille Luc. 11. b
hoc dicit, qui, ſicut dicitur in Apocalypſi, Apoc. 3. b
habet clauem Dauid, qui aperit, & ne-
mo claudit, *et cet*. Conſiderandum autem
quòd eſt pulſatio diuina, humana, dia-
D bolica. Pulſat Deus, pulſat homo, pulſat diabolus.
De primo: Ego ſto ad oſtium, & pulſo, *et cet. vſque* Apoc. 3. d
cœnabo cum illo. Oſtium cordis eſt liberum arbitriũ,
ad quod pulſat Deus baculo crucis, tintinabulo præ-
dicationis, malleo timoris damnationis. O infelix
obſtinatio peccatoris, ſtatim aperis oſtium amico, &
non vis aperire Deo tuo ſtanti ad oſtium. Intromit-
tis adulterum turpiſſimum, ſcilicet diabolum & non
pulſantem ſponſum ſpecioſiſſimum. Audiuit autem
hunc ſponſum illa ſancta anima, quæ ait: Vox dilecti Cant. 5. a
mei pulſantis, aperi mihi ſoror mea, amica mea, co-
lumba mea, & immaculata mea. Quæcumque ani-
E ma ſic pulſantem Dominum non audit, mortua eſt.
Bernardus: Pulſat Dominus voluntatem, & inuenit
eam mortuam, vt pote veneno ſæcularis delectatio-
nis ſuffocatam. Pulſat ſenſualitatem & inuenit inſa-
nam. Sed quia non auditur pulſans ſuauiter, pulſat
tandem & grauiter per infirmitates, & aduerſitates:
Vos ſimiles hominibus, *et cet. vſque* cum venerit, & Luc. 12. e
pulſauerit: Gloſſa. Per ægritudines mortem propin-
quam demonſtrando. De ſecundo dicitur hic, *pulſa-
te*, & aperietur vobis. Pulſandum eſt deſiderijs, &
ſuſpirijs, lacrymis, orationibus, caſtigationibus ad
oſtium diuinæ miſericordiæ. Diu autẽ & alte pulſan-
F dum eſt propter diſtantiam oſtiarij, ſcilicet Chriſti de
quo: Huic oſtiarius aperit. A quo homo tanto plus di- Ioan. 10. a
ſtat, quãto plus peccat. Pſalmus: Longe a peccatoribus Pſal. 118. u
ſalus. Auguſtinus: Non regionibus longe eſt quiſque
a Deo, ſed affectibus. Amas Deum, prope eſt, odiſti
Deũ, longe eſt: Sicut exaltantur cæli a terra, ſic exal- Iſa. 55. c
tatæ ſunt viæ meæ a vijs veſtris, & cogitationes meæ a
cogitationibus veſtris. Item propter periculũ pulſan-
tis, quoniam hoſtes ad occidendum ſequuntur: Om- Eſther. 13.
nis Iſrael pari mente, & obſecratione clamauit ad Do d
minum, eo quòd eis certa mors impenderet. Eſther
quoque regina confugit ad Dominum pauens ad pe-
riculum, quod imminebat. Nota hiſtoriam. Eſther
eſt anima: Aman eſt diabolus, quo perſequente fu-

giendum eſt, pulſandum eſt in oratione ad Dominũ : A
*Iſa. 19. d* Clamabunt a facie tribulantis. Pulſate nunc chariſſi-
mi quàm diu dies eſt miſericordiæ, oſtium non eſt
clauſum, alioquin pulſabitis poſt mortem, vel in iu-
*Luc. 13. e* dicio inutiliter: Cum autem intrauerit paterfamilias,
& clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, & pulſare ad
oſtium, *et cet.* Gloſſa: Claudet oſtium, cum repro-
bis locum pœnitentiæ tollet, qui foris ſtantes pulſa-
bunt, ideſt a iuſtis ſegregati miſericordiam, quam
*Iudit. 14. c* contempſerunt, fruſtra implorant. De tertio: Nul-
lus audebat cubiculum, ideſt tabernaculum virtutis
Aſſyriorum pulſando, vel intrando aperire. Ex hoc
patet quòd alia tabernacula bene pulſabant Aſſyrij. B
Ex quo accipitur quòd Aſſyrij ſunt dæmones, qui in
negotiationibus frequenter nos circumueniunt. In
tempore enim negotiationis pro vili pretio emunt
animas. Quidam enim vendunt eis animas ſuas pro
temporalibus, quidam pro luxurijs, quidam pro alijs
*Ioel. 3. a* vitijs: Puellam, ideſt animam, vendiderunt pro vino,
vt biberent, pro vino carnalis ſcilicet voluptatis. O
quàm infelix mercator, o quàm glorioſum eſt quod
amittitur! quàm graue quod mercatur! quàm vile
quod appetitur! quàm infelix commercium, fœda
voluptate ardorem mercari ſempiternum! Taberna-
*Iob. 12. a* cula dæmonum ſunt peccatores: Abundant taberna- C
cula prædonum, ideſt dæmonum, qui prædantur ani-
mam ab omni bono, vt crucietur in æterno ſupplicio.
Tabernaculum virtutis eorum eſt, magnus exercitus
peccatorum & obſtinatus, & multos ad decipiendum
trahens peccatores. Pulſatio Aſſyriorum eſt impu-
gnatio dæmonum, qui non ſolum delectationibus
pulſant, ſed quandoque aduerſitatibus, ſed quia ca-
pitalem quemlibet peccatorem inquietare per aduer-
ſitatem dæmones quandoque non audent, ne forte ad
flagellum conuertatur: ideo ad tabernaculum virtu-
tis non pulſatur, vel quia non adeo ſecuri ſunt pro-
*Iob 21. c* pter illud: Ducunt in bonis dies ſuos, *et cet.* Vnde de D
nullis quantumcumque magni peccatores fuerint, niſi
deſperent, proſperantur, de ijs autem, qui ob ſucceſ-
ſus ſecuri ſunt, dici poteſt illud Gregorij: Continuus
ſucceſſus rerũ temporalium certiſſimum æternę dam-
nationis eſt indicium.

## SERMO X.

*Luc. 11. b* P*Vlſate, & aperietur vobis.* O quanta conſola-
tio eſſet, ſi carcer captiuo, theſaurus men-
dico, palatium expulſo, ſepulchrum mor-
tuo, aperiretur, o quàm libenter tales pul- E
ſarent pro apertione. Et ecce hic dicitur: *Et aperie-
tur vobis*. Aperietur vtique carcer culpæ ad euaden-
dum, theſaurus gratiæ ad accipiendum, palatium glo-
riæ ad ingrediendum, ſepulchrum miſeriæ ad reſur-
*Iſa. 61. a* gendum. De primo: Spiritus Domini ſuper me, *et
cet.* vſque eo quòd vnxerit me, ad annunciãdum man-
ſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædi-
carem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem.
Mederi ad contritionem, apertio ad confeſſionem,
indulgentia ad ſatisfactionem referri poteſt. Nota
quòd dicit vt mederer. Medetur enim Deus anima-
bus per contritionem, & pœnitentiam. O inſania F
ægroti, anima tua languet in peccatis vſque ad mor-
tem æternam, & non quæris medelam. Primo die
quæris corporis medelam, & nõ animæ e triginta vel
quadraginta annis languentis. Ioannis Chryſoſto-
mus: Si forte in corpore paruum aliquid morbi pul-
ſauerit, ſtatim medicos adhibemus, & pecuniam pro-
fundimus: anima vera quotidie cum vulneretur, cum
per ſingula lanietur, vratur, præcipitetur, & modis
omnibus patiatur, ne parua quidem pro ea nos cura
ſolicitat. Item nota quòd ait: prædicarem captiuis
indulgentiam, ſolet maxime indulgentia dedicationi
templi, vel altaris vel accipientibus crucem prædicari.
Sic certe, ſi templum animæ tuæ, & altare cordis Deo

A dedicatur, & ſi crucem pœnitentiæ acceperis, indul-
gentiam magnam habebis: Indulgentiam eius cum *Iudith. 8. b*
lacrymis poſtulemus. Item nota quòd ait: Clauſis
apertionem. Diabolus tenet peccatorem clauſum,
ſed ecce Chriſtus clauem ad aperiendum de cælo por-
tauit & amico tuo reliquit: Tibi claues, *et cet.* Sed *Mat. 16. e*
heu diabolus cauet, ne aperiatur: Vinctis eius non *Iſa. 14. d*
aperuit carcerem. De ſecundo: Domine Deus audi *Num. 20. b*
clamorem populi huius, & aperi eis theſaurum tuum
fontem aquæ viuæ. Certe theſaurum dicit, non au-
rum, non argentum, ſed fontem aquæ viuæ. Aquæ
ſunt irrigationes gratiarum Spiritus ſancti: Fiet in *Ioan. 4. b*
B eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Aperit ergo
Chriſtus theſaurum ſuum, vt tu aperias ei theſaurum
tuum: Apertis theſauris ſuis, *et cet.* Solent reges ape- *Mat. 2. b*
rire theſaurum tempore belli, ſic & Chriſtus militi-
bus ſuis theſaurum gratiarum ad danda ſtipendia ape
rit, quos fideles in bellis contra hoſtes animæ noſcit.
Pſalmus: Aperis tu manum tuam, *et cetera*. Auguſti- *Pſal. 144. c*
nus: Mirabiliter ſuorum fidelium pauperiem ditauit
& indeficiẽtibus bonis theſaurus plenus ipſe perman-
ſit. Sed heu econtrario diabolus ſuis militibus, ſcili-
cet ſuperbis, auaris, luxurioſis, aperit theſauros illos
de quibus: Nil proderunt theſauri impietatis. Vnde *Prou. 10. a*
C de Antiocho, qui diabolum ſignificat: Aperuit æra- *1. Mac. 3. d*
rium ſuum, & dedit ſtipendia exercitui, *et cetera*. De *Pſal. 117. c*
tertio, Pſalmiſta: Aperite mihi portas iuſtitiæ, *et cet.
vſque*, iuſti intrabunt in eam. Hæc autem apertio fa-
cta eſt per clauem crucis Chriſti, de qua: Domus Da- *Iſa. 22. f*
uid dabo clauem ſuper humerum eius, & aperiet, &
non erit, qui claudat, ſcilicet ante diem iudicij. O gra-
tia magna, anima de proprio domicilio corporis ex-
pellitur, vt palatium cæli ei aperiatur, ſicut patet de
Stephano: Video cælos apertos, *et cet.* Sequitur: Et *Act. 7. g*
claudet & non erit, qui aperiat, ſcilicet poſt diem iu-
dicij. Nulli enim poſtea aperietur. Vnde: Domine *Mat. 25. a*
D Domine aperi nobis, *et cet. vſque* neſcio vos. Grego- *Gregor. ho.*
rius: Tunc regni ianua lugentibus claudetur, quæ *12. in Euã*
modo quotidie aperitur, ſed heu ſicut cælum apertum *gel. to. 3.*
eſt prudentibus, & infernus fatuis & charitatem non
habentibus eſt apertum: Dilatauit infernus animam *Iſa. 5. d*
ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino. De
quarto: Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & edu- *Ezec. 37. g*
cam vos in terram Iſrael, ideſt in patriam cæleſtem.
Quidam ſunt, quorum ſunt corpora in ſepulchro, ſed
animæ in inferno. Clauem autem ad aperiendum
quod mors clauſerat in ſepulchro, & diabolus in in-
ferno, ſibi retinuit Chriſtus: Habeo claues mortis, & *Apoc. 1. d*
E inferni. Tunc certe aperietur terra ad iudicium re-
ſurgentibus, quæ aperta eſt quandoque ad infernum
deſcendentibus. Pſalmus: Aperta eſt terra, & deglu- *Pſal. 105. c*
tiuit Datan.

# IN ASCENSIONE DOMINI.

## SERMO I.

F N*Vmquid ad præceptum tuum eleuabi-* *Iob. 39. d*
*tur aquila, & in arduis ponet nidum
ſuum?* Aquila Chriſtum ſignificat,
qui hodie eleuatus ad cælos aſcen-
dendo, in arduis nidum ſuum po-
ſuit ad dexteram patris ſedendo.
Bene autem Chriſtus aquilæ com- *Chriſtus aquilæ comparatur.*
paratur propter ſanctiſſimam communionem, pro-
pter glorioſiſſimam reſurrectionem, propter ſubti-
liſſimam aſcenſionem, propter limpidiſſimam cogni-
tionem. De primo: Pulli aquilæ lambũt ſanguinem,
lambunt fideles ſanguinem de calice: Bibite ex hoc *Iob 39. d*
omnes: hic eſt, *et cet.* Lambunt etiam in deuota paſ- *Mat. 26. e*
ſionis Chriſti recordatione. Certe numquam fuit
aquila



*Aquila liberalis, ſed liberalior Chriſtus.* aquila ita liberalis, ſicut aquila noſtra Chriſtus? Aqui- A
la enim licet ſit tantæ liberalitatis, quòd eſcam ſuam
communicet alijs auibus, non tamen propriam car-
nem, vel ſanguinem corporis ſui communicat, quod
vtique Chriſtus facit: hic enim ſanguis non ſolum
pullos paſcit, ſed etiam pullos liberat, ſicut ſtruthio
liberauit pullum ſuum. Require ſupra in ſermone:
*Pag. 55.* *Sanguis hircorum*, hic ſanguis hircorum non ſolum
pullos paſcit, non ſolum pullos liberat, ſed etiam pul-
los viuificat, ſicut de ſanguine pellicani dicitur quòd
pullos ſuos mortuos tertia die viuificat. Pellicanus
*Pſ. 101. b* noſter eſt Chriſtus. Pſalmus: Similis factus ſum pelli-
*Pſal. 102. a* cano, *et cetera*. De ſecundo, Pſalmus: Renouabitur B
vt aquilæ iuuentus tua. Aquila noſtra, ſcilicet Chri-
*Phil. 3. d* ſtus renouatus eſt: Reformabit corpus humililatis
noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, tunc plu-
mas antiquas miſeriarum præſentium proijciemus,
tunc per dotem agilitatis celeriores omni aquila eri-
*Iſa. 40. g* mus: Aſſument pennas, vt aquilæ current, & non la-
borabunt, *et cet.* Reuera enim corpus glorificatum
citius tranſiret mille milliaria, quàm aquila vnum paſ-
ſum. Anſelmus: Velocitas agilitasq. tanta nos conco-
mitabitur, vt ipſi angelis Dei æque celeres ſimus, qui
de cælo ad terras, & econuerſo dicto citius delabun-
tur. Nota quòd aquila, quia ſenectute præ nimia cur- C
uato roſtro cibum ſumere non valet, langueſcit. Vn-
de cogente inedia tandem vncum roſtri ad petram
decutit, & tunc ſumens cibum renouatur. Sed certe
ſi renouari vis per glorioſam reſurrectionem, oportet
te ad duram, & grauem pœnitentiæ petram curuita-
tem roſtri, ideſt detractiones, periuria, mendacia, &
alia peccata labiorum deponere, immo omnium pec-
*1. Pet. 2. a* catorum curuitatem. Deponentes omnem malitiam:
ſic enim cibum doctrinæ, & Euchariſtiæ ſpiritualiter
ſumere poteris. De tertio dicitur hic: *Numquid ad
præceptum tuum, et cet.* Eleuatus vtique fuit Chriſtus
ſuper nouem choros angelorum: aſcendit ſuper Che- D
rubin, *et cet.* Nidum ſiue ſedem habet ad dexteram
maieſtatis in excelſis. Pulli huius debent addiſcere
alte volare pennis virtutũ: ad hoc enim aquila noſtra
*Deut. 32. b* Chriſtus nos inuitans ſuper nos volauit: Sicut aquila
prouocans, *et cet.* Alæ autem, quibus volandũ eſt, ſunt
charitas Dei, & proximi. Auguſtinus: Quiſquis di-
lexerit Deum & proximum, animam ſuam habet pen-
natam liberis alis, ſancto ſcilicet amore volante ad
Dominum, quicumque alarum iſtarum carueris ad
cælum non volabis, his autem alis nõ ſolum volamus
*Apoc. 12. d* ad Dominum, ſed etiam effugimus diabolum: Datæ
ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, *et cet.* His alis
draconem ſeptem capita habentem, ideſt diabolum, E
cum ſeptem capitalibus vitijs euadis. De quarto no-
*Iob 39. d* ta quòd aquila acute videt: De longe oculi eius pro-
*Heb. 4. d* ſpiciunt: ita Chriſtus acutiſſime videt: Omnia nuda
& aperta ſunt oculis eius. Vnde neque in tenebris, ne-
que in angulis occultiſsimis aliquid fit, quod non vi-
deat, immo & cogitationes cordis noſtri. Item ſicut
ille, qui malum non videt, & deteſtatur, quandoque
dicit facienti: Væ tibi, quid facis, ſic Chriſtus acutiſ-
ſime videns mala hominum in terra, clamat peccato-
ribus væ, væ, væ: Audiui vocem aquilæ volan-
*Apoc. 8. d* tis per medium cæli dicentis magna voce: F
Væ. Aquila eſt Chriſtus, habitantes
in terra, terreni peccatores ſunt,
quibus dicit: Væ pro pec-
cato cordis, væ pro
peccato oris, væ
pro peccato
operis.
Vel væ in mortis extre-
mo, væ in iudicio,
væ in infer-
no.



## SERMO II.

H*Ic Ieſus qui aſſumptus eſt a vobis in cælum,* *Act. 1. b*
& cetera. Conſiderandum eſt quando
iuerit in cælum Ieſus, & ſic videbimus quo
modo in die nouiſſimo veniet quemad-
modum iuit in cælum. Iuit ergo in cæ-
lum hodie Ieſus in voce tubæ, & ſuſcipiente nube, &
comitatu turbæ, & data benedictione. Sic vtique ve-
niet cum tuba iudicandos excitante, cum nube iudi-
cium approbante, cum benedictione electos lætifi-
B cante. De primo: Aſcendit Ieſus in iubilo: vocem *Pſal. 46. a*
tubæ vocem angelorum credimus Deum laudãtium,
ſic vtique veniet in tuba. Ipſe Dominus in iuſſu, & *1. Theſ. 4. d*
in voce, *et cet.* Gloſſa: Tuba magna Dei erit vox an-
gelorum. Item ſecundum Gloſſam: Ideo ait: in tuba,
quia ſicut tuba vtimur in bellis & in feſtis, ita in iu-
dicio inimicis Domini, ſcilicet peccatoribus graue
bellum inſtabit: Acuet iram diram in lancea, & pu- *Sap. 5. d*
gnabit cum eo orbis terrarum cõtra inſenſatos, *& cet.*
Vere inſenſati ſunt peccatores. Item in iudicio ami-
cis Domini, ſcilicet bonis inſtat æterna ſollemnitas in
cæleſti Sion: Reſpice Sion ſollemnitatis noſtræ ciui- *Iſa. 33. c*
C tatem, *& cet.* O felices qui ad hanc peruenient ſol-
lemnitatem. Bernardus: Æterna omnium bonorum
erit ſollemnitas facie ad faciem intueri, eius dulcedi-
ne ſine faſtidio ſatiari, eius viſione ſine defectu per-
frui. De ſecundo: Nubes ſuſcepit eum ab oculis eo- *Act. 1. b*
rum, ita ad iudicium reuertetur in nube: Videbunt *Mat. 24. c*
filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtu-
te magna & maieſtate. Nubes protegit ab æſtu ſolis:
In nube ergo Dominus veniet, quoniam bonos ab
ardore iudicij obumbrabit. Vnde & boni vmbram
nubium intrabunt: Simul rapiemur cum illis in nu- *1. Theſ. 4. d*
bibus, *& cet.* Væ tunc impijs, qui non in obumbra-
D tione, ſed in ardore erunt, ſicut ſignificatum eſt, vbi *Exod. 13. d*
legitur quòd Dominus præcedet Iſrael in die in co- *14. d*
lumna nubis, in nocte in columna ignis, *& cet.* Dies
eſt vita iuſti, nox vero vita peccatoris: Eratis aliquan *Epheſ. 5. b*
do tenebræ, nunc autem lux in Domino. In die ergo
in nube, in nocte vero in igne apparuit Dominus,
quia ipſe in iudicio proteget bonos, & vret malos.
Vnde & legitur quòd vidit ipſe Daniel thronum *Dan. 7. d*
igneum, & nubem, in qua venit Dominus, ideſt filius
hominis. De tertio, Pſalmiſta: Currus Dei decem *Pſal. 67. d*
millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis
in Synai in ſancto, aſcendiſti in altum, cœpiſti captiui-
tatem. Currus Dei aſcendentis dici poteſt exercitus
E angelorum, currus vtique non neceſſitatis, ſed digni-
tatis. Auguſtinus: Sublatus eſt Chriſtus, *et cet.* Re-
quire ſupra in ſermone: *Tunc aſſumpſit.* Quod au- *Pag. 73.*
tem dicit: decem millibus, hoc ad angelos: Quod di-
cit: millia lætantium, hoc ad animas cum Chriſto aſcen
dentes referri poteſt. An autem ad litteram decem
millia cum Chriſto aſcenderint angelorũ, an nume-
rus certus pro incerto ponatur, Deo committamus,
cum multis, cum millibus lætantium angelorum, &
animarum Chriſtus aſcendit. Ita vtique ad iudicium
cũ multis millibus veniet. Vnde in Canonica Iudæ: *Epiſt. Iud. c*
F Ecce veniet Dominus in ſanctis millibus ſuis facere
iudiciũ contra omnes, & redarguere omnes impios
de omnibus operibus impietatis eorum, *& cet.* Mul-
ta erunt millia, quæ adducet Dominus, vt ipſis præ-
ſentibus, & approbantibus faciat iudicium. Multa
certe millia, quæ adducet Dominus non ſolum ſan-
ctorum, ſed & angelorum cuſtodum animarum no-
ſtrarum, qui tranſgreſſionum teſtes eſſe poſſunt, &
vitiorum: Millia millium, *& cet.* Notabile eſt quòd *Dan. 7.*
in aſcenſione decem millia deſcribuntur. Gregorius:
Ardente cælo, ardente terra, coruſcantibus electis
cum Angelis, & Archangelis, cum thronis & domi-
nationibus, cum principibus & poteſtatibus, tremen-
dus iudex apparebit. De quarto: Eleuatis manibus *Luc. 24. g*


benedixit

benedixit eis: Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælum. Ita vtique veniet Mat. 25. d ad iudicium cum benedictione: Venite benedicti patris mei, *et cetera*. Benedixit illis, ſuper quos leuauit manum dexteram ad benedicendum. Væ illis, ſuper quos eleuabit ſiniſtram manum ad percutiendum, Ezec. 36. b quam iam leuauit ad percutiendum paratus: Ego leuabo manum meam, vt gentes, quæ in circuitu veſtro ſunt, & ipſæ cōfuſionem ſuam portent. Scitis autem quanto altius manus leuatur, tanto fortius percutit. Quàm horribiliter ergo putas in iudicio Dominum Deut. 32. f percuſſurum, qui tam altiſſime leuabit manum: Leuabo ad cælum manus meas.

## SERMO III.

Luc. 19. c *Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reuerti.* Pulcherrime in verbis Chriſti ad cælum aſcenſio, & Chriſti ad iudicium reuerſio oſtenditur. Primum in verbo abeundi, ſecundum in verbo redeundi. De primo, nota quòd abijt Chriſtus ad regnum accipiendum, abijt ad hoſpitium diſponendum, abijt ad Spiritum ſanctum emittendum, abijt ad deſiderium accendendum. De primo dicitur hic: C *Homo quidam nobilis, et cetera.* Nobilis eſt Chriſtus, *et cet.* Auguſtinus: Nobilitas fuit naſcentis in virginitate parientis. Nobilitas autem parientis in diuinitate naſcentis. Nobilis eſt Chriſtus ſecundum carnem, nobilior ſecundum animam, nobiliſsimus ſecundum diuinitatem. Iſte nobilis abijt in aſcenſione, in regionem longinquam patriæ cæleſtis, accipere ſuper Angelos & Archangelos, & omnes ſanctos & ſanctas regnum gloriæ, & ita accepit regnum. Quod omnes de Sap. 5. c manu eius accipiant: Accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini. Merito ſuper om- Philip. 2. a nes eſt exaltatus, qui fuit ſuper omnes vilificatus: Humiliauit ſemetipſum factus obediens, vſque ad mortem, *et cet.* O vere felices huius regni heredes, cuius pulchritudo tam incomprehenſibilis. Auguſtinus: In pulchritudine huius ſæculi prope iam ineffabili viuunt tecum mures, ſerpentes, & vermiculi, quale ergo decus eſt illius regni, vbi tecum non viuent niſi Angeli? Nobilis autem iſte accepto tam nobili, & glorioſo regno, reuertetur cum ſenatoribus ſuis Apo- Prou. 31. c ſtolis in die nouiſsimo: Nobilis in portis vir eius, quādo ſederit cum ſenatoribus terræ. O vere bona ſponſa Eccleſia, bona anima, quæ tam nobilem habet virum. Ciues, qui oderunt iſtum nobilem, non ſolum E Iudæi, ſed etiam Chriſtiani ſunt, qui bene ciues eius ſunt, quia in ciuitate eius, ideſt in Eccleſia morantur. Hi perfidam legationem peccatorum mittunt, quibus Dominum ſuum Chriſtum abijciunt, & ſuper ſe regnare nolunt. Quot enim mala faciunt opera, tot nuncijs Chriſto contradicunt. Sed Chriſtus ad iudicium reuertens ipſos interfici faciet. De ſecundo: Ioan. 14. a Si abiero & præparauero vobis locum: iterū veniam & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego & vos ſitis. Quamuis enim locus gloriæ ab æterno ſit electis Mat. 25. d præparatus: Venite benedicti, *et cet.* tamen Chriſtus ſpecialiter locum præparauit, quantum ad effectum, F quia obſtaculum remouit, quia placauit patris offenſam, mundauit noſtram conſcientiam, & aperuit cæli ianuam. In hoc loco non omnes cum ipſo erunt, quia Baruc. 3. b non niſi electi. Vnde de reprobis dicitur: Vbi ſunt, qui in auibus cæli ludunt? *et cet.* Quære in ſermone: *Volo pater.* Si omnis amœnitas, & oblectatio quam in locis omnibus habent piſces in mari, & in aquis, volucres in aere, & ramis, animalia in ſiluis & paſcuis, homines in hortis, & in cellarijs, & in choreis, & in omni loco, quibus homo in mundo vnquam fuit, libentius ſimul & ſemel eſſet in vno loco: O quàm delectatio ingens eſſet, O quanto ingentior erit cuilibet oblectatio ex colle cæli delicioſiſſimo, in A quo iucundius eſt manere vno die, quàm omnibus diebus ſæculi in loco prædicto. Pſalmiſta: Melior eſt Pſal. 83. c dies in atrijs tuis ſuper millia. Auguſtinus: Tanta eſt pulchritudo iuſtitiæ, *et cet.* Require ſupra in ſermone: Pag. 78. *Catelli edunt de micis.* Nec certe arctus erit habitatoribus locus iſte: O Iſrael quàm magna eſt domus Dei, Baruc. 3. c & ingens locus poſſeſsionis eius. Magnus eſt, & non habens finem, excelſus & immenſus. Nec ſolum paratus locus, immo parata omnia: Væ vobis Mat. 22. a miſeris. Quære in ſermone: *Venite ad me.* Ibi paratus eſt locus ſpatioſus, cibus delicioſus, cœtus copioſus. Væ autem illis, quibus paratus eſt locus in inferno, B de quo: Rogo igitur te Pater, vt mittas Lazarum in Luc. 16. f domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniāt in locum hunc tormētorum. Diues ille in inferno nuncium habere non potuit ad quinque fratres ſuos. Quilibet ergo in hac vita amicum ſuum præmoneat, quem in periculo videt, qui in inferno non poteſt ſuccurrentem aliquem inuenire. De tertio: Si enim non abiero, paraclitus Ioan. 16. a non veniet ad vos. Ac ſi diceret: Niſi dederitis quod amatis, non habebitis quod deſideratis: Date, & da- Luc. 6. c bitur vobis. Bernardus: Gratum quoddam commercium inter cælum, & terram exiſtit celebratum, vt il- C lis daretur caro Chriſti, iſtis conſolatio paracliti, eſſetq. in terra ſpiritus, caro in cælis, ac deinceps omnia eſſent communia in æternum. Nota quòd dixit: Niſi ego abiero. Non enim ante Aſcenſionem ſuam miſit eis paraclitum, non propter ſuam impotentiam, ſed quia ipſi corporali præſentia Chriſti contenti erāt. Bernardus: Delicata eſt diuina conſolatio, non datur omnino admittendus alienam. Item non decuit ipſum miſerum dotare ſeruos ſuos ſecundum Gloſſam in Ioannem: Spiritus nondū, *et cet.* Si autem abiero, non enim ante mittam eum ad vos. Ac ſi aliquis diceret: Si non abiero in cellarium, non habebitis vinum. D Gratia enim Spiritus ſancti vinum eſt: Muſto pleni Act. 2. b ſunt iſti. Item ac ſi diceretur: Si nubes non aſcenderit, pluuia non deſcendet, ſcilicet gratia Spiritus ſancti: Ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis 3. Reg. 18. g aſcendebat de mari, ideſt humilis caro Chriſti de mundo. Item ac ſi diceretur: Si ſol non abierit in altum, non ſenties calorem. Calor autem eſt virtus Spiritus ſancti. Pſalmus: Occurſus eius vſque ad ſummum, Pſal. 18. a *et cet.* Dicit non eſt qui ſe abſcondat, quod eſt ſignum præſentiæ eius. Bernardus: Nullum ſignum certius præſentiæ Spiritus ſancti, quàm deſiderium amplioris boni. Item ex motu cordis eius intellexi præſen- E tiam eius. Cœpi enim euellere, & deſtruere, plantare & ædificare, rigare arida, tenebroſa illuminare, clauſa reſerare, & frigida inflammare. Hoc mihi ſignum videlicet aſcendentis: triſtis, inquam, ſit anima mea, donec reuertatur in terram ſuam, & ſolito incaleſcat cor meum. De quarto: Quo abijt dilectus tuus o Cant. 5. d pulcherrima mulierum, quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum? Pulchra fuit Eccleſia illa ante legem, pulchrior illa ſub lege, pulcherrima iſta ſub Euangelio, poſt legem & tempore gratiæ. Huius ſponſus dilectus, dulcis, nobilis, pretioſus abijt in Aſcenſione: Non eſt vir in domo, ideſt Chriſtus per Prou. 7. c F præſentiam viſibilem, abijt via longiſſima in Aſcenſione, longa ſuper primam Hierarchiam, longior ſuper ſecundam, longiſsima ſuper tertiam. Saccum pœnitentiæ, ſcilicet corpus in quo eſt, diuinitas ſecum tulit, in die plenæ Lunæ reuerſurus, hoc eſt, in die iudicij, quando Luna, ideſt Eccleſia erit plena completo numero ſaluandorum. De tali dilecto dicitur: Et quæremus eum tecum. Talis dilectus, ex quo abijt, eſt, maiori deſiderio quærendus. Bernardus: Occultat ſe Deus, vt ardentius quæratur. Require ſupra in ſermone: *Pater tuus*, & ego, *et cet.* Pag. 41.





## SERMO IV.

Pſal. 46. a *Aſcendit Deus in iubilatione*, & cetera. Inuenimus in ſcripturis, quòd aſcendit Deus, Angelus, homo, diabolus. Aſcendit Deus glorioſe, Angelus officioſe, homo delitioſe, diabolus præſumptuoſe. Aſcendit Deus in iubilatione, Angelus in miniſtratione, homo in euolatio- Pſal. 46. a ne, diabolus in ambitione. De primo, Pſalmus: Pſallite Deo noſtro, pſallite, *et cet.* Chariſsimi aſcendente Deo pſallite, pſallendo cum ipſo corde aſcendite. Pſal. 83. b Pſalmus: Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum. Sed nota, quòd aſcendit Deus in paſ- Cant. 7. c ſione: Aſcendam in palmam, *et cet.* Item in reſurre- Pſal. 67. a ctione. Pſalmus: Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, ideſt ſuper mortem. Item in aſcenſione. Pſal- Pſal. 17. a mus: Aſcendit ſuper cherubim, *et cet.* Primo modo aſcendit Deus Iudæis inſultantibus, ſecundo dæmonibus trepidantibus, tertio Angelis iubilantibus, Apoſtolis admirantibus, liberatis in communicantibus. Pſal. 67. c Pſalmus: Aſcendit in altum captiuam duxit. De ſe- Gen. 28. c cundo figuratum eſt, vbi legitur, quòd Iacob vidit Angelos Dei aſcendentes per ſcalam. Nota hiſtoriā. Angeli aſcendunt ea, quæ noſtra ſunt, ad Deum offerentes, deſcendunt autem ad ea, quæ Dei ſunt, ad nos deferentes. Patet hoc in Raphaele, qui cum aſcendit Tob. 12. c dixit: Quando orabas cum lacrymis, *et cet.* Nota quæ Iac. 1. g ibi dicuntur. Propter hoc bene dicitur: Videbitis cælum apertum, & angelos Dei aſcendentes ſuper filiū hominis, ſcilicet qui eſt caput Eccleſiæ, cuius membra ſunt omnes fideles. Aſcendunt ergo Angeli quotidie de membris ad caput, & deſcendunt de capite ſuper membra, præcipue in morte cuiuſlibet iuſti, apud quem ſcalam virtutum inueniunt. Huius ſcalæ duo ligna ſunt principalia. Amor Dei, & proximi. Gradus vero ſunt timor, caſtitas, patientia, veritas, & ceteræ virtutes, per quas hic de miſericordia in hac ſcala Dominum innixum videbis, quando cum Iacob ſuper lapidem duræ pœnitentiæ obdormieris, ſicut Act. 7. g etiam Stephanus, quando inter lapides obdormiuit in Domino, vidit cælum apertum, & Ieſum ſtantem, ad ſuſtinendum. Si ſic ergo moriendo obdormieris, ſi talem ſcalam præparaueris, Angelos pro anima tua deſcendētes habebis. Bernardus: Non ambigo, quin Angeli gratanter in palatio colligant, quem dignanter Ier. 17. d in ſterquilinio viſitant. De tertio: Ingredientur per portas ciuitatis huius reges, & principes aſcendentes in curribus, & in equis. Reges coronam portantes & principes, ſunt omnes iuſti in ciuitate cæleſti regnantes, per cuius portas delitioſæ aſcendunt animæ vo- Cant. 8. b lantes, ſicut de illa ſancta anima dicitur: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs, *et cet.* Currus ſunt boni fructus, & ſtatus bonorum hominum. Aſcendunt ergo quidam in curru coniugali, quidam in viduali, quidam in virginali. Sed quattuor rotæ ſunt neceſſariæ in curru ad aſcendendum, de quibus Pſal- Pſal. 23. a miſta: Quis aſcendet in montem Domini? Certe innocens manibus, ecce vna rota. Et mundo corde, ecce alia rota. Qui non accepit in vano animam ſuā, ecce tertia. Nec iurauit in dolo proximo ſuo, ecce quarta. Oportet ergo currum bonæ vitæ igneum eſſe 4. Reg. 2. b per dilectionem, vt legitur, quòd Elias in curru igneo aſcendit. Aſcendunt ergo in curribus euolantes, in equis autem reſumptis corporibus ſurgentes. Omnes enim de equis, ideſt corporibus eijciemur in morte. Sed ad equos omnes rediemus in reſurrectione, boni Apoc. 19. c quidem ad albos: Sequebamur eum in equis albis. Iſa. 14. c De quarto: In cælum conſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo, *et cetera*. Adhuc autem diabolus, & membra eius omnes ſuperbi, aſcendere quærunt per ambi- Pſal. 73. d tionem. Pſalmus: Superbia enim qui te oderunt Iob 20. a aſcendit ſemper. Contra quod dicitur: Si aſcenderit in cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetige-



A rit, quaſi ſterquilinium in finem perdetur. Quantum enim aſcenderunt mali per ambitionem in mundo, tantum deſcendent per damnationem in inferno Pſalmus: Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt Pſal. 106. c vſque ad abiſſos, *et cet.* Et quantum nunc per triginta vel quadraginta annos aſcendunt, tantum in momento deſcendent. Bernardus: Paulatim aſcendes, ſed non paulatim deſcendes: Videbam enim ſatanam ſi- Luc. 10. c cut fulgur cadentem de cælo.

# DOMINICA INFRA OCT. ASCENSIONIS.

B

## SERMO I.

*Vos teſtimoniū perhibebitis, et cet.* Perhibet homo teſtimoniū de Chriſto, de ſeipſo, de proximo. Ioan. 15. d Primū eſt teſtimonium ſapientiæ, ſecundum conſcientiæ, tertium iuſtitiæ. De primo dicitur modo in Euan- C gelio: *Cum autem venerit paraclitus, et cet. vſque: Et vos teſtimonium perhibebitis.* Quærit Dominus teſtimonium non propter ſe, ſed proptce mundum. Legimus autem Domino perhiberi teſtimonium ſuæ credibilis veritatis, honorabilis poteſtatis, amabilis pietatis, terribilis ſeueritatis. De primo: Hic venit in teſtimonium, vt teſtimoniū, *et cet.* Ioan. 1. a Luminis diuinæ veritatis non ſolum doctores, ſed etiam omnes fideles debent teſtes eſſe per fidem. Vnde fides catholica eſt illud altare mirificæ magnitudinis, quod vocabatur teſtimonium noſtrum, quòd Do- D minus ipſe ſit Deus, ſicut dicitur: Hoc altare tot ha- Ioſ. 22. e. f bet lapides quot credentes. Et vere mirificæ magnitudinis eſt hoc altare, tam in longitudine, quàm in latitudine, & profunditate, quia fides attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit nouiſſima, ipſam denique æternitatem ſuo illo latiſſimo ſinu quoquo modo circumducit. Si ergo chariſſimi teſtimonium perhibetis de lumine non in tenebris, ſed in lumine ambulate. Sed multi non luminis, ſed tenebrarum, non veritatis, ſed falſitatis teſtimonium Deo dant, qui inconuenientia de Deo affirmant, ſicut hæretici, ſortilegi, blaſphemi, periuri, quæſtuarij, & huiuſmodi, qui non vera, ſed E falſa contra Deum teſtantur. Vnde adhuc hodie dici poteſt Domino illud: Non audis quanta aduerſum Mat. 27. b te dicunt teſtimonia? Talibus teſtimonijs ſe lædunt, non Deum, ſi pugno columnam ferias, te, non columnam lædas. Sic quando blaſphemia Deum percutis, teipſum diſrumpis. Sed certe licet nunc Deus taceat ſicut in paſſione, ipſe tamen verum teſtimonium feret contra impios in iudicio, qui falſum contra ipſum dicunt teſtimonium in mundo: Accedam ad vos Malac. 3. b in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris periuris, *et cetera*. De ſecundo: Teſtimonium per- Ioan. 12. c hibebat ei turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum F vocauit de monumento, & ſuſcitauit eum a morte: propterea & obuiam venit ei turba, ſcilicet cum ramis. Magna certe potentia animam de inferis, corpus de mortuis educere. Multa certe maieſtatis diuinæ habuit Chriſtus teſtimonia, non ſolum adultus, ſed adhuc infans, vt pote a Ioanne in vtero, a Magis Luc. 1. d in ſtabulo, a Simeone in templo. Auguſtinus: Hæc Mat. 2. b ſunt teſtimonia tua Domine Ieſu Chriſte, antequam Luc. 2. d tibi ſubſterneretur fluctus maris, campi cederent imperanti, antequam ventus, te iubente, ſiluiſſet, vel mortui, te vocante, reſurrexiſſent, ſol te moriente palluiſſet, te reſurgente terra tremuiſſet, cælum te aſcendente patuiſſet. Nota, ſi ramis honoratur, qui a morte corporis ſuſcitauit Lazarum, quanto magis

ramis bonorum operum honorare debes eum, qui a A
morte animæ ſuſcitat teipſum? Item ſi ſic pro vno ſu-
ſcitato cum ramis obuiam itur Chriſto, quantis ergo
ramis bonorum operum neceſſe eſt ei obuiam eatur,
qui totum mundum in die nouiſſimo ſuſcitabit? Sed
certe ramus boni operis acceptus Chriſto non eſt, niſi
Gen. 8. b per Spiritum ſanctum, ſicut figuratur, vbi ramus per
columbam, ideſt per Spiritum ſanctum, offertur Noe,
Ioan. 19. f ideſt Chriſto. De tertio: Vnus militum lancea latus
eius aperuit, & cõtinuo exiuit ſanguis & aqua, & qui
vidit, teſtimonium perhibuit, *et cetera*. Ecce teſtimo-
nium diuinæ pietatis. Quæ enim maior eſt pietas,
quàm mori pro impijs, & pia morte impios facere B
pios? Huius autem pietatis, quæ eſt in iuſtificatione
Act. 10. g impiorum teſtimonium magnum eſt: Huic omnes
prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem pec-
catorum recipere per nomen eius, qui credunt in il-
Iac. 2. d lum. Qui credunt certe fide viua, non mortua: Fi-
des ſine operibus mortua eſt. Nota magna pietas eſ-
ſet, ſi vni ignoſceres, qui domum tuam cremaſſet, fi-
lium tuum occidiſſet, ſponſam tuam violaſſet. Hoc
totum peccator ſpiritualiter fecit contra Deum. Ipſe
enim eſt filius Dei, cor eius domus Dei, anima eius
ſponſa Dei, & tamen non vnus de huiuſmodi accipit
remiſſionem, ſed omnes, qui credunt in illum. De C
Iudit. 13. d quarto: Deus Iſrael, cui tu teſtimonium dediſti quòd
vlciſcatur de inimicis ſuis, *et cetera*. Hanc vltionem,
& temporaliter, & æternaliter exercet Deus, non ſo-
lum in teſtimonium ſuæ iuſtitiæ, ſed etiam in teſtimo-
nium humanæ malitiæ. Sicut in Sodomitis apparet:
Sap. 10. b Quibus in teſtimonium nequitiæ fumigabunda con-
ſtat deſerta terra, *et cet.*

## SERMO II.

Ioan. 15. d VOs *teſtimonium perhibetis*, & cetera. Dicto
hodie quo modo homo teſtimoniũ per- D
hibeat Deo, nunc dicendum, quo modo
ſibi & proximo. Perhibet ergo homo ſibi
teſtimonium per propriam conſciẽtiam,
& hoc tripliciter. Apud Deum in cogitatione, apud
ſacerdotem in confeſſione, apud omnes in extrema
2. Cor. 1. c examinatione. De primo: Gloria noſtra hæc eſt, te-
ſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sicut facies pulchra,
& ornata eſt gloria ſponſæ apud ſponſum, ſic facies
rugata eſt ignominia: Rugæ meæ teſtimonium con-
Iob. 16. b tra me. Rugæ animæ Chriſtianæ ſunt duplices. Ru-
ga prima eſt bonum oſtendere, & malum intendere,
bonum exterius oſtendere, & malum & hypocriſim E
interius habere. Omnis, qui ſic rugatur, turpis eſt,
quia mendax eſt. Ambroſius: Mendacium eſt Chri-
ſtianum ſe dicere, & opera Chriſti non facere. Se-
cunda ruga eſt ſe confiteri quod non eſt, & maxime
in illis, qui dati ſunt in exemplum. Vnde Ambroſius:
Mendacium eſt ſe ſacerdotem, vel clericum confiteri,
& contraria huic ordini operari. Sed huiuſmodi ru-
Mat. 8. a gas ſi in facie conſcientiæ habueris, Chriſti ſponſa
non eris. De ſecundo: Oſtende te ſacerdoti, & of-
fer munus tuum quod præcepit Moyſes in teſtimo-
nium illis. Hoc munus eſt confeſſio, quæ eſt teſtimo-
nium mundationis tuæ a lepra peccatorum. Hoc au- F
tem præceptum diuinum, vt oſtendat ſe ſacerdoti, ni-
hil aliud ſignificat, niſi quòd in confeſſione ſua om-
nia, quæ commiſit, plenarie pandat, habendo interius
contritionem, pandendo exterius per oris apertionẽ,
ſatisfaciendo poſterius per debitam operationem, &
Pſal. 118. r tunc poterit dicere cum Pſalmo: Mirabilia teſtimo-
nia tua Domine, quæ hodie feciſti in me, ideo ſcru-
Rom. 2. b tata eſt ea anima mea. De tertio: Oſtendunt opus
legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium redden-
te illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogi-
tationum accuſantium, aut etiam defendentium in
die, cum iudicabit Deus occulta hominum. O quàm
grauiſſimum teſtimonium, quando Scriptura pro-
A priæ conſcientiæ conuincet hominem coram omni-
bus: Iudicium ſedit & libri aperti ſunt, ideſt cõſcien- Dan. 7. e
tiæ manifeſtæ erunt. Quid ergo de illis, qui non ſo-
lum Scripturam conſcientiæ, ſed etiam ſapientiæ in
corde contra ſeipſos tenent, ſicut litterati, & alij, qui
multa bona ſciunt, & mala faciunt? Tales quanto
meliorem habent ſapientiam, tanto magis habent ſuæ
damnationis teſtimonium. Vnde: Tollite librũ iſtum, Deut. 31. f
& ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei no-
ſtri, vt ſit tibi contra te teſtimonium. Liber in arca,
eſt ſapientia in corde. Perhibet homo quoque teſti-
monium proximo triplex, videlicet, cauſale, morale,
B finale. Primum perhibetur in cauſis quotidianis, ſe-
cundum bonæ opinionis, tertium iudicij finalis. Pri-
mum in cauſis quotidianis: ſed heu ſæpe falſum: Prou. 25. c
Iaculum & gladius, & ſagitta acuta homo, qui loqui-
tur contra hominem falſum teſtimonium. Iaculum
contra proximum, gladius contra ſeipſum, ſagitta
contra Deum. In hoc teſtimonio exigitur non ſolum
teſtimonij veritas, ſed etiam teſtimonij pluralitas:
Non ſtabit teſtis vnus contra aliquem. Sed valde ti- Deut. 19. d
mendum eſt, quod Iſidorus ait: Ille apud Deum con
demnatur, qui aduerſus innocentem falſum teſtimo-
nium vel dicit, vel dicentibus credit. Nam non ſolum
C reus eſt, qui falſum de aliquo profert, ſed is, qui cito
aurem dat. Secundum eſt teſtimonium bonæ opinio-
nis: Conſiderate ergo ex vobis viros boni teſtimonij, Act. 6. a
*et cetera*. Ecce quale teſtimonium habere debent, qui
ad officia ſumendi ſunt. Si ergo prælatum, vel iudi-
cem, ſi conſulem ſi vxorem, ſi maritum, ſi Dominum
tuum, ſi ancillam, ſi ſocium aſſumis, ſi boni teſtimo-
nij ſint attendas. Quidam enim valde turpe habent
teſtimonium, ſicut ſunt mendaces, latrones, rapto-
res, *et cet.* de quibus: Cretenſes mendaces, malæ be- Tit. 1. d
ſtiæ, ventres pigri, teſtimonium hoc verum eſt. At-
tendenda autem eſt non ſolum teſtimonij veritas, ſed
D etiam teſtium honeſtas. Honeſtus teſtis fuit, qui di-
xit: Teſtimonium perhibeo vobis, quòd ſi fieri poſ- Galat. 4. b
ſet oculos eruiſſetis & dediſſetis mihi, nam hiſtrionũ,
& infamium & perſecutorum iuſtitiæ, & veritatis pa-
rum curandum eſt teſtimonium. Sæpe enim laudant
vituperandos, & vituperant laudandos: Qui relin- Prou. 28. a
quunt legem, laudant impium, *et cet.* Tertium teſti-
monium perhibebitur in iudicio finali ab Angelis, &
ſanctis: Inſtauras teſtes tuos contra me, *et cet.* Vnde: Iob 10. c
Et omnes Angeli eius. Gloſſa: Teſtes humanorum Mat. 25. c
actuum, ſub quorũ cuſtodia bene, vel male egerunt.
Non ſolum autem Angelorum, ſed & totius orbis
E terrarum teſtimonio confundentur reprobi: Pugna- Sap. 5. d
bit enim cum eo orbis terrarum contra inſenſatos:
In illo die nihil eſt, quod reſpondeamus, vbi cælum
& terra, aqua, & ſol, & luna, & dies & noctes, & to-
tus mundus ſtabit aduerſum nos in teſtimonium pec-
catorum noſtrorum, & ſi omnia taceant, tamen ipſæ
cogitationes, & opera ipſa ſtabunt ſpecialiter ante
oculos noſtros accuſantes nos ante Deum. Non ſo-
lum autem totius orbis, ſed orbem iudicantis teſti-
monio conuincentur: Ego teſtis velox maleficis, & Malac. 3. b
adulteris, & periuris.

## F SERMO III.

ABinitio *mecum eſtis*, & cetera. Chriſtus olim Ioan. 15. d
dixit Apoſtolis, qui ſecum erant corpora-
liter. Sed certe bene quibus adhuc quoti-
die dicere poteſt: *Mecum eſtis*. Mecum vti-
que cohabitando ſpiritualiter, perſeuerando finaliter,
congregando æternaliter. Circa primum dic, quòd
beati ſunt conuerſantes cum Domino, quibus poteſt
dicere: *Mecum eſtis*. Mecum eſtis, inquam, conui-
uando interius per deuotionem, fructificando exte-
rius per operationem, expectando ſuperius per retri-
butionem. De primo: Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, Apoc. 3. d
*et cet. vſque* cœnabo cum ipſo, & ipſe mecum. Hæc
eſt ſpi-



eſt ſpiritualis cœna refectionis, in qua ſicut dicitur: A
Ioan. 12. a Maria vnxit Ieſum vnguento deuotionis. Cœnatur
cum Deo non ſolum ſpiritualiter, ſed etiam ſacramen
taliter. Sed etiam mali quandoque ſunt in cœna, &
Luc. 22. c tales ſimiles ſunt Iudæ: Ecce manus tradentis me me-
cum eſt in menſa. Auguſtinus: Quàm multos Iudas
implet ſatanas indigne ſumentes buccellam ad iudiciũ
Pſal. 49. b ſuum. De ſecundo, Pſalmus: Pulchritudo agri me-
cum, *et cetera*. Pulcher ager eſt iuſtus quilibet, qui
fructum bonorum operum affert. O Domine Deus,
quãto labore colitur ager pro fructu temporali vnius
anni? quanto plus ager cordis pro fructu in æternum
Ioan 15. c manente: Fructus veſter manebit, *et cet.* Econtrario B
ager diaboli, qui ſpinas & tribulos vitiorum profert,
Prou. 24. d pulcher non eſt: Per agrum hominis pigri tranſiui,
*et cetera*. Talis ergo non eſt tecum Domine, ſed te-
Mat. 20. b cum diabole. De tertio: Nonne ex denario conue-
niſti mecum? Qui denariũ æternæ mercedis affectat,
in vinea Eccleſiæ, vel conſcientiæ laborare, & botros
Luc. 11. c meritorum colligere non negligat: Qui non colligit
mecum, diſperdit, *et cet.* Circa ſecundum quòd Do-
minus fateatur electos perſeuerare ſecum in conuer-
ſione pœnitentiali, in tribulatione temporali, in dile-
Mat. 15. d ctione finali. De primo: Miſereor turbæ, quia iam
triduo perſeuerant mecum. Triduo, ſcilicet contri- C
tionis, confeſſionis, ſatisfactionis. Hoc triduo perſe-
uerare debet cum Domino, qui recedere vult a dia-
bolo. Vnde cum filij Iſrael recedere vellent a Pha-
Exod. 3. f raone, qui diabolum ſignificat, dixerunt: Ibimus
viam trium dierum in ſolitudine. Per hoc triduum
Chriſtus in corde pœnitentis, tamquam in ſepulchro
Luc. 22. c quieſcit. De ſecundo: Vos eſtis, qui permanſiſtis
mecum in tẽtationibus, *et cet.* Nota quòd dicit: Meis.
Omnes enim tribulationes, quas fideles Chriſti ſuſti-
nent, Chriſti ſunt, Chriſto inferuntur. Vnde qui vi-
duas, vel pupillos, vel pauperes hic opprimunt, Chri-
Act. 9. a ſtum perſequuntur. Vnde & Paulo nõ dicitur: Quid D
Pſal. 90. d fideles meos, ſed quid me perſequeris? Certe ſi in tri-
bulatione, *et cet.* Require ſupra in ſermone: Cras egre
Pagina 19. diemini, &. Sed certe ſi vis cum Chriſto perſeuerare
in tentatione, debes valde vigilans eſſe in circumſpe-
Mat. 26. d ctione, ne improperet tibi: Non poteſtis vna hora
Luc. 15. g vigilare mecum? De tertio: Fili tu ſemper mecum
es, *et cet.* Gloſſa: In æterna beatitudine, & omnium
ſingula, & ſingulorum omnia noſtra ſunt: ſuperiora
ad videndum, noſtra: æqualia ad conuiuendum, no-
1. Cor. 3. d ſtra: inferiora ad dominandum, noſtra, *et cet.* Omnia
veſtra, *et cetera*. Si ergo omnia: ergo & Angeli, &
Rom. 8. f mater Chriſti: ergo ciuitas beata, certe ſic: Qui etiam E
proprio filio non pepercit, *et cet. vſque* omnia nobis
donauit. Ecce enim Deus donauit homini omnia,
& homo pro Deo non dat de omnibus modica, ſicut
Luc. 16. e patet in diuite illo. Qui ergo omnia bona paterna
habere voluerit, ſemper per amorem cum patre ſit.
Circa tertium nota quòd fatetur Dominus electos
fore ſecum in gloria celeriter, familiariter, honora-
biliter. Dicat ergo Dominus: Mecum erunt electi ce-
Luc. 23. f leriter: Hodie mecum eris in paradiſo. Ecce latro iſte
tarde ad conuerſionem, celeriter venit ad requiem.
Auguſtinus: De facinore ad iudicium, de iudicio
in ligno, de ligno in paradiſum venit. Item familia- F
Ioan. 17. d riter: Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum,
& illi ne ſint mecũ, vt videant claritatem meam.
Apoc. 3. d Item honorabiliter: Qui vicerit, dabo ei
ſedere mecum in throno meo, *et cet.*
ſed certe tunc cum Domino in
omnibus prædictis non erit,
qui modo a ſordibus
vitiorum lotus
non fue-
rit:
Ioan. 13. a Si non lauero te, non
habebis partem
mecum.

# IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

## SERMO I.

NOlite *contriſtare Spiritum ſanctum in* Epheſ. 4. g
*quo ſignati eſtis*. Vere nobilibus ſi-
gnis nobilis ille Spiritus ſanctus
nobiliter nos ſignauit. Et ideo no-
ſtrum ſignatorem nolimus contri-
ſtare, ideſt a nobis per mala opera
fugare: ſicut dicit Gloſſa: Signat
autem Spiritus ſanctus electos ſigno veritatis creden-
dorum, ſigno honeſtatis morum, ſigno paupertatis
terrenorum, ſigno charitatis Dei, & proximorum. Epheſ. 1. c
De primo ſigno, quod eſt fidei, dicitur: Credentes ſi-
gnati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto. Hoc ſigno di-
ſcernuntur fideles ab infidelibus poſt baptiſmum, ſi- Ioſ. 4. a
cut ſignificatum eſt: vbi tranſgreſſis filijs Iſrael Iorda-
nem, præcepit duodecim viris quos elegerat de filijs
Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus portare de Iorda-
ne ſicco duodecim lapides in humeris ſuis, vt ſint, in-
quit, ſignum inter vos. Duodecim lapides, duodecim
articulos fidei ſignificant, qui in Symbolo continen-
tur, qui duodecim dicuntur ſecundum traditionem
duodecim Apoſtolorum. Vnde duodecim viri, duo-
decim Apoſtolos ſignificant, qui articulos fidei per
mundum prædicando portabant. Iordanis autem in
quo ipſe Saluator baptizatus eſt, baptiſmum ſignifi-
cat. In cuius tranſitu huiuſmodi ſignum, & diſcre-
tionem fideles accipiunt. Super hos duodecim Ec-
cleſia fundatur, qui bene in humeris portari iubentur.
In humeris enim onera grauia quæque portamus.
Quicumque ergo onera laborum, vel grauamina ad-
uerſorum per fidem, ſeu per fidei articulos tolerant,
ipſi quaſi in humeris lapides Dei portant. Et ſicut in
humeris leuius feruntur grauia, ſic vtique omnia gra-
uamina feremus leuiter, ſi fidem viuam habemus.
Bernardus: Quid eſt quod non operamur etiam per
medios enſes, ſi oporteat declinare tantam miſeriam,
& ad tantã accelerare gloriam? Aaron ſummus ſacer-
dos duodecim lapides, ſcilicet gemmas in pectore
portabat, ſicut legitur: Apparet ergo quòd duodecim Exod. 39. b
lapides, hoc eſt duodecim fidei articulos in pectore, c
& in humeris, ideſt in corde, & opere portare debe-
mus. In pectore quidem, vt corde recte ſentiamus.
In humeris autem, vt in laboribus, & grauaminibus
fidem oſtendamus. Vnde: Subijce humerum tuum, Eccli. 6. c
& porta illam, ſcilicet ſapientiam, quæ eſt per fidem
veram. Sed heu humeros proprios multi ſubſtrahũt,
& humeris alienis multa imponunt: Alligant onera Mat. 23. a
grauia, *et cet.* Signantur etiam electi ſigno religioſita-
tis, vel honeſtatis morum. Hoc ſigno mali a bonis
deſignantur per opera: In manu omnium hominum Iob. 37. a
ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua. In manu vtique,
ideſt in opere bono apparet hoc ſignum, vt ſinguli
operantes, & opera videntes cognoſcant opera ſua,
vtrum ſcilicet a Deo, an a diabolo, vtrum carnalia, an
ſpiritualia ſint. Gloſſa: Fidei noſtræ veritatem in vitæ
noſtræ conſideratione oportet cognoſcere. Et quia
fides ſine operibus mortua eſt, ideo hoc ſignum ſem Iac. 2. d
per debet eſſe annexum ſigno fidei: Signa eos qui cre- Mar. vlt. d
dunt hæc ſequentur: In nomine meo, *et cet.* Dæmo-
nia ſunt peccata, quæ de corde eijcere debemus. Vn-
de de Magdalena deiecta ſunt ſeptem dæmonia, ideſt
ſecundum Gregorium vniuerſa vitia, atque peccata.
Linguis nouis loquentur. Linguæ nouæ ſunt verba
ædificatoria & ſancta. Linguæ enim antiquæ fuerunt
verba nociua & praua, ſed recedant vetera de ore ve-
ſtro, *et cet.* Serpentes ſunt motus, ſiue concupiſcen-
tiæ ſenſualitatis. Væ ei, qui ſerpenti conſentit, quia
paradiſum

*Gen. 3. d* paradiſum perdit, ſicut Eua & Adam. Serpentes ergo ferimus, quando concupiſcentias reſtringimus. Et ſi mortiferum quid biberint, *et cet.* Mortiferum eſt quodlibet ſcandalum, quælibet iniuria, quæ non ſolum in facto, ſed etiam dicto nobis infertur. Vnde *Iac. 3. b* de lingua dicitur: Eſt enim inquietum malum, plena mortifero veneno. Si ergo accepta iniuria, non inflammamur per ſuperbiam, non ſuffocamur per inuidiam, non diſrumpimur per iracundiam, tunc mortiferum bibimus, & non nocet nobis. Bibe pro proxi- *Mat. 20. c* mo quod pro te bibit Chriſtus. Poteſtis bibere, *et cet.* Gregorius: Quidquid afflictionis terrena propinat aduerſitas, leue erit ſi inſpicimus quid bibit in crucis patibulo, qui nos inuitat ad cælum. Manus impoſitiones ſunt adiutoria charitatis, & remedia impietatis, ex quibus ſæpe conualeſcunt, qui vel ſpiritualiter, vel corporaliter ægri ſunt. Vides ergo quòd dæmonia ſunt vitia voluntatis, linguæ nouæ ſunt verba vtilitatis, ſerpentes ſunt concupiſcentiæ ſenſualitatis, mortifera ſunt iniuria aduerſitatis, manuum impoſitiones ſunt adiuuatio charitatis.

## SERMO II.

*Epheſ. 4. g* *Iſa. 20. a* NOlite contriſtare Spiritum ſanctum, & cet. Nunc de tertio & quarto Spiritus ſancti ſigno videamus. De tertio: Ambulauit ſeruus meus Iſaias nudus & diſcalceatus, trium annorum ſignum, & portentum erit. Conſiderandum autem, quòd quidam nudi ſunt & diſcalceati. Quidam neque nudi, neque diſcalceati. Quidam nudi & non diſcalceati. Quidam vero diſcalceati, ſed non nudi. Nudus & diſcalceatus eſt, qui caret temporalium tegumento & affectione. Nudus quidem eſt, qui caret rerum poſſeſſione. Diſcalceatus autem qui caret cupiditatis affectione. Pedes enim ſunt animæ affectus. Neque nudi, neque diſcalceati, ſunt diuites mundi, qui neque poſſeſſione rerum, neque cupiditatis affectu exuti ſunt, & rebus abundant, & adhuc cupiditatibus inhiant. Nudi autem & non diſcalceati ſunt pauperes mundi, qui etiam ſi res non habent, cupiditate tamen habendi non carēt. Diſcalceati vero ſunt, & non nudi diuites boni, qui ſecun- *Pſal. 61. d* dum Pſalmũ cum eis diuitiæ affluunt, ipſi tamen per auaritiam cor non apponunt. Amicti quidam ſunt temporalibus, ſed diſcalceati ſunt cupiditatibus. Nudi, inquam, & diſcalceati ſunt, qui & rebus, & cupiditatibus exuti ſunt, qui nec proprietatem in aliquare, nec cupiditatem in corde habent. Ecce ſignum trium annorum. Prima perfectio renunciationis temporalium eſt relinquere ſuperflua, ſed non neceſſaria ſecundum Euangelium, habentes duas tunicas, ſcilicet neceſſariam & ſuperfluam, det ſuperfluam non habenti, qui ad hanc perfectionem perueniunt, quaſi vnius anni ſignum habent. Secunda vero perfectio paupertatis eſt relinquere non ſolum ſuperflua, ſed etiam neceſſaria. Relinquere, inquam, in ſpeciali, ſed non in communi, ſicut multi religioſi, qui licet manſiones, & prædia, & multa bona habeant communiter, tamen non habent ſingulariter, & iſti duorum annorum ſignum habent. Tertia perfectio, vel conſummatio paupertatis eſt relinquere omnia ſuperflua, & neceſſaria, relinquere etiam in communi, & in ſpeciali. Iſta perfectio fratres chariſſimi ad nos pertinet ſecundum regulam. Vnde nobis eſt datum ſignum trium annorum. Et certe vſque ad tempora beati Franciſci fere omnes in tertio ſigno defecerunt. Sed ecce ſeruus Domini Frãciſcus ambulauit nudus, & diſcalceatus, vt nobis trium annorum, hoc eſt extremæ perfectionis paupertatis ſignum eſſet. Hoc vtique paupertatis ſignum ipſe Saluator in ſua nobis na- *Luc. 2. a* tiuitate oſtendit: Hoc vobis ſignum: inuenietis infan- *Pſal. 85. a* tem, *et cet.* De quarto ſigno accipi poteſt illud Pſalmi: Fac mecum ſignum in bono, vt videant qui me

Perfectio paupertatis triplex. *Mat. 10. a*

Paupertatis perfectio 2.

Paupertatis perfectio 3.

A oderunt, & confundantur. Qui nos oderunt, dæmones ſunt, peruerſi homines. Quod autem eſt ſignum quo maxime odientes alios confundantur? Vtique charitas eſt. Nam ſi tu benedicis ei, qui tibi male dicit, vtique confunditur: ſi pro ſignis ſui rancoris accipit ſigna tui amoris, vtique confunditur. Hoc eſt ſignum ſalutis Raab, quod in funiculo coccineo in feneſtra ligato accepit, ſicut dicitur. Quid in funicu- *Ioſ. 2. e* lo coccineo, qui ignei coloris eſt, niſi charitas ſignificatur? Nam charitas ignea, & ardens debet eſſe, & ſicut funiculo naues ad portum trahuntur, ita charitatis vinculo trahuntur ad portum ſalutis æternæ: In *Oſee 11. a* B funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis. Pertrahemur vtique ad portum, ſi funiculus amoris fortis fuerit: Funiculus triplex difficile rumpitur. Tri- *Eccls. 4. c* plex debet eſſe amoris funiculus, quia & Deum, & amicum, & inimicum debemus diligere. Gregorius: Ima & ſumma eſt præparatio charitatis, ſi & ipſe diligitur, qui aduerſatur: hinc eſt quòd Veritas, & crucis patibulum ſuſtinet, & tamen ipſis ſuis perſecutoribus affectionem dilectionis impendit, dicens: Pater ignoſce illis, *et cet.* Si non diligis inimicum, non ha- *Luc. 23. e* bes hunc triplicem funiculum. Si ergo Iericho, ideſt mundo damnatione æterna pereunte, in feneſtra cor- C dis funiculum charitatis non habueris, tu ſimiliter cum mũdo peribis. Ecce chariſſimi quibus virtutum ſignis nos ſignauit Spiritus ſanctus: Si autem ſigna virtutum ſigna Spiritus ſancti habetis, tunc nequaquam ſigno humilitatis caretis. Gregorius: Mens, quæ diuino ſpiritu impletur, habet euidentiſſime ſigna ſua, virtutes ſcilicet, humilitatem, & charitatem, quæ ſi vtraque vna mente perfecte conuenerint, liquet quòd de præſentia Spiritus ſancti teſtimoniũ ferunt.

## SERMO III.

NOlite contriſtare Spiritum ſanctum, & cet. *Epheſ. 4. g* D Contra prædicta quattuor ſigna Spiritus ſancti ſignificantur peruerſi quattuor ſignis ſpiritus maligni. Signis vtique infidelitatis, carnalitatis, cupiditatis, doloſitatis. *Nolite ergo contriſtare Spiritum Dei, in quo ſignati eſtis*, vt pro ſigno Spiritus ſancti accipiatis ſignum ſpiritus maligni, pro ſigno fidelitatis ſignum infidelitatis, de quo: Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ. Anima proſtituitur, quando dolis *Ezec. 16. e* vel erroribus corrumpitur: hoc autẽ ſignum ad omne caput viæ ponitur quando error talis publicatur. Item noli contriſtare Spiritum ſanctum Dei, accipien- E do pro ſigno religioſitatis ſignum carnalitatis, vel leuitatis, de quo: Nemo veſtrum exors ſit luxuriæ no- *Sap. 2. b* ſtræ, vbique relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ, heu quàm miſerabile verbum carnalitatis, vbique dicunt relinquamus ſigna, quaſi ſigna relinquunt quocumque venerint tantum, hoc vtinam ab amicis, & non etiam inimicis perciperetur, vbique in mũdo, ſed numquam in cælo. Hieronymus: Difficile eſt, immo impoſſibile, vt præſentibus quis & futuris fruatur bonis, vt hic ventrem, ibi mẽtem impleat, vt de delicijs tranſeat ad delicias, vt in vtroque ſæculo primus ſit, vt & in cælo, & in terra appareat glorioſus. Item noli F contriſtare Spiritũ ſanctum Dei accipiendo pro ſigno paupertatis ſignum cupiditatis, de quo: Poſuit ſignũ *Gen. 4. c* Dominus in Cayn, hoc eſt ſignum auaritiæ quod in cupida poſſeſſione, vel acquiſitione temporalium conſiſtit. Cayn enim poſſeſſio, vel acquiſitio interpretatur. Væ habentibus hoc ſignum: Væ eis, qui in viam *Epiſt. Iuda. c* Cayn abierunt. *Item nolite contrauenire Spiritui ſancto Dei*, accipiendo pro ſigno charitatis ſignum doloſitatis, de quo: Qui tradidit eum dedit eis ſignum di- *Mat. 26. e* cens, *et cet.* Heu heu quot adhuc ſunt Iudæ imitatores, qui in facie vngunt, a tergo pungunt, ore ſimulant amorem, corde tenent rancorem. Contra quos dicitur: Dilectio ſine ſimulatione. Hoc ſigno contri- *Rom. 12. b* ſtatur maxime Spiritus ſanctus. Contra hæc ſigna quattuor



quattuor ſpiritus maligni ſignari debemus ſupradictis quattuor ſignis Spiritus ſancti, quæ bene ſunt ſignifi- *Apoc. 1. a* cata, vbi dicitur: Signum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim, & in vtero habens, & clamauit, vt pariat. Bene magnum dicitur hoc ſignũ, quod quattuor ſigna comprehendit. Mulier ergo iſta ſic ſignata Eccleſiam, vel perfectam animam ſignificat. Signum autem credulitatis in corona ſtellarum duodecim ſignificatur. Corona enim ſtellarum eſt catholicæ Eccleſiæ fides, quam ſynagoga perdidit: *Thren. 5. c* Cecidit corona capitis noſtri. Duodecim ſtellæ, duodecim articuli fidei ſunt, qui ſupra per duodecim lapides ſignati ſunt, qui tamquam ſtellæ lucidæ Eccleſiam illuminant. Signum autem claritatis morum in amictu ſolari ſignificatur. Quid enim eſt ſancta con- *Apoc. 19. d* uerſatio, niſi luminoſus amictus? Vidi vnum Angelum ſtantem in ſole. Angelus in ſole eſt ſpiritualis ho- *Mat. 5. b* mo in lucida conuerſatione: Sic luceat lux veſtra, *et cet.* Signum vero paupertatis in luna ſub pedibus ſignificatur. Luna enim quæ creſcit, & decreſcit eodem ſiſtere neſcit, temporalium inſtabilitatem ſignificat: & ſicut a luna intemperies, & turbatio aeris, tonitrui & grandinis generatio ducitur, ita & turbationis totius mundi cauſa ſunt temporalia. Multi enim iuſtitiam, & pacem bene ſeruant donec temporalibus eorum parcatur, vel temporalia non auferantur. Pſal- *Pſal. 71. b* mus: Orietur in diebus Domini, *et cet.* Hæc luna eſt ſub pedibus per contemptum omnium temporalium, quando conculcando tamquam vilia reputantur. Pſal- *Pſal. 8. a* mus: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, *et cet.* Signũ quoque charitatis cordis per hoc, quòd dicitur habẽs in vtero ſignificatur. Quid enim eſt quòd in vtero cordis habendum eſt, quod ad pariendum cruciat, niſi amor? Nihil enim ad partum boni operis ſic hominem vrget, ſicut amor Dei in cordis vtero conceptus. Quia fœtus ergo amoris non poteſt eſſe niſi in vtero cordis, tamquam in vtero virginali, ideo bene de hoc *Iſa. 7. e* ſigno dicitur: Dabit Dominus ipſe vobis ſignum, *et cetera*. Sic ergo chariſſimi per Spiritum ſanctum ſignificantur electi. Leo papa: Conſignauit animas noſtras proprio ſpiritu, & membra corporis noſtri ſuo ſanguine pretioſo: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum*, & cetera.

## SERMO IV.

*Iudic. 7. d* *1. Cor. 10. a* *Act. 2. a* AScendit ignis de petra. Petra autem erat Chriſtus. Ignis ergo de petra aſcẽdit quando Spiritus ſanctus in ignea Chriſto miſſus fuit diſcipulis: & bene dicitur aſcendere, quia nos facit aſcendere. Conſiderandum autem quòd de petra aquam, oleum, ignem, mel legimus miniſtrata, quibus Spiritus ſanctus figuratur, qui per effectum gratiæ ſuæ, aqua eſt incipientibus, oleum proficientibus, ignis conſummantibus, mel regnantibus. Aqua vtique eſt gratia Spiritus ſancti in iuſtificatione, oleum in deuotione, ignis in dilectione, mel *Pſal. 77. c* in fruitione. De primo Pſalmus: Percuſſit petrã, & flu- *Ioan. 7. f* xerunt aquæ. Aquæ vtique gratiæ Spiritus ſancti: Qui credit in me (ſicut dicit Scriptura) flumina de ventre eius fluẽt aquæ viuæ, hoc autẽ dixit de Spiritu ſancto, *& cet.* Aqua iſta abluit incipientes a peccatis. Vnde de *Gregor. ho. 33. in Euãgel. to. 3.* Magdalena Gregorius ait: Quia turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lauanda ad fontem miſericordiæ cucurrit. Huius enim fontis aqua per intrinſecus ba- *Ezec. 36. e* ptiſmum mundatur homo in anima: Effundam ſuper vos aquam mundam, *et cet.* Noli ergo in ſtercus carnis proijcere animam tuam pretioſa aqua mundatam, *Num. 20. b* *et cet.* Sicut autem in deſerto petra bis virga percuſſa aquam dedit, ſic petra noſtra dilecta, ſcilicet virga crucis, quæ bis percutitur dum ligno crucis affligitur, vt ſufficienter nobis aquæ Spiritus ſanctus afflueret: in cuius figura, aqua de Chriſti latere exiuit. De ſecun-

A do: Petra fundebat mihi riuos olei: hoc eſt oleum *Iob 29. a* Spiritus ſancti oleum gratiæ, quo in deuotione vnguntur proficientium animæ. Pſalmus: Vnxit te Deus, *Pſal. 44. b* *et cet.* Riui huius olei ſunt illi, de quibus: Diuiſiones *1. Cor. 12. a* gratiarum ſunt, *et cet.* Nota quòd ex quo mollia ſemina ad dandum oleum tam fortiter comprimuntur, quanto magis petra ergo noſtra fortiſſime compreſſa eſt in cruce, vt ex eo liquaretur oleũ in noſtram mentem? hoc oleum non ſolum crucis tormento exprimitur, ſed etiam crucis beneficio conſeruatur. Vnde mulieri colligenti duo ligna dicit Elias: Hydria farinæ *3. Reg. 17. e* non deficiet, & lecitus olei non minuetur, *et cetera*. B Mulier Eccleſiam, duo ligna crucem Chriſti, farina Euchariſtiam, oleum gratiam ſignificat. Eccleſiæ ergo colligenti fidem, & deuotionem ligna crucis Chriſti, nec corpus Domini, neque oleum gratiæ Spiritus ſancti vmquam deficiet. De tertio dicitur hic: *Aſcendit ignis de petra*, hic eſt ignis Spiritus ſancti, qui hoc die ſuper Apoſtolos venit in linguis igneis, ſicut legitur: hic ignis de petra Chriſto datur hominibus, *Act. 2. a* quando non ſolum incipientes per aquam ſpiritus lauantur a contagione peccatorum, non ſolum proficientes vnguntur oleo Spiritus ſancti in deuotione operum piorum, ſed & perfecti inflammantur in C amore æternorum, longe eſt ab iſto igne, qui adhuc durus eſt in corde. Auguſtinus: Nihil enim tam durum eſt atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quid mirum ſi hæc petra Chriſtus dat ignem cum ſæpe videmus ferro, vel calibe ignem de petra excuti: ſic nimirum petra noſtra Chriſtus ferro lanceæ in latere, ferro clauorum in pedibus, ac manibus percuſſus eſt, vt nobis ignem miniſtret. Sicut autem ignis appoſitione lignorum augetur & cõſeruatur, ne deficiat, ſic nos ardorem ignis Spiritus ſancti lignis crucis Chriſti per deuotam, & iugem recordationem conſeruare debemus, & nutrire: Ignis in altari meo *Leuit. 6. b* D ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubijciens ligna mane per ſingulos dies. Altare cor, ſacerdos ſpiritum, ligna crucem ſignificant. De quarto, Pſalmus: *Pſal. 80. d* De petra melle ſaturauit eos, hoc eſt mel dulcedinis Spiritus ſancti, quem hereditabunt electi in cælo: *Eccli. 24. c* Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hereditas. Benedicit: ſuper mel. Si enim totius mellis quod in toto mundo fuit, eſt, & erit, dulcedo in ore, ſiue in gutture in guſtu tuo eſſet, o quanta eſſet! Et tamen ſuper hanc dulcedinem inæſtimabiliter eſt dulcedo æterna. Sed ad ipſam non poterimus venire, niſi per virgam crucis, per quam etiam nunc viri perfecti paululum E huius mellis dulcedinem prægustant, ſicut ſignificatum eſt, vbi legitur quòd Ionathas, intincta virga, gu- *1. Reg. 14. d e* ſtauit de melle, & illuminati ſunt oculi eius.

## SERMO V.

FActus eſt repente de cælo ſonus, et cetera, vſ- *Act. 2. a* que *ſeditq. ſupra ſingulos eorum*, & cetera. In his verbis Spiritus ſanctus oſtenditur repentinus, ſonorus, validus, repletiuus, linguoſus, igneus, quietus. Eſt autem repentinus in feſtina conuerſione, ſonorus in laude, & F oratione, validus in temporalium renunciatione, repletiuus in bona opinione, linguoſus in facunda prædicatione, igneus in ardenti dilectione, quietus in ſancta contemplatione: Repentinus vtique in conuerſione. Vnde dicitur: *Factus eſt repente*, & cetera. Am- *S. Ambr. in 1. cap. edit. Luca.* broſius: Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia: Ne tardes conuerti ad Dominum. Suſcipiamus *Rom.* ergo nunc repentinum ſpiritum ad conuerſionem, ne *to. 3.* accipiamus repentinum interitum ad damnationem: *Eccli. 5. b* Cum enim dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus *1. Theſ. 5. a* eis ſuperueniet interitus. Secundo ſonorus in laude & oratione. Vnde dicitur: *De cælo ſonus*. Sonet vox *Cant. 2. d* tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Facies animæ conſcientia eſt. Pſalmus: Arguam

*Pſal. 49. d* Arguam te, *et cet.* Tua ergo vox in orando, & laudando dulcis eſt in auribus Dei, ſi facies decora eſt. Bene autem vox tua non vox vicarij. Bene etiam ait: in auribus meis, non in auribus hominum ad vanam gloriam. Debet quoque non ſolum in auribus Dei, ſed *Cant. 8. d* etiam angelorum vox tua ſonare: Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam. Amici ſunt Angeli. Tertio validus eſt Spiritus ſanctus, & vehemens in temporalium renunciatione. Vnde ſe- *Pſal. 47. a* quitur: *Tamquam aduenientis ſpiritus vehementis*. Pſalmus: In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis, ideſt vehicula temporalium, quibus ſæculares in ma- *Sap. 5. b* ribus mundi tamquam nauibus innituntur: Tranſierunt omnia tamquam vmbra, & tamquam nuncius præcurrens, & tamquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam. Nota quòd dicit tranſierunt. Auguſtinus: Nonne omnia fumus, & ventus, nonne omnia tranſeunt, & currunt? Væ his qui adhæſerunt tranſeuntibus, quoniam ſimul tranſeunt. Tharſis exploratio gaudij interpretatur. Stulti enim gaudium in *Sap. 2. b* temporalibus quærunt: Venite fruamur bonis, quæ ſunt, *et cet.* Naues ergo Tharſis in ſpiritu vehementi conteruntur, quando temporalia inſtinctu Spiritus ſancti contemnuntur. Quarto repletiuus eſt Spiritus ſanctus in bona opinione. Vnde additur: *Repleuit totam domum*. Cum enim poſtea dicatur: Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, illa repletio ad virtutes, & dona: iſtius vero domus repletio ad bonam famam *Ioan. 12. a* pertinet: Domus repleta eſt ex odore vnguenti. In *2. Cor. 2. d* odore bona opinio ſignificatur: Chriſti bonus odor ſumus Domini. Domus ergo impletur, quando clauſtrum, vel Eccleſia bona opinione reſpergitur. Econ- *Ioan. 11. e* trario alij replent domum fœtore infamiæ: Ecce iam fœtet, *et cet.* Quinto linguoſus eſt Spiritus ſanctus in prædicatione. Vnde ſequitur: *Apparuerunt illis diſper- 1. Cor. 13. a titæ linguæ*: Si linguis hominum loquar, & angelorũ, *et cet.* Ibi oſtenditur quòd neque prædicatio, neque aliquod bonum opus ſine charitate ſufficit. Bene autem dicitur: diſpertitæ linguæ: quia non vno modo ad omnes habendus eſt ſermo. Nunc enim de pœna, nunc de gloria, nunc autem de vitijs, & virtutibus: & *1. Theſ. 5. c* aliter infirmis, aliter perfectis loquendum eſt: Rogamus vos fratres: corripite inquietos. Sexto igneus eſt Spiritus ſanctus in dilectione. Vnde ſequitur: *Leuit. 6. b* *Tamquam ignis*. De quo igne dicitur: Ignis in altari *Luc. 24. c* meo ſemper ardebit, ideſt in corde: Nonne cor noſtrũ ardens, *et c.* Iſte ardor eſt amor. Auguſtinus: Bonum eſt hominibus, vt ardeant ſancto igne, Deus, vt fœno conſumpto, ſplendeat pretium quod redemit *Prou. 17. c* Chriſtus. Bene autem dicitur: Semper: Omni tempore diligit, qui amicus eſt: ligna ſunt exempla ſan- *3. Reg. 17. b* ctorum, vel ligna crucis: En colligo duo ligna. Talibus lignis inuitatur amoris ignis. Septimo quietus eſt Spiritus ſanctus in contemplatione. Vnde: *Seditq. ſupra ſingulos eorum*. Sedet enim, ideſt ſedentes nos *Thren. 3. d* facit per quietem contemplationis: Sedebit ſolitarius & tacebit, *et cet.* poteſt tamen & melius in ſeſſione Spiritus ſanctus ſignificari quòd ipſe ſit manſionarius *Pſal. 64. a* in perſeuerantibus. Pſalmus: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

## SERMO VI.

*Act. 2. a* F*Actus eſt repente de cælo ſonus*. & cetera. Supradictæ ſeptem Spiritus ſancti operationes ſignificari poſſunt in ſeptenario ſanctorum in Euangelio, in quibus euidenter; & & notabiliter Spiritum ſanctum inueniemus, videlicet in Eliſabeth, in Zacharia, in Ioanne, in Simeone, in Diſcipulis, in Maria, in Chriſto. Repentinus eſt Spiritus ſanctus in conuerſione, hoc in Eliſabeth ſi- *Luc. 1. d* gnatum eſt: Factum eſt vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius. Eliſabeth repleta eſt Spiritu ſancto ſalutante Maria. Spi- A ritu ſancto repletur quicumque præueniente gratia conuertitur. Tria autem hic conſideranda ſunt. Salutat Maria, exultat Ioannes, repletur Eliſabeth. Maria præuenientem gratiam, qua primo illuminamur, ſignificat. Interpretatur enim illuminatrix. Ioannes autem voluntatem ſignificat. Interpretatur enim in quo eſt gratia. Cum ergo Maria, ideſt gratia præueniens ſalutat, & tunc in vtero, anima, Ioannes, ideſt voluntas conſentiendo exultat. Eliſabeth vero repletur, quando gratia ſubſequens ad efficaciter operandum habetur. Auguſtinus: Noſtrum eſt velle. Sed voluntas ipſa admonetur vt ſurgat, & ſanatur vt va- B leat, & dilatatur vt capiat, & impletur vt habeat. Sonorus eſt Spiritus ſanctus in laude, & oratione, & con feſſione. Hoc in Zacharia ſignatur: Zacharias pater *Luc. 1. g* eius impletus eſt Spiritu ſancto, & prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, *et cet.* Attende in his verbis, videlicet quis eſſe, quid habere, quid agere debeat, qui per Spiritum ſanctum ſonorus eſſe deſiderat. Debet enim eſſe Zacharias opere, debet habere Spiritum ſanctum in corde, debet gratias agere, & benedicere ore. Vt ergo per gratiam ſonorus fias, ſis per iuſtitiam in opere Zacharias: Erant autem *Luc. 1. a* ambo iuſti, *et cet.* Item validus eſt Spiritus ſanctus in C temporalium renunciatione, hoc in Ioanne ſignificatur: Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris *Luc. 1. b* ſuæ: Bonum eſt viro, cum portauerit, *et cet.* Ioannes, *Thren. 3. d* forma eſt ſæculum & temporalia relinquentium, in tribus: In ciborum & potus parcitate: Vinum & ſiceram non bibet, comedebat etiam locuſtas, & mel ſil- *Luc. 1. b* ueſtre. In veſtimentorum vilitate & aſperitate: Erat *Mat. 3. a* Ioannes veſtitus pilis camelorum, *et cet.* In ſolitudinis raritate: Erat in deſerto vſque ad diem oſtenſionis *Luc. 1. g* ſuæ ad Iſrael. Item repletus eſt Spiritu ſancto in bona opinione, hoc in Simeone ſignatur: Homo iſte iu- *Luc. 2. d* ſtus & timoratus expectans conſolationẽ Iſrael, *et cet.* D & erat in eo. Ecce quàm ſanctæ opinionis fuit iſte ſenex. Sed heu hodie de ſenibus dici poteſt illud: Ini- *Dan. 13. a* quitas egreſſa eſt de Babylone a ſenioribus, *et cetera.* Talium ergo opinio fœtida. Simeonis autem, & ſimilium odorifera eſt. Gregorius: Virtutes proficientium in notitia ceterorum, quaſi ſuauitates fragrant odorum. In tribus autem debet eſſe bonæ famæ, in eo quòd ſit iuſtus, timoratus, pius. Pietas enim oſtenditur in hoc, quòd expectabat redemptionem aliorum. Iuſtus ſit, hoc ad ſeipſum, timoratus ad Dominum, pius ad proximum. Item linguoſus eſt Spiritus ſanctus in prædicatione, hoc innuitur cum dicitur, E quòd apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, hoc ſignificatur in diſcipulis, quibus euidenter in Euangelio inuenimus Spiritum ſanctũ promiſſum, immo datũ. Datus eſt enim ante paſſionem: Conuocatis vero duodecim *Mat. 10. a* diſcipulis ſuis dedit poteſtatem immundorũ ſpirituũ. Item poſt reſurrectionẽ: Inſufflauit & dixit: Accipi- *Ioan. 20. f* te Spiritum ſanctum. Item poſt Aſcenſionem: Reple- *Act. 2. a* ti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui. Primo ergo datus eſt eis ad miraculorum operationem. Secundo ad peccatorum remiſſionem. Tertio ad veritatis inſtructionem. Item igneus eſt Spiritus ſanctus in dilectione, hoc ſignificatur in Maria: Spiritus *Luc. 1. d* F ſanctus ſuperueniet in te, *et cet.* vſque *Filius Dei*. Quis vmquam ardentius dilexit quàm Maria? Quæ etiam virtus Ieſum, ideſt ſalutem parit vbi charitas. In prædictis nota de Spiritus ſancti ſuperuentione, de Mariæ obumbratione, de Filij Dei generatione. In his enim ſignificatur quòd anima, cui Spiritus ſancti charitas ſuperueniens datur, ipſa contra æſtum vitiorũ obumbratur, a partu ſalutis æternæ fœcundatur. Item manſionarius eſt Spiritus ſanctus in perſeuerantiæ duratione, hoc ſignificatur in Chriſto, de quo: Vidi ſpiri- *Ioan. 1. e* tum deſcendentem, quaſi columbam de cælo, & manentem ſuper eum. In quibus verbis tria oſtenduntur, quæ maxime ad perſeuerantiam in bonis operibus neceſſaria ſunt, humilitas, mititas, ſtabilitas; humilitas.



militas in proſperitate. Vnde dicit: Spiritum deſcendentem non aſcendentem. Mititas in aduerſitate, vnde dicit: Quaſi columbam, in qua manſuetudo ſignificatur. Stabilitas in voluntate. Vnde ait: Et manentem ſuper eum.

## SERMO VII.

*Ioan. 14. d* P*Araclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittit pater in nomine meo*, & cetera. O quàm maxima miſſio! Magnus eſt qui mittitur, magnus a quo mittitur, magnus cuius nomine mittitur. Ecce amicum tuum reputas, qui tibi B ſcutellam, ſeu vas eſcarium, vel vinum ſuum in quadam magna curia mittit. Quantus ergo amicus ille, qui olim filium ſuum, & nunc Spiritum ſanctum mittit. Mittitur ergo Spiritus ſanctus ad oſtendendam veritatem, ad arguendam iniquitatem, ad attendendam voluntatem, ad faciendam ſecuritatem. De primo, nota quòd de agno tamquam occiſo dicitur, *Apoc. 5. b* quòd habebat oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram. O quàm magnum eſſet, qui nobis in ſignum dilectionis vnum oculum mitteret. Et ecce noſter agnus nobis ſeptem oculos, ideſt ſeptem dona Spiritus ſancti mittit, quibus vide- C re poſſumus veritatem, & omnia ad ſalutem neceſſaria. Vnde dicitur hic: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus*, & cetera. Dona Spiritus ſancti oculi nobis ſunt ad cognoſcendum, cornua vero ad defendendum animam. O Domine mitte nobis ſeptẽ oculos iſtos agni *Eccli. 20. b* contra ſeptem oculos diaboli, de quibus dicitur: Datus inſipientis non erit vtilis tibi, oculi enim illius ſeptemplices ſunt. Exigua dabit, & multa improperabit, diabolus inſipiens eſt ad bonum, & ſagaciſſimus ad malum. Iſte inſipiens quidquid tibi dat, per rapinam, per vſuram & quamcumque iniuſtam acquiſi- *Mat. 4. b* tionem, ideo tibi dat, vt ipſum adores: Hæc omnia D tibi dabo, ſi cadens adoraueris me, huius datus non erit tibi vtilis. Exigua enim dat in mundo, & multa improperat in inferno. Exigua in delectatione, multa in punitione. Gregorius: Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat. Oculi diaboli ſunt ſubtilitates & aſtutiæ, quibus animabus inſidiatur per ſeptem vitia capitalia, & ideo ſeptemplices dicuntur. *Ioan. 16. a* De ſecundo: Si non abiero, paraclitus non veniet ad vos, *et cet.* Cum autem venerit ille, arguet mundũ de peccato, *et cet.* Miſit Dominus Spiritum ſanctum contra mundum ad arguendum, ſicut ſagitta mittitur contra hoſtem ad feriendum. Vnde: A voce equitis, E *Ier. 4. f* & mittentis ſagittam fugit omnis ciuitas. Mundus eſt *Mat. 22. a* quædam ciuitas, de qua: Miſſis exercitibus ſuis, ideſt angelis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit, hoc fiet in die iudicij, quando cremabitur mundus: hæc autem ciuitas fugere debet ad cauernam pœnitentiæ, vel ad vrbes refugij, ſcilicet ad religionem, vel ad aliquem ſtatum ſalutis. Vnde Bernardus: Conuolate ad vrbes refugij, vbi poſſitis & de præteritis agere pœnitentiam, & de præſentibus obtinere gratiam, & futuram gloriam feliciter præſtolari: fugere autem debet homo propter duo, propter vocem & ſagittam. Eques Chriſtus eſt, cuius equus eſt Ec- F cleſia, vel quilibet fidelis, qui tribulatione & carnis caſtigatione, quaſi calcaribus ſtimulantur, vt equus *1. Cor. 9. d* ad currendum, & prouocandum in pugnam: Ego autem ſic curro non quaſi in incertum, ſic pugno non quaſi aerem verberans, ſed caſtigo corpus meum, *et cet.* O quot equos diabolus aufert Deo ſæpe? Vox eſt prædicatio quam Chriſtus per ſe, vel per prædica- *Pſal. 103. a* tores emittit. Pſalmus: A voce tonitrui tui formidabunt. Sagitta autem eſt inſtinctus Spiritus ſancti. Fruſtra enim vox doctrinæ extra terreret niſi Spiritus ſanctus intus cor in contritione ad modum ſagittæ vulneraret. Vtinam hæc ſagitta numquam exeat de cordibus noſtris. Tres ſunt autem ſpirituales ſagittæ A quas mittere ſolet Chriſtus, videlicet timoris, doloris, amoris: timor pœnam, dolor culpam, amor gloriam reſpicit. De his poteſt accipi quod ait Ionathas, qui Chriſtum ſignificat: Tres ergo ſagittas igneas *1. Reg. 20. d* mittam. Sed heu contra igneas ſagittas Spiritus ſancti ſunt igneæ ſagittæ ſpiritus maligni: In omnibus *Epheſ. 6. e* ſumentes ſcutum fidei. Sagitta enim diaboli mala lingua eſt: Sagitta vulnerans lingua eorum. *Ier. 9. e*

## SERMO VIII.

P*Araclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo*. Quod hodie de ter- *Ioan. 14. d* B tio, & quarto membro dimiſimus, compleamus. De tertio: Ignem veni mittere *Luc. 12. f* in terram, *et cet.* Ignis iſte Spiritus ſanctus eſt, qui nos ad bonum accendit. Vidi quandoque ignem de *Exemplum* ſole capi in vitro lucido aqua impleto. Ita ſit in baptiſmo. Vnde bene dicitur: Vidi tamquam mare vi- *Apoc. 15. a* treum mixtum igne, *et cet.* Intelligi poteſt mare vitreum, vitreũ vas continens aquas ſicut mare æneum: dicebatur vas æneum. Mare ergo vitreum ſignificat baptiſmum. Sicut enim per vitrum radius ſolis, ita per baptiſmum lumen gratiæ diffunditur in domum C Eccleſiæ, vel credentis animæ. Item ſicut vitrum cito frangitur, ſed non cito reparatur, ita medicina baptiſmalis. Ignis autem commixtus mari vitreo ſignificat virtutem Spiritus ſancti qua purgatur in baptiſmo anima. Sol autem a quo ignis iſte concipitur, Chriſtus eſt, de quo: Tempus affuit quo ſol reſulſit, *2. Mac. 1. e* qui prius erat in nubilo, & accẽſus eſt ignis magnus, hoc autem factum eſt quando ſacrificium ſecundum iuſſum Nehemię aſpergebatur, aquæ craſſa: hoc modo ſit ſacrificium Deo in baptiſmo, vbi aqua baptiſmi craſſa per gratiam Spiritus ſancti purgans animam in Chriſto accenditur. Cuiuſcumque vitrum fractum D eſt, illi ignis Spiritus ſancti extinctus eſt: oportet ergo iſtum ignem ferro duræ pœnitentiæ, quaſi excutere de lapideo corde: De lapidibus ignitis: igne con- *2. Mat. 10 a* cepto obtulerunt ſacrificia. Sed dicis: Heu non poſſum iſtum ignem excutere, verum eſt molli caſeo, ex colliſione autem duri ad durum, ſcilicet duræ pœnitentiæ ad durum cor ignis concipi poteſt. Ergo cor durum eſt, quo nulla caſtigatio, nulla comminationum, & terrorum colliſio vnam ſcintillam Spiritus ſanctus poteſt generare. De quarto: Cum venerit *Ioan. 15. d* paraclitus, quem ego mittam, *et cet. vſque* ille teſtimonium perhibebit de me. Teſtimonio ſuo nobis Spi- E ritus ſanctus facit fidem, & ſecuritatem, quòd Chriſtus verus Deus eſt, quòd fides noſtra de Chriſto vera eſt, & labores noſtri pro Chriſto aſſumpti non fraudabuntur, promiſſa hereditate cæleſti, ſicut teſtimonium ſigilli, vel pignoris fidem, & ſecuritatem ſolet facere, ſic Spiritus ſanctus. Spiritus enim ſanctus, quaſi ſigillum & pignus eſt nobis: Signati eſtis Spiritu pro- *Epheſ. 1. e* miſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ, ſi Spiritu ſancto ſignificamur. Spiritus ſanctus ergo ſigillum eſt. De hereditate ergo æterna non timeamus, qui pignus & ſigillum Spiritus ſancti pro ipſa tenemus. Litteræ ergo huiuſmodi ſigillo munitæ ſunt F bonæ conſcientiæ, in quibus omnia bona opera, & verba & deſideria noſtra ſcripta ſunt. Sed ſicut littera ſine ſigillo, ſic ſunt omnia bona opera ſine charitate, qua corda noſtra ſigillat Spiritus ſanctus. De hoc ſignificatum eſt, vbi legitur quando per litteras ſigna- *Eſther. 8. b* tas annulo regis vita data eſt Iudæis, qui per litteras veteres Aman interfici debebant. Litteræ Aman, ideſt litteræ diaboli, ſunt malæ conſcientiæ, in quibus omnia opera, & verba & deſideria mala ſcripta ſunt. Sigillum autem diaboli obſtinatio eſt, litteræ autem Aſſueri litteræ ſunt Chriſti conſcientiæ bonæ. Cum *Luc. 11. c* autẽ Spiritus ſanctus digitus Dei dicatur, annulus huius digiti, donum eſt Spiritus ſancti quo mens noſtra ſigillatur. Hæ litteræ & Dei, & diaboli in morte cuiuſlibet

iuſlibet aperientur, & maxime in iudicio: Iudicium *Dan. 7. c* ſedit libri, & aperti ſun. O quo modo ſigillũ tunc iu- *Mat. 22. b* dex examinabit cuius ſit? Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio. Item teſtimonium pignoris eſt nobis Spiritus ſanctus. Quidquid enim facimus ſuper hoc pi- *Prou. 19. c* gnus, Domino mutuamus: Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis. Mutuemus ei, pro minimo enim merito recipiemus plus in cælo, quàm ſi pro vno denario mille marchas reciperemus in mundo. Stulti autem Iudæi hoc pignus recipere noluerunt. Tu autem Chriſtiane, quamdiu hoc pignus habes in arca cordis, ne timeas de bonis tuis Domino accommodatis, pro hereditate æterna. Ait Auguſtinus: Non dimittit pignus ſuum: ſi enim nos non amaret, talia pignora non daret.

## SERMO IX.

*Iob 26. c* SPiritus Domini ornauit cælos. Summus artifex Spiritus ſanctus volens in apoſtolicis vaſis cæleſte manna, & diuinum aroma nominis Chriſti recondere. Prius eos in die Pentecoſtes cæleſtibus refulgentijs pulchriformiter adornauit, hoc autem beneficium ſibi præditum Eccleſia recolit hodierna die refulgentijs inter cetera in verbo propoſito cum dicit: *Spiritus Domini ornauit cælos*. In quo quidem verbo deſcribitur hodiernum beneficium, quantum ad triplicem ordinatam comparationem. Primo quantum ad principium effectiuum in perſonali nominatione. Secundo quantum ad ſubiectum receptiuum in conuenienti repræſentatione. Tertio quantum ad actum intermedium, in ſingulari comparatione. Primo ergo deſcribitur hodiernum beneficium, quantum ad principium effectiuum, in perſonali nominatione, cum dicit: *Spiritus Domini*. Secundo quantum ad ſubiectum receptiuum, in conuenienti repræſentatione, cum ſubdit: *Cælos*. Per cælos namque conuenienter deſignantur, ſiue repræſentantur Apoſtoli, ratione aliquarum proprietatum nobilium. Tertio quantum ad actum intermedium, in ſingulari comparatione, cum ſubinfert: *Ornauit*. Singulariter enim, & excellenter fuerunt Apoſtoli virtutibus, & donis celeſtibus adornati.

Dicit ergo: *Spiritus Domini*, vbi deſcribitur hodiernum beneficium, quãtum ad principium effectiuum. Tres Spiritus ſancti proprietates. Habet autem Spiritus ſanctus in ſe tres proprietates, ſecundum quas eſt principium, & cauſa triplicis doni. In quo totum hodiernum beneficium radicaliter conſiſtit. Nam primo eſt in Spiritu ſancto infallibilis veritas. Secundo liberalis charitas. Tertio inſeparabilis poteſtas. Primo quia in ipſo eſt ſumma veritas, ideo ab ipſo procedit ſplendor fidelis intelligentiæ illuminantis cognitiuam. Secundo quia Spiritus ſanctus eſt charitas ſumma, ideo ab ipſo procedit amor vtilis beneuolentiæ, rectificantis affectiuam. Tertio quia in Spiritu ſancto eſt ſumma poteſtas, ideo ab ipſo procedit vigor virilis coſtantiæ, roborantis effectiuam, & hæc tria ſunt neceſſaria ad ſalutem omni conditioni, ſexui, & ætati. Nam nullus adultus eſt in ſtatu ſalutis, niſi habeat fidelem intelligentiam in intellectu, charitatiuam beneuolentiam in affectu, & finalem conſtantiam in effectu. Et hæc tria per quæ aſſimilatur homo beatæ Trinitati ab ipſo fontaliſſimo principio in apoſtolica vaſe hodierna die primitus defluxerunt, quæ quidem opponuntur tribus malis, quæ incurrimus ratione primi peccati, videlicet: Tenebroſitatem ignorantiæ. Malignitatem inuidiæ. Et debilitatem impotentiæ. Primo quia in Spiritu ſancto eſt infallibilis veritas, ideo operatur claritatem veritatis intelligentiæ in intellectu contra tenebroſi- *Ioan. 16. b* tatem ignorantiæ. Vnde: Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Hodierna namque die ſummus, & fontaliſſimus doctor Spiritus ſanctus veniens in Apoſtolos iuxta promiſ-

A ſionem Chriſti, ita perfecte, & excellenter primitiuo radio veritatis illuſtrauit, vt eorum intellectus omni imagine, & ſimilitudine deiformitatis, & luce intelligibili ſuperna gratia adiutus, puriſſimo aſpectu ſicut poſſibile eſt ad notitiam, & ſpeculationem diuinitatis eleuaretur. Nonne altiſſima erat hodierna die intelligentia prædicantium Chriſtum, & verbis planis eſſe filium Dei, & a mortuis reſurrexiſſe, quod prophetæ prædixerunt, aut verbis obſcuris, & metaphoricis parabolis, atque ænigmatibus figuris. Quis enim quæſo veſtrum docuit eos talia dicere ita plane, & euidenter. Numquid ars piſcatoria, aut caro, aut ſan- B guis? Non certe. Sed Spiritus Patris cæleſtis, qui loquebatur in eis. Iſti ergo certitudini veritatis Spiritus ſancti eſt indubitanter credendum, non fabulis vetularum, non ſophiſmatibus philoſophorum, nec illuſionibus magorum, eo quòd ille doctor eſt adeo peritus, & omni facultate antiquiſſima experientia approbatiuus, vt nullus poſſit contradicere ſibi in aliqua doctrina, nec repulſam pati ab aliquo, ſiue reduci ad metam redargutionis, quia non poteſt fallere, nec falli. Secundo quia in Spiritu ſancto, eſt liberalis, ſiue inuincibilis charitas: ideo operatur latitudinem vtilis beneuolentiæ in affectu, contra malignita- C tem inuidiæ. Vnde dicitur: Charitas Dei diffuſa eſt *Rom. 5. a* in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Diffunditur autem charitas in cor noſtrũ, quando amor non ſolum ex ſuperiori ſuperficie, ſed ex intimis medullis cordis procedens dilatat affectum mundum: diffuſa fuit charitas Apoſtolorum, qui pro ſalute omnium electorum animas ſuas morti cum deſiderio tradiderunt. Sed quoniam abundauit iniquitas, refriguit ſiue tepuit charitas multorum: ideo Apoſtolus hortatur nos ad feruorem mutuæ dilectionis cum dicit: Charitate infirmitatis inuicem diligen- *Rom. 12. b* tes, honore inuicẽ præuenientes, ſolicitudine non pi- D gri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruiẽtes. Tertio quia in Spiritu ſancto eſt inſuperabilis poteſtas, ideo operatur facultatem vigoris, & conſtantiæ in effectu, contra debilitatem impotentiæ. Vnde: Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, vt eritis mihi teſtes. Dominus noſter Ieſus Chriſtus mittẽs Apoſtolos pugnaturos contra violentiam tyrannorum, & aſtutiam dæmonum, voluit eos primo donis, ſiue armis ſpiritualibus munire, & virtute Spiritus ſancti corroborare. Et propter hoc dicitur in Pſalmo: Spi- *Pſal. 32. b* ritu oris eius omnis virtus eorum. Vnde Gregorius: *Greg. hom. 30. in Euã.* Cælorum virtus de ſpiritu ſumpta eſt, quia mundi E huius poteſtatibus contraire non præſumerent niſi eos Spiritus ſancti fortitudo ſolidaſſet.

Secundo deſcribitur illud beneficium, quantum ad ſubiectum receptiuum, cum ſubdit: *Cælos*. Per cælos namque (metaphorice loquendo) ratione conuenientiæ, & ſimilitudinis in effectu Apoſtoli deſignantur. Nam primo cæli habent ſpectabilem refulgentiam luminum. Secundo habent efficacem influentiarum redundantiam. Tertio terribilem ſignorum, & prodigiorum reſonantiam. Apoſtoli namque primo habent efficacem redundantiam bonorum documentorum in prædicatione, & hoc in ſignum perſpi- F cacitatis intelligentiæ. Vnde in Pſalmo: Terra mo- *Pſal. 67. b* ta eſt, etenim cæli diſtillauerunt a facie Dei Sinai. Hodierna namque die terra, ideſt terreni & peccatores, mota eſt ad pœnitentiam, quia cæli, ideſt Apoſtoli diſtillauerunt rorem diuinorum eloquiorum, & hoc a facie Dei, quia non a ſeipſis, ſed a Deo habuerunt a quo omne bonum, & iſta expoſitio elicitur ex Gloſſa. Similiter alibi dicitur in Pſalmo: Cæli enarrant glo- *Pſal. 18. a* riam Dei, æternam ſine inceptione, & terminatione, in incarnatione. Magnam ſine diminutione in paſſione. Et ſuauiſſimam ſine faſtiditione in Spiritus ſancti miſſione. Secundo habuerunt ſpectabilem refulgentiam morum, & exemplorum in conuerſatione, & hoc in ſignum charitatis, & beneuolentiæ. Vnde: Ego



*Eccli. 24. a* Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens. Honeſta conuerſatio Apoſtolorum nomine cæleſtis boni refulgentis appellatur, eo quòd ſicut lumen cæleſte eſt ab omni fæculentia impermixtum, & terreſtreitate ſeparatum, vt per hoc clarius illuminet vniuerſum: ſic cæleſtis conuerſatio Apoſtolorum erat ab ardore libidinis, & fætore carnalitatis ſequeſtrata. Et propter hoc faciliter peccatores, & tenebroſos ad amorem Dei, & lumen fidei attrahebant, eo quòd plus mouet exemplum quàm verbum. Nam ex aſſuetudine viſionis viri ſancti vſu locutionis, & exemplo operis, accipit homo, vt accendatur ad amorem bonitatis, & illuminetur lumine veritatis. Et propter hoc poteſt *Gen. 15. a* dici de eis illud: Conſpice cælum, ideſt apoſtolicum cœtum, & numera ſtellas eius, ideſt gratias ſeptiformes, dona & beatitudines, quibus lucebant tamquam luminaria in mundo, exemplum vitæ continentes, & videbis rationabiliter quòd inſufficiens ſit quilibet mortalis homo ad enarrandum. Tertio habuerunt terribilem reſonantiam miraculorũ, & prodigiorum in operatione, & hoc in ſignum virtuoſitatis, & con- *Pſal. 143. b* ſtantiæ. Vnde in Pſalmis. Inclina cælos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt. Fulgura, & coruſcationes, & diſſipabis eos. Inclina cælos tuos, ideſt contemplatiuos, & cæleſtes viros ad homines terrenos, per prædicationem. Et deſcende, per illuminantis gratiæ cohabitationem. Tange montes, ideſt ſuperbos, incutiendo eis timorem filialis reuerentiæ. Et fumigabunt per lacrymoſam contritionem, vt excecationes, & omnes vapores vitioſi auferantur, & tunc fulgura, & coruſcationes ſignorum, & prodigiorum ad prædicationis Euangelicæ confirmationem, vt quos efficacia verbi non mouet, miracula confirment, & quos prædicatio ad fidem non mouet, ſaltem ipſa prodigia excitent, quia per hoc diſſipabis eos ſpirituali, & felici diſſipatione, quantum ad vitia, & peccata, non vt pereant, ſed vt vitam gratiæ recuperẽtur.

Tertio deſcribitur præſens beneficium, quantum ad actum intermedium, in ſingulari operatione, cum ſubinfert: *Ornauit*. Excellenter enim, & ſignanter Apoſtoli triplici ornamento ornati. ornauit Apoſtolos triplici ornamento. Primo ornamento copioſitatis gratiæ, quantum ad indeficientiam ſuffragiorum. Secundo ornamento dignitatis prælaturæ, quantum ad prouidentiam ſubditorum. Tertio ornamento deformitatis gloriæ, quantum ad excellentiam præmiorum. Primo ornauit eos ornamento copioſitatis gratiæ, quantum ad indeficientiam ſuf- *Eccli. 16. d* fragiorum. Vnde: Ornauit in æternum opera illorum, nec eſurierunt, nec laborauerunt, & non deſtiterunt a ſuis laboribus. Dicitur pro tanto quòd Deus ornauit in æternum opera illorum virtuoſa apoſtolorum, eo quòd indeficientiam, & continuam influentiam, quam habent in Eccleſia militanti, propter ſuffragia meritorum magnus honor, & reuerentia eis a populo Chriſtiano exhibetur: nec eſurient, eo quòd tanta copioſitate gratiæ fuerunt impleti, vt non ſolum eos ſacrarent, ſed etiam in alios redundarent. Et propter hoc mater Eccleſia, quod deeſt filijs ſuis, ſupplebit de paterno theſauro meritorum, quia non deſtiterunt patres eorum Apoſtoli a virtuoſis operibus ſuis, quantum ad efficaciam ſuffragiorum. Secundo ornauit eos ornamento dignitatis prælaturæ, quantum ad præſidentiam ſubditorum. Vnde impletum *Eccli. 32. a* eſt in quolibet iſtorum illud: Rectorem te poſuerũt, noli extolli, & ſequitur: Ornamentum gratiæ accipies, coronam & dignitatem congregationis conſequeris. Quia Apoſtoli non extollebantur in ſuperbiam, licet eſſent poſiti rectores totius orbis a Spiritu ſancto, immo quilibet eorum erat, quaſi vnus ex ſubditis: ideo acceperunt ornamẽtum gratiæ gratum facientis, & ad eorum promotionem, & ſalutem conſecuti ſunt coronam principatus, & dignitatem congregationis. Quorum dignitas, & principatus prætenderunt ab altitudine cæli, vſque ad profunditatem



A inferni: habet enim poteſtatem claudendi cælum, & ligandi atque ſoluendi animas hominum, calcandi *Ioan. 20. b* ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & reprimendi ſpiritus immundos: quia eorum linguæ (quaſi claues cæleſtes) ianuas cæli claudunt & reſerant, & eorum præcepto ſubditur ſalus, & languor omnium: et etiam ipſi ſpiritus immundi quod eſt indicium maxime poteſtatis, & dignitatis. Tertio ornauit eos ornamento fortitudinis gloriæ, quantum ad excellẽtiam præmiorum; & propter hoc conuenit cuilibet eorum illud: Corona aurea ſuper caput eius, expreſſà ſigno ſancti- *Eccli. 45. c* tatis, gloriæ & honoris, & deſiderio oculorũ ornata. B Per coronam auream poſitam ſuper caput cuiuſlibet Apoſtoli, inquãtum eſt expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria, & honore præmij, intelligitur ornamentum, ſiue prima ſtola animæ. Sed inquantum deſiderio oculorum ornata, intelligitur ſecunda ſtola corporis. Stola prima, ſiue ornamentum animæ conſiſtit in triplici dote. Scilicet viſionis claræ, tentionis ſecuræ, & *Triplex animæ dos.* firmitatis quietæ. Secunda vero ſtola, ſiue ornamentum corporis conſiſtit in quadruplici dote. Scilicet *Quatruplex coporis dos.* agilitatis, claritatis, ſubtilitatis, & impaſſibilitatis. Vnde Auguſtinus de Ciuitate Dei: A corpo- *Aug. li. 22. de Ciuit. Dei. ca. 20. in fin. to. 5.* ribus electorum amouebitur omnis deformitas, C omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio. Quod adimplebitur quando corona humilitatis noſtræ erit gloria circumdata, & deſiderio oculorum ornata, eo quòd oculos intuentium delectabunt. Et omnes dotes excellenter, & ſingulariter habebunt Apoſtoli. Rogemus ergo, *et cet.*

## SERMO X.

O *Quàm bonus, et ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, in omnibus!* Vt videamus bonitatẽ, & ſua- *Sap. 12. a* uitatem huius ſpiritus in nobis, ſcire de- D bemus quòd per hunc ſpiritum habemus veniam peccatorũ, victoriam de inimico, gratiam donorum, gloriam præmiorum. De primo: Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabi- *Ezec. 36. e* mini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis: & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, ideſt venia peccatorum in hac mundatione conſiſtit. Hæc autem mundatio per aquam, & ſpiritum non ſolum fit in baptiſmo, ſed etiam in contritione, per aquam lacrymarum, & ſpiritum cor compungentem. Pſalmus: Cor mundum *Pſal. 50. b* crea, *et cetera*. Specialiter autem duo tangit a quibus E mundari debemus. Videlicet ab inquinamentis luxuriæ: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, *2. Cor. 7. a* & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Domini. Item ab idolis auaritiæ: Omnis fornicator, *1. Cor. 5. d* aut immundus, aut auarus, *et cet.* O auare, quare non *Epheſ. 5. b* es auarus hereditatis æternæ potius quàm terrenæ? Auguſtinus: Ecce accenditur auaritia noſtra, argentum incertum cum fine vitam æternam deſiderans ſine fine. De ſecundo: Irruit in Samſon Spiritus Do- *Iudic. 14. b* mini & dilacerat leonem. Nota hiſtoriam quo modo Samſoni, cum ad vineam veniſſet, leo occurrit. Hæc vinea vel pœnitentiam, vel religionem ſignat, vel F quamlibet bonam vitam, cuius flores virtutum odorem bonæ oppoſitionis reddunt: Vineæ florẽtes odo- *Cant. 2. c* rem ſuum dederunt. In hac vinea carnales, & delicioſi, & anhelitus detractionis, fœtidæ ſunt vulpes: Capite nobis vulpes. Leo ſæuus, & rugiens diabolus *Ibidem. d* eſt: Aduerſarius veſter diabolus tamquam leo ru- *1. Pet. 5. c* giens, *et cet.* Hic occurrit ad vineam accedenti bonæ vitæ. Iuxta illud: Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta *Eccli. 2. a* in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Sed Spiritu ſancto irruente in nos, hortamur & confirmamur. Pſalmiſta: Spiritu principali *Pſal. 50. b* confirma me. Et ſic leonem vincimus. Hic eſt Spiritus ſanctus quo duce Dominus in deſertum ducitur, nec ab accedente tentatore vincitur, ſicut dicitur. *Mat. 4. a*

Nota ergo quòd hæc vinea, ad quam venit Samſon, deſertum ſignificat, in quo fuit Dominus, ſed leo inuentus iuxta vineam tentatorem, ideſt diabolum, qui Chriſtum tentauit, ſed in vanum, quia non potuit præualere. *Iſa. 11. a* De tertio: Egredietur virga, *et cet. vſque* & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, *et cet.* vbi huius ſpiritus dona enumerantur. In virga rectitudo fidei, in flore bona voluntas ſignificatur. Ioannes Chryſoſtomus: Voluntates bonæ ſic ſuaues ſunt apud Deum, quemadmodum odoriferi flores. Vnde virga *Num. 17. c* Aaron florem, & fructum ſimul habuit, quia in rectitudine fidei flos bonæ voluntatis non eſt ſine fructu boni operis. Sicut autem ſine ſolis operatione flos fructum non poteſt producere, ſic nec voluntas *Galat. 5. d* ſine Spiritu ſancto fructum vllum, de quo: Fructus autem Spiritus ſancti eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, ſpes, modeſtia, continentia, caſtitas. Vnde bene de flore iſto dicitur: Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. De quarto effectu Spiritus ſancti *Rom. 14. c* in nobis: Non eſt regnum Dei eſca, & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Ecce qualis eſt Spiritus ſanctus in animabus bonorum. Quid enim in corpore operetur ad glorificationem noſtram *Ezec. 37. c* idem ſpiritus, dicitur: A quattuor ventis veni ſpiritus & inſuffla ſuper interfectos, & reuiuiſcãt. A quattuor ventis veniet corpora ſuſcitare, ideſt quattuor dotibus veniet corpora glorificare. In iſto effectu ſpiritus gloria præmiorum maxime bonus eſt in nobis *Pſal. 142. c* Spiritus ſanctus. Pſalmus: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, ſcilicet viuentiũ. Secundum hos quattuor effectus in quibus bonitas, & ſuauitas Spiritus ſancti manifeſtatur, inuenimus Spiritum ſanctum in Euangelio ſignificari per aquam, per digi- *Ioan. 7. f* tum, per ignem, per vnguentum. Per aquam: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem *Luc. 11. c* dixit de ſpiritu, *et cetera*. Item per digitum: Si in di- *Idem. 12. f* gito Dei, *et cetera*. Item per ignem: Ignem veni mit- *Iſa. 61. a* tere, *et cet.* Item per vnguentum: Spiritus Domini *Luc. 4. c* ſuper me, eo quòd vnxerit me. Adapta ſingula ſingulis. Spiritus enim ſanctus eſt aqua mundans, per veniam peccatorum: digitus eijciens, per victoriam inimicorum: ignis accendens, per gratiam donorum: vnguentum conſecrans, ad regna cælorum, ſiue ad gloriam præmiorum. Vnguntur enim reges ad regnandum. Vnctio ergo Spiritus ſancti ſignum eſt futuri regni.

## SERMO XI.

*Sap. 12. a* *O Quàm bonus, & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in nobis!* Vere bonus eſt Spiritus ſanctus in nobis. Bonus vtique in peccatorum remiſſione, in virtutum collatione, in ſenſuum illuminatione, in animarum eleuatione. Primo modo bonus eſt incipientibus, ſecundo proficientibus, tertio conſummantibus, quarto in peruenientibus. De primo dicitur hic: *O quàm bonus*, & cetera. Quòd autem iſtud de bo- *Sap. 11. d* nitate remiſſionis accipiatur, patet ex textu, ſic enim dicitur ibidem: Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt domine qui amas animas, & immediate additur. *O quàm bonus & ſuauis*, & cetera. Suauitas Dei triplex eſt, ſcilicet naturalis, ſpiritualis, æternalis. Naturalis patet in inanimatis, patet in vegetabilibus, patet magis in ſenſibilibus, patet maxime in rationabilibus, ſi quis diligenter in ſingulis contempletur. Sed multi iſta ſuauitate non vtuntur, ſed abutuntur, & *Iob 28. b* ideo vera ſapientia carent, de qua: Non inuenietur in terra ſuauiter viuentium. Item ſpiritualiter non ſolum eſt in remiſſione peccatorum, ſed etiam in vnctio- *Eccls. 10. a* ne donorum: Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti, ideſt gratiæ Spiritus ſancti, de qua Auguſtinus: Suauis es Domine, confeſſio ſuauis eſt tibi A gratia tua. Muſcæ volantes, pungentes, mel ſequentes, ſunt ſuperfluæ & curioſæ cogitationes, rancoſæ affectiones, carnales delectationes. O miſeri, ecce muſcas corpori importunas abigimus diligenter, & muſcas animæ ſuſtinemus nociuas negligenter. Item æternaliter eſt in beatis abundanter. Pſalmus: Me- *Pſal. 144. b* moriam abundantiæ ſuauitatis tuæ, *et cet.* Bene dicit abundantiæ. Tanta enim æternæ ſuauitatis abundans eſt copia, quòd etiam ad capiendam eam nõ ſufficiunt cordium noſtrorum vaſa. Anſelmus: Sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, vt ſufficiat plenitudine gaudiorum. Huius abundantiæ vix ſcintillam B capiunt etiam ſancti in hoc mundo, & tamen de eius memoria eructãt nobis mirabilia. De ſecundo: Si vos, *Luc. 11. b* cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis Pater de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Præmiſſa enim ſimilitudine de patre dante piſcem, ouum, panem, in quibus ſecundum Bedam fides, ſpes, charitas figurantur, concludit, dicens: Si ergo vos, cum ſitis mali, *et cet.* quanto magis pater veſter dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Manifeſta hac ſimilitudine innuit per ſpiritum bonum dari hoc datum in corde, in ore, in opere. Perpenditur in corde per dilectionem, in ore per confeſſionem, in C opere per conuerſationem. Perpenditur in corde per dilectionem: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus *Rom. 5. a* veſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt in nobis. In quorumdam cordibus non eſt charitas diffuſa, ſed confuſa eſt ibi carnalitas. Perpenditur etiam hoc datum in ore per confeſſionem fidei, & laudis non tantum peccatorum: Dabitur enim vobis in illa hora *Mat. 10. c* quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, *et cet.* Quoties ergo vtilia, &. & ædificatoria loquimur, ſpiritus patris cæleſtis eſt in nobis. In eis autem qui detractoria, & increpatoria, contentioſa & ſcurrilia, carnalia verba loquun- D tur, patris infernalis ſpiritus loquitur. Ioannes Chryſoſtomus: Omnis ſermo vanus, qui dicitur, immundo ſpiritu dictante profertur. Ille ergo in eis loquitur, qui olim in ſerpente loquebatur. Spiritus ſanctus enim per linguam ſerpentis, vel viperæ quo modo loqueretur? Lingua enim praua, vtique lingua viperina eſt. Bernardus: Numquid non vipera eſt lingua *Ber. de triplici cuſtodia ſer. 1. to. 1.* detractoris, quæ tres interficit modico afflatu oris? Perpenditur hoc quoque datum in opere, & ſancta conuerſatione: Qui ſeruat mandata eius, in illo ma- *1. Ioan. 3. d* net, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis de ſpiritu, quem dedit nobis. Dat ergo Deus E nobis ſpiritum, vt mandata eius ſeruando in ipſo maneamus, & ipſe in nobis, vt ſic per bonum ſpiritum boni ſimus. Auguſtinus: Tanto magis quiſque filius bonus, quanto magis ei datur a patre ſpiritus bonus: ſed quibus dat hunc ſpiritum? vtique petentibus ſe. Ecce fratres, orationis noſtræ vtilitas. Vnde etiam Apoſtolis, qui erant perſeuerantes in oratione cum *Act. 2. a* Maria matre Ieſu, datur Spiritus ſanctus in igne.

## SERMO XII.

*Sap. 12. a* *O Quàm bonus & ſuauis*, & cetera. Nunc de F tertio effectu bonitatis Spiritus ſancti vi- *Neem. 9. d* deamus. De tertio: Spiritum tuum dediſti eis, qui doceret eos. Suum docere, eſt ſenſus illuminare. Tria autem nos docet Spiritus ſanctus, intelligere, vincere, facere. Docet intelligere omnem veritatem: Cum autem venerit ille ſpiritus *Ioan. 16. c* veritatis docebit vos omnem veritatem ſaluti neceſſa- *Act. 1. b* riam, nõ illam de qua: Non eſt veſtrum noſſe tempora, *et cetera*, quod eſt contra quoſdam de Antichriſto, & temporibus eius ſuperſtitioſe garrientes. Item docet vincere mundi vanitatem. Pſalmus: Qui docet *Pſal. 143. a* manus meas ad prœlium, *et cetera*. In manibus operationes. In quinque digitis ſenſuum diſcretiones ſignificantur. Dum ergo bene operando, & ſenſus refrenando contra vanitates reluctamur, tunc manibus & digitis prœliamur. Prœliemur ergo viriliter, vt ab ipſo coronemur perenniter. Gregorius: Certamen cordis noſtri aſpicit, & qui poſt vincentes remunerat, nunc decertantes iuuat. Item docet facere Dei *Pſal. 142. b* voluntatem. Pſalmus: Doce me facere voluntatem tuam, *et cet.* Benedicit tuam. Quidam enim tantum quærunt facere ſuam, quia Dei voluntatem non at- *1. Theſ. 4. a* tendunt: Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, *Pſal. 118. i* *et cet.* Hæc tria deſiderabat doceri qui dicit: Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Bonitatem faciendi tuam voluntatem, diſciplinam fugiendi vanitatem, ſciẽtiam intelligendi veritatem. De quar- *Pſal. 142. c* to, Pſalmus: Spiritus tuus bonus deducet me in ter- *Pſal. 14. b* ram, *et cet.* Terram vtique de qua Pſalmus: Portio mea Domine in terra viuentium. Non ergo ſolum angelico, ſed etiam diuino ſpiritu euolantium animæ deducuntur. Gregorius: In æternum ſpiritus manet cum ſanctis, quos in hac vita ſemper inuiſibiliter intus illuſtrat, & in futuro ad contemplandam perpetuo ſpeciem ſuæ maieſtatis introducit. Bene autem dicit deducet, ducuntur enim euolantium animæ, deducuntur, & diriguntur. Ducuntur ne timeant, deducun- *Pſal. 72. d* tur ne cadãt, diriguntur ne circumeant. Pſalmus: Tenuiſti manum dexteram, *et cet.* Tunc per manum nos *Cant. 3. b* fortiter tenet in morte, ſi nunc eum per amorem fortiter tenemus in mente: Inueni quem diligit anima mea, tenui illum, neque dimittam. Bene autem dicitur Dominus animam tenere per manum dexteram. In dextera enim vita bona, in ſiniſtra peruerſa vita ſignificatur. Per manum ergo dexteram anima euolãs deducitur, quando per bonæ vitæ opera ſubuehitur. Per manum autem ſiniſtram anima illa a diabolo tenetur, quæ per prauæ vitæ opera ad infernum deducitur. Deducuntur etiam animæ euolantes, vt dirigantur, ne circumeant per purgationem. Boni enim per duplicem viam vadunt ad regnum per latam, & ſemitam. Per viam latam tranſeunt, qui per purgationem tranſeunt. Per ſemitam deducuntur, qui ad regnum *Pſal. 22. a* ſine purgatorio tranſeunt. Pſalmus: Deduxit me per ſemitas iuſtitiæ. Si ergo volumus fratres ad cælum cito venire, per ſemitam itineremus perfecte viuendo, & patrum noſtrorum antiquas perfectiones ſequẽdo: *Ier. 6. d* Interrogate de ſemitis antiquis, & quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus veſtris. Refrigerium illæ animæ inueniunt, quæ per æſtum purgatorij non tranſeunt. Quid autem mirum ſi perfecti per purgatorium non tranſeant, qui purganda omnia vitant, & fugiunt. Iſidorus: Sicut falſitatis crimen a proficientibus pertimeſcitur, ita otioſa verba a perfectis viris vitantur. Deducuntur quoque euolantium animæ, vt conducantur, ne timeant diabolum, qui licet non poſſit perfectorum animas in exitu detinere, nihilominus tamen libenter eas deter- *Iſa. 55. d* reret, ſi non in pace Spiritus ſancti deducerentur: In lætitia ingrediemini, & in pace deducemini. Hæc pax, quam ſanctæ animæ habent in egreſſu de corpore, & de mundo, longe eſt a reprobis in ipſorum *2. Par. 15. a* egreſſu: In tempore illo non erit pax egredienti, & ingredienti, ſed terrores vndique, *et cetera*. Egredienti mundum, ingredienti infernum non erit pax.



# FERIA SECVNDA PENTECOSTES.

## SERMO I.

*Ioan. 3. b* *SIc Deus dilexit mũdum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Conſideremus chariſſimi dilectionis diuinæ immenſitatem, ſtabilitatem, communitatem, generalitatem. Dilectio enim Dei eſt immenſiſſima,



A ſtabiliſſima, communiſſima. De primo dicitur hic: *Sic Deus dilexit*, & cetera. Super omnia enim maxima fuit hæc dilectio. Poteſt enim immẽſitas dilectionis Dei perpendi ex beneficijs corporalibus, ſpiritualibus, æternalibus. Immenſa enim eſt dilectio, quam Dominus exhibet corporaliter: Si poſtquam audie- *Dan. 7. b* ris hæc iudicia, cuſtodieris ea, & feceris: cuſtodiet Dominus Deus tuus pactum tibi, & miſericordiam, quam iurauit patribus tuis, & diliget te, & multiplicabit. Benedicet fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, *et cetera*. Quis omnia temporalia, & naturalia diuinæ dilectionis beneficia enumerare valet, quæ B nobis de cælo, de aere, de aquis, de terra exhibentur? Item immenſior eſt dilectio, quam nobis exhibet ſpiritualiter: Si quis diligit, *et cet. vſque* manſionem *Ioan. 14. c* apud eum faciemus. Quis omnia beneficia dilectionis diuinæ enumerare poſſit, quæ in ſacramentorum perceptione, in peccatorum remiſſione, in virtutum & donorum collatione, in Patris, & Filij, & Spiritus ſancti miſſione exhibentur ſeruantibus ſermonem Domini? Vere ergo beati ſunt: Beati qui audiunt *Luc. 11. d* verbum Dei, *et cetera*, quaſi dicat: Si beatus venter, in quo manſit filius corporaliter, vere certe beata eſt valde nunc mens cuſtodientis ſermonem meum, in C qua manet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſpiritualiter. Nec mirum etiam cum de beata Virgine dicat Auguſtinus: Beatior fuit Maria fidem Chriſti *Aug. de Sãcta Virgin. cap. 3. to. 6.* percipiendo, quàm concipiendo carnem Chriſti. Item immenſiſſima eſt dilectio, quam exhibet æternaliter. Pſalmus: Diligit Dominus portas Sion, *et* *Pſal. 86. a* *cet.* Sion Eccleſiam cæleſtem plus diligit in effectu, quàm tabernacula Eccleſiæ militantis. Auguſtinus: Minus diligit miſerum, quàm beatum. Portæ Sion Apoſtoli dici poſſunt: Habentem portas duodecim, *Apoc. 21. d* *et cet.* Si tantum diligit portas, quantum putas ergo diligit totam ciuitatem? Circa ſtabilitatem dilectio- D nis Dei attende principium, finem, medium. Attende, quòd ante omne tempus, per omne tempus, ad omne tempus vitæ præſentis diligit Dominus electos. De primo: In charitate perpetua dilexi te, *et cet.* Bene *Ier. 31. a* dicit, perpetua. Dilexit enim te, antequam tu vel aliquis, vel homo, vel angelus, vel cælum, vel terra eſſet. Et certe antequam eſſes, tibi regnum præparauerat, filium mori fecerat: Ipſe prior dilexit nos, & mi- *1. Ioan. 4. d* ſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Auguſtinus: Nimis durus eſt animus, qui dilectionẽ ſi nolebat impendere, noluit rependere. Bene dicit, prior. Qui Prior ſub iſto Priore vult eſſe, debet or- E dinem charitatis initiare, de quo ordine: Ordinauit *Cant. 2. a* in me charitatem. De ſecundo: Omni tempore di- *Prou. 17. c* ligit, qui amicus eſt. Conſidera a natiuitatis tempore vſque ad tempus mortis, ſi vmquam aliqua hora ſine diuinæ dilectionis beneficijs vixeris. Ipſum viuere enim Dei beneficium eſt, & certe ſi tempus dilectionis negligis in mundo, tempus odij ſenties in inferno: Tempus dilectionis, & tempus odij. De *Eccls. 3. b* tertio. Nota quòd regina Saba Salomoni dixit: Quia *2. Par. 9. b* diligit Deus Iſrael, & vult ſeruare eum in æternum, idcirco poſuit te regem ſuper eum. Salomon Chriſtum, Iſrael autem electos Chriſti ſignificat. Hos F Deus Pater ex dilectione vult ſeruare in æternum, in vita æterna. Vnde ex dilectione eis conſtituit regem pacificum Ieſum Chriſtum. De quo: Egredimini fi- *Cant. 3. d* liæ Sion, *et cet.* Regina Saba eſt anima ſancta, quæ veniẽs in cæleſtem Ieruſalem, ad cæleſtem Salomonem, laudat hanc æternam dilectionem. Circa qualitatem *Dilectio Dei.* dilectionis Dei attende, quòd dilectio Dei communis eſt, communior, communiſſima. Communis vtique omnibus amicis ſuis: Ego diligentes me diligo. *Prou. 8. b* Dilige ergo, vt diligaris, ne anathemate æterno feriaris: Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum, *1. Cor. 16. d* ſit anathema. Item communior eſt Dei dilectio amicis, & inimicis. Vnde: Diligite inimicos veſtros, *et* *Mat. 5. g* *cet. vſque*, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, quaſi

Dominus dicat : Diligite inimicos veſtros, quia & ego diligo inimicos, ſolem, & lunam, & alia bona eis communicando, immo etiam ſolem æternum filium ſuum inimico communicauit. Vnde dicitur: *Sic Deus* [*Rom. 5. b*] *dilexit mundum*, & cetera. Cum inimici eſſemus, *et cetera*. Bernardus : Quid glorioſius nobis, quàm quòd tanti æſtimauit nos Deus ? quæ illa maior gloria quàm tanta dignatio, eo vtique dulciſſima, nam pro impijs mortuus eſt. Item communiſſima eſt dilectio cum omnibus creaturis. Vnde dicitur [*Sap. 11. d*] hic : Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Non odit Dominus quæ fecit, [*Prou. 6. b*] ſed odit quæ non fecit : Sex ſunt, quæ odit Dominus, [B] [Sex Deo odioſa.] & ſeptimum deteſtatur anima eius : oculos ſublimes, linguam detrahentem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias.

## SERMO II.

[*Ioan. 3. b*] *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* O dilectio, o liberalitas Dei Patris ſic nos diligentis, vt vnigenitum daret [C] pro nobis. Daret, inquam, corporaliter in incarnatione, daret ſacramentaliter in communione, ſpiritualiter in iuſtificatione, æternaliter [*Iſa. 9. b*] in fruitione. De primo : Filius datus eſt nobis. Filius [*Rom. 8. f*] vtique non angelus, nō homo purus : Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, *et cet.* Præterea non dicit manus, vel pes filij, ſed filius. Et vere magnum fuiſſet, ſi digitum filij nobis dediſſet, ſed ecce filius datus eſt, totus datus eſt. Bernardus : Totus mihi datus eſt, in vſus meos expenſus eſt, filius datus eſt nobis. Nobis [*Rom. 5. b*] vtique non amicis, ſed inimicis : Cum inimici eſſemus, *et cet.* Ecce Deus dedit tibi filium ſuum, & tu [D] merito debes dare Deo filium tuum : Ipſum ſemper ad bonum inducendo, ſicut Tobias filium ſuum, vel ad Dei ſeruitium ipſum offerendo Chriſto, exemplo [*Gen. 22. b*] Abraæ. Vnde & Anna de Samuele filio ſuo dixit : Dabo eum cunctis diebus vitæ eius. Sed heu quàm [*1. Reg. 1. b*] miſerabile eſt, Deus dedit tibi filios, & tu dediſti diabolo filios tuos, quando eis iniuſtam hereditatem reliquiſti, [*Pſal. 105. e*] vel in vitijs eos educaſti. Pſalmiſta : Immolauerunt filios & filias ſuas dæmonijs, *et cetera*. De [*Ioan. 6. d*] ſecundo : Pater meus dat panem verum vobis de cælo, *et cet.* Verum dicit, non illum figuralem, ſcilicet manna, quæ figura fuit huius panis. Sicut enim man- [E] na mirabilem habuit ſaporem, ſecundum deſiderium vniuſcuiuſque, ſic corpus Chriſti. Item ſicut manna ad ſolem liquifiebat, ab igne vero indurabatur : ſic corpus Chriſti ad ſolem gratiæ liqueſcit tibi ad ſalutem, ad ignem vero concupiſcentiæ induratur tibi ad damnationem. Sic ergo mirabilia, quæ erant in manna, nunc in eſca corporis Chriſti habemus. Pſalmiſta : [*Pſal. 110. a*] Memoriam fecit mirabilium ſuorum, *et cet. vſque* timentibus ſe. Sic datur diabolus eſca in peccato per- [*Pſal. 7. c*] manentibus. Pſalmiſta : Tu confregiſti capita draconū, dediſti eum eſcam populis Æthiopum. Abſit a nobis fratres venenum draconis vorare. De tertio : [F] [*Sap. 9. a*] Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, *et cet.* Sapientia eſt Filius Dei, qui ad illuminandum ignorantias, & omnes animarum noſtrarum te- [*Iſa. 49. b*] nebras datus eſt nobis : Dedi te in lucem gentium. Sedes autem ſunt animæ iuſtorum. Anima enim iuſti ſedes eſt ſapientiæ. Heu multi hanc ſedem cælo ſub- [*Apoc. 2. d*] trahunt, & diabolo per diuerſa vitia ſupponunt : Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt ſatanæ. Sequitur : & noli me reprobare a pueris tuis. A pueris reprobantur, quibus [*Epheſ. 5. a*] hereditas negatur, de quibus : Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei. De [*Apoc. 2. b*] quarto : Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod [A] eſt in paradiſo Dei mei. Hoc lignum eſt Chriſtus. Qui de hoc ligno in cæleſti paradiſo guſtauerit, ſemper immortalis erit. Huius ligni fructus quanto in fruitione plus editur, tanto plus deſideratur : Qui [*Eccli. 24. c*] edunt me, adhuc eſurient. Auguſtinus : Satietas erit inſatiabilis, nullum faſtidium grauans : ſemper eſuriemus, ſemper ſaturati erimus. Rami huius ligni extenſiones illuminationum, & gratiarum a Chriſto procedentium, in quibus volucres, ideſt angeli, vel animæ bonæ quieſcunt : Volucres cæli requieuerunt in [*Luc. 13. d*] ramis eius. Penſa homo ex prædictis, quàm totaliter, & multipliciter, quàm vtiliter, quàm æternaliter da- [B] tur iſte vnigenitus Dei Filius. Penſa diligenter, & videbis quàm nihil ſis, quidquam impendere potes. Cum enim meminero, ac cogitauero, quidquid ei rependere poſſim, nonne ſum ſicut ſtella ad cælum ? lapis ad montem ? gutta ad fontem ? riuus ad flumen ? granum ad aceruum ? Sic ergo Chriſtus quattuor modis datur nobis, & ex dilectione datur : *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium*, & cetera. Vnde ſicut dilectio [Dilectio quo modo oſtendatur.] ſolet oſtendi in dando, in cibando, in viſitando, in manifeſtando ſcilicet ſecreta, ſic dilectio diuina nobis in quattuor prædictis eſt exhibita, videlicet in dando nobis filium corporaliter. Vnde hic dicitur : [C] *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum*, & cetera. In cibando nos per filium ſacramentaliter : Diligam eos ſpontanee, *et cet.* vbi quibuſdam inter- [*Oſee 14. b*] poſitis ſequitur : Viuent tritico, ideſt corpore Chriſti. Item viſitando nos per filium ſpiritualiter : Pater [*Ioan. 14. c*] meus diliget eum, & ad eum veniemus, *et cetera*. Item manifeſtando filium æternaliter : Qui diligit me, diligetur [*Ibidem.*] a patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.

## SERMO III.

*Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*, & cetera. [*Act. 2. a*] Sicut replentur nubes humido, camini foco, arcæ theſauro, vaſa vino, ita Apoſtoli repleti ſunt Spiritu ſancto, tamquam aqua irrigante in prædicatione, tamquam igne inflammante in dilectione, tamquam theſauro locupletante in virtutum aggeratione, tamquam vino lætificante in conſolatione. De primo : Si repletæ fuerint nubes, [*Eccls. 11. a*] imbres ſuper terram effundent. Nubes ſunt doctores : Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, quia poſtquā aquis [*Iſa. 60. b*] ſalutaris ſapientiæ repleti ſunt, quaſi tot ſtillas ſuper terram cordis humani pluunt, quot Dei verba cordi- [E] bus infundunt : Si Dominus magnus voluerit, ſpiri- [*Eccli. 39. a*] tu ſapiētiæ replebit eum, & ipſe tamquam nubes mittet eloquia ſapientiæ ſuæ. Væ illi terræ, væ homini, qui poſt tot doctrinarum nubes non profert fructus bonorum operū : Terra ſæpe venientem ſuper ſe bi- [*Heb. 6. b*] bens imbrem, & germinans herbam opportunam illis a quibus colitur accipit benedictionem, *et cetera*. De ſecundo : Laborauerunt populi in multo igne, & [*Abac. 2. c*] gentes in vacuum, & deficiunt, quia replebitur terra, vt cognoſcat gloriam Domini. Ignis iſte ſicut exponit Gloſſa, ille eſt, de quo : Ignem veni mittere in ter- [*Luc. 12. f*] ram, *et cet.* Hic eſt ignis Spiritus ſancti, qui terram [F] cordis, vel Eccleſiæ ita replet, vt per eius ſplendorem gloria Domini cognoſcatur in mundo. Nolebat enim mūdus cognoſcere Dominum, ſcilicet Deum verum. Vnde tantæ inter Dominum, & mundum ſunt inimicitiæ, vt nullus amicus mundi poſſit Dei eſſe amicus : Quicumque voluerit eſſe amicus huius ſæculi, inimi- [*Iac. 4. a*] cus Dei conſtituitur : ideo Dominus Apoſtolos igne ſancti Spiritus, tamquam incendiarius contra mundum miſit, vt hoc igne mundi, vitia tamquam diaboli ædificia cremarentur, per fidem & pœnitentiam : Ponam [*Zach. 12. b*] duces Iuda ſicut caminum ignis in lignis, *& cet.* Auguſtinus : Igne Spiritus ſancti inflammati Apoſtoli, cœperunt ire per mundum, inflammare & incendere in circuitu inimicos. O ſi ego hodie diabolum in vna



ara porcorum, ideſt, vnam luxuriam cremare poſſem ? Cum ergo mundus, ita incenderetur per incendiarios principes, & populi ignem extinguere [*Prou. 8. c*] laborauerunt, ſed etiam in vacuum. De tertio : In vijs iuſtitiæ ambulo, vt ditem diligentes me, theſauros eorum repleam. Theſauri iſti ſunt bona voluntas, virtutes, & merita, quibus per Spiritum ſanctum re- [*Gregor. ho. 5. in Euāgel. to. 3.*] pletur arca cordis. Gregorius : Ante Dei oculos numquam eſt vacua manus a munere, ſi arca cordis repleta eſt bona volūtate. O cæcitas, triſtatur homo, ſi perdit theſaurum mundi, & non curat ſi perdit fidem, charitatem, iuſtitiam, & patientiam pretioſum theſaurum Spiritus ſancti ? O ſi cogitaremus, cum quanta [B] diſtrictione theſaurus iſte ponderetur in die redditionis, ideſt, mortis vel iudicij, antequam in domum theſaurorum cæli recipiatur, quàm diligenter eum [*Eſdræ 8. f*] cuſtodiremus : Vigilate & cuſtodite, donec appendatis coram principibus ſacerdotum, & ducibus familiarum Iſrael in theſaurum domus Domini. Statera, in qua appendetur theſaurus iſte, eſt Dei iuſtitia, vel [*Prou. 16. b*] iudicium : Pondus & ſtatera, & iudicia Domini ſunt. In hac ex vna parte exponentur omnia merita tua, ex altera parte corona, propter hoc ſemper time. Dicitur [*Dan. 5. g*] enim : Appenſus es in ſtatera, *et cet.* Principes autem & duces, coram quibus merita in iudicio pondera- [C] buntur, ſunt Apoſtoli, qui cum Domino in iudicio [*Prou. 24. a*] præſidebunt. De quarto : In doctrina replebuntur cellaria. Duo ſunt cellaria, vnum Eccleſiæ militantis, alterum Eccleſiæ triumphantis. Vtrumque replet in [*Ioan. 14. d*] doctrina illius doctoris Spiritus ſancti de quo : Ille vos docebit, *et cet.* Vaſa primi cellarij ſunt fideles Eccleſiæ. Hæc Dominus in doctrina veritatis replet gratia bonitatis. Auguſtinus : Vaſa, quæ creatrix ſapientia format, vt ſicut adiutrix gratia replet, ne vacua ſint, ſi ſtrenuum operarium inuenerint. Magna autem huius cellarij vaſa ſunt doctores, & præcipue [*Act. 2. b*] Apoſtoli vino Spiritus ſancti repleti : Muſto pleni ſunt. [D] De his vaſis propinatum eſt toti mundo. In cellario autem primæ quot ſunt ſpiritus, tot ſunt vaſa vino Spiritus ſancti plena. Si autem de vno vaſe, ideſt, de vnius ſancti gloria inebriaris gaudio Spiritus ſancti, quid ergo erit, quando de mille, immo de mille millibus, immo de omnibus vaſis plenis, ideſt de omnibus ſanctis ſimul in te vinum influet ? Item quid ergo [*Luc. 1. c*] quando de illo pleno hauſeris vaſe, de quo : Aue Maria gratia plena ? *et cet.* Item quid ergo quando de illo immenſiſſimo vaſe beatæ Trinitatis erit continua in- [*Pſal. 35. b*] ebriatio ? Pſalmiſta : Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, *et cet.*

# FERIA TERTIA PENTECOSTES.

## SERMO I.

[*Ioan. 10. a*] *Oues illum ſequentur*, & cetera. Oues Chriſti ſunt fideles, qui quadrupliciter ſequuntur Dominum. Videlicet, in ſancta conuerſatione, in [F] ſecura euolatione, in beata reſurrectione, in æterna commanſione. Primo modo in mundo, ſecundo in extremo, tertio in iudicio, quarto in cælo. De [*Dan. 3. d*] primo : Nunc ſequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. Toto corde ſequi debemus Dominum, non dimidio, ſicut quidam, qui Dominum & diabolum ſequuntur. Quidam enim bona opera facientes, ſe de illis laudari volunt, ita [*Mat. 6. c*] diabolum ſequuntur : Nemo poteſt duobus dominis [*3. Reg. 18. d*] ſeruire. De iſtis : Vſquequo claudicatis in duas partes ? ſi Dominus Deus eſt, ſequimini eum : ſi autem Baal. *et cet.* Baal interpretatur deuorator, & ſignifi-



[A] cat diabolum, qui multas quotidie deuorat animas : [*1. Pet. 5. c*] Circuit quærens quem deuoret. Populus ille claudicans in duas partes cœpit ſequi Dominum in toto corde, quando ignis de cælo dabatur, ſicut ibidem legitur. Ignis iſte Spiritum ſanctum ſignificat : Ignem [*Luc. 12.*] veni mittere in terram, *et cet.* O ſi ignis iſte ad nos deſcenderet, toto corde nos ſequi Dominum faceret. De ſecundo intelligi poteſt quòd tranſiturus per crucem de hoc ſæculo Dominus Petro dicit : Quo ego [*Ioan. 13. d*] vado, non potes me modo ſequi : ſequeris autem poſtea. Securus autem erat Petrus, quando per crucem tranſiuit ad eam vitam ad quam Chriſtus ad crucem [B] præceſſit. Primus autem qui Chriſtum ſequebatur fuit latro, cui dixit : Hodie mecum eris in paradiſo. [*Luc. 23. f*] Quicumque ergo euolando de morte ad vitam Chriſtum vult ſequi, debet de cruce eum ſequi. Crux autem pœnitentia eſt : Qui autem ſunt Chriſti, carnem [*Gal. 5. d*] ſuam crucifixerunt. Item de cruce ſequūtur, qui cruce ſignati contra paganos in certamine moriuntur. Sed valde metuendum eſt, quia non omnis, qui in cruce moritur, Chriſtum ad requiem ſequitur, ſicut patet in malo latrone cum Domino crucifixo. Qui enim vel iniuſtas poſſeſſiones, vel quamcumque voluntatem malam relinquere nolens moritur ſub cruce, ibit [C] cum malo latrone. Non enim ſequitur Chriſtum de cruce, qui non ſequitur Chriſtum in crucem. Bernardus : Væ ſemel, & væ iterum portantibus crucem Chriſti, & non ſequentibus Chriſtum. De tertio, de illo, qui habebat in capite diademata multa, & in ore gladium ex vtraque parte acutum, dicitur ſic : Voca- [*Apoc. 19. c*] batur nomen eius verbum Dei : Exercitus, qui ſunt in cælo ſequebantur eum in equis albis. Verbum Dei Chriſtus eſt, qui in iudicio habebit diademata gloriæ ad coronandum beatos, gladium autem ſententiæ, ad feriendos malos. Tunc homo, vel ad coronam, vel ad gladium ibit. Auguſtinus : Numquid iudicium [D] Dei tantummodo formidandum malis propter pœnam ? & non amandū bonis propter coronam ? Exercitus autem ſanctorum, tunc de cælo, vel etiam de ſepulchris ſequentur ad locum iudicij, & iterum de loco iudicij ad cælum. Equi albi ſunt corpora, quæ ſancti reſument in reſurrectione. In his equis ſignificatur militia vitæ præſentis : Militia eſt vita hominis [*Iob 7. a*] ſuper terram, *et cet.* Quicumque in hoc equo bonus miles Chriſti fuerit, diadema prædictum accipiet. Multi autem fortiter agunt in debilibus equis, ideſt cordibus, & multi viles ſunt in fortibus equis. Pſalmiſta : Non in fortitudine equi, *et cet.* Non præſūmat [*Pſal. 146. b*] [E] ergo qui habet hunc fortem equum, corpus ſcilicet robuſtum : multi enim credunt ſe fortiter in cella ſedere, qui forte intra paucos dies per mortem eijcientur. Omnes enim nos de his equis eijciemur in morte, cum lanceam, ſcilicet mors, in cor noſtrum fixerit. Lancea enim tam audacter transfigit equum Imperatoris, ſicut paſtoris. Bernardus : Quid in rebus humanis certius morte ? quid hora mortis incertius ? non miſeratur inopiam, non diuitias reueretur. Non gratiæ cuiuſlibet, non moribus, non ipſi denique parcit ætati, ſed in reſurrectione omnes ad equos redibimus, boni ad albos, mali ad nigros : Facies omnium [*Naum. 2. c*] [F] ſicut nigredo ollæ. De quarto : Hi ſunt, qui ſequuntur [*Apoc. 14. a*] agnum quocumque ierit. Et poſt pauca dicitur : In ore ipſorum non eſt inuentum mendacium, ſine macula enim ſunt ante thronum Dei. Ecce quales eſſe debent, qui Chriſtum volunt ſequi in cælum. Si ergo agnum ſine macula ſequi volueris, oportet te cælum intrare ſine macula. Pſalmiſta : [*Pſal. 15. a*] Qui ingreditur ſine macula.

## SERMO II.

[*Ioan.10.b*] *Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet & perdat?* Sicut peruerſus paſtor dicitur diabolus, ita etiam fur dicitur, qui furatur noſtra merita, mactat in culpa, perdit in gehenna. [Peccatores a' quibus perdantur.] Perduntur autem peccatores a Deo, ab Angelo, a proximo, a diabolo. Perduntur a Deo iudicante, ab Angelo exequente, a proximo ſcandalizante, a diabolo tentante. [*Iac. 4. c*] De primo: Vnus eſt legis lator, & iudex, qui poteſt perdere & liberare, hic autem eſt Chriſtus: [**B**] Dominus iudex noſter, Deus legifer noſter, Dominus Rex noſter. Legifer noſter in mundo, iudex in iudicio, rex in cælo. Bene autem dicit: Perdere & liberare. Perdet enim non reddentes per bona opera fructum legis ſuæ. Liberat autem reddentes: [*Mat.21.d*] Malos male perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. [*Gen. 8. c*] Sicut enim in diluuio aliqui iuſti per arcam liberati, [*Luc. 17. f*] iniuſti extra arcam perditi ſunt: Venit diluuium, & [*Mat. 25.d*] perdidit omnes: ita in iudicio ignis, pij a dextris liberabuntur, impij vero a ſiniſtris perdentur, cum occiſoribus Chriſti & alijs homicidis, cõtra quos orat [*Pſal. 25. c*] Pſalmiſta: Ne perdas cum impijs, *et cet. vſque* vitam [**C**] [*Mat.22. a*] meam. De ſecundo dicitur: Rex vero cum audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit, hic dicitur de illis, qui ad nuptias Chriſti, & Eccleſiæ per fidem, & amorem non venerunt. Homicidæ autem ſunt non ſolum qui facto, vel verbo, ſed etiam animo proximum occidunt: [*1.Ioan.3.c*] Qui odit fratrem ſuum, homicida [*Sap. 16. b*] eſt. Item vel gladio malitiæ ſeipſos: Homo autem occidit per malitiam animam ſuam. Sed heu non ſufficit peruerſis occidere ſe, vel proximum, quin etiam quantum in ſe eſt, occidere tentant agnum illum, de [*Apoc.13. b*] quo: Qui occiſus eſt ab origine mundi. Et: Rurſum [**D**] [*Heb. 6. b*] crucifigentes, *et cet.* Tales ergo perduntur in iudicio [*Mat.13. e*] miſſis exercitibus angelorum: Mittet filius hominis angelos, *et cet.* Perduntur, *et cet.* Perduntur per angelos peruerſi non ſolum in iudicio, ſed etiam in mun[*Gen. 19. c*]do: vnde de Sodomitis dixerunt angeli: Delebimus locum iſtum, eo quòd increuerit clamor illorum Domino, qui miſit nos, vt perdamus illos. De tertio: [*Rom.14. c*] Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Quocumque modo alius alium, exemplo, verbo, blanditijs, terroribus, negligentijs ad peccandum inducit, animam ſuam perdit. Quàm periculoſum ſit per ſcandalum perdere proximum, oſtendit [**E**] [*2.Mac. 6.e*] Eleazarus: Legitur enim quòd perdidit ſe corporaliter, ne proximos perderet ſpiritualiter. Auguſtinus: Eleazarus maluit vitam ſuam tormẽtis obijcere, quàm cuiquam magiſter perditionis exiſtere. Sed heu de [*Ier. 50. a*] prælatis conqueritur Dominus: Grex perditus factus eſt populus meus, paſtores eorum ſeduxerunt eos. Perdis ergo proximum ſcandalizando, ſed quod eſt miſerabilius, perdis teipſum mortaliter peccando: [*Luc. 9. c*] Quid proficit homini ſi vniuerſum mũdum lucretur, ſe autem ipſum perdat? Inſanus autem eſſet, qui ſeipſum laqueo perderet corporaliter, magis autem inſanus, qui ſe vitio perdit æternaliter. Gregorius: Nulla [**F**] maior intelligitur inſania, quàm pro delectatione momentanea obligare ſe ad æterna ſupplicia. Audi [*Eccli. 9. a*] ergo conſilium Sapientis: Ne des fornicarijs animam tuam in vllo, ne perdas te, & animam tuam, & hereditatem tuam: te æternaliter, hereditatem temporaliter, *et cet.* [*Pſ.118. m*] De quarto, Pſalmus: Me expectauerunt peccatores, vt perderẽt me. Peccatores ſunt dæmones, quorum omne ſtudium eſt peccatum. Bene autem dicit: Expectauerunt. Sicut enim aucupes, ſicut venatores, ſicut latrones, ſic illi ad perdendum hominem [*Pſal. 10. b*] expectabant in inſidijs. Pſalmiſta: Sedet in inſidijs cum diuitibus, *et cetera*. Sicut enim diuites denarijs, ſic dæmones animabus inſidiantur. Sed quare cru[**A**]deles iſti venatores, & fures non expectant? certe vt macerentur in culpa, & perdant comedendo in pœna. Ambroſius: Amat gluto procellum, vt comedat, ſed numquã crudos comedit. Illos certe comedit, & perdit in inferno, quos igne auaritię aſſauit, vel aqua feruẽte luxuriæ coxit in mundo: [*Mat. 9. d*] Frequenter eum in ignẽ, [*Dan.3.d g*] & in aquã miſit vt perderet. Qui ergo cum tribus pue[*Mat. 14.d*]ris de iſto igne, & cum Petro de aqua non fuerit libe[*Iob 24. d*]ratus, manebit æternaliter in ignis ardore, & aquæ frigore: Ad calorem nimium tranſiet ab aquis niuium.

## SERMO III.

[*Act. 2. a*] *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* [Repletio Spiritus ſancti.] Repletio Spiritus ſancti eſt purgatiua, illuminatiua, perfectiua, & conſummatiua. Purgat defectum, illuminat intellectum, perficit affectum, confirmat perfectum. De [*Luc. 1. b*] primo: Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. In hac repletione purgatus fuit Ioannes a culpa originali in vtero. Myſtice autem mater iſta eſt Eccleſia, vel religio, quæ nos in viſceribus charitatis quaſi in vtero portat. [*Apoc.12.a*] De hoc vtero: Mulier amicta ſole, *et cetera*, *vſque* in vtero habens, *et cet.* Amicta [**C**] [*Mat. 5. b*] ſole in lucida conuerſatione: Sic luceat lux veſtra, *et cet.* Tunc perfecte contemnimus, quando in proſperitate non extollimur, in aduerſitate non deijcimur, ſicut ſtulti mundi amatores mutantur, ſecundum mu[*Eccli.27.b*]tabilitatem temporalium: Stultus vt luna mutatur. Vnde talis non ſuper lunam, ſed ſub luna eſt. Item corona duodecim ſtellarum in capite eius in æternorum contemplatione, quæ in duodecim articulis fidei fundatur. Sed heu multi coronam ſub pedibus, lunã in capite habent, quando æternis temporalia præponunt. Filius de vtero huius mulieris naſcitur quando in luce vitæ æternæ ſpiritus boni hominis transfundi[**D**]tur. Vnde bene dicitur ibidem Raptus eſt filius eius ad Deum, & ad thronum eius. Draco diabolus eſt, qui perfidia in exitu de mundo maxime inſidiatur. Gregorius ſcribens de peruerſo, in Homilia, ait: Ecce iuuenis prauus draconem vidit in morte cui ſeruierat in vita. Non autem ſolum malis, ſed & bonis inſidiatur in morte. Patet hoc, quia etiam illi inſidiatur, qui ad thronum rapiebatur. [*Sap. 1. b*] De ſecundo: Spiritus Domini repleuit orbem, *et cet.* Qui continet omnia eſt homo ſecundum Gregorium in Homilia [*Gregor. ho. 29. in Euãgel.to. 3.*] Aſcenſionis, qui ait: Cõmune habet cum omni creatura. Sed quidam habent ſcientiam ſine voce, qui [**E**] multa ſciunt, & parum docent: quidam vocem ſine ſcientia, qui multum clamant & parum ſciunt: quidam ſcientiam & vocem; & hos repleuit Spiritus ſanctus, dans aquam ſapientiæ cum imbre eloquentiæ, quot verba tot ſtellas pluunt. [*Rom.15. c*] De tertio: Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti. Ecce talibus vnctionibus replet animam Spiritus ſanctus. [*Pſal. 62. b*] Pſalmiſta: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Quare repletio optime figurata eſt in vaſis oleo [*4.Reg. 4.a*] miraculoſe repletis. Quære expoſitionem in octaua Paſchæ, in ſermone: *Accipite Spiritum ſanctum*. De[**F**]bes enim clauſuram ſeruare in teipſo, quærere vaſa exemplorum in proximo, repleri oleo donorum a Deo. Sed ſi non vis ſequi exempla ſanctorum, ſit tibi turpe non ſequi exempla paganorũ, a quibus de contemptu mundi & de ſobrietate, & de alijs virtutibus multa mutuari poſſes, ſicut filij Iſrael vaſa Ægyptio[*Exod. 12.f*]rum: Sed diligenter attende, quòd licet vaſa multiplicentur, non tamen replentur, niſi oſtia ſenſuũ claudantur. Sed præcipue claude oſtium oris. Ambroſius: Ingreditur mors per oſtium tuum, ſi falſum loquaris, ſi turpiter & procaciter. Clauſæ ſint ergo fores labiorum tuorum, & obſeratum maneat vocis veſtibulum. [*Mich.3. c*] De quarto: Repletus ego ſum fortitudine Spiritus Domini iudicio, & virtute. Fortitudine ſcilicet



[*1.Pet. 5. c*] licet reſiſtendi in tentatione: Aduerſarius veſter diabolus, *et cet. vſque* fortes in fide. Item iudicio corri[*Pſal.95. b*]gendi in prælatione. Honor enim regis, ideſt prælati, iudicium diligit. Talis fuit repletio de qua Pau[*Act.13. b*]lus repletus Spiritu ſancto intuens in eum dicit: O pleni omni dolo, *et cet.* Certe prælatus, qui modo peſtilenti corripiendo diceret eum filium diaboli, & tanta animaduerſione puniret, vix putaretur hoc facere ex Spiritu ſancto, ſed maligno. Et ecce Paulus repletus Spiritu ſancto tam dure corripuit, & cæcitate puniuit. Bene ergo fuit pœnitentia in opere, & correptio in ore. Sed Spiritus ſancti repletio fuit in corde. Item virtute perſiſtendi in bona conuerſatione. Gregorius: Virtus boni operis perſeuerantia eſt: hanc virtutem Spiritus ſanctus cæleſtibus, & ſpiritua[*Pſal.32. b*]libus qui per cælos ſignificantur, confert. Pſalmiſta: Verbo Domini, *et cet. vſque* Dominus.

# FERIA QVARTA PENTECOSTES.

## SERMO I.

[*Ioan. 6. e*] *Nemo poteſt venire ad me*, & cetera. Venire ad Dominum debet homo, qui inuitatur verbi exhortatione, allicitur præmij promiſſione, iubetur præcepti obligatione, trahitur beneficij exhibitione. De [*Ioan.7. f*] primo: Si quis ſitit veniat ad me, & bibat. Ecce ſi ſitis ſalutem, inuitatus es venire ad ſalutem. Quo modo enim ad ſalutem veniret, quem Saluator non inuitaret. Auguſtinus: Nullus ad ſalutem credimus niſi Deo inuitante venire, nullum inuitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari, [**D**] nullum niſi orantem auxilium promereri. Ait ergo: Si quis ſitit, *et cetera*. Sitire eſt vehementer deſidera[*Pſal. 41. a*]re. Pſalmiſta: Quemadmodum deſiderat ceruus, *& cet. vſque* ſitiuit anima mea. Vbi dicit Gloſſa, quòd ceruus ſenio grauatus excreſcentibus pilis, atque cornibus, ſerpentem naribus haurit, quo hauſto veneno, æſtuat. Vnde fontem ad bibendum ardentiſſime deſiderat, vt ſic cornua & pilos deponat: ita volens reuerti ad Dominum, veneno vitiorum contractorum a ſerpente diabolo, vel cane ſe æſtuare cognoſcens, fontem gratiæ deſiderat, vbi vitiorum pilos, & cornua ſuperbiæ deponat: & ſic reuiuiſcit factus nouus ho[*Epheſ. 4. e*]mo: Deponite vos ſecundum priſtinam conuerſatio[**E**][*Mar.14. b*]nem veterem hominem, *et cetera*. De ſecundo: Sinite paruulos venire ad me, *et cet.* Paruuli ſunt humiles. Humilitate enim ad Chriſtum venitur. Auguſtinus: Humiliter ad humilem venite: venite, ſi amatis, ne diſcedatis ab illo, *et cet.* Si allicit te venire ad amicum tuum refectio corporalis, quanto magis ſpiritualis? [*Mat.11. d*] Venite ad me omnes qui laſſati eſtis, *et cet.* Et ſi allicit te promiſſio regni, eſtote humiles, talium eſt enim regnum cælorum. Libenter poſſumus eſſe paruuli, ideſt humiles in oculis noſtris, vt regnum conſequa[*Mat.18. a*]mur: Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut par[**F**]uuli, *et cet.* quod etiam ſignificatur in Saul cui ait Sa[*1.Reg.15.d*]muel: Nonne cum eſſes paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? Vnxit quoque te Deus in regem. Bene dicit in oculis tuis, non in oculis aliorum, multi enim parui, & contemptibiles ſunt in oculis aliorum, qui magni ſunt in oculis proprijs. Item in oculis tuis dicit, non in oculis Dei. Auguſtinus: Eſto paruus in oculis tuis, vt ſis magnus in oculis Dei. Tanto enim apud Deum eris pretioſior, quanto fueris [*Mat. 14.d*] ante oculos tuos deſpectior. De tertio: Domine ſi [*Exo. 14. g*] tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. Quidam inter aquas veniunt ſicut filij Iſrael per mare rubrum. Quidam ſuper aquas ſicut Petrus. Primi imperfectos [**A**] & ſæculares ſignificant, qui terrenis inhiantes mare huius ſæculi licet tranſeant, tamen pedibus affectuum terram tangunt. Sed ſecundi perfectos, & glorioſos ſignificant, qui mare ſæculi contemnentes, ſub pedibus calcant. Tertij autem in mare ſæculi intrantes ſubmerguntur, ſcilicet Ægyptij, ideſt peccatores per vitia tenebroſi. Ægyptus enim tenebroſa interpretatur infernus. [Submerſio miſerabilis.] O quàm miſerabilis eſt ſubmerſio, vanitas cor rapit, curioſitas ſeducit, cupiditas allicit, voluptas deducit, luxuria polluit, torquet inuidia, turbat iracundia, cruciat triſtitia, & ſic miſer talibus ſubmergitur in vitijs omnibus. De quarto: *Nemo poteſt* [**B**] *venire ad me niſi Pater meus, qui miſit me, traxerit eum.* Ne dicas quòd ſolus filius ſolicitus eſt pro nobis. Ecce nos filius & pater trahit. Quotiens enim beneficia Dei recipimus, totiens tracti ſumus, inter quæ tamen nos maxime trahere debet paſſionis Chriſti beneficium, quod tam magnum ipſe Chriſtus indicauit, quòd merito totum mundum trahere deberet. Vnde [*Ioan. 12. e*] ait: Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum. Sed poteſt dicere aliquis: Ecce nemo poteſt venire ad Chriſtum niſi tractus. Si ergo per gratiam non trahor, quo modo venire poſſum? [Exemplum pulchrum.] Attende homo: Ecce ſi modo igne, vel aqua, vel hoſtibus re[**C**]pleta eſſet hæc ciuitas, & nullo modo euadere poſſes, niſi per turrim altiſſimam trahereris, & amicus tuus, ſtans ſuper turrim fune dimiſſo, inferius, paratus eſſet te, & quemlibet volentem trahere ſurſum: Si ergo tu manum ad funem non mitteres, vel ſi non traxeris, vel in media via funem relinquens caderes, tũc certe tua culpa eſſet, quòd non euaderes. Sic enim de fune gratiæ & charitatis, per quam Deus amicus verus paratus eſt omnes trahere ad alta, qui per manum boni operis funem gratiæ fortiter tenent. Vnde bene dicit: Si exaltatus fuero, *et cet.* Et certe non nouus amor, quo nos trahit, ſed antiquus: [*Ier. 31. a*] In charitate [**D**] perpetua dilexi te, ideo, *et cetera*.

## SERMO II.

[*Ioan. 6. e*] *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit illum.* Trahit hominem Deus, trahit homines diabolus, trahit proximus. [Deus quo modo trahat.] Trahit Deus ad bonum, diabolus ad malũ, trahit homo ad vtrumque. Trahit Deus hominem a malo ad bonũ, a bono ad bonũ, a mundo ad cælum. Primo trahit incipientes, ſecundo proficientes, tertio peruenientes. [*Ioan. 12. e*] De primo: Ego ſi exaltatus fuero, omnia, *et cet.* Gloſſa: Omnia gene[**E**]ra hominum de quibus diabolus eijcitur. Trahit autem quandoque per flagella, quandoque per beneficia. [*Oſee 11. a*] Vnde: In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis. Funiculi Adam ſunt flagella, quia & ipſe primus, & per eum nos flagellati ſumus. Vincula vero charitatis Dei ſunt beneficia. [*Cant. 1. a*] De ſecundo: Trahe me poſt te. Curremus in odorẽ vnguentorum tuorum. Currere eſt in virtutibus, & bonis operibus [*1.Cor.9. a*] proficere: Sic currite vt comprehendatis. Vel currere eſt feruenter diligere. Bernardus: Qui amat ardentius, currit velocius & peruenit citius. Vnguenta ſunt [**F**] gratiarum chariſmata, quibus Deus fideles vnxit. Odor eſt bona fama. In odorem ergo vnguentorum Dei currimus, quando per famam virtutum & exempla ſanctorum proficimus. Vt vero ſic currere poſſimus, nos per gratiam trahi petimus. Auguſtinus: Trahe Domine in amorem tuum hoc ipſum quod ſum. [*Iob 34. b*] De tertio: Si direxerit ad eum cor ſuum, ſpiritum illius & flatum ad ſe trahet, deficiet omnis caro ſimul & homo in cinerem reuertetur. Ecce quando caro in morte deficit, tunc ſpiritum Dominus ad ſe trahit, & certe qui nunc cor ſuum ad Dominum dirigit Spiritũ ſanctum ad ſe trahit. Tunc certe Dominus ſpiritum tuum ad ſe trahet ſi nunc per orationem, & per confeſſionem ſpiritum ſuum ad te trahit. [*Pſ. 118. r*] Pſalmus: Os meum

[*Diabolus quo pacto trahat.*] Os meum aperiam, & attraxi ſpiritum. Trahit quoque diabolus hominem de bono ad malum, de malo ad malum, de mundo ad infernum. De primo: Miſit [*Apoc. 12. d*] ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquã magnam tamquam fluuium, vt eam faceret trahi a flumine. Præmittitur etiam ibidem quòd cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum. Os ſerpentis diaboli ſuggeſtionem; cauda vero humanam imitationem ſignificat. [*Os diaboli quid.*] Vel os diaboli eſt os hæretici, os mali conſiliarij, os ſeminatoris diſcordiæ, os allicientis ad fornicationem, & ſimilium. Flumen eſt abundantia iniquitatis. Cauda vero, quæ tegit turpitudinem, eſt quælibet ſententia, vel appetentia alterius iniquitatem iniuſte occultans, vel defendens, vel pallians. De ſecundo: [*Abac. 1. d*] Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua. Hamus diaboli eſt reatus æternæ mortis, quẽ abſcondit ſub eſca momentaneæ voluptatis. Sagena vero eſt conſuetudo peccandi. Sicut enim ſagena multis nexibus, ſic conſuetudo ex multis malis actibus conficitur, quando homo de vtero ad vitium trahitur. Sed heu diabolus piſcem, quem ſagena de mundo extraxit, ſuper carbones inferni mittit. De tertio: [*Prou. 24. a*] Erue eos, qui ducuntur ad mortem, qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Quod non ſolum de interitu tẽporali, ſed etiam æternali poteſt accipi, ad quod diabolus trahit. Gregorius: Maligni ſpiritus, egrediente anima, opera ſua requirunt, mala replicant quæ ſuaſerunt, vt ſociam ad tormenta trahant. Ab hoc tractu quilibet amicum ſuum conſilio, & auxilio liberare debet. [*Homo quo modo trahat.*] Trahit etiam homo hominem ad culpam, ad gratiam, ad pœnam. De primo dicitur de iuuene, qui ſequitur mulierem vagam: Ignorãs quòd [*Prou. 7. d*] ad vincula ſtultus trahitur: Væ ei, qui ad fornicationem, ad rapinam, ad quodcumque vitium, vel de [*Iſa. 5. d*] vtero ad vitium trahitur: Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, *et cet.* Tales ſimiles ſunt diabolo. Ambroſius: Tales, qui alios trahunt ad iniquitatem, in ſemetipſis dæmonum myſterium ſunt, quamuis per naturam dæmones non ſint. De ſecundo: [*Ioan. 21. b*] Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete, *et cetera*. Homines, ideſt piſces per rete trahuntur ad terram viuentium. Trahendi ſunt homines non ſolum verbis, [*Act. 9. b*] vel conſilijs, ſed etiam exemplis & adiutorijs: Ad manus autem trahentes illum, *et cet.* Nota quòd Dominus eum ſpecialiter diligit, qui ad bonum alios trahit. Gregorius: Ille apud Deum magis in amore Dei eſt, qui magis ad amorem Dei plurimos trahit. De [*Luc. 21. c*] tertio: Inijcient vobis manus, & perſequentur trahentes in ſynagogas ad reges & præſides, propter nomen meum. Væ eis, qui alios iniuſte ad iudicia, & ad pœnas trahunt.

# DOMINICA IN OCT. Pentecoſtes De ſanctiſsima Trinitate.

## SERMO I.

[*Iſa. 6. b*] *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*, & cet. In veteri quoque teſtamento gloria Trinitatis prædicatur. Attendite Chariſſimi quòd Dominus Deus ter ſanctus ab Angelis proclamatur. Sanctus enim eſt in ſeipſo, ſanctus in homine Chriſto, ſanctus in opere ſancto. Sanctus, inquam, eſt in tribus perſonis, in tribus ſubſtantijs vnius perſonæ, in tribus operibus vnius eſſentiæ, ſcilicet bonitatis diuinæ. [*Leuit. 19. a*] De primo: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. De hac ſanctitate bene hic dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exer-* A *cituum*. Interlinearis: Sanctus Pater, ſanctus Filius, ſanctus Spiritus ſanctus. Sanctus vtique eſt Pater: [*Ioan. 17. b*] Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, in vita bona, ne pereant in nomine diaboli in vita mala, dicitur enim quòd qui habuerit characterem beſtiæ. [*Apoc. 14. c*] Interlinearis, ideſt ſignum nominis eius, cruciabitur igne & ſulphure. [*Pſal. 88. a*] Item ſanctus eſt Filius. Vnde Pſalmus: Semel iuraui in ſancto meo. Gloſſa: in homine Chriſto. Quid iuraſti Domine? Iuraui, inquit, quòd ſemen filij mei, ideſt Chriſtiani manet in regnum in æternum, & iuraui quòd thronus eius. Gloſſa, ideſt illi, in quibus inſidet & dominatur, fulgebunt ſicut ſol in regno patris. B Ecce vides quo modo Dominus iurauit in ſancto ſuo quòd omnes pios glorioſiſſime glorificabit in regno. Et certe etiam iurauit in ſancto ſuo quòd omnes impios ſæuiſſime damnabit in inferno: [*Amos 4. a*] Iurauit Dominus in ſancto ſuo, quia ecce dies venient ſuper vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis feruentibus. Item ſanctus eſt Spiritus ſanctus: [*Iſa. 10. d*] Erit lumen Iſrael in igne, & ſanctus eius in flamma. Spiritus ſanctus eſt lumen illuminans, & ſanctus eſt ſanctificans, flammaq. inflammans animas noſtras, [*Act. 2. a*] & in linguis igneis inflammauit Apoſtolos. Per hanc certe flammam vitatur illa, de qua: [*Luc. 16. f*] Crucior in hac C flamma. Sanctus eſt ergo Deus in tribus perſonis: [*Exod. 15. b*] Quis ſimilis tibi magnificus in ſanctitate, *et cet.* Terribilis eſt pater in poteſtate, laudabilis filius in veritate, mirabilia faciens. Spiritus ſanctus in bonitate. [*Luc. 1. d*] De ſecundo: Quod ex te naſcetur, *et cet.* De hac Chriſti ſanctitate etiam bene dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus*. Sanctus in corde, ſanctus in anima, ſanctus in diuinitate. Sanctus eſt Chriſtus in corpore. [*Pſal. 64. a*] Pſalmus: Sanctum eſt templum tuũ, templum vtique corporis, de quo: [*Ioan. 2. d*] Soluite templum hoc, *et cet.* Solutum fuit hoc templum vulneratione, & ſeparatione ab anima, non corruptione. [*Pſal. 15. c*] Pſalmus: Nec dabis D ſanctum tuum videre corruptionem. Gloſſa, ideſt putrefactionem. Item eſt ſanctus Chriſtus in anima. [*Pſal. 96. b*] Pſalmus: Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum. Gloſſa proprie hoc conuenit Chriſto: Cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, *et cet.* Et quia anima Chriſti præ omnibus eſt ſancta, ideo præ omnibus deteſtatur quidquid ſanctitati contrarium eſt: [*Prou. 6. b*] Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius. [*Pſal. 88. c*] Item ſanctus maxime eſt Chriſtus in diuina natura. Pſalmus: Domini eſt aſſumptio noſtra. Gloſſa, ideſt carnis noſtræ, & ſancti Iſrael regis noſtri. Ecce quia carnem noſtram aſſumpſit ſanctus, & rex E dicitur. Sanctificat enim, & regit nos aſſumptio in vtero Virginis per quam ſanctus ſanctorum ad nos venit ille vtique ſanctus, de quo: [*Heb. 7. d*] Talis decebat vt eſſet nobis pontifex ſanctus, & innocens. Sanctus in bono, & innocens eſt in corpore, in anima, in diuinitate: ideo bene additur, impollutus. Gloſſa: Corde. Item ſegregatus a peccatoribus. Gloſſa: Immunis ab omni vitio, hoc quoque ad animam. Item etiam excellentior cælis factus. Gloſſa: Quia eum Angeli adorant, hoc diuinitatis eſt. De tertio, pſalmus: [*Pſal. 144. c*] Sanctus in omnibus operibus ſuis. De hac ſanctitate etiam bene dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus*, & cetera. F Sanctus in opere creationis, ſanctus in opere redemptionis, ſanctus in opere glorificationis. De primo: [*Iſa. 43. c*] Ego Dominus ſanctus veſter, creans Iſrael rex veſter. Sanctus in creatione eſt Dominus, quia nullam iniquitatem, nullum ad iniquitatem creauit Dominus, nec dæmonem, nec hominem: [*Gen. 1. d*] Vidit Deus cuncta quæ fecerat, *et cet.* Auguſtinus: Bona valde, quæ fecit quanto melior ille fuit, qui fecit. [*Iſa. 43. c*] De ſecundo, hæc dicit Dominus Redemptor veſter ſanctus Iſrael. Propter vos emiſi Babylonem, & detraxi vectes vniuerſos, & Chaldæos in manibus ſuis gloriantes. [*Mat. 20. d*] Redemptor noſter per paſſionem eſt: Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis. Ambroſius:



ſius: Plus debeo Domine Ieſu tuis iniurijs quòd redemptus ſum, quàm tuis viribus quòd creatus ſum: redemptor iſte emiſit Spiritum ſanctum, Apoſtolos & Doctores in Babylonem. Interlinearis: In mundum peccato confuſum, & detraxit vectes vitiorum, & Chaldæos in ira ſua gloriantes, ideſt dæmones per fluctus huius ſæculi miſeras animas circumducentes, [*Iſa. 60. b*] & inde gloriantes. De tertio: Adducam filios tuos de longe, argentum & aurum eorum cum eis nomini Domini & ſancto Iſrael, quia glorificabit te. Ieruſalem, cui glorificatio hic promittitur, ſignificat Eccleſiam, quæ a ſancto Iſrael in cælo glorificabitur. Ille autem amplius cum Eccleſia ædificabitur in cælo, qui argento fidei & auro charitatis amplius in Eccleſia abundauerit in mundo. Auguſtinus: Ille apud Deũ plus habet loci, qui plus attrahit non argenti, ſed fidei. Sanctus ergo eſt Deus in tribus operationibus: [*Apoc. 4. c*] Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Qui erat in principio mũdi Creator, qui eſt in medio Redemptor, qui venturus eſt in extremo rumunerator.

## SERMO II.

[*Iſa. 40. c*] *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Tribus digitis. Interlinearis, ideſt poteſtate Trinitatis. Terra ſicut ait beatus Gregorius ſignificat Eccleſiam, quæ fide Trinitatis, quaſi tribus digitis appendit. Conſiderandum autem quòd fide Trinitatis, quaſi triplici funiculo trahimur, quaſi tribus digitis appendimur, quaſi tribus palmitibus reficimur, & inebriamur. Trahimur in conuerſione, appendimur in conuerſatione, reficimur in fruitione. Trahimur de profundo culpæ, appendimur in ſolido gratiæ, inebriamur mero gloriæ. De [*Eccls. 4. c*] primo: Funiculus triplex difficile rumpitur. Funiculus triplex eſt fides Trinitatis. Gloſſa: Si fides Patris & Filij, & Spiritus ſancti aduenerit, non facile rumpitur iſta ſoliditas, hoc funiculo trahimur de cloaca [*Ier. 38. d*] diaboli, de lacu peccati: Extraxerunt Ieremiam funibus, & adduxerunt eum de lacu. Sed certe per funem fidei extrahi non poteris, niſi manus per bona opera [*Iac. 2. d*] ad funem miſeris: Fides ſine operibus mortua eſt. Funiculus fidei difficile rumpitur, qui nec gladio, nec igne, nec vetuſtate conſumitur, primum patet in beato Paulo, & in multis alijs, qui in occiſione gladij pro fide mortui ſunt, quorum fides ferro ſcindi non potuit. Secundum patet in beato Laurentio, & beata Agnete, & Lucia, & quinquaginta oratoribus, qui pro fide ignem ſuſtinuerũt. Tertium patet in tota Eccleſia: Eccleſia Abraæ fides vetuſtiſſima, ad hæc recens eſt, & erit in credentibus, vſque ad finem mundi. Funiculus enim fidei Trinitatis numquam conſumitur, cum tamen non ſit nouus, ſed antiquiſſima, ſicut patet in antiquiſſimis iuſtis. Auguſtinus: Fides Patriarcharum, Prophetarum, atque Apoſtolorum, [*Gen. 18. a*] vnde Deus, prædicat eſſe Trinitatem. Antiquiſſimus [*Pal. 66. b*] enim, patriarcha Abraam tres vidit, & vnum adorauit. Antiquiſſimus propheta Dauid ait: Benedicat nos Deus Deus noſter, *et cet.* Antiquiſſimus etiam apoſto- [*1. Ioan. 5. b*] lorum: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, *et cet.* De ſecundo dicitur hic: *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Terra ſignificat Eccleſiam. Terra [*Pſal. 23. a*] enim ſuper aquas eſt: ſic & Eccleſia ſuper aquas Babylonis. Pſalmus: ipſe ſuper maria fundauit eã, *et cet.* Fundata eſt enim tribus digitis in poteſtate, & fide Trini- [*Mat. vlt. d*] tatis: Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Item terra eſt ſtabilis: ſic & Eccleſia: Ter- [*Eccls. 1. a*] ra vero in æternum ſtat. Item terra diuiſa eſt in tres partes, ſcilicet Aſiam, Africam, & Europam. Vnde digitis bene tribus appenſa eſt: ſic & Eccleſia tres habet ſtatus, ſcilicet coniugatorum, viduarum, & virginum. Item terra fructificat: ſic & Eccleſia meri- [*Pſal. 66. a*] tis. Pſalmus: Terra dedit fructum ſuum. Non tamen A hæ tres inſulæ æqualiter fructificant. Inſula enim coniugatorum trigeſimum, viduarum ſexageſimum, virginum centeſimum fructum dat. Vnde tertia inſula optima eſt. Auguſtinus: Bonum Suſannæ in coniugali caſtitate laudamus, ſed tamen ei bonum Annæ viduæ, ac multo magis Mariæ Virginis anteponimus. Hæ tres terræ Eccleſiæ fide Trinitatis, quaſi tribus digitis appenduntur. O fortiſſimus, & ſapientiſſimus Deus, qui totam fidem Eccleſiæ ſic appendit. Appendit inquam continendo in gratia, ſine qua nihil poſſumus. [*Iob 26. b*] Appendit terram ſuper nihili, appendit & [*Idem. 31. a*] ponderando merita: Appendat me in ſtatera iuſta. B Auguſtinus: Interior inſpector eſt Dominus, illi appendit, illi examinat. [*Gen. 40. b*] De tertio: Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines. Vitis hæc eſt fides Trinitatis, de qua bene creſcit vinum æternæ iucunditatis. [*Pſal. 103. a*] Pſalmus: Vinum lætificat cor hominis. Hoc mero lætificamur in fruitione beatæ Trinitatis. [*Aug. lib. 1. de Doctr. Chriſt. c. 3. to. 3.*] Auguſtinus: Res, quibus fruendum eſt, ſunt Pater & Filius, & Spiritus ſanctus. Hoc vinum pretioſum in vaſis pretioſis, & ſpecioſis appone. In regia vinum erat abundans, & præcipuum ponebatur, & præmittitur ibi: [*Eſther. 1. c*] Bibebant autem qui inuitati erant aureis poculis. [*Pag. 42.*] Require expoſitionem in ſermone: *Deficiente vino*. C

## SERMO III.

[*1. Ioan. 5. b*] *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo*, & cetera. Gloſſa: Per hoc apparet, quòd Ieſus eſt veritas, verus Deus, & verus homo. De vtroque certum habemus teſtimonium. O vere magnum id teſtimoniũ. *Tres inquit ſunt, qui teſtimonium dant*, & cetera. Tres vtique credendi certiſſime, tres metuendi iuſtiſſime, tres diligendi veraciſſime, tres colendi digniſſime. De D primo: [*Exod. 3. f*] Ibimus viam trium dierum in ſolitudine. Via noſtra eſt fides noſtra trium perſonarum, quam vt rectius teneamus ipſam nobis per variam ſcripturam, ipſam per apertam figuram, ipſam per rationalem naturam, ipſam per omnem creaturam oſtendit. Dico quòd Trinitas oſtenditur per Scripturam, tam veteris, quàm noui teſtamenti. [*Trinitas veteris, & noui teſtamenti Scriptura oſtenditur.*] Vnde Pſalmus: Verbo Domini, *et cet.* hic dicitur: *Tres ſunt*, & cetera. Item oſtenditur per figuram vbi legitur, quòd Abraam [*Gen. 18. a*] tres vidit, & vnum adorauit. Item per naturam oſtenditur animæ rationali, propter quam dicitur: [*Gen. 1. d*] Faciamus hominem ad imaginem, *et cet.* Secundum Augu- E ſtinum anima per memoriam, per rationem, per voluntatem eſt imago Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Patris per memoriam, Filij per rationem, Spiritus ſancti per voluntatem. Væ ergo eis, qui imaginem iſtam ſummæ Trinitatis vitiant. Item oſtenditur per omnem creaturam, quòd in omnibus creaturis veſtigium eſt Trinitatis: [*Sap. 11. c*] Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. Gloſſa: In his tribus Dominus inſtituit, & gubernat, & iudicaturus eſt. De tertio: [*1. Reg. 20. d*] Ego tres ſagittas mittam. Ionathas, qui hoc verbum dicit, ſignificat Chriſtum. Sagitta vero animam penetrans, eſt timor Domini. Tres ſagittæ timorem F ſignificant, de quo: [*Pſal. 66. b*] Benedicat nos Deus, Deus noſter, *et cet.* & metuant eum omnes fines terræ. Nota quòd dicit Ambroſius: Trina Dei confeſſio Trinitatem indicat perſonarum, timorem autem ſanctæ Trinitatis iuſte habere debemus, propter eius potentiam inſuperabilem, propter eius ſapientiam inſcrutabilem, propter eius iuſtitiam indeclinabilem. Potentia vtique ſanctæ Trinitatis inſuperabilis eſt: [*Iſa. 6. b*] Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, *et cet.* Et quis poſſet ſuperare Dominum exercituum, cum etiam vnum de exercitu totus mundus ſuperare non poſſet? Eſt & Dominus iſte tam inſuperabilis Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, propter quod ter Deus ſanctus dicitur. Item ſapientia ſanctæ Trinitatis inſcrutabilis eſt, quæ nos & extra,

& extra, & intra agnoſcit, & ab æterno cognouit: [A] [*Rom. 11.d*] O altitudo diuitiarum, *et cetera*, *vſque* quoniam ex ipſo ſunt omnia. Auguſtinus: Ex ipſo ait, propter patrem, per ipſum dicit, propter filium ſuum, & in ipſo, propter Spiritum ſanctum. Item iuſtitia beatæ Trinitatis indeclinabilis eſt, licet quidam falſi conſolatores [*Ier. 14. b*] falſam ſpem ingerant impijs: A, a, a, Domine Deus, prophetæ dicunt eis, non videbitis gladium. Quid eſt ſeueritas diuinæ iuſtitię, niſi gladius timoris? Propheta gemens ter clamabat, a, quaſi dicat: A iuſtiſſime Pater Deus, a iuſtiſſime Fili Deus, a iuſtiſſime Spiritus ſancte Deus, *et cet.* Item iniuſtitia noſtra inexcuſa[*Apoc. 8. d*]bilis eſt & pœna, quia ipſa timẽda ineuitabilis eſt: [B] Væ, væ, væ, habitantibus in terra, ideſt in terrenis vitijs. Væ qui offendunt patrem, væ qui offendunt filium, væ qui offendunt Spiritum ſanctũ. Væ eis quia dicit Auguſtinus: Qui in pace non fuerit inuentus, abdicatur a patre, exhereditatur a filio, nihilominus a Spiritu ſan[*Luc. 11. a*]cto efficitur alienus. De tertio: Amice commoda mihi tres panes, *et cet.* Amicus iſte ſecundũ Gloſſam eſt Deus, panis confortans eſt amor Dei. Tres autem panes ſunt, quia tres perſonæ amandæ ſunt. Amanda eſt beata Trinitas propter beneficium creationis, incarnationis, glorificationis, iuſtificationis. Iſta enim ſunt quattuor beneficia, ſcilicet Trinitatis. Patet in [C] [*Gen. 1. a*] primo opere creationis, vbi dicitur. In principio creauit Deus, *et cetera*. Patrem intellige, cum dicitur Deus: Filium, cum dicitur in principio: Spiritum ſanctum, cum dicitur: Et ſpiritus Domini ferebatur, [*Luc. 1. d*] *et cet.* Item patet in opere incarnationis, vbi dicitur Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obũbrabit tibi. Ideoq. & quod naſcetur ex te ſanctũ, vocabitur Filius Dei. Ecce hic apertiſſime exprimũtur tres perſonæ. Item patet in opere iuſtificationis, vbi [*Mar. vlt. d*] dicitur: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Vnde etiam in baptiſmo Chriſti ap[*Mat. 3. d*]paruit Trinitas perſonarum. Item patet in opere glo[D][*Mat. 17. a*]rificationis, vbi in transfiguratione apparuit Spiritus ſanctus in nube candida. Sed quare in baptiſmo in columba, & hic in nube? Ad hoc reſpondet hic Gloſſa: Spiritus ſanctus in baptiſmo apparuit in columba, hic in nube lucida, quia qui modo ſimplici corde fidem ſeruauerint, aperta viſione contemplabuntur. Penſa ergo chariſſime quàm beatiſſima Trinitas amanda ſit, quæ ſic tota nobis intendit, immo quæ ſe totam nobis impendit. Auguſtinus: Pater filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum ſanctum in priuilegium adoptionis, ſe denique totum ſeruat he[*Apoc. 21. d*]reditatem adoptatis. De quarto: Ab oriente portæ [E] tres, *et cet.* Portæ cæleſtis ciuitatis ſunt virtutes, quibus Deo deſeruitur. Porta ergo orientalis eſt prudentia in eligendis. Per hanc portam non caro, ſed ſpiritus inducere nos debet, vt non carnalem, ſed ſpiritua[*Ezec. 11. a*]lem prudentiam ſequamur: Eleuauit me ſpiritus, & introduxit me ad portam orientalem, *& cet.* Hic autem ſunt tres portæ, quia per prudentiam colẽdæ ſunt tres perſonæ. Item porta aquilonis eſt fortitudo in [*Act. 12. b*] aduerſis: Venerunt ad portam ferream, *& cet.* Hic quoque tres ſunt portæ, quia fortitudine tres perſonæ colendæ ſunt. Item porta auſtralis eſt temperantia in proſperis, quæ heu ſæpe ſuccenditur igne [F] [*Neem. 2. e*] voluptatis, & cupiditatis: Portæ combuſtæ ſunt igni. Hic etiam tres ſunt portæ, quia per temperantiam tres colendæ ſunt portæ. Item porta oculi eſt iuſtitiæ porta, *et cet.* Hic ſimiliter ſunt tres portæ, quia per iuſtitiam colendæ ſunt tres perſonæ.

SERMO IV.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus. [*Pſal. 66. b*] Conſuetudo eſt apud fideles quòd [*Conſuetudo fidelium*] tranſitum faciente Pontifice, petit pupulus benedictionem. Sed ecce Pontifex matris Eccleſiæ paradiſi, præbendarum cæleſtium diſpenſator Deus Trinitas, qui æternam habet in cælo manſionem, hodie quaſi tranſitum facit per terram noſtram, dum ante oculos mentis noſtræ tranſitoriæ reducitur, per temporalem recordationem, quam beati [B] ſpiritus in cælo iugiter contemplantur per beatam viſionem. Hieronymus: Conuenienter petit Eccleſia benedictionem, dicens: Benedicat nos, *et cet.* In quibus verbis Eccleſia duo tangit. Quid petat, quoniam benedictionem, cum dicit: Benedicat nos, *& cet.* Et hoc prudenter petit, quia eſt tale, quod decet Deum dare, & nobis prodeſt accipere. Tangit etiam a quo petat, quoniam a Deo Trinitate, non enim eſt alius, qui hoc poſſit dare. Et hoc tangitur cum dicitur: Deus Deus noſter, & iterum Deus. Vnitas enim nominis quod eſt Deus, ſignificat vnitatem diuinæ eſſentiæ. Eiuſdem autem nominis trina repetitio notat [C] ſacramentum trium perſonarum in vnitate eſſentiæ, vt ſit ſenſus: Benedicat nos Deus Pater: benedicat nos Deus Filius (hic enim proprie noſter eſt, nobis [*Iſa. 9. b*] datus: Filius datus eſt nobis,) benedicat nos Deus, ſcilicet Deus Spiritus ſanctus. Hic enim eſt ſacratiſſimus perſonarũ ternarius, quæ tres perſonæ ſunt vnus Deus, cuius etſi non ſit exemplum conueniens in creatura, propter eius nimiam inferioritatem reſpectu beatæ Trinitatis, ſicut nec eſt exemplum conueniẽs de milite picto carbone, & milite armato in acie: videmus tamen tria in vno ſole, ſcilicet lucem, ſplendorem, & calorem, & vnus eſt ſol, qui lucet, & ſplen[D]det, & calet, quoniam non dicitur lux, ſplendor, nec vterque calor, ſed a luce ſplendor manat coæternus luci. Ita Pater non eſt Filius, ſed a Patre Filius coæternus patri & luce, & ſplendore. Nec calor eſt a luce tantum, nec a radio tantum, ſed a luce & radio. Pariformiter Spiritus ſanctus, nec a patre tantum, nec a filio tantum, ſed a patre & filio. Hinc dicitur filius oriens ſplendor lucis æternæ. Spiritus ſanctus vero ignis, ſiue amor procedens ab vtroque: & iſti tres quamuis tres ſint perſonarum diſtinctiones, tamen [*1. Ioan. 5. b*] non ſunt niſi vnum in deitate: Quia tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater Verbum, & Spiritus [E] ſanctus, & hi tres vnum ſunt: Quod notat Eccleſia cum dicit: *Benedicat nos Deus, & cet.* Cum autem Eccleſia ter Deum repetat, non tamen dicit niſi bis benedicat, vt innuat quòd a trino Deo duplicem benedictionem exoptet, videlicet benedictionem gratiæ, & gloriæ. Nam eſt alia duplex benedictio, quam non curat, videlicet, benedictio adulationis, & benedictio fortunæ. Nota ergo per totum quadruplex genus benedictionum. Eſt namque benedictio, adulatio deceptionis, de qua Pſalmus: Quoniam laudatur [*Pſal. 10. a*] peccator in deſiderijs, *et cet.* Hæc eſt benedictio, quæ peccatores conſecrat diabolo. Hæc eſt vnctio extre[F]ma peccatorum, qua præparantur igni æterno, vt melius ardeant, de qua Pſalmiſta: Corripiet me iuſtus in [*Pſal. 140. b*] miſericordia, *& cet.* Nota quòd amplius diligit, qui hominem de igne extrahit per crines, quàm qui oleũ infundens ignem accendit. Hæc eſt benedictio mala qua qui ſibi benedicunt, a Deo maledicuntur: Male[*Malac. 2. d*]dicam benedictionibus veſtris, quod erit in iudicio, [*Mat. 25. d*] cum dicetur: Ite maledicti, *& cetera*. Eſt benedictio fortunæ, & hæc eſt benedictio vana, quia eſt ſecundum vulgi opinionem tantum. Pſalmus: Promptua[*Pſal. 143. d*]ria eorum plena, *et cet.* Sequitur: Benedixerunt populum, *et cet.* Verumtamen, *vſque*: Beatus populus cuius Dominus Deus eius. Beatum, inquit, dixerunt. Hæc eſt benedictio, ſecundum dici, non ſecundum



eſſe, quia plus nocet, quàm proſit, quia hominem a [A] vera beatitudine auertit. Exemplum de vitro, & ſpeculo. Cum enim ſpeculum frangitur, abijt pulchri[*Pſal. 48. d*]tudo hæc in nihilum. Pſalmus: Anima eius in vita benedicetur ipſius, ſequitur: Introibit in progenies [*Iſa. 3. c*] patrum, *et cet.* Ideo: Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, *et cet.* Eſt benedictio gratiæ, [*Eccli. 40. c*] de qua: Gratia Dei ſicut paradiſus in benedictionibus, & bene, quia conformat animam cum paradiſo: quia ibi ſerenitas aeris, tranquillitas loci, fertilitas conſcientiæ, decor terræ, vbertas vitæ, ipſius temporis congruitas, ibi ſplendor cognitionis Dei, ardor dile[*Iſa. 18. b*]ctionis, ros deuotionis: Ego quieſcam & conſidera[B]bo in loco meo. Sicut meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis. Hanc petit Eccleſia, cum [*Pſal. 27. b*] dicit: Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ, *et cet.* Eſt benedictio gloriæ. Pſal[*Pſal. 132. a*]miſta: Quoniam illic mandauit Dominus benedi[*Prou. 10. c*]ctionem & vitam, *et cet.* De qua: Benedictio Domini diuites facit, *et cet.* Hæc eſt benedictio dexteræ, [*Mat. 25 d*] quam accipient quibus dicetur: Venite benedicti Patris mei, *et cetera.* Nota quòd ſollemne ſit feſtum, vbi tantus eſt qui cantat Inuitatorium. Ad illam [*1. Pet. 3. b*] eſt ſuſpirandum: In hoc vocati eſtis, vt benedictionem hereditare poſſideatis. Notandum autem, quòd [C] pluribus generibus hominum ſolet dari benedictio. Primo confitentibus, quando abſoluuntur, & hi ſunt [*Prou. 10. a*] pœnitentes: Benedictio Domini ſuper caput iuſti. Il[*Prou. 18. c*]lius iuſti de quo: Iuſtus in principio accuſator eſt ſui, [*Eccli. 18. c*] qui facit iuſtitiam, de qua: Ante iudicium para iuſtitiam, quæ conſiſtit in pondere contritionis, & in numero confeſſionis, & in menſura ſatisfactionis. Sequitur in eadem auctoritate: Os autem impiorum operit iniquitatem, ſcilicet, mali timoris, vel amoris, vel pudoris. Itaque peccatum vel celant, vel negant, [*Prou. 28. b*] vel excuſant, ſed tamen qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur. Secundo benedicitur offerentibus, cum [D] eorum munera recipiuntur. Offerentes ſunt deuotio[*Rom. 12. a*]ne Domino ſeruientes, quia exhibent Deo hoſtiam ſanctam viuẽtem: Iſti benedicuntur exemplo Abraæ, qui volens filium offerre benedictionem aſſecutus eſt: [*Gen. 22. d*] Per ſemetipſum, *et cet.* Et nota quòd Deus voluit filium in benedictionem ſibi offerri, ſed non occidi, ſed arietem occidi voluit. Exemplum etiam in Iacob, [*Gen. 27. b*] qui cibos offerens patri ab eo benedictus eſt. Et nota, quòd conſilio matris inuenit Iacob domi, quæ placita ſunt patri: Eſau vero proprio conſilio venatur, & non prodeſt ei. Item offerentes ſunt eleemoſynã lar[*Eccli. 7. d*]gientes: Pauperi porrige manum tuam, vt perficia[E]tur propitiatio, & benedictio tua. Tertio militantibus, cum bellum fidei ingrediuntur, vt a legato, vel Papa. Hi milites ſunt tentationibus reſiſtentes, vel [*1. Pet. 3. c*] in tribulationibus patientes: Si quid patimini pro[*1. Pet. 4. c*]pter iuſtitiam: Si exprobramini in nomine eius, beati eritis, *et cet.* Exemplum de Iacob, qui fortiter luctan[*Gen. 32. f*]do benedictionem meruit. Vnde dixit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eo[*Tob. 7. d*]dem loco. Quarto datur benedictio nubentibus, ſecundum quòd dicit Raguel filiæ ſuæ cum daret eam Tobiæ: Deus Abraam, Deus Iſaac, & Deus Iacob ſit vbique, *et cet.* & impleat benedictionem ſuam in vo[F]bis. Per nubentes intellige etiam virgines conſecratas, & animas religioſas, quæ propter amorem Chriſti regnum mundi contempſerunt, & ea, quæ [*Ruth. 3. c*] mundi ſunt. Quibus dicitur illud: Benedicta es a Domino filia, quæ non es ſecuta iuuenes pauperes, ſiue diuites. Noli ergo metuere, ſed quidquid dixeris mihi faciam tibi. Nota totam auctoritatem.

# DOMINICA PRIMA POST OCT. PENTEC.

SERMO I.

Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. [*Luc. 6. c*] Videns Dominus noſter Ieſus Chriſtus miſericordiam, & charitatem refrigeſcere, malitiam & carnalitatem [B] inualeſcere, voluit nos in propoſito verbo, ſecundum regulam diuinæ pietatis dirigere ad opera miſericordiæ, & charitatis, cum dicit: *Eſtote miſericordes*, & cetera. Sed quia nulla noſtra operatio poteſt eſſe recta, niſi ſecundum regulam diuinæ exemplaritatis dirigatur, ideo in verbo propoſito primo hortatur ad ſubuentionem alienæ neceſſitatis, excitando affectum, cum dicit: *Eſtote miſericordes*. Secundo proponit informationem diuinæ exemplaritatis, dirigendo intellectum, cum ſubdit: *Sicut & Pater veſter miſericors eſt*. Primo ergo mouet nos ad ſubuentionem alienæ ne[C]ceſſitatis, excitando affectum, cum dicit: *Eſtote miſericordes*. Tria enim ſunt per quæ hortatur nos Dominus Ieſus Chriſtus ad opera pietatis, & miſericordiæ. Primum eſt benigna informatio diuinæ exemplaritatis, rationalem dirigentis. Secundum eſt magna promiſſio multiplicis vtilitatis, concupiſcibilem allicientis. Tertium eſt acerba punitio diuinæ ſeueritatis, iraſcibilem concutientis, vt ſic quos non mouet ad miſericordiam diuinũ exemplum, moueat vtile promiſſum, vel ſaltem terribile ſupplicium.

Primo mouet nos ad miſericordiam benigna informatio diuinæ exemplaritatis, dirigentis rationalem, [D] quæ in tribus aliquo modo apparet. Primo in gratuitæ vocationis inſtantia. Secundo in diuturnæ expectationis patientia. Tertio in benignæ ſuſceptionis clementia. Vnde miſericors Deus peccatores inſtanter vocat, patienter expectat, & clementer ſuſcipit. Primo miſericordia Dei apparet in gratuitæ vocationis inſtantia. Vnde: [*Mat. 9. b*] Miſericordiam volo, & non ſacrificium: non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Miſericors Deus licet a peccatoribus turpiter contemnatur, tamen non dedignatur mittere filium, & ab eis prius petere pacem per inſtantiam gratuitæ vocationis, eo quòd auidius optat no[E]ſtram ſalutem quàm aliquod aliud ſacrificium. Gregorius: Debemus ſaltem miſericordiam vocationis erubeſcere ſi eius iuſtitiam nolumus formidare: quanto ampliori improbitate contemnitur, tanto contemptus non dedignatur. Chariſſimi accipiamus exemplum tantæ benignitatis in mente, & petamus prius pacem ab his, qui nos perſequuntur, & offendunt, quamuis culpa non ſit ex parte noſtra, quia ſecundum Gregorium: Bonarum mentium eſt, ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt. Et tunc induemur viſcera miſericordiæ, ſicut veri electi Filij [*Luc. 1. f*] Dei Patris miſericordiæ, qui per viſcera ſuæ miſeri[F]cordiæ veniens ex alto prius petijt in hoc pacem, vocando ad pœnitentiam. Secundo apparet diuina miſericordia in diuturnæ expectationis patientia. Vnde: [*Thren. 3. c*] Miſericordia Domini quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes. Cum enim homo peccat, iniuriatur Creatori ſuo, & etiam filium Dei in ſemetipſo crucifigit: & ideo ſtatim dignus eſt totali conſumptione, niſi eſſet diuina miſericordia, quæ patenter, & longanimiter expectat eum, quaſi diſſimulans peccata eius: quia ſi ſtatim peccatorem puniret, poſtea cui parceret non haberet. Ergo dilectiſſimi, exemplo diuinæ miſericordiæ peccatorem ſupportantis patienter, & expectantis longanimiter, ſupportemus defectus, dira facta, & verba aliorum, quæ nobis

nobis diſplicent, nec ſtatim prorumpamus in iram, & A aſſumamus vindictam, ſed longanimiter eius correctionem voluntarie expectemus, alioquin diſpliceret Deo, & timendum eſſet ne Deus faceret ſimiliter. Tertio apparet diuina miſericordia in benignæ ſuſceptionis clementia. Et de hoc exemplum habemus de *Luc. 15. c* filio prodigo: Vidit illum pater ſuus, & miſericordia motus eſt: & occurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Ecce quòd pater miſericordiæ Deus propter horrorem præteritarum fœditatum, non deuitat peccatoris conſortium, ſcilicet ſic perditi filij, immo clementer ſuſcipit eum ad oſculum pacis, & cõcordiæ. In cuius ſignum iubet ei tradi annulum in B manu eius, ideſt cõfœderationem ſuæ beneuolentiæ, & calceamenta in pedibus, ideſt gratiam in effectibus, & veſtiri ſtola prima, ideſt reſtitui in puritatem priſtinam. Vnde notabile eſt, quòd iſte videtur prius pœnituiſſe quadam coacta neceſſitate, & tamen eius pœnitentia eſt Deo accepta, propter hoc ibi, dicit Auguſtinus: Quæcumque neceſſitas cogat peccatorem ad pœnitentiam, non peccati quantitas, nec vitæ enormitas, nec hominis extremitas excludit a venia, ſi perfecta fuerit voluntatis terminatio, ſed in ampliſſimos ſinus mater charitatis filios prodigos ſuſcipit reuertentes. Ergo ad illud exemplum miſericor- C diæ, clementer ſuſcipientis inimicos, & totaliter con- *Epheſ. 4. g* donantis debita hortatur Apoſtolus: Eſtote inuicem miſericordes, & benigni, condonantes inuicem ſicut *S. Amb. in ca. 4. Epiſt. ad Epheſ. to. 3.* Deus in Chriſto nobis condonauit. Vbi Ambroſius: Si alter in alterum peccet, cõdonate commiſſa, ſin autem, Deus repetet & remiſſa: quia ſi in his contemptus fuerit, ſententiam, quam per miſericordiam dederat, per iuſtitiam reuocabit.

Secundo mouet nos ad miſericordiam magna promiſſio omnimodæ vtilitatis, allicientis concupiſcibilem. *Triplex vtilitas ex miſericordia.* Triplicem vtilitatem homini facit miſericordia, ad quam omnis alia bona vtilitas poteſt reduci, & D propter hoc totaliter deberet ad opera miſericordiæ allici affectus. Nam miſericordia primo liberat a peccato, reſoluendo vincula culpæ. Secundo locupletat in merito, augmentando dona gratiæ. Tertio beatificat in præmio, producendo ad gaudia vitæ. Primo miſericordia liberat a peccato reſoluendo vincu- *Prou. 16. a* la culpæ. Vnde: Miſericordia & veritate redimitur iniquitas, in timore Dei declinat omnis a malo. Homo enim qui vendiderat animam ſuam diabolo per iniquitatem, poteſt animam redimere per miſericordiam, & veritatem. Optima coniunctio eſt veritas iuſtitiæ, & pietatis, & miſericordiæ. Nam per veri- E tatem iuſtitiæ in punitione, & deteſtatione vitiorum per pœnitentiam purgatur culpa, ſed per pietatem miſericordiæ in ſubuentione pauperum per eleemoſynas dimittitur pœna: tamen hoc dicitur fieri in timore Dei tamquam in principio omnis boni, per quem declinat omnis a malo. Nam qui ſine timore eſt non *Dan. 4. e* iuſtificabitur. Similiter de hoc dicitur: Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum. Dignum eſt enim, qui miſericordiam ab aliquo poſtulat, vt miſericordiam cum alio faciat, & ex ſeipſo cognoſcat, quæ ſunt proximi. Secundo miſericordia locupletat in merito, augmentando dona F *Prou. 19. c* gratiæ. Vnde: Feneratur Domino, qui miſeretur pauperis. Sicut enim cito per vſuram locupletatur homo diuitijs temporalibus, ſic per miſericordiam diuitijs ſpiritualibus. Nam hæc eſt vna virtus, quæ multiplicat per ſpiritualia, & temporalia, & etiam leuat in *Eccli. 16. b* ſublimem locum gloriæ. Vnde: Omnis miſericordia præparat locum ſecundum opera ſua. Omnis miſericordia in ſex ſuis operibus continetur, quæ cuilibet ſecundum quòd in eis fuerit exercitatus, præparat locum plenum diuitijs diuinitatis in gloria, quæ quidem ſex opera miſericordiæ in hoc verſu cõtinentur:

*Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

Perfectus enim miſericors dicitur viſitare infirmos, A cibare, & potare ieiunos, redimere captiuos, tegere nudos, colligere peregrinos, condere ſiue ſepelire mortuos. Quinque vero iſtorum operum extrahuntur de textu Euangelij: Eſuriui & dediſtis mihi man- *Mat. 25. d* ducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere, hoſpes eram, & collegiſtis me, nudus & cooperuiſtis me, infirmus & viſitaſtis me, in carcere & veniſti ad me. Sextum vero opus miſericordiæ, quod eſt ſepelire mortuos, poteſt haberi libro Tobiæ. *Tob. 2. b* Tertio beatificat in præmio, perducendo ad gaudium vitæ. Vnde: Qui pronus eſt *Prou. 22. b* ad miſericordiam, benedicetur, de panibus ſuis dedit pauperi, acquiret victoriam, & honorem. Homo B pronus ad miſericordiã dedit de panibus ſuis pauperi eſurienti: ideo acquiret honorem gloriæ, quoniam benedicetur illa benedictione de qua dicitur: Venite *Mat. 25. d* benedicti Patris mei percipite regnum quod vobis paratum eſt ab initio mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Nam beati miſericordes, quoniam *Mat. 5. a* ipſi miſericordiam conſequentur, ſecundum quòd dicitur.

Tertio mouet nos ad miſericordiam acerba punitio diuinæ ſeueritatis, quæ in tribus manifeſtatur. Nam non facientes miſericordiam primo ſpoliantur beneficio gratuitæ donationis. Secundo vitupe- C rantur opprobrio diuinæ redargutionis. Tertio cruciantur ſupplicio æternæ damnationis. Primo non facientes miſericordiam ſpoliantur beneficio gratuitæ donationis. Vnde: Serue nequam, omne debi- *Mat. 18. d* tum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me, nonne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum. Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus quouſque redderet vniuerſum debitum. Ecce quòd Dominus ab iſto, qui noluit facere miſericordiam cum proximo ſuo, ſuum beneficium gratuitæ donationis, quod per miſericordiam ei fecerat, per iuſtitiam repetit. Secundo non facientes miſeri- D cordiam vituperantur opprobrio duræ increpationis. Vnde: Qui calumniantur egentem, exprobrat factori *Prou. 14. d* ſuo, honorat autem eum, qui miſeretur pauperis. In malitia ſua expelletur impius. Sicut enim qui miſeretur pauperis honorat Deum in paupere, ſic qui claudit viſcera miſericordiæ pauperi exprobrat, & facit vituperium factori ſuo in paupere: & ideo talis dignus eſt, tamquam impius expelli in malitia ſuæ impietatis a conſortio ſanctorum, & etiam exprobrari vituperio duræ increpationis, ſecundum quòd dicitur: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum: eſuriui *Mat. 25. d* enim, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui, & non E dediſtis mihi bibere, hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus fui, & non cooperuiſtis me, infirmus & non viſitaſtis me, in carcere, & non veniſtis ad me. Tertio non facientes miſericordiam cruciabuntur ſupplicio æternæ damnationis. Vnde: Iudicium ſine *Iac. 2. c* miſericordia fiet illi, qui non facit miſericordiam. Tota iudicialis ſententia, & diſcuſſio iudicis erit, ſecundum exhibita, & non exhibita opera. Nam qui miſericordiam fecerunt, habebunt vitam æternam, qui miſericordiam negauerunt, cruciabuntur ſupplicio æterno. Vnde diues qui micam panis negauit La- *Luc. 16. e* zaro pauperi, viſus eſt cruciari flamma infernali. Ro- F gemus ergo, *et cet.*

## SERMO II.

*Luc. 6. c* E*Stote ergo miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Miſericordia vtiliſſima, qua homo in mundo gratiam, in extremo fiduciam, in iudicio miſericordiam, in cælo gloriam meretur. De primo: Miſeri- *Prou. 3. a* cordia, & veritas non deſerant te: & inuenies gratiam coram hominibus. Exemplum de Cornelio. *Act. 10. a* Miſereri autem debes tuiipſius pereuntis. Miſerere animæ tuæ, *Eccli. 30. d* placens Deo. Certe immiſericordior es animæ tuæ, ipſam



ipſam per peccatum occiendo, quàm Iudas corpori A ſuo, ipſum iugulando. Item miſereri debes Chriſti pa- *Iob 19. c* tientis, in cuius perſona dicitur: Miſeremini mei, *&c.* Item proximi tui indigentis. Vnde hic: *Eſtote* (inquit) *miſericordes, &cet.* non tantum benefaciendo, ſed etiã *Epheſ. 4. g* ignoſcendo. Et: Eſtote benigni inuicem miſericordes, ſicut & Deus in Chriſto donauit nobis. Alioquin *Mat. 18. d* time illud: Nonne oportuit, & te miſerere. Auguſtinus: Duo ſunt opera miſericordiæ, quæ nos nunc habere debemus: Dimitte, & dimittetur: date, & dabitur vobis. Qui has miſericordiæ regulas non ſequuntur, non ſunt imitatores patris miſericordiæ, ſed patris diaboli, qui nullam habet miſericordiam. Crude- B *Ier. 6. f* lis eſt, & non miſeretur. De ſecundo: Quo modo *Iob 4. b* potueris, ſic eſto miſericors, *etcet.* vſque fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna in die neceſſitatis, quæ erit dies mortis, in qua eleemoſyna erit fiducia magna ad euolandum: ſicut fiducia aquilæ ſunt *Apoc. 12. b* alæ duæ. Datæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, *etcet.* Aquila liberaliſſima eſt. Sic igitur anima miſericors communicet ſubſtantiam ſuam indigentibus: ſicut aquila eſcam ſuam auibus. Per duas alas duplex miſericordia ſignificatur. Vna ex ſeptem operibus ſpiritualibus, quæ ſex pennis conſtat, de quibus verſus:

*Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.* C

Alia ex ſex operibus miſericordiæ corporalibus, quæ *Mat. 25. d* ſex pennis conſtat, de quibus: Eſuriui, *etcet.* ſeptima tamen additur in Tobia, ſcilicet ſepelire mortuos. Vn- *Tob. 1. d* de verſus:

*Colligo, poto, cibo, redimo, tego, viſito, condo.*

His alis anima miſericors draconem diabolum euadit in morte. Ambroſius: Sola miſericordia co- *Iac. 2. c* mes eſt defunctorum. De tertio: Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam. *Mat. 5. a* Miſericordia ſuperexaltat iudicium. Tunc certe beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam, *etcet.* O vere optima aduocatrix miſericordia. Nota, quòd D quandoque reus euadit iudicum humanum, vel per bonum aduocatum, vel munus abſconditum, vel preces amicorum: ſicut etiam in iudicio diuino miſericordia eſt optima aduocata. Miſericordiæ enim ope- *Pſal. 111. a* ra ſunt quaſi pro nobis allegantes. Pſalmus: Iucundus homo, qui miſeretur, Gloſſa: Hæc facta, ſunt quaſi ſermones, quibus defendetur in iudicio. Ecce miſericordia non ſolum eſt in dando, ſed etiam in cõ- *Pſal. 36. c* modando, ſed ſine vſura. Pſalmus: Tota die miſeretur, & commodat: quæ benedictio pro operibus mi- *Mat. 25. d* ſericordiæ dabitur. Venite benedicti patris, *etcet.* Item *Prou. 21. b* miſericordia eſt munus pretioſum. Munus abſcondi- E tum extinguit iras. Hoc munere redimimur de manu iudicis. Auguſtinus: Redime te, dum viuis: redime teipſum, dum potes: redime te, dum pretium habes in manibus: redime te ne dum mors amara te præuenit, & vitam ſimul, & pretium perdas. Item miſericor- *Eccli. 29. b* dia eſt optima interuentrix. Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te orabit ad Dominum. Tunc certe plus valent preces miſericordiæ, quàm om- *Prou. 6. d* nium ſanctorum. Nec acquieſcet cuiuſquã precibus. *1. Mach. 2. f* De quarto: Dauid in ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni in ſæcula. Ecce miſericordia facit nos reges cæleſtes. O ambitioſe, o auare, quàm libenter F emeres denario, vel coronam Imperij, vel Franciæ. Certe melius forum habes de corona æterna, quam acquiris ſola bona voluntate, ſi aliud nõ habes: quàm etiam ſi mille marchas auri pro ipſa expenderes in opera miſericordiæ. Incomparabiliter enim plus valet corona gloriæ, quàm tot coronæ mundanæ, quot denarij ſunt in mille millibus marchis. Hæc autem *Pſal. 102. a* per miſericordiam comparatur. Pſalmus: Qui coronat te in miſericordia, *et cet.* Bernardus: O quanta beatitudo, pro paruis magna recipere: æterna pro breuibus: pro perituris ſemper viuentia, & habere Deũ debitorem?



## SERMO III.

E*Adem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* *Luc. 6. f* Sicut pro bona bonam, ſic pro mala menſura malam recipietis. Eadem menſura, qua menſi fueritis proximis veſtris bonum, vel malum in mundo, remetietur vobis bonum, vel malum in iudicio. Ponam in pondere *Iſa. 28. d* iudicium, & iuſtitiã in menſura. Conſiderandum autẽ quòd eſt menſura naturalis, vſualis, criminalis, virtualis, doctrinalis, æternalis. De prima: Omnia in men- *Sap. 11. e* B ſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. Vnde anima eſt menſura capaciſſima, numero vnica, & ſimpliciſſima, pondere leuiſſima: peccando autem fit arctiſſima quæ capacior fuit cælo, & mundo: quoniam capax fuit Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Qui poteſt ca- *Mat. 19. b* pere capiat. In peccatis vix capit miſericordiam Spiritus ſancti. Item peccando fit diuerſiſſima. Fit enim leo per auaritiam, lupus per ſuperbiam, porcus per luxuriam, ſic adapta de ſingulis. Pſalmus: Comparatus *Pſal. 48. c* eſt iumentis inſipientibus, *et cet.* Ioannes Chryſoſtomus ſuper Ioannem: Excogita quantum eſt malum Chriſto volente nos ex hominibus pares angelis face- C re, noſipſos ex hominibus ad feras tranſponere. Ventri enim ſeruire, & pecuniarum concupiſcentia detineri, & iraſci, & mordere, & calcitrare, non hominis, ſed ferarum eſt. Item peccando fit grauiſſima, vt ſubito mergatur in infernum. Submerſi ſunt quaſi plum- *Exo. 15. b* bum in aquis, *et cet.* In puncto ad infernum deſcen- *Iob 21. b* dunt. De ſecundo: Nolite facere iniquum aliquid in *Leui. 19. d* iudicio, in regula, in pondere, in menſura. Hic dic de multis fraudibus, quæ ſunt in ponderibus, & in menſuris. Has fraudes licet nunc non videat, qui decipitur: tamen videt, qui decipi non poteſt. Auguſtinus: Nõ videt furtũ, cui appendit: ſed videt qui te, & D ipſum appendit. Et heu quia per iniuſtas menſuras, & alios dolos, ſæpe domus impiorum repletur iniuſtis bonis: ideo per iuſtum ignem flagellãtur in inferno æternaliter, & quandoque in mundo temporaliter. Adhuc ignis in domo impij, & theſauri iniquita- *Mich. 6. c* tis, & menſura minor, iræ plena, *et cet.* Bernardus: Vtinam ſaperes miſer, & intelligeres, cum theſauro pecuniæ, theſaurum iræ pariter cumulari. De tertio: Im- *Mat. 23. d* plete menſuram patrum veſtrorum. O quot ſunt, quorum patres crudeles, vel auari, vel luxurioſi fuerunt, quorum filij ſcelera ſequentes menſuram patrum non implent in culpa, & in futuro in pœna. Menſuram E culpæ Deus attendit in damnando hominem æternaliter, vel temporaliter corripiẽdo, & iudex quilibet ipſam attendere debet in puniendo, & peccator in ſatisfaciendo. Secundum menſuram peccati erit plaga- *Deut. 25. a* rum modus. Hanc menſuram non negligit diabolus. Stetit, & menſus eſt terram. *Abac. 3. a* De quarto: Vnicuique data eſt gratia ſecundum donationis Chriſti menſurã. *Epheſ. 4. b* Menſuris Chriſti menſurantur virtutes, voluntates, & operationes humanæ, ne excedant. Oſtende hoc in caſtitate, & patientia, & in alijs virtutibus, & ſpecialiter in ſobrietate, quæ menſurat cibum, & potum. Aquam in menſura bibes, & ibidem videtur Propheta *Ezec. 4. c* F viliſſimum panem in pondere comedere. Heu ergo quid erit de potibus, & cibis delicatis? De quinto: *Luc. 12. f* Quis putas eſt fidelis ſeruus, *et cet.* Triticum eſt verbum Dei, quod menſuram charitatis, vel veritatis excedere non debet, & ſcripturæ, ſed ſecundum capacitatem auditorum, & temporum menſurandum eſt. Legitur autem: Quòd tanta erat abundantia tritici, vt *Gen. 41. f* copia menſuram excederet: ita nunc verbum Dei ſine menſura datur, ſed timendũ eſt, quòd fames Ægyptiaca ſequatur, maxime in tempore Antichriſti. De ſexto in præſenti Euangelio: *Menſuram bonam*, &c. Bonam vtique in animæ fruitione, & confertã in corporis glorificatione, & coagitatam in ſanctorum ſocietate, & ſupereffluentem in gaudiorum æternitate.

O Nota

A Nota, quòd dicit in ſinum veſtrum: ſi enim bonum nunc menſuras in ſinum proximi, menſurabitur in ſinum tuum in cælo. Si autem menſuras in ſinum proximi tui malum in mundo, menſurabitur malum Iſa. 27. b in ſinum tuum in inferno. In menſura contra menſuram cum abiecta fuerit, iudicabit eam.

# DOMINICA SECVNDA POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

B Luc. 14. d HOmo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Sub velamine iſtorũ verborum mixticatur, & inuoluitur cæleſtis gloria quam Dominus electis ſuis in mundi fine exhibebit: Vnde cœnæ refectio quæ eſt in fine diei, appellatur: commendatur autem Dominus noſter a tribus in propoſito verbo, quæ quamlibet cœnam reddunt completam, & perfectam. Et primo ab excellentia ſingularis dignitatis. Secundo ab affluentia abundantis copioſitatis. Tertio a be- C neuolentia inuitantis curialitatis. Primo ergo commendatur a ſingularitate excellentiæ, & dignitatis. cum dicit: *Homo quidam*. In ſingulari dicitur homo quidam Chriſtus: propter incomparabilem, & excellentem dignitatem. Tertio commendatur a liberalitate affluentiæ, & copioſitatis, cum ſubdit: *Cœnam magnam*. Tertio commendatur a curialitate beneuolentiæ, & charitatis, cum ſubinfert: *Et vocauit multos*. Benignus, & miſericors Deus noluit eſſe ſolus in cœna gloriæ: immo ratione ſuæ curialitatis multos inuitauit.

D Dicit enim: *Homo quidam*, vbi commendatur Chriſtus ab excellentia ſingularis dignitatis, quæ poteſt manifeſtari triplici ratione. Primo ratione ſuæ puritatis, & innocentiæ, in euitatione omnium peccatorum. Secundo ratione profunditatis ſapientiæ, in reuelatione diuinorum occultorum. Tertio ratione virtuoſitatis potentiæ, in operatione multorum miraculorum. Primo Chriſtus ſingulariter, & excellenter dicitur homo propter puritatem originalis innocen- Luc. 23. a tiæ, in euitatione omnium peccatorum. Vnde: Nullam cauſam inuenio in iſto homine, in quibus eum accuſatis. Ad litteram nulla cauſa peccati inueniebatur in Chriſto, in quibus accuſabant eum Iudæi. Nam E ipſe in peccatis non erat: quia non de virili ſemine, Luc. 1. d ſed de Spiritu ſancto conceptus fuit, & ideo peccatum originale non contraxit: nec etiam peccatum actuale, & quia ex parte mentis omnimoda fuit puritas, & ex parte carnis nulla rebellio, ſemper enim illa ſanctiſſima caro ſequebatur illum beatum ſpiritum, nec vmquam ad peccandum pertrahebat, & ſpiritus carnis neceſſitatibus, ne ſuccumberet condeſcendebat: & ex hoc mira armonia, & concordia carnis ad ſpiritum reſultabat, & propter hoc verum fuit illud: Ve- Luc. 23. f re iuſtus erat homo iſte. Secundo excellenter, & ſin- F gulariter dicitur homo Chriſtus, propter perſpicacitatem veracis intelligentiæ, in reuelatione diuinorum Ioan. 7. g occultorum. Vnde reddunt cauſam miniſtri pontificibus, & phariſeis, quare non cœperunt Ieſum, quia numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic loquitur homo. Non enim loquebatur, ſicut ceteri homines verba curioſa, quæ excedunt rationalem, nec verba ſuperflua, & oneroſa, quæ ſuffocant concupiſcibilem, nec verba contentioſa, quæ conturbant iraſcibilem, nec pernicioſa verba, quæ peruertunt totum hominem, ſed verba humilia ad deſtructionem ſuperbiæ, verba vtilia ad augmentum gloriæ. Sic enim loquebatur, vt moderaret ſuperbos humilitatis profunditate, magnos paſceret veritate, & paruulos nutriret

A affabilitate, foris ammonet, intus docet, audientes in melius commutat, & ideo non fuimus auſi eum comprehendere. Nec mirum ſi ſic loquebatur, quia ipſe eſt ſecundum aduentum in mentem, lux illuminatiua omnium prophetalium viſionum, & ſecundum aduentum in carnem, verbum approbatiuum omnium prophetalium, & inſtructiuum omnium apoſtolicarum locutionum. Vnde ipſe eſt qui reuelat abſcondita diuinorum occultorum, quia lux diuinæ ſapientiæ cum ipſo eſt, ſine qua nullus poteſt deuenire ad certam fidei reuelationem, niſi per aduentum in mentem, & in carnem. Tertio Chriſtus excellen- B ter dicitur homo, propter virtuoſitatem mirabilis potentiæ in operatione multorum miraculorum. Vnde dicebant Phariſei: Quid facimus, quia hic homo mul- Ioan. 11. f ta ſigna facit? Nam mortuos ſuſcitauit, leproſos mundauit, cæcos illuminauit, claudos & contractos extendit, oppreſſos a dæmonijs liberauit, & omnem morbum curauit, & tamen propter illa bona vos nequiſſimi Iudæi, quæ operatus eſt in vobis, quæritis eum interficere. O inſania, & peruerſitas maxima, iraſcimini ſananti, & non iraſcimini vulneranti.

Secundo commendatur Dominus noſter ab affluentia redundantis copioſitatis, cum ſubdit: *Fecit cœnam* C *magnam*. Vere magna, & immenſa eſt cœna iſta. Nam ſi mica vna iſtius cœnæ, non præualet enumerari, multo minus abyſſus, & tota cœna poterit ab aliquo explicari. Vt igitur aliquid de affluentis redundantia copioſitatis iſtius cœnæ, balbutiens dicam, poteſt dici quòd tria erunt in iſta cœna, quā diligentius conſiderata, cuiuſlibet animum in eius concupiſcentiam prouocant. Primum eſt, iucunditas exultationis lætificantis, propter refulgentiam diuinæ claritatis. Secundum eſt copioſitas refectionis ſatiantis propter redundantiam immenſæ bonitatis. Tertium eſt ſempiternalitas durationis continuantis, propter carentiam D omnimodæ defectibilitatis. Vt ſic anima ſecundũ omnẽ ſui potentiam in cœna iſta terno interiori tripudio. iucundetur. Primo iucundetur de claritate ſplendoris, quantum ad rationalem. Secundo ſatietur de copioſitate refectionis, quantum ad concupiſcibilem. Tertio aſſecuretur de ſempiternali duratione, quantum ad iraſcibilem. Et hoc ſecundum triplicem do- Idem ſup. ſer. 1. in Pẽtecoſt. tem gloriæ, ſcilicet apertæ viſionis, quietæ fruitionis, & firmæ tentionis. Primo in iſta cœna erit iucunditas exultationis lætificantis, propter refulgentiam diuinæ claritatis. Et de hoc dicitur: Sub nomine Apoc. 19. b auium volantium per medium cæli de beatis: Venite E congregamini ad cœnam Domini. Nomine enim auium volantium per medium cæli deſignantur beati exiſtentes in cælo empireo, qui volatu contemplationis eleuantur ad contuitum diuinitatis. Iſtis ergo ſic contemplantibus dicitur: Venite & congregamini per affectionum cõcordiam, ad cœnam magnam Dei, non materialem lactis, & mellis, ſicut expectant Saraceni, quia nulla erit ibi congregatio muſcarum, ſed ſapientialem, in qua tot erunt fercula, quot omnium rerum rationes relucent in diuina ſapientia. Apponent enim ſpiritibus glorificatis rationes ſenſibilium, & inſenſibilium, rationalium & irrationalium, tam- F quam in menſa delectabili humanitatis Chriſti Dei vnici & trini, pulchritudo tamquam in ſpeculo pulchriformiter. Et propter hoc iſta cœna non eſt requirenda in exterioribus, ſed in interioribus, quia ſpiritualis: nec increatis rebus, ſed in cauſalibus rationibus, quia perpetua, & incorruptibilis. Secundo in iſta cœna erit copioſitas refectionis ſatiantis, propter redundantiam immenſæ bonitatis: Vnde Rex Darius 3. Eſd. 3. a ~~ciu~~ fecit cœnam magnam omnibus purpuratis, qui erant ſub ipſo. Darius interpretatur fertilis, & poteſt ſignare regem regum Chriſtum, qui ratione ſuæ dignitatis, & humanitatis eſt cibus perfectæ ſatians animam, quantum ad duplicem eius guſtum interiorem & exteriorem. Nam cibus humanitatis animam ſatiat,



A ſatiat, quantum ad guſtum exteriorem, ſed cibus diuinitatis, quantum ad guſtum interiorem. Hic autem cibus licet ſatiet, non tamen generat faſtidium, immo continuat deſiderium, quia ratione ſuæ ſimplicitatis, & conuenientiæ medullis animæ intimæ illap- Delectatio quid. ſus perfecte delectat, cum delectatio ſit coniunctio conuenientis cum conuenienti, & anima cum nullo Gen. 1. d habet maiorem conuenientiam, quàm cum illo, ad cuius imaginem, & ſimilitudinem facta eſt. Ratione ſuæ perfectionis, & ſufficientiæ vndique ſatiat, & replet, ſed ratione ſuæ infinitatis, & abundantiæ capacitatem animæ excedit, & quietat. Nam in nullo bo- B no finito appetitus animæ quietar, eo quòd qualis habitus eſt affectio, & cognitio ſiue æſtimatio. Cum igitur æſtimatio, & cognitio apta nata ſint extendi ad infinita, pariter & eius affectio ad infinita ſe extendit, ergo quolibet bono obtento adhuc vltra poſſet inſurgere appetitus, & ſic quantumcumque bonum creatum multiplicaretur, numquam in illo quietaretur, nec beatificaretur. Vnde Anſelmus: In gaudium Domini introibit, quòd ſi tantum caperet, & non vinceretur, & abſorberetur, adhuc poſſet inſurgere appetitus ad amplius appetendum, vel capiendum. Ter- C tio in iſta cæna erit ſempiternalitas durationis continuantis, propter carentiam omnimodæ defectibilitatis. In iſta enim cœna numquam deficient fercula, numquam amouebitur tabula, eo quòd beati erunt ſemper in continua laude, & glorificatione. Nam quidquid boni accipient, in eum ſolum reſoluẽt, qui plene poteſt eos glorificare, & ſatiare. Vnde ſicut impoſſibile eſt aliquem ibi mori, ſic impoſſibile eſt ali- Apoc. 19. b quem fameſcere. Et propter hoc dicitur: Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt. Beatus enim ille, qui omnia optata, ſine timore ammittendi, perpetuo poſſidet. Nam cum beatitudo ſit habitus in actu, im- D poſſibile eſt animam beatam eſſe, & actualem conſiderationem eorum, quæ ſunt de eſſentia gloriæ non habere, quia in beatitudine nulla eſt variabilitas, nulla temporalis ſucceſſio, & propter hoc iſta cœna ratione ſuæ ſempiternalitatis non eſt requirenda in iſtis inferioribus, ſed in ſuperioribus, quia non menſurabitur tempore, quod eſt principium corruptionis, ſed æternitate, quæ eſt quædam menſura omnino perpetua, & inuariabilis.

Tertio & vltimo commendatur Chriſtus a beneuolentia inuitantis charitatis, vel curialitatis, cum ſubinfert: *Et vocauit multos*. Dominus noſter ratione ſuæ curialitatis, & beneuolentiæ noluit eſſe ſolus in cœna, E ſed vocauit multos de diuerſis nationibus. Nam primo vocat inſtanter, ſine deſitione, inſtruendo per documenta, & exempla: ſecundo gratis, ſine recompenſatione, alliciendo per beneficia, & promiſſa: tertio generaliter ſine acceptione, comminando per æterna ſupplicia. Primo vocat Chriſtus ad iſtam cœnam inſtanter ſine deſitione, inſtruendo per documenta Prou. 1. c & exempla. Vnde: Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum. Inquit Deus Pater: Vocaui vos ad iſtam cœnam continue inſtruẽdo, per ſeruos meos ſanctos & prophetas: & renuiſtis venire: Inſuper ex- F tendi manum meam, ideſt filium meum ad vos de alto, miſi per carnis aſſumptionem, in quo doctrina omnis veritatis, & exempla omnis honeſtatis, & ſanctitatis relucent, quibus ad cænam primam vocamini, & non fuit qui aſpiceret ad doctrinam, per inclinationem auditus, ad vitam, per imitationem affectus, immo omne conſilium meum deſpexiſtis inueniendo vobis occaſionem. Nam primus de vocatis dixit: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam. Alius dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare ea. Tertius reſpondit: Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire. Hoc eſt dictu, vnus propter ſuperbiam principandi, alius propter auaritiam cumulandi. Nam per quinque iuga boum intelligitur ſuperflua quin-



A que ſenſuum occupatio circa terrena. Tertius propter laſciuiam luxuriandi, ad iſtam cœnam venire contempſit. Ecce fatuitas maxima, quia quod peius eſt eligitur, & quod melius recuſatur. Eligitur enim villa, recuſatur regnum, eligitur dominium villanorum recuſatur regnum cælorum, eligitur vxor concubina, & recuſatur copula diuina, & ideo iuſto iudicio nemo iſtorum, qui vocati ſunt, cœnam iſtam guſtabunt, eo quòd iſta cœna transferetur a ſuperbis, & potentibus, in debiles & humiles, a diuitibus in pauperes, a luxurioſis in cæcos & claudos, ideſt in illos, qui oculos ſuos eruunt, & refrenauerunt ne vanitatem mun- B di videndo concupiſcerent, & pedem inordinatæ affectionis totaliter abſcinderent. Etiam propter hoc dicitur in hodierno Euangelio: Pauperes, ac debiles cæcos, & claudos introduc huc, loco ſcilicet iſtorum, qui noluerunt venire. Secundo eos vocat ad iſtam cœnam gratis ſine recompenſatione, alliciendo per beneficia, & promiſſa. Vnde: Vocauit nos propria 2. Pet. 1. a gloria & virtute, per quam maxima, & pretioſa munera nobis donauit, ſcilicet gratiam in præſenti, & gloriam in futuro, vt ſic qui nolunt venire ad iſtam cœnam precibus, facilius trahuntur muneribus. Vn- C de Gregorius ſuper illud Iob: Seruum meum voca- Iob 19. c ui, & non reſpondit mihi. Vocat nos Deus, cum mu- Greg. li. 14. neribus præuenit, reſpondemus vero eius voci voca- Mor. c. 21. tionis, cum digne iuxta præcepta munera deſeruimus. prope fin. Seruum ergo vocauit Dominus, quia collatis muneribus, quaſi emiſſis vocibus ad ſe, dicere audiuit, ſed non reſpondit, quia digna opera donationis eius reddere contempſit. Tertio vocauit Dominus ad iſtam cœnam generaliter ſine acceptione, comminando per æterna ſupplicia. Vnde in Pſalmo: Deus Deorum Pſal. 49. a Dominus locutus eſt, & vocauit terram a ſolis ortu, & occaſu. Deus Deorum Dominus Chriſtus locutus D eſt comminando per æterna ſupplicia, vt per hoc compellat eos intrare ad cœnam iſtam flagellis, & comminationibus, qui nolunt induci precibus, & promiſſionibus, alioquin diuina miſericordia tranſibit in iuſtitiam, & qui nolunt gaudere in diuino palatio cum Angelis, cruciabuntur perpetuo in inferno, & flammeſcent cum dæmonibus. Iſtis ergo comminationibus Dominus vocauit terram, ideſt terrenos, & peccatores, a ſolis ortu & occaſu, quia apud eum nulla eſt acceptio perſonarum, immo in omni gente, & in omni populo, & in omni conditione, & in omni ætate beneplacitum eſt ei. Vnde Gregorius ſuper il- Iob 5. b E lud: Qui irrigat aquis vniuerſa, hoc eſt ex omni ge- Greg. lib. 6. nere ad ſuam cognitionem vocat Spiritus ſancti gra- Mor. c. 7. tia. Nam cum diuites ſibi ſubijcit, pauperes non repellit, cum fortes humiliat, ad ſe venire debiles non recuſat, cum nobiles colligit, ſimul ignobiles apprehendit, cum ſapientes ſuſcipit, imperitorum ſtultitiam non contemnit. Rogemus ergo, *et cet.*

## SERMO II.

F HOmo quidam fecit cœnam magnam, & cete. Luc. 14. d Beati qui ad cœnam nuptiarũ agni vocati Apoc. 19. b ſunt. Duplex eſt cœna videlicet gratiæ, & gloriæ, Prima eſt Eccleſiæ militantis: ſecunda triumphantis. De prima: Cum veniſſet Ieſus in Bethania, dicitur: Fecerunt autem ei Ioan. 12. a cœnam ibi. Bethania Eccleſiam ſignificat militantem, interpretatur enim Domus obedientiæ. Cœna enim in Bethania eſt ſpiritualis refectio gratiæ in Eccleſia. Quattuor autem perſonas in dicta Eccleſia ſingulariter deſcribit Euangelium, Martham, Mariam, Lazarum, Iudam. Martham miniſtrantem, Mariam contemplantem, & vngentem, Lazarum infirmantem, & diſcumbentem, Iudam murmurantem. Hæc enim quattuor genera hominum ſpiritualiter in cœna Eccleſiæ inuenies. Martha actiuos, Maria contemplatiuos, Lazarus tepidos, Iudas maleficos ſignificat. De Martha dicitur hic: Martha miniſtrabat. Actiui miniſtra-

niſtrare debent per bona opera, & hoc ſolicite, & fre- A
Luc. 10. g quenter: Martha ſatagebat circa frequens miniſte-
rium. Libenter miniſtrare debet quiſque Domino in
mundo, quia excellenter honorat ſuos miniſtros in
Ioan. 12. d cælo: Si quis mihi miniſtrauerit, me ſequatur. Mi-
niſtret ergo libenter vnuſquiſque, vt honorificetur a
1. Pet. 4. c Deo, & honorificet Deum: Si quis miniſtrat tam-
quam ex virtute quam adminiſtrat Deus, vt in omni-
bus honorificetur Deus. De Maria dicitur ibidem
quòd accepit libram vnguenti, & vnxit pedes Ieſu.
Vnguentum eſt deuotio contemplatiuorum. Sed heu
Eccls. 10. a dicitur: Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vn-
guenti. Muſcæ volant, & ideo volatiles, & malas co- B
gitationes ſignificant. Item lædunt & ideo rancoro-
ſas affectiones. Item vilia ſequuntur, & ideo carna-
les delectationes ſignificant. Hæ ſunt muſcæ, quæ non
fuerunt in terra Ieſſem, cum muſcis grauiter plagare-
Exod. 8. f tur Ægyptus: Ieſſe inſula holocauſti interpretatur,
& ſignificat religionem, quæ in mari huius mundi eſt
tamquam inſula, in qua naufragi recipiunt ſe, & ho-
locauſtum Deo offerunt, hic non erunt muſcæ præ-
dictæ, ſed in Ægypto, ideſt in ſæculo. De Lazaro di-
citur ibidem: Lazarus vero erat vnus ex diſcumben-
tibus non ex adminiſtrantibus, ſicut & Martha, non
ex vnguentibus, ſeu contemplantibus, ſicut Maria. C
Vnde tepidos, & pigros ſignificat, qui neque mini-
ſtrant actione, nec vngunt contemplatione, ſed ſunt
in numero diſcumbentium, ſcilicet carnaliter viuen-
tium. Iſti ſunt diſcumbentes in cœna, in qua Ioan-
Mar. 6. d nes capite priuari iubetur: Propter ſimul diſcum-
bentes noluit eam contriſtare, *et cetera*. Gratia
enim Dei in tepidis virtutem amittit. Lazarus
tamen ſuſcitatus fuit a Domino lacrymante, ſic &
multi inutiliter viuendo ingrati ſunt, qui per Do-
minum ad vitam gratiæ reuocati ſunt. De Iuda
Mar. 14. a ibidem legitur quòd dicit: Quare vnguentum
non venditur trecentis denarijs, *et cetera*. Hi ſunt D
malitioſi, qui vnguentum deuotionis in cupiditatem
vertere volunt, & ad murmurationem conuertuntur.
Malum eſt conſilium Iudæ, & ſimile cõſilio Sathanæ.
Iudas vnguentum in denarios: Sathanas lapides in pa-
nes vult conuerti, ideſt pœnitentiæ auſteritatem in
Mat. 4. a carnalitatem. Dic vt lapides iſti panes fiant. De ſe-
cunda cœna dicitur hic: *Homo quidam fecit cœnam ma-
gnam, &c.* Dominus in hoc Euangelio oſtendit, quòd
conuiuæ huius mundi vocandi ſunt, cõpellendi ſunt,
introducendi ſunt, implendi ſunt. Vocantur in præ-
dicatione: compelluntur in tribulatione: introducũ-
tur in euolatione: implentur in ruinarum cæleſtium E
Mat. 22. b impletione. De primo dicitur ibi: *Vocauit multos.*
Sed heu multi ſunt vocati, pauci vero electi. Vocan-
tur autem electi verbo doctrinæ ad lumen gratiæ, &
1. Pet. 2. b ad lumen gloriæ. De tenebris vos vocauit in admira-
bile lumen ſuum. Illi ergo tamquam electos ſe voca-
tos ſemper ſe putare poſſunt, qui tamquam ſtellæ cæli
per bonam vitam lucidi ſunt. Stellæ dederunt lumen
ſuum in cuſtodijs ſuis, vocatæ ſunt, & dixerunt: Ad ſu-
mus. Nota quòd non ſolum multi ſunt, qui vocantur,
ſed etiam multi ſunt, per quos vocantur. Ecce Deus
vocat per ſe, vocat per angelos, vocat per patres, vocat
per prophetas, vocat per paſtores, vocat per miracula, F
vocat per flagella, vocat per proſpera, vocat per ad-
uerſa. De ſecundo dicitur ibi: *compelle intrare*. Gre-
gorius: Mala, quæ nos hic premunt, ad cælum ire cõ-
Luc. 18. c pellunt. Compellebantur fluctibus, & periclitaban-
tur, accedentes autem ſuſcitauerunt eum, *&c.* Ecce ad
Dominum accedunt, quos tribulationum fluctus cõ-
Pſal. 82. d pellunt. Pſalmiſta: Imple facies eorum ignominia,
*&c.* De tertio dicitur hic: *Cæcos, & claudos introduc
huc*. Sed o quomodo templum gloriæ intrabit, qui
eſt cæcus in intellectu, vel claudus in affectu? vel qui
cæcus in fide, vel claudus in moribus eſt? cum dicitur.
2. Reg. 5. b Cæcus, & claudus non intrabunt in templum. Opor-
tet ergo cæcam, & claudam animam ante ſanari, quàm

A ad ſpiritualem, ſiue ad æternalem refectionem debeat
introduci. Auguſtinus: Anima prius ſanatur, ſanata
introducitur, introducta reficitur. Habemus autem
ad introducendum nos non ſolum miniſterium hu-
manum, ſed etiam angelicum. Ecce ego mittam an- Exod. 23. e
gelum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introdu-
cat ad locum, quem præparaui tibi. De quarto dici-
tur ibi: *Vt impleatur domus noſtra*. Domus ei Domi-
ni implebitur, quando ruinæ angelorum implebun-
tur. Pſalmus: Impleuit ruinas. Domus implebitur Pſal. 109. a
etiam quando numerus ſaluandorum implebitur. Di-
ctum eſt illis, vt requieſcerent adhuc modicum, donec
B compleantur conſerui eorum. Bernardus: Currite fra- Apoc. 6. c
tres, currite: nã non ſolum angeli, ſed ipſe Creator an-
gelorum vos expectat. Nondum plena eſt domus, ad-
huc expectantur, de quibus nuptiæ impleantur.

## SERMO III.

IAm parata ſunt omnia. Parauit Dominus Luc. 14. d
tormentum pœnæ in inferno, oppidum
Eccleſiæ in mundo, thronum iuſtitiæ in
iudicio, conuiuium gloriæ in cælo.
De primo: Parata ſunt deriſoribus iudi- Prou. 19. d
C cia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus. Ve-
re ſtulti ſunt peccatores. Stultus enim eſſet, qui pro
denario ſe faceret cremari in cruce. Stultior eſſet, qui
pro aliquo ſæculari faceret ſe cremari æternaliter. Sed
tales multi ſunt. Stultorum infinitus eſt numerus. Eccls. 1. d
Mallei percutientes ſunt dura infernalium tormento-
rum genera. Sed vide quando ferrum ignitũ eſt, tunc
a fabro malleo percutitur. Ita peccatores igne inferni
infuſi, & perigniti tormentis varijs malleantur a dia-
bolo, qui eſt faber horribilis. Ecce ergo creaui fabrũ, Iſa. 54. f
*&c.* De ſecundo: Vidi ciuitatem nouam Hieruſalem a Apoc. 21. a
Deo paratam, *&c.* Ciuitas eſt Eccleſia, in qua domi-
D nium diaboli vincimus, vel euadimus. Vnde: Nunc
igitur notum ſit Regi, quoniam ſi ciuitas illa ædifica- 1. Eſd. 4. c
ta fuerit, & muri eius inſtaurati, poſſeſſionem trãs flu-
uium non habebit. Rex iſte diabolus eſt. Ipſe eſt Rex Iob. 41. d
ſuper omnes filios ſuperbiæ. Fluuius eſt baptiſmus.
Pſalmus: Fluminis impetus, *&c.* Merito enim ita de- Pſal. 45. a
bet eſſe, quòd trans fluuium baptiſmi nullam haberet
diabolus poteſtatem. Sed heu poſt baptiſmum in hac
ciuitate multos poſſidet, quia ipſam per multos annos
obſidet. Ciuitas parua, & pauci viri in ea. Venit con- Eccls. 9. c
tra eam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitq. mu-
nitiones per gyrũ, & perfecta eſt obſidione, inuentusq.
E eſt in ea vir pauper, & ſapiens, & liberauit vrbem per
ſapientiam ſuam. Et nullus deinceps recordatus eſt ho
minis illius pauperis. Nota quæ ibi de hac ciuitate di-
cuntur, vſque ibi nullus deinceps recordatus, *&c.* Sed
quia ſine victualibus teneri non poſſet, ideo non ſolũ
parata eſt nobis ciuitas, ſed etiam eſca in ciuitate in-
deficiens ſcilicet corpus Chriſti: Paratum panem de Sap. 16. e
cælo præſtitiſti nobis, *&c.* Vnuſquiſque carnem amici Hier. 19. c
ſui comedet in obſidione. Amicus eſt Chriſtus. Nul-
lus ergo extra hãc ciuitatem ſaluari poteſt, ſicut ſigna-
tum eſt. Vbi legitur quòd Loth in ciuitate Segor ſal- Gen. 19. c
uatur, quattuor alijs ciuitatibus igne: & ſulphure ſub-
F uerſis. Require in expoſitione in ſecundo ſermone,
*A ſummo cælo*. De tertio. Pſalmus: Parauit in iu- Pſal. 9. b
dicio thronum ſuum, & ipſe iudicabit orbem terræ Pag. 22.
in æquitate. Vere in æquitate. Nam æque iudicabit
populum & clericum, æque Imperatorem, & Paſto-
rem. Nam potentes, & impotentes, magni & parui
æque ante thronum iſtum ſtabunt: Vidi mortuos ma- Apoc. 20. d
gnos & puſillos ſtantes ante thronũ Dei, & libri aper-
ti ſunt, ideſt conſcientiæ, quarum occulta in die iu-
dicij manifeſta erunt, ibi leget vir in libro vxoris, ibi
& econuerſo quam fidem ſibi inuicem ſeruauerunt,
ibi quis alium tradiderit, quis in tenebris enormia fe-
cerit detegetur. Auguſtinus: Cum venerit Dominus,
& illuminauerit abſcondita tenebrarum, & manifeſta-
uerit



uerit cogitationes cordis, tunc nihil latebit proximo in A
proximum, neque erit quod ſuis quilibet aperiat ab-
ſcondatq. alienis. Vnde dicitur ibidem quòd iudicati
Luc. 14. d ſunt mortui ex his, quæ perſcripta erant in libris. De
Idem. 22. c quarto, dicitur hic: homo quidam fecit cœnam ma-
gnam, *&c.* vſque. *Iam parata ſunt omnia*. Parata vti-
que, iam enim ſupra menſam poſita ſunt fercula, de
qua menſa: Vt edatis, & bibatis. Nota, quòd delicio-
ſos cibos, & potum Dominus dat hominibus in menſa
materiali, & quòd delicioſores cibos, & potum gra-
tiarum dat in menſa cordis ſpirituali, & quòd deli-
cioſiſſimum cibum corporis, & potum ſanguinis ſui
dat in menſa ſacramentali. Penſa nunc homo, ſi tan- B
ta bona a Deo habes in menſa tua, in carcere, in exi-
lio: quanta bona habebis in menſa Dei in regno? Au-
guſtinus: In patria ipſa quo modo ſaturabit, qui in
peregrinatione ſic pauit? Quia vero in nouem ordi-
nibus angelorum omnes inuitati diſtribuentur: ſecũ-
dum has nouem menſas in hac cœna diſtinguere poſ-
ſumus. Ima menſa plena eſt delicijs, de qua infi-
mus ordo, & qui in ipſo ſunt, reficiũtur: ſecunda men-
ſa ditior eſt, & abundantior, de qua ſecundus ordo
cum iuſtis amplioris meriti in ipſa locati reficientur.
Sic progreſſum facias vſque ad menſam noni ordinis,
plus ſemper menſam ſuperiorẽ commendando. Sed C
quid valeret multa conuiuis eſſe parata, ſi locus ſeden-
di paratus non eſſet quando venirent? Ideo ait Do-
Ioan. 14. a minus: Vado parare vobis locum. In eadem enim
menſa alius habebit locum digniorem ſecundũ quòd
1. Cor. 15. e ſtella differt a ſtella in claritate, ſicut dicitur.

## SERMO IV.

Luc. 14. d COmpelle intrare, vt impleatur domus mea.
Domus quãdoque dicitur impleri homi-
nibus, quandoque ſonis, & clamoribus,
quandoque poſſeſſionibus, quandoque D
odoribus. Sic domus Eccleſiæ debet im-
pleri familiæ abundantia, doctrinæ reſonantia, gratiæ
opulentia, famæ fragrantia. De primo dicitur hic:
*Compelle intrare, vt impleatur domus mea*. Si intraue-
Mat. 2. b ris hanc domum, porta munera. Et intrantes domum
*&c.* Sed numquid ſoli Reges aut diuites intrabunt?
immo pauperes, & debiles cæcos, & claudos introduc
huc. Pauperes ſunt, qui non habent diuitias virtutum,
& donorum. Debiles, qui non habent vires portandi
onus tribulationum. Cæci, qui non habent oculos
cogitationum. Claudi, qui non habent rectum greſ-
Eſther. 1. a ſum operum, ſignificãtur. Vbi dicitur quòd Aſſuerus, E
Luc. 1. d qui Chriſtum ſignificat, inuitauit populum a maxi-
Luc. 23. f mo vſque ad minimum, ideſt a Ioanne Baptiſta, quẽ
inuitauit in ventre, vſque ad illum latronem in cruce.
Mat. 22. a Congregauerunt omnes quotquot inuenerunt bonos
& malos, & impletæ ſunt nuptiæ. De ſecundo: Factus
Act. 2. a eſt repente de cælo ſonus, *&c.* Hic eſt ſonus prædica-
Pſal. 17. a tionis. Pſalmus: In omnem terram, *&c.* Sonus prædi-
cationis fit de cælo in terram ad aures hominum. So-
nus autem orationis fit de terra ad cælum ad aures Do
Cant. 2. d mini. Sonet vox tua in auribus meis. Vterque autem
ſonus fit, adueniente Spiritu vehementi, ſicut ſonus in
tuba fit, adueniente Spiritu de ore. Sonus in organis F
fit, adueniente Spiritu de folle. Sonus vero tubæ, ſo-
nus eſt prædicationis. Sonus autem organorum ſo-
nus orationis. Primus de ore procedit, dum verba
Dei de ore prædicamus. Secundus de follibus. Tres
autem folles ſunt, claues, ſufflatoria, & habent or-
gana orationis ſcilicet timoris, doloris, & amoris, tot
quoque habent claues, quot ſunt in oratione Domi-
nica petitiones. Sed nota, quòd in organis, & claues
& folles manu premuntur vt ſonus reddatur, ſic ne-
ceſſe eſt vt manus bonæ operationis adiuuet ſonum
orationis. Gregorius: Vt ad aurem Dei viam preci-
bus faciatis, vigilantius ſtudendum eſt, vt voces ab
actibus adiuuentur. Nam inanis fit oratio, vbi praua



A eſt exactio, quanto autem vehementior eſt Spiritus,
tanto validior eſt ſonus. De his ſonis dicitur: De tubis
& organis ſonitus longe audiebatur. Primus longe in 2. Par. 5. d
mundo, ſecundus longius in cælo. Si ergo tu a ſono
Dei aures cordis auertis, tunc Deus a ſono tuo aures
ſuas auertet. Qui declinat aures ne audiat legem, ora- Prou. 28. b
tio eius erit execrabilis. De tertio: Quaſi nihil poſſit Iob 22. c
facere omnipotens, æſtimabant eum, cum ille impleſ-
ſet domus eorum bonis. Domum ſynagogæ, & do-
mum Eccleſiæ Deus bonis temporalibus ſacramenta-
liter, & ſpiritualiter impleuit, & tamen Iudæi crucifi-
gendo, & mali Chriſtiani actualiter peccando ſic fa-
B ciunt, quòd exiſtiment Dominum nihil poſſe facere.
Si enim ipſum poſſe impios damnare exiſtimarent,
plus timerent. Timete eum, qui poteſt & animam, Mat. 10. c
& corpus perdere in gehennam. Si Dominum exiſti-
marent aliquid poſſe in iudicio, ipſum non tantum
offenderent in mundo. Gregorius: Si Dominum præ-
ſentem, & omnia videntem iudicaturum de omnibus
crederemus, vix aut numquam peccaremus. O quã-
tis bonis gratiarum Deus Eccleſiam ſuam repleuit.
Pſalmus: Replebimur in bonis domus tuæ. De quar- Pſal. 64. a
to: Domus impleta eſt ex odore vnguenti, ideſt ex- Ioan. 12. a
tractione Spiritus ſancti. Odor vnguentorum tuorũ
C ſuper omnia aromata. Fama enim virtutum, & exẽ-
plorum ſanctorum implet, & ædificat totam Eccleſiã.
O quàm ſuauis eſt iſte odor ſanctorum. Gregorius: Cant. 4. d
Virtutes proficientium innocentia ceterorum homi-
num quaſi ſuauitates fragrantium odorum. Econtra-
rio mala fama hominum in peccatis mortuorum fœ-
tor eſt inficiens. Domine iam fœtet, quatriduanus Ioan. 11. e
enim eſt, ſcilicet in corde, ore, opere, conſuetudi-
ne peccando. Sed nota quòd vnguentum, quo Maria
Chriſtum vnxit, cuius odor domum impleuit, libra
fuit. Legitur autem quòd myrrha, & aloes, qua Ni- Ioan. 19. g
codemus Dominum condiuit, centum libræ fuerunt.
D Libra igitur vnguenti pretioſi ad deuotionem, libra
vero myrrhæ, & aloes ad contritionem pertinet. Vn-
de hic vna, ibi centũ libræ fuerunt, quia plurima con-
tritione indigemus in corde, cum Chriſtus crucifixus
& mortuus ſit pro magnitudine peccatorum.

# DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

INueni ouem, quam perdideram. Bo- Luc. 15. b
nus inuentor eſt Dominus. Bene
enim ſcit inuenire electos ad iuſti-
ficandum, ſeruientes ad remune-
randum, odientes ad perdendum,
mortuos ad reſuſcitandum. De
primo dicitur hic: *Inueni ouem,
quam perdideram*. Quod Dominus perdidit, diabo-
lus inuenit per culpam: Inuenit eum leo in via, & oc- 3. Reg. 13. a
cidit. Deus autem inuenit per gratiam. Pſalmiſta: In- Pſal. 88. e
ueni Dauid, *&c.* Sed vbi inuenit? Certe quoſdam in
cloaca diaboli, & fœtidorum peccatorum, quoſdam
F in ore leonis, ideſt diaboli per obſtinationem. Pſal-
mus: Salua me ex ore leonis, quoſdam in profundo Pſal. 21. e
maris per peccatorum multitudinem. Pſalmus: Eripe Pſal. 86. b
me de luto vt non infigar, quoad primum. Libera
me ab ijs, qui oderunt, quoad ſecundum. Et de pro-
fundo aquarum, quoad tertium. Inueniuntur autem
boni non tantum ad ſuam, ſed etiam ad malorum vti-
litatem. Si inuenero in Sodomis quinquaginta iuſtos, Gen. 18. d
dimittam omni loco propter eos. Sed heu neque de-
cem inuenti ſunt. De ſecundo: Beati ſerui illi, quos Luc. 12. e
cum venerit, &c. Gregorius: Vigilat qui ad aſpectũ
veri luminis oculos aperte tenet. Vigilat, qui a ſe tor-
poris, & negligentiæ tenebras expellit. Et ſi in ſecun-
O da,

da, & tertia vigilia venerit,& ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Gloſſa: Prima vigilia,cuſtodia pueritiæ eſt, & ſecunda iuuentutis,tertia ſenectutis. Si quis vero in pueritia vigilare neglexerit, non tamen deſperet, ſed in iuuentute, vel ſaltem in ſenectute reſipiſcat. In quacumque vigilia Dominus venerit,& per ægritudines pulſauerit, ſi te dormiente inuenerit, væ tibi: ſi vigilantem ad Dominum, beatus eſt. Non ſolum autem noſipſos, ſed & omnium meritorum, & demeritorum noſtrorum pondus per iudicij ſui ſtateram *Dan.5.g* Dominus inueniet. Appenſum eſt in ſtatera,& inuentum eſt minus habens. *Pſal.20.b* De tertio, Pſalmiſta: Dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt, pones eos vt clibanum ignis. Qui ſunt infelices, qui odio habent *Ioan.15.d* Dominum? certe peccatores. Oderunt me, & Patrẽ meum. Qui enim diligit mendacium,odit veritatem: qui diligit mortem, odit vitam: qui diligit tenebras, *Idem.3.c* odit lucem. Qui male agit, odit lucem. Qui diligit adulterum, odit ſponſum. Auguſtinus: Quo modo non poteſt adultera coniux eſſe, niſi inimica viro ſuo: ſic anima adultera eſſe amore rerum ſæcularium, vel temporalium non poteſt, niſi inimica eſſet Deo, non ſolum autem Deum, ſed & ſeipſum odit peccator. *Pſal.10.b* Pſalmus: Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuã. Nonne ſeipſum odit, qui ſeipſum iugulat? Hoc pec- *Sap.16.b* cator facit peccando. Homo per malitiam occidit quidem animam ſuam, ſed vltrix dextera Dei bene inueniet tales ad damnandum, & non ad coronãdum. *Pſal.20.b* Pſalmiſta: Dextera tua inueniet omnes,qui te oderũt, *Apoc.20.d* pones eos vt clibanum ignis, &c. Qui non eſt inuentus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Bene dicit in clibanum. Sic timendum eſt tibi peccator. Sicut enim in clibano pleno igne vbicumque ſciſſura, vel foramen fuerit, flamma erumpit, quia flamma gehennæ erumpet in inferno, per os, per oculos, per *Ioan.11.b* nares, quibus nunc peccas in mundo. De quarto: Inuenit eum quarta dies in monumento habentem. Lazarus iſte, de quo hic dicitur, humanum genus ſignificat: quod Deus, quarto die ſuſcitabit in generali reſurrectione. Primus dies tempus ante legem, ſecundus,tempus ſub lege,tertius poſt legem, hoc eſt tẽpus gratiæ, quartus eſt ſupra legem dies futuri ſæculi, qui incipit in reſurrectione mundi,quarto die fecit cælum & lunam, & ſtellas ſignificans, quòd in hac quarta die *1.Cor.15.e* reſurrectionis cælum ornabitur luminoſis ſanctorum corporibus: Alia claritas ſolis, alia lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim a ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. O quanta claritas vbi tot millia ſanctorum ſolaribus lucebunt corporibus? Hac vero die ille ſapientiſſimus Inuentor inue- *Luc.21.d* niet omnes mortuos, immo omnes crines: Capillus de capite veſtro non peribit. Auguſtinus. Times ne animam perdas, qui capillum non perdes? Deo omnia numerata ſunt, omnia reintegrabit, qui omnia creauit.

## SERMO II.

*Luc.15.b* I*Nueni drachmam quam perdideram.* Drachma,ſicut dicit Gloſſa,eſt nũmus certæ quãtitatis habens imaginem regis. *Gen.1.d* Nouem ergo drachmas refert ad nouem ordines angelorum, decima vero eſt homo ad imaginem vtique Dei factus, ſed decima eſt perdita cum humanum genus in Adam lapſum eſt. *Perditio hominis quadruplex.* Conſiderare autem poſſumus quadruplicem perditionem hominis. Prima eſt per corruptionem originalem, ſecunda per tranſgreſſionem actualem, tertia per exercitationem corporalem, quarta per damnationem gehennalem. De pri- *Tob.4.c* ma: Superbiam numquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas. In ipſa enim initiũ ſumpſit omnis perditio. Superbia enim in paradiſo commiſſa omnes perditi ſumus: nec mirum cum ſuper- *Ezec.28.d* bia perditi fuerint angeli in cælo: Perdidi te o che- **A** rubim. Signatur autem hominis perditio in duobus perditis, ſcilicet oue, & drachma. Per ouem ſignificatur homo propter innocentiam originalem, per drachmam vero propter imaginem naturalem: Facia- *Gen.1.d* mus hominem ad imaginem, &c. Sed homo perditus per lucernam Euangelij inuenitur, de qua Pſalmus: Lucerna pedibus meis verbum tuum. *Pſal.118.* Adhuc certe indiget lumine ſapientiæ, qui in tenebris culpæ perdidit drachmam animæ ſuæ. Auguſtinus: Feciſti nos Domine ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, mitte radium ſapientiæ tuæ, vt expellat tenebras noſtras, & fulgeat in nobis imago tua. De ſecundo: **B** Grex perditus factus eſt populus meus, paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntq. vagari in montibus. *Ier.50.* Perditus eſt populus Dei mortaliter peccando. A Deo quidem peccator perditur, ſed a diabolo inuenitur. Paſtores ſunt curam animarum habentes, ſeducentes alios verbis, & exemplis ad perditionem. Sed valde timendum eſt quòd homo non ſolum malis, ſed & bonis ſuis perdit animas aliorum. Ioannes Chryſoſtomus: Da indigenti, & non ſaltanti, vt non pecunijs tuis perdas animam illius, tu enim cauſa es perditionis illius. Montes ſunt excellentia vitia, in quibus vagamur: Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper *Apoc.17.* **C** quos ſedit mulier. Super ſeptem capitalia vitia ſedet mulier, ideſt vanitas mundana. Habuit autem hæc mulier poculum aureum in manu plenum abominatione, & immũditia fornicationis. Quicumque enim per pulchritudinem, & delectationem creaturarum allicitur ad peccatum, quaſi de auro bibit venenum. Bene autem dicitur potus malæ delectationis immunditia fornicationis, quia dum animam in peccatis delectatur, a vero ſponſo, ſcilicet Chriſto fornicatur, amando plus creaturam, quàm Creatorem. Auguſtinus: Creatura non ob aliud pernitioſa eſt amatori,niſi quia præponitur Creatori, & ideo ab ipſo perditur. **D** Pſalmiſta: Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te. *Pſal.72.d* Perduntur certe non ſolum ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter fornicantes: Qui autem adulter eſt pro- *Prou.6.d* pter cordis inopiam,perdet animam ſuam. De tertio: Qui multiplicat gentes, & perdit eas & ſubuerſas in *Iob 12.d* integrum reſtituit. Perditio iſta fit in morte: Si aſcen *Idem.20.a* derit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur. Beatus qui propter Deum perditur temporaliter, quia æternaliter inuenitur: Qui perdiderit animam ſuam, *Mat.10.d* *et cetera.* Perditi enim per mortem,reſtituentur in integrum per reſurrectionem. Vnde: Tu quidem ſce- *2.Mac.7.d* **E** leſtiſſime in præſenti vita nos perdis, ſed rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione reſuſcitabit. Bene autem dicitur in integrum, quia neque pes, quem lupus comedit, nec oculus, quem coruus effodit, neque aliquid membrorum negligetur. Auguſtinus: Times ne perdas animam, qui capillum non perdes? Deo omnia numerata ſunt,omnia reintegrabit, qui omnia creauit. De quarto: Ti- *Mat.10.* mete eum, qui poteſt & corpus & animam perdere. Animæ peccatorum quotidie perduntur in morte,ſed corpus & anima ſimul perdentur in iudicio. Nunc quidem particulariter, ſed tunc omnes reprobi per- **F** dentur vniuerſaliter. Quam perditionem diabolus exhorret, cum tamen iam ſit perditus: Quid nobis *Mar.1.* & tibi Ieſu Nazareno? Veniſti ante tempus perdere nos. Perditur autem homo non ſolum pro malis factis, immo pro verbis. Pſalmiſta: Perdes omnes qui *Pſal.5.b* loquuntur mendacium.

## SERMO III.

G*Audium eſt angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* *Luc.15.b* Ecce ſi vis curiam cæleſtem lætificare, pœnitentiam age. Ad pœnitentiam autem mouere te poteſt periculi immenſitas, loci opportunitas, Dei



Dei benignitas, pœnitendi vtilitas. De primo nota quòd de ſacrificantibus, quos Pilatus occiderat, & de *Luc.13.a* quibuſdam, ſuper quos turris ceciderat, dicitur: Putatis quia ipſi peccatores fuerint præ omnibus? Non dico vobis, ſed ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimul peribitis. Certe adhuc frequenter audis, quòd alius ſuſpenditur, alius ſubmergitur, alius lepra, alius cæcitate percutitur, putas quòd ipſi plus te peccauerunt? tu forte centies plus peccaſti. Quid autem dicam de ſanctis, ſcilicet Ioanne Baptiſta, de Petro, de Laurentio, de alijs ſanctis, qui tanta paſſi ſunt, putas quòd plus te peccauerint? non certe, ſed niſi pœnitentiam egeris, tu æternaliter patieris. Sed nota quòd ſecundum Gloſſam, Pilatus diabolum turris, vero *Pſal.60.a* Chriſtum ſignificat. Pſalmiſta: Factus eſt ſpes mea turris fortitudinis a facie inimici. Qui ergo pœnitentiam non agit,iugulabitur a diabolo ſpiritualiter. Opprimentur autẽ a Chriſto damnante æternaliter. Item flagellat ſæpe temporaliter,a quo flagello liberati fue- *Ioan.3.d* runt Niniuitæ propter pœnitentiam. Et quia Niniuitæ per prædicationem vnius hominis,conuerſi ſunt, gratiam habuerunt. Sed moderni peccatores per centum, vel mille prædicatores non conuertuntur. Ideo *Luc.11.e* poteſt dici de eis illud: Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac,& condemnabunt eam,quia in prædicatione Ionæ pœnitentiam egerunt. De ſe- *Iob 24.d* cundo: Dedit ei Dominus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia. Locus pœnitentiæ non eſt in *Greg. lib.9. ep.30. prope finẽ, to.4.* cælo: ait enim Gregorius: Pœnitentia eſt ante acta flere mala, & flenda non committere, in cælo autem non poteſt eſſe fletus: Abſterget Deus omnem lacry- *Apoc.21.a* mam, *& cetera*. Item locus pœnitentiæ non eſt in in- *Sap.5.a* ferno niſi illiuſmodi de quo dictum: Intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtitia ſpiritus gementes. Sed illa pœnitentia eſt gaudium angelis ſatanæ, quia infructuoſa eſt. Vnde Gregorius: Nequaquam tunc veniam inuenit, qui modo tempus veniæ perdit. Eſt locus pœnitentiæ in mundo non omni tempore, ſed *Apoc.2.f* tempore præſentis vitæ: Dedit illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere, *& cet.* O miſer peccator age pœnitentiam modo, quia neſcis quàm diu locum, vel pœnitentiæ tempus habeas, an cras, an hodie veniat, qui de pœnitentia neglecta te iudicet: *Ibid. b* Pœnitentiam age, ſi quo minus, veniam tibi cito, & pugnabo cum illis gladio oris mei. Vere cito, quia forte hodie, vel cras. Gregorius: Qui pœnitendi veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum *Rom.2.a* non promiſit. De tertio: An ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram, *& cet.* De hac benignitate ait Auguſtinus: Quæcumque neceſſitas cogit peccatorem ad pœnitentiam, neque criminis immenſitas, neque vitæ enormitas, neque horæ extremitas excludit veniam, ſi pura fuerit voluntatis permutatio. De criminis immenſitate pa- *Luc.22.f* tet in Petro negante: De vitæ enormitate patet in *Luc.7.f.23 f* Magdalena: De horæ extremitate patet in latrone: Magna benignitas, quòd peccata ex toto corde pœnitentis non ſolum non vindicat opere, neque improperat ore, immo nec recordatur corde ad odium: *Ezec.18.e* Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, *et cet. vſque* non recordabor. Hanc benignitatem *Mat.27.a* male pœnitens Iudas ignorauit: de quo: Pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos, *& cet. vſque* laqueo *2.Cor.7.b* ſe ſuſpendit. De quarto: Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentia in ſalutem ſtabilem operatur. O magna pœnitentiæ vtilitas. Per pœnitentiam enim non ſolum malum culpæ, ſed etiam miſeriæ, & ge- *Ier.18.a* hennæ declinatur: Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, agam & ego pœnitentiam a malo, quod cogitaueram,vt facerem eis. Item bonum gratiæ præ- *Act.11.* ſtatur: Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam, ſcilicet gratiæ. Item regnum gloriæ accelera- *Mat.4.* tur: Pœnitentiam agite, appropinquabit vobis regnũ **A** cælorum. Vnde tota illius regni curia lætificatur, ſicut hic dicitur: *Gaudium eſt Angelis Dei*, & cetera. Væ eis, qui modo gaudium angelis non faciunt pœnitendo. Væ ergo qui ſuo gaudio angelos ſuos priuant,pœnitentiam relinquendo. Bernardus: Exclamauerunt Angeli,cum ad pœnitentiam venimus tamquam ſuper ijs, quos ab ipſa inferni porta cernebant reuocari. Quid vero erit, ſi ab ipſa porta paradiſi reuerti viderint, & abire retrorſum eos, qui iam vnum pedem habebunt in paradiſo?

## SERMO IV.

**B** G*Audium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* *Luc.15.* Quoniam charitas eſt de bono alieno gaudere, hinc eſt quòd Dominus noſter in verbo propoſito oſtendit in ſupernis ſpiritibus,(qui omni charitate ſunt repleti) gaudium angelorum de conuerſione peccatorum, cum dicit: *Gaudium eſt angelis Dei*, & cetera. In quibus verbis, Primo præmittitur miſeria humanæ infirmitatis. Secundo adiungitur efficacia medicinæ ſacramentalis. Tertio ſubiungitur lætitia ſupernæ ciuitatis. Et hæc tria debent ordinari. Nam ſpiritualis **C** infirmitas hominis eſt prior, & præcedit efficaciam medicinæ pœnitẽtialis, & pœnitentia, ſiue conuerſio peccatorum tamquam cauſa motiua præcedit gaudiũ angelorum. Primo ergo in verbo propoſito præmittitur miſeria humanæ infirmitatis, cum dicit: *Super vno peccatore.* Peccator enim idem eſt quod infirmus ſpiritualiter. Secundo additur efficacia medicinæ pœnitentialis,cum ſubdit: *Pœnitentiam agente.* Pœnitentia enim, quæ dicitur ſacramẽtum, eſt quædam medicina ſpiritualis, quæ multo melius curat ſpiritum a qualibet infirmitate, quàm medicina materialis corpus. Tertio adiungitur tamquam conſequens ex his **D** lætitia ſupernæ ciuitatis, cum ſubinfert: *Eſt Angelis Dei.*

Dicit ergo: *Super vno peccatore.* Vbi notatur miſeria humanæ infirmitatis. *Miſeria humanæ infirmitatis.* Incurrit autem homo iſtam ſpiritualem infirmitatem, per quam miſer efficitur ſpiritualiter,tripliciter, ſecundum quòd in tria bona habet peccatum committi. Nam omne peccatum (obſcure loquendo) aut eſt in Deum, aut in proximum, aut in ſubiectum proprium. Incurritur ergo iſta ſpiritualis infirmitas. Primo propter faſtum mentalis ſuperbiæ, prouocantis Deum. Secundo propter defluxum carnalis laſciuiæ deprimentis ſubiectum pro- **E** prium. Tertio propter odium cordialis maleuolentiæ offendentis proximum. Primo homo efficitur ſpiritualiter infirmus, vel peccator propter faſtum mentalis ſuperbiæ, prouocantis Deum. Vnde: Qui *1.Ioan.3.a* facit peccatum ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccauit. In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli ad hominem, quia qui facit peccatum ex diabolo eſt, non per creationem, ſed per imitationem. Ipſe enim regnat ſuper omnes filios ſuper- *Iob.41.d* biæ quoniam ab initio diabolus peccauit peccato ſuperbiæ. Nam initium omnis peccati ſuperbia. Vnde *Eccli.10.b* Filius Dei in hoc apparuit viſibiliter aſſumendo limũ **F** noſtræ mortalitatis in vnitate diuinæ perſonæ, vt ſuperba opera diaboli diſſoluat per ſuam humilitatem. Certe verecundum eſt, ex quo rex regum Chriſtus humilis factus eſt, vt homo cinis, & vermis ſuperbiat. Vnde Auguſtinus: Habemus humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum, quid intumeſcis, o homo, o pellis morticina: quid extenderis, o ſanies fœtida: quid inflaris, princeps tuus humilis eſt, & tu ſuperbis, caput humile, & membrum ſuperbum, quaſi dicat valde reprehenſibile eſt. Secundo homo efficitur peccator, ſiue infirmus ſpiritualiter, propter defluxum carnalis laſciuiæ, deprimentis ſubiectum proprium: Fugite fornicationem: omne peccatum quod- *1.Cor.6.d* cumque fecerit homo extra corpus eſt, qui autem fornicatur,

nicatur, in corpus ſuum peccat. Bene dicit autem fugite, & non dicit fornicationi reſiſtite. *Luxuria quo modo vincatur.* Quia vitium luxuriæ melius vincitur fugiendo, quàm reſiſtendo. Omne peccatũ quodcumque fecerit homo extra corpus eſt. Gloſſa, ideſt ſine contaminatione, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Gloſſa: Cetera peccata ſolum animam contaminant, fornicatio vero non ſolum animam, ſed etiam corpus contaminat. Peccatũ enim luxuriæ adeo fœdat hominem, quãtum ad corpus, & deordinat, quantum ad animam, vt iam non animal rationale, ſed potius animal brutum debeat appellari, eo quòd ad modum beſtiæ quod eſt inferius, ſcilicet ſenſualitas facit, vt dominetur ſuperiori, ſcilicet rationi. *Bernar. in Cãt. ſer. 35* Vnde Bernardus: Beſtialius nihil homine rationem habente, & ratione non vtente, & ideo quaſi beſtia reputatur, & ad paſcendum immunda animalia mancipatur ſecundum quòd dicitur: *Luc. 15. d* de filio prodigo, qui poſtquam diſſipauit omnem ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe, poſitus fuit cum porcis ad paſcendum eos. Vnde inquit ipſe: Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam: Pater peccaui in cælum, & coram te. Et ecce quòd iſte poſitus erat a diabolo cum porcis, ideſt cum immundis ſpiritibus, qui fœdis voluptatibus delectatur, quos continue paſcebat, dum carnis voluptatibus non deſerebat. Tertio efficitur homo infirmus, ſiue peccator, propter odium cordialis maleuolentiæ damnificantis proximum. *Gen. 42. d* Vnde: Peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ eius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus. *Gen. 4. b* Hæc eſt illa fera peſſima, ſcilicet inuidia, quæ omni belua crudelior, quæ iuſtum Abel occidit, ſanctum Ioſeph multis doloribus adimpletum vendidit, filium Dei in crucis patibulo crudeliter quantum ad humanitatem abſorbuit, & etiam totum genus humanum ſpiritualiter interfecit. *Sap. 2. d* Nam inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. O ſecretum virus, & peſtis occulta. O liuoris parens, & criminis fomes, & virtutum erugo, & tinea ſanctitatis, quæ non ceſſas continue damna ſpiritualia filijs Adam inferre, & bella concitare, inimicitias & homicidia procreare, vt de cruore occiſorum reficiaris. Tollite chariſſimi, tollite iſtam feram peſſimam de medio veſtri: quia ſtatim erit ſecuritas mentis, tranquillitas animi, & ſimplicitas cordis, ſtatim quieſcent bella, & contentiones, & fœderabuntur diſcordes, quia niſi per illam neſciremus odire, immo quilibet fratrem ſuum ſicut ſeipſum diligeret.

Secundo notatur efficacia medicinæ pœnitentialis, cum ſubdit: *Pœnitẽtiam agente*, tunc enim pœnitentia, quæ eſt medicina ſacramentalis efficaciter ſanat omnes infirmitates animæ, quando habet in ſe tres conditiones contra tria prædicta peccata, per quas conditiones Deus prouocatus placatur, ſubiectum proprium deordinatum reformatur, proximus damnificatus, vel offenſus reconciliatur, & propter hoc pœnitentia debet eſſe. Primo vt Deus placetur, profunda ex ſubiectionis reuerentia, contra mentalem ſuperbiam Deum prouocantem. Secundo vt ſubiectum proprium reformetur lacrymoſa, ex doloris vehementia, contra carnalem demulcentiam, propriũ ſubiectum deordinantem. Tertio vt proximus reconcilietur ſatisfactoria, ex recompenſationis feſtinantia, contra cordialem maleuolentiam, proximum damnificantem.

Primo pœnitentia debet eſſe profunda ex ſubiectionis reuerentia contra mentalem ſuperbiam Deũ prouocantem, & propter hoc peccatori nomine angeli a iuſtitia cadentis dicitur. *Apoc. 2. b* Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. In hoc verbo Dominus contra peccatum quaſi ægroto primo offert medicinam ſaluti ſpiritualiter neceſſariam per modum diſponentis, & præparantis ſcilicet rememorationem culpæ, & ruinæ, cum dicit: Memento vnde excideris: vt per hoc inducat eum faciliter ad humiliationem, & pœnitentiæ afflictionem. Vnde ſequitur & age pœnitentiam, & prima fac opera. Prima namque opera pœnitentiæ dicuntur, & nobilia fundamẽta humilitatis profundæ eo, quòd ſine fundamẽto humilitatis diuinæ reuerentiæ totum, quod ædificauit cõfeſſionis, & pœnitentiæ ædificium creſcit ruinæ. Vnde Auguſtinus ad Dioſcorum: *Epiſt. 56. circa med. to. 2.* Niſi humilitas omnia, quæ benefacimus texerit, & poſita fuerit, quòd intueatur oppoſita, ſiue concomitata cui adhæreamus, & impoſita, quæ reprimamur iam nobis de aliquo beneficio gaudentibus: totum extorquetur de manu noſtra ſuperbia: Hoc attendens quidem Sanctus Papa cũ cõfitebatur, nolebat ſedere ad latus ſui Capellani, qui eum audiebat, ſed pedibus eius prouolutus quouſque confeſſione completa morabatur: *Exemplum* dicebat enim modo non teneo locum Papæ, ſed peccatoris, & ideo cum recogito omnes defectus meos, neceſſe habeo humiliari. Vnde Bernardus ſuper Cantica: *Ber. in Cãt. ſer. 36.* Quo modo mens mea non humiliatur in hac vana cognitione ſui: cum ſe percipit oneratam peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatam, terrenis curis intricatam, carnalium deſideriorum fœce infectam: cæcam, curuam, & infirmam: ſed certe quicumque propter quamcumque excellentiam, ſiue nobilitatem, dum confitetur, non vult humiliari, & ſubijci ſacerdoti, caueat ſibi ne forte imitetur diabolum: qui cum ſemel veniret ad ſacerdotem, & diceret ei quòd vellet confiteri, non tantum fuerit contentus ſedere ad latus ſacerdotis, immo poſuit ſe ſupra caput eius: cognoſcens vero ſacerdos, Spiritu ſancto reuelante, quia diabolus eſſet, ait ei: totum ædificium tuæ confeſſionis ruinæ creſcit: quia ſine fundamento humilitatis incipitur. *Exemplum* Videns enim diabolus eſſe ſe cõprehenſum a ſacerdote in aſtutia ſuæ fallacis deceptionis, inquit ad ſacerdotem. Et ſi numquam conſecuturus ſum indulgentiam, tamen a me numquam, nec verbo, nec facto doctrinam humilitatis addiſces: quia elatus, & ſuperbus ſum corde. Nec recolo me legiſſe propria iſta verba, ſed horum verborum ſententiam. Secundo debet pœnitentia eſſe lacrymoſa ex doloris vehementia: cõtra carnalem laſciuiam proprium ſubiectũ deordinatam. *2. Cor. 7. c* Vnde: Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Quilibet cum cogitat propter Deum offendiſſe, adeo debet intime dolere, & dure interius colaphizare in corde, vt prorumpat in lacrymas exterius: quia talis triſtitia operatur pœnitentiam in ſalutem ſtabilem: eo quòd inde meremur veniam omnium peccatorum, quibus obligabamur ad æternam pœnam. Vnde Auguſtinus: Aſcendat quilibet aduerſum ſe tribunal mẽtis ſuæ: conſtituat ſe ante faciem ſuam: accuſet conſtituto iudicio in corde ſuo: adſit accuſatrix cogitatio: teſtis conſcientia: carnifex timor: inde quidem ſanguis cum confeſſione profluat: quia ſi nõſmetipſos iudicamus, non iudicabimur. Tertio pœnitentia debet eſſe ſatisfactoria ex recompenſationis feſtinantia contra cordialem maleuolentiam proximum damnificantem. *Luc. 3. b* Vnde: Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. Ille enim dignos fructus pœnitentiæ facit, qui quanto grauiora damna, ſiue corporalia, ſiue ſpiritualia intulit proximo: tanto maiorem recompenſationẽ quàm citius poteſt reſtituere feſtinat: vt vbi abundauit delictum inuidiæ, & maleuolentię inferendo damnum, ibi ſuperabundet gratia beneuolentiæ, & cõcordiæ reſtituendo ablatum: quia numquam remittuntur peccata niſi reſtituantur ablata quæque, & maxime famæ: *Eccls. 7. a* eo quòd melius eſt nomen bonũ quàm vnguẽta pretioſa terræ. Si hoc ponderaret quilibet detractor, qui omnia iudicat, & a nemine vult iudicari: quia numquam dimittitur peccatum culpæ, niſi reſtituatur ablatum famæ, forſitan fratrem ſuum non crucifigeret falſo iudicio malignæ cogitationis in corde, & peruerſo iudicio venenoſo detractionis in ore. Aliquando frater ſuus, quem damnat detractor, eſt valde carus

de carus



de charus Deo interius per gratiam: multum conformis Chriſto per bonam voluntatem, & ſatis propinquus cæleſtibus per meritorum abundantiam.

Tertio notatur lætitia ſupernæ ciuitatis: cum ſubinfertur: *Gaudium eſt angelis.* *Angeli cur gaudeãt de ſalute peccatoris.* Gaudent, & lætantur ſuperni ciues de ſalute peccatoris hominis, propter rationem triplicem. Primo propter beneuolentiæ charitatis latitudinem. Secundo propter angelici caſus reſtaurationem. Tertio propter præmij actualis augmentationem. Primo gaudent angeli de ſalute peccatoris propter beneuolentiæ charitatis latitudinem. Latitudo enim charitatis facit, quòd tantum gaudet angelus de bono proximi quantum de proprio: quia ſuperna ciuitas non coanguſtatur multitudine deſiderantium: quia nulli diminuitur de ſuo proprio præmio, propter multitudinem præſidentium, & exiſtentium, immo inde cuilibet ſua gloria creſcit. Et propter hoc dicitur in hodierno Euangelio: *Luc. 15. c* *Quæ mulier habens drachmas decem: ſi perdiderit drachmam vnam nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat.* Sequitur: *Gaudium eſt angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Mulier eſt diuina ſapientia. Drachmæ vero nouem ſunt nouẽ chori angelici, ſed drachma vna eſt humanum genus, quæ fuit perdita merito primæ præuaricationis. Igitur diuina ſapientia ad quærendam iſtam drachmam, accendit lucernã luce humanitatis: vniendo eam, vel intuendo lumine diuinitatis, & euertit domum aſſumptæ mortalitatis per corporis, & animæ reſolutionem in paſſione, vt per proprium ſanguinẽ inueniat amiſſum hominem. Ex hoc enim magnum gaudium generatur angelis Dei: propter latitudinem perfectæ charitatis, quæ extenditur ad omnes electos. Secundo gaudent angeli de ſalute peccatoris propter angelici caſus reſtaurationem. Quamuis angeli ſint ſuperiores per naturam, tamen ex diuina largitate, & benignitate, quæ ſibi hominem miniſtrauit, contingit aliquos homines in gratia angelis æquiparari, & propter eorum meritorum excellentiam ad ordines angelorum aſſumi, vt eorum exaltatio, ſanctificatio ſit angelicæ ruinæ per quandam æquipollentiam reparatio. De iſto autem gaudio poteſt exponi illud: *Iſa. 51. b* Conſolabitur Dominus Syon, & conſolabitur omnes ruinas eius; & gaudium, & lætitia inuenietur in ea. Syon ſpecula interpretatur, & ſignat cælum empyreum, in quo poſiti ſunt angeli ad ſpeculandam pulchritudinem diuinitatis, cuius ruinas Deus conſolatur, quãdo terrenos homines loco illorum, qui ceciderunt, exaltat ad ordines angelorum. *Pſal. 44. d* Vnde ſuper illud Pſalmi: Conſtitues eos principes, Gloſſa: Pauperes elegit vt exaltaret ad ordines cæli, qui fiunt ex hominibus, & angelis. Tertio gaudent angeli de ſalute peccatoris propter præmij actualis augmentationem: licet non accreſcat angelis gaudium, in quo conſiſtit præmium actuale: quia miniſtrando alijs bona opera merentur præmium actuale: ſuper quo gaudẽt ratione proprij doni, & cum conciues ſuos ad beatitudinẽ producunt ſuper eis abſque dubio gaudent, & congratulantur ratione ſui coniuncti. Vnde licet gaudeant de hominis ſalute: tamen non triſtantur de eius damnatione: eo quòd beati ſuſceptibiles ſunt gaudij, & lætitiæ, ſed non triſtitiæ. Et de iſto gaudio dicitur: *Tob. 14. b* Reuertentur omnes timentes Dominum, & relinquent gentes idola ſua, & venient viri in Ieruſalem, & habitabunt in ea, & gaudebunt in ea omnes Reges terræ. Reuertentur per contritionem omnes timentes Dominum filiali reuerentia: qui auerſi fuerãt a Deo per peccatum, & relinquent gentes idola vanitatum, & venient in Ieruſalẽ concorditer per pacis tranquillitatẽ, & habitabunt in ea per boni operis continuationẽ. Et quia hæc fiũt adiutorio angelorũ, qui ſunt deputati ad noſtrã cuſtodiã: ideo Reges terræ, ideſt angeli, qui regunt per diſpenſationẽ a Deo eis datam: gaudebunt propter accidẽtalis premij augmentationẽ. Rogemus.

# DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

*Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis,* & cetera. *Luc. 5. a* Nauis Simonis eſt Eccleſia Simoni commiſſa. Conſiderandum autem, quòd quadruplex eſt nauis, *Nauis quadruplex.* videlicet, crux triumphalis, mens rationalis, pœnitentia ſalutaris, Eccleſia vniuerſalis. De prima: *Mat. 8. c* Aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Et ecce motus magnus, *et cet.* Gloſſa: Nauicula eſt crux Chriſti, cuius beneficio ad littus patriæ cæleſtis venimus. Vnde: *Sap. 14. a* Exiguo ligno credunt homines animas ſuas tranſeuntes mare, & per ratem liberati ſunt. Iſidorus: Quocumque metu procellis mundi inuolueris, lignũ aſcende crucis, vt a mari, ideſt tempeſtate ſæculi libereris. In hac naui Chriſtus obdormiuit moriendo. De tempeſtate circa hanc nauim orta, dicitur quòd *Mat. 27. f* tenebræ factæ ſunt, petræ ſciſſæ ſunt, & velum templi, *et cetera.* Nota quòd in tempeſtate ſolent homines iniuriantibus ignoſcere, ſicut & Chriſtus: Pater dimitte illis, *et cetera.* *Luc. 23. e* In quo exemplum dedit nobis ignoſcendi alijs. Item ſolent Chriſtum inuocare, ſic & Chriſtus: Deus Deus meus, *et cet.* *Mat. 27. f* Item ſolent homines ſe exonerare, ſic & Chriſtus veſtem & ſanguinem, & animam. Sicut enim Ionas de naui ad ſalutem aliorum proiectus, in ventrem ceti venit, *Ion. 2. a* ſic anima Chriſti de naui crucis in ventrem inferni deſcendit. De ſecundo: *Iob. 9. c* Dies mei tranſierunt, ſicut naues poma portantes. Dies & naues ſunt mentes, vel animæ fideles, poma ſunt virtutes, & opera redoleſcẽtia. Nota quòd exoneranda eſt hæc nauis ab omni peccato, & iniuſta poſſeſſione, ne mergatur in damnationem: *Act. 27. c* Sequenti die iactum fecerunt, & tertia die ſuis manibus armamenta nauis proiecerunt. Auguſtinus: Naufragium fugis, & plumbum amplecteris. Item effundenda eſt aqua concupiſcentiæ in confeſſione, quæ per rimas ſenſuum intrat: *Thren. 2. f* Effunde ſicut aquam cor tuum. Item regenda eſt cum ſolicitudine propter diuerſa pericula. *Pſal. 113.* Pſalmiſta: Hoc mare magnum, *et cet. vſque*, illic naues pertranſibunt. Ambroſius: Valde nobis pertimeſcendum eſt, ne nauem noſtram, aut procella tempeſtatis abripiat, aut fluctibus abſorbeat, aut in æternam prædam pirata crudelis abducat. De tertio: *Iſa. 60. b* Me expectant inſulæ, & naues maris in principio, vt abducam filios tuos de longe. Peccatores ſunt longe elongatione culpæ, morantur in inſulis falſæ ſecuritatis, adducuntur per naues pœnitentiæ, vt fiant filij Eccleſiæ: *Iſa. 60. a* Flij tui de longe venient. Nota quòd ſicut homo, qui relinquit nauem: ſic qui relinquit pœnitentiam ſubmergitur, immo cum Iona a piſce diabolo deglutitur. *Ion. 2. a* Teneat ergo ſe in pœnitẽtia, qui non vult ſubmergi in culpam. *Hieron. in 3. cap. Iſa. to. 4.* Hieronymus: Pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium. Item ſicut motus nauis, ſic motus pœnitentiæ vomitum prouocat in confeſſione: *Eccli. 31. c* Vome & refrigerabit te. Item ſicut in vltimo periculo nauis, quando iam aqua intrat in nauem, ita conſtanter pœnitentes clamare debent in oratione. *Pſal. 68. a* Pſalmiſta: Saluum me fac, *& cet.* De quarto: *Prou. 31. b* Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, *et cet.* In hac Chriſtus adoratur, *et cet.* *Mat. 14. d* Qui autem in nauicula erant, venerunt & adorauerunt, *et cet.* De hac in præſenti Euangelio dicitur: *Luc. 5. a* Vidit duas naues, *et cet.* quæ ſignificant Eccleſiam & ſynagogam. Nota quòd nauis Eccleſiæ habet gubernaculum fidei dirigentis: *Iac. 3. a* Naues cum magnæ ſint, modico gubernaculo circumferuntur, vbi impetus dirigentis voluerit. Magnæ naues ſunt omnes Eccleſiæ. Mirabile gubernaculum eſt fides, quæ

nauem

nauem Eccleſiæ per mare, & per terram, ideſt per ad-
Heb. 11. f uerſa, & proſpera dirigit: Fide tranſierunt mare ru-
Idem. 6. d brum, tamquam per aridam terram. Item habet an-
choram ſpei ſtabilientis: Firmiſſimum ſolatium ha-
beamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam
ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam,
& firmam. Gregorius: Quamuis adhuc rerum per-
turbationibus animus fluctuetur, tamen ſpei veſtræ
anchoram in æternam patriam figite, intentionem
æterna luce ſolidate. Item habet velum charitatis tra-
Ezec. 27. a hentis: Byſſus varia de Ægypto texta eſt in velum, vt
poneretur in malo, ideſt in Chriſto. Ad modum enim
velaminis quando charitas malo, ideſt Chriſto forti-
ter adhæret, quanto magis ventis tribulationum im-
pellitur, tanto citius ad portum ſalutis æternæ per-
uenitur.

## SERMO II.

Luc. 5. b *Concluſerunt multitudinem piſcium copioſam*,
ſcilicet Petrus & ſocij eius: Multitudo pi-
ſcium, eſt multitudo hominum concluſa
per rete fidei. Conſiderandũ autem, quòd
eſt quadruplex multitudo hominum. Quædam in
culpa, quædam in gratia, quædam in gloria, quædam
in gehenna. Prima eſt multitudo impiorũ, ſecunda iu-
ſtorum, tertia beatorum, quarta damnatorum. De
Ioan. 5. a prima: In his iacebat multitudo languentium. Nota
hiſtoriam. Piſcina eſt pœnitentia, qua lauamur a ſor-
dibus peccatorum, quæ aqua gratiæ, & lacrymarum
per aquæductum timoris, vel amoris reſpicit. Vnde
& ibi diabolus maxime inſidiatur. Vnde bene de Rap-
Iſa. 36. a ſace, ideſt de raptore animæ dicitur: Stetit in aquæ-
ductu piſcinæ ſuperioris. Piſcina inferior eſt pœni-
tentia, quæ eſt timore gehennæ. Piſcina vero ſuperior
eſt, quæ amore patriæ eſt. Quinque porticus ſunt
quinque ſenſus, in quibus iacet per carnalia deſide-
ria multitudo languentium in mala conſuetudine, &
cæcorum, qui lumen veritatis non habent in cogni-
tione, & claudorũ, qui greſſum æquitatis non habẽt
in operatione, & aridorum, qui humorem pietatis
non habent in affectione. Angelus autem eſt doctor,
qui mouet aquam, dum mouet ad compunctiones,
Ier. 9. a vel ad lacrymarum gratiam: Quis dabit capiti meo
aquam, *et cetera*. Hieronymus: Et ille doctor Eccle-
ſiaſticus eſt, qui lacrymas non riſum mouet. Flendum
certe eſt, quòd tanta multitudo iaceat in porticibus,
& tam pauci deſcendant in piſcinam. Multi enim heu
Act. 4. f ſunt peccantes, & pauci pœnitentes. De ſecundo:
Multitudinis credentium erat cor vnum, *et cetera*. O
quàm diſſimilis eſt nunc multitudo credentium, quo-
rum non eſt cor vnum. Alius enim ſuperbum, alius
auarum, alius luxurioſum habet cor. Tales tamen
Chriſtiani nominantur. Bene ergo ſunt nomine non
corde, ſicut vulpes Samſonis coniunctæ caudis fauci-
bus diuiſæ erant. Multitudo credentium hic per rete
fidei concluditur, & duas nauiculas implet, ſcilicet
Rom. 11. c Eccleſiam de Gentibus, & de Iudæis: Donec plenitu-
do gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.
Vel prima nauis eſt innocentia, ſecunda pœnitentia.
Hier. in ca. Hieronymus: Pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt nau-
1. Iſaia to. fragium. His nauibus fideles tamquam nobilia poma
4. de arbore crucis collecta ad patriam ducuntur: Dies
Iob 9. c mei tranſierunt, quaſi naues poma portãtes. O quan-
ta etiam rubra martyrum poma ad patriam ſunt por-
tata? Auguſtinus: In cæleſtem menſam ſpiritus mar-
tyrum tamquam de horto Dominico multa, & ſuauiſ-
ſima poma tranſierunt. Hortum Dominicũ dicit Ec-
Pſal. 146. a cleſiã. De tertio, Pſalmiſta: Qui numerat multitu-
dinem ſtellarum, *et cet.* Stellæ ſunt ſancti in cælo.
Quid mirum ſi numerat illos, quorum numerat capil-
Luc. 12. a los. Capilli capitis, *et cet.* O felix multitudo, in quà
eſt tanta vnio. Anſelmus: In illa perfecta charitate in-
numerabilium angelorum, & hominum, vbi nullus di-
A ligit alium aliter quàm ſeipſum: nec aliter gaudebit
quiſque pro ſingulis, quàm pro ſeipſo. Omnibus au-
tem ſtellis Dominus nomina vocat, quia nominatim
omnium ſanctorum notitiam habet. Gaudete, quoniã Luc. 10. d
nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis, *et cet.* Econtrario
Dominus non vocat nomina impiorum approbando.
Pſalmiſta: Nec memor ero nominum eorum, *et cet.* Pſal. 15. b
Patet hoc in Lazaro, quem nominauit, & in diuite, Luc. 16. e
cuius nomen tacuit. Multi ergo per tyrannidem, &
malitiam, & vanitatem vocauerunt nomina ſua in ter-
ris, quorum nomina deleta ſunt in cælis. Pſalmus: No-
mina eorum delesti in æternum. De quarto ibi: Aſſur, Pſal. 9. a
B & omnis multitudo eius: vbi enumerauit propheta Ezec. 32. e
deſcendentes ad terram vltimam, id eſt ad locum in-
ferni, dicens quòd ibi Pharao, Aſſur, Elam, Moſſot, Tu
bal, Idumæa, & omnes Principes aquilonis, & omnes
multitudines eorum. Pharao denegans, & diſſipans in-
terpretatur, & ſignificat hæreticum, qui veritatem ne-
gat, & fideles diſſipat. Aſſur interpretatur nemus, &
ſignificat cumulatorem peccatorũ, qui abundant pec-
catis, ſicut nemus lignis. Sicut nemus horribiliter ar-
det, ſic talis peccator in inferno. Elam interpretatur
ſuperliminare. Oſtium autem diaboli in infernum
luxuria eſt, cuius limen eſt ſimplex fornicatio: poſtes
C autem adulterium: ſuperliminare peccatum contra
naturam. Moſſot interpretatur capiens, & ſignificat
deceptorem animarum, ſicut malum conſiliarium, vel
meretricem, & huiuſmodi, qui capiunt animas. Tubal
interpretatur deſerẽs, & ſignificat apoſtatam, vel quẽ-
libet deſertorem fidei, vel profeſſionis, & huiuſmodi.
Idumæa interpretatur ſanguinea, & ſignificat quemli-
bet homicidam, & quemlibet conſilio, vel facto fun-
dentem ſanguinem humanum. Princeps aquilonis
ſunt, qui in omnibus generibus vitiorum ſunt excel-
lentes.

D

## SERMO III.

*Ex hoc iam eris homines capiens*. Vtinam ego Luc. 5. b
miſer peccator hodie vnum piſciculum,
vnum hominem Domino meo Ieſu Chri-
ſto capere poſſem. Conſiderandum autẽ,
quòd capiũtur homines a diabolo, a pro-
ximo, a Deo. De primo, Pſalmus: Cœperunt animã Pſal. 58. a
meam. Nota quòd capturæ fiunt, retibus, dentibus,
manibus. Sic diabolus capit homines retibus, vel la-
queis malarum cogitationum. Irretientur, & capien- Iſa. 8. c
tur, irretitur homo cogitationibus, capitur conſenſu. Prou. 5. d
E Iniquitates ſuæ capiunt impium, *et cet.* Vnde ſicut pi-
ſces, & aues, & mures eſca decipiuntur, vt capiantur:
ſic anima eſca voluptatum, vel rerum temporalium.
Auguſtinus: Res cum vis capere, peris in muſcipula,
cum enim tenes alienum, teneris a diabolo. O quàm
hoſtiles venatores ſunt dæmones. Venatione cœperũt Thren. 3. f
me quaſi auem inimici mei gratis. Item dẽtibus ma-
larum locutionum ſicut Lupus, vel Leo prædam. Leo Ezec. 19. a
factus eſt, & didicit capere prædam, hominesq. deuo-
rare. Quid enim ſunt detractiones, contentiones, per-
ditiones, blaſphemiæ, periuria, mendacia, & verba lu-
xurioſa, niſi dentes diaboli? Pſalmus: Benedictus Do Pſal. 123. a
F minus, qui non dedit nos in captionem, *et cetera*. Ma-
gis deflendi ſunt, qui a diabolo, quàm qui a Lupo ra-
piuntur. Deducet oculus in lacrymam, quia captus eſt Ier. 13. c
grex Domini. Item capiuntur manibus malarum ope-
rationum. Manu capiemini. Qui autem viuentes ca- Ezec. 21. f
piuntur manu diaboli ad culpam, ipſi morientes ca-
pientur manu diaboli ad gehennam. Sedechiæ, id eſt
peccatori, dicitur: Comprehenſione capieris, & in Ier. 34. f
manu eius traderis, & oculi tui oculos Regis Babylo-
nis videbunt, id eſt diaboli in egreſſu animæ de cor-
pore. Omnis, qui egreſſus fuerit ex eis, capietur, *&c.* Ier. 5. b
De ſecundo: Nota quòd capit homo hominem tripli-
citer, videlicet calumniando. Conſiliũ inierunt, vt ca- Mat. 22. b
perent Ieſum in ſermone: immo cœperũt eum etiam
corpo-



Thren. 4. d corpore: Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis no-
ſtris. Sed certe multi ſocij Chriſti capiũtur ab iniquis,
vel calũnia, vel corporali violentia innocenter, ſicut de
Ezec. 22. e quibuſdã iniquis conqueritur Dominus: Sicut leo ru-
giens, & rapiens prædam animas deuorauerunt: opes
& pretium acceperunt, viduas multiplicauerunt, *et cet.*
Prou. 6. c Item ſcandalizando: Mulier autem viri pretioſam
animam capit. Non ſolum laſciuæ mulieres, immo
hæretici, mali conſiliarij, iniqui ſocij, prædicatores
quæſtuarij, adulatores, & omnes ad peccatum trahen-
tes capiunt animas hominum. Vel tales ſunt venato-
Ier. 5. f res, vel laquei diaboli: Iniquitates veſtræ prohibue-
runt bonum a vobis, quia inuenti ſunt in populo meo B
impij inſidiantes, & aucupes laqueos ponentes, & pe-
dicas ad capiendos viros. De talibus autem Iſidorus:
Deteriores ſunt, qui ſuis doctrinis, ſiue exemplis mo-
res bonorum corrumpunt, ijs, qui ſubſtantiam præ-
damq. diripiunt. Item prædicando, vt hic dicitur: *Ex
hoc iam eris homines capiens*, & quia conuerſi ad Do-
minum ſocios, qui ſe traxerunt ad culpam ſæpe retra-
hunt verbo, vel exemplo ad pœnitentiam, ideo dici-
Iſa. 14. a tur: Erunt capientes eos, qui ſe ſeparant. Re vera
enim qui hic alios capiunt, vel corrumpunt per cul-
Cant. 2. d pam, Dominus vult capi per pœnitentiam: Capite no-
bis vulpes, *et cet.* De tertio. Nota quòd Dominus ca- C
pit homines tripliciter, videlicet in inferno per ani-
Pſal. 57. d mam ſuam deſcendentem. Pſalmiſta: Cepiſti capti-
uitatem. Item in mundo per gratiam attrahentem:
Iob 10. c Propter ſuperbiam, quaſi leænam capies me. Nota
quòd ouis ad lignum ſuper foueam profundam liga-
tur, vt leæna currens ad prædam, cadat in foueam.
Iſa. 53. c Ouis innocens Chriſtus eſt: Sicut ouis ad occiſionem
ducitur. Propter ſuperbiam ergo commiſſam in para-
diſo, vel quæ quotidie in tranſgreſſione mandatorum
Dei committitur in mundo, hæc ouis ligatur ad lignũ
crucis, vt ſuperbus tranſgreſſor ad gratiam crucifixi
Iſa. 2. c currens, cadat in foueam pœnitentiæ: Abſcondere in D
foſſa humo a facie timoris Domini. O quàm miſera-
bile eſt, quòd peccator non poteſt capi hamo mortis,
Iob 40. c quem diabolus euadere non potuit: Quaſi hamo ca-
piet eum. Item in iudicio per ſententiam conſtringen
Eccls. 9. c tem, vel in extremo per mortis laqueum: Sicut piſces
capiuntur hamo, & ſicut aues capiuntur laqueo, ſic
capiuntur homines in tempore malo. Interlinearis,
iudicij vel mortis. Poteſt autem hoc verbum non ſo-
lum de Deo, ſed etiam de diabolo capiente intelligi.

## SERMO IV.

Luc. 5. b *Relictis omnibus ſecuti ſunt eum*. Quoniam
Chriſti doctrina ab altitudine pauperta-
tis ſumpſit exordium, & Euangelicæ per-
fectionis primarium fundamentum ſe-
curitate paupertatis firmiter collocatur:
Hinc eſt quòd Chriſti Apoſtoli ſancti Euangelij pro-
feſſores, in quibus Dominus fundaturus erat Eccleſiã,
oſtenduntur omnia reliquiſſe in verbo propoſito, cum
dicit: *Relictis omnibus ſecuti ſunt eum*. In quo quidem
verbo duo notantur cuilibet neceſſaria ad ſalutem.
Primum eſt deſertio impedimenti retrahentis. Se-
cundum eſt adeptio complementi expedientis. Primo
in verbo propoſito notatur contemptus terrenorum,
cum dicit: *Relictis omnibus*. Licet non omnes tenean-
tur relinquere omnia quantum ad effectum, niſi per-
fecti, qui voto paupertatis ſunt aſtricti, tamen omnes
tenentur relinquere omnia, quantum ad affectum,
ne eorum amore ſuperati cor ſuum circa defluentes
diuitias apponant, & peruerſo ordine creaturam ſu-
pra Deum diligant. Secundo notatur appetitus æter-
norum, cum ſubdit: *Secuti ſunt eum*.

Dicit ergo: *Relictis omnibus*: vbi notatur deſertio
impedimenti retrahentis. Apoſtoli namque tamquàm
veri legati, vt eſſet eorum ſimilitudo ad legantem
Chriſtum, ad amouendum quodlibet retrahẽs impe-
A dimentum, reliquerunt omnia. Primo tamquam
pondera prægrauantia, vt eſſent expeditiores ad cur-
rendum poſt Chriſtum. Secundo tamquam vincu-
la detinentia, vt eſſent ſecuriores ad arguendum ma-
lum. Tertio tamquam obſtacula præpedientia, vt eſ-
ſent efficaciores ad perſuadendum bonum. Primo re-
liquerunt omnia tamquam pondera grauantia, vt ex-
peditiores eſſent ad currendum poſt Chriſtum, qui Pſal. 18. a
exultauit, vt gigas ad currendum viam Euangelicæ
perfectionis, eo quòd fuit ſine omni pondere terre-
neitatis. Nam a principio ſuæ natiuitatis paupertatem
in ſuo corpore conſecrauit, in mundo cum pauperri-
B mis hominibus pauperrime conuerſatus, & aſſocia-
tus, in fine vero nudus in cruce poſitus fuit, & poſt
reſurrectionem in ſpecie peregrini apparuit. Qui er-
go debet eſſe Chriſti legatus debet ſicut ipſe ambula-
uit, & ipſe ambulare, alioquin qui ambulant in curri-
bus, & in equis faleratis, in pompis & diuitijs, non
eſt ſucceſſor, nec legatus Chriſti, qui non habet in ſua
vita paupertatis ſignum Chriſti, qui eſt legationis ap-
probatum ſigillum. Hoc attendens Petrus dixit ad
Dominum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſu- Mat. 19. d
mus te, quid ergo erit nobis: Ieſus autem dixit? Amen
dico vobis quòd vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti
C eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis
in ſede maieſtatis ſuę, ſedebitis, & vos ſuper ſedes duo-
decim iudicantes duodecim tribus Iſrael. Petrus enim
erat piſcator & pauper, arte & manu cibum quærebat,
& cum confidentia allegat multum, cum dicit: Ecce
nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, & expla-
nat præmium, cum dicit: Quid ergo erit nobis præ-
mij? & hoc eſt, quia ſicut dicit Gregorius: Tanta a
ſequentibus dimiſſa ſunt, quanta a non ſequentibus
concupiſci potuerunt. Bene ergo feciſti Petre, & ce-
teri Apoſtoli omnia relinquendo, quia per hoc maxi-
mum conſecuti eſtis præmium. Non enim pro certo
D aliter obtinuiſti principatum fidei Chriſtianæ, quia
numquam in vobis Dominus fundaturus erat Eccle-
ſiam, niſi vos primo ad illud fundamentum reduxiſ-
ſet, & in eo firmaſſet, nec ad ſedes iudiciariæ poteſta-
tis ſublimaſſet. Nam hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ
paupertatis, quæ vos Apoſtolos heredes, & reges regni
cælorum conſtituit pauperes rebus fecit, virtutibus
ſublimauit. Certe nec eſt mirum ſi ita ſublimiter in-
tronizauit, & magnificauit eos altitudo paupertatis.
Nam ſicut videmus in iſtis materialibus quòd tanto
ille aſcenſus altior, quanto id quod aſcendit fuerit
leuius & purius: ſic & in ſpiritualibus tanto aſcenſus
E altior, quanto quod aſcendit a terrena cupiditate eſt
purius, & virtute gratiæ plenius. Secundo reliquc-
runt omnia tamquam vincula detinentia, vt eſſent ſe-
curiores ad arguendum malum. Apoſtoli namque
nemini, amore acquirendi, vel timore amittẽdi quaſi
quibuſdam vinculis detenti, parcebant, neque veri-
tatem tacebant, immo veritatis iaculis tam magnos
quàm pueros æque feriebant. Metus enim terrenæ
poteſtatis, & quæſtus mundanæ cupiditatis, generant
in hominibus, qui nolunt relinquere iſta terrena, am-
biguum ſimilitudinariæ falſitatis. Malunt ſtudere
adulationi & cupiditati, quàm aſſiſtere veritati. Et
F propter hoc Mathathias, & eius filij ne forte menda-
cijs regis Antiochi, qui inducebat Iudæos ad idolatriã,
conſentirent, poſtquam eius nuncium conſtanter re-
darguerunt, & in zelo legis, & veritatis interfecerunt
relinquẽtes omnia in ciuitate ad ſecuritatem pauper-
tatis confugerunt. Vnde de his dicitur: Exclamauit 1. Mac. 2. c
Mathathias voce magna dicens in ciuitate: Omnis qui
zelum habet legis ſtatuens teſtamentum, exeat poſt
me: & fugit ipſe & filij eius in montem, & relinque-
runt quæcumque habebant in ciuitate. Glorioſius re-
putabant iſti beati viri cum veritate deijci quàm ma-
gnificari cum falſitate. O quàm glorioſum eſt mori
pro veritate, quæ & ſi non conuertat audientem, co-
ronat tamen prædicantem. O Deus vtinam eſſent
hodie

hodie multi Mathathiæ, multi Ioannes Baptiſtæ, & multi Pauli Apoſtoli, qui non tacerent veritatem principibus, & præcipue prælatis. Nullorum enim vita magis nocet quàm principum, & maxime prælatorum. Vnde Gregorius: Nemo in Eccleſia magis nocet quàm qui peruerſe agens nomen, vel ordinem dignitatis, ſiue ſanctitatis tenet. Delinquentem namque habens redarguere, vel præſumit, & in exemplũ culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Tertio reliquerunt omnia tamquam obſtacula præpedientia, vt eſſent efficaciores ad perſuadendum bonum. *Mat. 4. c* Vnde: Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum: at illi cõtinuo relictis omnibus ſecuti ſunt eum. Ecce quòd Apoſtoli ad hoc, quòd efficaciter piſcarẽtur homines, reliquerunt omnia terrena, ne obſtaculum, ſiue impedimentũ illis quos piſcaturi erant, præberent. Nam ſicut melius perſuadet vita quàm ſigna, & exempla quàm verba, ſic efficacius perſuadet contemptus mundi, & mortificatio carnis. *Galat. 5. d* Et qui pauper eſt, & carnem ſuam crucifigit cũ vitijs, & concupiſcentijs quàm qui diues eſt, & carnem ſuam nutrit, & fouet in delicijs. Quis enim Apoſtolis de contemptu mundi credidiſſet, ſi eos amatores mundanorum vidiſſet? Si enim Apoſtoli quæſtores, & congregatores diuitiarem fuiſſent, totus mundus ab eis fugiſſet, vel ſaltem per eorum conuerſationem ab amore Dei elongatus fuiſſet. Nunc autem rete paupertatis attraxit ad amorem, & laudem Dei quando eorum exemplo deſtru- *1.Tim.6. b* cta mundi cupiditate, quæ eſt radix omnium malorum, inſerebatur cordibus fidelium Chriſti paupertas, quæ eſt primarium fundamentum omnis boni. Non enim aliter fundauerunt Apoſtoli Eccleſiam, niſi per ſpiritum paupertatis, quia non exercitu equorum, & robore diuitiarum mundum conuerterunt, immo pro auro, & redditibus ſalus viluit. Sed ne forte commendatio paupertatis videatur reſultare condemnationem temporalium Eccleſiæ: ideo bonum eſt dicere quòd temporalia Eccleſiæ bene ſunt pro tempore toleranda, & etiam quoquomodo affectanda propter multiplicem cauſam. Videlicet propter ſponſi honorem, ſponſæ decorem, viatorum ſuſtentationem, pauperum prouiſionem, infirmorum conſolationem, & fidelium deuotionem, & etiam propter vſum communitatis. Et cum propter iſtas cauſas tolerantur non diminuunt in prælatis perfectionem, ſed ſi bene diſpenſentur meritum augent, & ſi male, occaſionem damnationis præſtant.

Secundo notatur in verbo propoſito adeptio complementi expedientis, cum dicit: *Secuti ſunt eum.* Secuti ſunt Apoſtoli Chriſtum tamquam finem, & complementum omnis boni tripliciter. Primo humiliter ſine ſuperbia, propter ſplendorem internæ cognitionis. Secundo concorditer ſine inuidia, propter amorem ſupernæ conuerſationis. Tertio perſeueranter cum conſtantia, propter tolerantiam continuæ afflictionis. Et ſic Apoſtoli ſequentes Chriſtum per hæc tria perfecte reducebantur ad beatam Trinitatẽ. Nam per ſplendorem claritatis internæ dirigentis rationalem reducebantur ad ſapientiam Filij. Per amorem charitatis ſupernæ rectificantis concupiſcibilem, ad beneuolentiam Spiritus ſancti. Per vigorem virilis conſtantiæ ſtabilientis iraſcibilem, reducebantur ad potentiam Patris æterni, & hæc tria ſcilicet intelligentia diuinorum, concordia proximorum, & tolerantia aduerſorum, ſunt neceſſaria ad ſalutem. Primo ſecuti ſunt Chriſtũ humiliter, ſine ſuperbia propter ſplendorem internæ cognitionis. Nam ſplendorem intelligentiæ humilitas aperit, ſuperbia claudit, quæ dum inflat obnubilat, & priuat a lumine verita- *Ioan. 8. b* tis. Et de hoc dicitur: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Ego ſum vera lux mundi, quia non aliunde accipio, immo de fonte meæ ſapiẽtiæ quodlibet aliud

A lumen creatum ſcaturit. Et ideo qui ſequitur me per humilem ſubiectionem, non ambulat in tenebris erroris & ignorantiæ, ſed habebit lumen gratiæ viuificantis affectiuam, & illuſtrantis intellectiuam. Secundo ſecuti ſunt Chriſtum concorditer ſine inuidia, propter amorem ſupernæ conuerſationis. Vnde: Chri- *1. Pet. 2. d* ſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. O verbum dilectiſſimum! O verbum veriſſimum, & omni memoria, & laude dignum, quoniam Chriſtus paſſus eſt pro nobis purgandis ab omni iniquitate. Vobis relinquens exemplum charitatis, & beneuolentiæ, vt ſequamini veſtigia eius B ad ſummam perfectionem deducendo. Si enim quæratur. Quid filium Dei mouit ad patiendum pro nobis, non inuenitur alia cauſa, quàm eius beneuolentia, & charitas miſericordiſſima. Vnde dicitur: In *1. Ioan. 3. c* hoc cognoſcimus charitatem Dei, quoniam ipſe pro nobis animam ſuam poſuit. Sed quia iſtud exemplũ tantæ beneuolentiæ, eſt imitatione dignũ, ideo adiunxit: & nos debemus pro fratribus animam ponere, *Ibid. c* quod bene adimpleuerunt Apoſtoli quando præpoſita ſibi maleuolentia inuidiæ, animas ſuas libenter pro ſalute omnium electorum poſuerunt. Et propter hoc quilibet eorum poteſt dicere illud: Veſtigia eius ſe- *Iob 23. c* C cutus eſt pes meus. Veſtigia inquam eius charitatis, & beneuolentiæ ſecutus eſt pes meus affectuoſæ dilectionis, eo quòd gloria magna eſt ſequi Dominum in charitate perfecta. Tertio ſecuti ſunt Chriſtum perſeueranter cum conſtantia, propter tolerantiam continuæ macerationis. Vnde: Qui vult venire poſt me *Luc. 9. c* abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui vult venire poſt me humilem, & mortificatum, abneget ſemetipſum per humilem ſubiectionem, & tollat crucem ſuam continuæ macerationis, & ſequatur me, perſeueranter vſque ad æterni palatij ingreſſionem. Et bene præmittitur in illa cruce D humilitatis ſubiectio, quia intelligitur per abnegationem propriæ voluntatis amaritudo pœnitentiæ, & mortificationis, aliquando perditur per ſuperbiam, aliquando per gulam. Et propter hoc ſi volumus perfecte tollere crucem mortificationis, debemus eſſe humiles in corde, & abſtinentes in ore. Rogemus.

# DIMINICA QVINTA POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

E OMnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. *Mat. 5. c* Volens Dominus noſter Ieſus Chriſtus retrahere genus humanum a furore iracundiæ animum deordinantis, ne prorumpat in damnũ proximi, tamquam iudex rectiſſimus in verbo propoſito cuilibet iraſcenti fratri ſuo prænunciat pœnam æterni iudicij, cum dicit: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo,* & cet. In quo quidem verbo valde ordinate proceditur. Nam Primo deſcribitur pecca- F tum iracundiæ, quantum ad interiorem originem quam habet ex malo animo. Secundo quantum ad exteriorem diffuſionem, ſiue operationem, quam habet in ſuo proximo, ſiue obiecto. Tertio quantum ad finalem ordinationem quam habet in æterno ſupplicio. Primo deſcribitur peccatum iræ, quantum ad interiorem originem quã habet ex malo animo, cum dicit: *Omnis qui iraſcitur,* Gloſſa: Ira eſt malus motus ad nocendum, qui ſi ſubitus eſt, cui non conſentitur, propaſſio dicitur: paſſio vero accedente conſenſu. Sed omnis motus, ſiue bonus, ſiue malus bonitate morali habet originem ab anima. Secundo deſcribitur peccatum iracundiæ, quantum ad exteriorem diffuſionem, ſiue operationem, quam habet in ſuo



ſuo proximo: cum ſubdit: *fratri ſuo.* Iraſcitur homo cum inordinate mouetur in ſeipſo interius: ſed fratri ſuo cum ille malus motus verbo, vel facto ad nocendum proximo prorumpit exterius. Tertio deſcribitur peccatum iracundiæ quantum ad finalem ordinationem, quam habet in æterno ſupplicio, cum ſubinfertur: *reus erit iudicio.*

Primo ergo deſcribitur peccatum iracundiæ quantum ad interiorem originem, quam habet ex peruerſo animo, cum dicitur: *Omnis qui iraſcitur fratri.* Tria quæ animã perturbant. Tria namque ſunt, quæ perturbant animam ſecundũ omnem ſui potẽtiam vt cauſa, & origo iræ, & furoris. Primum eſt error cæcitatis ignorantiæ ex defectu veritatis diſcernendæ. Secundum eſt liuor malignitatis, & inuidiæ, ex defectu charitatis fraternæ. Tertium eſt furor crudelitatis, & vindictæ, ex defectu pacis, & concordiæ. Primum eſt in rationali. Secundum in concupiſcibili. Tertium in iraſcibili. Primo in homine, qui iraſcitur, eſt error cæcitatis, & ignorantiæ quantum ad rationalem ex defectu veritatis diſcernẽ- *Eccli. 1. c* dæ. Vnde: Ira animoſitatis illius, peruerſio illius eſt. Ita enim peruertitur, & conturbatur in ira oculus rationis, vt animo non videat: vel diſtorquetur, vt peruerſe aliud pro alio probet, & improbet, & falſa pro veris approbet. Vnde auctor:

*Cato. Par. 2.* *Impedit ira animum ne poſſit cernere verum.*

Nec cognoſcere, quàm charus ſit frater ſuus Deo, ſpecioſitate virtutum: quàm diues interius, fœcunditate bonorum operum: & quàm propinquus angelis per appetitum cæleſtium eo quòd in multis probatur, in diuerſis confunditur, & in contrarijs irritatur. Secundo in homine, qui iraſcitur, eſt liuor malignitatis inuidiæ, quantum ad concupiſcibi- *Prou. 29. d* lem ex defectu charitatis fraternæ. Vnde: Qui facilis eſt ad indignationem & iram, erit ad peccata procliuior. Sicut enim omnium virtutum incrementum pendet a charitate: ſic omnia vitia ſumunt incitamentum ex furore iræ. Vnde qui facilis eſt ad iram propter liuorem inuidiæ: erit ad omnia facinora, & nocentia proximi procliuior. Vnde gloſſa ſuper illud: *Prou. 15. c 29. d. Idem infra ſer. 1. Dom. 7. poſt Pent.* Vir iracundus ſuſcitat rixas. Dicit ſic: Ianua omniũ vitiorum eſt iracundia: qua clauſa virtutibus intrinſecus datur requies, & aperta ad omne facinus armabitur. Tertio in homine, qui iraſcitur eſt furor iracundiæ, quantum ad concupiſcibilem, ex defectu pa- *Prou. 27. a* cis, & concordiæ. Vnde: Ira non habet miſericordiã, nec erumpẽs furor. Iracundi enim ratione furoris nõ ſunt dicendi homines, ſed potius feræ furibundæ: eo quòd admodum ferarum ſunt, ſine miſericordia ſugentes ſanguinem aliorum: & propter hoc dabit bo- *Prou. 8. d* num conſilium Sapientia: Cum iracundo non facias rixas, & cum audace non eas in deſertum: quoniam nihil eſt ante eum ſanguis.

Sequitur: *fratri ſuo,* vbi ſecundo deſcribitur peccatum iræ quantum ad exteriorem diffuſionem quam habet in ſuo proximo. Vnde primo eſt iraſci, & hunc motum in animo retinere, deinde fratri: cũ ille mo- Quot modis aliquis iraſcatur fratri ſuo. tus ad nocendum exterius prorumpit. Iraſcitur enim aliquis fratri ſuo tripliciter, ſecundum tria inſtrumẽta corporis, ſcilicet cordis, oris, & manus. Nam Primo iraſcitur aliquis fratri ſuo peruerſo iudicio malignæ cogitationis in corde. Secundo duro verbo iniurioſæ conuiciationis in ore. Tertio prauo maleficio fraternæ læſionis in opere. Primo iraſcitur aliquis fratri ſuo peruerſo iudicio malignæ cogitationis in corde. Hanc interiorem cogitationem illicitam & commotionem remouet Dominus, cum dicit in hodierno Euangelio: Ego autem dico vobis: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo.* Intelligitur expoſitio ſic, id eſt plus addo, quàm non occidere, ſcilicet, non iraſci. Nã qui non iraſcitur non ſoluit, ſed perfectius implet. Vnde gloſſa dicit: Mandatum Chriſti non eſt cõtrarium legi, ſed latius in eo continetur. Nam qui non iraſcitur non occidit, ſed æqua licentia iraſcendi cau-

A ſa eſt homicidij. Et propter hoc Dominus aperit omnem motum animi ad nocendum in homicidium cõputari. Certe ſi hoc attenderet quilibet, numquam in animo contra fratrem ſuum iracundiam retineret: numquam maligna cogitatione ei patibulum in domo cordis pararet: ſicut Aman parauit Mardocheo, *Eſther. 7. d* in domo ſua, & tamen iracundus Aman tãquam homicida ſuſpenſus eſt, non Mardocheus. Tamen cum ira, quæ eſt ex cauſa non eſt commotio illicita, ſed iudicium: eo quòd non iraſcitur fratri ſuo, ſed vitio, ſecundum quod dicit gloſſa. Vnde in Pſalmis: Iraſci- *Pſal. 4. a* mini, & nolite peccare. Secundo iraſcitur aliquis fra- B tri ſuo duro verbo iniurioſæ conuiciationis in ore. Et hunc motum exteriorem remouet Dominus cum dicit: Omnis qui dixerit fratri ſuo racha, vel fatue, quod fit quando motus interior prorumpit in vocem exteriorem. Vnde gloſſa dicit quòd racha eſt interiectio indignantis, exprimẽs nomen hebræum, quod interpretatur cænos, vel vanum, ſed fatue idem eſt quod infatuatum. Vnde gloſſa. Non enim modicus furor eſt quem Deus ſale ſapientiæ condiuit infatuatum vocare, & ſalienti Deo derogare. Tum gloſſa aſſignat differentiam inter iraſci, & dicere racha, & dicere fatue, ſic gradus eſt in iſtis peccatis. Primo eſt C iraſci, & hunc motum in animo retinere: plus eſt ſi vocem commotio ipſa extorſit, quàm ſi feriatur ille cui iraſcitur, plus eſt ſi certa vituperatio increpuit. Hunc autem motum iræ, qui eſt in verbo, remouebat Sanctus Ioſeph a fratribus ſuis, ſecundum quòd dicitur: Dimiſit ergo fratres ſuos, & ait illis: Ne iraſcimi- *Gen. 45. g* ni in via dicendo vnus alteri verbum iniurioſum. Nã qui conuiciatur fratri ſuo, vinculum fraternitatis diſſoluit, rixas ſuſcitatas & lites incendit. Tertio iraſcitur aliquis fratri ſuo prauo maleficio fraternæ læſionis in opere. Et hoc peccatũ iræ remouet Dominus, approbando quod dictum fuerat ab antiquis, ſcilicet, D non occides. Vnde prohibendo motum iræ, mandatũ de non occidendo non euacuauit: ſed perfectius voluit obſeruari. Nam tolle iram, & homicidium non fit. Et de hoc dicitur: Iratus eſt Cayn vehementer, & *Gen. 4. a* ſequitur: conſurrexit aduerſus fratrem Abel, & interfecit eum, & hoc eſt quod damnificat fratrem aliquãdo in perſona, aliquando in rebus: Nam ex ipſa procedunt homicidia, furta, incendia, & quæque damna.

Tertio deſcribitur in verbo propoſito peccatũ iræ quantum ad finalem ordinationem, quam habet in æterno ſupplicio, cum ſubinfert: *Reus erit iudicio:* quodlibet enim prædictum peccatum in proprio iu- E dicio pœnæ ordinabitur. Nam primum peccatum iræ ordinabitur iudicio ſtrictæ examinationis ſcrutantis, & reuelantis temeraria iudicia cordis. Secundum peccatum iræ ordinabitur in iudicio opprobrioſæ vituperationis increpantis iniurioſa verba oris. Tertium peccatum iræ ordinabitur in iudicio gehennæ infernalis punientis praua maleficia operis. Primo omnis qui iraſcitur propter errorem ignorantiæ fratri ſuo maligna cogitatione, reus erit iudicio diſtrictæ examinationis ſcrutantis temeraria iudicia cordis. Vnde: *Apoc. 20. c* Aperti ſunt libri, & iudicati ſunt mortui ex his, quæ inuenta ſunt in libris. Tunc ergo in die iudicij ape- F rientur libri conſcientiarum in conſpectu Dei, cuius oculum ſapientiæ nihil latet. Et iudicabuntur peccatores ex his, quæ inuenientur in libris conſcientiarũ. Nam homo cum peccat macula peccati in libro conſcientiæ indelebiliter reſultat, niſi per gratiam deleatur, & iudicat peccatorem dignum eſſe morte æterna. Vnde gloſſa ſuper illud: Cogitationum accuſan- *Rom. 2. c* tium, dicit ſic: Eſt ſciendum, quòd cogitationes tũc accuſabunt animam, vel defendent. Non ille vtique quæ tunc erunt, ſed quæ nunc ſunt: quorum voces velut quædam ſignacula in cera relinquuntur, quæ in illa die manifeſtari dicuntur. Et hoc eſt quod dicitur in verbo propoſito: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio,* id eſt accuſatione ſecundum intellectum.



BIBLIOTECA

Vnde ad euadendum illud iudicium dabat bonũ con- A ſilium Apoſtolus : *1.Cor.4.a* Nolite ante tempus iudicare quouſque veniat Dominus, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Si hic attenderet iracundus numquam fratri ſuo iraſceretur in corde maligna cogitatione. Vnde Bernardus : Viri mali non attendunt iudicium : qui autem requirunt Deum, aduertunt omnia diſcernenda. Et propter hæc cantat Eccleſia in morte cuiuslibet fidelis : *Habetur in vlt. reſp. in off. def.* Tremens factus ſum ego, & timeo, dum diſcuſſio venerit atque ventura ira. Secundo omnis, qui iraſcitur propter liuorem inuidiæ fratri ſuo dura locutione opprobrioſæ vituperationis, redarguetur iudicio opprobrioſæ B vituperationis redarguentis opprobrioſa verba oris. *Mat.12.c* Vnde : De omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines reddent rationẽ in die iudicij. Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Si enim de omni verbo otioſo reddemus rationem in die iudicij, multofortius de verbis iniurioſis, vel criminoſis. Sed quia mors, & vita in manibus linguæ, ſecundum gloſſam, ideo dicit ex verbis tuis ſcilicet bonis iuſtificaberis, & ex verbis tuis ſcilicet malis iniurioſis condemnaberis : quando coram tota curia cæleſti propter ea vituperaberis, & culpaberis. Et quoniam ſicut maius peccatum eſt quando nõ ſolum ira- C ſcitur fratri ſuo in corde interius : ſed etiam prorumpit in vocem exterius ; ita maior ei pœna debetur. Ideo dicit Dominus : Qui autem dixerit fratri ſuo racha reus erit concilio. Vnde gloſſa : Maius eſt iudicium, quando adhuc cum reo agitur, & eſt defenſioni locus, plus concilium, quando iudices inter ſe conferunt quo ſupplicio damnent quem cõſtat eſſe damnandum. Vnde conſilium non conſueuit fieri niſi de maioribus, & grauioribus delictis. De iſto autem iudicio dicitur in epiſtola Iudith : Ecce venit Dominus in ſanctis iuſtis facere iudicium contra omnes impios de omnibus duris, quæ locuti ſunt. Certe ſi hoc iu- D dicium attenderẽt iracundi, numquam fratrem ſuum crucifigerent veneno conuiciationis : ſicut Iudæi dicuntur crucifixiſſe Dominum ſermone venenato. Tertio, omnis qui iraſcitur propter furorem vindictæ fratri ſuo praua læſione reus erit iudicio gehennæ infernalis punientis in ipſa maleficia operis. *Apoc.20.d* Vnde : Iudicatum eſt de ſingulis ſecundum opera eorum in inferno. Et infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnum : hæc eſt ſecunda mors. Sic apparet : quòd his tribus iudicio, concilio, gehenna diuerſæ manſiones in æterna damnatione pro modo peccati ſingulariter exprimũtur, ſecundum quòd dicit gloſſa ſuper illud verbum E hodierni Euangelij, ſcilicet : *Reus erit gehenna ignis.* Rogemus ergo, *&c.*

## SERMO II.

*Mat. 5. d* SI *ergo offers munus tuum, &c.* Conſiderãdum eſt quid, cui, quantum, quo modo, vbi, quando, offerre debemus. *Cõditiones in oblatione requiſitæ.* Quid, quia tuum non alienum. Vnde hic : *Si offers munus tuum.* Alioquin time tunc quod dicitur : *Eccli.34.d* Qui offert ſacrificium de ſubſtãtia pauperum, quaſi qui mactat filium in conſpectu patris ſui. Gregorius : Quid- F quid in Dei ſacrificio ex ſcelere offertur, omnipotentis non placat iracundiam, ſed irritat. Non autem tua deteriora, ſed optima offerre debes, ſicut Abel, alioquin Cayn imitaris. Vnde ſecundum aliam tranſlationem dicitur : *Gen.4.d* Nonne ſi recte non offeras, ſi recte non diuidas, peccaſti ? recte non obtulit Deo ſua, quia recte non diuiſit, quia ſeipſum diabolo, vel quia viliores ſpicas Deo obtulit. Sed heu id hodie faciunt multi, viliſſimum denarium ſacerdoti, viliſſimum, quod eſt in ſcutella, pauperi, viliſſimam prolem religioni offerunt. *Mat.1.b* Contra quod dicitur : Si offeras claudum, vel languidum nonne malum eſt ? Item Cui, Deo. *Malac.3.a* Erunt Domino offerentes ſacrificium in iuſti- A tia. Quidquid enim boni amore Dei facis, offers Deo. *Eccli.14.b* Bene fac tecum, & Domino offer dignas oblationes. Sed heu multi plus ventri, quàm Deo : plus ſimoniacis, meretricibus, hiſtrionibus, cauponibus, & ſimilibus offerunt quàm Deo : immo certe diabolo offerunt per manus talium eorum oblationes recipientium. Vnde offerenti dijs alienis, id eſt dæmonibus dicitur : *Iſa.57.b* Effudiſti libamen, obtuliſti ſacrificia. Numquid ſuper his non indignabor ? Sed heu, non ſolum res, ſed filios etiam diabolo offerunt, ipſos in vitijs educando, vel iniuſtam eis hereditatem relinquendo : per quam ſemper diaboli erunt. Pſalmus : *Pſal.105.e* B Immolauerunt filios ſuos, *&c.* Item quantum. Quilibet enim ſecundum ſuam facultatem. *Deut.16.d* Offeret vnuſquiſque ſecundum quod habuit iuxta benedictionem Domini Dei ſui. Cui enim Dominus plus benedixit in naturalibus, vel ſpiritualibus, vel temporalibus donis, plus merito ipſi ſeruire debet. *Tob.4.b* Si multum tibi fuerit, *&c.* quod eſt contra auaros diuites, qui ſæpe in eleemoſynis minus offerunt, quæ alij valde pauperes in rebus. Et tamen quadrans quandoque pauperis eſt ac prior, quàm marcha diuitis. *Luc.21.a* Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quàm omnes, *&c.* Gregorius : Cor namque, & non ſubſtantiam penſat C Deus. Nec perpendit quantum in eius ſacrificio, ſed ex quanto offeratur. Item Quando : quia frequenter. *Num.28.b* Offerre debetis agnos anniculos immaculatos, quotidie duos in holocauſtum ſempiternum. Per duos agnos duplex innocẽtia ſignificatur, ſcilicet animæ, & corporis, quam cum alijs bonis operibus quotidie offerre debes. *Leuit.23.b* Omne opus ſeruile non facietis in eo, & offeretis holocauſtum, *&c.* Sed heu feſtiuis diebus multipliciter multi peccando plus offerũt diabolo, quàm Deo. Ideo ait Dominus : *Amos.5.f* Odi, & proieciſti feſtiuitates veſtras. Non ſolum autem frequenter, ſed etiam primum offerendum eſt Deo : *Leuit.37.b* Non co- D medetis ex ſegete vſque in diem, quo offeretis ex eo Deo veſtro. De hoc cogita in menſa. Item Vbi, quia ad altare. Vnde hic : *Si offers munus tuum ad altare.* Sed heu multi hodie plus ad aleam, & ad ſimilia offerunt, quàm ad altare. Altare tuum Chriſtus eſt, quod in paupere, vel in tua mente vbique inuenies. Ideo : *Mat.1.c* In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Econtrario peruerſi vbique offerunt diabolo in mundo. Vbique relinquemus ſigna, *&c.* *Sap.2.b* Item Quo modo, quia ſincere, ideſt ſine rancore etiam mala affectione. Vnde hic : *Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc,* & cet. Si non eſt accepta- E bilis oblatio tua, ſi habes odium in corde : quanto minus ſi exercens crudelitatem in opere. Vnde : *Iſa.1.d* Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra, & cauſam ſubiungens, ait : Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Quidam autem vitam ſuam non corrigentes in oblationibus, & eleemoſynis nimis præſumunt. Contra quos dicitur : *Eccl.7.d* Ne dicas, in multitudine munerum meorum reſpicit Deus, & offerente me Altiſſimo munera mea accipiet. Certe omnes oblationes, & eleemoſynæ, quas totus mundus facit, non ſufficerent, vnam animam ſaluare, vel vnicum animæ peccatum mortale purgare, quamdiu eadem peccatum nollet vitare. F Vitet ergo peccata, qui Dominum vult ſuſcipere ſua pro peccatis munera. Iſidorus : Verum eſt, quòd peccata diuinæ miſericordiæ operibus expurgantur, ſed ſi iam caueat peccare, cui miſericordia impertitur.





## SERMO III.

*Mat. 5. d* SI *offers munus tuum ante altare,* & cetera. Quattuor ſunt quæ vtiliter in recordatione ſunt offerenda. Videlicet multiplicitas peccatorum, largitas Dei beneficiorũ, neceſſitas proximorum, diuerſitas æternorum ſtipendiorum. Recordatio ergo peccatorum allicit ad confitẽdum, proximorum neceſſitas ad ſubueniendum, beneficiorum largitas ad gratias agendũ, ſtipendiorum diuerſitas ad bene viuendum. De primo : *Leuit.26.f* Affligentur, donec confiteãtur iniquitates ſuas, & recordentur malorum, quibus præuaricati ſunt in me. Ecce cauſa, quare Deus flagello infirmitatis, vel cuiuſlibet aduerſitatis, quandoque affligit homines, ſcilicet, vt recordentur peccatorum, & confiteantur. Vnde ſemper primo medicus debet infirmo conſulere vt confiteatur, vt ceſſante cauſa peccati, ceſſet flagelli effectus, non ſolum autem recordare præuaricationis tuæ in Deum, ſed etiam in proximum. Deo autem reconciliari digne non potes, quamdiu offenſo proximo reconciliari contemnis. Vnde bene dicitur hic : *Si offers munus tuum,* & cetera. Iſidorus : Qui ſibi fratrem tardius reconciliat, Deum placari ſibi tardius ſciat, fruſtra enim propitiari ſibi Deum quærit, qui cito placari in proximo negligit. Recordari debes ſaltem peccatorum, quando audis gallum, ideſt prædicatorem : *Mat.26.g* Continuo gallus cantauit, & recordatus Petrus, *et cetera.* *2.Tim.1.b* De ſecundo : Gratias ago Deo meo, cui ſeruio a progenitoribus meis in conſcientia pura, quòd ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus, *et cet. vſque* recordationem eius accipiens fidei, quæ eſt in te non fictæ. Proximorum autem recordari debet, non ſolum in oratione ſpiritualiter, ſed etiam in eleemoſynis : Si enim non vis recordari pauperum in terra morientium, tunc peribit recordatio tui in terra viuentium. Pſalmus : *Pſal.108.b* Diſpereat de terra memoria pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiam. Si non vis recordari pauperum ſalubriter in mundo, recordaberis eorum inutiliter in inferno : *Luc.16.f* Fili recordare, quia bona, *et cet.* De tertio : *Deut.8.a* Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, *et cet.* vbi ad memoriam reuocantur filij Iſrael, per quædam beneficia in deſertis eis præſtita. O ſi recordari velles, quanta in deſerto huius mundi quadraginta, vel ſexaginta annis, quibus vixiſti, tibi Deus bona fecit. Bona vtique temporalia, quæ in terra, in mari, in aere tibi ordinauit. Bona etiam naturalia, quæ in corpore contulit : quia neque leproſus, neque cœcus, neque inſenſatus, neque huiuſmodi es. Bona quoque ſpiritualia, quæ tibi in peccatorum remiſſione, in ſacramentorum communione, in virtutum collatione præſtitit : cum tot pagani, hæretici, Iudæi, mali Chriſtiani, & forte frater tuus ſit in via inferni, & tu in via illa cæli. Bona quoque illa inenarrabilia, quæ tibi fecit Dominus in ſeipſo, ſcilicet, in ſua incarnatione, & in paſſione, maxime ſint in tua recordatione : *Thren.3.c* Recordare paupertatis, *et cet.* Paupertatis, hoc contra auaritiam, tranſgreſſionis, contra ſuperbiam abſynthij & fellis, contra concupiſcentiam. Bernardus : Recordatio ſuccendit cor, adurit pectus, interiora depaſcit, talis memoria elicit lacrymas, infundit oculos, vultũ humectat. Pudeat nos non recordari tantorum beneficiorum, & pudeat eum nos offendere, quem recordamur nobis tanta bona feciſſe. Gregorius : Eo erubeſcamus praua committere, quo nos a Deo meminimus multa gratuita bona percepiſſe. De quarto : *Pſal.136.a* Super flumina Babylonis illic, *et cet.* Flumina Babylonis ſunt miſeriæ, & concupiſcentiæ, ſuper quas ſedentes debemus flere. Sion ſpeculatio, vel ſpeculum interpretatur, & ſignificat patriam æternam, in qua ſpeculamur beneficia in ſpeculo æternitatis, de quo : A Candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, *et cet.* *Sap.7.d* O quando nos miſeri naufragi ad illam cæleſtem Sion tranſibimus ? quando flumina Babylonis euademus ? Auguſtinus : O ſancta Sion vbi totum ſtat, & nihil fluit, quis nos inde in iſtam præcipitauit ? Ecce influẽtia & labentia conſtitui, quiſque raptus a flumine, ſi tenere lignum potuerit, euadet. Recordari autem debes non ſolum æternæ ſpeculationis, quæ eſt ſtipendium bonorum, ſed etiam æternæ damnationis, quæ eſt ſtipendium malorũ : Ego quando recordatus fuero pertimeſco, *et cetera.* *Iob 21.a* Quid pertimeſcit Iob ? Certe ibi enumerat, ſcilicet proſperitates multas malorum, B & poſtea infert, ſic ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.



## SERMO IV.

V*Ade prius reconciliari fratri tuo,* & cetera. *Mat. 5. d* Quadruplicẽ fratrem habemus, videlicet Chriſtum, angelum, hominem, diabolũ : Chriſtum, cui reconciliamur pœnitendo : angelum, cui reconciliamur acquieſcendo : hominem, cui reconciliamur indulgendo : diabolum, cui numquam reconciliari debemus. Frater noſter Chriſtus C eſt : Non confunditur fratres vocare eos, *et cet.* *Heb.2.c* Bernardus : Tu trepidas ad Chriſtum accedere, frater tuus eſt, & caro tua per omnia tentatus abſque peccato, vt miſericors fieret. Hic ergo eſt frater noſter Ioſeph, de quo legitur, quòd plurimum miſertus flendo oſculatus eſt omnes fratres ſuos, *Gen.45.d* qui tamen nudauerant, & vendiderant eum. Primo autem maxime ſuper collũ minimi fratris, ideſt Beniamin fleuit. Ioſeph Chriſtum ſignificat, cui fratres ſunt Chriſtiani, qui tamquam fratres eius ſunt coheredes : *Rom.8.c* Heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti. Hi toties Chriſtum vendunt, quoties ipſum pro aliquo temporali relin- D quunt. Ioſeph autem ſuos venditores oſculatur flendo, quando Chriſtus ſuis peccatoribus reconciliatur plurimum miſerando. Sicut autem ſecundum conſuetudinem regnorum minimus inter filios regis maxime diſtat ab hereditate regni, ita maximus peccator maxime diſtat ab hereditate regni æterni, minimus ergo Chriſti frater, eſt maximus peccator. Ioſeph ergo ſuper minimum fratrem fleuit principaliter : quia ſæpe Chriſtus maximi peccatoris maxime miſeretur : *Rom.5.d* Vbi abundauit delictum ſuperabundauit & gratia. Item frater noſter angelus eſt : *Tob.6.b* Obſecro te frater Azaria, vt dicas mihi, quod remedium habebunt iſta, E quæ de piſce ſeruari iuſſiſti. Reſpondens Angelus dicit : Cordis eius particulam ſi ſuper carbones, *& cet.* omne genus dæmoniorum. Ecce audiſti quòd homo angelum, Tobia Raphaelem fratrem appellat. Vnde illa vox ſecundum Gloſſam poteſt angelorum eſſe, quæ dicitur : *Apoc.12.e* Proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, *et cetera.* Gloſſa : Laborant adinuicem qui de victoria ſua angelos, vel ſanctas animas audiunt exultare. Audi ergo miſer peccator homo fratris tui angeli conſilium, & cor ſuper carbones inferni ponas per conſiderationem, & recordationem pœnarum infernalium. Tunc certe contritionis fumus a chari- F tatis igne procedens dæmones fugat. Item frater noſter homo eſt : *1.Ioan.2.b* Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum non eſt in eo. Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt & in tenebris ambulat, & neſcit quo vadat, *et cetera.* Vere neſcit quo vadat, *et cet.* Neſcit ſe ire de tenebris interioribus ad exteriores, de tenebris culpæ, ad tenebras gehennæ. Vnde de ſeruo nequam tortoribus tradito, quia noluit indulgere fratri ſuo, dicitur : *Mat.18.d* Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. O Chriſtiani quare non inuicem diligitis, qui de eodem patre, & de eodem ſanguine eſtis ? Gregorius : Omnes fratres ſumus, vnius patris poteſtate conditi, & ſanguine redempti. Et

idcirco fratres quantumlibet pauperes, & abiectos in nullo deſpicere debemus. Item frater noſter eſt diabolus, *Job 30. d* quia Creatorem vnum patrem habemus: Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum. Dracones ſunt dæmones, qui per aquas baptiſmi, & lacrymarũ *Pſal. 73. c* vadantur. Pſalmiſta: Contribulaſti caput draconum in aquis. Dæmonum capita ſunt vitia capitalia. Diabolus eſt ergo ille iniquiſſimus frater Abimelech, de *Iudit. 9. a* quo legitur, qui occidit ſeptuaginta fratres ſuper vnũ lapidem, ne aliquis eorum regnaret. Abimelech patris noſtri regnum interpretatur, & bene ſignificat diabolum, cuius eſt hæc præſumptio, quòd regnum in cælo deberet eſſe patris ſui Luciferi, ſicut adhuc diligunt Luciferum hæretici. Septuaginta ſunt septies decem ſeptuaginta. Ergo fratres diaboli, ſunt omnes peccatores, qui per ſeptem vitia in decem mandatorum tranſgreſſione a diabolo iugulãtur. Lapis autem ſignificat cordis obdurationem, ſub quo peccator niſi *Ioan. 11. e* tollatur, reſurgere non poteſt ad gratiam: Tollite lapidem, *et cet.* Primo fratri reconciliemur pœnitendo: *Iſa. 60. b* Indignatione mea percuſſi te, & in reconciliatione mea miſertus ſum tui. Secundo fratri reconciliemur *Coloſ. 1. c* acquieſcendo: In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & reconciliari omnia in ipſum pacificãs per ſanguinẽ crucis Chriſti, ſiue quę in terris ſiue quæ in cælis, ideſt homines & angelos. Illis certe prodeſt reconciliatio per ſanguinẽ Chriſti, qui angelicis cõſilijs acquieſcit. Tertio fratri reconciliemur indulgẽdo, vel ſatisfaciendo de iniurijs, ſicut hic dicitur: *2. Mac. 8. d* *Vade prius recõciliari fratri tuo.* Quarto fratri nũquam *Mar. 8. a* reconciliari debemus, quia infidelis: Rogabat Iudas, ne hoſtibus reconciliarentur, ideſt dæmonibus. Mi- *Pſal. 102. c* ſereor ſuper turbam, *et cet.* Pſalmus: Quo modo miſeretur Pater Filio, *et cet.* Gregorius: Tunc nobis miſericordiæ Dei ſancti cum nobis ad memoriam miſe- *Then. 3. c* riæ noſtræ reuocantur, quia vt ſcribitur: Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti. De hoc habes alibi.

# DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

*Mar. 8. a* C*Vm turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberent quòd manducarent, conuocatis diſcipulis ſuis, ait illis: miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinẽt me.* Dominus noſter, cuius viſcera plena ſunt miſericordiæ, & pietatis, videns hodierna die turbam præ eius amore longanimiter pati penuriam dignatus eſt eam gratis tam cibo corporali, quàm ſpirituali ſatiare. Sed quia nulli cõdeſcendit diuina miſericordia, niſi prius pro eius amore patiatur amaritudinem penuriæ, & pœnitentiæ, & in ea habeat longanimitatem perſeuerantiæ. Ideo in verbo propoſito, Primo notatur neceſſitas indigentiæ prouocantis. Secundo benignitas patientiæ ſubuenientis. Tertio longanimitas perſeuerantiæ impetrantis. Vnde benignum Deum humana indigentia prouocat ad compatiendum, perſeuerantia ad ſubueniendum impetrat, & diuina compatientia defectum releuat. Primo ergo neceſſitas indigentiæ prouocantis notatur, cum dicit: *Cum turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberent quod manducarent.* Secundo notatur benignitas compatientiæ ſubuenientis, cum dicit: *Conuocatis diſcipulis ſuis, ait illis: Miſereor ſuper turbam.* Tertio notatur longanimitas perſeuerantiæ impetrantis, cum ſubinfertur. *Quia ecce iam triduo ſuſtinent me.*

Primo notatur in verbo propoſito, turbæ maxi- A ma indigentia, cum dicit: *Cum turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberent quòd manducarent.* Habebat namque iſta turba indigẽtiam triplicem manducationis, ratione cuius exterior, & interior homo opprimebatur. Nam primo indigebat manducatione corporalis ſuſtentationis, defectu cuius habebat debilitatem impotentiæ. Secundo indigebat manducatione ſalutaris eruditionis, defectu cuius habebat cæcitatem ignorantiæ. Tertio indigebat manducatione ſacramentalis refectionis, defectu cuius habebant tepiditatem ignauiæ. Primo indigebat iſta turba manducatione corporalis ſuſtẽtationis, cuius defectu habebat debili- B tatem impotentiæ. Vnde dicitur: Vtinam mortui eſ- *Exod. 16.* ſemus per manum Domini in terra Ægypti, cũ ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus in ſaturitate, cur induxiſti nos in deſertum iſtud, vt occideres omnem multitudinem fame? Quia nullus quantum eſt de ſolito curſu naturæ, poteſt diu in hac vita ſubſiſtere niſi ſuſtentetur cibo corporali, ideo filij Iſrael non attendẽtes Dei poteſtatem, & benignitatem, ſed potius eorum fragilitatem alimonijs carentes, de vita corporali deſperabant, quorum vota miſericors Deus exaudiens, licet non eſſent digni, ratione eorum diffidentiæ, miſit eis cibaria in abundantia, quibus eo- C rum corpora ſuſtentarentur. Eodem modo benignus Deus hodie ſatiauit turbam illam debilem, & famelicam, ne in via deficerent. Vnde dicitur in hodierno Euangelio: *Manducauerunt & ſaturati ſunt.* Secundo indigebat illa turba manducatione ſalutaris eruditionis, cuius defectu habebat cecitatem ignorantię. Et de hoc dicit Chriſtus diſcipulis ſuis: Vos date illis manducare: ad doctores ſiue prædicatores dicit Chriſtus, vt ignorantes, & eſurientes cibum cæleſtem reficiant pane vitæ, & intellectus, & potent aquã ſapientiæ ſalutaris, deducẽdo eorum appetitum ad ſuauitatem cibi ſpiritualis: quia peccatores, & ho- D mines idiotæ conuerſi in præſenti vita deficiunt, ſi in ſua conſcientia, ſine doctrinæ pabulo dimittantur. Vnde non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni ver- *Mat. 4. a* bo quod procedit de ore Dei. Tertio indigebat iſta turba manducatione ſacramentalis refectionis, cuius defectu habebat tepiditatem ignauiæ, & accidiæ. Vnde: Amen dico vobis niſi manducaueritis carnem fi- *Ioan. 6.* lij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ habet vitam æternam. Ecce quòd tantæ neceſſitatis eſt iſta mãducatio quòd niſi per eam quilibet tamquam membrum compaginetur corpori E myſtico Chriſti, ideſt Eccleſiæ, nequaquam poteſt recipere influentiam vitæ a capite, ſcilicet Chriſto. Vnde ſequitur: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo.

Secundo in verbo propoſito notatur benignitas cõpatientiæ ſubueniẽtis cũ ſubdit: *Miſereor ſuper turbam.* Dominus noſter propter nimiam benignitatẽ beneuolentiæ, quam habebat erga humanũ genus, Primo miſeretur ſuper turbam habentem debilitatem impotentiæ eam ſuſtentando cibo corporali. Secundo miſeretur ſuper turbam habentem cæcitatem ignorãtiæ, eam illuminando documento ſalutari. Tertio miſeretur F ſuper turbam habentem tepiditatem ignauiæ, eam inflammando oblectamento ſacramentali. Primo miſeretur Dominus ſuper turbam habẽtem debilitatem impotentiæ, eam ſuſtentando cibo corporali. Vnde in Pſalmis: Quo modo miſeretur pater filiorum, mi- *Pſal. 102. c* ſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrũ. Sicut pater miſeretur filiorum ſuorum ipſos reficiendo cibo corporali, ne ſuccumbant ad moriẽdum, ita Dominus noſter hodierna die miſertus eſt illius turbæ famelicæ eam paſcendo, & ſatiando corporaliter de quinque panibus, & paucis piſciculis, ne in via deficeret: quod eſt attribuẽdum diuinæ potentiæ non debilitati humanæ. Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum corporis nõ poſſe



poſſe naturaliter diu ſubſiſtere niſi continuis alimo- A nijs ſuſtentetur. Secundo miſeretur Dominus ſuper turbam habentem cæcitatem ignorantiæ, eam illumi- *Eccli. 18. b* nando documento ſalutari. Vnde: Qui habet miſericordiam docet, & erudit quaſi paſtor gregem ſuum. Dominus noſter habens miſericordiam: ipſe enim eſt pater miſericordiæ, & ideo propter benigitatem miſericordiæ, & compatientiæ, quam habet ad hominem, docet, & erudit ſicut paſtor gregem ſuum verbo doctrinæ. Multum enim per omnia ſolicitus erat, & ſtudioſus paſcere gregem humanum pane vitæ, & intellectus. Vnde quotidie non ceſſabat circuire (ſicut dicit *Mat. 9. d* beatus Matthæus) ciuitates, vicos, & caſtella, annun- B cians regnum Dei: eo quòd maior eſt refectio mentis, quàm ventris. Tertio miſeretur ſuper turbam habentem tepiditatem ignauiæ: eam inflammando ob- *Pſal. 110. b* lectamento ſacramentali. Vnde in Pſalmis: Miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit timẽtibus ſe. Miſerator, & miſericors Dominus eſcam proprij corporis ſub ſpecie panis dedit fidelibus timentibus ſe timore filialis reuerentiæ: habentem omne delectamẽ- *Sap. 16. c* tum, & omnem ſaporis ſuauitatem, cuius guſtu anima tanto ardore accenditur, vt deſtructa omni tepiditate, & omni carnalitate, ſoli cibo iſti per amorem vniatur, *Pſal. 33. b* & in eum conuertatur, & tunc guſtus: quoniam ſuauis C eſt Dominus, experitur, quo modo ſpiritus eius ſuper *Eccli. 24. c* mel dulcis, & comprehendit ſenſibiliter, quàm magna *Pſal. 30. c* multitudo dulcedinis quæ abſconditur in iſto ſacramento amoris.

Tertio in verbo propoſito notatur longanimitas perſeuerantiæ impetrantis, cum ſubinfertur: *quia ecce iam triduo ſuſtinent me.* Illi impetrant beneficium a Deo, qui longanimiter, & perſeueranter ſuſtinent eũ: iſto triduo, ſcilicet. Dolore amaræ contritionis in corde. Mœrore apertæ confeſſionis, in ore. Et labore condignæ ſatisfactionis, in opere. Et iſta diſtin- D ctio poteſt haberi ex gloſſa, quæ dicit: Sic turba Dominum triduo ſuſtinent, dum multitudo fidelium peccata ſua per pœnitentiam declinans ad Dominum ſe in locutione, & opere, & cogitatione conuertit. Primo peccatores ſuſtinent Dominum, dolore amaræ cõ- *Eccli. 2. a* tritionis in corde. Vnde: In dolore ſuſtine, & in humilitate patientiam habe. Cum enim cogitat homo, quòd propter ſuum peccatum rurſum filium Dei in ſeipſo crucifigit, tanto dolore, & amaritudine debet compungi interius, & tanta abiectione humilitatis debet ſe deſpicere, & vilipendere, vt mulier proſtrata ſuper terram, vel humum nudam prorumpat, & lacrymat exterius ad ſimilitudinem mulieris deplo- E *Pſal. 50. c* rantis mortem vnigeniti: quia cor contritum ſuſtinens in dolore contritionis, & humiliatum voluntariæ abiectionis, ſiue murmure impatientiæ Deus non *Bern. ſuper Cãt. ſer. 36* deſpiciet. Vnde Bernardus ſuper Cantica: Quo modo vere nõ humiliabitur anima mea peccatrix in hac vera cognitione ſui: cum ſe percipit oneratam peccatis, procliuam ad vitia, inualidam ad virtutes: nonne magis conuertetur in aquam ad lacrymas, conuertetur ad planctum, & gemitus, conuertetur ad Dominũ & in humilitate, clamabit: Sana animam meam, quia *Pſal. 40. b* peccaui tibi. Secundo debemus ſuſtinere Dominum mœrore apertæ confeſſionis in ore. Vnde in Pſalmis: F *Pſal. 24. a* Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die. Reminiſcere miſerationum, & miſericordiarum tuarum, quæ a ſæculo ſunt: delicta iuuẽtutis meæ, & ignorantias meas *Pſal. 140. a* ne memineris Domine. Dirige me in veritate tua, & nõ declinem cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis: & doce me pure, & perfecte confiteri mea peccata: quia tu es Deus ſaluator meus, tribuendo veniam omnium delictorum, quia te ſuſtinui tota die, id eſt ſæpe cum mœrore, & planctu confitendo mea peccata: ideo reminiſcere miſerationum, & miſericordiarum tuarum, & ignorantias meas, ne memineris. Vnde multum debet at- A tendere quilibet, quòd confiteatur perfecte omnia peccata ſua: quia ſi vnum retineatur numquam conſequetur veniam aliorum. Non enim poteſt idem homo eſſe iuſtus & peccator, bonus & malus, ſeruus Dei, & ſeruus diaboli: quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire contraria iubentibus. *Mat. 6. c* Vnde ſicut nauis exiſtens in aquis plena foraminibus: ſi eius omnia foramina obturentur præter vnum, nihilominus per illud vnum ſubmergeretur in profundum maris. Sic peccator ſi omnia peccata confiteatur, & vnum remaneat, per illud ſolum damnatur. Tertio debemus ſuſtinere Dominum labore condignæ ſatisfactionis. Vn- B de: Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia, & *Eccli. 2. a* timore, & præpara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuum, & ſuſtine. Fili accedens ad ſeruitutẽ Dei per aggreſſionem pœnitentiæ, ſta in iuſtitia, vt quanto grauiora damna tibi culpæ intuliſti per culpam: tanto lamenta maiora pœnitentiæ tibi inferas per pœnitentiam, vt vbi abundauit delictum per ex- *Rom. 5. d* ceſſum culpæ: ibi ſuperabundet donum gratiæ per dignos fructus pœnitentiæ, & in timore filialis reuerentiæ: quia qui ſine timore eſt, non iuſtificabitur. Et præpara animam tuam ad tentationem diaboli, ne *Eccli. 4. c* ei acquieſcat per conſenſum: libenter enim diabolus C immittit tentationem in eos, qui exierunt de Ægypto peccatorum, reducendo ad memoriam mundana delectamenta, vt eos faciat deſcendere de monte pœnitentiæ. Deprime cor tuum a tumore inanis gloriæ, vel excellentiæ, ne ſuperbia tua ſeducaris, & exiſtimes te aliquid eſſe, cum nihil ſis. *Gal. 6. a* Et ſuſtine Dominũ labore condignæ ſatisfactionis: quia talis pœnitentia eſt res optima, quæ defectus omnes reducit ad perfe- *Aug. lib. 3. hypog. paulo poſt med. to. 7.* ctum, ſecundum quod dicit Auguſtinus: Rogemus ergo Dominum, *&c.*

## SERMO II.

D *Mar. 8. a* V*Nde illos poterit quis ſaturare panibus in ſolitudine?* Conſiderare debemus ſolitudinem quadruplicem. *Solitudo quadruplex* Infra nos, extra nos, intra nos, ſupra nos. Prima eſt mundus, in qua panibus vitiorum: ſecunda eſt Eccleſia, in qua panibus ſacramentorum, vel ſanctorum exemplorum: tertia eſt cor, vel conſcientia ſancta, in qua panibus meritorum: quarta eſt cælum, in qua panibus præmiorum homo reficitur. *Deut. 8. c* De primo: Ductor tuus fui in ſolitudine magna atque terribili, in qua fuit ſerpens flatu adurens, & ſcorpio ac dipſas. *Pag.* Require in ſermone: E *Ductus eſt Ieſus in deſertum.* In hac ſolitudine paſcitur homo panibus diaboli vitiorum, de quibus: *Mat. 4. a* Dic vt lapides iſti panes fiant. Septem autem panes diaboli, ſeptẽ vitia capitalia ſunt, ſcilicet ſuperbia, ira, accidia, *&c.* horum panum ne micas quidem cognitionum ſumere debes, quibus impius tamquam ſerpens diaboli delectatur. Serpenti puluis panis eſt. *Iſa. 40. a* De ſecũdo: Exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, *&c.* *Idem. 35. a* In ſolitudine Eccleſiæ ſunt tot flores, quot fideles: ſpiritualiter autem lilio comparat Eccleſiam, quia pulcherrima eſt per continentiã: Sicut lilium inter ſpinas, *et cet.* *Cant. 2. a* Hæc eſt ſolitudo, extra quam pellicanus, id eſt Chriſtus non F inuenitur. Pſalmus: Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: ſicut nycticorax in tecto. *Pſal. 101. a* Sicut enim pellicanus pullos ſuos: ita Chriſtus proprio ſanguine viuificat electos. In hac ſolitudine panibus gratiarum ſacramentalium ſaturamur: Qui habitatis terram auſtri, *Iſa. 21. d* cum panibus occurrite fugienti. Terra auſtri eſt Eccleſia. Auſter eſt Spiritus ſanctus: Veni auſter, *et cet.* *Cant. 4. d* Hieronymus: Cum panibus ſacramentorum occurre fugienti diabolo. Septem autem panes ſunt ſeptem ſacramenta. Videlicet, Baptiſmus, confirmatio, Euchariſtia, pœnitentia, ordo, matrimonium, extrema vnctio. Turpis eſſet, qui cum fidelis eſſet, illum impugnaret, de cuius pane viuit. Et hoc facit, qui baptizatus, confirmatus, communicatus, ordinatus, Deum impugnat,

[Pſal. 40. a] pugnat. Pſalmus: Qui edebat panes meos. Contra quod ait Bernardus: Eo erubeſcamus praua committere, quo nos a Deo meminimus gratuita dona percepiſſe. [Oſee 2. c] De tertio: Ducam eam in ſolitudinem. Eius ſolitudo eſt ſecretum mentis: [Thren. 3. d] Sedebit ſolitarius, & tacebit, *&c.* Quando enim homo a tumultu peccatorum, a ſtrepitu mundi ſeparatur, tunc libenter Dominus cum eo loquitur: ſic patet in Zachæo turbam præcurrente: tunc etiam gratia irrigatur. [Iſa. 35. b] Sciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine. Aquæ ſcilicet lacrymarum, & torrentes gratiarum. In hac ſolitudine paſcimur ſeptem panibus donorum Spiritus ſancti de quibus: [Luc. 15. d] Quanti mercenarij, *&c.* Sed heu per ſiliquas diaboli multi obliuiſcuntur comedere panem patris ſui. Contra quod dicit Auguſtinus: Recordemur panem patris noſtri, recolamus beatitudinem domus patris noſtri, non nos delectent ſiliqua porcorum, doctrinæ dæmoniorum. Septem autem panes ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, ſapiētiæ, intellectus, conſilij, fortitudinis, ſcientiæ, pietatis, timoris domini. Si hos panes vis habere, oportet te terram cordis colere, & multum laborare. [Prou. 28. c] Qui operatur terram ſuam, [Pſal. 54. a] ſaturabitur pane. De quarto, Pſalmus: Quis dabit mihi pennas, *&c.* vſque manſi in ſolitudine. Pēnæ columbæ ſunt virtutes, & opera recte facta, quæ in duabus alis ſunt. Omnia enim præcepta in duobus præceptis ſunt. [Gen. 8. a] Nō optat pennas corui. Ille enim ad Noe non reuertitur. ſic homo carnalis ad exteriora veniēs vltra ad Chriſtum non reuertitur. Columba, id eſt, homo ſpiritualis, cum ramo boni operis redit. Talis columba volat virtutibus, elongatur a ſæculo, manet in contemplatione, & deſiderio, in conuerſatione, in ſolitudine patriæ cæleſtis. [Phil. 3. d] Noſtra conuerſatio in cælis eſt. [Iſa. 55. a] Item paſcuntur ſancti panibus præmiorum. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? *et cet.* Argentum ſpirituale eſt ſcientia. Vel argentum materiale, quod eſt eleemoſyna, optime appenditur quando pro cæleſtibus affectionibus expenditur. Septem autem panes ſunt ſeptem dotes. Claritas, ſubtilitas, agilitas, impaſſibilitas, cognitio, dilectio, fruitio: quibus æternaliter fruūtur beati. [Luc. 14. c] Beatus qui manducabit panem in regno Dei.

## SERMO III.

[Mar. 8. a] M*iſereor ſuper turbam*, & cet. Quo modo miſeretur? Miſericors, & miſerator Dominus: [Pſal. 102. c] dicitur in Pſalmo: Quo modo miſeretur pater filiorum. Conſiderare autem poſſumus hic quadruplicem miſericordiam Dei. [Miſericordia quadruplex.] Miſeretur enim ſuper turbam viuentium in terris: ſuper turbam quieſcentium in ſepulchris: ſuper turbam gementium in pœnis: ſuper turbam fruentium in cælis. [Pſal. 32. a] De primo, Pſalmus: Miſericordia Domini plena eſt terra. Longum eſt narrare miſericordias, quas corporaliter, & ſpiritualiter nobis exhibet in terris. Quòd enim a diabolo non omnes ſuffocantur, quòd mundus non ſubuertitur, quòd peccator in infernum viuus non detruditur, quòd in corpore a terra cum Chore, & Dathan nō abſorbetur, Dei maxima eſt miſericordia. [Thren. 3. c] Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti. Si ergo cognoſceret homo, quàm multiplicia ſunt eius pericula, tunc cognoſceretur, quàm multiplex miſericordia ſit ſuper eum. Gregorius: Tunc nobis miſericordiæ Dei innoteſcunt, cum nobis ad memoriam miſeriæ noſtræ reuocantur, *&c.* Maxime autem oſtendit nobis miſericordiam ſuam, expectans nos in peccatis, & dans nobis tempus ad pœnitentiam. [Iſa. 30. d] Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri. [Idem. 46. a] Quamdiu vero expectat dicit idem: Vſque ad canos ego portabo. Non ſolum mali perirent, ſed etiam boni deficerent, niſi eſſet miſericordia Dei. Vnde hic: *Miſereor ſuper turbam*, vbi ſeptem panibus, ſeptem donorum Spiritus ſancti, ne deficiant, confortantur,

[A] qui triduo contritionis, & confeſſionis, & ſatisfactionis Dominum ſequuntur. Per hoc triduum inuenitur per gratiam: [Luc. 2. g] Poſt triduum inuenerunt eum. [Pſal. 40. c] De ſecundo, Pſalmiſta: Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me. Reſuſcitatio igitur mortuorum magnæ miſericordiæ eſt, mors eorum magnæ eſt miſeriæ. Vnde quando Ieſus reſuſcitaturus erat filium viduæ ſicut dicitur: [Luc. 7. b] Miſericordia motus ſuper eum, dixit: Noli flere. Si miſericordia eſt reſuſcitare vnum & vnius diei mortuum, & iterum moriturum: quanta ergo miſericordia eſt reſuſcitare tam innumerabiles per tot annorū millia defunctos, & æternaliter victuros, [B] & in corporibus glorioſis, & ab omni miſeria liberatis? [Philip. 3. d] Reformabit corpus humilitatis noſtræ, *&c.* Hanc miſericordiā laudare poſſunt de ſepulchris ſurgentes, non in ſepulchris putreſcentes. [Pſal. 87. c] Pſalmus: Narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam? Sed certe malis non videtur fieri miſericordia, quia cum corporibus punientur grauius. [Iſa. 54. d] De tertio: In momento indignationis abſcondi parumper faciem meam a te, & miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Qui in limbo inferni erant, ſicut olim indignationem, ſic in liberatione ſui miſericordiam ſenſerant. [Pſal. 85. c] Pſalmus: Miſericordia Domini magna eſt ſuper me. Item in [C] purgatorio indignationem oſtendit, & faciem abſcondit in monumento: quia illa parumper, & momentanea eſt pœna reſpectu pœnæ æternæ, & reſpectu miſeriæ æternæ, quæ ſequetur. Multa enim millia annorum reſpectu æternitatis momentaneum, & momentum ſunt. Vnde beato Benedicto quærenti a diabolo, quando cecidiſſet, heri reſpondit. Et cum diceret Benedictus: Mentiris. Dixit dæmon: Si ſcires, non ita diceres. Miſericordia autem, quam exhibet ſaluādo de pœnis, ſignificatur in miſericordia exhibita tribus pueris liberatis de igne. Ad hanc miſericordiam per Eccleſiam non per ſeipſos iuuari poſſunt, [D] vnde in camino dixerunt: [Dan. 3. g] Non eſt oblatio neque incenſum, neque locus primitiarum coram te, vt poſſimus inuenire miſericordiam. [Ibid. d] In purgatorio enim nō eſt oblatio Dominici corporis, neque incenſum meritoriæ operationis: neque primitiæ eleemoſynæ ſatisfacientis. [Prou. 3. b] De primitijs frugum da pauperi. De quarto, Pſalmus: [Pſal. 88. a] In æternum miſericordia ædificabitur in cælis. Ruinæ factæ in ordinibus angelorum per ſuperbiam, reædificantur per Dei miſericordiam. Sed patres ante Chriſti incarnationem dicere potuerunt illud Aggei: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ, & muros ponendi. Ita ante Chriſtū quaſi [E] hiems fuit, quando nullus lapis in ædificio, & muro fuit poſitus: immo vita præſens quaſi hiems. Vnde lapides, id eſt fideles, hic per pœnitentias, & correctiones, & aduerſitates ſecantur, *et cet.* Auguſtinus: Hic vre, hic ſeca, ſed in ætate futuræ vitæ in ædificio cæleſti ponentur. Et tunc huius miſericordiæ erit tempus. [Pſal. 101. b] Pſalmus: Tunc exurgens miſereberis Syon. De hoc plenius inuenies in ſermone: *Exurge gloria mea.* [pag. 103.]

Qui tamquam lapis viuus intrare vult in cæleſte ædificium, debet eſſe abſciſus de montibus mundanarum cupiditatum, & quadratus quadratura quattuor principalium virtutum. [F] Auguſtinus: Præciduntur de montibus per manus prædicantium veritatem: conquadrantur vt intrent in ſtructura ſempiterna.

SER-



## SERMO IV.

[Mar. 8. a] M*anducauerunt, & ſaturati ſunt.* [Saturitas quadruplex] Quadruplex eſt ſaturitas. Prima bonorum temporalium: ſecunda donorum ſpiritualiū: tertia præmiorum æternalium: quarta tormentorum infernalium. [Prou. 3. b] De prima: Honora Dominum de tua ſubſtantia. Sed miſeri auari ſunt ſicut canes boliſmum patientes, qui numquam [Iſa. 56. d] ſaturari poſſunt: Canes impudētiſſimi neſciere ſaturitatem. [Auaritia.] Inexplebilis eſt auaritia diuitum, ſemper rapit, numquam ſatiatur, neque Dominum timet, neque hominem reueretur, neque patri parcit, neque matrem agnoſcit, neque fratri obtemperat, neque amico fidem ſeruat. Canes ergo ſunt auari, & ideo contingit ipſis ſicut cani, qui fame attenuatus per foramen arctum cellariæ intrauerat, & poſtea ſaturatus, & repletus, percuſſore cum fuſte ſuperueniente, per foramen propter repletionem exire non poterat per quod intrauerat. Ad feneſtras autem veniens per alia foramina exire conabatur, ſed non permittebatur. Fuſtigatus autem, deuorata euomuit, & ſic per proprium foramen exiuit. Sic eſt de auaro, qui ſaturatur & impletur iniuſtis poſſeſſionibus: hunc Dominus, [C] vel prædicator, vel confeſſor cum fuſte comminationis æternæ pœnæ quandoque agitare incipit. Cum autem ieiunia, & peregrinationes, & ſimilia auarus promittit, ipſum per foramen, quo venit, exire cogit: [Iob. 20. c] Cum ſatiatus fuerit, arctabitur, *et cetera.* Canis ergo [Ibidem. d] deuorata euomit, dum auarus iniuſta reſtituit: Diuitias, quas deuorauit, euomet, *et cetera*, ſic autem fuſtem damnationis euadet. De ſecundo dicitur hic: *Manducauerunt, & ſaturati ſunt*, & cet. Saturati autem ſeptem panibus fuerunt, qui Dominum triduo ſuſtinuere. Septem panes ſecundū Gloſſam, ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, quibus ſaturamur in ſoli- [D] tudine Eccleſiæ poſt triduum confeſſionis, contritionis, ſatisfactionis, de quo triduo: [Exod. 5. a] Deus Hebræorum vocauit, vt eamus viam trium dierum in ſolitudine. Sed heu quidam pecunijs, & laboribus ſuis emunt ſibi famem animæ non ſaturitatem. [Iſa. 55. a] De quibus: Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? Qui ergo eſt in ſaturitate animæ laborans, ad Deum, qui hos panes habet, veniat: [Mat. 11. d] Venite ad me omnes, *& cetera.* Bernardus: Caro clamat, ego decipiam, mundus clamat, ego deficiam, diabolus clamat, ego interficiam: Chriſtus, ego reficiam. Ad quem ibis? quem [E] ſequeris? [Mat. 5. a] De tertio: Beati qui eſuriunt, *& cet.* Vere [Pſal. 80. d] ſaturabuntur melle dulciſſimæ gratitudinis. Pſalmus: De petra mellis ſaturauit eos. [1. Cor. 10. a] O petra pretioſa: Petra autem erat Chriſtus. [Deut. 32. b] De qua etiam dicitur: Suxit mel de petra, oleumq. de ſaxo, *et cet.* Gaudium enim, quod habetur in cælo de Chriſti diuinitate, ſignificatur in melle. De humanitate vero in oleo: Saturabuntur ergo in cælo, qui eſuriunt iuſtitiam in mundo. Qui autem temporalium voluptatum ſiliquis ſicut porci ſaturantur, mellis æterni ſaturitate priuantur: [Prou. 27. a] Anima ſaturata calcabit fauum, ſicut certe econtrario anima, quæ hic paululum mellis æterni dulcedinem [F] prægustat, ſiliquas porcorum calcat. Gregorius: Si quis vero cordis ore guſtauerit, quæ ſit illa dulcedo cæleſtium præmiorum, quæ habent illi benedicti chori angelorum, quæ incomprehenſibilis viſio Trinitatis, huic quàm dulce ſit, quod intus videt, tanta in amaritudine videtur eſſe quod foris ſuſtinet. De quarto: [Prou. 1. d] Ego quoque in interitu veſtro ridebo, *& cet. vſque* comedent igitur fructus viæ ſuæ, ſuiſq. conſilijs ſaturabuntur. Hic dicitur, de damnandis. Qui ergo malis conſilijs contra proximos ſaturari non poſſunt in mundo, malorum conſiliorum pœna ſaturabuntur in inferno. Saturabuntur vtique non melle beatitudinis, ſed felle æternæ amaritudinis: [Iob 20. b] Panis eius in vtero [A] eius vertetur in fel aſpidum. Intrinſecus autem ſaturabuntur tormentorum multitudine, quæ non ſolum damnati homines, ſed etiam angeli, & ſancti tormenta videntes ſaturantur. Vnde de occiſis gladio de ore Chriſti procedente, dicitur: [Apoc. 19. d] Omnes aues cæli ſaturatæ ſunt carnibus eorum. Interlinearis, id eſt omnes ſancti delectati ſunt de pœnis eorum. Bene autem dicit, de carnibus, quia non ſolum anima, ſed etiam caro punietur poſt reſurrectionem: [Iudit. 16. c] Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.

# [B] DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

[Mat. 7. c] O*mnis arbor quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur.* Volens Dominus noſter populum iudaicum rudem, & animalem retrahere a malo ſub ſimilitudine arboris non producentis fructum, quæ [C] ratione ſuæ ſterilitatis excidetur, & in ignem mittitur, cuilibet malo non natura, ſed affectu voluntatis prænunciat deciſionem, & combuſtionem æternæ damnationis, cum dicit in verbo propoſito: *Omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur,* & cetera. In quo quidem verbo ordinate proceditur. Nam primo deſcribitur peccatum ad interiorem originem, quam habet ex arrogantia mentis. Secundo quantum ad exteriorem conſummationem, quam habet in complacentia operis. Tertio quantum ad finalem ordinationem, quam habet in gehenna ignis. Et [D] ſic peccatum licet occaſionē habuerit a fraudulentia hoſtis, originem tamen habuit ab arrogantia mentis, conſummationem in complacentia operis, ſiue in concupiſcentia carnis, & ordinationem in gehennam ignis. Primo ergo deſcribitur peccatum, quantum ad interiorem originem, quam habet ex arrogantia mentis, cum dicit: *Omnis arbor*, ſcilicet mala non natura, ſed mentis arrogantia. Vnde Gloſſa: Voluntas vniuſcuiuſque eſt arbor mala, vel bona & ſicut arbor radicatur in terra, ſic voluntas in anima manente integra natura affectu voluntatis corrumpitur, vel in melius mutatur. Secundo deſcribitur peccatum, quantūm ad [E] exteriorem conſummationem, quam habet in complacentia operis, ſiue concupiſcentia carnis, cum ſubdit: *Quæ non facit fructum.* Gloſſa, fructus arboris malæ ſunt opera carnis, ſcilicet fornicatio, luxuria, auaritia, *& cetera*, quos fructus non niſi mala voluntas facit. Tertio deſcribitur peccatum, quantum ad finalem ordinationem, quam habet in gehenna ignis, cum ſubinfert: *Excidetur & in ignem mittetur.*

Dicit ergo: *Omnis arbor.* Vbi deſcribitur peccatum quantum ad interiorem originem, quam habet ex arrogantia mentis. Illa enim arbor affectu voluntatis corrupta, eſt cauſa & origo malorum operum. [F] Primo quæ eſt adulterina, quia non inſerta diuino nutu in orto Eccleſiæ. Secundo quæ eſt arida, quia non perfuſa ſuperno fluxu, ſiue ſtellicidio gratiæ. Tertio quæ eſt infœcunda, quia non humano promota cultu, vel exercitio iuſtitiæ. Primo illa arbor eſt cauſa fructus non boni, quæ eſt adulterina, quia non inſerta diuino nutu in horto Eccleſiæ. Vnde & eſt de hodierno Euangelio: [Mat. 7. c] *Numquid colligent de ſpinis vuas aut de tribulis ficus?* Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructum malum facit. Numquid colligent de ſpinis infidelitatis vuas veritatis fidei, quas Chriſtus in nobis ſitiuit? Certe non. Quia ſicut vuæ non ſunt de ſpinis, ſed de vite, ſic veritas fidei non eſt de ſpinoſitate infidelium, ſed de ve-

ra

ra vite, quæ eſt Chriſtus. Aut de tribulis paternæ traditionis colligunt ficus, ideſt dulcedinem ſanctæ conuerſationis, quaſi dicat non, & iſta expoſitio extrahitur de Gloſſa, quæ dicit, ſpinæ tribuli ſunt hæretici a quibus nullus ſapientum veritatem, vel ſanctitatem poterit inuenire, ſed contendunt, & cruentant approximantes. Sic omnis arbor bona, quæ eſt inſerta a Deo per fidem corpori Eccleſiæ fructum bonorum operum facit. Mala autem arbor, propter vitioſitatẽ degenerationis quam accipit a primo parente niſi inſeratur corpori myſtico Chriſti, malos fructus facit, *Heb. 11. b* quia inutiles, nec digni remuneratione. Nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Et de hoc ſimiliter B *Iob. 19. b* poteſt exponi illud quod dicitur: Deſtruxit me vndique, & quaſi arboris euulſæ abſtulit ſpem meam. Secundo illa arbor eſt origo malorum, quæ eſt arida, quia non perfuſa cæleſti influxu, ſiue ſtillicidio gra- *Mat. 21. b* tiæ: Videns Chriſtus fici arborem vnã, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, niſi folia tantum. Et ait: Numquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum, & arefacta eſt continuo ficulnea. Per fici arborem poteſt intelligi homo deditus dulcedini mundanæ, qui dicitur eſſe ſecus viam in inuia carnis, & non in via ſpiritus, ad quam veniens Ieſus pedibus Euangelij, & nihil boni operis inuenit in ea, niſi folia tantum, ideſt vanas C traditiones philoſophorum, ſine fructu iuſtitiæ, & ait ad illam: Numquam ex te obſtinata in malitia naſcatur fructus boni operis in ſempiternum, immo propter duritiam, & impœnitens cor tuum, te damno æternæ ſterilitati, ſubtrahendo aquam cæleſtis gratiæ, & arefacta eſt continuo ficulnea. Tertio illa arbor eſt origo mali operis, quæ eſt infœcũda: quia nõ mota humano *Luc. 13. b* cultu exercitio iuſtitiæ. Vnde: Arborẽ fici habebat quidam plantatam in vinea ſua. Et ſequitur: Qui dixit ad cultorẽ vineæ, ſuccide ergo illã, vt quid terrã occupat. At ille reſpondens, dixit: Dimitte illã, & hoc anno vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora, & ſi D fecerit fructum, ſinautem ſuccidam eam in futuro. Per arborem illam poteſt intelligi, qui in operibus virtutis non ſe exercet, cui minatur Dominus ſucciſſionem, ſuccide ergo illam, vt quid terram occupat, vbi Gloſſa: Terram occupat, qui locum quem tenet bonis operibus nõ exercet, & exemplo prauitatis præſtat impedimentum ceteris, ne calore ſolis caleſcant. At ille reſpondens, dixit illi: Dimitte illam, & hoc anno, patienter eam expectando, vſque dum fodiam apoſtolicis ligonibus circa illam exterius excitando, & mittam ſtercora, ideſt mala & abominationes, quas facit, reducam ad memoriam, vt de ſuperbia in humi- E litatẽ reuocetur. Et ſi fecerit fructus bonæ operationis, gratia compunctionis, quaſi de putredine ſtercoris excitatum bene. Sinautem ſuccidam eam in futuro per æternam damnationem. Vnde Gloſſa: Peccata carnis, ſtercora ſunt quæ mittuntur ad radicem arboris, quando prauitatis conſcientia tangitur cogitationis memoria, & dum inde pœnitet, quaſi per tactum ſtercoris redit ad fœcunditatem operis.

Secundo in verbo propoſito deſcribitur peccatum quantum ad exteriorem conſummationem, quam habet in cõplacentia operis, cum ſubditur: *Quæ non facit fructum bonum*. Vt autem melius deueniamus in F notitiam fructus mali, præuideamus conditiones fructus boni, quia poſtea per oppoſitas cognitiones faciliter cognoſcemus fructus mali operis. Eo quòd oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Ille autem humanus fructus eſt bonus. *Conditiones boni fructus.* Primo qui habet pulchritudinem ſpecioſitatis puritatis, & munditiæ delectantis viſum. Secundo qui habet ſuauitatem manſuetudinis, & placentiæ, dulcorantis guſtum. Tertio qui habet vtilitatem charitatis, & beneuolentiæ, informantis effectum. Ita per oppoſitum omne peccatum habet conſummationem exterius in complacentia operis, quando humanus fructus ſuum opus ad ſimilitudinem mali fructus arboris maturatur. Primo habet A putredinem, ſiue fœditatem carnalis laſciuiæ, contriſtantis viſum. Secundo habet acerbitatem furoris, & iracundiæ, amaricantis guſtum. Tertio habet venenoſitatem cordialis inuidiæ, deformantis affectum. Primo ille eſt malus humanus fructus, qui habet putredinem, ſiue fœditatem carnalis laſciuiæ, contriſtantis viſum. Vnde: Ventus vrens ſiccauit fructus *Ezec. 19. d* eius, emarcuerũt, & areſactæ ſunt virgæ roboris eius, ignis comedit eam, & nunc tranſplantata eſt in deſerto in terra inuia. Ventus vrens carnalis laſciuiæ ſiccauit fructus eius venuſtatis, & emarcuerũt & areſactæ ſunt virgę, & pullulationes, roboris & virtutis eius. Ni B hil enim inter omnia peccata tantum reddit hominẽ eneruatum & putridũ, ſicut peccatum luxuriæ. Vnde luxurioſi immundis animalibus (ſicut ſunt porci, & iumenta putrefacti in ſtercore ſuo, & huiuſmodi) aſſimilantur: & talis planta merito tranſplantata eſt in deſerto ſpinoſitatis vitiorum, & in terra inuia carnis, in qua non poteſt producere, niſi fructus putridos, & carnales, quorum aſpectu ita abominatur Deus, & puriſſimi eius Angeli, & ſancti homines, ſicut aliqui homines naturaliter geneſoſi, & nobiles abhorrent aſpectum pomi, ſiue fructus putridi, & verminoſi. Secundo ille fructus humanus eſt malus, qui habet C acerbitatem furoris, & iracũdiæ amaricantis guſtum. *Sap. 4. b* Vnde: Fructus eorum inutiles, & ad manducandum acerbi, & ad nihil apti. Fructus eorum, ſcilicet qui ſunt iracundi ſunt inutiles: & ipſis propter ſubuerſionem rationis, & acerbi alijs ad manducandum propter furorem, ad nihil apti, niſi ad ſubuerſionem animorum ipſorum, vel aliorum. Vnde Gloſſa ſuper il- *Prou. 15. c* lud: Vir iracundus ſuſcitat rixas, dicit ſic: Ianua *Idem ſup. ſer. 1. Dom. 1. poſt Pẽt.* omnium vitiorum eſt iracundia, quæ clauſa virtutibus intrinſecus datur requies, aperta ad omne facinus armabitur. Tertio fructus humani operis eſt malus, qui habet venenoſitatem cordialis inuidiæ deformãtis ef- D fectum. Vnde: *Amos 6. d* Conuertiſtis in amaritudine iudiciũ, & fructum iuſtitiæ in abſinthium. Conuertiſtis in amaritudinem doloſitatis, & malitiæ iudicium diſcretionis rectæ, & fructum iuſtitiæ, & pietatis in abſinthium in venenum malignitatis, & inuidiæ. Ad occidendum humanum genus, nullum abſinthium, nullũ fel amarius, & nullum venenum peius malignitate inuidiæ. Nam ex venenoſæ fructu inuidiæ Iudæorum, occiſus eſt Filius Dei, multi ſancti & homines iuſti.

Tertio in verbo propoſito deſcribitur peccatum, quantum ad finalem ordinationem, quam habet in gehenna ignis, cum ſubinfert: *Excidetur & in ignem* E *mittetur*. Iſte ignis ad hoc, vt perfecte ordinetur pec- *Ignis gehẽnæ.* catum per punitionẽ primo eſt inextinguibilis, propter continuationis perpetuitatem. Secundo intolerabilis propter vehementiſſimi doloris acerbitatem. Tertio ineuitabilis, propter diuini rigoris ſeueritatẽ. Et ſic iſta pœna in qua deformitas peccati ordinabitur eſt ſumma, & perfecta, & nulla alia, eo quòd perpetua doloroſa, nec poterit declinari ad modicam morulam. Primo ignis in quo deformitas ordinabitur, eſt inextinguibilis, propter continuationis perpetuitatem. Vnde: Tunc dicet rex his, qui a ſiniſtris ſunt: *Mat. 25. d* Diſcedite a me maledicti in ignem æternum. Dignũ F & iuſtum eſt, vt peccatores, qui a ſiniſtris ſunt, ideſt præſentia quamdiu vixerunt ardenter amauerunt, ſecundum quòd exponit Gloſſa, pœna æterna puniantur. Nam tanta eſt offenſa, quantus eſt ille, qui offenditur, ſicut patet quòd maiorem offenſam committit, qui iniuriatur regi, quàm qui iniuriam facit alteri homini. Deus ergo offenſus cum ſit infinitus, & æternus, ergo & pœna, & punitio reſpondens tali offenſioni debet eſſe æterna. Secundo ille ignis in quo deformitas culpæ ordinabit eſt intolerabilis, propter vehementiſſimi doloris acerbitatem. Vnde in Pſal- *Pſal. 10. b* mis: Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarũ, pars calicis eorum: quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit æquitatem vidit vultus eius. Iuſto enim



iudicio ſecundum quòd colligitur ex Scriptura quat- A tuor elementa non diſtincta, ſed confuſa creduntur in inferno eſſe ad perfectam punitionem damnatorum, vt omnis creatura exardeſcat in tormentum contra iniuſtos, & armetur in vltionem Creatoris, & per eadem puniantur, ex quibus conſtituuntur. Nec talis confuſio pœnam minuit, ſed auget, pro eo quòd actio elemẽtorum mutua poſt reſurrectionem ceſſabit, cum ceſſet generatio, & corruptio, & numerus electorũ ſit completus: manebit tamen eorũ actio contra corpora damnatorum, quia ad hoc omnis virtus eorum dirigetur, non vt intendat multiplicare ſpeciem, ſed vt B ſecundum imperium Creatoris vindicent diuinam iniuriam, quæ quidem fiet affligendo humanam naturam. Tertio ille ignis in quo deformitas culpæ ordinabitur, eſt ineuitabilis propter diuini rigoris ſeue- *Deut. 32. d* ritatem. Vnde: Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima. Rigor diuinæ iuſtitiæ, ad quem pertinet malefactorem punirer, accendetur in die iudicij ad vltionem peccatorum: quia ignis indiſſolubiliter alligabitur animæ peccatrici, & in eo anima tamquam in carcere includetur, & propter hoc ad quemcumque locum inferni anima declinauerit, pœnam ignis ſentiet, quia iſte ignis ardebit vſque ad inferni nouiſſima. Rogemus. C

## SERMO II.

*Mat. 7. c* *Omnis arbor quæ non facit fructum bonũ*, & cet. Plenum formidine eſt hoc verbum. Conſiderandum autem, quòd Dominus in Euangelio ſub metaphora arboris infructuoſæ, quattuor mala oſtendit circa damnationem impij. Oſtendit enim quòd culpa eſt inexcuſabilis, ſententia ineuitabilis, pœna interminabilis, gratia irrecupe- *Luc. 13. d* rabilis. De primo: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, *et cet.* Nota parabolam. Fi- D cus ſterilis, eſt malus Chriſtianus, fructus, quem Dominus eius quærit, & non inuenit, eſt, de quo dicitur: *Ephe. 5. c* Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia & veritate. Tres autem anni ſunt tres ætates, puerilis, iuuenilis, virilis, quartus eſt ſenectus, qui ſæpe additur homini, vt plene probetur. Sed ecce miſer ſenex, non pluit ſuper terram cordis tui annos tres, & menſes ſex. Vtinam ſaltem in vltima parte anni pluuiam gratiarum, vel lacrymarum reciperes, vt ſic fructus facere poſſes. Circa ficum foditur, dum Chriſtus pro- *Pſal. 21. c* pter hominem perforatur. Pſalmus: Foderunt manus, *et cetera*. Stercus quoque mittitur, dum putre- E *Iob 20. a* factio futura homini ad mentem reducitur: Si aſcenderit in cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine erit. Quicumque poſt tantas inducias, & curas non fecit fructum, inexcuſabilis eſt. Ambroſius: Quo indulgentior libe- *Luc. 3. b* ralitas, eo inexcuſabilior pertinacia. De ſecundo: Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Securis ſententiam ſignificat. Securi porci mactantur. Pecca- *Mat. 8. d* tores autem ſunt porci diaboli: Mitte nos in gregem porcorum. Malæ radices, mali parentes. Mali rami ſunt mali filij, & nepotes. Item malæ radices ſunt primi vitiorum inuentores. Rami ſunt eorumdem vi- F tiorum ſequaces. Et iam ſecuris diuini iudicij ad radicem venit, dum inuentorem ſuperbiæ Luciferum, inuentorem inuidiæ Cain percuſſit. Et ſic oſtende de inuentoribus aliorum vitiorum. Patet ergo quòd impoſſibile eſt ramos euadere, ex quo ſecuris ſic cœ- *Sap. 4. a* pit radices ferire: Confringentur enim rami in conſummatione, *et cetera*. Si ergo fructum bonum non facis, timenda eſt tibi hæc ſecuris. Ambroſius: Væ mihi, ſi non peccata mea deleuero, *et cet.* Require in *Pag. 7.* in ſermone: *Benedictus qui venit*. De tertio dicitur hic: *Omnis arbor, quæ non,* & cetera. O quantus ignis erit, quando omnes ſteriles arbores, omnes ſimul impij ardebunt in inferno, ſicut patet, quando nemus A incenditur, & tot millia arborum ſimul ardebunt, & quanto plures tanto horribilius: Secundum enim li- *Eccli. 28. b* gna ſiluæ, ſic ignis ardeſcit. Et vbi eſt ſilua in mundo, quæ habeat tot arbores, quot ſunt peccatores in inferno, ſcilicet hæretici, raptores, vſurarij, *et cet.* Vnde de gehenna dicitur: Præparata, profunda, & dila- *Iſa. 30. g* tata, nutrimẽta eius ignis, & ligna multa. Præparata, vt cito recipiat, profunda, vt nullus exeat, dilatata, vt omnia capiat. Ibi cum arbore cortex, & rami ſimul ardebunt, ideſt anima & corpus, qui prius aridi per peccata fuerunt. Bernardus: Singulis membris, quæ arma fuerunt iniquitatis, ſingula debetur pœna, pro B qualitate, vel quantitate commiſſi. In quo autẽ membro Creator plus offenditur, peccator grauius torquebitur. De quarto: Videns fici arborem vnam ſe- *Mat. 21. b* cus viam venit ad eam, & nihil inuenit in ea niſi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum. Ficus hæc ſignificat malum Chriſtianum, ad quem iudex Dominus venit in morte: *Luc. 12. e* Qua hora non putatis, *& cet.* Væ ſi tunc Dominus nõ inuenerit fructum bonæ vitæ, ſed folia tantum verborum: tunc certe maledicitur, vt numquam ex ea naſcatur fructus pœnitentiæ in æternum. Ex tunc ergo numquam gratiam Dei poterit recuperare, quan- C do vltra non poterit pœnitere. Ioannes Chryſoſtomus: Nec reſiſtendi virtus, neque fugiendi facultas, neque pœnitentiæ locus, neque ſatisfactionis tempus erit, ex anguſtia omnium rerum nihil remanet niſi luctus. Fac ergo fructum in mundo, quia non poteris in inferno: Quæcumque poteſt manus tua, inſtanter *Eccles. 9. c* operare, quia neque opus, neque ratio, neque ſcientia, neque ſapientia erit apud inferos, quo tu properas.

## SERMO III.

D *Omnis arbor bona fructus bonos facit*. Bona ar- *Mat. 7. c* bor eſt bonus homo, bonus fructus bona vita. Fructus autem bonitas probatur vtilitate, multiplicitate, delectabilitate, durabilitate. Vtilitas in retributione, multiplicitas in operatione, delectabilitas in deuotione, durabilitas in conſummatione, & perſeuerantia additur. De primo: Qui metit, mercedem accipit, & qui con- *Ioan. 4. e* gregat fructum in vitam æternam. Ecce vtilitas fructuum ſpiritualium eſt vita æterna. Congregant autem quidam fructum in mortem æternam: Viſitabo *Iier. 21. d* ſuper vos iuxta fructum ſtudiorum veſtrorum dicit E Dominus, & ſuccendam ignem in ſaltu, *et cet.* Quo modo ignis in ſaltu inferni ardeat, require ſupra in proximo ſermone. Item congregant quidam in vitam tranſitoriam, qui hic recipiunt mercedem, qui tantũ cauſa timoris ſeruilis, vel amore laudis, vel rei temporalis, vel in ſtatu peccati mortalis, bona opera faciunt. De quibus: Sapientiã & diſciplinam, qui abij- *Sap. 3. b* ciunt, infelix eſt & vacua ſpes illorum, & labores illorum ſine fructu, & inutilia opera illorum, ſcilicet ad vitam æternam. Item alij congregant fructus in mortem, in vitam non tranſitoriam, ſed æternam, qui ſecundum opera meritoria faciunt ſicut animæ F ſanctæ: Felix ſterilis, *et cet. vſque* habebit fructum, *Ibidem. c* ideſt animarum ſanctarum. De ſecundo: In hoc cla- *Ioan. 15. b* rificatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis. Parum curares de arbore, quæ non afferret niſi duo vel tria poma, ſimiliter de agro non ferente niſi duo, vel tria grana. Sic & tu, ſi non vis contemni a Deo, non paucos, ſed multos bonorum operum fructus ferre debes: In omni bono opere fructificantes. In omni vtique bono opere, & etiam omni membro fructificandum eſt. Arbor enim multum fructum habere non poteſt, niſi in multis ramis: multi fructus ſunt multa bona opera, multi vero rami ſunt multa corporis membra. Certe Maria Magdalena multos *Luc. 7. f* fructus in multis ramis habuit, quando multa opera bona

bona in multis membris exhibuit. Pedibus enim acceſſit, oculis fleuit, crinibus terſit, ore oſculum dedit, manu vnxit, corde dilexit. Auguſtinus: Lacrymis irrigat, tergit crinibus, vngit vnguento, quid miraris, *Pſal. 66. a* terra dedit fructum ſuum. Fructus autem non multiplicatur, niſi terra cordis, vel voluntatis fuerit, valde *Mat. 13. a* bona: Aliud vero cecidit in terram bonam. De ter- *Iud. 9. b* tio dicebat arbor fici: Numquid poſſum dulcedinem meam deſerere, fructusq. ſuauiſſimos, vt inter cetera ligna promouear? Ita ſpiritualis homo dulces fructus bonæ vitæ non libenter deſerit inter ligna ſiluarum, ideſt inter malos, & infructuoſos, quin in operibus promoueatur bonis. Bernardus: Guſtato ſpiritu, decipit omnis caro, affectanti cæleſtia, terrena non ſapiũt, æternis inhianti, faſtidio ſunt tranſitoria. Conſiderandum autem eſt, quòd fructus delectabilitas eſt ex colore, ex odore, ex ſapore. Sed & fructus bonæ vitæ delectabilitas eſt ex colore pulchræ conuerſationis: *Eccli. 39. b* Quaſi roſæ plantatæ ſuper riuos aquarum fructificatæ. Aquarum, ideſt lacrymarum, vel aduerſitatum. Roſæ ſunt martyres, quorũ pulchritudinem in amore, & ſanctitate imitari debemus. Item ex odore bo- *Eccli. 24. c* næ opinionis: Flores martyrum, ideſt virtutes fructus odoris, & honeſtatis per effectum. Item ex ſapore *Idem. 11. a* mellifluæ deuotionis: Breuis in volatilibus apis, *et cet.* Sicut apis colligit fructum de floribus diuerſarum arborum: ſic & nos, conſiderando & imitando virtutes diuerſorum ſanctorum. Sed quidam nõ quærunt flores, ſed ſtercora hic hominum infirmorum *Ioan. 15. c* ad trahendum. De quarto: Poſui vos, *et cet. vſque* & fructus veſter maneat. Manere eſt durabile eſſe, vt non cito putreſcat per vitium, vel pereat ſicut fructus *Pſal. 77. e* Ægypti. Pſalmus: Dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locuſtis, & occidit in grandine vineas eorum. In ærugine luxuria: in locuſta ſuperbia: in grandine auaritia intelligitur. Si ergo vis fructum tuum manere, debes Ægyptum, ideſt mundum fuge- *Exemplum* re. Ioannes Chryſoſtomus: Sicut difficile eſt arborem iuxta viam poſitam, fructum ſuum vſque ad maturitatẽ ſeruare: ſic difficile eſt virum fidelem iuxta mundum viuentem, in actibus ſuis iuſtitiam immaculatam vſque ad finem tenere.

# DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

*Luc. 16. a* V*Ocauit illum, & ait illi. Quid hoc audio de te. Redde rationem villicationis tuæ.* Dominus noſter iuſtus iudex viuorum, & mortuorum in punitione cuiuſlibet peccatoris, qui nomine illius villici poteſt deſignari, eo quòd peccator eſt diſſipator bonorum Dei, more cuiuſlibet iuſti iudicis tria proponit in propoſito. Primo præmittit citationem. Deinde inſinuat incuſationem. Poſtremo exigit ſatisfactionem. Primo notatur citationis præmiſſio cum dicit: *Vocauit illum, & ait illi.* Secundo incuſationis inſinuatio, cum ſubdit: *Quid hoc audio de te.* Tertio ſatisfactionis poſtulatio, cum ſubinfert: *Redde rationem villicationis tuæ.*

Citat ſiue vocat nos Deus, vt ad ſuam curiam cæleſtis patriæ ire debeamus, tripliciter. Primo, verbo ſanctæ prædicationis rationalem informantis. Secundo, beneficio continuæ adminiſtrationis concupiſcibilem allicientis. Tertio, flagellis correptionis pœnitentiæ iraſcibilem deterrentis, vt qui inſenſibiles ſunt & nolunt erudiri per documenta, nec allici per beneficia, ſenſibiles deterreantur per flagella. Primo vocat ſiue citat nos Deus verbo Euangelicæ prædicatio- A nis, vt illuminet. Vnde: Ite ad exitus viarum, & quoſcumque inueneritis, vocate ad nuptias. Per iſtas nuptias, ſecundum Gloſſam, ſignatur ſacramentum incarnationis, per quod Deus Pater filio ſuo Eccleſiam tamquam ſponſam copulauit, ad quas nos vocat dum ſuos prædicatores mittit, dicens: Ite tamquam Euangelici prædicatores, ad exitus viarum, vbi ſunt errores gentium, & defectus actionum, ſecundum quòd dicit Gloſſa: Et quoſcumque inueneritis, ideſt cuiuſcumque conditionis, quia nulla eſt acceptio perſonarum apud Deum: ſed in omni gente, & in omni populo, & in omni conditione beneplacitum eſt illi. Vo- B cate tuba Euangelicæ prædicationis, ad nuptias, ideſt ad miſterium fidei. Secundo vocat nos Deus beneficio continuæ adminiſtrationis, vt alliciat. Vnde: Vo- *Iob 13. e* cabis me, & ego reſpondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram. Vocat Deus, cum muneribus præuenit, vt collatis beneficijs, quaſi emiſſis vocibus ad ſe ducere ſtudet. Reſpondet enim homo quando digna opera iuxta percepta munera reddere feſtinat, eo quòd miſericors Deus operi manuum ſuarum, ideſt homini formato manu ſuæ potẽtiæ porrigit dexteram ſuorum beneficiorum. Nam cælum fecit ad dandam ei lucem in die, vt ibi operaretur, tenebras C in nocte, vt quieſceret, & vtilem viciſſitudinem temporum. Aerem fecit vt præberet ei vtilem calorem, & omne genus auium ad ſuum ſeruitium miniſtraret. Aquam fecit, vt potum ſibi tribueret, & ſordes ſibi purgaret, arentia irrigaret, & diuerſitatem piſcium ad ſuum eſum nutriret. Terram fecit, vt eum portaret, pane confortaret, & vino lætificaret. Totus mundus ſeruit homini: quia factus eſt pro homine, vt ipſe ſeruiat ei, qui fecit mundum & hominem. Ergo ſentis beneficium continuæ adminiſtrationis: redde debitum bonæ operationis, alioquin de ingratitudine iuſte poteris argui. Tertio vocat flagello correptionis, D vt deterreat. Vnde: Exi in vicos & ſæpes, & compel- *Luc. 14. e* le intrare, vt impleatur domus mea. Dico enim vobis: quia nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabunt cœnam meam. Exi in vicos, vbi ſunt diaboli tentamenta, ſecundũ Gloſam, & ſæpes, vbi ſunt inutilia incitamenta vitiorum, & compelle intrare infirmitatibus, & calamitatibus præſentis vitæ. Et hoc eſt, quod dicit Gloſſa: Qui enim huius mundi aduerſitatibus confracti ad amorem Dei redeunt, a præſentis vitæ deſiderijs corriguntur, quia non niſi compulſi intrant, vt impleatur domus mea cæleſtis patriæ. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati E ſunt, guſtabit cœnam meam. Gloſſa: Quidam vocantur, & contemnunt: quia donum intellectus accipiũt, ſed opere non implent, & talibus qui inſenſibiles ſunt ad documenta, & beneficia, bonum eſt, vt frangantur infirmitatibus, aduerſitatibus & huiuſmodi: vt quos præſens vita, ſiue Ægyptus, ſecundum Gregorium, oppreſſit blanditijs, adiuuet premens: & dum Deus vocat, cruciatus impellat, quia dum affligit expedit. Nam dum violentiam ingerit, feſtinare ad ſuperna compellit. Vnde dum populus Iſraelitieus a Moyſe vocabatur, a Pharaone affligebatur, vt videlicet alter vocando traheret, alius ſæuiendo impelleret. F Felix, inquam, talis neceſſitas, quæ ad meliora compellit ſecundum beatum Auguſtinum. Secundo in verbo propoſito notatur incuſationis inſinuatio, cum ſubdit: *Quid hoc audio de te,* quaſi dicat valde grauiter incuſatus es mihi. Nam audio de primo arrogantium deteſtabilis inobedientiæ contemnentis celſitudinem immẽſæ potentiæ: vnde in Pſalmis: Auer- *Pſal. 77. f* terunt ſe, & non ſeruauerunt pactum, quẽadmodum patres eorum conuerſi ſunt in arcum prauum. In ira concitauerunt eum in collibus ſuis, ad æmulationem prouocauerunt. Audiuit Dominus, & ſpreuit, & ad *Pſal. ibid.* nihilum redegit valde Iſrael. Ecce quòd iſti maligni, & inobedientes ad nihilum redacti ſunt in conſpectu Dei: timentes autem Dominum, & obedientes eius præceptis



præceptis tãquam amicos glorificat, & exaltat ad magnificentiam amicitiæ, & amoris in præſenti, quantum ad dona gratiæ, & in futuro, quantum ad donum gloriæ. Vnde homo niſi obediat Deo humiliter, numquam dignus eſt ab eo honorari: immo pro nihilo tamquam ſtercus reputari. O amabilis virtus, mãſuetudo obedientiæ, quæ humiles ad tantam nominis excellentiam ſuſtollit, vt potius Dei amici, quàm famuli denominentur. Et o deteſtabile vitium, arrogantia inobedientiæ, quæ de angelo fecit diabolum: de innocente peccatorem. Secundo audio de te maleuolentiam impietatis, & inuidiæ effundentis ſanguinem hu- *Mat. 22. a* manæ naturæ. Vnde: Reliqui vero tenuerunt ſeruos eius, & contumelijs affectos, occiderunt. Rex cum audiſſet iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos. Reliqui nõ tantum contempſerunt venire ad fidem, immo tenuerunt ſeruos Dei Apoſtolos & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audiſſet vocem ſanguinis ad ſe clamantis de terra, iratus eſt, id eſt ſecundum gloſſam, cum tranquillitate iudicans in vltionem exarſit, & miſſis exercitibus ſuis Romanis ſub Tito, & Veſpaſiano, ſicut dicit gloſſa, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum, ſcilicet Ieruſalem ſuccendit: cum Ieruſalem inde ſit conſtructa extra portam, vbi Deus crucifixus fuit apparet illam Ieruſalem ex toto fuiſſe incenſam, & deſtructam: *Mat. 24. a* ſecundum quòd dicit gloſſa, ſuper illud: Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, vel miſſis exercitibus ſuis, id eſt angelis: ſecundum gloſſam per quos iudicium exercebit: perdidit homicidas, ideſt ſanctos perſequentes, & ciuitatem ſuccendit, id eſt carnem, in qua habitauit, in gehenna cremabit. Tertio audio de te demulcentiam carnalis, laſciuiæ ſubuertentis ima- *Pſal. 77. d* ginem diuinæ eſſentiæ. Vnde in Pſalmis: Tentauerũt Deum, vt peterent eſcam animabus ſuis, & ſequitur: Ideo audiuit Dominus, & diſtulit, & ira ſuccendit in Iacob, & ira Dei in Iſrael. Iudæi carnales, & guloſi ſtatim, vt paſſi ſunt famem, appetierunt eſſe in terra Ægypti ſuper ollas carnium, nec adhuc ſuffecit eis peccare peccato gulæ, concupientis carnalia delectamenta Ægypti: immo appoſuerunt adhuc peccare ei peccato diffidentiæ, & blaſphemiæ: male loquentes de Deo quòd non poſſet eis parare menſam in deſerto. Ideo audiuit Dominus hanc vocem, & diſplicuit: ſed tamquam miſericors diſtulit diſponens omnia ſuauiter quouſque eſcæ eſſent in ore eorum, vt experirentur nihil eſſe impoſſibile apud Deum: & poſtea tamquam iuſtus puniuit eos, cum ira Dei deſcendit ſuper eos. Vere guloſi quorum Deus venter eſt, tanto impetu ad cibum beſtialiter feruntur, vt nihil cogitent de Deo, ſed tantum modo quo modo poſſent ſuum ventrem colere, & adimplere, quorum gloria in cõfuſione eſt, propter rancoris ſubuerſionem.

Tertio in verbo propoſito notatur ſatisfactionis poſtulatio, cũ ſubinfert: *Redde rationem villicationis tuæ:* poſtulat Dominus ſatisfactionem, vt quilibet reddat principaliter de tribus. Primo de immundis cogitationibus cordis. Secundo de vanis, & duris ſermonibus oris. Tertio de malis, & prauis maleficijs operis. Primo homo tenetur reddere rationem de immundis, & peruerſis cogitationibus cordis. Vnde: *Rom. 14. b* Omnes aſtabimus ante tribunal Chriſti, & ſequitur: Vnuſquiſque noſtrum reddet rationem pro ſe Deo. Quis enim non timebit ſtare ante tribunal iſtius iudicis, qui ſcrutatur cogitationes, ponderat affectiones, examinat intentiones, & quærit de peruerſis cogitationibus, immundis affectionibus, & malis intentionibus rationem, eo quòd nulla ipſum latet cogitatio. Certe tunc latere erit impoſſibile apparere intolerabile. Chariſſimi, ſi nolumus timere ſtare ante tribunal tanti iudicis, habeamus cor noſtrum mundum, & purum, vt ſit abſque tumore ſuperbiæ, abſque liuore inuidiæ, abſque ardore auaritiæ, abſque torpore accidiæ, & vt breuius dicam, abſque omni voluntate pec- A candi. Secundo reddere debet homo rationẽ de otioſis, & crimĩnoſis verbis oris. Vnde: De omni verbo *Mat. 12. c* otioſo quod locuti fuerint homines reddẽt rationem Deo in die iudicij ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis cõdemnaberis. Illud eſt verbum otioſum ſecundũ gloſſam, quod ſine vtilitate loquentis dicitur, aut audientis: vt de friuolis, & fabulis. Vnde ſi de verbo otioſo reddet rationem, quanto magis de verbis criminoſis, certe ex verbis bonis homo iuſtificabitur, & ex verbis malis homo condemnabitur: quia mors, & vita in manu linguæ, ſecundũ Salomonem: Si nolumus condemnari ex verbis noſtris in die iudicij, ha- B beamus in ore noſtro verba dulcia, non dura: humilia, non ſuperba: ædificatoria, non criminoſa, & detractoria. Tertio debet homo reddere rationem de prauis maleficijs operis. Vnde in ſymbolo Athanaſius: *Athanaſius in ſymbolo.* Omnes reſurgere habent cum corporibus ſuis, & redituri ſunt de factis proprijs rationem. Et in verbo propoſito: *Vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te: Redde rationem villicationis tuæ: Vocauit illum,* quãdo timorem incutit æternæ damnationis ſecundum gloſſam: & *ait illi,* dictante conſcientia: *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ:* id eſt ſecundum gloſſam: cogita dum viuis qualiter debeas ope- C rari: vt euadas pœnas æternas. Ideo enim tempore mortis non poteris villicare, id eſt operari ad ſatisfaciendum. Rogemus, *et cetera.*

## SERMO II.

R*Edde rationem villicationis tuæ.* Villicus *Luc. 16. a* Domini eſt omnis homo, cui bona ſua naturalia, vel temporalia commiſit diſpenſare, de quibus oportet Deo rationẽ reddere. Reddenda eſt autem de tribus: videlicet, de malorum commiſſione, bonorum omiſ- D ſione, de ſubditorum commiſſione. De primo: De *Mat. 12. c* omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. O Domine Deus, ſi reddemus rationem de leuibus verbis, quid erit de grauibus factis? ſi de quadraginta, quid erit de mille marchis, vel decem millibus? Cum cœpiſſet rationem po- *Mat. 18. b* nere, oblatus eſt ei vnus qui debebat decem millia talenta. Talentum enim eſt pœnitentia, vel ſatisfactio, quam ſoluere tenentur pro peccato. Vnde decem millia talenta, ſunt condignæ ſatisfactiones pro decem mandatorum multiplicibus tranſgreſſionibus. De his decem millibus dicitur: Aman promiſit decem millia *Eſther. 3. c* E talenta, vt populus Dei interficeretur. O miſer homo, tu proximos interficis corporaliter, non ſolum faciendo, vel conſentiendo, ſed etiam ſubtrahendo. Auguſtinus: Paſce fame morientem: ſi non pauiſti, occidiſti. Item interficis ſpiritualiter, ad peccatum mortale quomodolibet inducendo. Pſalmiſta: Interficitis vni- *Pſal. 61. a* uerſi vos, *et cet.* Auguſtinus: Qui in conſpectu alterius male viuit, quantum in illo eſt, illum a quo attenditur, occidit. Aman diabolum ſignificat. Interpretatur enim iniquus in culpa, vel comprimens in pœna. Vt ergo ſecure occidas, ſecure male facias. Aman id eſt diabolus pecuniam promittit, quando te ſub ſpe F futuræ ſatisfactionis peccare facit, & promittit decem millia, quando de omnibus Decalogi tranſgreſſionibus te, vt ſecure pecces, de futura pœnitentia, & miſericordia præſumere facit. Gregorius: Diabolus malorum aliorũ facit grauiora, require in ſermone ſupra. *Princeps mundi, et cet.* De ſecundo dicitur hic: *Redde rationem villicationis tuæ.* *Pag. 122.* Bona in corpore, vel in anima, vel in rebus tibi commiſſis, quorum non es heres, vel Dominus, ſed villicus, debes ad voluntatem Domini diſpenſare. Qui enim vires corporis, vel ſenſus animæ, vel res, vel tempus, vel huiuſmodi male expendit, bona Domini diſſipat. Bene dixi, vel tempus. Sicut enim de omni verbo otioſo, ita de omni tempore, homo rationem reddet Deo. Anſelmus: Exigetur

tur a te vſque ad momentum omne tempus viuẽdi tibi impenſum, qualiter fuerit expenſum. Sed heu Domine Deus, timendum eſt: non ſolum rationem reddemus de bonis diſſipatis, ſed etiam de lucris bonorum neglectis. *Mat. 25. b* Venit Dominus ſeruorum illorum, & poſuit rationem cum eis, *et cet.* vbi ſubiungitur, quòd ille damnatus eſt, qui cum talento ſibi tradito nihil lucratus eſt. Quinque ergo talenta ad lucrandum data ſunt nobis: videlicet, naturæ, fortunæ, potentiæ, ſcientiæ, & gratiæ. Donum fortunæ dico diuitias. De his talentis ſuperbire, tã ſtultum eſt ac ſi homo de hoc ſuperbiret, quòd eſſet multis debitis obligatus, cum potius de hoc deberet humiliari. *Greg. hom. 9. in Euãg.* Gregorius: Cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Tanto ergo eſſe humilior, *et cet.* *Heb. 13. c* De tertio: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. O quàm grauiſſimam rationem pro animabus reddent prælati: quia pro anima neglecta: *2. Reg. 20. g* Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius. Non ſolum autem Eccleſiaſtici, ſed etiam mundani iudices rationem reddent pro omnibus animabus iniuſte perditis, immo de omnibus iudicijs, & factis ſuis. *Dan. 6. a* Vnde bene dicitur quòd tres Principes erant in regno, quibus Satrapæ debebant reddere rationem. Principi ſacerdotali ratio redditur in confeſſione: Principi vniuerſali in extrema examinatione: Principi infernali in extrema quadrantis exactione: Et certe non ſolum iudices, immo & quilibet homo reddet rationem de omnibus animabus per eum ſeductis, & perditis, & præcipue pro anima propria. *Rom. 14. c* Vnuſquiſque pro ſe reddet rationem.

## SERMO III.

*Mat. 7. c* Q*Vi facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Conſiderandum autem eſt, quòd facientes patris voluntatem, a patre exaudiuntur in neceſſitate: filio coniunguntur in familiaritate: a Spiritu ſancto deducuntur in bonitate: a Trinitate admittuntur in immortalitate. *Ioan. 9. f* De primo: Si quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hũc exaudit. Ecce quando cæcus illuminatus credit Ieſum a Deo patre pro ſua illuminatione exaudiri: ſic nos pro illuminatione animarum noſtrarũ exaudimur, ſi Dei voluntatem facimus in fide: immo & in alijs neceſſitatibus nos exaudit. *2. Mach. 1. a* Dat vobis omnibus cor vnum, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem. Sequitur: *Baruc. 3.* Et faciat pacem quo ad peccata. Si in via Domini ambulaſſet, habitaſſet vtique in pace ſuper terram. Sequitur. Et reconcilietur vobis quo ad ſeipſum, ſicut pater reconciliatus fuit filio prodigo. *2. Cor. 5. d* Vnde: Obſecramus vos pro Chriſto, reconciliamini Deo. Sequitur: Neque vos deſerat in tẽpore malo, quoad diabolum. *Pſal. 36. d* Pſalmus: Dominus non derelinquet eum in manibus eius. *Mat. 12. d* De ſecundo: Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & mater, & ſoror eſt. Voluntas Dei eſt, vt Deum timeas, Deũ ac proximum diligas, caſte, & munde viuas, & ſic de alijs virtutibus. *1. Theſ. 4. a* Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Maſculus faciens voluntatem Dei patris, frater Chriſti eſt. *Heb. 2. c* Non confunditur fratres vocare eos, *et cet.* Femina faciens voluntatem Chriſti, ſoror eſt. *Cant. 5. a* Aperi ſoror mea. Frater Dei faciens voluntatem Dei, mater Chriſti eſt. Ipſum enim a Spiritu ſancto concipit per fidem, & amorem, & geſtat in vtero caſtitatis ſpiritualiter, ſicut Maria mater corporaliter. Nihil tibi prodeſt, quòd Maria Chriſtum pro te geſtauit in ventre, niſi tu Chriſtum geſtes in mente. Quid mirum cum etiam de ipſa Maria dicat Auguſtinus: Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi prius Chriſtum corde, quàm carne geſtaſſet. *Pſal. 142. c* De tertio Pſalmus: Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu:

A ſpiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, *et cet.* Deducet in conuerſatione bona, & virtutibus. *Pſal. 30. a* Pſalmus: Propter nomen tuum deduces me. Gloſſa de virtute in virtutem. Dei autem voluntatem facere non ſolum eſt hominis, ſed etiam angelorum. *Pſ. 102. d* Pſalmus: Benedicite Domino omnes angeli, *et cet.* Immo etiam Chriſti eſt facere voluntatem eius. *Ioan. 4. 5. c 6. d* Vt faciam eius voluntatem, qui miſit me. Hanc maxime fecit pro peccatis moriendo. *Iſa. 53. d* Si poſuerit animam ſuã pro peccato, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manibus eius dirigetur. Si ergo Chriſtus voluntatem patris fecit propter homines, quare miſer B homo non facit pro ſeipſo? Ecce Angeli Dei, & filij Dei faciunt voluntatem Dei, & tu peccator facis voluntatem diaboli. *Mat. 6. b* Ora miſer, & dic illud: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo. Gloſſa: Sicut in angelis, ita & in hominibus, vel ſicut in Chriſto, ita & in Eccleſia, vel ſicut in iuſtis, ita in peccatoribus, vel ſicut in mẽte, ita in carne. De quarto dicitur hic: Qui fecerit voluntatem Dei, *et cet.* vſque intrabit in regnum Dei. Magna promiſſio. Sed heu quanta detrimenta facit homo ſibi, faciendo voluntatem Domini ſui temporalis pro quinque ſolidis, & numquam facit voluntatẽ C Domini Dei ſui pro regno cælorum, quod vtique recipiet ſeruus voluntatem Dei faciens. *Eph. 6. a* Vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes ſicut Domino, & non hominibus: ſciẽtes quòd vnuſquiſque quodcumque fecerit bonum hoc recipiet a Deo. Debet homo primo voluntatem Dei cognoſcere. *Luc. 12. f* Secundo cognitam facere: Seruus cognoſcẽns voluntatem Domini ſui. Tertio pro facienda Dei voluntate, mala ſuſtinere. *1. Pet. 3. c* Melius eſt enim vt benefacientes, ſi velit voluntas Dei, pati, quàm malefacientes. In tribulatione ergo conſolatur hominem diuinæ voluntatis conſideratio exemplo Chriſti. *Mat. 26. d* Pater mi, ſi non poteſt tranſire calix iſte niſi bibam D illum, fiat voluntas tua. Ecce quale ſpeculum patienti eſt Chriſtus. Bernardus: Vtrumque mihi Domine es, & ſpeculum patiendi, & præmium patientis: vtrumque fortiter prouocat, & vehementer accendit.

## SERMO IV.

*Luc. 16. c* F*Acite vobis amicos*, & cet. Quadruplicem amicum habet homo, ſcilicet Deum, angelum, hominem, diabolum. Habet homo amicum Deum creantem, angelũ dirigentem, hominem, id eſt pauperem E exorantem, dæmonem perſequentem. De primo: *Prou. 22. b* Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem. O quanta dignatio, quòd rex vult eſſe amicus pauperis ſerui. Vere fidelis amicus rex, qui haberet ſeruum leproſum, vel phreneticum, qui curari non poſſet, niſi in ſanguine regali balnearetur, & tunc rex pro ipſo ſanguinem ſuum vſque ad mortem effunderet, maximus amicus eſſet hic. Ita pro peccatoribus lepra vitiorum infectis, & coram Deo phreneticis: fecit rex æternus fidelis amicus, vt medicamentum eis eſſet, non vitæ temporalis, ſed ſpiritualis, & æternalis. *Eccli. 6. b* Vnde: Amicus fidelis medicamentum vitæ, & im- F mortalitatis. Auguſtinus: Fuſus eſt ſanguis medici, & factum eſt medicamentum phrenetici. De ſecundo Dominus ad ſponſam, ſcilicet fidelem animam, ait: *Cant. 8. d* Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam. Hortus iſte Eccleſia eſt: Vnde de grano ſinapis dicitur. *Luc. 13. d* Quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & factum in arborem magnam, & volucres cæli requieſcebant ſub ramis eius. In horto iam heu infructuoſæ herbæ, & plantæ nimis accreſcunt: quæ vtique extirpatæ in ignem mittuntur. *Mat. 13. d* Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum. Granum ſinapis eſt Chriſtus, paruum quidem humilitate, ſed efficax virtute: quia iam in fide credentium arbor magna facta eſt: cuius rami ſunt

exem-



exempla & opera, quæ exhibuit pro ſalute noſtra. In quibus volucres cæli, id eſt animæ fidelium per contemplationem, & amorem requieſcunt. O quàm dulciter in hoc horto iſtæ volucres prædicando, orando, ſuſpirando, laudando cantant. Amici ſunt auſcultantes angeli, qui in tam dulci cantu pſallentium delectantur. Bernardus: Interſunt angeli cantantibus, adſunt orantibus, inſunt meditantibus, ſuperſunt quieſcentibus ordinantibus, & procurantibus proſunt. Hi amici quanto magis dulcem cantum, & dulciora orationum verba a nobis audiunt, tanto magis amici noſtri fiunt: *Eccli. 6. a* Verbum dulce multiplicat amicos. Vnde ipſi tamquam amici in morte noſtra conueniunt ad exequias. Amici enim corporales corpus ad ſepulchrum, infernales animam iniuſtam ad infernum: cæleſtes vero iuſtam ad regnum cæleſte deportant: *Luc. 16. e* Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abraæ. De tertio amico multa dici poſſent, quia infidelis & fidelis amicus homo inuenitur. Sed de illis amicis ad præſens videamus, de quibus hic Dominus ait: *Facite vobis amicos*, & cetera. Iſti ſunt pauperes, quos de mammona iniquitatis, id eſt de diuitijs temporalibus nobis amicos facimus, cum eis in temporalibus ſubuenimus: *Prou. 19. a* Diuitiæ addunt amicos plurimos, a paupere autem & ij, quos habet, ſeparantur. Videte autem vos diuites, quare pauperes amicos debetis facere. Ideo vtique, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Honorandi ergo ſunt tales receptores. Bernardus: Si patrimoniũ eleemoſynis emitur, pauperes non ſunt ſolum audiendi, vt egeni, ſed vt patroni exorandi. Sed certe quilibet ſecundum ſuas vires dando lucratur hos amicos: *Eccli. 14. b* Ante mortem benefac amico tuo, & ſecundum vires tuas exporrigens, da pauperi. Hoc patet in dimidio bonorũ Zachæi, & in calice aquæ frigidæ. *Luc. 19. b* De quarto: Omnis amicus fraudulenter incedet. *Mat. 10. d* Amicus peccatoris eſt diabolus. *Ier. 9. b* Ambroſius: Sicut amat guluſus porcellum vt comedat, ſic diabolus animam peccatorum vt perdat. Vere fraudulentus eſſet amicus, qui amico propinaret venenum pro vino. Hoc vtique facit diabolus peccatori: *Abac. 2. c* Væ qui potum dat amico ſuo miſcens fel ſuum & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius. Miſeri peccatores in vino momentaneæ voluptatis bibunt fel: *Deut. 32. e* Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Inebriat autem diabolus animam, vt aſpiciat nuditatem eius. Cum enim veſtibus virtutum in vita, & in morte veſtimento corporis exuitur, tunc omnino anima nuda aſpicitur. Iſtum nobis de mammona iniquitatis facimus amicũ, pauperibus ſubtrahendo, angelos vero & ipſos pauperes nobis facimus amicos, pauperibus erogando.

## SERMO V.

*Luc. 16. c* F*Acite vobis amicos*, & cet. *vſque recipiant vos in æterna tabernacula.* Tabernacula autem ſunt manſiones, de quibus: In domo patris mei mãſiones multę ſunt. Recipiuntur autem homines ad manſiones cæleſtes per veram afflictionem, per inflictam tribulationem, per piam erogationem, per ſinceram dilectionem. *Act. 10. c* De primo: Et ſtatim receptum eſt vas in cælum. Vas iſtud, ſicut ibidem dicitur, erat quaſi linteum magnum, in quo erant quadrupedia, & ſerpentia, & volatilia, quod oſtenſum eſt Petro, & receptum eſt in cælum. Linteum, quod de lino tonſionibus, & laboribus multis fit, ſignificat pœnitentiam multo labore corporis, & tunſione agendam. Bernardus: Si vis agere pœnitentiam, punire debes membra, corpus affligere, iudicare teipſum, vt non incidas in manus Dei viuentis. Sed quidam faciunt pœnitentias laborioſas, qui non omnino relinquunt conſuetudines prauas. *Ezec. 24. c* Ideo bene dicitur: Multo ſudatum eſt labore & non exiuit de ea, id eſt de anima eius minima rubi-

A go. Ter autem linteum oſtenſum dicitur, quia in contritione, confeſſione, ſatisfactione pœnitentia agitur. Quadrupedia vero auaros: ſerpentes, luxurioſos: volatilia ſuperbos ſignificant. Hi omnes in cælum recipiuntur, quotquot in linteo pœnitentiæ continentur. Auguſtinus: Animæ ſanctæ, quæ in hoc ſæculo, aut per vitæ innocentiam puræ ſunt, aut per pœnitentiæ ſatisfactionem purgantur, & a Saluatore noſtro recipiuntur. De ſecundo nota quòd cum Tobias flagellatus eſſet captiuitate, & cæcitate & ſpecialiter vxoris importunitate, dicit: *Tob. 3. a* Nunc Domine ſecundum voluntatem tuam fac mecum miſericordiam, & præci- B pe. Reuera enim per tribulationem recipitur homo ad æternam conſolationem: *Act. 14. d* Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum: *Apoc. 7. d* Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna. Sed quis in vitam æternam recipitur, niſi qui in vita tranſitoria cum Lazaro mala recipit? *Luc. 16. e* Ecce Angeli: Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur, *et c.* immo certe a Deo recipitur, qui cum Stephano lapidatur: *Act. 7. g* Domine Ieſu Chriſte ſuſcipe ſpiritum meum. Recipiuntur autem in pace, qui cum hoſtibus animæ, & vitijs pacem non habent viuentes, qui autem cum hoſtibus animæ, & vitijs pacem habent viuentes, pa- C ce carebunt morientes: *Luc. 19. g* Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, *et cet.* Nota quòd poſt malam pacem inimici noſtri dæmones in morte circumdabunt, exitum obſeruando, coanguſtabunt, ſpiritum rapiendo, proſternent, in inferno detrudendo. De tertio dicitur hic: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, de diuitijs, quæ inique acquiruntur. Vel iniquæ, id eſt non æque diſpenſantur. Cum indignus plus, vel minus abundet, vel D quilibet, vt dicit Gloſſa: Mammon perdet, vt per eas deperdantur homines. Sequitur. *Cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ecce nõ gratis pauperi eleemoſynã dediſti, ſed hoſpitium æternũ tibi conduxiſti. Auguſtinus: Præbe tectum, & accipe cælũ, præbe calicem aquæ frigidæ, & accipe torrentem voluptatis æternæ. Recipe ergo pauperes, vt recipiaris ab eis. Quando enim pauperem recipis, forſitan recepiſti eũ, qui te recipiet in æterna tabernacula: *Heb. 13. d* Hoſpitalitatem nolite obliuiſci, *et cet.* Vel forſitan recepiſti Deum: *Mat. 25. d* Hoſpes eram, & collegiſtis me: Exemplum de quodam patre familias, de quo ſcribit Gre- E gorius: In homil. 2. feria poſt Paſcha. De quarto: *Eccli. 48. b* Qui receptus es in turbine igneo, in curru equorum. *4. Reg. 1. b* Currus igneus in quo receptus eſt Elias in paradiſum, eſt charitas, ſine qua nemo in cælum recipitur. Auguſtinus: Inuidere fas non eſt eis, quæ ita perfecta ſunt, vt a ſponſo recipiantur. Currus autem charitatis quattuor rotas habet. Prima eſt amor Dei. *Deut. 6. a* Diliges Dominum Deum tuum, *et cet.* Secunda amor tui. Si quis non amat ſeipſum, *et cetera.* Certe qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam, *et cet.* Tertia amor amici: *Leuit. 19. d* Diliges amicum tuum ſicut teipſum. Quarta amor F inimici: *Mat. 5. g* Diligite inimicos veſtros. Quicumque aliqua harum rotarum carueris, in cælum pergere non poteris.

# DOMINICA NONA POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

Luc. 19. f *CVm appropinquaret Ieſus Ieruſalem, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam,*
& cetera: Dominus Ieſus exemplo
&verbo ad fletum nos prouocat.
Exemplo: quia ipſe fleuit in præ-
Hym. in Dom. paſſ. ad Noct. ſepio. Hinc de Chriſto Saluatore
noſtro cantat Eccleſia:
*Vagit infans inter arcta*
*Conditus præſepia.*
Ioan. 11. d Et hic ſuper ciuitatē, & ſuper Lazarum mortuũ, & in
Heb. 5. c cruce: Cum clamore valido & lacrymis offerens, exau-
ditus eſt pro ſua reuerentia. Verbo, quia dicit: *Quia ſi*
*cognouiſſes & tu.* Subauditur, fleres. Vnde interlinearis:
quaſi fleuiſſes, quæ modo exultas. Flēte ergo Domino
pro nobis, omnes cum ipſo flere debemus. Flendũ au-
tem eſt pro culpa, vt ignoſcatur: pro gratia, vt obtinea-
tur: pro miſeria, vt euadatur: pro patria, vt ad eam
Mat. 26. g veniatur. De primo: Egreſſus foras, fleuit amare.
Si Petrus pro trina negatione tam amare fleuit, quan-
to plus tu pro mille negationibus flere debes! Quo-
tiens enim mortaliter peccaſti, totiens opere Deum
Tit. 1. d negaſti: Confitentur ſe noſſe Deum, factis aut negāt.
Sed quia parum valet fletus oculorum ſine conuerſio-
Ioel 2. c ne morum, ideo dicitur: Nunc ergo in toto corde
veſtro conuertimini ad me, dicit Dominus, in ieiu-
nio & fletu, *et cet.* Certe qui eſſet in domo vndique
ardenti, inſtantiſſime laboraret eam aquis extinguere:
quanto magis o ſtulte homo, cum cor tuum, anima
tua ardeat flammis vitiorum, extinguere debes aquis
Ier. 9. c fletuum: Super montem aſſumam fletum, & ſuper
ſpecioſa deſerti planctum, quia igne ſuccenſa ſunt.
Montes ſunt prælati, & potentes. Deſertum eſt reli-
gio vel Eccleſia, cuius ſpecioſa ſunt bona opera, boni
mores, quibus illi aſſimilantur, de quo Pſalmiſta di-
Pſal. 44. a cit: Specioſus forma, *et cet.* Sed ſtultus homo mor-
tem carnis alienæ deflet, non mortem animæ propriæ.
Auguſtinus ſic ait: Culpabiliter ſe durum oſtendit,
qui damna temporalium, vel mortem amici deflet, &
non dolorem peccati oſtendit per lacrymas. De ſe-
Oſee 12. b cundo: In fortitudine ſua directus eſt cum angelo, &
inualuit ad angelum, & confortatus eſt, & fleuit & ro-
gauit illum. Verbum illud dicitur de lucta, per quam
Iacob obtinuit benedictionem ab angelo, ſicut legitur
Iacob, ideſt quilibet fidelis cum angelo magni conſi-
lij, ideſt Chriſto luctatur, quando inſiſtit deſiderijs,
& exercitijs ſpiritualibus ad virtutes, & deuotionem
ſe diſponit. Si autem in luctando, vel rogando fleue-
rit, benedictionem gratiæ obtinere poterit, quam non
ſolum boni, qui per Iacob: ſed & mali, qui per Eſau
Gen. 27. f ſignificantur, deflendo obtinent: Cumq. eiulatu ma-
gno fleret, motus Iſaac dicit ad eum: In pinguedi-
ne terræ & rore cæli deſuper erit benedictio tua. Iſaac
ſignificat Chriſtum. Pinguis terra bonam voluntatē.
Ros cæli gratiam Spiritus ſancti. Vides ergo quomo-
do fletu vincatur Deus, vnde de lacryma ait Bernar-
dus: Accuſantibus inimicis, *et cet.* Require in ſermo-
Iob 16. e ne. *Qui lotus eſt, et cet.* De tertio: Enumeratis mul-
Ser. 3. in cœna Dom. tis miſerijs dicitur: Facies mea intumuit fletu, *et cet.*
Eſt autem miſeria triplex deflenda, videlicet corpora-
lis, propria, & aliena. Vnde cum flente Suſanna flebāt
Iob 30. d omnes, qui nouerant eam: Flebam quondam ſuper
eo, qui afflictus erat, *et cet.* Si autem fles cum flente
proximo, quanto magis flere debes cum flente Chri-
ſto, qui etiam pro te fleuit in patibulo? Bernardus:
Fleuit Chriſtus in cruce, *et cet.* Require in ſermone.
Ser. 5. & 6. Paraſc. *Colligite, et cetera.* Item deflenda eſt miſeria ſpiritua-
lis, quod hic ſignificatur in fletu Domini, cum dici-
tur: *Videns ciuitatem*, & cet. Ciuitas enim Dei, vel

A diaboli eſt homo, qui patitur omnia ſpiritualiter, quæ
hic dicuntur de Ieruſalem corporaliter. Item æterna-
lis: Recedite a me, amare flebo dies occiſionis, & con- Iſa. 22. a
culcationis, & fletuum. Occiſorum ſcilicet per mor-
tem æternam. Conculcantur corpora in ſepulchro a
tranſeuntibus, animæ in inferno a dæmonibus, in iu-
dicio autem ſimul vtraque a ſanctis triumphantibus:
Conculcabitis impios, *et cet.* & maxime a Chriſto. Malac. 4. a
Pſalmus: Ponam inimicos ſcabellum pedum tuorum. Pſal. 109. a
Huius triplicis miſeriæ pericula miſer homo naſcen- Homo cur flendo naſcatur.
do incurrit. Vnde bene flendo naſcitur. Auguſtinus:
Quid eſt quòd anima non a riſu, ſed fletu orditur
B hanc lucem? quòd malorum vallem ingreſſa ſit pro-
phetat quodam modo. De quarto, Pſalmus: Super Pſal. 136. a
flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus: Flumi-
na Babylonis ſunt mundi concupiſcentiæ, vel miſeriæ.
Syon interpretatur ſpeculum, vel ſpeculatio, & ſigni-
ficat patriam, in qua æterna ſpeculatio eſt Trinitatis,
pro qua merito flent exules. Pſalmus: Hei mihi quia
incolatus meus prolongatus eſt. Bernardus: Futura Pſal. 119. b
non ſapis, neque gaudia concupiſcis, ſi non quotidie
poſtulas ea cum lacrymis. Et nota, quòd ſicut per
aquas quilibet in naui faciliter ducitur ad terram: ſic
in naui pœnitentiæ per aquam fletuum, per torrētem
C lacrymarum adducitur quis ad patriam cæleſtem:
In fletu venient, & in miſericordia reducam eos per Ier. 31. b
torrentem aquarum in via recta, & non impingent.

## SERMO II.

*SI cognouiſſes & tu.* Et tu, ſubaudit, fleres. Luc. 19. f
Quadruplex cognitio te miſer homo ad
fletum debet prouocare. Si enim cogno-
ſceres in tranſgreſſione peccati fœditatem,
retributionis æquitatem, redemptionis charitatem,
reſolutionis ſiue mortis calamitatem, bene flere debe-
D res. De primo, Pſalmus: Iniquitatem meam ego Pſal. 50. a
cognoſco. O peccator cognoſce, ſicut Dauid, iniqui-
tatis tuæ grauitatem. Pſalmus: Sicut onus graue, & Pſal. 37. a
*cet.* Item multiplicitatem. Pſalmus: Multiplicatæ ſunt
ſuper capillos capitis mei: Peccaui ſuper numerum Pſal. 39. c
arenæ maris. Item fœditatem, quia putredo eſt om-
nis iniquitas. Pſalmus: Putruerunt & corruptæ ſunt
cicatrices, *et cet.* Cicatrices ſunt vulnera. Gloſſa: Vul-
nera ſanata ſunt per baptiſmum, vel per pœnitentiam Pſal. 37. a
quæ putreſcunt cum peccato iterum conſentitur. O
quàm fœda, & fœtida eſt coram Deo peccatorum pu-
trefactio. Auguſtinus: Tam tolerabilius canis pu-
E tridus fœtet hominibus, quàm anima peccatrix Deo.
Neceſſe certe eſt quòd homo cognoſcat peccata ſua.
Quo modo enim inimicitiæ pacificarentur, quo mo-
do morbi ſanarentur, ſi non eſſe cognoſcerētur? ſic
certe pacem cum Deo, cum angelis, & quandoque
cum hominibus, & curationem animæ, & quando-
que corporis conſequi non potes, niſi cognoſcas per
contritionem, per confeſſionem peccata tua: Expe- Ier. 8. e
ctauimus pacem, & non erat bonum tempus mede-
læ, & ecce formido: peccauimus enim Domino. O ſi
peccata tua cognoſceres, quantum cum Petro flere
poſſes: Egreſſus foras, fleuit amare. Auguſtinus: Qui Luc. 22. g
F ſe cognoſcunt, *et cet.* Require ſupra in ſermone. *Eſt*
*puer vnus hic, et cet.* De ſecundo, Pſalmus: Cognoui Pſal. 18. k
Domine quia æquitas iudicia tua. Illa vtique iudicia, Ser. 3. Dom.
de quibus ille habebat diademata multa, & gladium 4. Quadra.
ex vtraque parte acutum, commendātur cum dicitur: Apoc. 19. c
Cum iuſtitia pugnat, & iudicat iuſtum iudicium cum
diademate coronare bonos, gladio ferire, & pugnare
contra malos. Cognoſce miſer homo iudicia Dei nūc
in mundo ſalubriter, ne in iudicio cognoſcas tunc
inutiliter. Bernardus: Cognoſcetur certe Dominus
iudicia faciens, qui nunc ignoratur miſericordiam
quærens. O ſi peccator Dei cognoſceret iudicium,
quo fletu flere poſſet? Vnde de mundo, aut de anima
peccatrice ſub figura Babylonis ſic dicitur: Quàm Apoc. 18. c
flebunt



flebunt, & plangent ſuper illam reges terræ dicentes:
Væ, væ, væ ciuitas illa magna Babylon, quoniam in
vna hora venit iudicium tuum. Væ pro peccato cor-
dis: Væ pro peccato oris: Væ pro peccato operis. Me-
Mat. 13. e lius eſſet hic flere, quàm æternaliter. Ibi erit fletus,
1. Ioan. 3. c & ſtridor dentium. De tertio: In hoc cognouimus
Ionæ. 1. d charitatem Dei, quoniam ipſe pro nobis animam ſuā
poſuit. Sicut enim Ionas animam ſuam poſuit vt alij
ſaluarentur in naui: ſic Chriſtus, vt in naui Eccleſiæ
ſaluaremur. Quòd ſi homo recte paſſionis charitatem
Chriſti agnoſceret, quanta Chriſtus amore noſtri in
capite, in manibus, in pedibus, in dorſo, in collo, in fa-
cie, in ore, in morte ſuſtinuit, bene flere poſſet. Ipſe
enim iudex noſter, de cuius morte dicitur per figuram
1. Mach. 9 c de morte Iudæ: Fleuerunt eum omnis populus Iſrael
planctu magno. Quo modo cecidit potens, qui ſaluū
Ioan. 19. f faciebat populum Iſrael, *& cetera.* Et quis poſſet
tranſire ſiccis oculis, quòd lancea militis latus tranſ-
fixit Saluatoris? Potius tamen flere debet peccator
vulnera animæ ſuæ, pro quibus Chriſtus patitur, quā
Luc. 23. d vulnera, quæ corpus Chriſti patitur. Filiæ Ieruſalem
nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flete. De
quarto, ſpecialiter: *Si cognouiſſes, & tu.* Hæc enim an-
guſtia fit homini in morte, vbi inimici dæmones ho-
minem circumdant, exitum obſeruando, ſicut canes
circumdant cadauer. Item coanguſtant, animam ra-
Thren. 1. b piendo: Omnes perſecutores eius apprehenderunt
eam inter anguſtias. Item proſternunt in infernum,
dicendo: O ſi homo tantas mortis anguſtias cogno-
ſceret, quo modo fleret. Vnde cum Ezechias audiſ-
ſet ſe moriturum, conuertit faciem ſuam ad parietem,
Iſa. 38. a & fleuit fletu magno, vt dicitur. Paries ſignificat pœ-
nitentiam peccati, quòd diuidit inter nos, & Deum.
Qui iſtum parietē manu tetigerit, ipſum propria con-
ſcientia, tamquam ſerpens in morte non mordebit.
Amos 5. b Quo modo ſi fugiat vir a facie leonis, & occurrat ei
vrſus, & ingrediatur domum eius, & innitatur manu
ſuper parietem, & mordeat eum coluber. Leo eſt iu-
dex: Vrſus eſt diabolus. Coluber, vt dicit Gloſſa, eſt
propria conſcientia. Per iſtam enim arctatur homo
in morte.

## SERMO III.

Luc. 19. g *CIrcumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique.*
Inimici, qui animabus hominum iſta mala
facient, dæmones ſunt: qui animas circū-
dant in mundo: coanguſtant in extremo,
proſternunt in inferno. Circumdant in
tentatione, coanguſtant in expiratione, proſternunt
in damnatione. Circa primum, nota quàm periculo-
ſum ſit, quando homo circumdatur hoſtibus, & flu-
ctibus, vel ignibus. Et certe miſera anima quotidie
circumdatur inimica malignitate: mundi fluctuoſa
tempeſtate: carnis ignea voluptate. De primo, Pſal-
Pſal. 17. c mi: Circumdederunt me canes multi, concilium ma-
lignantium obſedit me. Canes malignantes, ſunt dæ-
mones, qui plus animam tuam, quàm canes feram
perſequuntur. Bene autem dicitur: Concilium mali-
gnantium obſedit. Sicut enim caſtrum ab hoſtibus fe-
rociſſimis, ſic anima humana obſidetur a dæmoni-
Eccls. 9. d bus. *Perfecta eſt obſidio.* Bernardus: Heu me Do-
mine Deus, quia vndique mihi mala, vndique tela vo-
lant, vndique pericula, vndique impedimenta: quo
quo vertam me, nulla vndique ſecuritas. Require in
ſermone, *Tunc aſſumpſit.* De ſecundo: Circumde-
Ionæ 2. c derunt me aquæ vſque ad animam meam, *et cetera.*
Mare eſt mundus in quo Ionas, id eſt quilibet iuſtus
aquis miſeriæ, & fluctibus circumdatur, quamdiu dies
Pſal. 87. d huius vitæ durat. Pſalmus: Circumdederunt me ſicut
aqua tota die, *&c.* Tu ergo ne ſubmergaris, maneas in
Pſal. 117. b naui pœnitentiæ quotidie. De tertio, Pſalmus: Cir-
cumdederunt ſicut apes, & exarſerunt, ſicut ignis in
ſpinis. Senſus carnis ſunt quaſi apes, mel delectatio-

A nes carnales colligentes, & aculeum remorſionis in
conſcientia relinquunt. Sicut enim apes in floribus,
ſic ſenſus in delectationibus vagantur. Spinæ autem
ſunt peccatores rancoribus, & iniurijs, & ſcandalis
alios lacerantes. Inter quos anima innocens eſt ſicut
lilium inter ſpinas, dum non vulneratur per eorum
malitias. Gregorius: Flores inter ſpinas producuntur,
roſa, quæ redolet, creſcit cum ſpina, quæ pungit. Sicut
ergo ignis in ſpinis, ſic ſenſuum concupiſcentiæ in
peccatoribus ardeſcunt. Sequitur: *Et coanguſtabunt*
*te vndique*, ſcilicet in morte: tunc enim coanguſta-
bitur anima corporis infirmitate, iudicis ſeueritate,
B dæmonis crudelitate. De primo: Nota quantum an-
guſtatur homo, quando in morte oculi franguntur,
cor ſuffocatur, omnia membra torquentur, anima ab
omnibus membris ſoluitur. Vnde de Manaſſe vincu-
lis arctato dicitur: Poſtquam coanguſtatus eſſet, ora- 2. Par. 33. b
uit Dominum, & egit pœnitentiam valde. Sicut enim
captiui coanguſtantur vinculis ad extorquendam pe-
cuniam: ſic infirmitatibus, & aduerſitatibus coangu-
ſtat nos Deus ad ſoluendam pecuniam, & iuſtitiam.
Pſalmus: Implebit facies eorum ignominia. Sed heu Pſal. 82. d
quidam poſtquam vincula Dei euadunt, Deo emen-
dationem nullam perſoluunt. Væ eis, quia dum iterū
C comprehenduntur, grauioribus vinculis coanguſta-
buntur. Ligatis manibus, *et cet.* De ſecundo: Nota Mat. 22. b
quòd ſicut ſponſa cum adultero iacens in ſtrato coan-
guſtatur ſuperueniente ſponſo cum gladio, ſic anima
adultera diaboli coanguſtabitur in morte, quando
ſponſus Chriſtus ſuperueniet cum gladio damnatio-
nis æternæ. Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita vt Iſa. 28. e
alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non
poteſt. Interlinearis: Non capiet me, & adulterum, ſci-
licet diabolum: Nemo poteſt duobus Dominis, *&c.*
Stratum eſt cor, pallium amor. De tertio dicitur hoc: Mat. 6. c
*Coanguſtabunt te vndique*: quia ſubtus, & ſupra, intus
D & exterius. Omnes perſecutores eius apprehenderūt Thren. 1. b
eam inter anguſtias. Gregorius: Maligni ſpiritus vn-
dique animam anguſtant: quando ei non ſolum ope-
ris, verum & locutionis etiam inſuper cogitationis
iniquitates replicant. Sequitur: Et ad terram proſter-
nent te. Ad terram vtique de qua: Terram miſeriæ, Iob. 10. d
*&c.* Proſternitur autem homo corporaliter, ſpirituali-
ter, vniuerſaliter. Corporaliter ſepulchro: Spirituali-
ter in inferno: Vniuerſaliter in iudicio. De primo:
Quorum cadauera proſtratas in deſerto. Gregorius: Heb. 3. d
Anima pro reatu cogitationis ſuæ ad terram conſter-
nitur, dum caro, quam vitam ſuam credidit, redire
E ad puluerem vrgetur. De ſecundo dicitur hic: *Ad*
*terram proſternent te.* Ecce homo elige quod vis.
Vel dæmones proſternēt te in inferno, vel tu eos pro-
ſternes in mundo: maxime autem proſternes eos per
orationem, & bonam manus operationem. Manu 2. Mach.
quidem pugnant, ſed Deum cordibus orātes proſtra- 15. e
uerunt triginta quinque millia. De tertio: Proſtratio- Iſa. 14. g
ne Philiſtæa omnis, id eſt omnes Philiſtæi, id eſt mali-
gnantium Eccleſia, vel quilibet peccator, qui ante iu-
diciū damnationis proſternitur tantum in anima, ſed
in iudicio proſternitur omnis, id eſt vniuerſaliter cor-
pus, & anima, ſenſus, & omnia membra: tunc proſter-
F netur in gehenna, qui nunc proſtratus eſt in culpa. Hier. 3. a
Vide nunc vbi proſtrata ſis.

## SERMO IV.

*DOmus mea, domus orationis vocabitur: vos au-* Luc. 19. g
*tem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Do-
minus noſter ſummus pontifex vniuerſa-
lis Eccleſiæ, videns hodierna die domum
orationis fieri forum negotiationis, quodam debili fla
gello, eiectis miraculoſe negotiatoribus de templo:
dure, arguit eos de maleficio, cum ſubdit in verbo
propoſito: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* In
quo quidem verbo, Primo notatur appropriatio do-

[A] minij. Secundo intentio ſacrificij. Tertio increpatio maleficij. Primum eſt honoris, & magnificentiæ. Secundum eſt amoris, & beneuolentiæ. Tertium eſt pudoris, & diſplicentiæ. Appropriatio dominij, quod eſt honoris, & magnificentiæ notatur: cum dicit: *domus mea*. Intentio ſacrificij, quod eſt amoris, & beneuolentiæ notatur, cum ſubdit: *domus orationis vocabitur*. Iſta intentione fit Eccleſia, vt ſacrificijs Deus honoretur in ea. Increpatio maleficij, & diſplicentiæ notatur, cum ſubinfert: *vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*.

[B] Primo ergo in verbo propoſito notatur appropriatio dominij, cum dicit: *domus mea*. Vendicat, & appropriat ſibi dominium Deus in Eccleſia, eo quòd in ea habet exercere tres actus hierarchicos, ſibi ſoli tāquam efficienti conuenientes, & nulli alij. Vnde ſicut Deus pater habet in ſuperiori Hierarchia angelorum purgare, illuminare, & perficere: ſic eius filius licet indiuiſa ſint opera Trinitatis: in inferiori Hierarchia fidelium habet hæc tria facere: licet aliter accipiatur purgare hic, & ibi. Vnde propter hæc tria, quæ habēt fieri in Eccleſia, appropriat ſibi dominium: & dicit de ea quòd eſt domus mea. Primo quia eſt locus deſiderabilis propitiationis: purgantis affectum a ſordibus peccati. [C] Secundo eſt locus ſalutaris eruditionis illuminantis, & dirigentis ab errore in Deum. Tertio quia eſt locus ſacramentalis refectionis perficientis, & quietantis appetitum dulcedine incomprehenſibili. Et ſic in Eccleſia debet purgari a malo culpæ, & illuminari verbo doctrinæ, & refici ſiue perfici cibo Euchariſtiæ. Primo Dominus appropriat ſibi dominium in Eccleſia, quæ eſt locus deſiderabilis propitiationis purgantis fœditatem affectus. Vnde dicitur: *3. Reg. 8. c* Si populus Iſrael, quia præuaricatus eſt tibi, gemens, & confitens nomini tuo, veniet, & adorabunt, & deprecati fuerint in domo hac, tu exaudi de cælo, & dimitte peccata populi. [D] Qui enim vult obtinere veniam peccatorum, debet habere ordinem, qui in prædicta auctoritate docetur ſeruari per vere pœnitentes. Primo debent gemere per doloroſam contritionem in corde. Deinde confiteri peccata ſua per recognitionem in ore ad laudem nominis Dei. Poſtea venire per defectuum emendationem in opere, & tunc eum adorabunt cum timore, & deprecati fuerint cum deuotione: in domo Eccleſiæ: meruerunt obtinere veniam peccatorum, dūmodo proponant peccato poſtmodum non admittere. Quia propter hoc dicitur: Cuſtodi pedem tuum ingrediens domū Dei. Ille nouit cuſtodire pedem ſuum, qui ingrediens domum [E] Dei affectum ab omni immunditia per confeſſionem purgat, & eam poſtmodum non proponit admittere. Secundo Dominus appropriat ſibi in Eccleſia dominium: quia eſt locus ſalutaris eruditionis illuminantis tenebroſitatem intellectus. Vnde: *Eccli. 51. a* Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ. Verbum eſt diuinæ ſapientiæ ad laicos, qui indocti dicuntur: quia in diuinis eloquijs non ſunt inſtructi. Iſti autem appropiant ad ſapientiam increatam, quando præbent tam aurium audientiam, quàm cordium intelligentiam ad prædicatoris eloquentiam, vt diligenter intenti his, quæ dicuntur, ea totis viſceribus [F] anhelantes, feſtinent quod intelligunt opere adimplere. Et congregate vos in domum diſciplinæ: quod fit quando fideles adunantur intra parietes Eccleſiæ materialis. Vnde in diebus ſollemnibus tractanda ſunt verba Dominicæ doctrinæ. Et propter hoc dicit Pſalmus in perſona prædicatoris: *Pſal. 128. a* Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. Benediximus vobis, ſcilicet populis noſtra arida corda rore cæleſtis doctrinæ compluendo, & hoc quia Dominus Deus præbens officij ſalutem illuxit nobis, conferens veritatem Euangelicam. Vnde in prædicatoribus debet eſſe officij auctoritas, veritas Euangelij, & vnitas populi. Tertio Dominus appropriat ſibi [A] dominium in Eccleſia: quia locus ſacramentalis refectionis perficientis, & terminantis fluxibilitatem appetitus. Vnde: *Prou. 9. a* Sapientia ædificat ſibi domum, excidit columnas ſeptem: immolauit victimas ſuas: miſcuit vinum, & propoſuit menſam, & ſequitur, inſipientibus locuta eſt: *Sap. 1. b* Venite, & comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Chriſtus ædificauit ſibi domum Eccleſiæ: excidit, id eſt profunde, & firmiter in ea collocauit columnas ſeptem ſacramentorum, immolauit victimas ſuas proprij corporis, & *Ioan. 19. f* miſcuit vinum proprij ſanguinis, qui exiuit de eius latere, & propoſuit mēſam ſuam in altari crucis, & [B] inſipientibus huius ſæculi, qui nolunt humana ratione in cognitionem huius ſacramenti deuenire, locuta eſt tam interiori inſpiratione, quàm exteriori prædicatione. Venite, & comedite panem meum cæleſtem habentem omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem, & bibite vinum ſapientialis ſapientiæ. Vnde qui vult comedere panem vitæ, & potare vinum ſapientiæ, neceſſe habet venire ad ſacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti. Ibi enim ſentiet quo modo ſapientia ſecundum ſuum nomen ſit, & guſtabit ſenſibiliter quomodo eius guſtus eſt ſuper mel dulcis: cuius immenſa magnitudo dulcedinis, quæ in eo [C] abſcondit appetitum animæ, quæ eſt ad infinita, abſorbet, & quietat. In nullo enim alio fluxibilitas appetitus, & inſtabilitas mentis poteſt terminari, & quietari. Nam cor humanum ſic lubricum, & inſtabile propter diuerſitatem appetitus ad multa, & varia fluxibilia: ne eius appetitus in aliquo ſatietur continue, diſſoluitur ad carnalia delectamenta plura, vt ſtabilietur in bono: Deus dedit homini panem in quo inueniet plenitudinem ſaturitatis, & ebrietatem ſapientialis voluptatis. Vnde in Pſalmo: *Pſal. 35. b* Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine [D] tuo videbimus lumen.

Secundo in verbo propoſito notatur intentio ſacrificij in conſpectu Dei, ad quod neceſſe ſunt tres conditiones. Nam primo debet præire orationem humilitas animi, in reputatione. Secundo comitari debet ſanctitas deſiderij, in affectione. Tertio ſubſequi ſedulitas ſtudij in continuatione. Primo orationem debet præire humilitas animi in reputatione. Et de hoc habemus exemplum de Phariſæo, & Publicano, *Luc. 18. c* qui aſcenderunt in templum: vt orarent, ſed oratio Publicani adeo reputantis ſe eſſe malum, vt non auderet accedere: immo a longe ſtans cum timore, & [E] reuerentia nolebat nec oculos ad cælum leuare præ verecundia: penetrauit, & aſcendit velut fumus aromatum in conſpectu Dei: ſecundum quòd dicitur: Oratio humiliantis ſe nubes penetrat. Vnde deſcendit iuſtificatus in domum conſcientiæ a phariſæo, cuius oratio erat cum tumore ſuperbiæ, & præſumptione iuſtitiæ de proprijs meritis: quia Deum non orabat: immo ſe laudabat, & oranti inſultabat. Et propter hoc dicit Auguſtinus ad Dioſcorum: Niſi bene humilitas omnia, quæ bene agimus, præceſſerit, vel comitetur, vel ſubſecuta fuerit propoſita, qua moueamur, appoſita, cui adhereamus, impoſita, qua reprima[F]mur iam de aliquo beneficio nobis gaudentibus, totū extorquet de manu veſtra ſuperbia. Secundo orationem debet comitari puritas deſiderij in affectione. Vnde: *Tim. 2. c* Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus ſine ira, & diſceptatione. Hoc eſt, vt in tempore orationis nulla occurrat iræ paſſio: nulla fantaſmatum illuſio: quales ergo volumus inueniri in oratione, & allegātes orationem debemus præparare cor ſecundum beatum Auguſtinum: Quidquid ante tempus orationis per ſenſus hauſimus, totum in tempore orationis occurrit. Et propterea bene dicebat Dominus: *Mat. 6. a* Tu autem cum oraueris: intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum. Hoc eſt vt præparetur ſecretum cordis, & claudantur ſenſus



[A] corporis, vt mens tranſceſſis ſenſibus humanis, & ſimilitudinibus imaginarijs, non ſono vocis, & linguæ motu, nulla ſyllabarum diſiunctione, ſed conglobatis deſideriorum affectibus in Dei amorem, & laudē reſoluatur: quia tunc adimpletur quod dicitur: *Apoc. 8. a* Aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum, de manu angeli coram Deo. Tertio orationem debet ſubſequi ſedulitas ſtudij in continuatione. Vnde: *Luc. 18. a* Oportet ſemper orare, & non deficere, dicens eis exemplum cuiuſdam viduæ, quæ ratione ſuæ importunitatis exaudita eſt apud iudicem. Ad litteram. Illi exemplo illius viduæ merentur exaudiri in oratione, qui non impediuntur aliqua ſuperflua occupatione, [B] ſemper ſine intermiſſione, & cum importunitate orare quouſque obtineant quod deſiderant. Et propter hoc dicitur: *Eccls. 6. b* Melior eſt finis orationis quàm principium, tamen illud verbum quod dicitur: Oportet orare ſemper, debet ſic intelligi ſecundū Gloſſam. Semper orat qui canonicis horis ſecundum morem Eccleſiæ inſiſtit. Vel ſemper orat iuſtus, dum ſecundum Deum omnia agit, nec deſinit orare niſi cū deſinit iuſtus eſſe.

Tertio in verbo propoſito notatur increpatio maleficij quod eſt pudoris, & diſplicentiæ, cum ſubinfert. *Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*. Triplici de cauſa committitur illud maleficium. [C] Primo quando in ea eſt contentio ſuperborū. Vnde in pſalmis: *Pſal. 10. c* Cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo. Sequitur: Inſidiatur, quaſi leo in ſpelunca ſua. Vnde dum homo ſanctus in Eccleſia læſionem innocentis proximi cogitat, quaſi leo inſidiatur in ſpelunca, cuius os ad modum furioſi canis, propter conceptionem ſuperbiæ: plenum eſt amaritudine ſubuerſionis, & dolo deceptionis: tales non ſunt ſuſtinendi, quin flagello correptionis puniantur: & etiam ſi incorrigibiles fuerint expellantur, ne forte alios per conceptionem ſubuertāt, & fiat domus orationis, domus contentionis. [D] Secundo Eccleſia fit ſpelunca latronum quando in ea eſt infectio lubricorum. Vnde: *Ier. 7. b* Dixiſtis, liberati ſumus, eo quòd feceritis abominationes iſtas. Spelunca ergo latronum facta eſt iſta domus, in qua inuocatum eſt nomen meū: bene etiam domus, in qua inuocatur nomē Dei, fit ſpelūca latronum, quando in ea fiunt homicidia, & adulteria, quæ ſunt abominationes apud Deum, & propter hoc amouenda eſt illa fœtoſa abominatio lubricorum ab Eccleſia, alioquin non eſt domus propitiationis: immo abominationis, & prouocationis. Tertio Eccleſia fit ſpelunca latronum, quando in ea eſt negotiatio [E] cupidorum. Vnde: *Mat. 21. b* *Intrauit Ieſus in templum, & eijciebat omnes ementes, & vendentes in templo: & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & dixit eis: Scriptum eſt domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis tam ſpeluncam latronum*. Dominus noſter intrans templum ardore ſpiritus concitatus quodam vili flagello miraculoſe eiecit omnes negotiantes de templo. Vnde Gloſſa: Mirabilia in flagello vendentes de templo eijcere, & nummulariorum menſas ſubuertere, quo nihil egit mirabilius, igneum & ſidereū aliquod irradiabat ex eius oculis, & lucebat in facie maieſtas: [F] *Et menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit*. Nummularij ſecundum Gloſſam erant aliqui poſiti a ſacerdotibus, vt mutuarent nihil habentibus ad hoc, vt poſſent emere columbas, & alia vendita poſtea reciperent oblata. Verbis & zelo debet agitari prælatus quando videt in Eccleſia vendi ſacramenta, per quæ hauritur Spiritus ſancti gratia, vel emi Eccleſiaſtica officia: omnes tales, qui lucra ſectantur, eijciat de Eccleſia, ne forte domus orationis fiat domus negotiationis.

Rogemus, *et cet.*



## DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEM.

### SERMO I.

*Publicanus a longe ſtans*, & cet. *Luc. 18. c* Quicumque in mundō ſtat in pœnitentia, & in iuſtitia in iudicio ſtabit in magna conſtantia. [B] In hac ergo vita ſtare debet homo ad ſeruiendum Deo retribuenti, ad acquieſcendum angelo cuſtodienti, ad ſubueniendum proximo indigenti, ad reſiſtendum diabolo inuadenti. De primo: *Eccli. 2. a* Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & in timore. Per iuſtitiam bonum facis, per timorem malum fugis. Et certe a iuſtitia bene viuendi, vel recte iudicandi neque timorem mortis cedere debes. *Eccli. 4. d* Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Et certe ſic in timore ſemper eſſe debes ſicut illi, qui in periculis ſunt maris: *Iob. 31. e* Semper enim quaſi tu[C]mentes ſuper me fluctus timui. Dei ergo timor, & iuſtitia non ſolum ſunt, quaſi duo crura, quibus fortiter ſtamus, ſed etiam quaſi duo brachia, in quibus Chriſtum portamus. Vnde de Simone Chriſtum in vlnis portante dicitur: *Luc. 2. d* Homo iſte iuſtus, *et cet.* Libenter ſtare poſſumus ad ſeruiendum Deo, quia ipſe ſtat ad remunerandum nos. Vnde Stephanus iam remunerandus, dicit: *Act. 7. g* Ecce video cælos apertos, *et cet.* De ſecundo dicitur: *Zach. 3. a* Oſtendit mihi Deus Ieſum ſacerdotem magnum, ſtantem coram angelo. Ecce chariſſimi coram angelis ad omne bonum nos incitantibus ſtare debemus, vt eis acquieſcamus, neque retro rece[D]damus, ne gaudium, quod de noſtra conuerſione habuerit, minuamus. Væ tibi, quicumque es, qui deliberas redire ad lutum, conuerti ad vomitum, putas quòd placatos habebis in iudicio quos modo tanto & ſperato priuare vis gaudio? Et quia coram angelis ſtamus mirum eſt quòd, eis præſentibus, audemus facere quod coram hominibus facere non audemus: immo ita ſemper eſſe deuoti deberemus, ac ſi ſingulos videremus. Pſalmus: *Pſal. 137. a* In conſpectu angelorum, *et cet.* Libenter ſtare poſſumus ad obtemperandum eis, quia ipſi ſtant ad promouendum nos: *Apoc. 8. a* Stetit angelus ante altare habens thurribulum aureum, *et cet.* [E] Vide ergo vt incenſum orationis ſæpe ponas in thuribulum angeli tui, ne ad tuam verecundiam vacuo thuribulo ſtes coram Deo. Fumus autem de incenſo orationis aſcendens, deuotionem ſignificat. De tertio: *Luc. 19. b* Stans autem Zachæus, dicit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum, *et cet.* Vide ad quid ſtare debes: quia ad ſubueniendum egenis. Vnde dicit: Do pauperibus. Item ad ſatisfaciendū læſis. Vnde: Si quem defraudaui reddo quadruplum. Vnde non eſt ſatis quòd pauperibus erogaueris: *Eccli. 34. d* Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui mactat filium in conſpectu patris ſui. Ioannes Chryſoſtomus: De ſangui[F]ne miſerorum tollere, & Deo offerre: illud non eſt Deo offerre: ſed violentiæ ſuæ ſocium facere Deum, vt ſibi oblatam pecuniam de peccato libēter accipiat, & ſibi cōſentiat in peccato. Libēter ſtare poſſumus ad ſubueniendum, & ad ſatisfaciendum proximis, vt & ipſi ſtent ad indulgendum, & orandum pro nobis. Dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem. Sed certe multi ſtant ad orandum pro alijs, qui potius ſtare deberent ad orandum pro ſeipſis: ſicut iſte publicanus a longe ſtetit, *et cet.* Auguſtinus: Si non ſum dignus orando oculos leuare, certe non ſum dignus eos vel cæcare plorando. De quarto: *Epheſ. 6. c* Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtate. State ergo ſuccincti lumbos veſtros

in veritate, & induti loricam iuſtitiæ. Armatura noſtra virtutes ſunt, quibus contra vitia armamur, ſicut manſuetudine, contra iram: continentia, contra luxuriam: humilitate, contra ſuperbiam, & ſic de alijs virtutibus: *Rom. 13.d* Induamur arma lucis. Certe nullus ita ſtultus eſt, qui libenter pugnet nudus contra inimicum mortalē bene armatum. Et ecce diabolus fortiſſimus inimicus noſter armatus eſt, contra nos aſtutijs, & nequitijs multis: *Luc. 11. c* Cum fortis armatus, *et cetera*. Certe ſi viriliter in armis ſtas contra diabolum in mundo, coronam victoriæ habebis per Chriſtum in cælo. Auguſtinus: Non debet frangi cum prœliatur, qui vult poſt prœlium coronari. Vires ille ſubminiſtrat certantibus, qui præparat ineffabilia bona victoribus. Libenter ſtare poſſumus ad reſiſtendū diabolo: quia ipſe ſtat ad impugnandum nos: *Zach. 3. a* Satan ſtabat a dextris eius, vt aduerſaretur ei.

## SERMO II.

*Luc. 18. c* D*Eus propitius eſto mihi peccatori*. Propitiationem Dei meretur homo per quattuor, ſcilicet per veram confeſſionem: per fraternam condonationem: per deuotam orationem: per piam erogationem. *Eccli. 17.d* De primo: Quia magna miſericordia Dei, & propitiatio illius conuertentibus ad ſe. Si ergo vis quòd propitietur tibi Deus, conuertaris ad Deum, reuertaris a diabolo, conuertaris ad virtutes, reuertaris a vitijs: *Ier. 36. c* Reuertatur vnuſquiſque a via ſua peſſima, & propitius ero iniquitati, & peccato eorum, *et cet.* Via peccaroris mala eſt, committendo culpam: peior, extinguendo gratiam: peſſima, perdendo gloriam. Ideo bene dicitur ſupra, quòd magna eſt propitiatio Dei conuertentibus ad ſe. Magna namque tripliciter, videlicet, in remiſſione culpæ. *Pſal. 102. a* Pſalmus: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. De hac propitiatione noli ſtulte præſumere, neque propter Dei magnam miſericordiam, tuam pœnitentiam negligas: *Eccli. 5. b* De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu, *et cet.* Neſcis enim ſi vera ſit tua conuerſio, ſi accepta Deo ſatisfactio tua. Iſidorus: Quamuis per pœnitentiam propitiatio peccatorum ſit, ſine metu homo tamen eſſe non debet: quia pœnitentiæ ſatisfactio diuino tantum penſatur iudicio, non humano. In conſeruatione gratiæ, quòd enim quotidie non labimur, quòd a diabolo non iugulamur, quòd a Deo non derelinquimur, ex Dei propitiatione eſt: *Neem. 9. d* Tu autem Deus propitius, & clemēs, longanimis & multæ miſericordiæ, non dereliquiſti nos. Item in collatione gloriæ: *Num. 14. b* Si Dominus propitius fuerit, inducet in eam, & tradet nobis humum lacte, & melle manantem. De ſecundo: *1. Reg. 24. b* Propitius ſit mihi Dominus, vt non mittam manum meam in Chriſtum Domini. Certe cui Dominus tam propitius eſt, quòd ei gratiam parcendi proximis retribuit, multo eidem propitior erit, dum pepercerit. Auguſtinus: Vnuſquiſque talem indulgentiam accepturus eſt a Deo, qualem impendit proximo. Propitius ergo erit tibi Deus, ſi tu propitius fueris proximo, ipſum non grauando, ſicut iam oſtenſum eſt in Dauid. Item grauamen non affectando, quidam alios lædere nolunt, ſi tamen læduntur, diligunt: placet, quòd non placet, ſi rancorem non ſeruarent. Contra quod dicitur: *Eccli. 28. a* Ipſe dum caro ſit ſeruat iram, & propitiationem petit a Deo, qualem impendit proximo. Item grauamen eius alleuiādo, & ſecum portando. *Pſal. 129. a* Pſalmus: Apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam, *et cetera*. Gloſſa: Sine lege miſericordiæ, & veritatis, quia alter alterius onera portate, legem nullus ſuſtinet, vel fruſtra ſuſtinet. Qui ergo hanc legem ſeruando, Dominum ſuſtinēt, apud Dominum propitiationem inuenient. *3. Reg. 8. d* De tertio: Exaudies in cælo orationem eorum, & facies iudiciū eorum, & propitiaberis populo tuo, *et cet.* Propitiatur homini Dominus propter orationem factam a ſe ipſo, a proximo, a Chriſto. A ſeipſo: Vnde hic dicitur: Percutiebat pectus ſuum, *et cet.* Licet percutiendum eſſet os, & manus, & omnia membra iniquitatibus ſubiecta, præcipue tamen cor, & pectus, vnde omnia peccata exeunt, *et cetera*. Item propter orationem factam a proximo: *Amos 7. a* *Deus propitius eſtō*. Et ſequitur: *Miſertus eſt Dominus ſuper hoc*. *Iac. 5. d* Et: Orate pro inuicem, vt ſaluemini. Item propter orationē factam a Chriſto: *1. Ioan. 2. a* Aduocatum habemus apud Dominum Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Quis autē dubitet omnes ſanctos cum Chriſto orare, qui vident eum pro nobis aduocando orare? Auguſtinus: Dominus noſter Ieſus Chriſtus adhuc interpellat pro nobis, & omnes martyres non tranſeunt interpellationes eorum, niſi cum tranſierit gemitus noſter. De quarto: *Exo. 30. b* Suſceptam pecuniam, quæ collata eſt a filijs Iſrael, trades in vſus tabernaculi, vt ſit in monimentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum. *Pag. 155.* Quicumque ergo ad cultum Dei, vel etiam ad neceſſitatem pauperum tribuis, ad propitiationem tibi proderit: *Dan. 4. c* Peccata tua eleemoſynis redime, *et cetera*. Auguſtinus: Redime te homo de viuis. Require ſupra in ſermone: *Eſtote miſericordes*. O homo vilia omnia temporalia ſunt: Da ergo pro tua propitiatione illius amore viliſſima, qui ad propitiationem tibi dedit ſpecioſiſſima. Dedit enim pater filium: *1. Ioan. 4. b* Miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Item filius dedit ſanguinem: *Rom. 3. d* Propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Item beata Trinitas dedit nomen ſuū. *Pſal. 78. c* Pſalmus: Propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum, de quo nomine: *Mat. vlt. d* Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Vide ergo miſer quòd tempus propitiationis nunc negligas: *Eccli. 18. c* Ante iudicium, interroga teipſum, & in conſpectu Dei inuenies propitiationem.

## SERMO III.

*Luc. 18. c* D*Eſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo*. Domus eſt Eccleſia, vel conſcientia. Conſiderandum autem eſt, quòd quadruplex eſt deſcenſus. Deſcendunt enim homines, per tranſitionem mortalem, per humiliationem pœnitentialem, per reſolutionem corporalem, per demerſionem infernalem. De primo: *Iſa. 31. a* Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium in equis ſperantes. Ægyptus interpretatur tenebræ. Væ ergo qui deſcendunt in tenebras peccatorum: quoniam propter tenebras neſciunt quando cadant in foueam inferni: *Prou. 4. c* Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant. Equi corpora noſtra ſunt. Vnde ibidem: *Iſa. 31. b* Equi eorum caro, & non ſpiritus. Hos equos ſpiritus rationales, ſiue animæ regere debent tamquam milites eis inſidentes: *Iob 7. a* Militia eſt vita hominis ſuper terram. Si in hoc equo bonus miles fueris, & hoſtes ſuperaueris, tunc coronaberis, & quanto equo fuerit pugna diuturnior, tanto erit corona glorioſior. Gregorius: Labor protrahitur pugnæ, vt creſcat corona victoriæ. In equis autem male ſperant, qui de fortitudine, & ſanitate corporis præſumentes, differunt pœnitere, & ſæpe fallimur. *Pſal. 32. b* Pſalmus: Fallax equus ad ſalutem, quoniam ante quàm ſciant, mortis lancea equo transfixo, eijcientur. De ſecundo: *Iſa. 47. a* Deſcende, ſede in puluere, virgo filia Babylon. Babylon confuſio interpretatur. Filia Babylonis eſt anima peccatrix confuſa coram Deo, & coram angelis æternaliter confundenda: *Ier. 22. f* Confunderis, & erubeſces ab omni malitia tua. Neque obſtat quòd talis anima virgo dicatur. Eſt enim quandoque virgo per apparentem integritatem coram hominibus, ſed eſt meretrix, peſſima per occultam iniquitatem coram Deo & angelis. Quandoque homo apparet fidelis, & comes, vel amicus, & eſt traditor, vel adulter, vel inimicus. Bernardus: Si iudicantium ſuperfaciem



faciem verbo, & vultu hominum ſimulator illudat opinionem, ſed non eius, qui iudicat renes, & corda, *Mat. 25. a* fallit vel euadit iudicium. Talis ergo anima, etſi videtur virgo, tamen fatua, non habens oleum charitatis. Ad quid autem homo deſcendere debeat, docet, *Iſa. 47. a* cum dicit: Sede in puluere, mole farinam, denuda turpitudinem tuam, tranſi flumina. Sedere enim debes in puluere per mortis iugem recordationem. Qui enim, quòd puluis futura eſt caro non recogitat, non ſedit in puluere, ſed tranſit. Molere autem debes, per pœnitentiam, per veram contritionem. Mola enim inferior eſt timor gehennæ: ſuperior vero ſpes gloriæ, inter quas voluntatem malam, & carnalia deſideria conterere debes, ſed aqua lacrymarum neceſſaria eſt ad molendum. Denudare quoque debes turpitudinem tuam per confeſſionem, & tranſire flumina cōcupiſcentiarum per bonam vitam, & per ſatisfactionem. *Pſal. 29. c* De tertio Pſalmus: Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem. Quod quilibet homo poteſt dicere. Quæ vtilitas in ſanguine meo, tam nobili, tam ſuperbo, tam luxurioſo, tam furibundo, & multa mala faciendo, dum deſcendo in corruptionem, ſed oportet eum corrumpi putredine. *Iob. 13. d* Quaſi putredo conſumendus ſum, *&c.* Horribiles tineæ ſunt ſerpentes, & vermes veſtimentum animæ, id eſt corpus in ſepulchro comedentes, *Iſa. 5. d* neque imperiali, neque papali veſtimento parcentes. Vnde Gregorius Papa de ſeipſo ait quòd ego nimirum nō longe poſt futurus, poſt hominem vermis, atque poſt vermem puluis. De quarto: Dilatauit infernus animam ſuam, & os ſuum aperuit abſque vllo termino, & deſcendent fortes eius, & ſublimes glorioſiq. eius ad eum. Poſſunt ergo peccatorum animæ in multitudine magna in inferno habitare poſt eius dilatationē. Poſſunt etiam ſine obſtaculo intrare per oris eius apertionem. Deſcendunt autem fortes per potentiam: ſublimes per excellentiam: glorioſi per opulentiam, qui talibus abutuntur. Fortes vtique in proximorum oppreſſione: ſublimes in honorum ambitione: generoſi in rerum poſſeſſione. Quid mirum, ſi peccatores deſcendunt, cum ſint lapides? Lapides enim cito deſcendunt ad fundum. *Exo. 15. a* Deſcenderunt in profundum quaſi lapis, *Iſa. 14. d* de quo profundo dicitur Lucifero: Ad infernum traheris in profundum laci.

## SERMO IV.

Q*Vi ſe exaltat humiliabitur*. In hoc verbo, quod eſt infallibile diuinæ iuſtitiæ, continetur ſumma totius ſalutis humanæ, quæ conſiſtit in humilitate meriti, & ſublimitate præmij. Vnde in eo primo præmittitur humilitas, ſiue opportunitas meriti per modū antecedentis. Secundo adiungitur ſublimitas præmij per modum conſequentis. Primum autem quantum ad ſtatum viæ ſub ratione cognoſcentis. Secundum quantum ad ſtatum patriæ, ſub ratione allicientis. Et primo præmittitur humilitas meriti per modum antecedentis, cum dicitur: *Qui ſe exaltat*, ſcilicet, in ſtatu viæ. Secundo adiungitur ſublimitas præmij per modum conſequentis, cum ſubditur: *Exaltabitur*, ſcilicet in ſtatu patriæ. Dicit ergo: *Qui ſe humiliat*, vbi notatur humilitas meriti. Vt autem verbis Euangelij nos conformemus, poſſumus dicere quòd ille eſt vere pœnitens, & habet meritoriam humilitatem, qui exēplo iſtius publicani habet humilitatem operis, oris, & cordis. Vnde ille qui ratione ſuæ perfectæ humilitatis deſcendit iuſtificatus in domo conſcientiæ. Primo habuit humilitatem reuerentiæ in opere ex conſideratione altiſſimæ maieſtatis, & ideo dicitur: *Publicanus a longe ſtans nolebat nec oculos ad cælum leuare*. Gloſſa: A longe ſicut humilis non audet appropinquare, vt ad eum appropinquetur, non aſpicit, vt aſpiciatur. Secundo habuit humilitatem contritionis, & pœnitentiæ in corde ex recordatione commiſſæ iniquitatis. Vnde precutiebat pectus ſuum. Gloſſa: Premit conſcientia, ſed ſpecie ſubleuat, percuſſit pectus, de ſe pœnas exigit. Tertio habuit humilitatem recognitionis culpæ, in ore ex timore æternæ calamitatis, ſiue ſecuritatis. Vnde dicebat: *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Cui ratione culpæ debetur pœna ſempiterna, vbi Gloſſa: Confitere, vt Deus ignoſcat, & ſic mouebat eum ad humilitatem diuinæ maieſtatis. Faſtigium quod eſt venerandum commiſſæ iniquitatis, opprobrium quod eſt erubeſcendum extremæ ſeueritatis, iudicium quod eſt metuendum: & ſic perfectum habuit motiuū ad humilitatem, ſcilicet quòd erat ſupra ipſum Deus, qui præſidebat: quòd erat infra ipſum dedecus, quòd diſplicebat, quòd erat contra ipſum iudicium, quod imminebat. Sed vt recto ordine procedamus, poſſumus dicere quòd ille publicanus gerens formam veri pœnitentis. Primo habuit humilitatem contritionis, & pœnitentiæ in corde ex recordatione commiſſæ iniquitatis. Vnde conuenit ei quod dicitur: Meror in corde viri humiliabit illū. *Prou. 12. d* Meror eſt dolor de peccatis præteritis, quod eſt optimum motiuum ad humilitatem cordis: quia pœnitens dolens de peccatis, & ſe libenter ſubdens Domino, quem offendit, ſalubriter veniam impetrat, ſecundum quòd dicitur in Pſalmis: Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. *Pſal. 50. c* Vnde pœnitenti dicitur: *Eccli. 2. a* In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum: homines vero receptibiles in camino humiliationis. Secūdo ille publicanus gerens formam pœnitentis habuit humilitatem recognitionis culpæ in ore ex timore æternæ calamitatis. Vnde: Humilia valde ſpiritum tuum, *Eccli. 7. b* quia vindicta carnis impij ignis, & vermis. Cōſiderans peccator quòd vindicta, & punitio ſiue carnis erit ignis gehennæ, qui non extinguetur, & vermis conſcientiæ, qui non morietur, valde debet humiliare ſpiritum ſuum per timorem coram vicario Dei, & eius pedibus prouolutus cum dolore, & lacrymis ſua peccata confiteri, vt dolore, & amaritudine compunctionis vermem interficiat, & flumine lacrymarum ignem extinguat. Vnde de iſta humiliatione dicitur: Præsbytero humilia animam tuam, quod fit quando peccator conſiderans quòd præsbyter tenet locum Dei, non vult tamquam ſuperbus ſedere ad latus eius: immo tāquam humilis ſe proſternit eius pedibus, quo uſque confiteatur: quia tunc impletur in eo, quod dicitur: Quia humiliatus eſt cauſa mei non inducā malum in diebus illius. *3. Reg. 21. g* Tertio iſte publicanus habuit humilitatem ſubiectionis, & reuerentiæ in opere, ex conſideratione altiſſimæ maieſtatis. Vnde non acceſſit impudenter, ſed ſtans a longe reuerenter nolebat ſupercilium oculorum in altum elationis eleuare, ſed in imum deiectionis deprimere: vt per hoc poſſet Deū honorare ſecundum quòd dicitur: Magna potentia Dei ſolius, & ab hominibus honoratur. *Eccli. 3. c* Magna res, quòd excelſus Deus humilia ſubiacentiæ in publicano approbat, & alta ſuperbiæ in phariſæo reprobat: quia non Deum orabat: immo de proprijs meritis ſe laudabat, & alij inſultabat. Nam iuſtificatus deſcendit publicanus a phariſæo in domo conſcientiæ propriæ. Et hoc eſt quòd ſecundum regulam diuinæ iuſtitiæ, quæ eſt: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur*. Certe numquam ille phariſæus publicano inſultaſſet, ſi attendiſſet quod dicit Gloſſa Auguſtini ſuper illud: *Phil. 2. a* Superiores inuicem arbitrantes: non ita debemus arbitrari, vel æſtimare hoc, vt æſtimare fingamus: ſed vere æſtimemus poſſe eſſe aliquod occultum in aliquo, quo nobis ſuperior eſt: etiam ſi bonum noſtrum eſſet, quo illo iudicemur ſuperiores, occultum non ſit. Sed dicit forſitam aliquis. Timeo me humiliari plus quàm veritas habeat: ne forte ratione humiliationis incurram mendacium ſimulationis, *&c.* Reſpondit beatus Bernardus ſuper Cantica: *Bern. ſer. 37. in Cāt. to. 1.* Iuſtius

A Iuſtius tutiuſque eſt perfectio iuxta ipſius veritatis cõſilium, nouiſſimum locum eligere, de quo poſtmodũ cum honore ſuperius educamur quàm præſumere altiorem: vnde mox recedere oporteat cum rubore: Nõ eſt periculum quamquam te humilies: quamquam te reputes viliorem quàm ſis. Eſt autem grande malum horrendumq. periculum, ſi vel modicũ plus te extollas, vel ſi alijs in tua cogitatione te præferas, quàm forte veritas eſt, vel parem ſibi, vel ſuperiorẽ iudices: quemadmodum ſi oſtium tranſeas, cum ſuper liminare ſit minus baſſum, nõ nocet quantumcumque te inclinaueris, ſed nocet, ſi te erexeris.

B Secundo in verbo propoſito notatur ſublimitas præmij ſub ratione allicientis, cum ſubdit: *Exaltabitur.*

*Verus pœnitens triplici exaltatione ſublimabitur.*

Triplici exaltatione ſublimabitur verus pœnitens reſpondente triplici humiliationi. Nam primo, quia habuit humilitatem contritionis, & pœnitẽtiæ in corde, ex recordatione commiſſæ iniquitatis exaltabitur decore cæleſtis gratiæ delentis maculam peccatoris. Secundo, quia habuit humilitatem ſubiectionis, & reuerentiæ in opere, ex conſideratione altiſſimæ maieſtatis: exaltabitur virtute abundantioris iuſtitiæ, accumulantis bona meritorum. Tertio: quia habuit humilitatem recognitionis culpæ in ore, ex timore futuræ calamitatis: exaltabitur honore deiformis gloriæ C ſublimantis ad gaudia angelorum, ſiue æternorum.

*Exaltationes duæ.*

Duæ exaltationes ſunt in ſtatu viæ, & diſponunt ad tertiam, quæ eſt in ſtatu patriæ. Primo propter humilitatem contritionis, & pœnitentiæ in corde ex recordatione commiſſæ iniquitatis: exaltabitur decore cæleſtis gratiæ delentis maculam peccatorum. Vnde: *Eccli. 34. c* Dominus exaltans animam, & illuminans oculos, dãs ſanitatem, & vitam, & benedictionem. Deus exaltat animam cum eius affectum expoliat ab ignobilitate vetuſtatis culpæ, & induit nouitatem decorantis gratiæ. Et illuminans oculos intellectus a tenebroſitate cæcitatis, & ignorantiæ, ſplendore veritatis, & intel- D ligentiæ. Dans ſanitatem eius carni per repreſſionem carnalis concupiſcentiæ, & vitam æternæ immortalitatis: & benedictionem ſupernæ hereditatis, vt poſſit dicere illud Pſalmi: *Pſal. 9. e* Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem opera laudationis tuæ, in portis filiæ Syon. Secundo propter humilitatem ſubiectionis, & reuerentiæ in opere ex conſideratione maieſtatis altiſſimæ: exaltabitur virtute abundantis iuſtitiæ accumulantis opera meritorum. Vnde in Pſalmis: *Pſal. 36. g* Cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hereditatem capias terram. Cuſtodi viam eius per executionem præceptorum, & exaltabit te per accumulationem meritorum, E vt hereditatem capias terram, per retributionem præmiorum. Et propter hoc dicitur: *Eccli. 20. d* Qui operatur iuſtitiam multiplicando merita, exaltabitur ad magna præmia. Et quia hoc habet fieri mediante timore Domini, ideo dicitur: *Eccl. 40. d* Facultates, & virtutes exaltant cor, & ſuper hoc timor Domini. Tertio propter humilitatẽ recognitionis culpæ in ore ex timore æternæ calamitatis: exaltabitur honore deiformis gloriæ ſublimãtis ad gaudia præmiorũ. Vnde: *1. Pet. 5. b* Humiliamini ſub potẽti manu Dei, vt vos exaltet in tẽpore viſitationis. Nõ enim poſſumus aliter ſublimiter exaltari in patria, niſi humiliemus nos totaliter ſub potẽti manu Dei in via. F Nã ſi aliter nitimur aſcendere, nõ ſit nobis ſpes de exaltatione cæleſtis gloriæ, ſed de eiectione infernalis ignominiæ. Vnde: Ego Dominus humiliaui lignum *Ezec. 17. g* ſublime, & exaltaui lignum humile. Cauſa autem iuſtitiæ huius, & æquitatis eſt: quia quanto quis magis ſe exaltat, & ſupra ſe erigitur, tanto minus honorat Deũ & a ſuperioribus ſe elongat, & inferioribus ſe ſubijcit: ac per hoc magis deijcitur. Sed ecõuerſo quanto quis magis ſe humiliat tanto magis honorat Deum, & ad ſuperiora appropinquat, & inferioribus ſuperponitur, ac per hoc iuſto Dei iudicio magis exaltatur. Rogemus ergo, &c.

# DOMINICA XI. POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

*Statim apertæ ſunt aures eius.* *Mar. 7. d* Aperire debemus oculos, aures, os, manus. Oculos, ad credendum fideliter: aures, ad obediendum humiliter: os, ad loquendum vtiliter: manus, ad ſubueniendum miſericorditer. De primo: A ſæculo non eſt auditum, quòd quis aperuit oculos cæci nati. *Ioan. 9. f* De his oculis: Pater gloriæ dat nobis oculos ſapientiæ, & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis noſtri. *Eph. 1. d* Aperiuntur autem per ſputum, & lutum. Vnde verſus.

*Eſt caro noſtra lutum, patris ſapientia ſputum.*

Bene autem ſapientia, quæ eſt filius Dei, ſignificatur per ſputum de ore procedens. Ego ex ore Altiſſimi prodij, *et cet.* *Eccli. 24. a* Lutum ergo eſt caro noſtra: Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, *et cet.* *Iob. 10. b* Regratiemur ergo Dei filio, quòd in lutum ſe poſuit propter nos, vt nos de luto vitiorum extraheret. Pſalmiſta: *Pſal. 86. b* Eripe me de luto, vt non infigar, &c. Lutum ergo cum ſputo ſuper oculos ponitur, quando verbum caro creditur, & ſic poſt lotionem baptiſmi illuminantur oculi animarum: quia dum diuinitas defectum carnis ſuſcepit, humanum genus lumen, quod amiſerat, recepit. Hoc vtique collirium gratis recipere poſſumus, & gratis illuminari per Chriſtum. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. *et cetera.* *Rom. 3. e* De ſecundo dicitur hic: *Statim apertæ ſunt aures eius.* O quàm apertas aures habent ſcholaſtici coram magiſtro, vt capiant, & teneant lectionem, ne verberentur virga correctionis! Sed & nos debemus habere eas apertas, ne verberemur virga damnationis. Vt audiam tamquàm magiſtrum. *Iſa. 50. b* Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij. Quo modo autem aperiantur, oſtenditur hic, quia miſit digitum in auriculam eius. Digiti Chriſti ſunt dona ſpiritus ſancti. In digito Dei eijcio dæmonia, *et cetera.* *Luc. 11. a* Ecce apparet, quòd clauſas habuit aures, id eſt inobedientes: digito Dei, id eſt Spiritu ſancto non tanguntur. Vnde adhuc a diabolo non ſunt liberati, qui ſolũ hoc digito eijcitur. Tales ergo contumaces aures ad obediendum, quando non aperiuntur Dei digito, neceſſe eſt, vt quandoque feriantur Petri gladio, id eſt ſententia excommunicationis. Amputauit auriculam eius dextram. *Luc. 22. e* Non percuſſit aliud membrum, quàm auriculam: quia ſola inobedientia contumax excommunicationis gladio ferenda eſt. Quidam autem non attendentes, manum, pedem, & quodcumque membrum amputant, quando propter quamlibet cauſam excommunicationis ſententiam fulminant. Nihilominus tamen gladius ille ſemper timendus eſt. Gregorius: Vtrum iuſte an iniuſte obliget paſtor, paſtoris tamen ſententia timenda eſt. Væ ei, qui ſubeſt iniuſte, ſi forſitam ligatur, ipſam ſuæ obligationis ſententiam ex alia culpa meretur. De tertio: Apertum eſt illico os eius, & cet. *Luc. 1. f* Hoc dicitur de Zacharia: Debemus autem os aperire ad orandum. Aperiet os ſuũ in oratione, & cetera. *Eccli. 39. a* Item ad docendum. Os ſuum aperuit ſapientiæ. *Prou. vlt. d* Item ad confitendũ, & ad alia quæcumque iuſta ſunt loquendum. Ibid. Aperi os tuum muto, & cauſis omnium filiorum, qui pertranſeunt Aperi os tuum, hoc eſt decerne quod iuſtum eſt, & iudica inopem, & pauperem. Mutus debet eſſe confeſſor, vt nihil reuelet. Os aperire debet ad vtilia, non ad turpiloquia, vel ſcurrilia, vel inutilia. Vnde: *Eph. 4. f* Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus eſt, ad ædificationem fidei, vt det gratiam



A tiam audientibus. Timendum enim eſt, ne ſicut ad bene loquendum aperit os tuum Dominus, ita ad male loquendum aperit os tuum diabolus Ioannes Chryſoſtomus: Omnis ſermo malus, qui dicitur, immundo ſpiritu dictante, profertur. *Prou. vlt. c* De quarto: Manum ſuam aperuit inopi: *Deut. 15. b* Ego præcipio tibi, vt aperias manum tuam fratri egeno, & pauperi, qui tecum verſatur in terra. Fruſtra aperient manum ad præmium accipiendum, qui eas nunc claudunt ad benefaciendum. Vnde vulgariter dicitur: Væ manui libenter accipienti, & nihil danti: *Eccli. 4. d* Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Sicut ergo mendicus ſomnians ſe habere magnum theſaurum in manu, B dum vigilat, nihil inuenit: ſic anima peruerſi diuitis euigilantis in morte. *Pſal. 75. a* Pſalmus: Dormierunt ſomnum ſuum, *et cet.* Auguſtinus: Tranſit ſomnus iſte, tranſit vita iſta, & nihil inueniunt in manibus ſuis, qui nihil poſuerunt in manu Chriſti.

## SERMO II.

*Solutum eſt vinculum linguæ eius: & loquebatur recte.* *Mat. 7. d* Quoniam ſecundum ſanctos quod ſemel fiebat a Domino noſtro, tunc corporaliter, modo etiam fit ex ipſo con- C tinue ſpiritualiter. Ideo poſſumus dicere quòd in verbis iſtis ſpiritualiter intellectis pro quolibet peccatore tria notantur ad noſtram inſtructionem. Primum eſt lubrica ſceleris circumuolutio. Secundum eſt doloroſa cordis contritio. Tertium eſt perfecta oris confeſſio. Et hæc tria habent ſemper ordinem. Nam non habet efficaciam oris confeſſio, niſi primo procedat perfecta cordis contritio, nec cor conteri, & pœnitere decet, niſi primo peccati perpetratio viam contritioni præſtet, & per hoc recto ordine proceditur in verbo propoſito, eo quòd primo notatur lubrica ſceleris circumuolutio, cum dicit: *Vin-* D *culum linguæ eius.* Sicut enim lingua materialis nimia nerui conſtrictione, ſiue alio impedimento ligatur, ne poſſet vocem formare: ſic lingua intellectualis ſtricta in peccati delectatione, circumuoluitur, & eneruatur, vt non ſufficiat ſua peccata recogitare, vel recognoſcere. Secundo notatur doloroſa cordis contritio, cum ſubdit: *Solutum* eſt. Optime dolor contritionis ſoluit peccati delectationem, eo quòd contraria delectationis culpæ contrarijs doloris, & amaritudinis pœnitentiæ curantur. Tertio notatur perfecta oris confeſſio, cum ſubinfertur. *Et loquebatur re-* *Pſal. 140. a* *cte*, quod fit quando homo non declinat cor ſuum in E verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſed confitetur humiliter, & aperte omnia peccata ſua.

Dicit ergo: *vinculum linguæ eius*, vbi notatur primo lubrica ſceleris circumuolutio. Sicut enim lingua materialis inuoluitur & ligatur, vt non poſſit exire in actum debitum; Primo morbi inflammatione. Secundo huius vocis infrigidatione. Tertio nerui eneruatione: Sic lingua ſpiritualis, ideſt pſalmus ſuperior animæ iſto triplici modo ligatur, & inuoluitur, ne poſſit debite moueri in vim propriam, & in ſubiectũ proprium. Nam primo ſuperbus ligatur vinculo mentalis ſuperbiæ, ne poſſit moueri ad honorandum Deũ. F Secundo ligatur infrigidatione cordialis inuidiæ, ne poſſit moueri ad ordinandum ſeipſum. Primo ligatur ſuperbus vinculo mentalis ſuperbiæ, ne poſſit moueri ad honorandum Deum. Vnde: *Sap. 17. a* Perſuaſum habent iniqui nationi ſanctæ poſſe dominari vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti. Iniqui, id eſt elati, & ſuperbi effigientes patrem ſuum diabolũ, *Iob 41. d* qui regnat ſuper omnes filios ſuperbiæ, perſuaſum habent ab eo poſſe dominari, & præeſſe omnibus, & nationi ſanctæ vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti ſuperbiæ excæcantis. Compediti, & circumuoluti, ne poſſint ſe ad humilitatem inclinare, per quã celſitudo diuinæ maieſtatis honoratur. Nam

A magna potentia Dei ſolius a ſolis humilibus honoratur, *Eccli. 3. c* vt talibus, qui gigantea magnitudine elati nolunt humiliari, & alijs propter Deum ſubiecti eſſe; futurum enim eſt, vt tales de limo finalis iudicij ſuffocentur, paruulos Chriſtus cuſtodit arca humilitatis. Vnde tales figurantur per Sedechiam: qui noluit tãquam elatus, & arrogans ſubmittere collum iugo diuini præcepti, de quo dicitur quòd rex Babylonis, ideſt *Ier. 39. b* diabolus oculos Sedechiæ eruit, & vinxit eum in compedibus, vt duceretur in Babylonem. Secundo ligantur inuidi vinculis cordialis inuidiæ, vt non poſſint moueri ad diligendum proximum. Vnde in Pſalmis: *Pſal. 2. a* B Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, dirumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis iugum ipſorum, principes ſacerdotũ cum venerint in vnum aduerſum Dominum, & aduerſum Chriſtum eius: quando colligati vinculis cordialis inuidiæ conſilium inierunt aduerſus Chriſtum, vt eum morti traderent, & vinctum *Ioan. 11. g* adducerent, & tradiderunt pontio Pilato, ſecundum quòd dicitur. *Mar. 27. a* Vnde ne iſtis vinculis cordialis inuidiæ circumuoluamur odiendo proximos, qui ſunt membra Chriſti, ideo addidit dirumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis infernale, & diaboli- C cum iugum, ſub quo ſe ſubiugauerunt cum dixerint, ſanguis huius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. *Mat. 27. c* Chariſſimi non odiamus proximum Chriſti membrum, qui odit proximum homicida eſt, & ſanguis proximi ſuper eum eſt, clamans ad Deum pro ſui vindicta. Tertio ligantur lubrici vinculo corporalis laſciuiæ, ne poſſint moueri ad ordinandum, & diligendum ſeipſos. Vnde: *Eccls. 7. d* Inueni mulierem morte amariorem, quæ laqueus eſt venatorum, ſagena cor eius, vincula manus illius. Vnde dicit: Inueni amariorem morte mulierem. Nam mors occidit corpus corporaliter, ſed nequam mulier corpus, & animam æternaliter, quæ D laqueus eſt venatorum, ideſt dæmonum. Iſto enim muliebri laqueo dæmones venati ſunt genus humanum in primo parente. Nam mulier eſt initium peccati, ſagena infernalis eſt lubricum cor eius ad capiendum lubricos in aquis carnalitatis. Et manus illius, ideſt opera vincula ſunt ad trahendum ad lubricitatẽ peccati. Vnde qui non vult illaqueari a dæmonibus laqueo carnalis laſciuiæ, ſed vult ſeipſum mundum conſeruare per puritatem pudicitiæ, debet quantum poteſt declinare ſpectacula vanitatum, fugere conſortia mulierum: quia ſicut roſa, vel lilium cum frequenter tangitur incipit marceſcere, & amittere colorem: E ſic caſtus homo, quando ſe exponit huiuſmodi ſpectaculis vanitatum, & mulierum, ita aliquando tangitur, & percutitur cor eius, vt ſtatim incipiat marceſcere per immundam cogitationem, amittere colorem, & odorem interioris munditiæ per conſenſum ad illam cogitationem.

Secundo in verbo propoſito notatur doloroſa cordis contritio, cum ſubdit: *Solutum eſt.* Soluitur enim, per contritionem veram, vinculum triplicis prædicti peccati, ſcilicet ſuperbiæ, inuidiæ, & luxuriæ triplici dono, quod Deus infundit animæ contritæ; ſcilicet dono humilitatis, charitatis, & caſtitatis; vt ſic con- F traria culpæ contrarijs gratiæ curentur. Nam primo vinculum mentalis ſuperbiæ ſoluitur per timoris filialis reuerentiæ honorantis Deum. Secundo vinculum cordialis inuidiæ ſoluitur per amorem vniuerſalis, vel vtilis beneuolentiæ diligentis proximum. Tertio vinculum carnalis laſciuiæ ſoluitur per decorem cæleſtis pudicitiæ ordinantis, & decorantis ſubiectum proprium. Primo vinculum mentalis ſuperbiæ ſoluitur per timorem filialis reuerentiæ honorantis Deum. Vnde: *Iſa. 52. a* Solue vincula colli tui captiua filia Sion. Sion quæ interpretatur ſpecula, eſt anima Chriſtiana, quæ apta nata eſt in ſeipſa videre Deum, eo quòd eſt ſpeculum, & imago diuinæ eſſentiæ. Solue per manſuetudinem timoris, & humilitatis vincula colli tui, id eſt cer-

eſt ceruicoſæ arrogantiæ, & rebellantis ſuperbiæ, quibus ad ea captiuata, & ſubiugata eras duriſſimo imperio diaboli, vt non poſſes militare ſub principe Chriſto, eo quòd nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, ſcilicet Deo, & diabolo contraria iubentibus. Secundo vinculum cordialis inuidiæ ſoluitur, per amorem vniuerſalis beneuolentiæ diligentis proximum. Vnde: *Iſa. 58. b* Diſſolue colligationes impietatis, ideſt motus iræ, & rancoris, quibus intellectus impeditur, ne poſſit cernere verum: & affectus prouocatur ad nocendum proximo, ſolue per vinculum pacis, & concordiæ, ſimiliter faſciculos, ideſt praua opera alios deprimẽtes, ſolue per condignam ſatisfactionem. Nam primo debet B homo reconciliari, & remittere proximo ex corde: deinde ſi eum læſerit per opera ſatisfacere: quia reconciliatio cordis parum valet, ſine ſatisfactione operis ſi poſſibilitas adeſt. Tertio vinculum carnalis laſciuiæ ſoluitur per decorem cæleſtis mũditiæ pulchrificantis corpus proprium. Et de hoc poteſt exponi illud: *Luc. 13. d* Hanc filiam Abraæ, quam alligauit ſatanas, nonne oportuit ſolui a vinculo in die ſabbati? Quaſi dicat ſic: Iſta mulier habens ſpiritum immundum, quæ erat inclinata ad terram, & non poterat ſurſum reſpicere, ſignificat quemlibet lubricum habẽtem immundum ſpiritum luxuriæ, ratione cuius tantam habuit C pronitatem ad malum, vt ſemper ſit inclinata ad terram ſapiendo carnalia, & etiam tantam difficultatem ad bonum, vt ſic non poſſit ſurſum reſpicere, apprehendendo ſpiritualia. Iſto enim duplici vinculo, ſcilicet pronitatis ad malum, & difficultatis ad bonum, quæ nobis inſunt carnis corruptione, & ſpiritus aggrauatione, alligauit eam ſatanas a quo ſoluitur per Chriſtum, in die pulchritudinis gratiæ, tẽpore Euangelij. In quo plus commẽdatur caſtitas mentis, quàm carnis. Nam caſtitas non eſt in carne, ſed in mente, & ex corde redundat in corpus. Vnde melior eſt caſtitas mentis, quàm corporis. Nam ſi cor fuerit caſtũ, D & corpus, non autem ſi corpus, & cor, quamuis Iudæi tempore legis crederent illud eſſe dictum ab antiquis, non mæchaberis, tantum de caſtitate carnis, ſed Deus ad legis impletionem addidit non ſolum caſtitatem eſſe ſeruandam in carne, & corpore, ſed etiã *Mat. 5. e* cogitatione, & viſione, cum ſubiunxit: Ego autem dico vobis, omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mæchatus eſt eam in corde ſuo.

Tertio in verbo propoſito notatur perfecta oris confeſſio, cum ſubinfert: *Loquebatur recte*. Ille loquitur perfectam confeſſionem, qui loquitur, Primo humiliter, cum opprobrio accuſandi ſeipſum. Secundo E loquitur vtiliter cum propoſito emendandi defectũ. Tertio lacrymabiliter, cum deſiderio placandi Deum. Nihil valet confiteri, & explanare peccatum, ſine propoſito emendandi defectum, vel delictum: quia aliter non poteſt placare Deum. Primo loquitur ille recte in confeſſione, qui loquitur humiliter, cum opprobrio accuſandi ſeipſum. Et de hoc poteſt exponi *Iob 10. a* illud: Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam aduerſum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, noli me condemnare. Verbum poteſt eſſe perfecte pœnitentis, cui ita diſplicet peccatum quod perpetrauit, vt potius præeligat velle F ſe incurriſſe mortem ſui corporis, quàm peccaſſe mortaliter, & amiſiſſe Deum, qui eſt vita animæ, & dicat: Tædet animam meam vitæ meæ, & quaſi dimiſſo eloquio corporali præ nimio dolore contritionis, loquitur in amaritudinæ animæ ſuæ, reducendo ad memoriam omnes abominationes, & ſcelera perpetrata, quibus ad iram Deum prouocauit: vt ſic iuſtus poſſit dicere Deo per veram confeſſionem: noli me condemnare, quia peccata mea paueſco, & ante te erubeſco. Secundo ille loquitur recte in confeſſione, qui loquitur vtiliter, cum propoſito corrigendi peccatum. Vnde *Pſal. 38. a* in Pſalmis: Locutus ſum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum A meorum, quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi? Locutus ſum in Lingua mea, propalando peccata mea, in confeſſione non ſigno, vel ſcripto, ſed lingua mea, & ore proprio: ſed vt valeam meos defectus emendare, notum fac mihi Domine finem meum, & numerũ dierum meorum. Quaſi diceret: Quia breuis velut vmbra, vt ſciam quid deſit mihi ad corrigendum, & ſatisfaciendum de peccatis. Nihil enim tantum mouet peccatorem ad emendandum ſuos defectus, & corrigendum peccata ſua, quantum notitia, & memoria mortis. Nam facile emendat peccata ſua, qui cognoſcit ſe ſemper moriturum. *Hiero. epiſ. 139. ad Cypr. to. 3.* Tertio ille loquitur recte B in confeſſione, qui loquitur lacrymabiliter cum propoſito placandi Deum. Et de hoc poteſt intelligi quod dicitur in hodierno Euangelio: *Apprehendens illum de turba ſeorſum, miſit digitum in auriculam eius, & ſuſpiciens in cælum ingemuit, & ait illi: Effeta quod eſt aperire, & ſtatim aperte ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur recte*. Gloſſa exponit ſic: Educit Dominus infirmum de turba, cũ mentem languidam peccatoris illuſtrat: a conſuetæ conuerſationis morbo reuocat, & ad ſequenda præcepta ſua prouocat: *digitos in auriculam mittit*, cum per dona Spiritus ſancti ad intelligenda, & ſuſcipienda C verba ſalutis aperit: *ſputum* quod de Domini capite deſcendit diuinam ſapientiam ſignat, cuius virtute a lapſu humana ignorantia ſoluitur: *ſuſpiciens in cælum ingemuit*, vt per hoc doceret theſaurum noſtri cordis in cælum erigere, quod per compunctionem, & lacrymationem cordis a friuola carnis lætitia purgatur: quia tunc ſtatim aperiuntur aures ad audiendam vocem diuinæ comminationis, cum timore ſoluitur vinculum peccati per contritionem: *& loquebatur recte* per perfectam confeſſionem, cuius loquela miro modo Deus miſericors placatur. Et iſta expoſitio, quaſi tota extrahitur de Gloſſis, *et cet.*

## SERMO III.

*Mar. 7. d* S*olutum eſt vinculum linguæ eius*. Vinculum, quo diabolus animam ligat, eſt peccatum, quo peccator ligatur pedibus per prauum affectum, manibus, per iniquum tactum, collo, per nociuum verbum: lingua, per indebitum ſilentium. De primo: *Ier. 39. b* Oculos Sedechiæ eruit, & vinxit eum compedibus, & duxit eum rex Babylonis in Babylonem, & poſuit in domum carceris, vſque ad diem mortis ſuæ. Oculus dexter interior hominis eſt E reſpectus ad gloriam æternam. Siniſter vero reſpectus ad gehennam: *Eccls. 2. a* Oculi ſapientis in capite eius, ſtultus in tenebris ambulat. Oculum ſiniſtrum multi habẽt: dexterum vero ſoli ſapientes. Ille vero ſapiens, cuius animus in Chriſto, cuius interior oculus erigitur ad ſumma. Hunc diabolus eruit, quando homo neque pœnam, neque gloriam reſpicit, vel timet pedes affectuum. Tunc vincit eum vinculo, quando ſenſus ad peccandum trahit: poſtea in Babylonem adducit, dum in multitudine, vel enormitate peccatorum hominẽ confundit. Babylon enim confuſio interpretatur. Poſtea in inferni carcerem mittit. Qui hæc vincula vult F euadere, debet virtutes Ioſeph habere, de quo: *Sap. 10. c* In vinculis non dereliquit eum. In illis vtique vinculis de quibus Pſalmus: *Pſal. 104. b* Humiliauerunt in compedibus pedes eius, *et cetera*. De ſecundo: *Iſa. 45. c* Poſt te vinctis manibus pergent, & te adorabunt, & deprecabuntur. Vincula manuum ſunt peccata operum. Certe ad patibulum itur, quando manus furis ad tergum vincitur. O quanta inſtantia, & gemitu tunc fur liberari petit! O quanta promittit! Sic miſer homo, qui vinctis per peccatum manibus, ad patibulum inferni trahitur, inſtare debet orationibus, vt liberetur. Ideo bene dicitur quòd vinctis manibus deprecabuntur. Vinctis enim miſeretur Dominus, & eos liberter exaudit. *Pſal. 68. d* Pſalmus: Exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos



ctos ſuos non deſpexit. Immo, quod plus eſt, Dominus, vt manus noſtras a vinculis liberaret, manus ſuas vinciri fecit in cruce, immo ante crucem vinctus fuit. *Mat. 27. a* Vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato, *&c.* Bernardus: Vide homo, quo amore te dilexit Deus: vt veſtigia eius imiteris, pro te ligatus eſt, vt a vinculis peccatorum ſolueretis. Ecce quàm potẽs fuit manus Chriſti, qui vinctu manuum ſuarum noſtra vincula ſoluit: *Gen. 49. c* Diſſoluta ſunt vincula manuum, & brachiorum eius, per manus potentis Iacob. His vinculis diabolus manus peccatorum tenet, ne ad bonum opus, vel pauperes extendantur, & ideo vinculis exterius ligabuntur: *Mat. 22. b* Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. De tertio: *Iſa. 52. a* Solue vincula colli tui filia Syon, id eſt quælibet Chriſtiana anima, quæ per peccatum es captiua diaboli. Quodcumque autem peccatum, ſiue peierando, ſiue detrahendo, & huiuſmodi per locutionem, per collum trãſit. Homo beſtiam per vinculum colli domat, ſic diabolus hominem: ſed ſoluto per Dei gratiam colli vinculo, liberatur a diabolo Domino ſuo. Vnde: *Heb. 30. b* Conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius diſrumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni. Aliqui dæmones, dum iumenta ſua, id eſt peccatores amittere timent, ipſos vanis timoribus, & ſpe in vinculis retinent. Gregorius: Multos ſæpe vidimus vitam quidẽ ſanctæ conuerſationis appetere, ſed ne hanc conſequi valeant, modo irruentes in ſe caſus, modo aduerſa futura formidant, qui incerta mala dum quaſi cauti aſpiciunt, in peccatorum ſuorum vinculis incauti retinentur. Sed heu non ſufficit diabolo, quòd collum peccatoris, ſeu peccatrices animæ vinculo peccati conſtringat, quin etiam collum eius grauiſſimo obſtinationis, vel ſcandali lapide deprimat. *Luc. 17. a* Væ illi, per quem ſcandalum venerit: vtilius illi eſſet, ſi lapis molaris imponatur circa collum eius, *et cetera*. De quarto dicitur hic: *Solutum eſt vinculum linguæ eius*, & cetera. Quando enim diabolus vinculo peccatores vinculauerit, pedibus per malum conſenſum, manibus per malum actum, collo per malum verbum: tunc etiam linguam ligat per periculoſum ſilentium, ne miſer homo per confeſſionem vincula ſua rumpat. Et breuiter omnis difficultas confitendi, orandi, laudandi, & vtilia loquendi, vinculum eſt diaboli. Sed miſer homo peccator neſcit, quàm periculoſum ſit hoc vinculum, quo diabolus linguam ſuam tenet, neque morbum letalem animæ ſuæ videt ſilendo: videt tamen accipiendo. *Oſeæ. 5. d* Videt Effraim languorem ſuum, & Iudas vinculum ſuum. Iudas confitens interpretatur.

## SERMO IV.

*Mar. 7. d* B*ene omnia fecit*. Bonus eſt Dominus, & ideo bene fecit: omnipotens eſt, & ideo omnia facere, omnia trahere, omnia proſpicere, omnia innouare poteſt. Omnia facit per potentiam, omnia trahit per gratiam, omnia proſpicit per notitiam, omnia innouat per gloriam. De primo Pſalmus: *Pſal. 145. b* Qui fecit cælum, & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt: Hic intrare poteſt per potẽtiam Dei, qui conſiderat ſingulas creaturas in cælo, & in terra, & in mari. Nam ſicut ſummá creaturam fecit in cælo: ſic extremam fecit in terra. Qui fecit angelos, fecit vermiculos. Vnde quando vos ſerpentes, & alia venenata lædunt, muſcæ, & ciniphes pungunt, non dicatis, quòd diabolus illa creauit, Deus enim fecit omnia: *Ioan. 1. a* Omnia per ipſum facta ſunt, *&c.* Auguſtinus: Per quem factus eſt angelus, & per ipſum factus eſt vermiculus. Vnde omnes reges, & pontifices, & Imperatores de tota potentia ſua non poſſent creare vnam muſcam. Creaturæ autem, quæ lædunt homines, lædere cœperunt propter peccatum. Qui ergo omnia fecit, ille animam, & corpus, & ſenſus, totum facit. Quidquid ergo iſti ſurdo, & muto per miraculum reſtituit, hoc tibi per naturam contulit. Sed heu ſicut dicitur: *Deut. 32. c* Deum, qui te genuit, dereliquiſti, *&c.* De ſecundo: *Ioan. 12. e* Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum. Traxit Chriſtus animas iuſtorum de inferno. Trahit quotidie homines per doctrinam, & gratiam in mundo. Trahet quoque omnes, & angelos, & homines, & dæmones ad locum iudicij in die nouiſſimo. Merito ergo traxit homines Chriſtus ad ſe, qui etiam traxit de mundo latronem in cruce, cui dixit: *Luc. 23. f* Hodie mecum eris in paradiſo. Traxit vtique homines mortis ſuæ merito, traxit multiplici beneficio, traxit doctrinæ verbo. Trahunt B quoque cum ipſo doctores. *Ioan. 21. b* Traxit rete in terram, *&c.* Sed heu diabolus plures trahit, quàm Chriſtus. *Abac. 1. d* Totum in hamo ſubleuabit. Traxit illud in ſagenam ſuam, & congregabit in rete ſuum. Diabolus hamum æternæ mortis abſcondit ſub eſca voluptatum carnalium, vel rerum temporalium, & ideo trahit quidquid hamum Chriſti euadit. Trahuntur autem ad pœnam morientes, qui in eſca diaboli exultant viuentes. Auguſtinus: Noli gaudere ad morem piſcis, qui in eſca ſua exultat. Nondum hamum ſuum traxit piſcator, quem in faucibus habet peccator. Sicut autem captos piſces piſcator aſſat ſuper carbones, ſic diabo C lus animas aſſat ſuper carbones inferni. De tertio: *Heb. 4. d* Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius, *&c.* Vere omnia: *Ioan. 16. d* Nunc ſcimus, quia ſcis omnia. Sicut ergo peccata ſua per hypocriſim palliare quiſpiam non poteſt: quia nuda ſunt, ſic nec per diſſimulationem claudere poteſt: quia omnia aperta ſunt oculis Domini. Vnde: *Eccli. 23. c* Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper Solẽ, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundũ abyſſi, & hominum corda, intuentes in abſconditas partes. Solus videt modo corda, quæ omnes videbimus in iudicio: *1. Cor. 4. a* Illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Gloſſa: Geſta, vel D cogitata mala, vel bona tunc erunt aperta. Et quia tũc omnia erunt aperta omnibus, poterit quiſque de ſe & de alijs iudicare. Ibi ergo corda vxorum maritis, ibi corda maritorum erunt vxoribus manifeſta. Plus confundi, & plus timere debet homo ſolum Deum videntem, quàm totum mundum peccata ſua videntem. Vbi enim ille non videt quod agis, qui vbique eſt? Auguſtinus: Deus totus oculus, & tota manus, totus pes. *Deus quomodo ſit oculus, manus, & pes.* Totus oculus, quia videt omnia: tota manus, quia operatur omnia: totus pes, quia vbique eſt. De quarto: *Apoc. 21. b* Ecce noua facio omnia. Innouabitur enim terra, & cælum, & ſancti in reſurrectione. *Iſa. 65. c* Ego creo cælos E nouos, & nouam terram, & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor, & exultabitis, & gaudebitis vſque in ſempiternum. Certe cælum, & terram mira pulchritudine innouabit propter homines: multo magis ipſos homines iuſtos per ineffabilem corporis glorificationem innouabit. Quo modo enim tam fragibilia vaſa ſicut nunc ſumus, tam fortiſſimum æternæ iucunditatis vinum ſuſtinere poſſent, niſi noua per gloriam, & fortia fierent? *Mat. 9. b* Vinum nouum in vtres nouos mittunt. Per vtrem corium noſtri corporis ſignificatur, quod reſurrectione innouabitur. Qui ergo hoc vino impleri F deſiderat, aqua compunctionis hydriam cordis impleat.

# DOMINICA XII. POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

Luc. 10. d BEati oculi, qui vident quæ vos videtis. *Beati, qui corporaliter, beatiores, qui ſpiritualiter, beatiſſimi, qui æternaliter vident Chriſtum. Non ſolum autem Chriſtus, ſed & alia nobis videnda ſunt vt beati ſimus. Videre autem debemus, quid dolēdum, quid agendum, quid ſpernendum, quid recipiendum. Vide ergo peccata dolenda, bona agenda, terrena ſpernenda, æterna recipienda. De primo: Ier. 2. d Scito, & vide quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te Deum tuum. Si enim amarum malum eſt reliquiſſe Epiſcopum, vel amicum, vel oculum, in infinitum amarius, & confuſibilius, eſt relinquere Deum. Idem. 17. b Domine Deus, qui te derelinquunt, confundentur. O ſi iſta bene videremus, quantum flere deberemus? Gregorius: Debemus penſare malum, quod conſequuntur: C penſantes gemere, gementes vitare. Ea quæ commiſimus peccata indeſinenter aſpicere: aſpicientes flere, flentes abſtergere: tu ergo peccata propria, ſed iudex videre debet aliena. Vnde Petrus Eccleſiæ præ- Act. 8. d latus dixit Simoni Mago: In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. Vt autem videas veritatem, deſcendas in te ad inquiſitionem exemplo Gen. 18. c Domini. Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerunt. De ſecundo: Eph. 5. d Videte fratres quo modo caute ambuletis. Auguſtinus: Ambulare operibus, & virtutibus, perficere eſt. Mich. 6. b Indicabo tibi o homo, quid ſit bonum, & quid Domi- D nus requirat a te. Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo. Facere iudicium ſcilicet de teipſo: diligere miſericordiam in proximo, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo. Nonne iudicium facit, qui furem, vel latronem ſuſpendit? Sic peccator ſeipſum tamquam furem, & animæ ſuæ iugulatorem ſuſpendere debet in cruce Iob. 7. c pœnitentiæ. Elegit ſuſpendium anima mea: Videte ergo, quo modo caute ambuletis proficiendo in bono. Videte quo modo caute, ſcilicet cauendo a malo. 1. Cor. 10. c Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat. Vtique in foueam inferni: Si cæcus cæco ducatum, &c. Propter E hoc ſancta quattuor animalia plena ſunt oculis, & ante, & retro: quoniam ſancti plenam debent habere circumſpectionem: ante ad proficiendum in bono, retro ad præcauendum in malo. Gregorius: Sanctorum actio ab omni parte circumſpecta eſt, bona deſiderabiliter prouidens, mala ſolerter cauens. De ter- Eccls. 2. b tio: Vidi in omnibus vanitatem, & attritionem animi, & nihil permanere ſub Sole. Vere in omnibus in honoribus, in diuitijs, in voluptatibus vanitas eſt: ſicut vanum eſt ſomnium, vana eſt vmbra. Vmbram enim equi pro equo tenere vanitas eſt, ſic tranſitoria F reſpectu æternorum: ideo ſi omnia quaſi fumum, vel vmbram quaſi fœnum, & fœni florem nominemus, ſicut ſomnium dixerimus, minus profecto, quàm ſe habet ipſa veritas, dicimus. Hanc vmbralitatem, & vanitatem cognoſcent in inferno, qui nolunt Sap. 5. b ſalubriter recognoſcere in hoc mundo. Quid nobis profuit ſuperbia, & diuitiarum iactantia, quid contulit nobis, tranſierunt omnia velut vmbra. O ſi bene iſta videres, quàm miſeram temporalium auaritiam iudicares. Bernardus: Si ſapis, ſi habes cor, ſi tecum eſt lumen oculorum: tu deſines iam ea ſequi, quæ cōſequi miſerum eſt. Vidiſti nunc vanitatem tranſitoriorum, vide nunc vanitatem amatoris eorum. Pſal- Pſal. 36. d miſta: Vidi impium ſuperexaltatum, & cet. Vnde nō A eſt inuentus locus eius, ſcilicet, non in mundo, neque in cælo: habent tamen impij locum in inferno. Ne ipſi veniant in locum hunc tormentorum. De quarto: Circumſpice Hieruſalem ad orientem, & vide iocunditatem a Deo tibi venientem. Iucunditatem Luc. 16. f vtique æternam. Gregorius: Quis intellectus capere Greg. hom. 37. in Euā. ſufficit illius ſupernæ ciuitatis quānta ſint gaudia, &c. O ſi viſum in illam iucunditatem intenderes, quàm parum pœnitentiarum, & aduerſitatum dura timeres. Vnde neque Stephanus lapides timuit, quando, ſicut dicitur: Intendens in cælum vidit gloriam Dei, et cet. Act. 7. g Vides ergo quid recipiendum ſit bonis, et cet. Vide B quoque quid recipiendum ſit malis: Quid tu vides? Ier. 1. c Ollā ſuccenſam ego video. Hæc olla infernum ſignificare poteſt, in quo diabolus tamquam cocus horribilis carnes ſuas, id eſt carnales, vel luxurioſos coquit: quæ ſuccenſa eſt igne æterno. Ignis ſuccenſus eſt Deut. 32. d in furore meo.

## SERMO II.

DIliges Dominum Deum tuum. *Sicut diligit Luc. 10. e filius patrem, amicus amicū, ſponſus ſponſam, viuens vitam: ſic Dominus diligendus eſt. Ipſe enim eſt nobis pater creatione: amicus redemptione: ſponſus amore: vita glorificatione. De primo: Omnis, qui diligit 1. Ioan. 5. a eum, qui genuit, diligit eum, qui natus eſt ex eo: hoc eſt: Qui diligit Deum, diligit proximum ex Deo natum. Deus enim genuit nos creando ad ſimilitudi- Gen. 1. d nem, & imaginem ſuam: quia ſæpe ſolet ſimilis filius eſſe patri, & ideo ſicut patrem, immo millies pluſquam carnalem patrem diligere debemus. Bernardus: Si naturaliter amat filius patrem, a quo habet partem corporis ſui, quanto plus amare debet Deum, qui corpus eius, & animam ex nihilo fecit? Si oculo, vel pede, vel manu careres, multum eum diligeres, qui tibi iſta daret. Quantum ergo diligendus eſt pater cæleſtis, qui tibi omnia membra, & vitam, & animam donauit nobiliſſimam? Bernardus: Homo cogita qualem te fecit: nempe ſecundum corpus, egregiam formam: ſed ſecundum animam imaginem Creatoris inſignem, rationis participem, beatitudinis capacem. Sed heu tu ſuperbe, tu auare, tu luxurioſe, tu peccator, ſicut dicitur: Deum, qui te genuit, dereliquiſti. Deut. 32. c De ſecundo: Diliges amicum, id eſt Chriſtum. Omni Leuit. 19. d tempore diligit, qui amicus eſt. Huius amici fidem Prou. 17. c conſiderare poſſumus in quadam parabola duorum amicorum, quorum vnus pro furto amici ſui, ſe fecit ſuſpendi, & amicus pro quo ſuſpendebatur ſtabat ſub patibulo, & iterum furabatur. Amici iſti ſunt Chriſtus, & homo. Homo autem fuit furatus Deo patri animam ſuam, qui cum ad mortem fuiſſet condemnatus fideliſſimus amicus eius Ieſus pro ipſo in crucis patibulo ſe fecit ſuſpendi. Gregorius: Qui pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos a debita morte animæ liberauit. O quanta dilectio: Maiorem hac Ioan. 15. b dilectionem, &c. Et ecce vere huius amici mors, quotidie in altari tamquā in cruce, repræſentatur. Et quia alte pro te pendebat in cruce, alte leuatur a ſacerdote quaſi patibulum de ſuis brachijs faciente: vbi tu ſtas peruerſe voluptatibus, inuidiæ, luxuriæ, auaritiæ, adhuc animam tuam furans. Talis ergo amicus eſt amādus. Bernardus: Super omnia reddidit te. Require in ſermone: Spiritus oris mei, &c. in Paraſceue. De tertio: Adiuro vos filiæ Hieruſalem ſi inueneritis di- Cant. 5. c lectum meum, vt nuncietis ei: quia amore langueo. Filiæ Hieruſalem ſunt intelligentiæ angelicæ, vel animæ beatæ, vel animæ in mundo deuotæ, quarum mater ſuperna eſt Ieruſalem: Illa autem, quæ ſurſum eſt Galat. 4. d Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. His filiabus ſupplicare debet ſponſa, fidelis anima, vt dilecto ſuo Chriſto amoris ſui deſideria annuncientur, & pro ipſa interpellent. O felix, quare ſic langues propter dile-



Cant. 2. d dilectum: certe propter vocis eius dulcedinem: Vox enim tua dulcis. Item propter aſpectus pulchritudinem: Dilectus meus candidus, et cet. Item propter amplexus ſuauitatem: Læua eius, &c. Nota quòd vox ad prędicationem, aſpectus ad contēplationem, amplexus ad delectationem pertinet. Felix anima, quæ nunc amore languet ſponſo abſente. Auguſtinus: Deſideremus, & amemus & flagitemus, ſi ſponſæ ſumus. Sponſus abſens eſt, ſuſtineamus, veniet quādo deſideramus: Deut. 30. b De quarto: Diligas Dominum Deum, & obedies voci d eius, & illi adhæreas. Ipſe enim eſt vita tua. Vita vti- Ioan. 17. a que ſpiritualis, & æternalis: Hæc eſt vita æterna, et cet. Hæc enim eſt ratio, quare Chriſtus potuerit pro nobis ſatisfacere: quia enim debitores mortis fuimus, cum vita noſtra Chriſtus moriebatur, tunc debitum ſoluimus. Si diliges vitam temporalem, plus debes diligere Chriſtum, vitam æternalem. Stultus eſt, qui dat vitam ſuam pro obolo, merito ſtultior eſt, qui dat vitam æternam pro aliquo tranſitorio. Vere ergo diligendus eſt Deus. Anſelmus: Ecce Domine, quia me feciſti, debeo meipſum amori tuo totum, immo totum plusquam meipſum, quoniam tu maior me es, pro quo dediſti teipſum.

## SERMO III.

Luc. 10. f APpropians alligauit vulnera eius, infundens oleū, & vinū. *Samaritanus hic fecit illud de Iſa. 1. b quo conquerebatur propheta Iſaias, factū non eſſe, dicēs: Vulnus, & liuor & plaga tumēs, non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo, ſcilicet miſericordiæ. Vulnus concupiſcētiæ, liuor inuidiæ, plaga ſuperbiæ non eſt circūligata præceptis iuſtitiæ, neque curata medicamine pœnitentiæ, neque fota oleo miſericordiæ. Ceſſet iam querela, quia Ecce Samaritanus noſter Chriſtus vulnera non tantum concupiſcentiæ, ſed omnium generaliter peccatorum ſanat, ligatura obſeruantiæ mādatorum, oleo miſericordiæ egenorum, vino pœnitentiæ peccatorum. Circa primum nota quòd Dominus ligaturis, ſcilicet decem præceptis hominem ligat, ſicut vulneratum, ne de vulneribus moriatur: ſicut vas ne liquor gratiæ effundatur. De primo dicitur hic: Alli- Pſ. 146. a gauit vulnera eius, & cet. Pſalmus: Qui alligat contritiones eorum. Quicumque alligauerit vulnus mortalis culpæ, mortem æternam euadet. Inſuper & alligaturam habebit immortalitatis contra vulnus miſe- Iſa. 30. f riæ: Lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum in die, qua alligauerit Dominus vulnus popu- Pſal. 149. a li ſui. De ſecundo Pſalmus: Ad alligandos reges, et cetera. Quo modo vinculis præceptorum alligentur fideles, require in ſermone. Ioannes autem, in tertio membro. Et nota, quòd iuſti dicuntur reges, & nobiles. Vere nobiles, quorum Deus Pater eſt, qui ligantur compedibus mandatorum. Compedes enim ſunt vincula, quæ impediunt hominem, & maxime pedē, ne eat quo vult, vel faciat quod vult. Sic mandata, ne ſecundum deſideria carnis, vel mundi moueatur. Et 1. Reg. 2. f vere ignobiles ſunt, quorum pater diabolus eſt: Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Et tales non Luc. 13. d a Deo, ſed a diabolo alligantur: Hanc autem filiam Eccli. 6. c Abraæ, quam alligauit ſatanas. De tertio: Vincula illius alligatura ſalutis. Vere ſalutis: quia ſalutaris gratiæ obſeruantia diuinorum præceptorum conſer- Eccli. 21. b uatur in cordis vaſe. Alioqui ſicut dicitur: Cor fatui quaſi vas confractum, et cet. Vas ergo ligatum, eſt ad fontem gratiæ applicandum. Auguſtinus: Vas ad fontem attuli, imple me, quoniam ad te leuaui animā meam. Quicumque non alligatus fuerit in gratia, al- Mat. 13. d ligabitur in pœna: Alligate ea in faſciculos, et cet. Circa ſecundum nota quòd per oleum miſericordiæ, & pietatis ſubuenitur: quia ægram ſanat animam, multiplicat gratiam, conſecrat ad gloriam. De primo dicitur hic: quia vulnerato oleum infunditur, hoc eſt, A peccatori miſericordia, & pietas inſpiratur, vt ſanetur, vt bene mundetur. Leproſus pro emundatione ſua offerre debet olei ſextarium, id eſt miſericordiam Leuit. 14. b ſex operum, de quibus: Eſuriui, & cet. De ſecundo le- Mat. 25. d gitur quòd mulier, quæ congregauit in domo ſua 4. Reg. 4. a vaſa non pauca, parum olei, quod habuit, in omnia vaſa vacua dimiſit, & ſic creuit oleum, per quod ſic mulier a creditore liberatur. Vaſa vacua ſunt pauperes, quos in domum debes congregare: Egenos vagoſq. Iſa. 58. b induc in domum tuam. Ambroſius: Si peregrinum ſub tectum tuum inducas, ſuſpiciaſq egentem, ille tibi acquiret ſanctorum amicitiam, & æterna taber- B nacula. Parum autem olei per omnia vaſa diſtribuitur, iuxta illud: Si exiguum tibi fuerit, et cet. Inde Tob. 4. b ergo cum oleum miſericordiæ creſcit per meritum, & gratiam, anima creditori Deo ſatisfacit. De tertio dicitur: Tulit Samuel cornu olei, & vnxit 1. Reg. 16. c Dauid in regem. Si ergo coronam regni vis habere in cælo, oleo miſericordiæ vngi debes in mundo: Et 1. Mac. 2. f Dauid in ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni in ſæcula. Circa tertium nota quòd vinum pœnitentiæ & compunctionis, ſanat, lauat, inebriat. Habetur autem per hoc vinum animæ ſanitas, vitæ puritas, C gratiæ ebrietas. De primo dicitur hic quòd vulnerato vinum infudit: hoc autem fit quando peccatori compunctionis gratia confertur. De hoc vino Pſal- Pſal. 59. a mus: Potaſti nos vino compunctionis. De ſecundo: Gen. 49. b Lauabit in vino ſtolam ſuam, id eſt veſtem conuerſationis. Qui enim vitam ſuam, tamquam veſtem non lauerit, dicetur ei illud: Quo modo huc intraſti non Mat. 22. b habens veſtem nuptialem? De tertio: Bibens vinum Gen. 9. d inebriatus eſt, & iacuit in tabernaculis. Ebrietas enim ſpiritus in compunctione facit denudari turpitudinē in confeſſione. Et ſicut ebrius mortis periculo, ita compunctus periculo pœnitentiæ voluntariæ ſe expo- D nit. Vinum ergo lacrymarum, quod, vt innuitur, de Gen. 40. b tribus propaginibus contritionis, confeſſionis, ſatisfactionis, in calicem exprimi debet, charitas eſt. Hoc vino angeli delectantur. Bernardus: Gaudent angeli in conuerſione, & pœnitentia peccatorum, ſalutem hominis ſitientes: lacrymæ pœnitentium vinum eorū.

## SERMO IV.

HOmo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Luc. 10. e Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum. *Quia faciliter rudes, & E ſenſibiles homines ducuntur in cognitionem alicuius rei ſpiritualis, cum circumuelatur exemplorum varietate. Ideo Dominus noſter volens iſtum Iudæum, & etiam populum Iudaicum rudem, & inſenſibilem per inuiſibilia ad viſibilia manuducere. Deſcribit in verbo propoſito iuxta vocabulorum proprietates primum parentem, ſub metaphora hominis ab Ieruſalem in Iericho deſcēdentis in latrones incidentis, cum dicit: *Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem,* & cetera. In quo quidem verbo ſi diligenter attendantur Ieruſalem, & Iericho interpretationes, & conditiones, & etiam expoliatio facta per F latrones valde eleganter deſcribitur primus parens, quantum ad tres conditiones, videlicet: quantum ad primum ſtatū ſuæ creationis, qui fuit ſtatus originalis innocētiæ. Medium præuaricationis lapſus deteſtabilis culpæ. Vltimum præuaricationis damnum, ſiue defectus pœnalis miſeriæ. Hæc tria ſe habent per ordinem. Nam Deus primo creauit hominem rectum, quantum ad ſtatum innocentiæ, deinde voluntas cadens a rectitudine iuſtitiæ acquiſiuit pœnalitatis defectus, & miſeriæ. Primo ergo in verbo propoſito deſcribitur primus parens, quantum ad ſtatum originalis innocentiæ, cum dicit: *Ab Ieruſalem.* Per Ieruſalem interpretatur viſio pacis intelligitur ſtatus innocentiæ in quo erat ſumma concordia, & harmonia inter carnem, & ſpiritum primi parentis, licet merito ſui

to ſui peccati aduerſentur ad inuicem. Secundo quan- A tum ad lapſum deteſtabilis culpæ, cum ſubdit: *Deſcendebat in Iericho*. Per Iericho, quæ interpretatur luna, ſiue defectus ſignatur lapſus peccati. Nam peccare idem eſt quòd deficere. Tertio quantum ad damnum pœnalis miſeriæ, cum ſubinfertur: *In latrones*, ideſt dæmones, qui deſpoliauerunt eum indumento innocentiæ, & iſta diuiſio habetur ex Gloſſa, quæ dicit ſic: Homo ille Adam intelligitur, qui ab altitudine cæleſtis Ieruſalem præuaricationis lapſu ad miſerias, & defectus huius vitæ mutabilis, & erroneæ deſcendit.

Primo in verbo propoſito per Ieruſalem intelligi- B tur ſtatus originalis innocentiæ, & bene ſi attendantur eius conditiones, & interpretationes. Nam Ieruſalem locus erat. Primo dignitatis, & honorificentiæ: quia regalis præſidentiæ. Secundo delitioſitatis, & affluentiæ: quia emanatiuus lacte, & melle. Tertio ſecuritatis perfectæ, quia cuſtoditus ab angelis die, ac nocte. Et hæc tria erant perfectiori modo in ſtatu innocentiæ. Nam Adam in ſtatu illo habebat dignitatē originalis innocentiæ. Secundo delitioſitatem oblectabilis gratiæ. Tertio ſecuritatem protectionis diuinæ. Et per hæc tria perfecte ordinabatur ad illam beatam Trinitatem. Nam ratione primi ordinabatur ad C ſpecioſitatem filij, ratione ſecundi ad benignitatem Spiritus ſancti, ratione tertij ad poteſtatem Patris æterni. Primo per Ieruſalem intelligitur ſtatus innocen- *Ezec. 8. b* tiæ. Et de hoc poteſt exponi quod dicitur: Eleuauit me ſpiritus inter cælum, & terram, & adduxit me in Ieruſalem in viſione Dei. Ad litteram: Dominus eleuauit hominem primum, quaſi inter cælum & terrā, quando eum poſuit in paradiſo. Nam ſecundum Ma- *Mag. ſent. lib. 2. d. 17.* giſtrum, Homo extra paradiſum creatus eſt, & poſtmodum in paradiſo poſitus, vt melius cognoſceret Dei beneficium dum videret ſe aliunde adductum. Vnde ſecundum ſanctos paradiſus terreſtris eſt, locus D valde eminens, & altus, quaſi medium tenens inter hanc vallem miſeriæ, & patrias cæleſtes iuxta æquinoctialem, vbi eſt magna temperies temporis in oriente vergens in meridiem, & ratione ſuæ altitudinis non aſcendunt illuc vapores in aere eleuati, quibus luna dominatur, ſed eſt ibi puritas aeris ad contemperantiam caloris, & ideo locus idoneus ſtatu perpetuitatis: Et ſicut locus eſt medius, quia inter cælum, & terram, ita cognitio illius ſtatus innocentiæ, quaſi medium tenebat inter ſtatum gloriæ, & ſtatum miſeriæ. Nam in ſtatu gloriæ videtur Deus in maieſtate in ſui ſubſtantia, ita quòd nulla eſt ibi obſcuritas. In ſtatu E vero miſeriæ mediante ſpeculo obſcuro in ænigmate. *Aug. li. 14. de Trin.* Ænigma enim ſecundum beatum Auguſtinum eſt ſimilitudo obſcura: ſed in ſtatu innocentiæ videbatur mediante ſpeculo claro, ſine aliqua obſcuritate, eo quòd nulla erat in anima peccati nebula, ſed omnimoda puritas, & nulla rebellio carnis, & virium inferiorum ad ſpiritum, ſed omnimoda ſubiectio, & propter tātam harmoniam, & concordiam pacis inter carnem & animam, ſubditur in prædicta auctoritate, & duxit me in Ieruſalem, quæ interpretatur viſio pacis, ſed propter omnimodam puritatem, ratione cuius modo oculo rationis videbat Deum, ſine obſcuritate ſub- F infert, quaſi anthonomaſtice quòd fuerat ductus in viſionē Dei. Huius amiſſæ innocentiæ recuperationem *Tob. 8. d* credens fidelis Tobias dicebat: Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndum claritatem Ieruſalem, ideſt originalis innocentiæ, quæ fuit in Chriſto. Secundo per Ieruſalem intelligitur ſtatus innocētiæ: quia in eo habebat primus homo delicioſitatem oble- *Iſa. 33. d* ctabilis gratiæ. Et de hoc poteſt intelligi illud: Oculi tui videbunt ciuitatem Ieruſalem opulentam. Vere Adam in ſtatu innocentiæ erat velut ciuitas Ieruſalem *Cant. 6. a* opulenta, pulchra, & decora, propter abundantiam gratiarum, & terribilis vt caſtrorum acies ordinata, *Pſal. 121. a* propter refulgentiam virtutum. Hanc Ieruſalem, quæ A ædificatur, vt ciuitas cuius: participatio eius in idipſum, videns diabolus ſtatim inuidit, vnde Bernardus: Cum videret patrem noſtrum omnium hominum æmulus charitate circumdatum, & omni virtute veſtitum, & accepiſſe terrenum hominem gratiā, quam ipſe amiſerat per ſuperbiam, inuidit inſatiabilis homicida, & cū didicit quòd fecit hominem innocentem rectum virtuoſum, ſine ſolicitudine, ſine triſtitia, omni virtute decoratum, omnibus donis ornatum, nec eſt intelligendum, quòd ſtatim quando Deus hominem condidit, virtute veſtierit, & ornauerit: ſed quia tunc diſpoſuerit, & non longo tempore, poſt B ornauerit quemadmodum maior mundus ille ſenſibilis prius tempore fuit creatus, & poſt ornatus. Vnde ſicut eſſe gratuitum, eſt alterius generis, quàm eſſe naturale, ſic in diuerſis temporibus fuit animæ creatio, & gratiæ ſuperinfuſio. Numquam enim Deus, quantum eſt de lege communi alicui adulto infundit gratiam, niſi ſit præparatio ex parte hominis, & propter hoc non fuit concreata gratia homini, ſed dilata quouſque homo quodam modo paratum ad vſum rationis ſe diſponeret ad ſuſcipiendam gratiam. Tertio per Ieruſalem intelligitur ſtatus innocentiæ: quia in eo habebat primus homo ſecuritatem protectionis C Dei. Et de hoc poteſt intelligi illud Pſalmi: Non commouebitur qui habitat in Ieruſalem. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui. Vere Adam exiſtens in ſtatu innocentiæ numquam commotionem, ſiue diſſolutionem ſui corporis paſſus fuiſſet, niſi ab intrinſeco: quia licet compoſitus ex contrarijs, & contrarietas ſit cauſa pugnæ, & pugna in compoſito ſit cauſa diſſolutionis, & non aliter ſe habent contraria in compoſitione corporis, ſecundum ſtatum naturæ lapſæ, & ſecundum ſtatum naturæ inſtitutæ. Secundum enim ſtatum naturæ lapſæ non ſolum agunt in aliquod extrinſecum, ſed etiam adinui- D cem mutuo agunt, & patiuntur, tam in ipſa conſtitutione, quàm poſt conſtitutum eſſe. In ſtatu vero innocentiæ taliter omnia iſta fuerunt comproportionata in prima compoſitione, vel ad tantam concordiam educta, vt mutuo illo ſtatu manente non pugnarent. Et ideo illud corpus commoueri, ſiue diſſolui ſub intrinſeco neceſſe non erat. Vnde etſi erat mortale, & corruptibile, & habuit cauſam corruptionis in ſe: tamen voluntati ſubiacebat ex ordine diuinæ iuſtitiæ, & ideo niſi voluntas eorum dominaretur, corpus numquam corrumperetur, quamuis nunc verum ſit quod dicit philoſophus, quòd omne corruptibile de neceſ- E ſitate corrumpitur, corruptibile non ſubiacet voluntati, ſicut corruptibile corpus Adæ, ſed ſolum virtute naturali. Non enim ſimiliter poterat commoueri, ſiue lædi ab extrinſeco, eo quòd montes, ideſt angeli, *Pſal. 124. a* & Dominus in circuitu eius ad cuſtodiam. Non enim ordo diuinæ iuſtitiæ talem deordinationem, & punitionem in illo ſtatu debebat admittere: quia nulla culpa præceſſerat, quamuis modo permittat innocentem occidi ab impio, eo quòd omnis homo merito peccati originalis eſt mortis debitor. Et propter hoc merito poterat ſibi dici a Deo illud: Veni mecum, vt *2. Reg. 19. f* requieſcas ſecurus in Ieruſalem.

*Adā an fuerit in gratia ſtatim creatus.*

*Pſal. 124. a*

F Secundo in verbo propoſito deſcribitur ſtatus culpæ ſub nomine Iericho: quod interpretatur defectus, eo quòd peccare nihil aliud eſt, quàm deficere. Vnde primus homo, cum peccauit, bene deſcēdit in Iericho: quia ratione ſui peccati incurrit triplicē defectum. Primo defectū obſcuritatis, & ignorantiæ ad cognoſcendū verum. Secundo defectū tepiditatis, & ignauiæ ad operandum bonum. Tertio defectum timiditatis, & inconſtantiæ ad fugiendum, & ſuperandum malum.

*Triplex hominis defectus ex peccato originali.*

Et hæc tria mala ſunt, contra tria bona, quæ erant in ſtatu innocentiæ. Et ſicut per illa bona ordinabatur, & aſſimilabatur ſacratiſſimæ Trinitati: ſic per iſta tria mala deordinatur, & efficitur diſſimilis. Nam cæcitas, ſiue obſcuritas deordinat, ſiue diſſimilat eum a cla-



ritate ſapientiæ filij. Tepiditas a benignitate cle- A mentiæ Spiritus ſancti. Timiditas ab immobilitate, & ſtabilitate potentiæ patris æterni. Primo dicitur homo deſcendiſſe in Iericho cum peccauit: quia incurrit defectus cæcitatis, & ignorantiæ ad cognoſcendū *Luc. 18. f* verum. Vnde: Cum appropinquaſſet Iericho cæcus ſedebat ſecus viam, mendicans. Gloſſa: Cæcus ſignat humanum genus quod a fraterna claritate excluſum, damnationis ſuæ patitur tenebras, ſed a Domino appropinquante Iericho ſanatur, dum infirmitatē, & defectum noſtræ carnis, & mortalitatis ſuſcepit: cæcus ad cognoſcendum diuina redit: ſedet iuxta viam, *Ioan. 14. a* dum incipit credere in Chriſtum, qui dicit: Ego ſum B via, veritas, & vita: mēdicat dum rogat: & clamat, dū tamen meretur accipere. Secundo dicitur homo deſcendiſſe in Iericho, cum peccauit: quia incurrit defectum tepiditatis, & ignauiæ ad operandum bonum. *4. Reg. 2. c* Vnde in figura dicitur: At ille ſcilicet Eliſeus habitabat in Iericho: dixerunt ergo viri ciuitatis ad Eliſeū: Habitatio ciuitatis optima eſt: ſicut tu ipſe Dominus proſpicis, ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis: ſic iſti habitatores Iericho licet carerent aqua dulci ad bibendum: & terra bona ad panem producendum, quæ maxime ſunt neceſſaria habitationi hominum: tamen æſtimabant habitationem tam defectuoſam, optimam: C ſic peccatores exiſtentes in Iericho, id eſt in defectu peccati, licet habeant penuriam aquæ ſapientiæ ſalutaris, & in tantam ſterilitatem terræ corporalis, vt non valeat ratione tepiditatis, & ignauiæ educere de ea panem vitæ, & intellectus: quibus nutritur anima, tamē reputant tam defectuoſum ſtatum culpæ optimum. Tertio dicitur homo deſcendiſſe in Iericho, cum peccauit: quia incurrit defectum timiditatis, & inconſtantiæ ad fugiendum malum. Vnde in figura dicitur: *Ioſ. 6. d* Cœperuntq. ciuitatem Iericho, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, & ſequitur: deprecatus eſt Ioſue dicens: Maledicetur vir coram Domino, qui ſuſcita- D *1. Cor. 10. c* uerit, & ædificauerit Iericho, quia omnia contingebant illis in figura: ideo ſicut iſti exiſtentes in Iericho non valuerunt reſiſtere præ nimia tepiditate, & timiditate, nec fugere vt non interficerentur: ſic peccatores finaliter exiſtentes in ſtatu peccati, ratione cuius tantam timiditatem, & inconſtantiam incurrunt, vt non valeant fugere malum culpæ, & ideo iuſto Dei iudicio puniuntur malo infernalis pœnæ.

Tertio in verbo propoſito deſcribitur primus parēs quantum ad damnum pœnalis miſeriæ cum ſubinfert. *Incidit in latrones*, id eſt dæmones: quia intulerunt ei tria damna. Nam, Primo deſpoliauerunt eum gra- E tuitis virtutibus. Secundo vulnerauerunt eum in potentijs naturalibus. Tertio debilitauerunt eum in potentiarum viribus. Cum ſemiuiuum reliquerunt. Sed contra iſta tria damna, tria bona adhibuit verus Samaritanus, & cuſtos Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Nam primo contra ſpoliationem tribuit ornamentum gratiæ in incarnatione, ad decorandam animam nudam, & deformem. Secundo contra vulnerationem adhibuit medicamentum miſericordiæ in paſſione, ad ſanandum animam ſauciatam, & languentem. Tertio contra debilitationem contulit vehiculum, ſiue adiutorium potentiæ in reſurrectione ad roborandam ani- F mam caducam, & debilem. Et hæc omnia eliciuntur ex ipſo textu, qui ſecum portat expoſitionem. Nam perſona indigens ex miſeria eſt genus humanū, quòd in Adam per peccatum *deſcendit ab Ieruſalem in Iericho*, id eſt paradiſo in mundum, & incidit in latrones, id eſt poteſtatem dæmonum: *qui ſpoliauerunt* eum virtutibus gratuitis: *vulnerauerunt* in potentijs, ſemiuiuum relinquendo: ſed perſona tranſiens eum duriſſima fuit legalis iuſtitia, quæ nec miſericordiā, nec medicinam præſtabat. Vnde gloſſa Bedæ: Sacerdos Dei legem nunciat. Deſcendit quidem lex in mundū per Moyſem, & nullam ſanitatem cōtulit homini. Deſcendit leuita, qui typum oſtendit prophetarum: ſed A hoc nullum ſanat: quia lex peccata arguit, ſed pertrāſit, cum indulgentiam non largitur. Perſona vero ſubueniens ex miſericordia eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quia Samaritanus cuſtos interpretatur. Hic ſubuenit humano generi cum tria remedia contulit, contra tria prædicta damna. Primo animam nudam, & deformem veſtiuit ornamento gratię incarnationis contra deſpoliationem. Et hoc eſt quod dicitur: Samaritanus quidam iter faciens venit ſecus viam, & miſericordia motus eſt. Gloſſa: Samaritanus, qui cuſtos interpretatur, Dominus eſt, qui propter nos homo factus, vitæ præſentis iter arripuit, & venit ſecus viam in B ſimilitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo, ex cuius aduētu homo in gratiam Dei reſtituitur. Secundo animam ſauciatam, & languentem ſa- *Philip. 2. c* nauit medicamento miſericordiæ, in paſſione contra vulnerationem. Vnde ſubditur, & appropinquans al- *Luc. 10. f* ligauit vulnera eius: alligamenta adhibuit ſecundum magiſtrum: Quia contra originalis, & actualis peccati *Magiſt. in Prolo. 4. li. ſent.* vulnera ſacramentorum remedia inſtituit, quæ efficaciam habent a paſſione Chriſti. Vnde ſequitur: *infundens oleum*, id eſt chariſma ſancti Spiritus, & vinum, id eſt calicem ſuæ paſſionis: ſecūdum quòd dicit gloſſa, & *ponens illum in iumentum* corporis ſui cum pec- C cata noſtra portauit in corpore ſuo ſuper lignum, cuius liuore ſanati ſumus: *duxit illum in ſtabulum* Ec- *Iſa. 53. b* cleſiæ. Tertio animam caducam, & debilem roborauit in reſurrectione aperiendo ſenſum ſacræ ſcripturæ contra debilitatem. Vnde ſubinfert: *altera die protulit duos denarios*. Gloſſa: Altera die id eſt poſt ſuam reſurrectionem, quando amplior æternæ lucis ſplendor, quàm ante paſſionem effulſit in mundo, protulit duos denarios, id eſt duo teſtamenta apoſtolis: quia ipſis aperuit ſenſum, vt intelligerent ſcripturas ad regendum, & adiuuandum populum. Vnde per doctri- *Luc. 10. f* nam duorum teſtamentorum, quæ intelligitur in pro- D latione duorum denariorum, quos dedit ſtabulario, id eſt prælato, cuius eſt doctrinam miniſtrare, & explanando ſupererogare: adiuuantur viatores in æternam patriam redeuntes, *& cet.*

# DOMINICA XIII.

## POST PENTECOSTEM.

### SERMO I.

CVm *ingrederetur Ieſus quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi*. *Luc. 17. e* Caſtellū eſt mundus. Decē leproſi ſunt peccatores decē mandatorum tranſgreſſionibus vitioſi. Conſiderandum autem vnde lepra vitiorum cōtrahatur, & vnde ſanetur. Contrahitur autem lepra animæ, corde, ore, opere, conſuetudine. Corde: Si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius eſt *Leuit. 14. e* domus, nuncians ſacerdoti. Domus leproſa eſt cor in F affectu, delectatione, & conſenſu, & voluntate mala. Heu miſeria, non poteſt homo ſuſtinere domū leproſorum in ciuitate ſua, & ſuſtinet cor leproſum in anima ſua. Item ore. Vnde Maria: quia Moyſi fratri ſuo *Num. 12. e* detraxerat, percuſſa eſt lepra, ſicut ſignificatur. Sic etiam doctrinis hæreticis, periurijs, detractionibus, mendacijs, & malis conſilijs, & huiuſmodi lepra cōtrahitur animarum. Vnde de fœtido malorum colloquiorum anhelitu alios corrumpunt. Vnde præcipitur leproſis quòd debent habere os veſte contectum *Leuit. 13. f* id eſt conſuetudine clauſum. Omnis ſermo malus ex *Eph. 4. f* ore veſtro non procedat. Item opere, & ſpiritualiter opere cupiditatis: Vnde de Giezi accipienti pecuniā, & veſtes a Naaman ſanato dicitur: Lepra Naaman ad- *4. Reg. 5. g* hærebit.

hærebit tibi. Timeant hoc, qui vendunt ſpiritualia. Item opere præſumptionis, vel vſurpationis officij ſacerdotalis. *2. Par. 26. d* Vnde dicit de Ozia rege quòd percuſſus eſt lepra: quia præſumpſit adolere incenſum. Timeãt hoc, qui inuadunt iura ſacerdotalia, & Eccleſiaſtica. Item de opere crudelitatis, vnde de Ioab, qui occidit Abner, dicitur: *2. Reg. 3. f* Ne deficiat de domo Ioab fluxũ ſeminis ſuſtinẽs, & leproſus, & tenẽs fuſum. Timeant hoc qui crudelia exercent. Item conſuetudine. Vnde præcipitur, veſtẽ leproſam igne comburi. *Leuit. 13. g* Sicut veſtis munda eſt conſuetudo bona: ita veſtis leproſa eſt conſuetudo vitioſa, quæ debet igne comburi. Vnde: Væ ei qui munda veſte caret, & ſordidam habet. Quo modo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? *Mat. 22. b* Talis veſtis comburetur igne gehennæ. *Iſa. 9. a* Veſtimentum mixtum ſanguine, id eſt combuſtione. Circa ſecundum: Nota quòd leproſa anima ſanatur per baptiſmalem regenerationem, per pœnitentialem compunctionem, per veram confeſſionem, per integram ſatisfactionem. De primo, & ſecundo ſignatum eſt: In mundatione Naaman leproſi ſepties in Iordane loti. *4. Reg. 5. d* Per Iordanem enim non ſolum baptiſmus, ſed etiam compunctionis, & lacrymarum torrens ſignificari poteſt. *Thren. 2. f* Deduc quaſi torrentem lacrymas, *et cet.* Vnde bene Iordanis interpretatur riuus iudicij. Riuus enim lacrymoſæ compunctionis oritur ex timore iudicij. Iſidorus: Compunctio eſt humilitas mentis cum lacrymis exoriens de recordatione peccati, & timore iudicij. Septies autem lauatur, non ſeptiformis gratiæ, qui fluctibus mundatur; ſed qui pro ſingulis ſeptem vitijs imbribus lacrymarum irrigatur, qui ſcilicet flet pro inuidia: flet pro ira, *et cet.* Pſalmus: *Pſal. 6. b* Lauabo per ſingulas noctes, id eſt per ſingula peccata lectum meum, id eſt conſcientiam meam. De tertio dicitur hic: Qui cum irent ad ſacerdotem, ſanati ſunt. O quanta putas animam leproſam inuenire peccata, quæ oſtendere debet omnia ſacerdoti per confeſſionem, ex quo mundatur, quæ contrita ad ſacerdotem vadit. De hoc Iſidorus ait: Confeſſio ſanat, *et cet.* Require ſupra in ſermone tertio. Confitemini: Qui vult carere lepra vitiorum, debet ſacerdotem quærere. *Leuit. 14. a* Hic ritus leproſi, qui mundandus eſt, ducetur ad ſacerdotem. *Exod. 4. b* De quarto ſignificatum eſt. Vbi Moyſes manum e ſinu ſuo protulit leproſam: ſecundo protulit mundam. Auarus manum in ſinu habet ad conſeruandam pecuniam congregatam, profertur autem manus ad accipiendam per rapinam, per vſuram, per furtum, per quamcumque iniuſtam acquiſitionem eſt leproſa. Si vero profertur ſecundo modo, ſcilicet ad reſtitutionem, ad largiendum in vſus pios, tunc efficitur munda. *Luc. 11. f* Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. *Leuit. 14. b* Vnde bene præcipitur, vt leproſus mundandus offerat ſextarium olei, id eſt ſex opera miſericordiæ, de quibus: *Mat. 25. d* Eſuriui, *et cet.* Oleum enim miſericordiam ſignificat, ſatisfactio autem non ſolum eſt in eleemoſynis, ſed etiam in orationibus. Ideo etiã oratio ad mundandam leproſam animam valet. Vnde & iſti decem leuauerunt vocẽ, *&c.* Cooperatur quoque non ſolum propria, ſed etiam aliena oratio. Vnde vt legitur: *Num. 12. c* Per orationem Moyſis Maria mundata eſt.

## SERMO II.

*Luc. 17. c* L*euauerunt vocem dicentes: Ieſu præceptor miſerere noſtri.* Verbum iſtud eſt de decẽ leproſis, qui ſignificant peccatores, & trãſgreſſores decem mandatorum Dei, qui leuare debent vocem orationis vt ſanentur. Vnde quia anima gerit typum leproſi cum peccatrix eſt; ideo Euangeliſta excitat torporem eius negligentiæ detinentis. *Leuauerunt, et cet.* Inuocat vigorem diuinæ potentiæ præſidentis. *Ieſu præceptor.* Obſecrat dulcorem ſummæ clementiæ remittentis: *Miſerere.* A Inſinuat languorem miſeriæ affligentis: *Noſtri.* Conſiderandum eſt autem, quòd quattuor ſunt, quæ nos fideliter leuare debemus, videlicet oculos ad lucem contemplationis: linguam ad vocem orationis: manus ad virtutem operationis: mentem ſeu caput ad ſpem æternæ retributionis. De primo Pſalmus: *Pſal. 122. a* Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Non lupinos, non vulturinos, ſed columbinos. *Cant. 1. d* Oculi tui columbarum. Hos enim leuare debemus ad Dominum. *Mat. 17. b* Leuantes autem oculos, neminem viderunt niſi ſolum Ieſum. Qui enim Ieſum vult videre, non debet pulchras mulieres, vel viros, non mundi concupiſcibilia videre, vel aſpicere. B Vnde Apoſtolus: *Act. 9. b* Cum tribus diebus haberet oculos clauſos exterius, habebat apertos interius. Auguſtinus: Eo tempore quo cetera nõ videbat, Deum videbat. Si non leuas oculos ex amore, leues ſaltem ex timore. Sicut ſponſa quando eſt cum adultero ſæpe leuat oculos pro cauendo periculo, ne ſuperueniens ſponſus vtrumque feriat, vel comburat. *Ier. 3. a* Leua oculos tuos in directum, & vbi nunc proſtrata ſis. Adulter enim iſte eſt diabolus. Sponſus vero Dominus, qui peccatorem non continentem paratus eſt percutere. De ſecundo dicitur hic, de leproſis quòd ſteterunt a longe, & leuauerunt vocem. Si leproſi non audebant appropinquare ad Ieſum, ſcilicet C a longe clamabant, quo modo leproſi hodie in animabus audent appropinquare, & non ſolum appropinquare, immo etiam tangere corpus Chriſti: cum lepra animæ multo abominabilior ſit lepra corporis? Leuanda eſt ergo vox in oratione: *1. Reg. 30. a* Leuauit omnis populus, qui erat cum eo, vocem & planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ: hoc enim fecerunt viri, qui erãt cum Dauid, quando Achis fecit eum reuerti, quia non placebat ſatrapis, & quia inuenerunt Sicelech ciuitatem ſuam captam, & deſtructam ab inimicis, & fleuerunt, & voluerunt Dauid lapidare: quia vxores, & D filios duxerant inimici captiuos. Sicelech interpretatur defecatio vocis. Ciuitas vero Sicelech animam tuam, vel corpus tuum ſignificare poteſt, quæ vocem orationis defæcatam, & puram ab affectibus vitiorum edere debet contra illud: *Mat. 15. a* Populus hic labijs meis honorat: cor autem eorum longe eſt a me. Hæc autem ſuccenditur igne. Vxor autem eſt cõuerſatio tua: bona vita, vxor bona: mala vita vxor mala: filij tui opera tua. *Mat. 18. d* Iuſſit eum Dominus venundari, & vxorem eius, & filios. Hi etenim venundantur, quando diabolo relinquuntur: venundantur, quando pro culpa, æterna tormenta redduntur. Pro his ergo, dum per E diabolica tormenta accenduntur, leuanda eſt vox orationis cum lacrymis contritionis. Leuanda eſt autem vox cordis pluſquam oris. Vnde Gregorius: Preces valentiores apud ſanctiſſimas aures Dei faciunt non noſtra verba, ſed deſideria. De tertio Pſalmus: *Pſal. 62. c* In nomine tuo leuabo manus meas. Sed ad quid? Et certe ad ſubueniendum proximis: ad implendum mandatum charitatis. Pſalmus: *Pſal. 118. f* Leuaui manus meas ad mãdata tua, quæ dilexi. Leuandæ autem ſunt manus in nomine Domini, non in nomine diaboli, ſicut perſecutores, raptores, luxurioſi, & auari, & alij peruerſi ſæpe illicite leuant manus. Noli miſer leuare manus F ad mala, vt in conſpectu angelorum leuare poſſis manus ad cælum. Vnde Bernardus: Credimus angelos ſanctos aſtare orantibus: offerre Deo preces hominũ, ſi ſine ira, & deceptione leuare manus proſpexerint. Leuare ergo vocem parũ prodeſt, niſi manus ad bonũ operandum leuentur. Vnde: *Exod. 17. c* Cumq. leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael. Si autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech: in quo ſignificatur, quòd victoria cõtra hoſtes animæ obtinetur, ſi cum voce orationis manus bonæ operationis leuentur. De quarto: *Luc. 21. f* Leuate capita veſtra quoniam appropinquat redemptio veſtra: Caput mentis leuatur pro ſpe æternæ retributionis. Quicumque enim ſunt bonæ vitæ, & cõſcientiæ, bene poſſunt leuare caput ad Deum maxime

propter



propter tria, de quibus Bernardus ſic ait: Tria conſidero, in quibus tota ſpes noſtra conſiſtit: Charitatem adorationis, veritatem promiſſionis, & poteſtatem redditionis. Sed quidam ita turpes ſunt in capite: *Iſai. 1. b* Omne caput languidum, & omne cor mærens, quòd præ confuſione conſcientiæ non poſſunt capita leuare per ſanctam fiduciam: leuant tamen per ſuperbiam: *Iob 20. a* Si aſcenderit in cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur. Vt autem boni caput leuent per ſpem, inclinant primo per humilitatem ſicut Chriſtus qui pro nobis inclinato capite tradidit ſpiritum. *Ioan. 19. e*

## SERMO III.

*Luc. 17. d* N*onne decem mundati ſunt*, & cetera. Sicut decem leproſi ſignificãt decem mandatorum tranſgreſſores: ita decem mundati ſignificant eos, qui per Chriſtum ad obſeruantiam decem mandatorum ſunt conuerſi. Conſiderandum ergo, quòd decem mandatorum obſeruatores a lepra culpæ mundantur, a pœna gehennæ liberantur, pecunia gratiæ ditantur, vita gloriæ non priuantur. De primo dicitur hic: *Nonne decem mundati ſunt*, a lepra vitiorum, qui ſcilicet vere conuerſi fuerunt ad obſeruantiam decem mandatorum. Multum abhorret homo leprã corporis. O quanto magis abhorrenda eſt lepra animæ: propter illam enim ab hominibus temporaliter, propter iſtam autem ab angelis, & ſanctis omnibus æternaliter eijcietur: *Num. 5. a* Eijcient de caſtris omnem leproſum, *et cet.* Bernardus: Qui ſputas quantus luctus erit, quis mœror, quæ triſtitia quando ſeparabuntur mali a conſortio bonorum ad damnationem? quando traditi in poteſtatem dæmonum ibunt cum ipſis in ignem æternum, ibi numquam miſeri lucem numquam requiem adepturi. Sed per millia millium annorum, igne cruciandi, nec vmquam inde liberandi. Sed Chriſtus, vt leproſas animas mundaret, ipſe tamquam leproſus paſſus eſt ſe contemni: *Iſa. 53. a* Nos reputauimus eum, quaſi leproſum. Mundatur autem anima leproſa, vel in aqua baptiſmi, ſicut ſignificatur in Naaman: *4. Reg. 5. g* Vel in via pœnitentiæ. Vnde de decem leproſis hic dicitur: qui dum irent mundati ſunt. Quo modo eundum ſit in via pœnitentiæ dicitur. Pſalmus: *Pſal. 125. a* Euntes ibant, & flebant, *et cetera.* De ſecundo: *Gen. 18. d* Non delebo propter decem. Nota iſta quo modo Dominus propter quinquaginta, vel quadraginta, vel viginti, vel propter decem pepercíſſet Sodomis, quos igne & ſulphure deleuit, in quo damnatio æterna ſignificatur. Pſalmus: *Pſal. 10. b* Ignis ſulphur, & ſpiritus procellarum, *et cet.* Hanc non ſolum obſeruatores decem mandatorum euadunt, ſed etiam eorum meritis damnatio reproborum differtur, ſicut patet ex promiſſis: *Ier. 5. a* Conſiderate, & quærite in plateis Ieruſalem, an inuenietis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero eis. Sed ad quid differtur? Auguſtinus: Omnis malus, aut ideo viuit, vt corrigatur, aut vt per eũ bonus exerceatur. Sed nota quòd infra decem non deſcendit, quia ſine decem mandatis nullus iuſtus eſſe poteſt, nullus damnationem euadit. Licet autem per iuſtos damnatio impiorum poſſit differri, non tamen per iuſtos poteſt auferri, ſi non corrigantur: *Ezec. 14. f* Si fuerit Noe, & Daniel, & Iob in medio eius filium, & filiam non liberabunt: ſed ipſi in iuſtitia ſua liberabuntur. De tertio: *Luc. 19. b* Vocatis decem ſeruis ſuis dedit eis decem mnas, *et cet.* Homo nobilis eſt Chriſtus, qui decem ſeruis ſuis, ideſt decem mandatorum obſeruatoribus pecuniam, ideſt bona ſua tradidit. Committit ergo ad augenda lucra meritorum: *Prou. 8. c* In vijs iuſtitiæ ambulo, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam. Sed valde timendum eſt, quòd ſeruus damnatur, qui pecuniam, ſiue materialem, ſiue ſpiritualem ſcientiæ, vel cuiuſlibet gratiæ non legitur turpi- A ter, ſicut filius prodigus, expendiſſe: *Luc. 15. d* ſed tantum lucra bona, & operum augmentum neglexiſſe. Propter hoc ait Auguſtinus: Nulla nos a ſpirituali opere cura terrena impediat, ne ſi in terra talentum abſcondatur, Dominus ad iracundiam prouocetur. Vnde & Dominus bene dicitur maledixiſſe ficum, *Mar. 11. c* quia non habuit fructum. Quod ergo erit de facientibus peſſimos fructus? De quarto: *Ier. 41. b* Decem viri dixerunt ad Iſmaelem: Noli occidere nos, quia habemus theſaurum in agro, frumenti, vini, & olei, & hordei, & mellis, & non interfecit eos. Theſaurus iſte virtutes ſignificat, quæ in agro cordis eſſe debent: *Mat. 13. f* Simile eſt B regnum cælorum theſauro abſcondito, *et cet.* Frumentum, quod eſt granum omnium nobiliſſimum, ſignificat charitatem, quæ nobilior eſt ceteris virtutibus. Hordeum autem vitæ auſteritatem: Oleum miſericordiæ pietatem. Mel deuotionis dulcedinem ſignificat. Iſmael vir auditus interpretatur, & ſignificat diabolum, qui libenter audit periuria, traditiones, mundana, & omne malum: *Thren. 1. g* Omnes inimici mei audierũt malum meum: lætati ſunt, quoniam tu feciſti, *et cetera.* Vel etiam ſignificat Chriſtum, cuius auditum nihil fugere poteſt: *Sap. 1. c* Auris zeli audit omnia. Interlinearis: Auris Dei zelantis per amorem, quem C habet ad animam. Diabolus ergo, vel Chriſtus vita æterna illos non priuant, qui ſpirituales theſauros in agro cordis habent.

## SERMO IV.

*Luc. 17. a* S*teterunt a longe, & leuauerunt vocem dicentes: Ieſu præceptor miſerere noſtri.* Quia ſolent reges, & iudices petitiones indiſcrete formatas refellere, nec affectum mancipare: hinc eſt quòd iſti leproſi gerentes typum pœnitentium, ne reprehenſibiles inue- D nirentur coram maieſtate magni regis Ieſu Chriſti: oſtenduntur in verbo propoſito diſcrete, & prudenter ſuas petitiones porrexiſſe. Nam primo in verbo propoſito oſtenduntur religioſiſſimi, quantum ad geſtum circumſpectionis: quia perfuſum timore humilitatis. Secundo oſtenduntur deuotiſſimi, quantum ad præconium laudationis: quia inuocabant principium humanæ ſaluationis. Tertio oſtenduntur prudentiſſimi, quantum ad intentum petitionis: quia verſabantur contra defectum propriæ infectionis. Primo namque habuerũt religioſum geſtum circumſpectionis: quia perfuſum timore humiliationis per diſtan- E tiam poſitionis. Non enim acceſſerunt tamquam ſuperbi præſumptuoſe, ſed tamquam humiles reuerenter: *Steterunt a longe.* Secundo habuerunt deuotum præconium laudationis: quia inuocabant principium humanæ ſaluationis cum vehementia clamoris. Vnde *eleuauerunt vocem*, cum deſiderio proferentes, dicentes: *Ieſu* quod interpretatur ſalus. Tertio habuerunt diſcretum intentum petitionis: quia verſabantur contra defectum propriæ infectionis, ſine verecundia propalationis. Et ob hoc ſubiunxerunt: *miſerere noſtri*, ſcilicet quia ſumus infecti morbo lepræ. Non enim verecundati ſunt ſuum defectum propalare.

F Dicit ergo: *Steterunt a longe*: vbi commendantur, quantum ad religioſum geſtum circumſpectionis, qui Primo ſtat humiliter ad deplorandum commiſſa peccata. Secundo ſtat viriliter ad ſuperandum diabolica tentamenta. Tertio ſtat perſeueranter ad obtinenda æterna præmia.

Primo illa anima pœnitens habet religioſum geſtũ circumſpectionis, quæ ſtat humiliter ad deplorandũ ſua peccata. Vnde: *Luc. 18. c* Publicanus a longe ſtans nolebat nec oculos ad cælum leuare: ſed percutiebat pectus ſuum dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* *Ibidem. c* Vnde Gloſſa: A longe ſtat ſicut humilis non audet appropinquare, vt Deus ad ipſum appropinquet: non aſpicit, vt aſpiciatur: premit conſcientiam, ſed ſpem ele-



uat:

uat, percutit pectus de ſeipſo: pœnitentias exigit, vt Deus parcat, confitetur vt Deus ignoſcat, ignorat Deus quod ille agnoſcit. Intellexerat enim ille publicanus illud quod dicitur [*Eccls. 2. a*]: Fili accedens ad ſeruitutẽ Dei, ſta in iuſtitia, & in timore. Hoc modo ſtabat Maria Magdalena [*Luc. 7. f.*], ſecundum quòd dicitur: Stans retro ſecus pedes eius lacrymis cœpit rigare pedes, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Moraliter autem iſta ſex, quæ dicuntur de iſta peccatrice, debent eſſe in quolibet peccante, ſcilicet pudor erubeſcentiæ: quod notatur, cum dicit: *Stans retro*. Timor reuerentiæ ibi, ſecus pedes. Dolor pœnitentiæ, ibi: & lacrymis cœpit rigare: [B] Amor pudicitiæ ibi: capillis capitis ſui tergebat. Ardor beneuolentiæ ibi: & oſculabatur. Et dulcor deuotionis internæ ibi: & vnguento vngebat. Secundo illa anima habet religioſum geſtum, quæ ſtat viriliter ad ſuperanda diabolica tentamenta. Vnde [*Ephes. 6. b*]: Induite vos armaturã Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Et ſequitur: State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induite loricam iuſtitiæ. Iſta armatura, qua debemus indui ad hoc, vt poſſimus ſuperare diabolica tentamenta eſt memoria paſſionis Chriſti, quæ ſi ad memoriam affectuoſe reducatur, [C] omnes dæmones cum tremore effugantur, ſecundum quòd experientia me docuit pluries. Nam ſemel cum diabolus fortiter me ſtringens in gutture vellet ſtrangulare, iam non valens præ nimia ſtrictione gutturis clamare, vt fratrum adiutorium imprecarer, incipiebam cum ingẽti dolore ſpiritum exalare, ſtatimq. habita Dominicæ paſſionis memoria, incœpi ex compaſſione Dominicæ paſſionis ſingultum geminare: & magna ſuſpiria loco vocis ſubmittens cordis medullis emittere: quo finito virtute Dominicæ paſſionis, ego ſeruus crucis, qui præſens ſermonum opuſculum ad laudem nominis Chriſti, & ſanctæ crucis honorem compegi: tam crudeli nece profiteor me eſſe liberatum, [D] ſcio quòd poſtea ex reuelatione didici, quòd exigentibus meis peccatis: quamquam de peccato mortali mihi conſcius non eſſem, hoc mihi euenire, diuina iuſtitia permittebat: ſed quia nullus poteſt iſtam armaturam induere, niſi carnis luxuriam, per carnis continentiam coarctet: ideo ſequitur in prædicta auctoritate præcincti lumbos in charitate per refrenationem carnalium deſideriorum. Et quia minus eſt mala non agere, niſi quiſque ſtudeat bonis operibus inſudare. Ideo adiungit: induite loricam iuſtitiæ, per impletionem diuinorum præceptorum. Vnde talis, qui eſt præcinctus lumbis ſuis per caſtitatem, [E] indutus lorica iuſtitiæ per bonam operationem, & armatus memoria Dominicæ paſſionis per continuam meditationem: redditur diabolo, & eius ſatellitibus terribilis, vt caſtrorum acies ordinata [*Cant. 6. b*]. Tertio illa anima habet religioſum geſtum, quæ ſtat perſeueranter ad obtinendum æterna præmia. Vnde [*Ioan. 20. b*]: Abierunt iterum diſcipuli ad ſemetipſos: Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans: Ecce quòd diſcipulis recedentibus, Maria Chriſti amoris igne ſuccenſa ad monumentum perſeuerabat: quia deſideria dilatione nõ deficiebant, ſed potius Maria ſui cordis deſiderijs acquieſcebat: & ideo ratione ſuæ perſeuerantiæ meruit [F] primo videre gloriam Chriſti reſurgentis, vt poſteris per hoc daretur intelligi, quòd nullus poteſt eſſe particeps gloriæ, niſi perſeueret ad monumentum pœnitentiæ, vſque ad vltimum finem vitæ ſuæ.

[*Memoria paſſionis Chriſti armatura ad omnia diabolica tentaméta ſuperanda. Nota quod S. Bon. recẽſet ſibi acci diſſe.*]

Secundo in verbo propoſito commẽdantur leproſi, quantum ad deuotum præconium laudationis, inuocando principium humanæ ſaluationis quod eſt Chriſtus Ieſus. Vnde *leuauerunt vocem ſuam, dicentes: Ieſu præceptor*. Et bene ille, qui ſalus interpretatur, dignus eſt laudis præconio. Nam per ipſum tria nobis donantur, in quibus perfecta ſalus humani generis conſiſtit. Et primum eſt remiſſio omnium peccatorum, quantum ad dona veniæ. Secundum eſt infuſio cariſ- [A] matum diuinorum, quantum ad dona gratiæ. Tertium eſt conſummatio mentalium deſideriorũ, quantum ad dona gloriæ. Primo Ieſus dignus eſt laudatoriæ inuocationis præconio: quia per ipſum tribuitur pœnitentibus remiſſio omnium peccatorum. Vnde [*Act. 2. f*]: Pœnitentiam agite, baptizetur vnuſquiſque in nomine Ieſu in remiſſionem peccatorum. De hoc ſimiliter dicit Apoſtolus Paulus [*1. Tim. 1. e*]: Fidelis ſermo & omni acceptione dignus: quia Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Vnde talis ſermo eſt dignus omni laude, & acceptione, cum Filius Dei mira ſua benignitate dignatus eſt venire in hunc mundũ [B] per carnis aſſumptionem, vt ouem perditam morte propria de ore dæmonum liberaret, & eius vulnera pigmento proprij corporis, & ſanguinis liniret, vel ſanaret. Secundo Ieſus dignus eſt laude, & præconio: quia per ipſum tribuitur proficientibus infuſio cariſmatum diuinorum. Vnde [*Ion. 1. b*]: De plenitudine eius omnes nos accepimus gratiam pro gratia: quia lex per Moyſem data eſt, gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt: quia diuinitas fuit in Chriſto homine, ex quo conceptus eſt impleuit illum nullis præcedentibus meritis omni plenitudine gratiæ ſecundũ gloſſam. Ideo de eius plenitudine redundantiam, ab [C] ipſo capite nos eius membra accepimus. Nam omnis dulcedo gratiæ eſt per Ieſum. Et propter hoc Eccleſia omnes orationes terminat: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et pro gratia, quæ gratis, & ſine merito datur gratia meriti cum in illa proficimus. Vnde Gloſſa: gratia ſimpliciter, quæ non eſt ex meritis in inceptione boni datur: ſed poſtea cum per illam operamur, & in bonum creſcimus, tuncq. datur gratia pro gratia priori: quia lex, ideſt ſalutis prænunciatio, & præfiguratio, ſiue promiſſio: per Moyſem ſeruum data eſt: gratia & veritas, ideſt ſalutis adimpletio, per Ieſum Chriſtũ facta eſt. Tertio Ieſus eſt dignus præco- [D] nio laudationis, quia per ipſum tribuitur perſeuerãtibus conſummatio mentaliũ deſideriorum. Vnde [*Phil. 3. d*]: Saluatorem expectamus Dominum Ieſum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, & hoc erit per manifeſtationem gloriæ Chriſti, in cuius aſſimilatione, & beatificatione omnia deſideria noſtra complebuntur. In nullo enim alio poſſunt quietari, & quieſcere humilia deſideria niſi in Chriſto Ieſu. Nam ſi ab ipſo declinauerunt: non plena immo vacua erunt. O Deus quanta auiditate appetendus eſt Ieſus, vnica ſalus humana, totum bonum Chriſtianorum, plenum gaudium bonorum: [E] in quo corporaliter habitat plenitudo deificæ voluptatis: in quo anima abſorpta proficit, omnia eius deſideria conſummantur.

Tertio in verbo propoſito commendantur illi leproſi, quantum ad diſcretum meritum petitionis: quia verſabatur contra ſubiectum propriæ infectionis, cum ſubinfert: *Miſerere noſtri*: Habebant enim triplicem defectum, ratione cuius interior, & exterior homo grauabatur: Nam primo habebant calamitatem corporalis miſeriæ. Secundo habebant cæcitatem intellectualis ignorantiæ. Tertio habebant iniquitatem affectualis malitiæ. Ab iſto enim triplici de- [F] fectu diſcrete petebant liberari, cum dicebant: *Miſerere noſtri*. Primo inquam: *Miſerere noſtri*: releuando defectum corporalis miſeriæ per collationem exterioris ſanctitatis. Secundo: *Miſerere noſtri*: releuando defectum intellectualis ignorantiæ per illuſtrationem, infallibilis veritatis. Tertio: *Miſerere noſtri*: releuãdo defectum affectualis miſeriæ per donationem interioris ſanitatis. Primo: *Miſrrere noſtri*: releuando defectum corporalis miſeriæ, collatione exterioris ſanitatis. Hunc effectum in ſe petebat Iob releuari ab amicis [*Iob. 19. e*], cum dolore eis calamitatem inflictam exponendo, ſecundum quòd dicitur: Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Dicit enim bis: Miſeremini, miſeremini,



[A] ſeremini, vt oſtendat quod miſericordia debet eſſe in affectu interius, & in effectu exterius. Sed vbi deficiunt omnes amici mei humani, nõ deficit verus amicus Chriſtus, ſecundum quòd patet in parabola vlcerati [*Luc. 10. e*]: Samaritanus autem iter faciens miſericordia motus, & appropians alligauit vulnera eius, qui cuſtos interpretatur, qui tamquam verus medicus conſeruat, & cuſtodit animas, & corpora in perfecta ſanitate: iter faciens viſitando poſt condeſcenſionem maieſtatis miſericordia motus eſt: miſerando per affectum pietatis, & vulnera eius ſanando: per virtutem diuinitatis. Ipſe enim eſt medicus totius experientiæ, [B] qui ſanat omnem languorem, ſine vnguento, ſine ferro, ſine quocumque terreno medicamento: ſed tantum ſolo verbo, & ſuæ voluntatis nutu, & beneplacito. Secundo: *Miſerere noſtri*, releuando defectum intellectualis ignorantiæ illuſtratione infallibilis veritatis. Vnde [*Luc. 18. f*]: Cæcus multo magis clamabat: miſerere mei: ſtans autem Ieſus iuſſit eũ adduci ad ſe. Sicut enim iſte cęcus non dimittebat propter turbæ tumultum, & increpationes, quin multo magis clamaret, vt lumen corporale mereretur accipere: ſic qui vult a Ieſu illuminari ſpiritualiter, cum tumultus carnaliũ vitiorum diſſipet cogitationes hominum, & perturbet voces [C] orationis, ne inſtet, atque ita illuminari non poſſit, iam ſentiens grauari phantaſmate priorũ vitiorum, & vocẽ ſuæ orationis impediri, ardentius clamet: quia dum vehementius inſiſtit orationi, ducitur ad Ieſum ſtantẽ, & recipit lumen, eo quòd Deus in corde firmo figitur, & ſic lux amiſſa recuperatur, ſecundũ quòd dicit Gloſſa. Ad hoc ſimiliter pertinet quod dicitur [*Eccli. 36. a*]: Miſerere noſtri Deus: & reſpice nos, & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum, vt ipſa nos dirigat, ne in via morum præcipitio ruamur: adducat per cognitionem, & amorem ad montem ſanctum tuum Ieſum Chriſtum. Tertio: *Miſerere noſtri*, releuando defectum affectualis malitiæ decoratione interioris ſanctitatis. [D] Vnde [*Iſa. 55. b*]: Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum: quia nullus poteſt ſperare veniam peccatorum, niſi prius dimittat retrahens peccatum, vt poſſit toto corde redire ad Dominum. Ideo primo hortatur ad deſertionem impedimenti retrahentis, cum dicit: Derelinquat impius viam ſuam, ideſt peccatum operationis, & vir iniquus cogitationes ſuas, ideſt peccatum cordis. Vnde homo non tantum debet relinquere peccatum in opere: ſed in corde euitare immundas cogitationes, [E] & inordinatas affectiones, ne eis ſentiat, eo quòd peruerſæ cogitationes ſeparant a Deo. Poſt deſertionem impedimenti retrahentis, inducit ad reprehenſionem complementi expedientis, cum ſubdit: & reuertatur ad Dominum, cum timore, & ad Deum noſtrum cum amore.

Poſtremo exprimit dulcedinem bonitatis omnem iniquitatem relaxantis, cum ſubinfert, & miſerebitur eius, per condonationem omnium delictorum: quoniam multus eſt ad ignoſcendum, eo quòd tanta eſt offenſa, quæ relaxatur, quantus eſt ipſe qui offenditur. Rogemus.

# DOMINICA XIIII.

## POST PENTECOSTEM.

### SERMO I.

NEmo poteſt duobus Dominis ſeruire. [*Mat. 6. c*] Quattuor ſunt neceſſaria ad ſalutem, quæ tamen nemo poteſt habere niſi eo modo, quo ſcriptum eſt: [B] Nemo poteſt Deum cognoſcere [*Ion. 1. a*] credendo, niſi per reuelationem. Nemo poteſt ad Deum venire pœnitendo, niſi per attractionem. Nemo poteſt Deo ſeruire bene viuendo, niſi per temporalium repudiationem. Nemo poteſt ad Deum aſcendere euolando, niſi per vnionem, vt videbitur. De primo [*Mat. 11. d*]: Nemo nouit filium, niſi pater, neque patrem quis nouit, niſi filius, & cui voluerit reuelare: ſicut nemo vidit ſolem, niſi per lumen, & ipſum lumen nemo vidit, niſi per ipſum lumen, ſicu nemo noſcit patrem, niſi per filium, qui eſt lumen reuelans: Lumen ad reuelatio- [*Luc. 2. e*] [C] nem gentium. Hoc lumen ille Simeon non ſolum vidit, ſed etiam in manibus accepit. Radius enim luminis huius per ventum tentationis cito in nobis extinguitur, niſi manibus bonorum operum circumfoueatur: In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei, vt rurſus adueniat [*Iob 36. d*]. Sicut autem ſol per lumen ſuum omnibus æqualiter adeſt, non tamen æqualiter reuelat clauſis, & apertis, lippis & claris oculis: ſic ſe habet reuelatio luminis æterni ad viſum fidei. Auguſtinus: Deus omnibus æqualiter adeſt, ille autem plus habet loci, qui plus attulerit non argenti, ſed fidei. De ſecundo: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus [*Ioan. 6. e*] [D] traxerit eum. Nemo poteſt venire, *et cetera*. Sæpe nemo permittitur a dæmoniacis, & peruerſis hominibus alios a bono retrahentibus: Occurrerunt ei duo [*Mat. 8. d*] habentes dæmonia, ideſt crudeles nimis, ita vt nemo poſſit tranſire per illam viam, ſcilicet pœnitentiæ, in qua venit filius prodigus, filius famelicus ad patrem gratiarum abundantem. Auguſtinus: Pauper veſii ad diuitem, miſer ad miſericordem, ne redeam vacuus, & contemptus, & nunc antequam comedam ſuſpiro, da vel ſuſpiria, vt comedam. Vt autem homo veniat ad eũ oportet ipſum trahi per funem gratiæ. De hoc require ſupra in ſermone. Nemo poteſt venire ad me, [E] & etiam feria 4. poſt Pentec. ſermo. 1. in membro 4. [*Pag. 151.*] Sed certe ſi non traheris a Deo in cælum, traheris a diabolo in infernum: Cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli [*Apoc. 12. b*]. De tertio dicitur hic: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire*. O quàm diſſimiles ſunt iſti duo domini, Deus, & diabolus. Primus enim eſt ſuauiſſimus. Pſalmus: Suauis Dominus vniuerſis [*Pſal. 144. b*]. Secundus autem crudeliſſimus: Tradam Ægyptum [*Iſa. 19. a*] in manus dominorum crudelium. Alter enim remunerat ſeruos ſuos cum corona, alter cum gehenna. Iſtis ergo dominis nemo poteſt ſimul ſeruire, ſicut nemo poteſt flere, & ridere, vigilare & dormire, [F] aſcendere & deſcendere. Deo ſeruitur flendo per pœnitentiam, diabolo ridendo per laſciuiam: Plorabitis [*Ioan. 16. c*] & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Si quis enim compungitur, hunc fletum quærit, hunc riſum fugit. Ioannes Chryſoſtomus: Sola enim compunctio, quæ facit ipſam animam horreſcere purpuram, deſiderare ſilentium, amare lacrymas, fugere riſum. Item Deo ſeruitur vigilando in cuſtodia contra diabolum: diabolo autem ſeruitur dormiendo in negligentia contra Deum: Non dormiamus, ſicut & ceteri, ſed vigilemus [*1. Theſ. 5. b*] & ſobrij ſimus. Item Deo ſeruitur aſcendendo de virtute in virtutem, vſque in cælum: diabolo autem deſcendendo de vitio in vitium, vſque ad infernum. Pſalmus: Aſcendunt montes, & deſcendunt campi. [*Pſal. 103. a*] Et illi,

Et illi quidem aſcendunt vſque ad cælos: iſti autem deſcendunt vſque ad abyſſos. Cum ergo nemo poſſit duobus dominis ſeruire, repudiamus alterum, ſcilicet *1. Reg.7. a* diabolum, vt ſoli Deo ſeruiamus: Præparate corda ve- *Ioan. 3. b* ſtra, vt ſeruite illi ſoli. De quarto: Nemo aſcendit in cælũ, niſi qui deſcendit de cælo, &c. O Domine quid erit de nobis miſeris? Vbi eſt ergo Petrus? vbi Ioannes? beata vbi Maria? Sed nullus deſperet: ſi enim dicitur, nullus aſcendit palatium niſi rex: ex hoc non ſequitur quòd manus, & pes regis non habeat aſcendere. Sic certe cum Chriſto aſcendunt, qui per fidẽ, & amorem Chriſto tamquam membra capiti vniuntur. Gloſſa: Renati ſpiritualiter aſcendunt in cælum, ſed non niſi ſint membra cohærentia Chriſto. Item ſi dicitur, rex ſolus aſcendit, & ex hoc non ſequitur, quòd veſtis qua indutus eſt non aſcendit. Eccleſia eſt veſtis Chriſti, quæ in monte cæleſti eſt cum eo trans- *Luc. 9. d* figuranda per gloriam. Veſtitus eius albus, & refulgens.

## SERMO II.

*Mat. 6. d* S*Cit enim pater veſter: quia omnibus his indigetis*. Pater veſter Deus propter paternam procreationem, propter paternã dilectionem, propter paternam procurationem, propter paternam hereditatis collationem. De primo: *Deut.32.a* Nõne ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creauit te? fecit corpus, creauit animam, poſſidet totum. Bernardus: Naturaliter amat, *et cet.* Require in ſermone: *Diliges*, *et cet.* Auguſtinus: Amandus eſt generator, ſed præponendus eſt Creator. Non ſolum autem pater noſter eſt nos creando, ſed etiam recreando. Vis autem ſcire ſi pater tuus ſit Deus? audi quod *Ioan. 5. a* dicitur: Omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, id eſt auaritiam, luxuriam, ſuperbiam, inuidiam, *1. Ioan. 2. b* infidelitatem, *& cet.* Vnde bene dicitur: Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo: quia omne quod in mundo eſt, *et cet.* Qui ergo talia diligunt *Ioan. 8. f* non eſt pater eorum Deus, ſed diabolus: Vos ex patre diabolo eſtis, &c. & huius patris hereditatem, id eſt *Luc. 15. e* ignem æternum poſſidebunt. De ſecundo: Cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum pater illius, & miſericordia motus accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Filius iſte, qui conſumpſit bona patris ſui luxuriando, & tamen in tanta dilectione receptus a patre, peccatorem ſignificat. Bona patris, quæ conſumpſit in luxurijs, ſunt vires ſenſus, ſanitas, tempus conditum, & huiuſmodi. Quanta huius patris dilectio apparet, quando peccator iam nec vires, nec ſanitatem, nec tempus habet: quia vitam ſuam in peccatis conſumpſit: tamen ſi ad patrem per veram contritionem reuertitur, pater miſericordia mouetur. *Pſal. 102. c* Pſalmus: Quo modo miſeretur pater filiorum, &c. ſed in oſculo reconciliationis eum recipit. Patent iſta *Luc. 23. f* in latrone ſero conuerſo. Vnde etiam tamquam ad *Ioan. 19. f* oſculum caput in cruce inclinauit. Inclinato capite tradidit ſpiritum. De tertio dicitur hic: *Scit enim pater veſter: quia his omnibus indigetis*. Ne autem in neceſſitatibus temporalibus de procuratione huius patris diffidamus, inſtruxit nos de victu, exemplo volucrum, de veſtitu, exemplo liliorum: in quibus credentium auaritia reprehenditur. Adhuc enim viuit qui Iudæos quadraginta annis in deſerto, nec ſerentes, nec metentes pauit, & eiſdem quadraginta annis non *Deut. 29 a* ſunt attrita veſtimenta eorum: ſicut dicitur. Quid ergo timent Chriſtiani quando ita liberaliter procurantur Iudæi? Non ſolum autem corporibus, ſed etiam *Luc. 11. b* animabus prouidet etiam pater iſte ad ſalutem. Si ergo vos cum ſitis mali, *et cet. vſque*, petentibus ſe. Bernardus: Deum meum timeo vitæ meæ nõ ſolum gratuitum largitorem, largiſſimum adminiſtratorem, piũ conſolatorem, ſolicitum gubernatorem, ſed inſuper etiam copioſiſſimum Redemptorem, æternum cõſer-

A uatorem, ditatorem, glorificatorem. O Chriſtiane, quare es auarus? qui tibi dat ſeipſum, quo modo nõ daret tibi cibum? qui tibi dat Spiritum ſanctum, quo modo non dare poteſt victum? Qui ergo dat tibi fidẽ & virtutes, quo modo non daret tibi veſtes? dic ergo fideliter: Pater noſter, *et cet.* Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. *Mat. 6. b* Reprehenditur ergo Chriſtianorum ſolicitudo auaritiæ, non prouidentiæ. Qui enim Heliã per coruum cibauit, & Agnem celeriter veſtiuit, poteſt & tibi prouidere. *3. Reg. 17. a* De quarto: Nolite timere puſillus grex, quoniam complacuit patri veſtro dare vobis regnum. *Luc. 12. d* Puſilli ſunt homines, quorum eſt B hereditas regni cæleſtis: quod bene ſignificauit in filijs Iſaiæ: quorum nullus vnctus in regem niſi ille de quo dictum: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. *1. Reg. 16. b* Non enim grandibus per elationem, & inflationem, ſed humilibus per humilitatem regnum cælorũ dabitur. Vnde bene de Saule dicit Dominus: Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? vnxitq. te Dominus in regem? *1. Reg. 15. d* Auguſtinus: Eſto paruulus, *et cet.* Require in ſermone, *Nemo poteſt* venire, *et cet.* Sermone primo in ſecundo membro. *Pag. 151.*

C

## SERMO III.

Q*Værite ergo primum regnum Dei*. Legitur: Si quæritis, quærite: conuertimini & videte. *Mat. 6. d* *Iſa. 21. b* Sicut ergo ægrotus medicinam, vel medicum, auarus theſaurum, dilecta ſponſum, heres regnum: ſic & vos quærite medicinam pœnitentiæ: theſaurum gratiæ, ſponſum Eccleſiæ, regnũ gloriæ. De primo: Quærite me, & viuetis, non corpore tantum ſicut viuunt boni, & mali, ſed etiam anima. *Amos. 5. a* Pſalmiſta: Quærite Dominum, & viuet anima veſtra, &c. *Pſal. 68. a* Ac ſi diceretur ægrotis: Quærite medicum, D ſcilicet Chriſtum. Non eſt opus valentibus medicus, *Mat. 9. b* huius medici medicina eſt pœnitentia, hanc imprudentes propter amaritudinem heu abhorrent volentes potius eſſe leproſi, quàm ſumere amara. Contra quos dicitur: Altiſſimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam. *Eccli. 38. a* Quærit tamen quandoque medicum ſpiritualiter leproſus, cum iam per infamiã incipit inter homines quaſi in facie eſſe ignominioſus. Pſalmus: Implebit facies eorum, *et cet.* *Pſal. 82. d* Dominus quoque hominem vulnerat, & percutit affligendo, vt medicum quærat pœnitendo. Pſalmus: *Pſal. 77. d* Cum occideret eos, quærebant eum, *et cet.* Sicut au- E tem ſtultus eſſet, qui aſino ſuo, & non ſibi ægrotanti quæreret medicum, ſic ſtultus eſt, qui medicum corporis quærit, medicum autem animæ negligit, ſicut Aſa, vt dicitur: Nec in infirmitate quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt. *2. Par. 16. d* De ſecundo: Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies: quia Dominus dat ſapientiam: & ex ore eius prudentia, & ſcientia. *Prou. 2. a* Studioſe ergo in terra proprij cordis fode, quære, ſi de facili theſaurum virtutum vis inuenire. Gregorius: De facili theſaurum in ſe inuenit, qui molem cogitationis F terrenæ a ſe repellit. Penſa quantis die noctuq. curis, & ſtudijs, & cogitationibus quærant theſaurum negotiatores per terram, & per mare, in periculo corporum, & rerum quærunt denarium. Sic igitur inſtantius quæritur, quod inſtantius diligitur. Auguſtinus: Plus diligit modica charitas verbum Dei, quàm cupiditas millia auri, & argenti. O quàm negotiator quærit merces pro vili pretio? Quid autem ſpecioſius gẽmis virtutum? & quid vilius ſtercore temporalium? Simile eſt regnum cælorum homini negociatori, &c. *Mat. 13. f* id eſt virtutes. Inuenta vna pretioſa Margarita, id eſt charitate, dedit omnia temporalia. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eã. *Cant. 8. c* De tertio: Quo abijt dilectus tuus o pul- *Cant. 5. d*



pulcherrima mulierum, quo declinauit dilectus tuus, & quæramus eum. Pulchra fuit in corporis virginitate, pulchrior in animæ puritate, pulcherrima in prolis fecunditate. O quanta eſt ſponſi, id eſt Chriſti pulchritudo, qui tam ex pulcherrima matre natus eſt ſecundum humanitatem: ex pulcherrimo patre ſecundum diuinitatem? Sed ſponſus iſte pulcherrimus pro- *Sap. 2. d* pter nos apparuit, quaſi turpiſſimus: Morte turpiſſima condemnemus eum. Sic enim eius turpitudo facta eſt per ſanguinem ſuum noſtra pulchritudo. Auguſtinus: Abſens eſt, qui nos ſanguine ſuo redemit: ſponſus ille, quo nihil eſt pulchrius, qui quaſi fœdus apparuit inter manus perſequentium. Quære ergo o anima Chriſtiana abſentem non ſolum tãquam ſponſum pulcherrimum, ſed etiam iucundiſſimum. Pſal- *Pſal. 69. a* miſta: Exultent, & lætentur omnes. Item tamquam ditiſſimum per quem ſemper abundabis bonis gratia- *Pſal. 33. b* rum. Pſalmiſta: Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Item tamquam optimum. Quæ- *Amos. 5. d* rite bonum. Gloſſa: Chriſtum, qui dicit: *Ego ſum* *Ioan. 10. b* *paſtor bonus*. Item potentiſſimum: Si fortitudo quæ- *Iob. 9. c* ritur, robuſtisſimus eſt. De quarto dicitur hic: *Primum quærite regnum Dei*. Si aliquis expulſus eſſet de regno patris ſui, o quantis bellis, & conſilijs quæreret reuerſionem in regnum! Et certe omnes in Adam ex- *Pſal. 35. c* pulſi ſumus. Pſalmiſta: Expulſi ſunt, neque potuerũt ſtare. Magnis ergo conſilijs, & bellis contra diabolũ, carnem, & mundum, corona regni quærenda eſt! Non *2. Tim. 2. a* coronabitur niſi qui legitime certauerit. Sed certe quærendo Deum, quæris hereditatem huius regni, & omnia bona prædicta. Auguſtinus: Patrem quæramus propter hereditatem, tu es Deus meus. Primum ergo quærite, &c. Sed heu qui primum modo nolunt quærere regnum Dei, primi quærentur in regnum *Mat. 13. d* diaboli: Colligite primum zizania.

## SERMO IV.

*Mat. 6. d* *Greg. hom. 37. in Euã.* P*Rimum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius*. Quia comparatione ſupernorum vileſcunt omnino omnia quæ habẽtur in terris: ideo Dominus noſter tamquam verus, & bonus magiſter docet diſcipulos ſuos rebus omnibus: regnũ Dei ſummum bonum: præponere in quærendo cum dicit in verbo propoſito: *Primum quærite regnum Dei*, & cetera. In quo quidem verbo, miro modo ordinate procedit. Nam Primo hortatur ad diligentiam debitæ inquiſitionis. Secundo exprimit magnificentiã ſupernæ habitationis. Tertio introducit ad efficaciam virtuoſæ operationis. Ratione primi: rationalis diſponitur ad cognitionem veri. Ratione ſecundi concupiſcibilis: allicitur ad dilectionem boni. Ratione tertij iraſcibilis, roboratur & regitur ad aggreſſionem ardui.

Primo igitur in verbo propoſito dirigit intellectiuã per ſtudium ordinatæ inquiſitionis, cum dicit: *Primum quærite*, ſcilicet diligenter per fidem: quia ſine luce fidei impoſſibile eſt aliquid dirigi ad debite inquirendum. Secundo allicit affectiuam per præeminentiam regiæ coronationis, cum ſubdit: *regnum Dei*. cuius obtentu terreni homines tanti nominis excellẽtia extolluntur: vt reges regni cælorum nominentur. Tertio ſtabilit effectiuam per exercitiũ virtuoſæ operationis, cum ſubinfert: *& iuſtitiam eius*. Gloſſa: Iuſtitia regni eſt, omnia, quæ docuit Chriſtus, ſeruare.

Dicit ergo: *Quærite*. Vbi primo incitat ad diligentiam ordinatæ inquiſitionis. Ille debita diligentia inquirit, quando quærit toto conatu, ſcilicet interiori, & exteriori, ſecundum triplicem virtutem theologicam. Et Primo cum ſoliditate cogitatus, in contẽplationibus veris. Secundo cum auiditate appetitus, in delectationibus puris. Tertio cum ſtrenuitate effectus, in conuerſationibus ſanctis. Prima inquiſitio eſt potentiæ cognitiuæ per fidem. Secunda potentiæ

A affectiuæ, per charitatem. Tertia potentiæ operatiuæ, per ſpem. Primo *quærite* cum ſoliditate cogitatus in contemplationibus veris. Vnde: In ſimplicitate cor- *Sap. 1. a* dis quærite illum quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Quærite illum ſcilicet Deum in veſtigatione continuæ meditationis. In ſimplicitate cordis per puritatem ordinatæ affectionis elongando, & ſeparando cor ab omnibus terrenis. Nam quot res cor diligit, tot ſibi vnit, & componit, eo quòd amor ſiue humanus, ſiue diuinus, eſt vis vnitiua ſecundum beatũ Dionyſium: quanto enim cor plura & diuerſa diligit B terrena, tanto compoſitius redditur: ſed cum ſe elongat, & ſeparat ab iſtis terrenis, vt vni, & ſimplici, cui totum cor ſine defectione debetur, adhæreat, & vniatur per amorem, vt ex tali vnione ſimplici, & pura acquirat corporis ſimplicitatem, & puritatem. A talibus vero inuenitur ſi non tentant illum per curioſitatem præſumptuoſæ, & temerariæ inueſtigationis. Nam præſumptuoſus, & temerarius perſcrutator maieſtatis, qui quaſi per tenebroſitatem pedeſtram ratiocinationum ſic innititur, vt velit figere aſpectum in ſplendoribus æternis præ phantaſtica tenebroſitate opprimitur a gloria: apparet autem eis C qui fidei adminiculo per exceſſus contemplationis altius ſupra ſeipſos eleuantes Deum perſpicaciter contemplantur. Vnde Richardus: Contemplatio eſt libera mentis perſpicacia in ſapientiæ ſpeculo ſuſpenſa cum admiratione. Secundo *quærite* cum *Richard. li. 1. de contẽpla.* auiditate appetitus in delectationibus puris. Vnde: Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. *Coloſ. 3. a* Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram, potiora bona patris, quę ſurſum ſunt vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, id eſt inquantum illis potioribus bonis, & dulcioribus perpetuo fruitur. *Quærite* per deſideria, & hæc eadem bona, & dele- D ctationes, quæ ſurſum ſunt in dextera Dei, ſapite, per eleuationem appetitus, & guſtus cũ adhærentia amoris ad ſuperna. Non quæ ſuper terram per depreſſionem affectus ad iſta fœda, & immunda. Nam iſtæ fœdæ, & delectationes terrenæ potius amaricant, quàm delectent. Nam vbi credit homo inuenire delectamẽtum experitur cruciamentum, eo quòd omnis delectatio in præſenti aſperſa eſt amaritudine. *Gen. 1. a* Sed delectationes, quæ ſunt in dextera Dei per fidem delectant, eo quòd coniungunt, & vniunt animã illi, ad cuius imaginem, & ſimilitudinẽ facta eſt, ex cuius vnione amans transformatur in amatum dum illi per affectum con- E iungitur. Cum ergo ſecundum Hugonem, tanta *Hugo. li. 3. de arra ſponſa.* vis amoris eſt vt talem te eſſe neceſſe ſit, quale eſt id quod amas, & dum per affectum coniungeris in ipſius ſimilitudine, ipſa quadam ſocietate conformaris. Si anima conuertit ſe ſuper fædum per amorem transformatur in fæditatem, ſi ſupra pulchrum in pulchritudinem: pulchrum ergo generat delectationem, ergo diuina ſapientia generat pulchrum delectationis in eo, quod ei per amorem vnitur. Et de hoc intelligitur quod dicitur: Surgam, & circuibo ciuitatem: per *Cant. 3. a* vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni: inuenerunt me vigiles, F qui cuſtodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidiſtis: paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam donec experiar delectationẽ, & dulcedinem eius deificæ voluptatis. Tertio, *quærite* cum ſtrenuitate effectus in conuerſationibus ſanctis. Vnde: Si ſapientiã *Prou. 2. a* inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, ſi quæſieris eam, quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem, & ſcientiam Dei inuenies. Si ſapientiam inuocaueris per ſanctitatem vitæ, nulla melior inuocatio ſapientiæ, quàm præparatio habitaculi per ſanctitatem. Si inclinaueris cor tuũ prudentiæ per rigorem diſciplinæ. Si quæſieris eam quaſi pecuniam cum auiditate concupiſcẽtiæ, & quaſi theſau-

theſauros effoderis illam per ſolicitudinem diligentiæ. Nam ſicut qui theſauros fodit terram trahit, & foueam in altum facit ſedulus exiſtẽs donec inueniat quod quærit; ſic qui deſiderat theſaurum ſapientiæ, omne pondus terrenum a ſe retrahit, & foueam hamilitatis in ſe facit, nec quieſcit donec inueniat: quia tunc intelliges timorem Domini initium omnis boni, per quem declinat omnis a malo, & ſcientiam Dei inuenies, cuius dictamine dirigitur omnis homo. Auguſtinus libro de cõfeſſione: *S. Aug. lib. confeſſ. c. 3.* Pereant omnia, & dimittamus hæc vana, & inania conferamus nos ad ſolam inquiſitionem veritatis. Ibidem: quid cunctamur? ergo relicta ſpe ſæculi conferre nos totos oportet ad B quærendum Deum, & vitam beatam.

Secundo in verbo propoſito exprimit excellentiam ſupernæ inhabitationis, cum ſubdit: *regnum Dei.* Hác autem inexplicabilem excellentiam ſupernæ inhabitationis, ſcilicet regni Dei, tria ſunt, quæ aliquo modo de longinquo manifeſtant. Et primum eſt refulgentia diuinæ claritatis, ex qua redditur ſpecioſum ad videndum. Secundum eſt redundantia immenſæ bonitatis, ex qua redditur delicioſum ad perfruendum. Tertium eſt carentia mundanæ corruptionis, ex qua redditur ſempiternum ad permanendum. Et ſic refulgentia lucida ſapientiæ ſuperſplendentis circum- C dabit rationalem in aperta viſione. Influentia placida ſuperabundantis beneuolentiæ ſanabit concupiſcibilem in quieta fruitione. Et efficacia virtuoſa potentiæ perpetuitatis aſſecurabit iraſcibilem in firma tentione. Primo regnum Dei eſt ſpecioſum ad intuendum propter refulgentiam diuinæ claritatis. *Sap. 5. c* Vnde: Accipient ſancti regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini. Sicut cælum ornatur luminaribus, ſic regnum Dei refulgentijs ſapientialibus, ex præſentia lucis æternæ irradiantis ſuper hos, quæ eſt ſpecioſior ſole: ſic glorificant dies lætitiæ, & exultationis ad cuius præſentiam micant radij diuini ſplendoris facien- D tes illam ſupernam habitationem, regnum decoris. Sed tunc accipient diadema decoris de manu Domini, quando manu diuinæ potentiæ adducti per dotem apertæ viſionis contemplabuntur Dei vnius & trini pulchritudinem, cuius viſio omnem animam ſui deſiderio in eius concupiſcentiam trahit, quod eſt ſine labore, & terrore, & cum delectatione. Vnde Auguſtinus de Trinitate: Veritatem ſine vlla difficultate videbimus, ea clariſſima, & certiſſima perfruemur, nec aliud quæremus mente ratiocinante, ſed cernemus contemplante. Secundo regnum Dei eſt delicioſum ad perfruendum, propter influentiam deificæ volu- E ptatis. *Luc. 19. c* Vnde: Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Iſte viuus panis de cælo deſcendens, qui habet omne delectamentum, omnis ſaporis ſuauitatem, eſt Ieſus Chriſtus, qui ſine faſtidij generatione, deſiderij continuatione ſatiat interiorem guſtum, immenſitate deitatis, exteriorem delectatione humanitatis. Nã in ipſo inuenitur redundans plenitudo ſanitatis. O quàm felix, quàm illuſtris, quàm ſanctus, quanta auiditate eſt appetendus ille cibus deificæ voluptatis, cibus verarum deliciarum, ſolo eius odore ſancti in via, vtique ſuſtentantur, cum in ſpiramentum eius ſuauitatis de longinquo venit ad eos, quod eſt ſuper F odorem balſami, fragrantia turis, ac myrrhæ, omniſque generis ſuauia odoramenta, quando per ſapientialia deſideria in excelſum contemplationis introducitur in regnum Dei. *Sap. 6. c* Vnde: Concupiſcentia ſapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Tertio regnum Dei eſt ſempiternum ad permanendum, propter continuam omnimodæ contrarietatis amotionem. Vnde in Pſalmo: *Pſal. 144. c* Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui, regnum tuum Domine, regnum omium ſæculorum. Gloriam regni tui dicent, hoc eſt, quando glorificati quidquid boni habent, reſoluunt in primum princi- A pium: & ideo beati ſunt in continua laude, & glorificatione: quia omne illud, quod accipiunt, in eum ſolum, qui poteſt glorificare, reſoluunt: nihil enim agetur ibi, niſi vacare Dei laudibus. Vt notam faciãt filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. Latitudinem capacitatis incoarctabilis, quæ non coarctabitur multitudine poſſidentiũ: quia tantũ gaudent beati de bono proximi, quantum de bono proprio. Regnum tuum Domine, regnum omnium ſæculorum. Tum propter longitudinem æternitatis interminabilis. Nihil enim obeſt ſibi, & ideo nulla violentia poteſt ſibi fieri. Cum ergo regnũ B Dei ratione æternitatis ſit omnino intranſmutabile, & incorruptibile, neceſſe eſt quòd non ſit in iſtis inferioribus, ſed in ſuperioribus, ſecundum quod dicit Dominus: *Ioan. 18. g* Regnum meum non eſt de hoc mundo, alioquin eſſet defectiuum quod abſit, eo quòd in regno Dei nullus eſt defectus. Vndè conſiderare iugiter regnum Dei, & æternitatem, multum valet ad ſpernendam præſentis vanitatis mobilitatem.

Tertio in verbo propoſito ſtabilit effectiuam per efficaciam virtuoſæ operationis, cum ſubinfert: *Et iuſtitiam eius.* Tria enim ſunt, quæ faciunt hominem efficaciter operari, & inquirere iuſti- C tiam regni Dei. Primum eſt ſimplicitas intentionis in declinando malum. Secundum eſt ſtrenuitas operationis in faciendo bonum. Tertium eſt ſtudioſitas ſolicitudinis in corrigendo erratum. Primo *quærite* iuſtitiam regni per ſimplicitatem intentionis in declinando malum. *Eccli. 17. c* Vnde: Pœnitentibus autem dedit viã iuſtitiæ, & confirmauit deficientes ſuſtinere: & deſtinauit illis ſortem veritatis conuertere ad Dominũ, & relinquere peccata pœnitentibus, qui relinquunt peccata corde, & opere, & conuertuntur ad Dominum cum puritate conſcientiæ. Dedit viam iuſtitiæ, per remiſſionem culpæ, ſed quia pœnitens de nouo D conuerſus in viam iuſtitiæ deficit, ſi ſuæ voluntati, ſiue culpæ relinquatur, ideo cõfirmauit documento diuinorũ eloquiorum, & exemplo aliorum ſanctorum, & talibus deſtinauit, & donauit ſortem æternæ veritatis, & ſupernæ hereditatis. Et de hoc dicitur ſimiliter: *Prou. 11. a* Iuſtitia ſimplicis diriget viam eius. Secundo *quærite* regni iuſtitiam per ſtrenuitatem operationis in faciendo bonum. *Sap. 10. b* Vnde: Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam ſanctorum, honeſtauit illum in laboribus, & compleuit labores illius. Viæ rectæ ſunt diuina præcepta, per quæ Dominus ſuauiter duxit iuſtum E tendentem ad ſupernam patriam, oſtendendo illi regnum Dei, ne corpore ignauiæ grauaretur, ſed ſpe, & deſiderio perueniendi ad regni felicitatem fortiter de virtute in virtutem incedat, & veniat in viam mandatorum, ne ruat præcipitio vitiorum, dedit illi ſcientiam ſanctorum, cuius eſt eligere bonum, & declinare malũ, honeſtauit illum in laboribus ſuis. Et compleuit labores illius, pro eis piam mercedem reddendo. Tertio *quærite* regni iuſtitiam, per ſtudioſitatem ſolicitudinis in corrigendo erratum. *Eccli. 17. c* Vnde: Auerte ab iniuſtitia tua, & nimis odit execrationem, & cognoſce iuſtitias, & iudicia Dei, ſta in ſorte propoſitio- F nis, & orationis Altiſſimi Dei. Auerte ab iniuſtitia tua corrigendo proprium erratum & defectum, etſi incumbat, alienum, & nimis odito execrationem iuſtorum, qui de erratis, & defectibus proprijs non curant, & alienos diſſimulant. Et cognoſce iuſtitias, & iudicia Dei, quæ ſeuera ſunt in puniendo, quorum terrore perterritus, ſta in ſorte propoſitionis, & orationis deuotæ coram conſpectu Altiſſimi Dei: quia tunc adimplebitur illud: *Iſa. 32. a* Ecce in iuſtitia regnabit rex, & principes in iudicio præerunt. Rogemus: ergo, *et cetera.*

DOMI-



# DOMINICA XV. POST PENTECOSTEM

## SERMO I.

*Luc. 7. b* E*Cce defunctus efferebatur*, & cetera. Sicut defunctus effertur corporaliter, ſic per inimicos, per dæmones & malos conſiliarios, & per quoſlibet ad malum inſtigantes peccator B effertur ſpiritualiter. Effertur, inquam, de mala volũtate ad malam actionem, de mala actione ad conſuetudinem, de vitio ad vitium. Conſiderandum autem quòd homines efferuntur in tranſgreſſione mortali, in conuerſione pœnitentiali, in reſolutione corporali, in reſurrectione generali. Primo modo efferuntur de gratia in culpam, de bono ſtatu in malum, de templo gratiæ ad regnum ſpiritualis Babyloniæ: *1. Eſd. 6. a* Sacra vaſa aurea, ideſt perfectos homines, & argentea, ideſt imperfectos extulit Nabuchodonoſor de domo Dei, quæ eſt in Ieruſalem. Et ſicut raptores, & fures libentius efferunt C aurea, quàm argentea, vel lignea vaſa: ſic & diabolus per ſe, vel per alios homines trahit ad peccatum libentius chariora Eccleſiæ membra. Vnde & hic filius vnicus efferebatur. Vnicus enim eſt chariſſimus. Sed certe ad malum opus non effertur, niſi qui prius in voluntate moritur. In voluntate enim mors animæ ponitur, morere ſi vis, viue ſi vis. Auguſtinus: Deus amiſſus, mors animæ: anima amiſſa, mors corporis. Mors corporis neceſſaria, mors animæ voluntaria. Homo ergo moritur in mala voluntate, effertur in peccati perpetratione, ſepelitur in conſuetudine. Hæc ſignificata ſunt in tribus mortuis, de quibus require D infra in proximo ſermone. Secundo modo efferuntur homines de culpa ad gratiam, de malo ſtatu ad bonum, de mundo ad religionem. Effertur autem per rectores, per doctores, per orationes bonorum: *Leuit. 4. d* Ipſum vero vitulum efferet extra caſtra, atque comburet. Vitulus eſt quilibet per martyrium, vel per *Pſal. 50. d* pœnitentiam Deo immolatus in altari fidei. Pſalmus: Imponent ſuper altare tuum vitulos. Qui extra huius mundi caſtra efferuntur, de mundi malitia, ac malorum ſocietate vitiorum ſeparantur: ab his turbis, & caſtris debet ſequeſtrari, qui Dominum deſiderat con- *Luc. 19. a* templari: Quærebat videre Ieſum, & non poterat E præ turba. Fuge ergo turbam. Caſſiodorus: Turba vitiorum ſine crimine vincitur, quando ſolicitudo gratiæ ſuffragatur. Efferri autem debet, vt comburetur *Exo. 19. c* igne contritionis, vel amoris, de quo igne: Totus mons Sinai, ideſt tota mens fidelis fumigabat per contritionem, eo quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, videlicet zeli, vel amoris. Bernardus: Tunc ſcit anima quòd iuxta eſt Deus, cum ſe ſenſerit illo igne ſuccenſam. *Act. 5. b* De tertio: Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te. Notent hanc hiſtoriam, & timeant, qui vſurpant aliena, ſi ſic ſubitanea morte pereunt, qui occultant propria. F Timeant ergo maxime, qui in congregatione religionis ignorante Petro, ideſt prælato occulte aliquid retinere præſumunt. In reſolutione autem corporali effertur corpus ad ſepulchrum: mala anima ad infernũ: *Iſa. 22. e* Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus. Qui demiſſo ad terram capite, & ligatis pedibus ad forum portatur. Item bona anima ad cæ- *Luc. 16. e* lum effertur: Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abraæ. Ioannes Chryſoſtomus: Non ſufficit pauperi vnus angelus ad portandum, ſed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant. Homines igitur ad ſepulchrum: dæmones ad infernum: angeli ad cælum efferunt ſuos cha- A ros. De quarto: *Amos 6. c* Si reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ipſi morientur, & tollet eum propinquus ſuus, & comburet eum, vt efferat oſſa. Per viros decem, & per decem virgines idem ſignificari poteſt, boni ſcilicet, qui quinque ſenſibus bene vtuntur, & mali, qui quinque ſenſibus ſubnigrantur, qui in domo Eccleſiæ moriuntur, vel numero, vel merito. Propinquus autem malorum eſt diabolus, qui tollit eos ad comburendum perpetuo. Propinquus bonorum eſt angelus, cuius miniſterio oſſa, & cineres in reſurrectione colligentur, & efferẽtur de domo ſepulchri. Vel propinquus eſt Chriſtus, de quo: *Prou. 23. b* Non attingas paruulo- B rum terminos, & agrum pupillorum ne introeas. Propinquus enim illorum fortis eſt, & ipſe iudicabit contra cauſas illorum. Iſte propinquus eſt Chriſtus, qui ſpiritum contrahit in gehennam, vel in purgatorio, & oſſa effert de ſepulchro, quia eius auctoritate, & ſpiritus punitur, & corpus reſuſcitatur.

## SERMO II.

*Luc. 7. c* R*Eſedit, qui erat mortuus.* Secundum quadruplicem mortem, quattuor ſunt genera mortuorum. Nam quidam ſunt mor- C tui morte naturæ, quidam morte culpæ: quidam morte gratiæ: quidam morte gehennæ. Mors eſt priuatio vitæ. Primi ergo mortui priuantur vita naturali: ſecundi, vita ſpirituali: tertij, vita corporali, ſeu carnali: quarti, vita æternali. *Gen. 2. c* De primo: In qnacumque die comederitis, morte moriemini. Omnes nos ex hac morte morimur. Sed beati mortui, qui in Domino moriuntur. Nihil in homine moritur quod in eo ante non vixerit. Vnde manus mea, pes meus, & alia membra, quæ in me non viuunt, in morte in me mori non poſſunt. Sic in Domino moritur, quicumque eſt membrum Domini D per fidem & amorem, & nullus in eo moritur, qui in eo non viuit. Multi tamen mori volunt, qui nolunt viuere in Domino, immo viuunt in diabolo: ſicut Balaam, qui dixit: *Num. 23. b* Moriatur anima mea in morte iuſtorum. O quàm diſſimilis mors eorum, qui in diabolo moriuntur: ſicut patet: *Luc. 16. e* Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in ſinum Abraæ. Mortuus autem diues, & ſepultus eſt in inferno. De vtraque ſic ait Bernardus: Bona mors iuſti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter ſecuritatem. *Pſal 33. d* Econtrario mors pèccatorũ peſſima. Mala ſiquidem eſt in emiſſione mundi, pe- E ior in ſeparatione carnis, peſſima in vermis, & ignis duplici contritione. De ſecundo ſignificatum eſt in tribus mortuis, quos in Euangelio legitur Dominus ſuſcitaſſe. *Tres mortui reſuſcitati.* Puellam enim mortuam ſuſcitauit in domo: *Mat. 9. e* Adoleſcentem in feretro: *Luc. 7. b* Lazarum in ſepulchro: *Ioan. 11. f* Moritur enim homo in anima per peccatum mortale. Auguſtinus: Sicut vita corporis anima: ſic vita animæ eſt Deus: ſi anima deſeratur, moritur corpus: ſic anima moritur, ſi Deus deſeratur. Peccatum autem mortale quandoque eſt in voluntate, & tunc eſt mortuus in domo, adhuc enim latet interius. Quandoque in opere, tunc venit extra portam. Quandoque in con- F ſuetudine, & tunc eſt in ſepulchro. Vnde verſus:

*Mens mala, mors intus: malus actus, mors foris:*
*Tumba: puella, puer, Lazarus iſta notant.*

Quàm periculoſa ſit tertia mors, oſtendit Dominus, cum reliquos duos de facili ſuſcitauit, & in ſuſcitatione Lazari infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum, & lacrymatus eſt, & voce magna clamauit: oſtendens quid agendum ſit eis, qui in ſepulchro malæ conſuetudinis, & qui lapide obſtinationis preſſi ſunt. Fremitu enim timorationis, turbatione contritionis, lacrymis ſatisfactionis, clamore orationis ſuſcitandi ſunt. Huius mortis ſignum eſt, quando infirmus nullum cibum doctrinæ ſumere, vel retinere poteſt. Pſalmus: *Pſal. 106. b* Omnem eſcam abominata, *et cet. vſque* mortis.

De ter-

Coloſ. 3. a De tertio: Mortui eſtis,& vita veſtra abſcondita eſt cũ
Chriſto in gloria. Mortui in exteriori homine, & vi-
ui in interiori eſſe debemus. Mori debemus mundo
& peccatis,abſconſi autem Deo, qui pro nobis mor-
1. Pet. 2. d tuus eſt vt ei viuamus. Peccata noſtra pertulit ipſe in
corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ
viuamus. Sicut ipſe Chriſtus mortuus eſt carne, & vi-
xit deitate: ſic nos in his, quæ carnis ſunt mori, in ijs,
Gen. 22. c quæ Dei ſunt, viuere debemus. Vnde: Aries moritur,
ſed viuit Iſaac,qui ſpiritum ſignificat. Carnales vero
econtrario,dum pro carnis voluptate ſpiritum extin-
guunt. Hanc mortem feruens Dei amor debet in no-
Cant. 8. b bis operari. Fortis vt mors dilectio. Iſidorus: Sicut
mors violenter ſeparat animam a corpore, ita dilectio
Dei violenter ſegregat animam a mundo, & carnali
Ezec. 24. e amore. De quarto: Mortuorum luctum non facies.
Quid enim prodeſt lugere, quos lugendo de morte
Prou. 48. c æterna non poſſumus ſaluare? Pſalmiſta: Sicut oues
in inferno. Sicut enim nulla eſt defenſio oui contra
lupos infernales, id eſt contra lupos diabolos. Heu
quid facient leones,id eſt ſuperbi,& lupi auari,& por-
ci luxurioſi,ex quo etiam oues morte æterna deuorã-
tur. Bernardus: Quis det eis ſemel mori, ne morian-
Luc. 23. d tur in æternum: quum dicent montibus: Cadite ſuper
nos,& cooperite nos.

## SERMO III.

Luc. 7. c Reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Mor-
tui ſpiritualiter in animabus debent incipe-
re loqui confitendo,laudando. Ecce autem
quàm ſtupenda, & mira. Inuenimus enim
in ſcripturis loqui brutum, loqui mortuũ, loqui cor-
nu,loqui tonitruum. Loquitur autem brutum in in-
debita ſubditi afflictione: mortuus in pia confeſſione:
cornu in maledicta Antichriſti blaſphematione,toni-
truum in vltima Chriſti diſceptatione. De primo:
2. Pet. 2. c Subiugale mutum voce hominis loquens, prohibuit
prophetæ inſipientiam. Propheta eſt prælatus malus,
vel Princeps, qui bene Balaam dicitur, qui interpreta-
Prou. 28. c tur turbans gentes,& deuorans populum. Leo rugiẽs,
vrſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pau-
perem. Aſina vero animam ſubditi ſignificat, ſuper
quam auctoritate regiminis ſedet prælatus, quam ſol-
Mat. 21. a uere,& ad Chriſtũ deberet adducere: Soluite,& addu-
cite mihi. Aſina quando vrgebatur a propheta proce-
dere contra voluntatẽ Dei,contradixit, & declinauit:
ſic ſubditus,ſi Papa,vel Imperator,ſiue Dux,ſi Epiſco-
pus,ſi Pater,vel Mater,ſi Dominus, vel Domina cogit
eum aliquid facere contra Deum, debet os aperire, &
contradicere. Ibi enim non oportet obedire. Bernar-
dus: Hoc aduertendum, quòd quædam ſunt pura bo-
na,quædam pura mala,& in his nullam deberi homi-
nibus obedientiam: quia neque illa omittenda ſunt,
cum prohibentur, neque iſta, cum iubentur, commit-
tenda. Contradicendum autem eſt timore gladij, quẽ
Deut. 32. f aſina vidit. Hic eſt gladius iudicij, de quo: Si acuero,
vt fulgur gladium meum. Sed heu homo non timet,
ſed aſinus timet. De ſecundo dicitur hic: *Reſedit, qui
erat mortuus, & cœpit loqui.* Mortuus per tranſgreſſio-
nem peccati, iuſtificatur autem per contritionem, lo-
quitur per confeſſionem,& per Dei laudem, vel quæ-
cumque vera, vtilia vel ædificatoria verba. Non ſolum
autem ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter mortuum
Heb. 11. a legimus adhuc loqui. Vnde de Abel dicitur: Per illã
Idem. 12. f defunctus adhuc loquitur. Et dicitur, quòd habemus
ſanguinem melius loquentem, quàm Abel. Sanguis
enim proximi iniuſte effuſus loquitur, petens vindi-
ctam de occiſione. Sanguis Chriſti loquitur petens
miſericordiam pro peccatore. Quid mirum, ſi ſanguis
Chriſti loquatur, cum omnia vulnera eius pro nobis
loquantur? Auguſtinus: Multa pertulit in corpore
ſuo cruenta vulnera, vt multa eſſent pro nobis ora cla-
Dan. 7. c mantia. De tertio: Ecce oculi hominis erant in cornu
A iſto, & os loquens ingentia. Cornu iſtud ſecundum
Gloſſam eſt Antichriſtus. Sicut enim animal cornu
ferit,& impugnat animalia, ita diabolus Eccleſiam per
Antichriſtum: Sicut Chriſtus fuit cornu ſalutis: Ere- Luc. 1. g
xit cornu ſalutis nobis, *et cet.* Ita Antichriſtus cornu
perditionis. Diabolus enim per ipſum potenter ope-
rabitur: Cuius eſt aduentus ſecundum operationem
ſatanæ in omni virtute,& ſignis, & prodigijs menda-
cibus, *et cet.* Oculi autem in cornu ſignificant cogni-
tionem profundæ ſcientiæ, quam videbitur habere.
Os eius loquetur mendacia blaſphemando, quia ſe
dicet Chriſtum eſſe Iudæis promiſſum. Oſtendens ſe 2. Theſ. 2. b
B tamquam ſit Deus. Gloſſa dicens ſe Deum eſſe. Ergo
Satan,qui prius loquebatur in colubro, in fine loque-
tur in cornu,id eſt Antichriſto. Myſtice autem quoti-
die fidelibus in colubro loquitur,& in cornu. In co-
lubro per occultam ſuggeſtionem. In cornu per aper-
tam perſecutionem. De quarto dicitur de Angelo:
Clamauit voce magna, quemadmodum leo, cum ru- Apoc. 10. b
git,& cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua vo-
ces ſuas. Clamor rugitus leonis eſt illa vox, de qua
Ieremiæ: Surgite mortui, venite ad iudicium. Media Ier. 25. a
nocte clamor factus eſt. Septem tonitrua ſunt ſeptem
deſcriptiones in ſententia iudicis. Primum tonitruum
C eſt: Diſcedite a me maledicti, *et cet.* Secundum toni- Mat. 25. d
truum eſt: Eſuriui, & non dediſtis, *et cet.* Tertium:
Sitiui: Quartum: Hoſpes eram, *et cet.* Quintum:
Nudus fui. Sextum: Infirmus fui. Septimum: In
carcere. Sed quid loquuntur iſta ſeptem tonitrua?
Vnde iſta grauiſſime loquuntur, inſinuant, & incu- Thren. 2. d
tiunt terrorem, & horrorem, tam intolerabilia ſunt,
quòd præ magnitudine ſcribi non poſſunt, immo ne-
que intellectu capi. Cum vix paruam ſtillam ſermo- Iob. 26. c
nis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitu-
dinis illius intueri? Parua ſtilla fuit cum dicit: Ego Ioan. 18. b
ſum: De qua ſtellæ ceciderunt in terram. Gregorius:
D Quis eius iram, cuius verbi non potuit magnitudo
tolerari. *et cet.*

## SERMO IV.

Reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & Luc. 7. c
dedit illum matri ſuæ: accepit autem om
nes timor, & magnificabant Deum. Mi-
ſerator, & miſericors Dominus no-
ſter, ad cuius benignitatem pertinet
afflictos, & deſolatos conſolari. Vi-
dens hodierna die oculo diuinæ pietatis mulierem vi-
E duam dolentem, & flentem de morte vnigeniti filij
ſui, vt omnes alios exemplo ſuo ad pietatem ſubuen-
tionis prouocaret, dignatus eſt eam dulciter alloqui,
& conſolari, cum ei reddidit filium proprium viuum
a mortuis reſuſcitatum, ſecundum quòd dicitur in ver
bo propoſito. *Reſedit qui erat mortuus.* In quo quidẽ
verbo, Primo notatur ſtipendiatio peccati ſecundum
exigentiam ordinis iuſtitiæ. Secundo ſuſcitatio mor-
tui quantum ad notitiam approbationis loquelæ. Ter-
tio promotio fidei, quantum ad reuerentiam creatri-
cis ſapientiæ. Primo ergo in verbo propoſito notatur
ſtipendiatio peccati ſecundum exigentiam ordinis iu-
F ſtitiæ, cum dicit: *qui erat mortuus.* Ordo enim diui-
næ iuſtitiæ exigit vt peccatum morte ſtipendietur. Nã Rom. 6. d
ſtipendium peccati mors ſecundum Apoſtolum. Se-
cundo notatur ſuſcitatio mortui quantum ad notitiã
approbationis loquelæ, cum ſubdit: *Reſedit, & cœpit
loqui.* Vt eſſet eius reſuſcitatio nota aſſiſtentibus. Nam
vita corporalis dupliciter dignoſcitur, ſcilicet ſenſu, &
motu. Tertio notatur promotio fidei, quantum ad re-
uerentiam creatricis ſapientiæ, cum ſubinfert: *Accepit
autem omnes timor, & magnificabant Deum:* Qui mor-
tuum hominem, quem creauerat, viuificat interius in
in anima,& exterius in corpore recreauerat. Nam nul
lum curauit Deus exterius corporaliter, quem primo
non curaret interius ſpiritualiter.

Dicit



Dicit ergo: *qui erat mortuus.* Vbi notatur ſtipen-
diatio ſecundum exigentiam ordinis iuſtitiæ. Ordo
enim diuinæ iuſtitiæ exigit vt peccatum triplici pœ-
Peccatum triplici pœna punitũ. nali ſtipendio puniatur. Et primum eſt pœnalitas
præſentis miſeriæ humanum genus multipliciter af-
fligentis. Secundum eſt calamitas mortis naturæ ani-
mam a corpore crudeliter ſeparantis. Tertiũ eſt acer-
bitas infernalis gehennæ animam cum corpore æter-
naliter cruciantis. Primo peccatum ſtipendiatur pœ-
nalitate præſentis miſeriæ humanum genus multipli-
Eccli. 30. c citer affligentis. Vnde: Melior eſt mors, quàm vita
amara: & requies æterna, quàm languor perſeuerans.
Vere mors melior eſt, quàm vita amara, propter mul-
tiplicem pœnalitatem nobis ratione peccati originalis
a Deo inflictam, quæ nihil aliud eſt, quàm lãguor per-
Greg. hom. 37. in Euã. ſeuerans. Vnde Gregorius: Quotidianus defectus
corruptionis quid eſt aliud, quàm quædam prolixitas
2. Cor. 5. d mortis: Et propter hoc dicebat Apoſtolus? Quamdiu
ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus grauati, eo
quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri donec ab-
ſorbeatur quod mortale eſt a vita: ſed certe quam-
diu ſumus in hoc miſero tabernaculo corporis inge-
miſcimus: nunc grauati paupertate: modo oppreſſi
nuditate: aliquando afflicti ſiti. Sæpe cruciatum hu-
ius calamitoſæ vitæ pœnalitatẽ conſiderãs, dicebat ille:
Eccls. 4. a Laudaui magis mortuos, quàm viuentes. Secundo
peccatum ſtipendiatur calamitate mortis naturæ ani
Eccli. 41. a mam corpore crudeliter ſeparantis. Vnde: Iudicium
mortis a Deo omni carni: licet mors ſit a Deo infli-
gente tamquam a iuſto iudice, tamen origo, & imme-
diata cauſa non eſt Deus, qui eſt ſumme ens, & in-
deficiens, & mors ſit maximus defectus inter omnes
defectus pœnales: ſed libertas arbitrij cadens a ſtabi-
Sap. 1. d litate, & perpetuitate iuſtitiæ. Vnde: Deus mortem
non fecit: iuſtitia enim perpetua eſt, & immortalis:
Vnde radix, & origo mortis eſt elatio mentis mulie-
Gen. 3. a ris cum voluit comparari Deo in ſapientia: ſecundum
Eccli. 25. a quod dicitur: A muliere initium eſt peccati, & per il-
lam omnes morimur. Tertio peccatum ſtipendiatur
acerbitate infernalis gehennæ animam cum corpo-
Apoc. 20. d re æternaliter cruciantis. Vnde: Iudicatum eſt de ſin-
gulis ſecundum opera eorum, & in ore inferni mors:
miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Et hæc eſt ſecunda mors
æternæ damnationis, qua cruciatur homo peccator in
igne infernali: quæ eſt valde metuẽda, & per luctum
pœnitentiæ præcauenda, eo quòd perpetuò doloroſa
non poteſt declinari ad modicam morulam. Vnde:
Iob. 10. d Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum an-
tequam vadam, & nõ reuertar ad terram tenebroſam,
& opertam mortis caligine: terram miſeriæ, & tene-
brarum: vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempi-
ternus horror inhabitat.

Secundo in verbo propoſito notatur ſuſcitatio mor
tui quantum ad notitiam approbationis loquelæ: cum
ſubdit: *Reſedit, & cœpit loqui.* Inuenimus autem Do-
minum ſuſcitaſſe triplicem mortuum, ſcilicet puellã,
lazarum, & hunc adoleſcentem, & cuiuslibet eorum
ſuſcitatio ſua approbatione dignoſcitur. Nam: Primo
ſuſcitatio puellæ probatur manducatione. Secunda
ſuſcitatio Lazari probatur ambulatione. Tertia ſuſcita
tio adoleſcentis probatur locutione. Manducatio re-
ſpicit actum vegetabilis. Ambulatio actum ſenſibilis.
Locutio actum rationalis. Vt autem triplici probatio-
ne oſtendatur Dominus dator vitæ, & ſalutis animæ
ſecundum trinam ſui potentiam, & veritatem, Prima
ſuſcitatio puellæ probatur manducatione, quæ reſpi-
Luc. 8. g cit actum vegetabilis. Vnde: Ipſe autem tenens ma-
num eius clamauit, dicens: Puella ſurge, & reuerſus
eſt ſpiritus eius, & reſurrexit continuo, & iuſſit illi da-
ri manducare, & ſtupuerunt parentes eius. Ipſe au-
tem Chriſtus tenens manum eius: Ecce virtutis adiu-
torium: Clamauit, dicens: Puella ſurge: Ecce maieſta-
tis imperium, & reuerſus eſt ſpiritus eius per intimam
coniunctionem, & reſurrexit continuo per vitalem



A operationem. Nam ſurgere operatio eſt viuentis. Iuſ-
ſit illi dari manducare: quantum ad vitalem manife-
ſtationem, vt non phantaſtica, ſed vera ſuſcitatio pro-
baretur: hoc autem eſt ſignum veræ ſuſcitationis: ideo
dat ſenſibus: vt mentes eleuet in excelſum admiratio-
nis, vnde ſequitur: & ſtupebant parentes eius. Se-
cundo ſuſcitatio Lazari probatur ambulatione, quæ
reſpicit actum ſenſibilis. Vnde: Ieſus voce magna cla- Ioan. 11. f
mauit: Lazare veni foras: & ſtatim prodijt qui fue-
rat mortuus ligatus manus, & pedes inſtitis, vt dicit
Gloſſa, ſicut potẽtiæ Dei eſt, quòd ſurgit, ſic quòd ad-
huc ligatus prodijt, & ambulabat, ille, in quo caro con-
B iũcta eſt verbo æterno, clamauit voce magna, interius
operando, & exterius excitando: Lazare veni foras,
tuis proprijs pedibus, vt tua ſuſcitatio innoteſcat po-
pulo, qui circumſtat vt credat: quia ego ſum princi-
pium humanæ cõditionis, & reparationis, qui loquor
tibi. Et ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus, & hoc eſt
quod dicitur ſecundum Auguſtinum: Nemo tam fa-
cilis excitat dormientem de ſomno, ſicut Chriſtus re-
uocat de ſepulchro. Tertio ſuſcitatio adoleſcẽtis pro-
batur locutione, quæ reſpicit actum formalis, ſiue fi-
nalis. Vnde in Euangelio hodierno: *Reſedit qui erat
mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Non
C eſt dubium quin iſte adoleſcens ſuſcitatus loqueretur
verba laudis diuinæ: quod non eſt mortuorum, ſed
viuentium. In quo apparet manifeſte quòd viuebat
eo, quòd vita dignoſcitur & per motũ, & per ſenſum.
Hoc quia iſtum ſuſcitauit ad matris conſolationem:
ideo dedit illum matri ſuæ. Non enim vacat myſterio, Myſterium de tribus ſuſcitatis.
quòd puella in ſua ſuſcitatione dicitur ſurrexiſſe, ado-
leſcens iſte reſediſſe. Lazarus vero ligatus manus, &
pedes prodijſſe. Nã per puellam mortuam in domo:
intelligitur peccatum cogitationis. Per adoleſcentem
in porta peccatum operationis. Per Lazarum in ſe-
pulchro peccatum conſuetudinis, & ſecundum quòd
D peccata ſunt grauiora: maiores relinquunt ſequelas.
Ideo qui ſolum cogitatione peccauit viuificatus con-
tinuo ſurgit, & parua remanet difficultas. Qui vero
opere peccauit viuificatus, ſedet: quia adhuc pronitas
remanet. Qui autem in conſuetudine peccauit viui-
ficatus, ligatus eſt: quia habet magnam pronitatem ad
malum, & difficultatem ad bonum.

Tertio in verbo propoſito notatur laudis amplifi-
catio, quantum ad reuerentiam creatricis ſapientiæ,
cum ſubinfert: Accepit autem omnes timor, & ma-
gnificabant Deum. Eſt enim reuerenter magnifican-
dus Deus de opere recreationis, eo quòd eſt, Primo
E declaratiuum potentiæ in deiectione hoſtis antiqui.
Secundo manifeſtatiuum ſapientiæ in reuelatione ho-
minis proſtrati. Tertio expreſſiuum miſericordiæ in
miſſione Spiritus ſancti. Et propter hoc debemus
laudare Deum de opere recreationis, quod in refor-
matione, & reſuſcitatione illius adoleſcentis ſignatur.
Tum quia ſua virtuoſitate potentiæ deiecit crudelem
tyrannum, tum quia ſua ſagacitate ſapientiæ reuelauit
hominem proſtratum, tum quia ſua benignitate cle-
mentiæ miſit ad nos Spiritum ſanctum. Primo ma-
gnificabant Deum de opere recreationis, propter vir-
tuoſitatem potentiæ in deiectione hoſtis antiqui, &
F hoc eſt quod dicit beata Virgo: Magnificat anima Luc. 1. e
mea Dominum. Et ſequitur: Fecit potentiam in bra-
chio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Virgo
glorioſa toto affectu oſtendit ſe laudare diuinam vir-
tutem beneficio incarnationis, cum dicit: Magnifi-
cat anima mea Dominum, deinde reddit rationem,
cum ſubdit: Fecit potentiam in brachio ſuo, id eſt in
filio: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, id eſt diabo-
lum & eius ſequaces, qui mente cordis ſui ſuperbiuit,
in intellectu per præſumptionem, & in affectu per am-
bitionem, vel diſperſit ſuperbos mẽte cordis ſui, cum
ex diffinitione conſilij ſui dæmones ſuperbientes de-
iecit. Iſta autem deiectio diabolicæ crudelitatis, per
quam tenemur ad magnificationem diuinæ virtuoſi-

S tatis

tatis fuit figurata in deiectione Ægyptiacæ poteſtatis, Exo. 15. a ſecundum quòd dicitur: Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine, dextera tua Domine percuſſit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios meos. Secundo magnificabant Deũ de opere recreationis, propter ſagacitatem ſapientiæ, in releuatione hominis proſtrati. Vnde in Pſalmo: Pſal. 33. a Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum: exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omni tribulatione mea eripuit me. Propheta Dauid magnus præco, & ampliator diuinæ laudis conſiderans, quoniam ſagaciter diuina ſapientia, ſecundũ quòd ordo noſtræ ſalutis, & reuelationis depoſcebat B ſua multiformi arte fefellit artem proditoris, inde medelam ferendo hoſtis vnde læſerat. Vnde ſicut de ligno deiectio mortis oriebatur, ita de ligno releuatio vitæ reſurgeret, inuitat omnem hominem ad gratiarum actionem, cum dicit: Magnificate Dominum mecum, corde, ore, opere: & exaltemus nomen eius in idipſum: ſibi ſoli honorem, & gloriam tribuendo, vel cũ laudis amplificatione, adiungit laudationẽ, dicens in perſona ſanctorum Patrũ: Exquiſiui Dominum deuota precum inſtantia petendo accelerari illud beneficium miſericordiæ releuationis. Et exaudiuit C me, aures ſuæ miſericordiæ ad preces meæ humilitatis inclinando. Iuſiurandum quod iurauit ad Abraam patrem noſtrum daturum ſe nobis, cuius donatione ex omnibus tribulationibus, quibus opprimebar ab Ægyptiaca crudelitate eripuit me transferendo de Ægypto peccati in regnum dilectionis filij ſui. De Dan. 4. g hoc ſimiliter poteſt intelligi illud: Magnificabo regem cæli: quoniam opera eius vera, & viæ eius iudicia. Tertio magnificabant Deum de opere recreationis, propter benignitatem miſericordiæ in miſſione Eccli. 43. d Spiritus ſancti. Vnde: Benedicentes Dominum exaltate illum quantum poteſtis. Maior eſt enim omni D laude: exaltantes illum replebimini virtute. Non enim laboretis: non enim comprehendetis. Quis vidit illũ, & narrabit? & quis magnificabit eum ſicut eſt ab initio? Vnde debemus benedicere, & exaltare Deum iuxta modulum noſtræ poſſibilitatis de tanto beneficio, ſcilicet de miſſione Spiritus ſancti, quamuis maior ſit omni laude humana. Nam ſic exaltantes verbo, & opere replebimini virtute Spiritus ſancti: non laboretis curioſe ſcrutando eius inſcrutabilem originem. Non enim comprehendetis. Nam omnes philoſophi, Magi, & Chriſtiani defecerunt, eius ſcrutantes originem ſcrutinio in hoc tertio ſigno. Nam E quis vidit eum, cognoſcendo eius originem humana inueſtigatione, & enarrabit, & magnificabit eum ſicut a principio penuria humani ſermonis? Certe nul- Ioan. 3. d lus: quia ſpiritus, vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat. Rogemus ergo, *et cet.*

# DOMINICA XVI.

## POST PENTECOSTEM.

### SERMO I.

Luc. 14. a *CVm intraſſet in domum cuiuſdam principis*, & cet. Princeps eſt Chriſtus, princeps angelus, princeps homo, princeps diabolus. De primo prin- Iſa. 9. b cipe: Factus eſt principatus eius ſuper humerum eius, *et cetera. vſque* Act. 5. f princeps pacis. Hic princeps miſericordiæ in mundo: Hunc principem Deus, & ſaluatorem exaltauit dextera ſua ad dandam pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. Item princeps iuſtitiæ Luc. 12. g eſt Chriſtus in iudicio: Cum vadis cum aduerſario tuo ad principem in via, da operam liberari ab illo, A ne forte tradat te iudici, *&c.* Et princeps eſt iudex: 1. Pet. 5. b Cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam. Nota quod hic exactor, in Matthæo miniſter: & quod hic minutum, ibi quadrans dicitur: De his require in ſermone: Reddite, in quarto membro. Item princeps gloriæ in cælo: Iſa. 9. b Pater futuri ſæculi, princeps pacis. Reuera in futuro ſæculo ſumma pax eſt, ſub principe Chriſto. De ſecundo: Dan. 10. c Ecce Michael vnus de principibus venit in adiutorium meum. Iſtorum principum, ſcilicet angelorum habemus miniſterium in exilio. Vnde angelo euaginatum tenenti gladium dicitur: Noſter es, an Ioſue 5. d B aduerſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini. Item teſtimonium in iudicio: Iſa. 3. c Dominus ad iudicium venit cum ſenatoribus populi ſui, ideſt cum Apoſtolis, & principibus eius, angelis, qui erunt teſtes humanorum actuum, ſicut dicit Gloſſa ſuper illud: Mat. 25. c Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo. Item conſortium in regno: 1. Reg. 2. b Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolum gloriæ teneat. In ſtercore ſolent eſſe vermes. O quanta gratia, quòd Deus ſtercorum vermes collocabit in ſolijs principum. Bernardus: Non- C ne de vermiculis eſtis, & de puluere iſto reſtaurati ſunt muri Ieruſalem? Familiaritatem principum iſtorum aſſequimur per munera orationum, & operum bonorum: Prou. 18. c Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes ſpatium ei facit. De tertio, Pſal. 32. b Pſalmus: Reprobat conſilia principum. Principes in ſcripturis large dicuntur prætores, & iudices præpoſiti aliorum, ſicut Ioſeph, de quo Pſalmus: Pſal. 104. b Conſtituit eum Dominum, *et cet.* Reprobatur autem in principibus non ſolum nequitia conſiliorum, ſed etiam iniuſtitia, & officij negligentia. Vnde cum populus peccaſſet, iratus eſt Dominus principibus, dicens: Num. 25. a Tolle cunctos princi- D pes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, ſcilicet infernalibus. Item ipſorum violentia: Prou. 28. c Leo rugiens, & vrſus eſuriens princeps ipſius ſuper populum pauperem. Item malorum adhærentia: Iſa. 1. f Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, qui tanto grauius cadũt, quanto plures inuoluunt. Bernardus: Principis error multos inuoluit, & tot obeſt, quot præeſt. Item familiæ indecentia: Prou. 29. b Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios. Contra quos ait Ambroſius: Laus Domini, vbi munda poſſeſſio, & innocens familiæ diſciplina. O miſeri prin- E cipes, cogitate quàm breuis, & quàm nullus ſit veſter principatus. Iſidorus: Dic vbi ſunt reges, vbi principes, vbi imperatores, vbi locupletes rerum, vbi potentes ſæculi, vbi diuites mundi? quaſi vmbra tranſierunt, & velut ſomnium euanuerunt. De quarto: Ioan. 16. b Princeps mundi huius iam iudicatus eſt. Et merito autem iudicatus eſt, quia iniquiſſimus eſt. Tot autem habemus cõtra nos principes, quot dæmones aduerſantes. Principes autem illi nos expugnant, nos ſubiugant, nos iugulant. Impugnant in tentatione: Epheſ. 6. b Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, *et cet.* Iniquiſſime F autem nos impugnant non læſi a nobis. Pſal. 118. x Pſalmus: Principes perſecuti ſunt me gratis. Item ſubiugant per vincula in trãſgreſſione per iugum, & vincula peccatorum. Pſalmiſta: Pſal. 2. a Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, *et cet.* vſque proijciamus a nobis iugum ipſorum. Item iugulant in damnatione. Vnde de habitatoribus inferni dicitur: Ezec. 32. g Ibi Princeps aquilonis omnes, & vniuerſi venatores, qui deducti ſunt cũ interfectis. Principes aquilonis ſunt dæmones. Venatores autem diaboli, ſunt homines peruerſi, per quos animæ hominum in peccatis capiuntur. Interfecti autem ſunt damnati a principibus infernalibus, per tormenta infernalia iugulati.

SER-



### SERMO II.

Luc. 14. b *AMice aſcende ſuperius.* Infelices autem ſunt qui non aſcendunt per diuinam inuocationem. Conſiderandũ eſt autem quòd aſcendere debet homo ad veritatem per contemplationem: ad virtutem per conuerſationem: ad dignitatem per vocationem: ad immortalitatem per Num. 27. c euolationem, & reſurrectionem. De primo: Aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare inde terrã, quam daturus ſum filijs Iſrael, terram, ſcilicet viuen- B tium. Mons autem altitudinem mentis noſtræ, vel fidei ſignificat, per quam tranſimus ad Deum. Vnde Abarim interpretatur pertranſitio. Aſcendere per cõtemplationem non poteſt carnalis, ſed ſpiritualis. Sic ad litteram, carnoſi, & pingues altos montes non bene Apoc. 4. a aſcendere poſſunt. Vnde: Cum Ioannes vidiſſet oſtiũ apertum, audiuit dicentem ſibi: Aſcende huc, & oſtẽdam tibi quæ oportet fieri cito. Et ſequitur: Et ſta- Gen. 22. b tim fui in ſpiritu. Debes ergo non in carne, ſed in ſpiritu: non cum aſino, ſed cum puero montem viſionis aſcendere. Bernardus: Intentiones, cogitationes, voluntas, affectiones, & omnia interiora mea, C venite aſcendamus in montem Domini, vbi Dominus videt, & videtur. Sicut autem oſtium in cælo apertũ eſt, aſcendentibus ſic oſtium in inferno apertum eſt Iſa. 5. d deſcendentibus. Dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino: & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes glorioſiq. Cant. 3. b eius ad eum. De ſecundo: Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum. Deſertum eſt mundus, in quo ſerpentes, & vermes ſcilicet vitia, & latrones, ideſt dæmones, quos aſcendendo ad virtutes, euadimus: deſcen- Luc. 10. f dendo autem per vitia in eos incidimus. Homo quidam deſcendit ab Ieruſalem, *et cetera.* Sequitur: Si- D cut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & turis, & vniuerſi pulueris pigmentarij. In myrrha, contritio: in thure, oratio: in puluere pigmentarij, diuerſarum virtutum compoſitio: in virgula fumi, ſuauiſſima deuotio ſignificatur. Nota quòd prædicto puluere homo ſuauẽ facit potum aduerſitatis. Solent enim homines puluerem ſumere vt ſapidius poſſint bibere. Mat. 20. c Poteſtis bibere calicem, *et cet.* Bene dicunt: Poſſumus. Iam enim de puluere ſpiritus guſtauerunt aliquid. Quæ eſt ergo iſta anima fidelis, quæ aſcendit non greſſibus, ſed virtutibus: non corpore, ſed cor- Pſal. 83. b de? Pſalmiſta: Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in E valle lacrymarum in loco quem poſuit. Bernardus: Hi aſcenſiones in corde ſuo diſponunt, qui de virtute in virtutem eunt, & videre Deũ deorum in Syon eo fœlicius merentur in retributione, quo ſummo bono familiarius adhærere ſtuduerunt puriori conuerſationis ordine. Sed heu multi non aſcenſiones ad cœlum, ſed deſcenſiones in infernum diſponunt in corde ſuo, de vitio in vitium deſcendentes vſque ad Exod. 15. a profundum inferni. Deſcendunt in profundum. De Prou. 25. a tertio: In loco magnorum ne ſteteritis: melius eſt tibi vt dicatur: Aſcende huc, quàm vt humilieris corã Principe, id eſt Chriſto. Magnorum ergo merito, vel F officio, vel ſanctitate, vel dignitate locum nullus præſumendo vſurpet, vel ambitione. Vnde in hoc Euangelio: Recumbe in nouiſſimo loco, *et cet. vſque*: *Aſcende ſuperius.* Sed heu quo modo crimino ſi ſcalam Eccleſiaſticæ dignitatis, vel mundanæ poteſtatis au- Gen. 28. c dent, aſcendere, cum Iacob non dæmones, ſed homines aſcendentes, & deſcendentes angelos vidit in ſcala. Angeli enim debent eſſe per bonitatem, non dæmones per malignitatem, quicumque in ſcala poteſtatis volunt aſcendere. Iſidorus: Non debet homo honoris ducatum recipere, qui neſcit ſubditos tramite vitæ melioris præire. Neque enim quiſquam ad hoc præficitur, vt ſubditorum culpas corrigat, & ipſe



A vitijs ſeruiat. Sed heu multo iã plures dæmones, quàm angeli hanc ſcalam aſcendunt. Gregorius: Minorem maior præcedit: ſicut honore, ſic & crimine. De quarto Pſalmiſta: Pſal. 23. d Quis aſcendet in montem Domini, *&c.* Innocens manibus, *et cet. vſque*, hic accipiet benedictionem, *&c.* Iſte autem aſcenſus in curru bonæ vitæ igneo per charitatem: 4. Reg. 2. b Aſcendit Elias *&c.* Ecce currus igneus. Hunc autem aſcenſum facere non poſſunt niſi nobiles. Nobiles non ſanguine, ſed virtute. Nobiles vtique, qui coronandi ſunt tamquam reges. Ier. 17. e Ingredietur per portas ciuitatis huius. Reges, & Principes aſcendentes in curribus, & in equis. Cur- B rus ſignificare poſſunt diuerſos ſtatus, & profeſſiones ſaluandorum. Alij enim aſcendunt in curru coniugali, alij in viduali, alij in virginali, alij in circuitu ordinis ſancti Franciſci, & ſic de alijs. Equi autem ſunt corpora, in quibus boni per reſurrectionem aſcendũt in cælum.

### SERMO III.

*QVi ſe humiliat, exaltabitur.* Luc. 14. b Ecce magnus fructus, magna vtilitas humilitatis. Qui ergo C vult ſe humiliare, debet cauſam, modum, & fructum humilitatis attendere. Attendat inquam humiliationis neceſſitatem, qualitatem, vtilitatem. Circa primum ſcilicet cauſam humiliationis ſiue neceſſitatem, conſidera quòd humilis debet eſſe propter tria, ſcilicet, propter conditionis vilitatem: propter ſaluãtis humilitatem: propter ſaluationis neceſſitatem. De primo Pſalmiſta: Pſal. 43. d Humiliata eſt in puluere anima noſtra. Quid enim eſt corpus noſtrum, niſi puluis. Gen. 3. d Puluis es, & in puluerem reuerteris. Merito ergo ſe humiliat, qui miſeram hanc conditionem recogitat. Gregorius ſuper Ezechielem: Heu vnde D proceſſit homini tanta ſuperbia: cuius tam ærumnoſa natiuitas, cuius pœnalitatem concludit mortis neceſſitas, cui eſſe momentaneum, mundus exilium, vita periculum. De ſecundo: Mat. 11. d Diſce a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Diſce miſer homo humilitatem ab humilibus ſanctis generaliter. Coloſ. 3. b Induite vos ergo ſicut electi Dei ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, *&c.* Diſce a beata Maria ſpecialiter. Luc. 1. e Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Diſce a Chriſto humilitatem excellentem, cuius exemplo vſque ad mortem crucis vitam potius, quàm humilitatem amittas: Phil. 2. a Humiliauit ſemetipſum, factus obediẽs E vſque ad mortem, mortem autem crucis. Auguſtinus: Si tanta humilitate ſe deprimit diuina maieſtas, ſuperbire audet in aliquo humana infirmitas? De tertio: Eccli. 13. a Humilia te Domino, & expecta manum eius. Habet Dominus manum miſericordiæ, & manum damnantem. Has manus homo cum timore expectat, ignorans vtrum iudicij an miſericordiæ manum incidat. Vnde merito ſe humiliat. 1. Pet. 5. b Humiliamini ſub potenti manu Dei, *&c.* Gregorius: Nobis cuncta de meritis noſtris incerta ſunt, vt certã gratiã teneamus humilitate. Circa principale, ſcilicet modum humiliationis conſidera quòd homo debet humiliari totaliter, ſcilicet F corde, ore, & opere. Corde Pſalmiſta: Pſal. 50. d Cor contritũ, & humiliatum Deus non deſpiciet. Pſalmiſta: Pſal. 112. a Humilia reſpicit in cælo, & in terra. In cælo per gloriam: in terra per gratiam. Humiliare ergo in terra, ne humilieris in gehenna. Eccli. 7. b Humilia valde ſpiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij, ignis, & vermis. Si humilitate cor bene armetur, ſagittis diaboli non faciliter vulneratur. Ioãnes Chryſoſtomus: Humilis corde non capitur paſſione: non ira hunc moleſtare poteſt, non æmulatio, non zelotypia. Ore debet humiliari. Pſalmiſta: Pſal. 38. a Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui a bonis, *et cet.* Si vere humilis es, a bonis ex humilitate ſilebis. Quàm longe ſunt ergo ab humilitate, qui etiã a malis non ſilent? Humilitas autem oris non ſolum

S 2 eſt

eſt in ſilendo humiliter, ſed etiam in loquendo humi- Luc. 1. d liter. Patet ſcilicet in Maria, quæ ſe ancillam dixit, & 2. Reg. 9. c in Dauid, qui ſe canem mortuum dixit. Opere debet Epheſ. 4. a humiliari: Obſecro vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis: cum omni humilitate, & manſuetudine. Digne ambulare eſt in bonis actibus proficere. Vnde in humilitate ambulare, eſt in via actionis, & bonæ vitæ ſemper corde, ore, & opere, humilitatem inſinuare. Auguſtinus: Pergite viam humilitatis, ipſe exaltat humiliter ſequentes, quem deſcendere non piguit ad iacentes. Circa tertium, ſcilicet fructum, & vtilitatem humiliationis: Cōſidera, quòd homo per humilitatem a malo liberatur: in bono adiuuatur: in cælo exaltatur. De primo, Pſal- Pſal. 30. b miſta: Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam. De neceſſitatibus vtique culpæ mortalis, pœnæ gehennalis, miſeriæ tem- Pſal. 114. a poralis. Pſalmiſta: Circūdederunt me gemitus mortis, ſcilicet culpæ mortalis, & pericula inferni inuenerunt, ſcilicet pœnæ gehennalis. Tribulationem, & dolorē inueni, ſcilicet miſeriæ vel tēporalis aduerſitatis. Sed quo modo o Dauid euaſiſti? Humiliatus ſum, & Eccl. 3. c liberauit me. De ſecundo: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Domino inuenies gratiā. Bene dicitur: inuenies gratiam: quia gratia humilitate Eccli. 35. c inuenitur, quæ oratione quæritur. Oratio humilian- Pſal. 101. c tis ſe nubes penetrat. Pſalmiſta: Reſpexit in orationē humilium, *&c.* Sicut autem gratia humilitate inuenitur, ſic humilitate cuſtoditur. Gregorius: Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi qui in vētum plumas portat. De tertio dicitur hic: *Qui ſe humiliat, exal-* Prou. 29. d *tabitur*. Et: Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. Rogemus, *&c.*

## SERMO IV.

Luc. 14. c *IPſe vero apprehenſum ſanauit eum ac dimiſit.* Quia phariſæorum iudicio, & reputatione bos, vel aſinus ruens in foueam extrahi poterat die ſabbati ſine legis tranſgreſſione; hinc eſt quòd Dominus noſter in hodierno euangelio perſimile efficaciter arguens a minori, oſtendit ſe multofortius non ſoluere ſabbatum in languidi hominis curatione, cum ſalus hominis præferenda ſit saluti bouis, & aſini. Vnde ad cōfutationem malignitatis, & ſuſurrij Iudæorum tria dantur nobis intelligi de ipſo verbo propoſito. Et Primum eſt humilitas in tangendo, & apprehendēdo infirmum. Secundum eſt virtuoſitas in curando eius morbum. Tertium eſt liberalitas in dicendo eum abire liberum. Vt ſic per humilitatem confutet iudæorū ſuperbiam per virtutem eorum deſidiam per liberalitatem eorum perfidiam, cum ipſi non dignarentur eum tangere, nec poterant curare, nec vellent liberare. Et quia per iſta facta, quæ geſſit Chriſtus exterius in corpore, docemur ea fieri interius ſpiritualiter in anima; ideo per humilem apprehenſionem ſignatur gratiæ infuſio. Per efficacem curationem: culpæ expiatio. Per liberalem dimiſſionem pœnæ relaxatio. Vnde in verbo propoſito, Primo ſpiritualiter infirmum apprehendit per gratiæ infuſionem in incarnatione: quia numquam angelos apprehendit, ſed filios Abrahæ, ſecundum quod dicitur. Secundo eius morbum ſanauit per culpæ expiationem in paſſione. Tertio dimiſit abire liberum per pœnæ relaxationem 2. Cor. 3. b in ſancti Spiritus miſſione: quia vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Non enim tamquam auarus voluit ab eo exigere pretium, redigendo in ſeruitutem legis veteris Teſtamenti propter collatum beneficium: ſed tāquam liberalis, & largus vt ſe transferat ad libertatem Euangelij, dicitur: Sic eum fecit abire liberum. Et propter hoc cum illud eſſet opus miſericordiæ, & liberalitatis, per illud ſabbatum non ſoluebatur, ſed tantūmodo per opus auaritiæ ſeruitutis, quod in eo fieri

A prohibebatur, ſecundum quòd dicitur: Et opus ſeruile Exod. 20. b non facietis in eo.

Primo igitur in verbo propoſito notatur Saluatoris humilitas in apprehendendo infirmum per gratiæ infuſionem in incarnatione, cum dicit: *Ipſe vero apprehenſum*. Apprehendit autem infirmum ſpiritualiter infundendo ſuam gratiam tripliciter. Primo per amaritudinem pœnitentiæ in deteſtatione peccati. Vnde: Ier. 31. f Apprehendi manum eorum, ideſt opera præueniendo per internam inſpirationem, vt educerem eos adiuuādo per boni operis perſecutionem, de terra Ægypti, id eſt de ſtatu peccati. Ægyptus enim tenebra inter- B pretatur, & ſignificat peccatum: ratione cuius ita homo obtenebratur, vt non videat quid agere debeat cū non poſſit dirigi in bonum ſine luce gratiæ, ſed delectatione peccati obtenebratus, ad omnia peccata eſt pronus. Secundo apprehendit Deus infirmum per rectitudinē iuſtitiæ in adimpletione diuini præcepti. Vnde: Ego Dominus vocaui te in iuſtitia: præcepta Iſa. 45. a ad obſeruandum fideliter imponendo, apprehendi manum tuam: impoſita ad complendum opera adiuuando. Nam per manus opus intelligitur, ſed per apprehenſionem adiutorium eo quod tanta eſt humana fragilitas, quòd niſi a diuina potentia adiuuetur: in C nullo bono per ſe poteſt proficere, ſed potius deficere. Et ſeruaui te ad permanendum in eis perſeuerantiam dando. Tertio apprehendit Dominus infirmum per fortitudinem patiētiæ in toleratione mali inflicti, de quo poteſt intelligi illud Pſalmi: Apprehende Pſal. 34. a arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi: per arma deſignantur virtutes, quibus vitia impugnātur: per ſcutum patientia intelligitur, per quam mala tolerantur illata. Vnde tunc Deus apprehendit arma, & ſcutum quando infundit homini virtutes quibus impugnat vitia, & peccata, & patientiam cum qua tolerat mala illata: ſed ſurgit in adiutorium, quando cū D tentatione vitiorum facit prouentum virtutum. Vnde Gregorius: Niſi miſericors Deus viribus tentamēta modificet, nullus eſt qui malorum inſidias euitare poſſit. Secundo notatur culpæ expiatio, cum ſubdit: Sanauit, quia quælibet Chriſti actio noſtra eſt inſtructio. Ideo procurationes infirmitatum corporum a Chriſto factas inſtruimur ſpiritualiter intelligere curationes vitiorum ſpirituum. Vnde ſi volumus ſcientialiter procedere, primo videamus quæ accidunt iſti morbo hydropiſi materiali: quia per hoc deuenimus ī cognitionē hydropiſis ſpiritualis, id eſt peccati, vt ſic cognito morbo vtriuſque hydropiſis, melius explica- Hydropiſi tria peculiaria. E bimus curationes, & remedia exhibita a Chriſto medico corporum, & animarum: quamuis enim multa accidant morbo hydropiſis principaliter: tamen tria ſunt eius accidentia. Et primum eſt corporis tumor ſiue inflamatio, per quam intelligitur ſuperbia. Secūdum anhelitus fœtor, ſiue abominatio, per quod intelligitur luxuria. Tertiū eſt ſitis ardor, & anhelatio per quam intelligitur auaritia. Vnde tunc Dominus ſanauit hydropicum non ſolum corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter quando ſanauit, Primo tumorem inflationis ſuperbiæ per timorem humilitatis. Secundo fœtorem abominationis luxuriæ per decorem caſtitatis. F Tertio ardorem exitialis auaritiæ per amorē paupertatis. Et ſic anima deordinata, & auerſa a Trinitate perſonarum, videlicet a Patris potentia per tumorem ſuperbiæ: a Filij ſapientia, per fœtorem luxuriæ: & a Spiritus ſancti clementia per ardorem auaritiæ: ordinetur, & conuertatur ad Patrem per timorem humilitatis, ad Filium per decorem caſtitatis, & ad Spiritum ſanctum per amorem paupertatis. Et ſic in quo fuerat peccati, vel diaboli veſtigium: reluceat in eo veſtigiū Trinitatis. Primo ſanat Dominus ſpiritualiter hydropicum a tumore inflationis ſuperbiæ per timorem humilitatis, & de hoc poteſt exponi illud: Domine non Luc. 8. b ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: propter quod meipſum arbitratus non ſum dignus venire ad te: ſed tantum



tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Et ſequitur: Inuenerunt ſeruum, qui languebat, ſanum. Primo ille centurio conſiderando diuinæ maieſtatis altitudinem dicit: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Secundo recognoſcendo propriæ infirmitatis vilitatem, cum ſubdit: Propter quod meipſum non ſum dignus arbitratus venire ad te: non enim indignitatis vilitas eum latebat per ſuperbiam, ſed nota erat per humilitatem præcipuam. Tertio profitendo diuinæ virtutis facilitatem, addit. Sed dic verbo, & ſanabitur puer meus, quaſi dicat, cum apud te non ſit impoſſibile omne verbum: non differt di- Ioan. 1. a cere, & facere: quia es illud verbum per quod facta Pſal. 33. d ſunt omnia, & ille ſermo vnius, & efficax poteſtate plenus, qui ſanat omnia. Et quia iuxta eſt Dominus, qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſaluabit: ideo ſubinfertur. Quarto cæleſtis gratiæ appropinquatio, ſiue operatio diuinæ pietatis: ad domū egroti per morbi curationem, cum ſequitur: Inuenerunt ſeruum, qui languebat, ſanum. Prius peruenit virtutis operatio, quàm nunciorum reuerſio, & hoc eſt: quia libenter Deus condeſcendit humilibus. Vnde Augu- Deus quomodo a nobis fugiat, & ad nos veniat. guſtinus: Altus eſt Deus: humilias te, & venit ad te, exaltas te, & fugit a te. Et quamuis aliter humiliaret ſe Zachæus, aliter centurio: quia Zachæus ſuſtinendo, centurio ſuſcipere non audēdo: vtroque modo fit diuina reuerentia. Vnde exemplo iſtorum benefacit, qui pro reuerentia corpus Dominicum frequenter in ſacramento ſuſcipit, & qui reuerentia ceſſat: vtriuſque enim ſalus datur ſicut Centurionis ſeruo, & ipſi Zachæo. Vnde Eccleſia in ſuſceptione corporis Dominici reuerentiam Centurionis repræſentat in dicto, & deuotionem Zachæi in facto: eo quòd corpus Dominicum debet ſuſcipi Cēturionica reuerentia: & Zachæica deuotione: Secundo ſanat Dominus hydropicum ſpiritualiter a fœtore abominationis luxuriæ, per decorem caſtitatis. Et de hoc poteſt intelligi illud Pſal. 37. b Pſalmi: Quoniam lumbi mei repleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis. Nomine lumborum, ſecundū Gregorium, luxuria generatur, & oritur, cum lumbi implentur illuſionibus, ideſt turpibus mulierum imaginationibus, immundis cogitationibus, & fœtidis affectionibus. Vnde quemadmodum, quando abundant multi humores in corpore generant ſcabiē quandam, & impetiginem, & aliquando lepram, quæ tollit munditiam corporis: ſic quando abundant immundæ cogitationes, inordinatæ affectiones, turpes mulierum imaginationes, & illuſiones in corde, generant quoſdam mores corruptos, inordinata deſideria in carne. Et quia hæc corpus contaminant auferendo ſanitatem, & munditiam caſtitatis, ideo dicit. Non eſt ſanitas in carne mea: quare, quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus omnibus. Certe ſummo ſtudio debet homo amouere a corde iſtas illuſiones: quia ex his luxuria principaliter generatur in corde, & ex corde redundat in carnem, ſecundum Mat. 5. c illud: Quicumque viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Ita ex contrarijs. Caſtitas generatur principaliter in corde, & de corde redundat in corpore. Et propter hoc ſequitur: Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei. Domine ante te omne deſiderium meum. Vnde dicitur: Afflictus ſum, per carnis mortificationem: quia ſine ea caſtitas fundari non poteſt, eo quòd carnis delectationes corrūpit: motus, & deſideria carnis reſtringit, & humiliatus ſum nimis, per delectationis deiectionem, rugiebam a gemitu meo, per doloris compunctionem: quia poteſt dicere: Domine ante te omne deſiderium meum, per perfectam cordis ordinationem. Tertio ſanat Dominus ſpiritualiter hydropicum ab ardore exitialis auaritiæ per amorem paupertatis. Vnde in Pſal- Pſal. 59. a mo: Commouiſti terram, & conturbaſti eam ſana



A contritiones eius: quia commota eſt. Per terram intelligitur anima terrenis lucris dedita, quæ ad modū terreni pulueris, per varios cogitatus diſpergitur: & quia huiuſmodi contritiones affligentiū cogitationū non poſſunt ſanari niſi prius amoueantur, & confringantur Dei timore, concidantur & conturbentur peccati dolore, & dilatentur Chriſti amore, ideo inquit, propheta commouiſti terram: reſtringendo timore, per conſiderationem diuinorum iudiciorum: conturbat, eam concidendo dolore per deplorationem omnium peccatorum: ſanat contritiones eius, eam dilatando amore per promiſſionem æternarum retri- B butionum: quia commota eſt per compaſſionem ad eleemoſynarū largitionem, vt qui aliena rapiebat, propria largiatur. Vnde Gregorius: Terrena omnia ſeruando amittimus: largiendo ſeruamus, diu enim, cū rebus durare non poſſumus: quia aut nos illas moriendo deſeremus, aut illæ nos viuentes deſerunt pereundo. Agendum eſt ergo, vt perituras res in non perituram mercedem transferamus. Tertio ſubinfert. *Ac dimiſit*, vbi notatur pœnæ relaxatio, quæ habet fieri per inſtantiam deuotæ ſupplicationis, per vehementiam dilectionis diuinæ, ſiue indulgentiam alienæ offenſionis. Ratione primi ordinat ad ſeipſum. Ra- C tione ſecundi ad Deum. Ratione tertij ad proximum. Primo autem dimiſſo, aut relaxatio fit per inſtantiam deuotæ ſupplicationis. Vnde in Pſalmo: Dixi confi- Pſal. 32. b tebor, & tu remiſiſti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tēpore opportuno: quaſi dicat, cum peccator pœnitet, & conteritur, & proponit dicendo in corde: Confitebor, propoſitum adimplendo, & tu ſcilicet Deus, & non alius, remiſiſti impietatem peccati mei. Solus enim Deus poteſt dimittere, & delere peccata, licet peccator mediante miniſterio ſacerdotis abſoluatur. Pro hac, ſcilicet miſericordia, quæ parcit faciliter, orabit ad te omnis D ſanctus deuota precum inſtantia tamen implorando, in tempore opportuno, ideſt tempore, & loco. Et de hoc ſimiliter dicitur: Omne debitum dimiſi tibi, Mat. 18. d quoniam rogaſti me. Secundo fit iſta dimiſſio propter vehementiam diuinæ dilectionis. Vnde: dimit- Luc. 7. a tuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ecce quòd Dominus probat iſtam mulierem purgatam a peccato per affectum dilectionis, eo quòd ardor dilectionis diuinæ conſumpſerat in ea peccatorū rubiginem, nec eſt intelligenda iſta ſententia, vt ille, qui plus peccauerat, plus approbaretur: ſed oſtenditur quòd quantum eſt de ratione obligationis, cui plus E dimittitur, plus obligatur, ſuppoſita tamen gratia, & rectitudine voluntatis. Nam multi ad magnas gratias tenentur, qui nullas, vel paucas reddunt. Tertio fit iſta dimiſſio, propter indulgentiam alienæ offenſionis. Vnde: Dimitte nobis debita noſtra: ſicut & Mat. 6. b nos dimittimus debitoribus noſtris. Debita dicuntur peccata: quia faciunt nos debitores eorum, quæ non poſſumus ſoluere. Vnde ad eorum veniam impetrandam requirit hæc conditio: Sicut & nos dimittimus, debitoribus noſtris. Iuſtum eſt, qui fugit legem clementiæ cadit in legem iuſtitiæ, & propter hoc dicitur: Si dimiſeritis hominibus peccata Ibidem F eorum, dimittet vobis Pater cæleſtis peccata veſtra: ſi vero non dimiſeritis, nec Pater cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Vnde Gregorius: Dominus peccata dimittit per miſericordiam: repetit per iuſtitiam. Rogemus, *et cetera.*

# DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

*Mat. 22. d* D*iliges Dominum Deum tuum*. Sine dilectione ſaluari non poſſumus, & dilectionis certitudinem non habemus: probatur tamen, & perpenditur Dei dilectio ex quattuor ſignis, & affectibus ſuis, videlicet ex ſolicitudine cogitationis, ex fortitudine affectionis, ex rectitudine intentionis, ex promptitudine operationis. (Dilectio Dei in nobis quibus ſignis probetur.) B De primo: *Cant. 3. a* Surgam & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea. Ecce quòd omnis anima diligens Deum ſolicita eſt, quo modo Deũ inueniat, quo modo Deum teneat, quo modo placeat eidem. Ideo bene ſolicitudo amoris his tribus verbis exprimitur, cum dicitur: Surgam, & circuibo, & quæram. Surgit enim anima amans, mentem a terrenis eleuando: Surge Ieruſalem, & ſta in excelſo. Gregorius: Frigeſcit quis a curis ſæculi quanto ſurgit ardentius in amore Dei. C Item circuit, opera Dei, & beneficia conſiderando, præcipue beneficium paſſionis Chriſti. *Iſa. 32. d* Sume citharam, circui ciuitatem. Sicut enim in cithara chordæ ſuper lignum, ita membra Chriſti in ligno crucis extendebantur. Ciuitas eſt Eccleſia, in qua per plateas mandatorum, per vicos conſiliorum quærendus eſt Chriſtus. Item quærit Deum feruenter deſiderando: ad quid autem quærendus ſit. Bernardus nos inſtruit, dicens: Occultat ſe Dominus, vt ardentius quæratur: quæſitus cum gaudio inueniatur: inuentus cum ſolicitudine teneatur: tentus non dimittatur, donec in amoris cubiculum manſurus introducatur. D Require ſupra ſermone, *Pag. 41.* Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. De ſecundo: *Cant. 8. b* Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt, vt mors, dilectio. Bene ſentit homo quando ſic fortiter diligit Deum quòd dilectio ſua inuincibilis ſit ſicut mors. Auguſtinus: Reſiſtitur ignibus, vndis, ferro, regibus, & poteſtatibus: venit vna mors, quis ei reſiſtet? Propterea viribus eius comparata eſt dilectio. Bene autem dicitur: Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum. Sicut enim ſigillum in cera molli, ſic ſponſus charitatis Chriſtus facile imprimitur, non cordi E duro per impietatem, ſed molli per contritionem, *Pſal. 21. b* & per deuotionem. Pſalmus: Factum eſt cor meũ, *et cet.* Debet ergo ita ſigillum amoris eſſe in corde, vt dictum eſt. Item in opere. Vnde addidit, vt ſignaculum ſupra brachium tuum. In operibus enim, & *Iob. 37. b* laboribus, quæ brachia ſunt amoris oſtenditur: Qui in manu omnium hominum ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua. *Eccli. 22. d* In ore: Quis dabit ori meo cuſtodiã, & ſuper labia mea ſignaculum certum? Sigillum ergo amoris apparet in ore, cum de dilecto libenter loquitur. Ioannes Chryſoſtomus: Amantium mos eſt, vt amorem ſuum ſilentio tegere nequeant. F Sigillum amoris optime claudit os, & cuſtodit a tacendis. Auguſtinus: Siue taces, dilectione tace: ſiue clamas, dilectione clama. *Cant. 1. a* De tertio: Recti diligunt te. Si ſeruis Deo timore gehennæ, vel pœnæ tranſitoriæ, vel amore commodi, vel laudis mundanæ, rectus non es, ſed inclinatus ad inferiora, neque oculum intentionis habes ad cæleſtia ſicut ſignatum eſt in muliere, de *Luc. 13. e* qua, quæ erat inclinata, neque omnino poterat ſurſum reſpicere. Si autem in amore Dei ſeruis, rectus es. Rectitudo autem hominis in tribus conſiſtit. Primo in mali declinatione, & hoc eſt innocentiæ: *Iob 1. a* Erat vir ſimplex, rectus, *et cet. vſque* retinens innocentiam. *Prou. 20. b* Secundo in boni operatione, & hoc beneficentiæ: Ex A ſtudijs ſuis intelligitur puer ſi munda, & recta ſunt opera eius. Tertio in amoris Dei intentione, & hoc eſt conſcientiæ. Recta enim conſcientia amore beatitudinis Deo ſeruit, non principaliter timore damnationis. Per primam rectitudinem virgo es: per ſecundam lampadem habes: per tertiam oleum poſſides. Si vis ergo rectus eſſe per amorem, abijcere debes ſeruilem timorem: *Iſa. 44. a* Noli timere ſerue meus Iacob rectiſſime, quem elegi, noli, inquam, timere, quaſi dicat: Non tantũ ex timore, ſed ex amore ſeruus meus tu es rectiſſimus. Rectus vtique in declinatione criminis, rectior in operatione virtutis, rectiſſimus in B intentione amoris. Rectitudo ergo amoris ſignum, & effectus eſt dilectionis. Quantum enim ſeruus Dei a ſeruili timore deficit, tantum in amore proficit. Qui Deo ſeruit amore, rectus, & bonus eſt: qui tantum timore curuus eſt, & malus in voluntate. Auguſtinus: Viuit enim in eo peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, ſi ſperetur impunitas. Peccare non vult charitas, etiam ſi ſperetur impunitas. De quarto: Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. *Ioan. 14. c* De hoc require in ſequenti ſermone per totum.

## C SERMO II.

*Mat. 22. d* D*iliges Dominum Deum*, & cet. Exigit a nobis Dominus totum cor, quaſi proprium hoſpitium. Exigit totum cor ad credendum: *Act. 8. g* Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde. Ex toto corde non credit, cuius vita a corde diſcordat: *Iac. 2. d* Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt. Signa autem fidei integra ſunt, de quibus: *Mar. vlt. d* Signa eos, qui crediderint, hæc ſequentur, *et cet.* Expone moraliter ſicut habes in ſermone, Nolite contriſtari Spiritũ D ſanctum, *et cet.* Item ad pœnitendum: *Ioel. 2. c* Conuertimini ad me in toto corde veſtro, *et cet.* In ieiunio, & fletu & planctu. Quid eſt in toto corde conuerti? Reſpondit Auguſtinus, dicens: Conuertitur enim totus, & omnino vertitur, *& cet.* Require ſupra in ſermone: Aſcendit Simon Petrus. Toto quoque corde conuertitur qui contritionem habet interius, cuius ſignum eſt fletus in ſatisfactione exterius, ad quam pertinet ieiunium. Certe melius eſt pro peccatis flere temporaliter, quàm æternaliter: *Mat. 13. e 22. b* Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Item ad bene viuendum: *Deut. 10. c* Seruies Domino Deo tuo in toto corde tuo, *et cet.* *Luc. 1. g* Seruiamus illi in E ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. In ſanctitate, ſcilicet munditiæ a peccatis: *2. Cor. 7. a* Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus: perficientes ſanctificationem in timore Domini, & iuſtitia coram ipſo. *Pſal. 44. b* Pſalmus: Dilexiſti iuſtitiam, quo ad ſecundum: & odiſti iniquitatem, quo ad primum. Perſeuerantia autem notatur, cum dicitur: omnibus diebus noſtris. Item ad obediendum: *Deut. 26. d* Cuſtodias mandata eius, & hæc impleas ex toto corde tuo. Implet ex toto corde, qui contritionem habet interius ſi impleat, de quibus: *Rom. 10. c* Non omnes obediunt Euangelio. Imple toto corde mandata Dei in mundo, vt impleatur F cor tuum lætitia in cælo. *Pſal. 15. c* Pſalmus: Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Impleas autem non ſolum diuina, ſed etiam humana toto corde. Bernardus: Quidquid vice Dei præcipit homo, imple, ſi eſt ſicut præcipit Deus. Item ad orandum: *Iudit. 4. d* Ex toto corde orabãt omnes, vt viſitaret populum ſuum. Non errat, qui corde non intendit: *Mat. 15. a* Populus hic labijs me honorat, cor autem, *et cet.* Tales orant Deum a tergo, nõ faciem. Contra quod Pſalmus: *Pſal. 118. b* Deprecatus ſum faciẽ tuam in toto corde meo. Etiam corde non orant qui orationem in lingua, ſed iuſtificationem non habent in vita. Contra quod: Clamaui in toto corde meo, *et cet. vſque* requiram. Requiram, inquam, bene viuendo. Deus non attendit tuam orationem, ſi non quæris



ris ſuam iuſtificationem. Ioannes Chryſoſtomus: A Qui orat Deum, & peccat, non orat Deum, ſed deludit eum. *Deut. 6. a* Item ad diligendum: ſic hic, & diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo: ex toto corde non diligit, qui de ſe aliquid relinquit. Auguſtinus: Totum, inquit, cor meum flamma tui amoris accendat. Nil in me relinquatur mihi: ſed totus in te æſtuem: in te ardeam, totus te diligam. Item toto corde non diligit, *Ioan. 14. c* qui dilectionem in effectu non oſtendit: Si quis diligit me, ſermones meos ſeruabit. Gregorius: Numquam eſt amor Dei otioſus, *et cet.* Vnde & arca teſtamenti intus & extra auro veſtiebatur. Charitatis igitur veſtis ſit interius per affectum, exterius per effe- B ctum. *Tob. 1. c* Item ad reminiſcendum Deum: Quoniam memor fuit Dei ſui in toto corde ſuo, dedit ei Dominus gratiam in conſpectu Salmanaſar regis. Item inter cetera Dei beneficia, quæ in memoria habere debemus, præcipue paſſio in corde debet eſſe memoriter: *Thren. 3. c* Recordare paupertatis meæ, & tranſgreſſionis abſynthij, & fellis. Expone qualiter hæc habere debemus in memoria, vt ea imitemur. Item ad gratias agendum. *Pſal. 100. a* Pſalmus: Confitebor tibi Domine in toto corde. Hæc eſt confeſſio laudis. Bene ait: In æternum. Semper enim homo inuenit, in quo Deum laudare poſſit. C Auguſtinus: Quæcumque homo fecerit inuenit in ſuis factis Deum. Si recte non egerit, laudabilem inuenit per iuſtitiam ſuppliciorum: ſi peccator conuerſus ad recte viuendum redierit, laudabilem inuenit per miſericordiam indulgentiarum.

## SERMO III.

*Mat. 22. d* *Greg. hom. 30. in Euã. to. 3.* D*iliges Dominum Deum tuum*, & cet. Gregorius: Probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Dilectio ergo Dei probatur ex ſex ſignis. (Dilectio Dei ſex ſignis probatur.) Ex deteſtatione peccatorum, ex repulſione inimicorum: ex operatione mandatorum: D ex prouiſione ſubditorum: ex renunciatione terrenorum: ex toleratione aduerſorum. De primo, *Pſal. 96. b* Pſalmus: Qui diligitis Dominum, odite malum. Certum eſt enim quòd quantum homo diligit Deum, tantum odit peccatum. Si multum diligit, multum odit, & *Luc. 7. g* tunc multum ei dimittitur: Remittuntur ei peccata multa, quaſi dicat multum. Qui ergo Deum diligit, peccatum odit. Gregorius: Qui adhuc per illicita deſideria diffluit, profecto Deum non amat: quia ei in ſua voluntate contradicit, immo qui peccatum diligit, ſeipſum odit. *Pſal. 10. b* Pſalmus: Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. E De ſecundo, ſcilicet de repulſione inimicorum. *Pſal. 144. d* Pſalmus: Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & vias peccatorum diſperdet, ideſt dæmones diſperdet. Per dilectionem homo cuſtoditur, diabolus confunditur. Certum enim eſt quòd quantum fortiter Deum diligimus, tanto contra tentationes diaboli, fortiores ſumus. *Pſal. 17. a* Pſalmus: Diligam te Domine fortitudo mea. Si ergo fortis es in Dei dilectione, Deus eſt fortitudo tua in tentatione. Diabolus maxime perſequitur charitatem. Auguſtinus: Nihil ſpecioſius Deo virtute dilectionis, nihil deſiderabilius eſt diabolo extinctione charitatis. Habes itaque ſignum veræ dilectionis, ſi non ſuperaris impetu F tentationis. Gregorius: Ille vere amat, cuius videlicet mentem delectatio praua conſenſu non ſuperat. Quantum enim Dominus diligitur, tãtum malus contemnitur, ſcilicet diabolus, caro, mundus: *Mat. 6. c* aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, *et cetera.* De tertio: *Ioan. 14. c* Si diligitis me mandata mea ſeruate. Et ibidem: Si quis diligit me, ſermones, *et cet.* Sed nota quòd inter mandata opere ſeruanda, Deum diligere eſt maximum, & primum mandatum, ſecundum autem ſimile huic, diliges proximum tuum ſicut teipſum. Vnde nemo ſe Deum diligere putet, qui de omnibus proximis vnum odit: *1. Ioan. 4. d* Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum odit, mendax eſt. De A quarto: Simon Ioannes diligis me plus his, *et cet.* tertio *vſque* paſce oues meas. *Ioan. 21.* Certum enim, quia paſtor Eccleſiaſticus quantum diligit Deum, tanto pro ouibus ſuis habet zelum. Gregorius enim ait: Ille apud Deum magis in amore eius eſt, qui ad eius amorem plurimos trahit. Sed nota quòd ter dixit: Paſce, *et cet.* Prælatus enim, qui diligit Deum, paſcit verbo, paſcit exemplo, paſcit ſubſidio. Et certe non ſolum prælati, ſed etiam omnes dilectores Dei paſcere debent oues Dei, verbo conſolationis, vel orationis, exemplo conuerſationis, ſubſidio ſubuentionis per temporalem ſubſtantiam: *1. Ioan. 3. c* Qui habent ſubſtantiam huius mundi, B *et cet.* De quinto: *Cant. 8. b* Si homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione dederit, quaſi nihil deſpiciet eam. Certum enim eſt quòd quantum homo diligit Deum, tantum omnia temporalia deſpicit, quaſi ſtercus: *Phil. 3. b* Omnia arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Ioannes Chryſoſtomus: Qui pecuniam, concupiſcentiamq. dimiſerunt, hi maxime ſunt, qui vt debent, diligunt. Omnem ſubſtantiam dedit, qui dixit: *Mat. 19. c* Ecce nos reliquimus omnia, *et cetera.* Sic etiam *Idem. 13. f* dedit omnia ſua ille Euangelicus negotiator pro dilectione margaritæ, ideſt Chriſti. Bonæ enim margaritæ ſunt omnes ſancti: vna vero precioſa eſt Chriſtus. C Si ergo omnem ſubſtantiam dare non potes, des Deo ſaltem partem in eleemoſynis. De ſexto: *Ioan. 15. b* Maiorem charitatem, *&c.* Certum enim eſt: quia tantum diligit, quantum amore ſui patienter aduerſa ſuſtinet, & etiã mortem. Videat ergo vnuſquiſque, vtrum paratus ſit pro amico ſuo Ieſu Chriſto ponere animam ſuam, & ante mori, quàm viuere, & relinquere legem Dei. *2. Mach. 7 a* Parati ſumus magis mori, quàm patrias leges præuaricari. Auguſtinus: Eligat homo magis, Deo dilecto, mori quàm offenſo, viuere, hoc eſt experimentum vere dilectionis. *Rom. 8. g* Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, *et cet. vſque* neque creatura alia.

## SERMO IV.

*Mat. 22. d* D*iliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Quoniam bonitatis eſt ſe licite communicare malis, & inimicis: ideo Dominus noſter tamquam bonus doctor voluit communicare doctrinam veritatis malignis iudæis doloſe eum interrogantibus cum ad eorum quæſtionem vtilitatis, quamuis procederet ex animi doloſitate, dedit reſponſionẽ veritatis, cum dicit in verbo propoſito. *Diliges Dominum Deum tuum*, E & cet. Vbi elegantiſſimo, & miro modo ordinate procedit ordinando totum hominem, ſecundum omnem ſui potentiam ad Deum medicum triplici virtute theologica. Nam, Primo regulat concupiſcibilem in ſummo diligibili imperando actum charitatis. Secundo eleuat iraſcibilem in ſummo honorabili, inſinuando obiectum diuinitatis. Tertio illuſtrat rationalem in ſummo intelligibili explicando modum veritatis. Primum habet per charitatem. Secundum per ſpem. Tertium per fidem. Primo igitur imperat nobilem actum charitatis, regulando cum dicit: *Diliges*. Iſte actus dilectionis elicitur a cõ- F cupiſcibili potentia. Secundo inſinuat honorabile obiectum charitatis eleuando iraſcibilem, cum ſubdit, *Dominum Deum tuum*. Deus enim proprie, & principaliter eſt obiectum charitatis, & hæc eſt ratio: quia dilectio Dei eſt principium, & via, & proximus, & omnis homo non debet diligi niſi propter Deum, aut in Deo ratione imaginis, & ſimilitudinis: vnde ſimile mandatum reputatur. Si autem aliter diligatur aliquis quàm propter Deum, aut in Deo, ſcilicet per affectum cognationis, & carnis, vel alicuius commodi: non virtus charitatis, ſed actus naturalis dici poteſt. Tertio explicat vtilem modum veritatis illuſtrando rationalem, cum ſubinfert: *Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*. Dicamus igitur:

*Diliges*

*Diliges*, vbi imperat charitatis actum: iſte actus dilectionis eſt virtus charitatis ratione incomparabili per eminentiam vtilitatis, & excellentiæ. Primo, & principaliter imperatur, & ponitur ſub legis præcepto, & etiam dicitur maximum propter tres rationes. Nam reſpectu præceptorum habet primitatem virtuoſitatis in eſſendo. Reſpectu virtutum habet maioritatem dignitatis in merendo. Reſpectu operum habet delectabilitatem acceptabilitatis in remunerando. O virtus deifica, in qua omnia præcepta radicabiliter fundātur, per quam ceteræ virtutes ad meritum informantur, & ſecundum quam cuncta opera acceptantur. Primo illud præceptum dilectionis reſpectu præceptorum habet primitatem virtuoſitatis in eſſendo, vnde ipſa eſt quæ dat præceptis vigoris efficaciam ſecundum Gregorium, qui dicit ſuper illud: Hoc eſt præceptum meũ vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Quid eſt, quòd de dilectione quaſi de ſingulari mandato nos admonet: quia omnia præcepta multa ſunt, & vnum. Multa propter diuerſitatem operis. Vnum in radice charitatis. Et propter hoc dicitur in euangelio hodierno: In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & prophetæ: quia ad dilectionem Dei, & proximi tamquã ad primarium, & radicale fundamentum introducuntur. Hoc intelligens Apoſtolus, dicebat: In charitate radicati, & fundati, &c. Miſeri qui hoc fundamento carent: quia quidquid ſuperædificant, totum areſcit: vnde & opera facta extra charitatem numquam reuiuiſcunt: cum fuerint ſine radice. Et ob hoc dicit Gregorius: Nec habet ramus aliquid viriditatis niſi maneat in radice charitatis. Secundo iſta virtus dilectionis reſpectu virtutum habet virtuoſitatem in merendo, eo quòd virtutibus dat formam. Vnde: Maior autem horum eſt charitas. Vbi Apoſtolus diſcurrendo per omnes virtutes tam politicas, quàm theologicas concludit, tum ratione remotionis, tum ratione poſitionis: quia charitas habet maioritatem. Nam poſita charitate ponitur omne meritorium, & illa remota remouetur omne vtile ad ſalutem. Ipſa certe ſola eſt, quę dat formam meriti. Vnde ceteræ virtutes ſunt informes ſine ipſa, quia non habēt meritum gratuitum niſi per ipſam. Quemadmodum enim colores perdunt eſſe formale, & pulchrum diſcedente luce, & recuperant, ea adueniente: ita virtutes diſcedente charitate, & hoc eſt quod dicitur: Qui diligit, in luce manet, qui autem odit, in tenebris. Hinc eſt quod Auguſtinus dixit: Habe charitatem, & fac quidquid vis. Tertio iſte actus dilectionis reſpectu operum habet delectabilitatem acceptationis in remunerando eo, quod operibus imponit retributionis menſuram: ſecundum enim charitatem viæ menſurabitur gloria patriæ: vt vbi plus de dilectione ibi plus de beatifica viſione: quia magnitudo meriti non conſiſtit in exteriori opere, ſed interiori dilectione. Hinc eſt quòd martyrium quod eſt maioris præmij inter omnia, quæ facit homo, dicitur eſſe opus charitatis: ſecundum illud: Maiorem dilectionem nemo habet vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Rationem huius aſſignat Apoſtolus: Si quid eſt aliud mandatum in hoc verbo inſtauratur. *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum*: plenitudo ergo legis eſt dilectio, quaſi dicat: Si homo deficiat, & cum eo diſpenſetur ratione neceſſitatis, in mandatis poteſt in iſto recuperari ſuæ plenitudinis ratione. Gregorius: Nimirum cum vna eademque ſit charitas ſi mentem plene habeat ad innumera opera multiformiter accendat, & perfectionem: ſed tamen in iſto nō poteſt diſpenſari eo quod eiuſdem eſt defectus & amiſſio, & in alijs mādatis nō poteſt inſtaurari, quoniam non eſt digna ponderatio animæ, *et cet.*

Præceptum dilectionis maximum. — Greg. hom. 27 in Euã. — Ioan. 13. d — Mat. 22. d — Eph. 3. d — Greg. vbi ſupra. — 1. Cor. 13. b — 1. Ioan. 2. — Ioan. 15. b — Rom. 13. c

Sequitur: *Dominum Deum tuum*. Vbi inſinuat honorabile obiectum diuinitatis, & etiam totius Trinitatis. Non enim vacant a myſterio hæc tria vocabula, *Dominum Deum tuum*, eo quòd per ipſa manifeſtatur Trinitas perſonarum conferentium nobis tria maxima

A beneficia, per quæ ad dilectionē delectabiliter allicimur. Vnde: *Dominus* dicitur propter conditionem naturalis eſſe in creatione. *Deus* propter collationem multiplicis gratiæ, in conſeruatione. *Tuus* propter donationem ſuiipſius, ſiue hereditatis perpetuæ, in glorificatione. Et ſic appropriate loquendo, Per patris potentiam creamur. Per filij ſapientiam conſeruamur. Per Spiritus ſancti clementiam glorificamur. Primo *Diliges Dominum* propter conditionem naturalis eſſe in creatione. Vnde: Et nunc quid aliud Dominus Deus tuus petit a te niſi vt timeas Dominum Deũ tuũ & diligas eũ? quia homo tenetur, & obligatur Dominum timere, humiliter, & obedienter, & fideliter, & (Deut. 10. d)
B diligere feruenter ratione beneficij, quod ſibi contulit in creatione: cum eius eſſe fecit inſignitum diuina imagine, ratione cuius ad hæc tria adimplenda habet poſſibilitatem: ideo tamquam ex debito hoc requirit, cum dicit: Et nunc quid Dominus Deus tuus petit a te niſi vt timeas Dominum Deum tuũ? Ecce timor humilitatis, & ſubiacentiæ, & ambules in vijs eius: ecce labor fidelis obedientiæ, in executione mandatorum, quæ nomine viarum deſignantur. *Diliges eum*, ecce feruor ſinceritatis, & beneuolentiæ. Secundo *diliges Deum*, propter collationem multiplicis gratiæ, id eſt
C conſeruatione. Vnde in Pſalmo: Qui diligitis Dominum operando bonum per amorem. Odite malũ, cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum: qui diligitis Dominum per amorem operando bonum. Odite malum, declinando malum, & peccatum per timorem: quia per Dei amorem homines ſancti efficiuntur, & beneficium cuſtodiæ, & conſeruationis a Deo merentur. Vnde ſequitur: Cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, multorum beneficiorum collatione. Nam ad hominis cuſtodiam, & conſeruationem omnium creaturarum ſeruitia, & beneficia cō currunt. Angeli enim miniſtrant ei, cælum dat ei lu- (Pſal. 96. a)
D cem in die, vt operetur: tenebras in nocte vt quieſcat, & ipſorum vtilem viciſſitudinem, aerem fecit Deus, vt præberet homini vtilem calorem, & omne genus auium ei miniſtraret. Aquam fecit, vt ſibi potum tribueret, ſordes purgaret, arentia irrigaret, & diuerſitatem piſcium ad ſuum vſum nutriret. Terram fecit: vt eum portaret, pane confortaret, & vino lætificaret, totus mundus ſeruit homini, quia factus eſt pro homine. Ratione ergo tantorum beneficiorum, qui diligitis Deum hæc probate per exhibitionem bonæ operationis: alioquin de ingratitudine arguemini. Tertio diliges Dominum Deum tuum propter donationē
E hereditatis perpetuæ, & glorificationē. Vnde in Pſalmo: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Iſte decor nihil aliud eſt niſi diuina refulgentia ex qua micant diuini radij ſplendoris facientes cælum empyreum domum decoris propter refulgentiam diuinæ claritatis, & locum habitationis gloriæ tuæ, propter communitatem gloriæ diuinitatis. O quàm illuſtris, & ſpecioſus eſt iſte decor domus tuæ, Deus, & quāto Dauitico deſiderio diligēda. O quàm felix, & ſanctus eſt iſte locus habitationis gloriæ, quanta auiditate appetendus, in quo Deus abundantius ſeipſum delectabiliter beatis perpetuali- (Pſal. 25. b)
F ter communicat in eis habitando per gloriam.

Tertio ſubinfert: *Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Vbi explicās vtilem modum veritatis, miro, & ineffabili modo ſummus magiſter Chriſtus docuit qualiter ſit Deus diligēdus in his tribus vocabulis, corde, animo, & mente. Nam homo non poteſt diligere niſi ei vniatur, vniri ei non poteſt niſi eum cognoſcat, habeat & teneat ſecundum tres nobiles ſuas potentias, id eſt intelligentia, voluntate, memoria, quibus eſt Dei imago ſecundum Auguſtinum: Cognoſcere vero ſit intelligentiæ, habere volũtatis, tenere memoriæ. Ideo neceſſario ad Deum diligendum actus iſtarum trium potentiarum debet concurrere, quæ nomine cordis animæ, & mentis deſignantur:



gnantur, quoniam intelligentia per cor, voluntas per animam, & memoria per mentem ſecundum Auguſtinum in hoc loco accipitur. Primo eſt Deus diligendus fideliter, ne intelligentia ſeducatur erroris falſitate. Secundo ſinceriter, ne voluntas alliciatur carnis voluptate. Tertio indeſinenter, ne memoria frangatur operis diſcontinuitate. Et iſta diuiſio traditur a beato Auguſtino, qui hunc locum ita exponit: *ex toto corde*, ideſt intellectu ſine errore: *ex tota anima*, ideſt voluntate ſine contradictione: *& ex tota mente*, ideſt memoria ſine obliuione. Et ſic diuina dilectio eſt illuminatiua omnium credendorum, aſpernatiua carnalium delectationum, & continuatiua bonarum operationum. *Primo diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ideſt cum ſoliditate fidei, ne intelligentia ſeducatur fallacijs. Vnde: Audi Iſrael, vnus eſt Dominus Deus tuus, fideliter credendo corde, vt nulla æquipares diſperſa, ficte imaginando alios deos eſſe. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde efficaciter comprobando opere, vt nulla admittas contraria, eo quòd nihil aliud debet per affectum cor alligare præter eum, cui totum cor debetur in dilectione. Vnde cum aliquid amamus ſupra Deum, vel præter Deum, nequam eſt. Ex toto ergo corde diligamus eũ. Nam ſicut intellectus errat in cognoſcendo, ita & affectus in diligendo. *Secundo diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua*, ideſt cum ſinceritate animi in affectiua, ne alliciaris blanditijs. Vnde: Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus meus locutus eſt mihi. Tunc anima liqueſit ad Dei mulcentis locutionem, ſicut cera, quæ fluit a facie ignis: cum in eius meditatione exardeſcit ignis diuini amoris, tunc reſoluitur in aquam deuotionis ad inſpirationem, & immiſſionem alicuius radij ſpiritualis velut glacies, quæ reſoluitur ad ardorem ignis materialis, quando eſt in feruentiſſimo deſiderio, & amore ſolis ſpiritualis, vt totaliter recolligat ſe ad interiora, nec ſit diſperſa ad exteriora, ne interponatur aliqua nubes aquoſa carnalis frigiditatis, ſed immediate recipiat immiſſionē diuinorum radiorum totum cor inflammantium. *Diliges Dominum Deum ex tota mente tua*, ideſt cum ſedulitate ſtudij in affectiua, ne frangaris obſequijs. Vnde dicit Dominus: Quis det eos talem habere mentem, vt timeant me, & cuſtodiant mandata mea vniuerſa omni tempore? Ecce Dominus oſtendit effectũ ſuæ bonitatis cum optat in nobis, vt per eius timorem filialis reuerentiæ continue, & indeſinenter ſine diminutione adimpleamus eius præcepta, vt impleatur in nobis illud: Omni tempore diligit qui amicus eſt: quia diuina dilectio ratione continuitatis debet eſſe ad modum mortis, & inferni: quia quod ſemel ab eis rapitur numquam dimittitur. Vnde in Canticis: Fortis eſt vt mors, dilectio: dura, vt infernus æmulatio. Rogemus, ergo *et cet.*

Deut. 6. a — Cant. 5. b — Deut. 5. d — Prou. 17. c — Cant. 8. b

# DOMINICA XVIII.

## POST PENTECOSTEM

### SERMO I.

(Mat. 9. a) *Ecce offerebāt ei paraliticum iacentem in lecto*. Sic enim ægri offeruntur medico ad ſanandum, paruuli Epiſcopo ad confirmandum, rei iudici, vel Domino ad iudicandum, ſponſa ſponſo ad cohabitandum. (Mat. 4. d) De primo: Obtulerunt ei omnes male habentes varijs languoribus, & tormentis, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos. Languor naturæ, & tormentum, conſcientiæ eſt peccatum. Dæmoniaci ſunt malitioſi, dæmones enim ex

A malitia peccant. Dæmonium ergo malignæ voluntatis non eſt eiectum quamdiu nouis orationum, & confeſſionum linguis non loqueris: In nomine meo dæmonia eijcient, *et cet.* Lunatici ſunt iracundi & impatientes, qui valde ſunt mutabiles: Stultus vt luna mutatur. Paralytici ſunt acidioſi. Paralyſis enim aufert vſum membrorum, ita vt reddat membra ad labores inutilia. Semper enim in lecto carnalis commodi ſunt pigri, quocumque ſe vertunt, lectum carnalitatis non relinquunt: Sicut oſtium vertitur in cardine, ſic piger in lecto ſuo. Oſtium enim quando vertitur cardinem non exit. Surge paralytice de lecto, ſurge piger ad la- (Mar. vlt. d) (Eccli. 27. b) (Prou. 26. c)
B bores. Auguſtinus: Noli piger eſſe laborare breuiter, & gaudere inceſſabiliter. De ſecundo: Offerebant illi paruulos, vt manus eius imponeret & oraret. Interlinearis, vt eis voce, & manu benediceret. Vnde ad benedicendum etiam in cruce manus extendit. Pſalmus: Aperis tu manum, *et cet.* Quid mirum ſi ad benedicendum, vel ad confirmandum in gratia Chriſtus imponit manus cum ſit Epiſcopus: Conuerſi eſtis nunc ad paſtorem & Epiſcopũ animarum veſtrarum. Bene autem eis, qui paruuli ſunt humilitate, infantes innocentia, & pueri puritate. Pſalmus: Innocens manibus. Quis aſcendet in montem Do- (Mar. 10. a) (Pſal. 144. c) (1. Pet. 2. d) (Pſal. 32. a)
C mini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocēs manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo, hic accipiet benedictionem a Domino, *et cet.* Vel paruuli ſunt pœnitentes, qui more paruulorum ſæpe plorant. Iſti benedictionem obtinent bene plorādo ſicut Eſau. Require, quando Iacob, & Eſau benedicuntur. In Iacob innocens, in Eſau pœnitens ſignificatur. De tertio: Oblatus eſt ei vnus, qui debebat decem millia talenta: Interlinearis, ideſt multarum decalogi tranſgreſſionum reus, & ad litteram timendum aliquos eſſe, qui decem millium mortalium peccatorum debi- (Gen. 27. d) (Mat. 18. c)
D tis conſtricti ſunt: hi ſunt qui offerentur in iudicio ſpeciali in confeſſione: vel in iudicio generali, in fine: vel in iudicio particulari, in morte, ſicut offertur denarius monetario examinandus: At illi obtulerunt ei denarium. In morte enim anima Deo offertur. Tunc certe Deus examinabit imaginem, & ſuperſcriptionem, vtrum ſit Dei, an diaboli. Si enim eſt Dei, reponetur in theſaurum cæli: ſi eſt diaboli, proijcietur in fornacem inferni: Eo quòd verſi eſtis omnes in ſcoriam: ecce ego congregabo vos congregatione argenti, & æris, & ferri, & ſtagni, & plumbi in medio fornacis, vt ſuccendam in ea ignem ad conflandum. (Mat. 22. b) (Ezec. 22. d)
E De quarto. Pſalmus: Offerentur regi virgines. Gloſſa miniſterio angelorum in templum regis, ideſt in cælum, in quo laudabitur Deus æternaliter, & vniuerſaliter. Pſalmus: In templo eius omnes dicent gloriã. Virgines eius, quæ offeruntur Chriſto in lætitia, & exultatione ſicut ſignatum eſt in virginibus adductis regi Aſſuero in Suſa, ideſt patria lætitiæ æternæ. Suſa enim lætitia interpretatur. Pſalmus: Lætificabis eum in gaudio. Quicumque vult adduci ad veram lætitiam in mundo. Gregorius: Et hic chariſſimi vanam gloriam fugite, ſi illic falli formidatis. Nemo enim poteſt & hic gaudere cum ſæculo, & illic gaudere cum (Pſal. 44. d) (Pſal. 28. b) (Eſther. 2. b) (Pſal. 20. b)
F Chriſto. Virgines enim iſtæ, ideſt animæ a peccatis mundæ ciuitatem Suſa non intrabunt, niſi cum oleo charitatis, de prudentibus oleum habentibus dicitur: Quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianũa. (Mat. 25. a)

### SERMO II.

(Mat. 9. a) *Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata*, &cet. Poteſtatem habet Ieſus in mundo iuſtificandi, in iudicio iudicandi, in cælo regnandi, in inferno cruciandi. De primo dicitur: *Vt autem ſciatis, quia filius*, & cetera. Bene dicitur

A dicitur in terra, non in cælo, non in inferno. In cælo enim peccatum non dimittitur, quia nullum ibi committitur. Qui autem peccatum ibi commiſit Lucifer cum ſuis, nullam remiſſionem conſecutus fuit. In inferno non dimittitur: quia nullus in mortali peccato exiſtens, & ad inferos deſcendens, inde liberabitur. Vnde quamdiu in terra, vel in mundo ſumus, petere veniam debemus, nam in terra dimittuntur mortalia peccata, non alibi. Vnde quæſtuarij decipiunt homines ſimplices, qui peccata in inferno hominum ſe relaxare promittunt: quia neque ſacerdos, neque Epiſcopus, neque Papa illud mortale peccatū *Mat. 16. c* ſoluere poſſunt. Vnde de Petro dicitur: Quodcumque ligaueris ſuper terram. In inferno enim non eſt baptiſmus, neque pœnitentia, ſine quibus non dimittuntur peccata mortalia. Vnde de hac poteſtate dici- *Zach. 9. c* tur: Poteſtas eius a mari, vſque ad mare. Mare ba- *1. Cor. 10. a* ptiſmum ſignificat: Omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & mari. Mare etiam ſignificat pœnitentiam: *Thren. 1. d* Magna velut mare contritio tua. Poteſtas ergo dimittendi peccata a mari, ideſt a baptiſmo, vſque ad pœnitentiam extenditur in mundo, ſed non extenditur in inferno. Ibi enim neque tempus eſt peccata dimittendi, vbi neque locus, neque tempus pœnitendi. Ioannes Chryſoſtomus: Neque reſiſtendi virtus, nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus, nec ſatiſfactionis tempus erit, ex anguſtia omnium rerum nihil remanet niſi luctus. Require in ſermone primo: *Luc. 21. e* Omnis arbor, *et cet.* De ſecundo: Videbitis filium hominis venientem in nubibus, cum poteſtate magna, & maieſtate. Omnes enim angeli venient cum eo, *Mat. 25. e* ſicut dicitur: Niſi enim poteſtatem magnam oſtenderet, imperatores, & reges, & potentatus, & alij potentes damnandi, maxime dicere poſſent, ſicut principes ſacerdotum, cum eieciſſet eos de templo, quidā *Idem. 21. b* dixerunt ei: In qua poteſtate hæc facis? *et cet.* In iudicio autem de templo Eccleſiæ eijciet malos, & merito. Quid enim facerent canes in templo? Canis enim, qui intrat Eccleſiam ſtatim viriliter eijcitur. Ita peccatores in die iudicij. Vnde: Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & qui amat, & facit mendacium. Nota quòd nobiles bene ſuſtinent canes ſuper lectos, & ſuper ſedes, ſed tempore commixtionis eijciuntur. Sic Dominus permittit peccatores eſſe in lectis carnalitatis, & ſedibus ſæcularis dignitatis: ſed in iudicio, vt pote incipiente *Apoc. 22. c* æterno conuiuio, expellentur. Vnde ait: Foris canes. O quantus horror in illa expulſione de conſortio bonorum erit? Bernardus: Quis putatur, quantuſue luctus erit? *et cet.* Require in ſermone ſupra. Non ne decem mundati. Tunc ergo non debet quæri in qua poteſtate hoc faciat, quia apertiſſime eius poteſtas vi- *Mar. vlt. d* debitur. De tertio: Data eſt mihi omnis poteſtas, *et cet.* Rex in regno ſuo plenam habet poteſtatem, qui nullum habet ibi, vel ſibi, vel ſuis aduerſarium. Talem vtique poteſtatem habet filius Dei in cælo, ex- *Apoc. 12. c* pulſis aduerſarijs Lucifero, & angelis eius: Nunc facta eſt ſalus, & virtus & regnū Dei, & poteſtas Chriſti, quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, ſcilicet draco, qui cauda ſua traxit tertiam partem ſtellarum, ideſt angelorum: quorum quidam ſunt aſſiſtentes, quidam miniſtrantes, quidam ſuperbientes. Et hanc tertiam partem traxit Lucifer. Multas etiam adhuc ſtellas, ideſt iuſtos traxit diabolus, per caudam deceptionis. Sed accuſator ille in patria nullam contradicendi habet poteſtatem, vbi Chriſtus in ſuis ſanctis plenam habet poteſtatem. Auguſtinus: Inimicus vere excluditur de corde credentium, quando exclu- *Luc. 12. a* detur de ciuitate viuentium. De quarto: Timete *Apoc. 5. a* eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennā. Hæc poteſtas ſub terra eſt: Omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſubtus terram, & mare, & quæ in eo ſunt, audiui dicentes: Sedenti in throno & agno, Benedictio & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Ecce ergo in cælo, ecce ſuper terram, ideſt in iudicio, quod erit in aere ſuper terram. Ecce ſubtus terram in inferno. Ecce in mari in mundo fluctuanti. Ergo ſcitur poteſtas Dei. Benedictio tamen referri poteſt ad primam poteſtatem: Filium ſuum miſit benedicentem vobis. *Act. 3. d* Honor ad ſecundam. Pſalmus: Honor regis iudiciū *Pſal. 95. b* diligit. Gloria ad tertiam: Vidit gloriam Dei, *&c.* *Act. 7. g* Poteſtas autem proprie ad quartam. Pſalmus: Quis *Pſal. 89. c* nouit poteſtatem.

## SERMO III.

B Tolle lectum tuū, *&c.* Conſiderandū eſt quòd *Mat. 9. a* quadruplex eſt lectus, concupiſcentiæ, cōſcientiæ, pœnitentiæ, ſapiētiæ. De primo: Intexui funibus lectū meum, *et cet.* No- *Prou. 7. c* ta quòd ibi dicitur de muliere occurrente iuueni in ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas, garrula, & vaga, *et cet.* Mulier iſta eſt caro, vel ſenſualitas, quæ multas animas decipit. Hæc eſt mulier, quæ decepit Samſonem. Iuuenis, quem ap- *Iudic. 16. c* prehendit deoſculatum, eſt ſpiritus. Habitabit iuue- *Iſa. 62. b* C nis cum virgine, id eſt ſpiritus cum caſta carne, vel etiam cum Maria Virgine, cum qua Spiritus tuus per deuotionem, & dilectionem, & ſpiritualem venerationem ſæpe debet habitare. Lectus concupiſcentiæ: Qui tetigerit lectum eius, lauabit veſtimenta ſua. Ve- *Leuit. 15. a* ſtimenta lauantur dum vita mundatur. Funes autem quibus lectus intexitur, ſunt vitia cogitationum, conſenſuum, operationum. Iniquitates ſuæ capiēt impiū: *Prou. 5. d* & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Funibus ſolent conſtringi beſtiæ, & homines inſani, & luxurioſi ſunt inſenſati, & beſtiæ diaboli. Hieronymus: Fornicatio aut voluptas peruertit ſenſum, animam ex- D cæcat, corpus debilitat, & de rationali homine brutū efficit animal. De ſecundo Pſalmus: Lauabo per ſin- *Pſal. 6. b* gulas noctes lectum meum, *&c.* id eſt conſcientiam meam. Gregorius: Quo vberius culpa defletur, eo altior cognitio veritatis attingitur: quia ad videndum internum lumen polluta dudum conſcientia, lacrymis baptizata renouatur. Conſcientiam per ſingulas noctes lauat, qui ſingula vitia deplorat. Vnde bene Naaman ſepties in Iordane lauatur: Qui enim a lepra vi- *4. Reg. 5. d* tiorum vult mundari, per ſingula ſeptem vitia lacrymis debet lauari: neque tantum vnius anni, ſed etiam omnium annorum vitæ ſuæ mala debet flere: Reco- *Iſa. 38. c* E gitabo omnes annos, *&c.* Iſte lectus conſcientiæ virtutibus tamquam fortiſſimis militibus ad modum lecti regalis cuſtodiendus eſt, vt rex noſter Chriſtus in eo ſecurus quieſcat. En lectulum Salomonis ſexagin- *Cant. 3. c* ta fortes ambiunt, *&c.* De tertio Pſalmus: Dominus *Pſal. 40. a* opem ferat illi ſuper lectum doloris eius. Infirmi in lecto iacentes cum dolore torquentur, libenter confitentur: ita in lecto pœnitentiæ confitentur: dolor contritionis cogit hominem confiteri. Hoc autem dolore arguit Dominus peccatorem pro omni ſua tranſgreſſione: Increpat quoque per dolorem in lectulo, *Iob. 33. c* & omnia oſſa eis marceſcere facit. Et certe ſæpe dolor F increpationis oſtenditur per lacrymas contritionis, ſicut patet in Magdalena, & in Petro. Vnde Auguſtinus: *Luc. 7. f* Sicut comes pœnitentiæ dolor eſt: ita ſunt lacrymæ *Mat. 26. g* teſtes doloris. Qui ergo talem increpationem in corde ſentit, ſignum eſt quòd arguror vitiorum ſpiritus in eum venit. Cum autem venerit ille ſpiritus verita- *Ioan. 16. a* tis, arguet mundum. *&c.* Et nota quòd iſto lecto pœnitentiæ mori debet homo ſicut ſignatum eſt in Iacob Patriarcha de quo: Collegit pedes ſuos ſuper lectum *Gen. 49. d* & obijt. Beatus ergo eſt, qui non in patibulo ſuperbiæ: non in igne auaritiæ, non in luto luxuriæ, ſed in lecto pœnitentiæ moritur. In lectulo moriar. De *Iob 29. c* quarto, de lecto ſapientiæ, ſiue ſcripturæ: Quoniā ir- *Iob 33. b* ruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo. Tūc aperit aures virorum, & erudiens inſtruit diſciplina.

Irruit



A Irruit in lectulo ſcripturæ, vel quietis contemplatione. Dormiunt homines per ſenſum abſtractione exterius. Vigilant vero per meditationem, & deſideriū *Cant. 5. a* interius. Ego dormiui, & cor meum vigilat. Sed heu *Luc. 17. g* terribiliter dicitur: Erunt duo in lecto, vnus aſſumetur, & alter relinquetur. Duę enim molentes, vna aſſumetur, & altera relinquetur. Duo in agro: vnus aſſumetur, & alter relinquetur. In lecto ſunt contemplatiui, in mola actiui, in agro prælati. Sed in omnibus his aſſumendi per gloriam, & relinquendi in gehennam inueniuntur. Auguſtinus: Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, in omni ſtatu hominum bonos, & B malos eſſe. Secūdum hos quattuor lectos inuenimus: lectum ferreum, eburneum, floridum, aureum. De *Deut. 3. b* primo: Monſtratur lectus eius ferreus, qui eſt in Rabath, qui interpretatur grande peccatum, hic eſt le- *Amos. 6. a* ctus concupiſcentiæ. De ſecundo: Qui dormitis in lectis eburneis: hic eſt lectus conſcientiæ, in quo dormit ſæpius homo per torporem, & negligentiā. Quod autem ſequitur: Et laſciuitis in ſtratis veſtris, ad lectū *Cant. 1. d* concupiſcentiæ pertinet. De tertio: Lectulus noſter floridus: hic eſt lectulus pœnitentiæ, habens flores *Eſther. 1. b* virtutum. De quarto: Lectuli quoque aurei, & argē- tei ſuper pauimentum. Pauimentum eſt cor pauidum, C lectus ſapiētiæ eſt aureus, quo ad nouum Teſtamentum: argenteus, quoad vetus, vel aureus, quo ad contemplationem diuinitatis: argenteus, quo ad contemplationem humanitatis.

## SERMO IV.

*Mat. 9. a* *Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Quoniam ſecundum philoſophum potentiæ diſtinguuntur, ſiue agnoſcuntur per actus, vel opera. Hinc eſt quòd Dominus per opus miraculoſum ſupra naturā fecit cognoſci ſuam potentiam diuinitatis, dimittendo peccata, D cum ſolo verbo paralyticum perfecte reſtituit ſanitati, dicens in verbo propoſito: *Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Vnde tamquam perfectus medicus corporum, & animarum in ipſo verbo valde artificialiter procedit, eo quòd iſtis tribus vocabulis, ſcilicet: *ſurge, tolle, & vade*: perfecta ſanitas tam hominis exterioris quantum ad corpus, quàm hominis interioris, quantum ad ſpiritum deſignatur: contra tria mala, quæ facit paralyſis materialis in corpore, & peccatum quod eſt paralyſis in mente. Nam iſta infirmitas reddit hominem corporaliter inhabilem ad ſtā- E dum: impotentem ad operandum: impoſſibilem ad ambulandum. Ita peccatum ſuo modo aufert animæ rectitudinem ſtatus per culpam: fortitudinem actus per iuſtitiam: & promptitudinem motus per negligētiam, ſed Dominus contra iſta tria mala præcepit tria bona. Nam, Primo imperat rectitudinem ſtatus per deſertionem culpæ, cum dicit: *Surge.* Secundo fortitudinem actus per executionem iuſtitiæ, cum ſubdit: *tolle lectum*, id eſt iuſtitiam, per quam firmiter in omni opere exequi incipias. Tertio promptitudinem motus per acquiſitionem gloriæ, cum ſubiungit: *Vade in domum tuam.* Gloſſa: Domum ire eſt ad paradiſum F redire, eo quòd paradiſus eſt propria habitatio hominis, quia ad hoc factus homo fuit.

Dicit ergo: *Surge.* Vbi imperat rectitudinem ſtatus per deſertionem culpæ: quia anima cadit tripliciter, ſcilicet per ignorantiam erroris, concupiſcentiam carnis, & violentiam diabolicæ tentationis, & ideo ad hoc vt habeat rectitudinem ſtatus deſerendo culpam, *A tribus ſurgendū.* attendendum eſt vt ab his tribus reſurgat. Et Primo a tenebris ignorantiæ erroris obcæcantis. Secundo illecebris concupiſcentiæ defædantis. Tertio a præſidētijs poteſtatis diabolicæ opprimentis. Primum habet fieri per aſpectum veritatis. Secundum per amplexum caſtitatis. Tertium per exercitium virtutis. Primo qui vult habere rectitudinem ſtatus, debet ſurgere a tene- A bris erroris, & ignorantiæ obcæcantis, & hoc per aſpectum veritatis, & de hoc dicitur: Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur quid te oporteat facere. *Act. 9. a* Ecce quòd Paulus perſequebatur diſcipulos Chriſti zelo legis ductus, credens ſe obſequium Deo præſtare: ſed quia hoc non eſt ex certa cauſa, aut ex malitia, ſed tenebratus erroris ignorantia: ideo præcipitur ingredi in ciuitatem, per quam congregatio fidelium intelligitur, qui ſub eodem iureiurando ſunt collecti, vt ab eis inſtruatur quod eū oporteat facere. Dignum, & iuſtū fuit, vt qui ſapientem ſe tenebat, & ducem aliorum ſe faciebat, ad manum ſicut cæcus traheretur, & Ananiæ B in diſcipulum traderetur. Præterea maxima fuit violentia in conuertendo Paulum, quia ex ignorantia, & zelo decipiente, rectum credebat quidquid faciebat. Vnde Gregorius: Cū vitiū virtus creditur difficiliter emēdatur. Hinc eſt quòd hi qui ſanctitatē appetunt, in errorem lapſi, tardius corrigantur, rectum æſtimantes quidquid faciunt, & ſicut extolluntur virtute, ſic vitio perſeuerantiam iungunt. Secundo ſurge ab illecebris carnalis concupiſcentiæ deformantis. Vnde: Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater *Luc. 15. d* peccaui in cælum, & coram te, per iſtum hominem prodigū intelligitur homo luxurioſus. Vnde, & ado- C leſcentior dicitur, eo quòd vanior, & carnalia delectamenta magis intentus, quæ erecta ceruice petit portionem ſubſtantiæ, volendo vti libero arbitrio, vt non iam ſecundum imperium diuinæ voluntatis, ſed ſecundum nutum voluntatis ſuæ incedat. Beda: Subſtantiam, & omne quod agimus, viuimus, & ſapimus, cogitamus, & loquimur, rumpit petulantia, malis diſpenſat libertas. Et tunc abijt in regionem longinquā perpetrando peccatum. Gloſſa: Abijt in regionem lōginquam non mutando locum, ſed animum. Quanto quis in prauo delinquit, tanto a Dei ſimilitudine recedit longinquius. Adhæret vni ciuium, id eſt diabolo D eius voluntatem faciendo, & merito recedens a Dei ſimilitudine, accedit peccator ad dæmonum ſimilitudinem, quos continue paſcebat dum carnis voluptates non deſerebat. Propterea expendit omnia bona naturalia viuendo luxurioſe, & cupit implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci comedebant, id eſt cupit adinuenire peccata diuerſa carnis. Siliqua vt dicit Gloſſa eſt quoddam genus leguminis ſonorum, & vacuum quod magis ventrem onerat quàm reficiat, & ſignificat delectationes vitiorum, quæ ſatiant, & delectant exterius corpus, & intus animam non reficiunt, immo onerant. Et nemo illi dabat: quia nec in his om- E nibus ſatiatur, & frequenter vbi credit inuenire delectationes, inuenit amaritudines. Sed tandem videns ſe in tantis amaritudinibus, & miſerijs peccatorum proſtratum: ad ſe per ſui conſiderationem, & peccati recognitionem, dicitur: Surgam, per mali peccati deſertionem ſiue declinationem. Et ibo ad patrem meum, per boni incœptionem. Et dicam, per oris confeſſionem: Pater peccaui in cælum, in contemptum maieſtatis diuinæ omnibus præeminentis. Et corā te, propter contemptum veritatis omnia cernentis, ideo non ſum dignus vocari filius tuus, propter contemptum bonitatis: bonos in filios adoptantis, quē Deus pater F aſtringit per amplexum charitatis, & ſuſcipit ad oſculum pacis, proferendo ſtolam interioris puritatis, & induendo veſtem exterioris honeſtatis. Tertio ſurge a præſidentijs crudelitatis diabolicæ. Vnde: Surge ve- *Act. 12. b* lociter, quia ceciderunt cathenæ de manibus tuis. Petrus poſitus in vinculis ferreis, & diabolica ſuggeſtione & ſub cuſtodia militū, vt interficiatur, ſignificat peccatorem ligatum vinculis diabolicæ fraudis, & ponitur ſub cuſtodia dæmonum ad perdendum morte dānationis æternæ. Hic autem excitatur ad ſurgendum angelica admonitione, quia per auxiliū virtutis Chriſti confringentis æreas portas diabolicæ cuſtodiæ, ceciderunt cathenæ diabolicæ fraudis, de manibus malorum operum eius. De his ſimiliter dicitur: Surrexit *Reg. 21. a*

Dauid

Dauid in die illa, & fugit a facie Saul. Saul qui interpretatur abutens, & ſignificat diabolum, qui abutitur creaturis Dei, de cuius poteſtate bonus Dauid ſurgit per auxilium virtutis Chriſti fugiens ab eius notitia.

Secundo in verbo propoſito imperat fortitudinem actus per executionem iuſtitiæ, cũ ſubdit: *Tolle lectum tuum*. Ille habet fortitudinem in exequendo iuſtitiam qui tollit a Prophetis, & Apoſtolis, Primo peccatum per documentum inſtructiuum fidelis intelligentiæ. Secundo a patriarchis, & virginibus exemplum inflãmatiuum charitatis, & beneuolentiæ. Tertio a confeſſoribus, & martyribus auxilium cõfortatiuum longanimitatis, & patientiæ ſiue perſeuerantiæ. Et hæc (B) tria ſunt neceſſaria omni conditioni, ſexui, & ætati, ſcilicet veritas fidei dans intelligentiam: charitas Chriſti dans beneuolentiam, & longanimitas dans perſeuerãtiam: nullus enim adultus eſt in ſtatu ſalutis, niſi habeat fidelem intelligentiam in intellectu, charitatiuã beneuolentiam in affectu, & longanimem perſeuerantiam in effectu. Vnde ergo ille habet fortitudinem in exequendo iuſtitiam, qui tollit peccatum, primo per inſtructiuum documentum fidelis intelligentiæ, & de hoc poteſt exponi illud: *Gen. 6. d* Tolles tecum de omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt, quoniam omnia ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam: ideo ad hoc vt poſſimus euadere (C) iracundiam generalis iudicij exemplo tollentis omnes eſcas commeſtibiles & licitas, ad cõſeruationẽ corporis, inſtruimur ſpiritualiter tollere ex omnibus verbis ſacræ ſcripturæ, quæ poſſunt iuxta facultatem intelligentiæ eſſe ad conſeruationem, & ſalutem animarum. Secundo quis tollit peccatum per exemplum inflammatiuum charitatis, & beneuolentiæ. Vnde: *Gen. 22. a* Tolle filium tuum quem diligis Iſaac, & offeres illum mihi in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi. Qui enim vult experiri vtrum diligat Deum, vadat ad terram viſionis, id eſt ingrediatur ſecreta conſcientiæ, & ibi videbit quantum diligat (D) Deum. Si enim paratus eſt ad exemplum Abraæ ſuper vnum montium, quem Deus demonſtrat: perfecto ſtatu religionis, vel pœnitentiæ, quem Deus docet inſpirando: offerre quidquid carnale, vel temporale poteſt eum retrahere, & ab amore Dei elongare maxime excludendo a ſe, primo demulcentiam conſanguinitatis, propter quod dicitur: *Mat. 10. a* Tolle filium, quia qui diligit patrem, aut matrem, aut filium, aut fratrẽ, vel quemcumque attinentem ſibi iure propinquitatis ſupra Chriſtum, non eſt eo dignus. Secundo auaritiã proprietatis. Vnde ſubditur tuũ: Quoniam niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt Chri(E)ſti eſſe diſcipulus. Tertio illecebram delectabilitatis. Vnde addit, Quem diligis. Solent iſta tria attrahere, & inclinare hominem ad amorem ſuum, & retrahere ab amore diuino, quæ omnia exemplo Abraæ debet homo ſpiritualis a ſe excludere, vt poſſit acquirere Dei amorem, & amicitiam. Tertio quis tollit peccatum, per auxilium confortatiuum longanimitatis, & patientiæ. Vnde: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: *Mat. 16. d* Qui vult venire poſt me: ecce poſtpoſitio, & ſubiectio voluntatis, & dicere vult, vt libere, & ſine coactione hoc faciat. Abneget ſemetipſum. (F) Ecce captatio libertatis, vt non ſecundum ſeipſum, ſed ſecundum Deum viuat. Et tollat crucem ſuam. Ecce aſſumptio pœnalitatis, & hoc per patientiam. Et ſequatur me. Ecce directio exemplaritatis, qui tamdiu clipeum patientiæ portauit, donec vitam finiuit.

Tertio in verbo propoſito imperat promptitudinẽ motus per acquiſitionem gloriæ, cum adiungit: *vade in domum tuam*. Ille cum promptitudine acquirit gloriam, qui vadit primo humiliter ad deplorandum peccata perpetrata. Secundo indeſinenter ad acquirẽdum æterna munera. Tertio viriliter ad ſuperandum diabolica tentamenta. Primum fit per oris confeſſionem. Secundum per terreneitatis deſpectionem. (A) Tertium per diuinæ virtutis protectionem. Primo valde humiliter ad manifeſtandum perpetrata peccata, & hoc per oris confeſſionem. Vade, & oſtende te *Luc. 6. b* ſacerdoti. In hoc mandato inſtituit Dominus ſacerdotale officium omnibus eſſe reuerendum, & ad curationem peccatorum eſſe neceſſarium. Vnde quamuis Dominus mundet per interiorem contritionem, nihilominus ad ſacerdotale officium legat, cum dicit: Vade, & oſtende te ſacerdoti. Secundo vade indeſinenter ad acquirẽdum æterna munera, & hoc per terreneitatis deſpectionem. Vnde: Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurũ *Mat. 19. c* (B) in cælis. Vade per negligentiæ excluſionem, vende omnia quæ habes, per terrenæ ſubſtantiæ deſpectionẽ. Bernardus: Non commuta, vel conſerua omnia: non partem, & da pauperibus per diuinæ complacẽtiæ acceptationem: non diuitibus: quia tunc Deus non acceptaret: & habebis theſaurum in cælo, per æternæ gloriæ adeptionem. Tertio vade viriliter ad ſuperandum diabolica tentamenta, & hoc per diuinæ virtutis protectionem. Vnde: Vade, & Dominus ſit tecum in vltionem inimicorum, quaſi dicat cum inſurgunt diabolicæ tentationes, & ſuggeſtiones, non metiaris tuas vires, ne intuitu fragilitatis remolleſcas, ſed vade virili(C)ter per virtutum exercitationem: quia tunc Dominus erit tecum tamquam bellator fortis ad auxilium, & protector in vltionem inimicorum tuorum, ideſt dæmonum faciendo cum tentatione prouentum virtutũ, vt poſſis ſuperare. Vnde Gregorius: Niſi miſericors Deus noſtris viribus tentamenta modificet, nullus eſt qui malignorum inſidias vitare poſſit. Rogemus ergo Dominum, &c.

# DOMINICA XIX.

## POST PENTECOSTEM.

### SERMO I.

*Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* *Mat. 22. a* Filio ſuo Domino Ieſu Chriſto nuptias fecit pater cæleſtis, Eccleſiã ipſi deſponſando. Nuptiæ autem cõmẽdabiles ſunt propter ſponſi magnitudinem: propter ſponſæ pulchritudinem: propter filiorum multitudi(E)nem: propter conuiuarum plenitudinem. De primo dicitur hic: *Simile factum eſt regnum,* & cet. *vſque filio.* Ecce quàm magnus eſt ſponſus: quia filius ſummi regis eſt, cui per fidem, & amorem Eccleſia, & fidelis anima deſponſatur. Deſponſabo te mihi. *Oſea. 2. d* Iſtius filij magnitudo deſcribitur: Loquutus eſt nobis in filio *Heb. 1. a* ſuo, quem conſtituit heredem vniuerſorum, per quẽ fecit & ſæcula. Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portansq. omnia verbo virtutis, & purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexterã maieſtatis in excelſis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit, &c. (F) Filius ergo iſte ſponſus eſt Eccleſiæ nobiliſſimus. Vnde dicitur in filio, non in ſeruo, non in angelo, non in homine puro. Item eſt ditiſſimus. Vnde additur: quòd conſtituit heredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. Item ſpecioſiſſimus. Vnde additur, cũ ſit ſplendor, &c. Item fortiſſimus. Vnde dicitur: portansq. omnia verbo. Item honoratiſſimus. Vnde ſequitur: Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis. Item eſt optimus. Vnde additur: Tanto melior angelis, &c. O vere diligendus ſponſus, &c. Auguſtinus: Ipſum ama, ipſi flagra, ipſi inhia, quo iucunderis: nihil inueneris, quo lætius, quo melius, quo diuturnius. Sed quidam tanto ſponſo contempto, nubere parati ſunt diabolo. De quibus require in ſermone. Nuptiæ



*Apoc. 19. b* factæ ſunt, in ſecundo membro. De ſecundo: Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt ei vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido. Byſſus ſplendens & candidiſſima, beatiſſimam & iuſtam conuerſationem ſignificat ſanctorum. Vxor agni eſt Eccleſia Chriſti: cuius pulchritudo non ſolũ ſplendore, ſed etiam membrorum decore conſtat. Tota *Cant. 4. b* pulchra es, &c. Tota certe, quia in viſceribus, & in membris. Vtique in omnibus membris. Nota, quæ ſint omnia membra. *Greg. li. 30. Moral. c. 6. in med.* Oculi ſponſæ ideſt Eccleſiæ ſunt prælati, & prouiſores. Os, aduocati, & doctores. Aures, pœnitentiarij, & confeſſores, vel etiam cauſarum auditores. Naſus ſunt ſapientes bonorum, & (B) malorum diſcretores: per nares enim diſcernuntur odores. Collum ſunt clerici, & cantores. Pectus ſunt nobiles, & potentes. Vbera ſunt conſiliarij, qui heu pro lacte ſaniem habent. Brachia ſunt milites: Manus ſunt operarij, & artifices: Coxæ ſunt famuli, & traditores. Pedes qui portant totum corpus, ſunt ruſtici, & agricultores, quibus membris tota conſtat ſponſa, & pulchra, quia etiam totus pulcher ſponſus. Auguſtinus: *Pſal. 44. a* Ecce totus pulcher ſponſus ille, & ſpecioſus forma præ filijs hominum veniebat ad fædam, vt faceret pulcherrimam. Heu quantum perijt ſponſæ Chriſti pulchritudo: ſic oſtendi poteſt in ſingulis mem(C)bris: *Thren. 1. b* Egreſſus eſt a filia Syon omnis decor eius. Tertium ſignum in nuptijs Aſſueri regis, de quo dicitur: *Eſther. 2. d* Iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus, & ſeruis ſuis pro coniunctione, & nuptijs. Et dedit requiem vniuerſis prouincijs, ac dona largitus eſt ſeruilia, quot conſolationes, & delectationes ſpirituales ſunt in Eccleſia. Per has enim nuptias requies datur in prouincia cæli: Item in prouincia mundi a concuſſione, & vexatione data eſt requies vitiorum bonis. Item in prouincia inferni in liberatis de lymbo. Item in prouincia purgatorij: Etiam in his nuptijs dona dantur Spiritus ſancti. In cruce (D) autem Dominus dedit corpus ſuum tortori, matrem ſuam Ioanni, paradiſum latroni, ſpiritum patri. De quarto dicitur in hoc Euangelio: Congregauit omnes, quos inuenit bonos & malos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Gregorius: Boni nuſquam ſoli ſunt, niſi in cælo: & mali nuſquam niſi in inferno. Hæc autem vita, quæ inter cælum, & infernum ſita eſt, ſicut & in medio ſubſiſtit, ita vtrarumque partium ciues recipit, fide vero informi modo in vita, numero, & non merito ſunt mali in nuptijs Eccleſiæ, Boni a malis in his nuptijs diſcernuntur per humilitatem: *Luc. 14. b* Cum inuitatus fueris ad nuptias, non diſcum(E)bas in primo loco, *et cet.* Item per charitatem. Vnde *Mat. 25. a* de habentibus oleum charitatis dicitur: Quæ autem paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. Item per vitæ ſanctitatem, quæ per veſtem ſignificatur nuptialem.

### SERMO II.

*Mat. 22. a* *Rex autem cum audiſſet iratus eſt: & miſſis ſpeculatoribus ſuis perdidit homicidas illos.* Quoniam bonitati iudicis atteſtatur audito conſilio concitare zelo iuſtitiæ deteſtari (F) eum in corde, & etiam, ſi poſſibilitas adeſt, punire opere: hinc eſt quòd Dominus noſter ad commendationem diuinæ æquitatis hæc tria per ordinem in verbo propoſito inſinuat. Et primum eſt diuinæ iuſtitiæ concitatio. Secundum eſt culpæ deteſtatio. Tertium eſt pœnæ inflictio. Vnde diuina iuſtitia fuit concitata in audacia, culpa deteſtata in affectu, & pœna inflicta in effectu. Primum notatur, cum dicitur: *Rex autem cum audiſſet.* Secundum notatur cum additur: Iratus. Tertium cum adiungitur: *Perdidit homicidas illos.*

Dicit ergo: *Rex cum audiſſet*, vbi notatur concitatio iuſtitiæ per auditum. Tunc diuina iuſtitia concitatur, cum audit, Primo arrogantiam deteſtabilis in(A)obedientiæ. Secundo maleuolentiam impietatis, & ſæuitiæ. Tertio demulcentiam carnalis gulæ. Ratione primi contemnitur Deus. Ratione ſecundi offenditur proximus. Ratione tertij inficitur corpus. Primo concitatur diuina iuſtitia, cum audit arrogantiam deteſtabilis inobedientiæ Dominum contemnentis. Vnde: Audiat Dominus Deus tuus verba Rapſacis, *Iſa. 37. a* quem miſit rex Aſſyriorum Dominus ſuus ad blaſphemandum Deum viuentem, & exprobrandum pro hominibus quos audiuit Dominus Deus. Per Rapſacem miſſum a rege Aſſyriorum ad blaſphemandum Deũ, intelligitur malus Chriſtianus miſſus a diabolica ſug(B)geſtione ad peccandum: ratione cuius blaſphematur Deus. Vnde Beda: Qui tunc cæſus eſt colaphis Iudæorum, nunc cæditur blaſphemijs falſorum Chriſtianorum, & quæ conſputus eſt ſaliuis infidelium, nunc veſanis opprobrijs peccatorum exhonoratur, de hoc ſimiliter dicitur: Audiuimus ſuperbiã Moab: *Iſa. 16. b* ſuperbus eſt valde. Superbia enim & arrogantia, & indignatio eius plus quàm fortitudo eius. Hæc dicit Dominus zelo iuſtitiæ concitatus peccatum eius reprobando. Secundo concitatur Deus cum audit maleuolentiam crudelitatis, & ſæuitiæ opprimentis proximum, & de hoc dicitur in hodierno Euangelio: (C) *Relinqui tenuerunt ſeruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audiſſet iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos.* Reliqui vero non ſolum contempſerũt venire ad fidem, immo tenuerunt ſeruos ſuos, ideſt Apoſtolos capiendo, & incarcerando, & afflictos vexatione innumerabilium tribulationum occiderunt corporaliter. Rex autem cum audiſſet vocem ſanguinis ad ſe clamantis de terra, iratus eſt, ſecundum Gloſſam, in vltionem exarſit, & miſſis exercitibus ſuis Romanis ſub Tito, & Veſpaſiano perdidit homicidas illos, ideſt Iudæos, ſanctos perſequentes, & ciuitates eorum ſuccendit, ſcili(D)cet Ieruſalem. Vnde ſatis apparet eam fuiſſe ex toto ſuccenſam, & funditus deſtructam, cum ſit modo conſtructa extra portam, vbi Chriſtus crucifixus fuit, cum locus crucifixionis Chriſti ſit extra portam ciuitatis. Tertio concitatur Deus, cum audit demulcentiam carnalitatis gulæ inficientis proprium ſubiectũ. Vnde in Pſalmo: Tentauerũt Deum, vt peterent eſcas *Pſal. 77. a* animabus ſuis, & ſequitur: Audiuit Dominus, & diſtulit, & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſrael. Vt paſſi ſunt famem appetierunt eſſe in terra Ægypti ſuper ollas carnium, nec adhuc ſuffecit eis peccare peccato gulæ, concupiſcendo carnalia dele(E)ctamenta Ægypti, immo adhuc appoſuerunt peccare ei peccato diffidentiæ, & blaſphemiæ, male loquendo de Deo, quòd non poſſet parare eis menſam in deſerto. Ideo audiuit Deus vocem & diſplicuit, ſed tamquam miſericors diſtulit diſponens omnia ſuauiter *Sap. 15. a* quouſque eſcæ eſſent in ore ipſorum, vt experirentur nihil impoſſibile eſſe apud Deum, & poſtea iuſte puniuit eos cum ira Dei deſcendit ſuper eos. Vere guloſi, quorum Deus venter eſt, tanto impetu ad cibum beſtialiter feruntur, vt nihil cogitent de Deo: ſed tantummodo, vt poſſint ventrem implere, quorum gloria in confuſione eſt, propter rationis ſubuerſionem.

(F) Secundo in verbo propoſito notatur deteſtatio culpæ in affectu cum ſubdit: *Iratus eſt*. Tria ſunt, quæ *Tria ſunt propterquæ iraſcitur Deus.* deteſtatur Deus, & propter quæ iraſcitur. Primum eſt elatio ſuperbiæ in præeminendo. Secundum eſt negotiatio auaritiæ, in acquirendo. Tertium eſt defædatio luxuriæ, in laſciuiendo. Et hoc dicitur plenius alibi quàm in hodierno Euangelio. *Luc. 14. d* Nam vnus dixit: villam emi. Alius dixit. *Iuga boum emi quinque.* Tertius reſpondit: *Vxorem duxi.* Hoc eſt dictu. Vnus propter ſuperbiam principiandi: Alius propter auaritiam accumulandi. Vnde per iuga boũ intelligitur ſuperflua occupatio quinque ſenſuum circa terrena. Tertius propter luxuriam laſciuiendi prouocauit iram Dei contemnendo venire. Primo iraſcitur

ſcitur Deus propter elationem ſuperbiæ præeminendo. Vnde: *Thren. 2. a* Confregit in ira furoris ſui omne cornu Iſrael. Per cornu intelligitur elatio ſuperbiæ, quæ ſi non humilietur interiori inſpiratione, vel exteriori prædicatione, aliquando Deus in ira furoris ſui ratione effectus cõfringit mortis punitione, ſecundũ quod dicitur: *Exod. 15. a* Miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos, quaſi ſtipulam. Secundo iraſcitur Deus propter negotiationem auaritiæ in acquirendo. Vnde dicitur in canonica Iacobi: *Iac. 5. a* Aurum & argentum veſtrum æruginauit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras, ſicut ignis: Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus. Aurum & argentum male acquiſitum generat æruginem, quando relinquit in anima remorſum conſcientiæ, qui ærugo, & vermis appellatur, eo quòd ad modum vermis mordebit, & colaphizabit: *Iſa. 66. g* Vermis reſeruabitur perpetuo: quia nõ morietur, & ignis pœnæ infernalis, qui numquam extinguetur, deuorabit carnes eorum interius, & exterius. Et merito duplici pœna auari punientur, qui theſaurizauerunt ſibi iram corde concupiſcendo, & opere rapiendo. Tertio iraſcitur propter defœdationem luxuriæ in laſciuiendo. Vnde in Pſalmo: *Pſal. 105. e* Irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis, & multiplicata eſt in eis ruina, & ſequitur: Iratus eſt Dominus C furore in populum ſuum, & abominatus eſt hereditatem ſuam. Iſtæ adinuentiones ſunt viſio, cogitatio, & affectio, quibus committitur peccatum fornicationis in corde, etiam ſi non poſſit explicari ore, ſecundum illud: *Mat. 5. d* Quicumque viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quot ſunt enim corporis ſenſus, tot ſunt ſpiracula, per quæ intrant aquæ concupiſcentiarum ad animam, & niſi ab humore carnalitatis diſcedatur, per mortificationem carnis, & omnis immunditiæ remotionem: Deus adeo in iram prouocatur, vt eam propter fœtorem luxuriæ abominetur.

Tertio in verbo propoſito notatur inflictio pœnæ in effectu, cum ſubinfert: *Perdidit homicidas illos miſſis exercitibus ſuis*, ſcilicet Romanis ſub Tito, & Veſpaſiano imperatoribus perdidit homicidas illos, ſcilicet Iudæos. Vnde per iſtos imperatores Ieruſalem funditus deſtructa, & Iudæi occiſi, & diſperſi, & venditi, triginta pro vno denario: ſicut vendiderunt Chriſtum pro triginta denarijs. Inflixit debite pœnam, & perdidit quemlibet triplici de cauſa. Primo propter deuiationem perfidiæ, ſiue ignorantiæ in diſcernendo. Secundo propter deſperationem veniæ in diffidendo. Tertio propter defectionem patientiæ in ſuſtinendo. Et primum eſt contra veritatem. Secundum contra bonitatem. Tertium contra poteſtatem. Primo perdit Deus aliquem propter deuiationem perfidiæ, ſiue ignorantiæ in diſcernendo. Vnde in epiſtola Iudæ dicitur: *Epiſt. Iudæ.* Primo: Ieſus populum ſuum de terra Ægypti ſaluauit: Secundo eos, qui non crediderunt perdidit: *1. Cor. 10. c* quia omnia contingebant illis in figura, ideo ſecundum exhibitam veritatem dicamus: Ieſus populum ſuum, ſcilicet Chriſtianum ſaluauit configuratione proprij ſanguinis. Ipſe enim verus eſt agnus cuius ſanguinis virtute ſaluantur Chriſtiani, de terra Ægypti, ideſt de ſtatu erroris, & infidelitatis, per aſpectum ſplendoris, & veritatis. Ægyptus enim tenebra interpretatur, & ſignificat ſtatum infidelitatis in quo homo tenebris erroris deprimitur. Item eos qui non crediderunt perdit demergendo eos in profundo inferni per æternam damnationem. Ad confirmationem huius poteſt adduci illud: *Eccls. 6. a* Non te extollas in cogitatu, *et cetera*. Ne forte elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in deſerto. Item perdit Deus aliquem propter deſperationem in diffidendo. Vnde in Pſalmo: *Pſal. 20. c* Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum a filijs hominum, quoniam cogitauerunt in te mala. Illi decli-

A nant mala in Deum, qui deſperantes de diuina miſericordia non credunt quòd poſſint conſequi ſuorum veniam peccatorum, quorum fructum operationis, & laboris Deus perdit. Vnde Iudas merito filius perditionis interpretatur, *Mat. 27. a* quæ diffidens de diuina pietate laqueo ſe ſuſpendit: dicitur etiam ſemen eorum perdi a filijs hominum, eo quòd illud peccatum non eſt inuentum ab homine, ſed a diabolo, qui illud ſeminat in filios. Propter hoc dicit Auguſtinus de anima & ſpiritu, *Aug. lib. 2. de an. & ſp.* nemo de pietate Dei diffidat: quia melior eſt Dei miſericordia, quàm noſtra miſeria. Tertio perdit Deus aliquem propter defectionem pa- B tientiæ in ſuſtinendo. Vnde: *Iob 18. a* Quare reputati ſumus vt iumenta, & ſorduimus coram te: Quid perdis animam tuam in furore tuo? Vere impatiens, & furioſus qui ad quãlibet moleſtiam ſibi illatam vult recalcitrare, & rependere vicem, iumentum & non homo debet reputari, eo quòd non regitur diſcretione rationis: ſed forte beſtiali motu ſenſualitatis, & propter hoc aliquando ſordetur cogitationis malignitate, & iudicij temeritate in corde: Opprobrij conuicioſitate in ore, maleficij crudelitate in opere, & tunc in furore perdit animam ſuam. Rogemus ergo Dominum noſtrum, *et cet.*

## SERMO III.

*AMice quo modo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* *Mat. 22. b* Hæc veſtis eſt optima conuerſatio bonæ vitæ, quæ melius veſtit hominem quàm purpura, vel aurum. Veſtis autem bonæ vitæ neceſſaria eſt ad euadendam gehennæ damnationem, ad repellendam nequitiæ tentationem, ad accipiendam gratiæ benedictionem, ad obtinendã gloriæ exaltationem. Primum patet hic, quia ſine veſte nuptiali nullus damnationem euadit. Damna- D tus eſt autem qui habet veſtem extraneam a ſanctorũ conuerſatione. *Soph. 1. b* Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina. Item qui habet veſtem fœtidam in mala opinione. Vnde præcipitur, *Leuit. 13. g* vt veſtis leproſa flammis comburatur, flammis vtique infernalibus. Item qui veſtem ſanguinolentam in proximorum oppreſſione, & cruentione: *Iaſ. 9. a* Omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis. De his, qui tales veſtes habent, & veſte nuptiali carent, dicitur hic: *Ligatis manibus, & pedibus, et cetera.* Ligabuntur enim in gehenna, qui hic præceptis Dominicis, & puris, & E diſciplinis ligari noluerit, ſicut de dæmoniaco dicitur: *Marc. 5. a* Neque cathenis quiſquã poterat eum ligare. Bene autem dicitur ligatis pedibus & manibus. Gloſſa: etiam ſingula membra pœnis ſubijcientur, quæ hic ſingulis vitijs ſeruierunt. Væ ergo manibus, væ pedibus, væ ſingulis membris a bono vacantibus, & ſolutis. Sed væ magis in malo ſe occupantibus, & ligatis. Gregorius: Quæ non ſponte ligantur in vita, tunc in ſupplicio ligantur inuitè. De ſecundo: *Prou. 31. e* Non timebit domui ſuæ a frigoribus niuis, omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. Mulier fortis Eccleſia eſt, frigus niuis, refrigeratio feruoris ſpiri- F tualis: *Mat. 24. a* Refrigeſcet charitas multorum. Domeſtici ſunt vere fideles: *Eph. 2. d* Iam non eſtis hoſpites, *et cet. vſque* domeſtici Dei. Hi veſtiti ſunt duplicibus, ideſt amore Dei & proximi, vel intus virtutibus extra bonis moribus. Hæ veſtes contra diaboli frigus debent eſſe calidæ per feruorem ſpiritus: *Iob 37. e* Nonne veſtimenta tua ſunt calida cum perflata fuerit terra auſtro. Terra ſcilicet cordis: Auſter eſt ſpiritus ſanctus: *Cant. 4. d* Surge aquilo, & veni auſter, *et cet.* Aquilo eſt diabolus. Frigus vero venti aquilonis, ideſt diabolicæ tentationis euaditur per veſtem feruidæ conuerſationis. Feruor ergo auſtri neceſſarius eſt tuæ veſti. Auguſtinus: Nihil boni poteſt operari illuminatus aliunde, quàm a ſpiritu Dei. De tertio: Statim vt ſenſit veſtimentorum

eius



*Gen. 27. d* eius fragrantiam, benedicens ait: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Odor veſtimentorum eſt fama bonæ vitæ. *Cant. 4. c* Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor turis. Tus maxime redolet in igne: conuerſatio iuſtorum in aduerſitate. Gregorius: Aromata flagrantiam ſuam non niſi cum accenduntur expandunt: ita ſancti viri, qui virtutibus redolent, in tribulatione innoteſcunt. Bene autem fit per gratiã Spiritus ſancti copioſa. *Eph. 1. d* Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali. Qui ergo veſtem bonæ vitæ fragrantem per bonam opinionem habet, benedictionem cæleſtẽ obtinebit. Vnde Pſalmiſta: *Pſal. 23. a* Innocens manibus, *et cetera. vſque* hic accipiet benedictionem a Domino. Sed heu quidam non fragrant, ſed fœtent per infamiam malæ vitæ. *Ioan. 11. e* Ecce iam fœtet. Iſti non benedictionis, ſed maledictionis veſtẽ habent. *Pſal. 108. c* Pſalmiſta: Induit maledictionem ſicut veſtimentum. *Ezec. 16. a* De quarto: Veſtiui te diſcoloribus, ideſt virtutum varietatibus, & calceaui te hyacintho, ideſt cæleſti deſiderio, vel exemplo. Hyacinthus cæleſtis coloris eſt. Cinxi te byſſo, ideſt continentia: Indui te ſubtilibus, ideſt ſpiritualibus moribus, & ornaui te ornamento, ideſt charitate, & dedi armillas in manibus tuis, ideſt miſericordias in operibus, & torquem circa collum tuum, ideſt ſobrietatem in appetitu tuo, & dedi inaurẽ ſuper os tuum, ideſt diſciplinam, & cuſtodiam in verbis tuis, & circulos in auribus tuis, ideſt vires obedientiæ, & coronam decoris, ideſt beatitudinem æternam in capite tuo. Ecce vides quo modo ad hanc coronam gloriæ peruenit ſponſa Dei anima ſancta, & ſic cæli regina ſi fuerit diſcoloribus veſtita. *Pſal. 44. c* Aſtitit regina, *&c. vſque* varietate. Nullus ergo ſine hac veſte cælum intrabit: *Eſth. 4. a* Non enim erat licitum indutum ſacco aulam regis intrare.

## SERMO IV.

*MVlti ſunt vocati, pauci vero electi.* *Mat. 22. b* Vocati temporaliter, electi æternaliter. Sed heu licet pauci ſint electi Dei: tamen electi diaboli ſunt multi. Quadruplex eſt enim electio, videlicet diuina, humana, angelica, diabolica. Eliguntur enim homines a Deo, ab hominibus, ab angelo, a diabolo. De prima, Pſalmiſta: *Pſal. 32. c* Beata gens, *& cet. vſque* in hereditatem ſibi. Populus Chriſtianus electus a Domino in hereditatem. Vnde quicumque Chriſtianam a Deo animam aufert, Deum hereditate ſua ſpoliauit. Hereditate vtique, quam tantum dilexit, quòd pro ea animam ſuam dedit: ſicut ſignificatum eſt. *3. Reg. 21. e* Vbi Naboth pro hereditate vineæ ſuæ mortuus eſt. Vinea eſt Eccleſia. Ad hanc excolendam electi operarij ſunt, ſcilicet Apoſtoli, & doctores, & ſacerdotes. Vnde de operarijs in vineam conductis, dicitur: *Pauci vero electi.* In hac enim vinea ſunt tot palmites, quot in Eccleſia ſunt fideles. In hac vinum eſt compunctionis, cõpaſſionis, & deuotionis, & gratiæ Spiritus ſancti. *Act. 2. b* Muſto pleni ſunt, *&c.* Stultus autem eſſet, qui de ſpinis vinum ſperaret. *Mat. 7. c* Vnde: Numquid colligunt de ſpinis vuas? Spinæ autem ſunt peccatores proximos ſuos odiendo, detrahendo, iniuriando, contriſtando, pungentes, & lacerantes. *2. Reg. 23. a* Præuaricatores quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi, *&c.* Quamdiu non es palmes Chriſti, ſed ſpina diaboli, non potes ferre vuas Spiritus ſancti. De ſecunda: *Act. 6. b* Elegerunt Stephanum virum plenũ fide, & Spiritu ſancto. Ecce quales eſſe debent, qui ad miniſteria eccleſiaſtica eliguntur. Immo in qualibet electione iſtud debent homines attendere, vt conditiones bonas fidem, ſcilicet, & Spiritum ſanctum in eis quærere, quos eligunt, ſiue eligere debent: coniuges in matrimonio, ſiue familiam in domo, ſiue conſules in ciuitate, ſiue iudices in terra, ſiue plebanos in parochijs, ſiue Epiſcopum in diœceſi. Quales autem conditiones in eligendis attendendæ ſint, bene



A exprimitur cum Ietro Moyſi dixit: *Exod. 18. d* Prouide tibi de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderunt auaritiam, *& cet.* & infra: Electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael conſtituit eos Principes. Non ergo elige talem, qui te ducat in ignem, qualis ille fuit, de quo Bernardus ait: Qui tot diſcipulos per ſuam negligentiam ad infernum duxit, reliquis numquid præponi debuit? De tertia: *Mat. 13. f* Elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt. Sicut erit in conſummatione ſæculi. Exibunt angeli, *& cet.* Nota parabolam. Sagena eſt Eccleſia. Piſces ſunt homines, quos doctores capiunt, dum eos cõuer- B ti faciunt. *Mat. 4. c* Faciam vos piſcatores hominum. In littore ſoliditas immortalitatis ſignificatur: *Ioan. 21. a* Mane autem facto, ſtetit Ieſus in littore, *&c.* Non diſcernuntur piſces, neque vipera a murena, neque ſerpens ab anguilla, neque tenca a rana, neque aliquis bonus piſcis a malo, immo neque boni a bonis, neque mali a malis diſcernuntur in aqua, ſed in ſagena tracta ad littus: Sic vtique quamdiu ſagena Eccleſiæ ſub aquis præſentis miſeriæ trahitur, vix inter bonos, & malos, & peiores diſcernere poſſumus. Sed poſtquam ad littus immortalitatis in die iudicij peruentum fuerit, diſcernentur. Auguſtinus: Cum venerit Dominus. Require ſupra C in ſermone, Iam parata. *Pag. 160.* Tunc boni ab angelis eliguntur in vaſa in diuerſas manſiones ſecundum diuerſitates meritorum. *Ioan. 14. a* In domo patris, *&c.* De quarta: *Abac. 1. d* Incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus. Propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere genus non ceſſat. Sicut Deus, & angeli eligunt mũdos, & diaboli eligunt immundos. Vnde ſerpentes, & alia venenata, ideſt peccatores, ſunt cibus eis electus. Nunc ergo electos ſuos deuorant in culpa, vt ſecum mergantur in gehenna. *Exo. 15. a* Principes eius ſubmerſi ſunt, *&c.* Qui ſunt diaboli principes, niſi qui in ſceleribus ſunt principales? Tales in mari gehennæ ſubmer- D guntur, ſicut porci, qui luxurioſos ſignificant. *Mat. 8. d* Abijt totus grex per præceps in mare, *&c.* & mortui ſunt in aquis. Sicut ergo gluto porcos pinguiores, & piſces maiores eligere ſcit ad deuorandum, ſic & diabolus. Ambroſius: Sic amat diabolus famulum ſuum vt perdat, ſicut amat gluto porcellum, vt comedat.

# DOMINICA XX. POST PENTECOSTEM

## SERMO I.

*ERat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* *Ioan. 4. f* Secundum ſeptem vitia capitalia, ſeptem ſunt infirmitates animarum. Prima ergo eſt infirmitas ſuperbiæ. *Iſa. 34. a* Infirmata eſt altitudo populi terræ. Altitudo eſt alta mens ſuperba, quæ quanto in ſe eſt altior, tanto eſt a Deo in ſe elongatior, & depreſſior. Vnde Auguſtinus: *Aug. in Pſ. 137. to. 8.* Humilia te proximo: F Dominus enim humilia reſpicit, vt attollat: & alta, ideſt ſuperba a longe cognoſcit, vt deprimat. *Iac. 4. b* Deus ſuperbis reſiſtit, *et cet.* Secunda eſt inuidia: Vnde de Ioran rege, *2. Par. 21. d* qui interfecit fratres ſuos, mortuus eſt in infirmitate peſſima. Ecce quicumque perſecutor eſt fratrum, & proximorum ſuorum, per peſſimam inuidiæ infirmitatem incurrit mortem æternam. Bene autem dicitur peſſima. Mala enim eſt de bono proximi dolendo, peior de malo eius gaudendo: peſſima in vtroque ei nocendo, videlicet impediendo, vel malum inferendo, ſicut Ioran fratribus, & Caym Abel. *Gen. 4. b* Hæc peſſima, infirmitas multum conſumit hominem. Iſidorus: Inuidia, merita bona ardore peſtifero deuorat. Inuidia animæ tinea ſenſum comedit, pectus vrit,



men-

A mentem inficit, cor hominis quaſi quædam peſtis depaſcit. Hanc peſſimam infirmitatem ſequitur peſſima mors. *Pſal.33. d* Pſalmiſta: Mors peccatorum peſſima. Tertia eſt iræ. *2. Mach.9. f* Vnde Antiochus: Ignem ſpirans animo in Iudæos tam fœdo morbo vexatus eſt, vt de corpore impij vermes ſcaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent: odore etiam illius, & fœtore exercitus grauaretur. Ecce hic ſignificatur, quòd qui ignẽ iracundiæ ſpirant in alios, grauiter in animabus infirmantur. Vermes autem agitationes, & motus, & amaritudines iræ. Fœtor etiam morum iracundorũ grauis eſt illis: *Prou.27.a* Graue eſt ſaxum, & oneroſa arena, ſed ira ſtulti vtroque grauior eſt, *et cet.* B Quarta eſt auaritiæ. *Eccls.5. c* Eſt & alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole, diuitiæ conſeruatæ in malum Domini ſui, *et cet.* Vere peſſima, mala quidem eis, a quibus mala lucrantur: peior eis, pro quibus lucrantur, ſcilicet heredibus: peſſima ſibijpſis, qui male lucrantur. Seneca: Deſunt inopiæ multa, auaritiæ omnia. In nullum auarus bonus eſt, in ſe peſſimus. Infirmitas auarorum eſt hydropiſis cordium, quanto plus bibunt acquirendo, tanto plus ſitiunt appetendo. Quinta eſt acidiæ: *Eccls.10.d* In pigritijs humiliabitur contignatio. Interlinearis, ideſt ædificium virtutum, & infirmitate manuũ, id eſt operum perſtillabit domus, ſcilicet mentis. C Vides ergo quòd per infirmitatem pigritiæ, & acidiæ ſtillæ cogitationum, & deſideriorum malorum, & tentationum cadunt in domum mentis: & ideo tales in propria domo quieſcere neſciunt. Auguſtinus: Quo modo quiſque a ſtillicidio exit de domo ſua aut fumo: ſic qui non habent quietum cor, habitare in corde ſuo libenter non poſſunt. Contra hanc infirmitatem datur conſilium: *Eccli.31. c* In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi. *Idem.38.d* Sexta eſt gulæ: In multis eſcis erit infirmitas, *et cet.* Non ſolum corporalis, ſed etiam ſpiritualis. Quid autem mirum ſi ex multis D eſcis gulæ infirmetur anima, cum etiam ex vna eſca Adæ totus mundus infirmetur? Si ſic pro gula vnius horæ infirmatus eſt mundus, quid erit de gula triginta vel quadraginta annorum quotidiana? *Luc.16. e* Epulabatur quotidie ſplendide. Sanari autem debet per ieiuniũ qui infirmatur per cibum. Gregorius: Qui a paradiſi gaudijs per cibum cecidimus, quantum poſſumus per abſtinentiam reſurgamus. Ne habeant hanc infirmitatem, attendant guloſi ebrioſi, cibum & potum Chriſti. *Pſal.68. c* Pſalmiſta: Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti, *etc.* *Iſa.40. g* Septima luxuriæ: Iuuenes in infirmitate ſua cadent. Infirmitas iuuenũ eſt luxuria. Sed heu etiã ad E ſenes peruenit. Exemplũ de duobus ſenibus eſt in Daniele, *Dan.13. c* quæ infirmitas eſt ſenibus inſania. Seneca: Adoleſcens luxurioſus peccat: ſenex luxurioſus inſanit. Qui hanc infirmitatem volunt euadere, fugiant funes Dalilæ. *Iud.16. b* De quibus: Si ſeptem neruiceis funibus ligatus fuero, infirmus ero. Ligatur homo per luxurioſum viſum, per verbũ, per tactum, per internunciũ, per conſenſum, per actum, per vſum tamquam ſeptem funibus. Vel ſeptem funes ſunt ſeptem vitia capitalia prædicta. Iſtæ ſunt ſeptem infirmitates: omnes ad mortem ſunt, etiam mortem æternam inducunt.

F

## SERMO II.

*Ioan.4. g*

D*Omine deſcende priuſquam moriatur filius meus.* In iſto Euangelio iſte regulus gerens formam prælati, ex cuius regiminis defectione, filius, ideſt ſubditus eius infirmatur: oſtenditur in verbo propoſito ordinate proceſſiſſe, eo quòd in verbo præmiſſo, Primo præmittitur affectuoſa inuocatio excellentis magnificentiæ, cum dicitur: *Domine.* Secundo additur diſcreta inſinuatio imminentis indigentiæ, cum ſubditur: *Priuſquam moriatur filius meus.* Tertio ſubiungitur deuota petitio auxiliãtis miſericordiæ, cum ſubinfertur: *Deſcende.* In primo A captat beneuolentiam. In ſecundo manifeſtat indigentiam. In tertio implorat miſericordiam. Dicit ergo: *Domine*, vbi commendat virtutis excellentiam, & magnificentiam. Iſta autem excellens virtus, & magnificentia, quæ in hoc vocabulo: *Domine*, importatur, poteſt apparere triplici ratione. Primo ratione inſuperabilis potentiæ, in præualendo. Secundo ratione inſcrutabilis ſapientiæ, in cognoſcendo. Tertio ratione indicibilis miſericordiæ, in parcendo. Vt propter potentiæ magnificentiam reddatur terribilis inimicis: propter ſapientiæ luculentiam honorabilis domeſticis & amicis: propter miſericordiæ clementiam deſiderabilis miſeris, & egenis. B Primo iſtam excellentiam Domini manifeſtauit virtuoſitas inſuperabilis potentiæ in præualendo, & de hoc dicitur: *Eſd.13. e* Domine in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati. Et ratio eſt: quia ſic diuinæ voluntati omnis virtus famulatur, vt & ex his quæ ſibi videntur contraria, diuinus honor eliciatur, quamuis a malis, & peccatoribus hoc non intendatur. Propter hoc dicebat Pſalmus: *Pſal.85. b* Non eſt ſimilis tui in fortibus Domine, & non eſt ſecundum opera tua. Omnes gentes quaſcumque feciſti venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum in æternum. C Secundo iſtam magnificentiam Domini manifeſtat profunditas ſapientiæ inſcrutabilis in cognoſcendo. Vnde Pſalmus: *Pſal.138.a* Et tu Domine cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua, tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam: mirabilis facta eſt ſciẽtia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam, quaſi dicat: Pro certo tu Domine habes perfectam ſcientiam: & non potes falli in cognoſcendo, eo quòd cognouiſti omnia nouiſſima reſpectu futurorum, & antiqua reſpectu præteritorum, cuius dictamine formaſti me, vt eſſem quantum ad corpus, & ſpiritum: poſuiſti ſuper me manum tuam me confortando, ne redirem in nihilum. D Vnde Gregorius: Cuncta in nihilum redirent niſi diuina potentia ea manu teneret. Et quia iſta multiformis ſapientia Dei qua congeſſit præterita, præſentia, & futura, ſecundum cuius dictamen homo formatur, regitur, & gubernatur, non eſt curioſe ſcrutanda, ſed humiliter admiranda, ideo ſequitur: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, & non potero ad eam. Tertio iſtum Dominum magnificum magnificat pietas indicibilis miſericordiæ in parcendo. Vnde Pſalmus: *Pſal.102.b* Miſerator, & miſericors Dominus, longanimis, & multũ miſericors. Dominus propter benignitatem clementiæ, eſt miſerator in parcendo faciliter, & ideo non timeas E ſeueritatem iuſtitiæ proferentis ſententiam. Vnde Gregorius: Nouit Dominus mutare ſententiam, ſi noueris emendare delicta: & miſericors in obliuiſcendo totaliter, & non timeas immenſitatem ſapientiæ aggrauantis culpam: longanimis in expectando patienter, & ideo ſi diu fuiſti in peccato non timeas iudicij ſeueritatem inferentis pœnam: multum miſericors in ſuſcipiendo clementer, & ideo non timeas altitudinem maieſtatis. Vnde Auguſtinus ſuper illud: Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: *Luc.15. d* Pater peccaui in cælum, & coram te, *et cet.* Quemcumque neceſſitas contingat peccatorem ad pœnitentiam, F non peccati quantitas, nec vitæ enormitas, nec hominis extremitas, excludit a venia, ſi perfecta fuerit mutatio voluntatis: ſed in ampliſſimos ſinus charitatis, miſericordia filios ſuos ſuſcipit reuertentes.

Sequitur. *Priuſquam moriatur filius meus*: Vbi ſecundo oſtendit neceſſitatis indigentiam, & neceſſitatẽ mortis, quam incurrit homo propter tria. Primo propter debilitatem potentiæ ſuccumbentis. Secundo propter cæcitatem ignorantiæ deuiantis. Tertio propter pœnalitatem miſeriæ opprimentis. Primo incurrit homo neceſſitatem mortis propter debilitatem potentiæ ſuccumbentis. Vnde: Rogate Dominũ Deũ veſtrum, vt auferat iſtam mortem a me. Sicut Pharao cognoſcens experimentaliter non poſſe reſiſtere tribulatio-



bulationibus a Deo ſibi illatis, propter fragilitatis humanæ debilitatem: A ſed totaliter ſuccumbere recurrit ad implorãdum ſuffragium Moyſi, & Aaron per orationem, ne incurreret mortem corporalem. Ita quilibet tribulatus, & afflictus videns ſe experimentaliter ſuccumbere, nec poſſe tribulationibus reſiſtere, non debet intuitu fragilitatis remoleſcere, nec in ſuſtinendo vires ſuas metiri, & deſperare, ſed humiliter per orationem, & ſuffragia amicorum ſe conuertere, & præſertim Virginis beatæ. Vnde Bernardus in hom. Quiſquis te conſpicis in huius ſæculi profluuio magis inter procellas, & tentationes fluere, quàm ſuper terram ambulare, reſpice ſtellam, voca Mariam. B Si iactamine ſuperbiæ, faſtus, ſiue auaritia, aut carnis illecebra nauiculam mentis concuſſerit, reſpice ſtellam, voca Mariam. Si criminũ immanitate turbaris, vel conſcientiæ fœditate confuſus baratro deſperationis incipias abſorberi, reſpice ad Mariam: quia ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia peruenis. Secundo incurrit homo neceſſitatem mortis propter cæcitatem ignorãtiæ deuiantis. *Pſal.106.b* Vnde in Pſalmo: Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſque ad portas mortis. Sicut quando homo abominatur omnem cibum, vt non valeat comedere, de C proximo imminet ſibi mors, niſi per remedium medicinale adiuuetur: ſic anima quando abominatur cæleſtem eſcam diuini verbi præ nimia delectatione peccati, ita abſorbetur, & obcæcatur, vt tamquam infirma appropinquet vſque ad portas mortis æternæ, niſi virtute diuini verbi ſanetur, & dulcedine reficiatur, & eius lumine dirigatur, vt poſſit diſcernere bonum a malo, inter ſtatum culpæ & gratiæ, & differentiam mortis & vitæ. Tertio incurrit homo neceſſitatem mortis, propter pœnalitatem miſeriæ opprimentis: *Rom.7. d* Infelix ego homo quis liberabit me de corpore mortis huius? D gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Loquitur Apoſtolus in perſona generis humani, & vocat vitam temporalem, in qua opprimitur homo multiplici pœnalitate miſeriæ: quia ſecundum beatum Gregorium in homil. *Greg. hom. 27. in Euã.* Temporalis vita, æternæ comparata mors eſt potius dicenda, quàm vita. Ipſe enim quotidianus defectus corruptionis, quid eſt aliud quam quædam prolixitas mortis? Ab hac enim pœnali vita dicit ſe liberari per gratiam Chriſti in generali reſurrectione.

Sequitur: *Deſcende*, Vbi tertio implorat pietatis E miſericordiam. Igitur Deus propter miſericordiam pietatis deſcendit. Primo in carne, vt virtus potentiſſima ad roborandum. Secundo in mente, vt lux refulgentiſſima ad illuminandum. Tertio ad iudicium, vt ſalus affluentiſſima ad glorificandum. Primum eſt contra debilitatem impotentiæ. Secundum eſt contra cæcitatem ignorantiæ. Tertium eſt contra pœnalitatem miſeriæ. Primo deſcendit in carne, vt virtus potentiſſima ad roborandum. *Exod.3. b* Vnde dicitur: Deſcendi in Ægyptum, vt liberarem populum meum de manu Ægyptiorum. Tunc deſcendit in Ægyptum, quando pœnalitatem miſeriæ aſſumpſit, vt patienter ſuſtinendo mala pœnæ in nobis deleret mala culpæ, & tradenF do ſe manibus Iudæorũ nos liberaret de manu Ægyptiorum, ideſt dæmoniorũ: & in ſuſcipiendo mortem temporalem, deſtrueret mortem æternalem. Secundo deſcendit Dominus in mentem, vt lux refulgentiſſima ad illuminandum. *Iſa.64. a* Et de hoc dicitur: Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes: a facie tua montes defluxerunt: petijt Dauid cælos inclinari, & montes tangi, cum dicit Pſalmus: *Pſal.143.b* Inclina cælos tuos, & deſcende, tange montes, & fumigabunt. Sed Iſaias petijt cælos diſrumpi, & a facie Chriſti ſuperbos deflui, & tamen vterque Domini deſcenſum deſiderabat. Deſcendere enim Deum, non eſt diuina ſimilitudine degradari, ſed humanam naturam exaltari.



A Vnde Deus tunc cælos, ideſt cæleſtes Angelos inclinauit, cum naturam humanam ſibi copulatam ſuper ipſos ſublimauit. Montes vero tetigit dum carnem habentem defectus humanæ naturæ aſſumpſit a Patriarchis & regibus, qui ratione ſanctitatis, & dignitatis montium nomine intelliguntur. Vnde ſecundũ philoſophum. Illa ſe tangunt, quorum vltima ſunt ſimul, ſcilicet cælos diſrupit cum obſtaculum, quo prohibebatur genus humanum intrare cælum renouauit. A facie tua, cæleſti proprietate diuini fulgoris inſignita, montes, ideſt ſuperbi defluent, ideſt deſerent ſuperbiæ altitudinem, & ſequentur humanitatis B aſſumptæ humilitatem. Vnde Hieronymus in quadam epiſtola: Niſi Chriſtus demonſtraſſet in vultu, oculiſq. aliquod diuinum, numquam ſtatim ſecuti eum diſcipuli fuiſſent, nec ad comprehendendum corruiſſent. De hoc ſimiliter poteſt exponi illud: *Exo.19. e* Totus mons Synai fumigabat, eo quòd deſcendit Dominus ſuper eum tamquam ignis. Mons Syna eſt quilibet bonus ſeruus Chriſti, qui debet totus fumigare interius per doloroſam cordis compunctionem, & exterius per lacrymoſam oris confeſſionem, merito ſuorum peccatorum, cum deſcendit Dominus ſuper eum, tamquam ignis ad illuminan- C dum per ſplendorem veritatis, & ad inflammandum per ardorem charitatis. Tertio deſcendit Dominus ad iudicium, vt ſalus affluentiſſima ad glorificandum. De hoc dicitur: *1.Theſ.4.d* Ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendit de cælo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Iuſſus & vox Archangeli, & tuba Dei, nihil aliud eſt quàm vox filij Dei, ſecundum Magiſtrum, *Mag. lib.4. ſent. d.43.* ſed nunc iuſſus, nunc vox Archangeli, nunc tuba Dei, vocatur vox Chriſti propter diuerſas proprietates, quæ in iſtis tribus vocabulis reperiuntur. Nam vox Chriſti in die iudicij erit virtuoſa poteſtate, & ideo dicitur Iuſſus, quaſi D præceptum: dicet tibi, & in continenti fiet. Authentica auctoritate, & ideo dicitur vox Archangeli, ideſt principis, erit nihilominus ſonoroſa horribilitate, & ideo tuba Dei nuncupatur. Et ſic illud multiplici vocabulo exprimitur ad inſinuandum illius vocis multiplicem proprietatem, & dignitatem. Rogemus.

## SERMO III.

H*Ora ſeptima reliquit eum febris.* *Ioan.4. g* Vtinam febris æſtuantium vitiorum relinqueret te miſerum peccatorem, ſaltem decima, E vel vndecima hora, vt per ipſam non incurreres mortẽ æternam. Cõſiderandum autem quòd eſt hora conuerſionis peccatorũ, operationis mandatorum, paſſionis aduerſorum, deuotionis deſideriorum. De prima: *Rom.13. c* Hora eſt nos iam de ſomno ſurgere, ſcilicet de ſomno torporis, & negligentiæ ſurgere. Somnus iſte ſignificat mortem animæ: *Epheſ.5. c* Surge qui dormis, & exurge a mortuis, *et cet.* Nonne potius videntur mortui quàm dormientes, qui nullo ſtrepitu ad bonum poſſint excitari? Vnde de illo verbo: *Soph.1. d* Dies illa dies iræ, *et cetera.* Ambroſius ſic ait: Qui non expergiſcitur, qui non tremit ad F tantum tonitruum, non dormit, ſed mortuus eſt. Iſte infelix ſomnus per vinum terrenæ delectationis, diuinæ comminationis non aduertit tonitruum, & per ipſum veſte bonæ vitæ dormiens denudatur: ſicut ſignificatum eſt in Noe, *Gen.9.d* qui vino inebriatus, dormiens denudatus eſt. De hoc vino dicitur: *Epheſ.5. d* Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Væ eis, qui veſte bonæ vitæ nudantur: *Mat.22.b* Amice quo modo huc intraſti, *et cet.* De ſecunda: *Idem.20.a* Egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos, *et cetera.* In hac parabola de vinea ſicut dicitur de horis operantium, videlicet de prima, de tertia, de ſexta, de nona, vndecima. In quibus ætates humanæ vitæ figurantur ſecundum Gregorium, videlicet pueritia, adoleſcentia, virilis

ætas, ſenectus, decrepita ætas. In quibus horis om-
nibus Chriſtus paratus eſt recipere operarios in vineã
Eccleſiæ, vel in vineam religionis, vel in vineam pro-
prij cordis, vt ibi creſcat vinum compunctionis, &
Act. 2. b deuotionis, & gratiæ Spiritus ſancti. Muſto pleni
ſunt. Horæ ergo operandi non te miſer homo tran-
ſeant. Attende denarium, attende fideliſſimum ope-
ris tui remuneratorem, attende ſtrictiſſimum hora-
rum monitorem, operum omnium tuorum computa-
torem. Bernardus: Sede, computa quid diebus ſin-
gulis valeas acquirere, certus quidem apud Deum
nullum bonum irremuneratum, & ſicut nec capillum
de capite, ſic non momentum de tempore periturum.
Ioan. 16. a De tertia: Venit hora quòd omnis, qui interficit vos,
*et cet.* In hac hora homo debet eſſe patiens, & con-
1. Cor. 4. c ſtans ſicut Apoſtolus: Vſque in hãc horam & ſitimus,
& nudi ſumus, & colaphis cædimur, *et cet.* Non ſo-
lum autem ab homine, ſed a diabolo colaphizantur
2. Cor. 12. b iuſti: Datus eſt mihi ſtimulus carnis, qui me colaphi-
zet, *et cet.* In hora tribulationis ſemper opponendum
Mat. 26. d eſt ſcutum orationis exemplo Chriſti: Orabat, vt ſi
fieri poſſet, tranſiret ab eo hora. Semper reſpice ſpe-
culum tuum, reſpice & præmium tuum. Bernardus:
Vtrumque mihi es Domine, & ſpeculum patiendi,
& præmium patiendi. Vtrumque fortiter prouocat,
Act. 3. a ac vehementer accendit. De quarta: Petrus & Ioan-
nes aſcendebant in templum ad horam orationis no-
nam, *et cet.* Sed quia parum valet oratio, niſi ſit intus
Luc. 1. a deuotio, ideo dicitur de hac: Sorte exijt, vt incen-
ſum poneret ingreſſus in templum Domini, & omnis
multitudo properat orans foris hora incenſi, popu-
lus extra orabat, & Zacharias intus incenſum pone-
bat. Ita enim debet eſſe vocalis oratio, vt intus incen-
datur mentalis deuotio, ne improperet Dominus no-
Iſa. 29. d bis illud: Labijs ſuis glorificat me, cor autem eius
longe eſt a me. Dicitur ergo hora ſeptima, *et cet.* in
qua ſignificatur hora conuerſionis. Qui enim con-
uertitur a languore procuratur. Item hora fatigatio-
Ioan. 14. a nis Chriſti: Ieſus autem fatigatus ex itinere, ſedit
deſuper fontem, hora autem erat quaſi ſexta, & hic
ſignificatur hora operationis, per quam homines ſæ-
pe fatigantur. Vtinam ſuper fontem recreentur. Item
Ioan. 19. c hora paſſionis: Erat autem paraſceue hora quaſi ſex-
Idem 1. f ta. Item commanſionis: Venerunt & viderunt vbi
maneret, & manſerunt ibi die illa, hora autem quaſi
decima. Item hic ſignatur hora deuotionis, & con-
templationis, quæ in Ieſu, vel mente manemus. Bene
autem in omnibus prædictis horæ numeratæ ponun-
tur, vt ſcias quòd & conuerſionum, & actionum, &
paſſionum, & deuotionum noſtrarum, omnes horæ
diligenter apud Deum computantur. Igitur nulla
momenta temporis per annum tranſeunt ſine ſtatu
retributionis.

# DOMINICA XXI.

## POST PENTECOSTEM.

### SERMO I.

Mat. 18. d SErue nequam, omne debitum dimiſi
*tibi*, & cetera. In his verbis tria
oſtenduntur, videlicet humanæ ex-
actionis iniquitas, diuinæ digna-
tionis liberalitas, intentæ oratio-
nis vtilitas. Primum oſtenditur,
cum dicitur: *Serue nequam.* Tri-
plicem autem nequitiam reprehendit Dominus in
Euang. Primo enim homo nequam eſt contra ſemet-
ipſum, ſcilicet male viuendo, & ſic animam ſuam
Mat. 13. e damnando: Zizania autem ſunt filij nequam. Ziza-
nia ſunt omnes, qui in agro Eccleſiæ carent fructu
bonæ vitæ. In hoc certe nequam facti ſunt in ſemetip-
A ſis: Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit? Secun- Eccli. 14. a
do nequam eſt contra proximum, ipſum perſequen-
do. De hoc dicitur hic: *Serue nequam*, & cet. Peri-
culum huius nequitiæ patet in hoc Euangelio præſen-
ti. Regis enim, ideſt Chriſti grauiſſimam offenſam
dicitur incurriſſe, qui proximo ſuo noluit parcere.
Auguſtinus: Non poterat habere concordiam cum
Chriſto, qui diſcors voluit eſſe cum proximo. Tertio
homo nequam eſt contra Deum, eius iudicia, vel fa-
cta reprehendendo: ſicut ille, cui dicitur: An oculus Mat. 20. b
tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? O quot adhuc
hodie, nunc bonitatem Dei, nunc veritatem, nunc
B ſeueritatem reprehendunt, contra quod dicitur: Nec Sap. 3. c
cogitauit aduerſus Deum nequiſſima. Nequam enim
eſt cogitatio hominis contra ſeipſum, nequior contra
proximum, nequiſſima contra Deum: neque mirum.
Tales enim nequiſſimum habent patrem, de quo: Poſ- Ephes. 6. c
ſitis omnia tela nequiſſimi ignea, *et cet.* Quid ergo
mirum, ſi nequiſſimi dæmones nequiſſimos habent
filios? Nequiſſimi filij eorum, *et cet.* Secundo oſten- Sap. 3. c
ditur diuina liberalitas, cum ſubiungitur: *Omne debi-
tum dimiſi tibi.* Mira liberalitas, non partem ſed to-
tum: non centum, non mille, ſed decem millia talen-
ta, ideſt innumerabiles reatus contra decem præce-
C pta contractos, tam faciliter dimittit petenti. Ait
enim: *Omne debitum*, & cet. Sed attende homo debi-
tum tuum in mundo, in inferno, in cælo. Primum
eſt debitum iniquitatis, quod ſoluitur pœnitendo,
orando, ignoſcendo. Vnde quotidie clamamus: Di- Mat. 6. b
mitte nobis debita noſtra, *et cet.* Iſidorus: Fruſtra ſibi
propitiari Deum quærit, qui cito placari in proximũ
negligit. Secundum eſt debitum æternæ calamitatis,
quod redditur luendo, & patiendo æternaliter in ge-
henna. Vnde in præſenti Euangelio dicitur: Iratus
Dominus eius, tradidit eum tortoribus quoadusque
redderet vniuerſum debitum. Tertium eſt debitum
D charitatis: Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicẽ Rom. 13. b
diligatis. Hoc redditur pleniſſime in cælo, vbi tu di- Deut. 6. a
liges Dominum Deum tuum, *et cet.* proximum tuum Mat. 22. d
ſicut teipſum. In præſenti vita hoc debitum reddere
incipiamus, opera charitatis pietatis exercendo: De- Eccli. 4. a
clina pauperi aurem ſine triſtitia, & redde debitum
tuum. Nota ergo quòd primum debitum dimittitur,
ſecundum ſoluitur, tertium vero quanto plus reddi-
tur, tanto minus dimittitur, ſiue enim reddatur debi-
tum, charitas numquam dimittitur etiam in damna-
tis. Tertio oſtenditur orationis vtilitas, cum dicitur:
Quoniam rogaſti me. Vtilitas tibi videtur rogatio,
E per quam decem talenta, immo decem denarios poſ-
ſes obtinere, quanto vtilius ergo rogat ille cui decem
millia talenta condonantur? In rogando autem, ſiue
orando tria attendere debes. Primo loci, & temporis
opportunitatem, vt nunc in mundo, & in hac vita ro-
ges, non in inferno poſt hanc vitam: ſicut ille damna-
tus, de quo: Rogo te pater, vt mittas eum in domũ Luc. 16. f
patris mei, *& cet.* Ecce inutiliter pro fratribus rogat
in inferno, qui vtilius rogaſſet pro ſeipſo in mundo.
Secundo attendas mediatorum idoneitatem. In ro-
gando enim debes habere bonos mediatores: Lega- Luc. 14. g
tionem mittens, rogat ea, quæ pacis ſunt. Legati no-
F ſtri ad cælum ſunt lacrymæ, eleemoſynæ, orationes,
bona opera. Gregorius: Relinquit omnia, qui po-
teſt, qui autem non poteſt, cum adhuc rex non longe
eſt, legatos mittat, lacrymarum, eleemoſyna-
rum hoſtiarum munera afferat. Tertio vti-
litatem attende, de qua hic dicitur:
*Omne debitum dimiſi tibi*, & cet.
Hoc ergo verbo Dominus
nos incitat ad rogan-
dum. Gregorius:
Vult placari
precibus,
qui ſcit quòd portari non
poſſit iratus.

SER-



### SERMO II.

Mat. 18. d SErue nequam, omne debitum, & cet. Quat-
tuor malos ſeruos damnat Dominus in
Euangelio, videlicet ſeruum iuſſa Domini-
ca ſpernentem, terrena debita extorquen-
tem, ſpiritualia lucra negligentem, carnalia deſideria
exquirentem. In primo inobedientia, in ſecundo in-
uidia, in tertio negligentia, in quarto concupiſcentia
Luc. 12. f damnatur. De primo: Ille autem ſeruus, qui cogno-
uit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparauit, &
non fecit ſecundum voluntatem eius, plagis vapula-
bit multis. Voluntas Dei noſtri eſt, vt mandata eius
1. Theſ. 4. a faciamus, & ſancte viuamus: Hæc eſt voluntas Dei,
ſanctificatio veſtra. Qui hanc non facit, plagis multis
in mundo, multis in iudicio, multis in inferno vapu-
labit. Multis vtique plagis in mundo vapulabunt non
ſolum ab hominibus ipſum diuino iudicio affligenti-
2. Mac. 3. e bus, ſed etiam ab angelis: ſicut Heliodorus a duobus
iuuenibus mirabiliter apparentibus plagatus eſt, de
quo: Ex vtraque parte flagellabunt ſine intermiſſio-
ne, multis plagis verberantes. Item & multis plagis a
Leuit. 26. e Chriſto in iudicio: Corripiam vos ſeptem plagis pro-
pter peccata veſtra. Septem plagis corripiuntur, qui
ſex increpationibus pro ſex operibus miſericordiæ
omiſſis, & ſententia dãnationis feriuntur. Item mul-
tis plagis in inferno a dæmonibus. Vnde hic dicitur:
Plagis vapulabit multis. Si penſares plagas æternas,
leuiter pro peccatis ferres plagas tranſitorias. Grego-
rius: Intende animo quaſcumque ſæculi pœnas, quoſ-
cumque tormentorum dolores, quaſcumque dolorũ
acerbitates, compara hoc totum gehennæ, & leue
erit omne, quod pateris. De ſecundo dicitur hic. *Ser-
ue nequam*, & cet. Ecce patet quàm periculoſum ſit
nolle ignoſcere proximo. Per hoc enim gehenna ac-
quiritur, ſicut hic patet. Item gratia impeditur. Vn-
Mat. 5. d de: Si offers munus tuum ad altare, *et cet.* Gloſſa:
Prius charitatem proximo exoluat, qui munus ſuum
Deo placere optat. Vides ergo quòd munera operum
tuorum non ſunt acceptabilia Deo, quamdiu non re-
conciliaris proximo. Item Eccleſia ſcinditur, quæ eſt
tunica Domini inconſutilis. Vnde rancoroſi peiores
Ioan. 19. d videntur crucifixoribus, qui dixerunt: Non ſcinda-
mus eam, *et cet.* Immo non ſolum tunicam, ſed etiam
membra corporis Chriſti ſcindunt, quod crucifixo-
res non fecerunt. Vides ergo quàm periculoſum ſit
odium fratrum. Vnde Iſidorus: Odium a regno Dei
ſeparat, a cælo ſubtrahit, a paradiſo eijcit te in tene-
Mat. 25. d bras exteriores. De tertio: Serue male & piger, ſcie-
bas quia meto, vbi non ſemino, *vſque ibi.* In tene-
bras exteriores. Hoc dicitur de ſeruo, qui cum pecu-
nia Domini ſui nihil lucratus eſt. Ecce quàm pericu-
loſum ſit de bonis a Deo acceptis, videlicet de gratia,
de ſcientia, de potentia, de tempore, bonorum ope-
rum lucra non augere. Damnatur enim qui non fa-
cit fructum de tribus bonis, videlicet de bonis ſpiri-
tualibus, quod hic per pecuniam ſignificatur. Item
Mat. 7. c de naturalibus: Omnis arbor, quæ non facit fructum,
*et cet.* Arbor enim ex natura ſua fructum facit, non
tamen ſine ſolis beneficio; ſic fructus meritorum ex
bonis naturalibus non ſine dono gratiæ facimus. Item
Mat. 25. d de temporalibus: Eſuriui, *et cet.* Male ergo ſua tem-
poralia acceperunt, qui pro temporalibus damnari
meruerunt. Auguſtinus: Dat Deus iſta temporalia
quibuſdam bona eorum, ſecundum altitudinem, &
Mat. 24. d profunditatem conſiliorum ſuorum. De quarto: Si
dixerit malus ille ſeruus in corde ſuo, moram facit
Dominus meus venire, & cœperit percutere conſer-
uos ſuos: manducet autem, & bibat cum ebrioſis, ve-
niet Dominus ſerui illius die illa, qua non ſperat, &
hora, qua ignorat, & diuidet eum, partemq. eius cũ
hypocritis ponet. Ecce quia non ſolum ebrioſum eſ-
ſe, ſed etiam ebriorum ſocium eſſe periculoſum eſt.
A Pſalmus: Cum peruerſo peruerteris. Carnalis ergo Pſal. 17. c
ſeruus in morte, vel in iudicio imparatus inuenitur.
Vnde dicitur: in die qua non ſperat: Vigilate vtique, Mat. 25. b
quia neſcitis diem, *et cet.* Item a ſaluandis diuidetur.
Vnde ait: Diuidet eum certe ſic, & a patre, & a fratre
& ab alijs proximis: Ipſe inter fratres diuidet. Item Oſee 13. d
damnatis coniungetur. Vnde ait: Partemq. eius cum
ipſo ponet, cum quibus pars illa habebitur, de qua
Pſalmus: Ignis, ſulphur ſpiritus procellarum, *et cet.* Pſal. 10. b

### SERMO III.

B OMne debitum dimiſi tibi. Debitum culpæ, Mat. 18. d
debitum gehennæ dimittitur condonanti
clementer, amanti feruenter, roganti di-
ligenter, toleranti patienter. De primo:
Dimittite, & dimittemini. Sed tu vis tibi Luc. 6. e
dimitti centum marchas, & non vis alijs dimittere
vnum denarium, ſicut nequam ſeruus. Mira res: Ho- Eccli. 28. a
mo homini ſeruat iram, & a Deo quærit medelam?
Sed circa dimiſſionem proximorum attende fructũ,
attende periculum, attende numerum. Magnus fru-
ctus eſt quòd pro dimiſſione vnius denarij dimittan-
tur tibi mille marchæ: Si dimiſeritis hominibus pec- Mat. 6. b
C cata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis de-
licta veſtra, *et cetera.* Gregorius: Dimittamus quod
debetur nobis, & dimittetur quod debemus nos. Item
attende proprium periculum, quod tibi in ſeruo ne-
quam oſtenditur. Videat ergo quilibet, ne contra ſe
petat, cum dicit: Nobis dimitte debita noſtra, ſicut Mat. 6. b
& nos, *et cet.* Auguſtinus: Vnuſquiſque talem indul-
gentiam accepturus eſt a Deo, qualem impenderit
proximo ſuo. Item attende numerum. Quidam enim
dicunt: Libenter dimitterem ei, ſi tantum bis, vel ter
offendiſſet me, ſed iam fecit ſepties vel pluries, pro-
pter illos dicitur: Quoties in me peccabit frater meus, Mat. 18. c
D & dimittam ei, *et cetera. vſque* ſeptuagies ſepties.
De ſecundo: Remittuntur ei peccata multa, quoniam Luc. 7. g
dilexit multum. Cui autem minus dimittitur mi-
nus diligit. Si multum dilexit ille cui decem denarij
dimittit, quantum diligere debet, cui decem millia
talenta dimittuntur? Quanto ergo plus quis peccauit,
tanto plus Deum diligat, vt ſibi peccata dimittat, vel
quia iam dimiſit. Optima dilectio. Dilectio enim cul-
pã purgat. Vnde ait: Remittuntur, *et cet.* Si ergo mul-
tum diligeret, multum remitteretur: Charitas operit 1. Pet. 4. b
multitudinem peccatorum. Ambroſius: Donatur per
gratiam, deletur per ſanguinem crucis, tegitur per
E charitatem. Item dilectio gratiam multiplicat: In vijs Prou. 8. c
iuſtitiæ ambulo, & in medio ſemitarum iudicij, vt di-
tem diligentes me, & theſauros eorum repleam. The-
ſauros vtique virtutum & meritorum, immo ſeipſo
replet Dominus diligentes ſe: Si quis diligit me, *et c.* Ioan. 14. c
*vſque* manſionem faciemus apud eum. Item dilectio
coronam præparat: Beatus vir, qui ſuffert tentatio- Iac. 1. b
nem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronã
vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. De ter-
tio dicitur hic: *Omne debitum dimiſi tibi*: quoniam ro-
gaſti me. Ecce magna liberalitas Dei, ecce magna
virtus orationis. Orare autem debes dimitti tibi, di-
F mitti amico, dimitti inimico. Ora primo dimitti tibi,
vt tibi dimittatur omne debitum. Sed quia Deus pec-
catum non dimittit niſi tu peccare dimittas: ideo be-
ne dicitur: Fili peccaſti, non adijcias iterum, ſed pro Eccli. 21. a
priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur. Alioquin at-
tende quod Iſidorus ait: Nihil proficit oratio, ſi de-
nuo committatur vnde tantum venia poſtulatur. Item
ora dimitti amico, ſicut Moyſes: Aut dimitte eis no- Exo. 32. g
xam hanc, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem
ſcripſiſti. Valet autem homini aliena oratio, ſi adeſt
ipſi aliena contritio. Item de offerente ſacrificium
pro peccato dicitur: Rogabit pro eo ſacerdos, & pro Leuit. 4. f
peccato eius, & dimittetur ei. Sacrificium autem eſt
contritio. Pſalmus: Sacrificium Deo ſpiritus contri- Pſal. 50. d
bulatus,

bulatus, *&c.* Item ora dimitti inimico exemplo Chri-
*Luc.23. e* ſti: Dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt, *et cet.*
Sic beatus Stephanus orauit pro ſe lapidantibus. De
*Act.7. g* quarto: In tempore tribulationis peccata dimittit ijs,
*Tob.3. c* qui inuocant te. Et cordis contritione. Gregorius:
Flagella bonorum aut vitia perpetrata purgant, aut
quæ poterant perpetrari futura deuitant. Non ſolum
in tribulatione pœnitentiæ in mundo, ſed etiam pœ-
næ in purgatorio dimittitur reatus peccatorum. Di-
*Iſa.40. a* miſſa eſt iniquitas illius. Interlinearis: In baptiſmo,
vel in martyrio. Suſcepit de manu Domini duplicia,
ſcilicet ſupplicia pro omnibus peccatis, ſcilicet de Ie-
ruſalem. Ieruſalem autem Eccleſiam ſignat: quæ pro
peccatis ſupplicia ſuſcepit, quando in membris eius,
& in mundo, & in purgatorio Deus ipſam affligit. Ex
prædictis ergo patet quòd ſpecialiter in triplici tribu-
latione, videlicet per ſpiritum contritum, per marty-
rium, per purgatorium dimittitur reatus peccatorum.

## SERMO IV.

*Mat.18.d* *Erue nequam omne debitum dimiſi tibi quoniã
rogaſti me.* Quoniam malignitatis eſt de-
negare alteri, quod ſibi petit exhiberi.
Hinc eſt quòd Dominus noſter iſtum ſer-
uum nolentem ſui conſerui miſereri, qui ad ſuam pe-
titionem meruit totius debiti condonationem: dure
reprehendit eum in verbo propoſito, cum dicit: *Ser-
ue nequam*, & cet. Vbi diſcrete procedit. Nam Primo
increpat excitatam nequitiam malignæ operationis.
Secundo explicat exhibitam miſericordiam diuinæ
propitiationis. Tertio indicat debitam indulgentiam
alienæ offenſionis. Primo ergo cauenda eſt perpetra-
tio delicti: quia reprehenditur, cum dicit: *Serue ne-
quam*. Secundo petenda eſt relaxatio debiti: quia cõ-
ceditur, cum ſubdit: *Omne debitum dimiſi tibi quoniam
rogaſti me.* Tertio remittẽda eſt offenſio proximi: quod
dicitur, cũ ſubinfertur: *Nonne te oportuit miſereri con-
ſerui tui ſicut & ego tui miſertus ſum?*

Primo igitur in verbo propoſito increpat perpe-
tratam nequitiam malignæ operationis, & hoc in
proximi ſuffocatione, cum dicit: *Serue nequam*. In-
currit aliquis iſtam nequitiam: propter quam incre-
patur triplici de cauſa. Primo propter malitiam pra-
uæ cogitationis in corde. Secundo propter fraudu-
lentiam deceptoriæ locutionis in ore. Tertio propter
ſæuitiam alienæ offenſionis in opere. Primo dicitur
aliquis nequam, & increpatur propter malitiam pra-
*Eccli.3.d* uæ cogitationis. Vnde: Vere tunc cor nequam gra-
uatur doloribus, quandoque cogitationis malignita-
te, iudicij falſitate, & ſuſpicationis temeritate cũ pro-
pter liuorem inuidiæ contabeſcit, affligitur, & triſta-
tur de proximi proſperitate. Et propter hoc dicebat
*Mat.15.b* Dominus: Ab intus de corde hominum procedunt
cogitationes malæ, ira, nequitia, & dolus. Et de hoc
ſimiliter poteſt exponi illud: Si oculus tuus fuerit
*Mat.6. c* nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Nomi
ne oculi accipitur hic intentio voluntatis, quæ ſi ne-
quam fuerit, ideſt corrupta, hoc totum quod proce-
dit inde vitiatum eſt, & malum, ſicut rami, & fructus
mali iudicantur, quæ procedunt ex radice vitiata. Se-
cundo increpatur quis, & dicitur nequam aliquando
propter fraudulentiam deceptoriæ locutionis in ore.
*Pſal.63. a* Vnde in Pſalmo: Firmauerunt ſibi ſermonem ne-
quam. Dixerunt vt abſconderent laqueos, firmaue-
runt ſibi ſermonem nequam per detractionis, & in-
famationis aſſuetudinem. Vnde aliqui tantum aſſue-
ſcunt quotidie detractioni, & infamationi, & ita fir-
mant propoſitum in eis: vt vitium vertatur in natu-
ram: dixerunt per mutuæ voluntatis inſinuationem,
vt abſconderent laqueos, quod fit quando alios ſub
ſimulatione zeli iuſtitiæ, & ſpiritu ſanctitatis vitæ,
propter fraudulentiam, & dolum infamant, lædunt
& damnificant. Et quia innocentes frequenter inci-
A dunt in iſtos laqueos, ideo dicitur: Beatus qui rectus *Eccli.28.e*
eſt a lingua nequam. Sed certe horribile eſt, & omni
abominatione dignum, quòd iſti detractores, & in-
famatores, qui ſciunt abſcondere iſtos laqueos fraudu
lentiæ, & doli, vt alios venentur, & capiant nequiter
per famæ denigrationem, perſonæ læſionem, & re-
rum damnificationem, ſunt communiter in amicitia
magnatum, & prælatorum. Vnde talibus prælatis, qui
eos libenter audiunt, & recipiunt, dicitur: Sepi aurẽ *Eccli.28.d*
tuam ſpinis, & noli audire linguam nequam, *&c.* Et
ideo eſt: quia prælati, qui libenter recipiunt a dextris
adulatores, & a ſiniſtris detractores: murmuratores,
B & infamatores, Deo odibiles etiam zelo iuſtitiæ du-
cti, frequẽter perſequuntur bonos: lædunt innoxios,
& damnificant iuſtos, arbitrantes ſe obſequium præ-
ſtare Deo. Exemplo Sauli, qui etiam zelo iuſtitiæ, *Act.9. a*
ignoranter perſequebatur veros Apoſtolos credentis
ſe obſequium præſtare Deo. Tertio dicitur. Quis ne-
quam, & interpretatur, propter ſæuitiam alienæ offen
ſionis in opere. Et de hoc dicitur: Væ genti peccatri- *Iſa.1. a*
ci, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs
ſceleratis: dereliquerunt Deum, blaſphemauerunt
ſanctum Iſrael. Væ genti peccatrici: ſeipſum nequi-
ter ordinando, populo graui iniquitate: alios in opere
C crudeliter lædendo. Et bene grauatur homo iniqui-
tate quando peccat deordinando ſeipſum, & poſtea
ſtudet peccare in proximum, lædendo eum. Et pro-
pter hoc dicit Auguſtinus: Nullus malus lædit alium
in perſona, niſi prius lædatur in conſcientia: ſemini
nequam, in vitijs, & peccatis naſcendo, & creſcẽdo,
filijs ſceleratis diabolum imitando: dereliquerunt
Deum, ab ipſo ſe auertendo. Vnde dicit tunc aliquis
blaſphemat, & vituperat ſanctum Iſrael, ideſt Chriſtũ,
quando ad eius miſericordiam, peccata & illicita per-
petrat.

Secundo in verbo propoſito explicat exhibitam di
D uinæ propitiationis miſericordiam, & hoc in debita
condonatione, cum ſubdit: *Omne debitum dimiſi tibi.*
Propitiatur Deus alicui ratione ſuæ miſericordiæ,
& dimittit debitum. Primo propter vehementiam
doloroſæ contritionis. Secundo propter diligentiam
puræ confeſſionis. Tertio propter æquipollentiam
condignæ ſatisfactionis. Primum eſt in affectu. Se-
cundum in affatu. Tertium in effectu. Propitiatur
Deus, & dimittit debitum propter vehementiam do-
loroſæ contritionis in affectu, de hoc enim poteſt ac-
cipi illud Pſalmi: Tribulationes cordis mei multi- *Pſal.24. e*
plicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis, *&c.* Vide humili-
E tatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuerſa
delicta mea. Inquit propheta in perſona viri contriti.
Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, per dolo-
roſam cordis contritionem, ſecundum manifeſtatio-
nis cognitionem, de neceſſitatibus meis, ſcilicet bo-
norum ſpiritualium: erue me per chariſmatum diui-
norum infuſionem. Vel aliter: de neceſſitatibus meis
ſcilicet difficultatis ad bonum, & promptitudinis ad
malum, quas incurrit homo merito primæ præuari-
cationis: Erue me per adiuuantis gratiæ infuſionem.
Vide humilitatem meam, quantum ad oris confeſſio-
nem meipſum accuſando, & peccatum proprium ag-
F grauando, contra aliquos qui propter ſuperbiam in
confeſſione ſeipſos iuſtificant, propria peccata alle-
uiant, & aliena grauant, & laborem meum, quantum
ad operis ſatisfactionem, & tunc & non aliter dimit-
te vniuerſa delicta mea per benignam condonatio-
nem. Secundo propitiatur, & dimittit delicta propter
diligentiam puræ confeſſionis in affatu. Huic conue-
nit quod dicit Pſalmus: Delictum meum cognitum *Pſal.31. b*
tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi. Dixi
confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino,
& tu remiſiſti impietatem peccati mei. Loquitur pro
pheta in perſona confitentis ſua peccata Deo, cum di-
cit: delictum meum cognitum tibi feci, ſcilicet quod
erat occultum: tuo vicario, ſcilicet ſacerdoti manife-
ſtando



ſtando, & iniuſtitiam meam non abſcondi, peccata
mea dimidiando, vel alleuiando. Nam illi abſcondũt
iniuſtitias, & peccata ſua, qui ne videantur multum
peccatores, nolunt dicere omnia peccata ſua vni ſa-
cerdoti, ſed aliqua vni, aliqua alteri, & ita per circũ-
ſtantias peccata alleuiant, vt quaſi ſe potius laudent, &
excuſent, quàm vituperẽtur, & accuſent. Quod maxi-
mũ peccatũ deſiderabat a ſe remoueri bonus Dauid,
*Pſal.140.a* cũ dicebat: Non declines cor meũ in verba malitiæ ad
excuſandũ excuſationes in peccatis, & quia licet mi-
niſterio ſacerdotis mediante, peccata remittantur, &
quia ſolus Deus eſt, qui effectiue peccata poteſt di-
*Pſal.31. b* mittere, ideo ſequitur: Dixi confitebor, ideſt ſtatim
vt propoſui confiteri, etiam ſi deſit tempus & locus,
vt homo non poſſit recurrere ad confeſſionem, eo
quòd in ſola contritione, ſecundum beatum Augu-
ſtinũ, remittuntur peccata: tunc in tali caſu tu Deus,
& non alius remiſiſti impietatem peccati mei. Vnde
ſtatim cum homo proponit confiteri, antequam con-
fiteatur, Deus dimittit peccata. Vnde ad confeſſionẽ
contritus non tenetur propter deletionem peccati, ſed
tantum propter obligationem præcepti. Tertio pro-
pitiatur Deus, & dimittit delictum propter æquipol-
lentiam condignæ ſatisfactionis in effectu. Vnde in
*Pſal.31. a* Pſalmo: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &
quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non im-
putauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius do-
lus. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, per veniæ
condonationem, & quorum tecta ſunt peccata, per of-
fenſæ ſatisfactionem. Vnde dicuntur peccata tegi, &
non apparere quando homo ſecundum offenſam, con
dignam ſatisfactionem reddit: quia ſecundum beatũ
Auguſtinum, non dimittuntur peccata niſi reſtituan-
tur ablata. Beatus cui non imputauit Dominus pec-
catum, propter pœnitentiæ aſſumptionem, nec eſt in
ſpiritu eius dolus: per notitiæ reſtitutionem. Vnde
Auguſtinus: Pœnitentia eſt res optima, quæ omnes
defectus ducit ad perfectum.

Tertio in verbo propoſito indicat debitam diligẽ-
tiam, & hoc in exemplorum exhibitione, cum ſub-
infert: *Nonne ergo oportuit*, & cet. Vnde quilibet te-
netur alij miſereri tripliciter. Primo ex conſideratio-
ne ſuſcepti beneficij. Secundo ex conſideratione di-
uini exempli. Tertio ex conſideratione æterni ſuppli-
cij. Primo tenetur quilibet miſereri alteri, & dimitte-
re offenſam ratione ſuſcepti beneficij, & de hoc dici-
tur in Euangelio: *Serue nequam, omne debitum dimiſi
tibi, quoniam rogaſti me: Nonne ergo oportuit & te miſe-
reri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? & iratus
Dominus*, & cet. Quia deteſtabile eſt alteri denegare
crudeliter beneficium, quod ſibi recognoſcit miſeri-
corditer exhibitum, propter hoc iuſtum, & dignum
fuit vt ille, qui noluit alteri miſereri ex conſideratio-
ne beneficij accepti, in conſideratione delicti, increpe-
tur, & tamquam indignus ſuſcepto beneficio ex-
polietur. Vnde merito Deus quod exhibuerat per mi
ſericordiam, repetit per iuſtitiam. Et hoc eſt quod
*Epheſ.4. g* dicit Ambroſius ſuper illud ad Epheſios: Eſtote inuicẽ
*S. Amb. in* miſericordes, *&c.* Si enim Dominus per filiũ ſuũ ſer-
*cap. 4. ad* uorum miſertus eſt, quanto magis ſerui ipſi inuicẽ ſui
*Epheſ.to.3.* debent miſereri, & donare ſi alter in alterum peccet?
Hæc præcepta ſunt eius, qui miſeratus eſt: qui ſi in his
contemptus fuerit, ſine dubio reuocabit ſententiã, per
quã miſericordiã dederat. Secũdo tenetur quilibet mi
ſereri, & dimittere alteri ex conſideratione diuini be-
neficij. Et hoc eſt quod dicitur: Eſtote inuicẽ miſeri-
cordes benigni condonãtes inuicem, ſicut & Deus in
Chriſto nobis donauit. Apoſtolus vt facilius alliciat
ad cõdonandum inuicẽ offenſam, inducit quoddã ra-
tionabile motiuum, ſcilicet diuinum exemplum mi-
ſericordiæ clementer condonantis delicta, cum di-
cit: Eſtote miſericordes, non prorumpendo in iram
interius in animo: benigni, non irrogando iniuriam
exterius in verbo: condonantes inuicem, non aſſu-
A mendo vindictas celeriter in facto, ſicut & Deus in
Chriſto donauit nobis. Quaſi diceret: hoc debetis fa
cere per exemplum diuinæ miſericordiæ, ratione paſ-
ſionis Chriſti clementer condonantis. Tertio tene-
tur quilibet miſereri, & dimittere alteri ex conſidera-
tione æterni ſupplicij. Vnde: Iudicium ſine miſeri- *Iac. 2. e*
cordia erit illi, qui non fecerit miſericordiam. Tota
illa iudicialis ſententia, & iudicij diſcuſſio erit ſecun-
dum exhibita, & non exhibita opera miſericordiæ,
quæ eſt in conſideratione alienæ offenſæ. Et hoc eſt
quod dicitur: Eſtote miſericordes, ſicut pater ve- *Luc.6. c*
ſter miſericors eſt: nolite condemnare, & non cõ-
B demnabimini. Et vere qui nolunt eſſe miſericordes
alijs, ſecundum quòd Deus eſt miſericors eis: in
quo enim iudicio alios iudicant, & damnant, ipſi iu-
dicabuntur, & damnabuntur. Rogemus.

# DOMINICA XXII.

## POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

C *Agiſter ſcimus quia verax es, & viam* *Mat.22.b*
*Dei in veritate doces.* Quia maiori
laudi atteſtatur non ſolum commẽ
dari ab amicis, verum etiam ab ini-
micis: ideo non debet nos mouere
quòd in euangelio miſeri Iudæi ip- *Ibid. b*
ſam veritatem Dominum noſtrum
ore confitentes non tamen corde diligentes extollant,
cum dicunt in verbo propoſito: *Magiſter ſcimus, quia
verax es*, & cet. In quo quidem verbo extollunt, &
conmendant. Primo ab officij dignitate. Secundo a
dicti ſoliditate. Tertio a documenti vtilitate. Ratio-
D ne primi eſt humiliter reuerendus. Ratione ſecundi
firmiter credendus. Ratione tertij ſinceriter diligen-
dus. Primo, inquam, extollunt, & commendant eum
a venerabili dignitate officij cum dicunt: *Magiſter*.
Secundo a credibili ſoliditate dicti, cum ſubdunt:
*Scimus quia verax es.* Tertio ab amabili vtilitate docu-
menti cum ſubinferunt: *Et viam Dei in veritate doces.*

Dicunt ergo Iudæi: *Magiſter*. Vbi primo commẽ-
datur Chriſtus a dignitate officij: propter quam eſt
humiliter reuerendus. Iſta dignitas officij Dei noſtri
apparet propter tria, quæ excellenti modo habet in ip
ſo. Nam primo habet luculentiam claritatis ſcientiæ:
E in cognoſcendo infallibiliter. Secundo efficaciam
virtuoſitatis facundiæ: in exprimendo vtiliter. Ter-
tio eminentiam ſanctitatis vitæ: in merendo ſalubri-
ter. Et hæc tria ſunt neceſſaria cuilibet docenti, & præ
dicanti, ſcilicet ſcientia regulans, facundia exprimens,
& vita vtrumque confirmans. Nam docere, ſiue præ-
dicare ſine ſcientia regulante eſt periculoſum, ſine fa-
cundia exprimente eſt infructuoſum: Et ſine vita
vtrumque confirmante, eſt ignominioſum. Primo
igitur Chriſtus tamquam excellens magiſter ratione
dignitatis officij eſt humiliter reuerendus: quia habet
luculentiam claritatis in cognoſcendo infallibiter: ra-
tione cuius per excellentiam dicitur de ipſo: Non vo- *Mat.23. a*
F cemini magiſtri ſuper terram: vnus eſt enim magiſter
veſter. Vnde nullus debet vocari & dici magiſter niſi
ſolus Chriſtus. Et ratio eſt quia nullus poteſt dicere
res eſſe ſcibiles alteri: niſi ſit immutabilitas ex parte
ſcibilis, certitudo ſiue infallibilitas ex parte ſcientis.
Omne enim quod ſcitur ſecundum philoſophum, ne-
ceſſarium eſt in ſe ſine mutabilitate, & certum eſt
ipſi ſcienti. Tunc enim ſcimus cum cauſam arbitra- *Ariſt. lib.1.*
mur cognoſcere propter quam res eſt, & quoniam *poſt. cap.2.*
impoſſibile eſt aliter ſe habere. Ex parte enim creatu- *tex.5. Et li.*
ræ cuiuſcumque non eſt immutabilitas. Vnde cum *1. phy. tex.*
res habeant eſſe in proprio genere, & humana mente, *1.*
& in æterna ratione, & earum eſſe ſit mutabile primo
& ſecundo modo: eo quòd omne creatum vertibile,
&

& immutabilitas ſolum ſit in Filio Dei, qui eſt ars: A & ideo omnium viuẽtium, neceſſario ſequitur quòd res ſcibiles a nullo modo habeant immutabilitatem, niſi prout ſunt in verbo æterno: ergo nullus poteſt docere, nec etiam facere res fore ſcibiles vere, niſi adſit Filius Dei. Secundo ad hoc vt aliquis poſſit docere, requiritur certitudo, & infallibilitas ex parte ſcientis, quæ non poteſt eſſe ex ea luce, quæ poteſt obfuſcari, & talis eſt lux intelligentiæ creatæ, & hoc eſt quod dicit Auguſtinus: Primo ſicut terra, niſi luce illuſtrata, videri non poteſt: ſic quæ in diſciplinis traduntur, quamuis veriſſima nulla dubitatione quiſque concedat, credendum eſt non poſſe intelligi, niſi a Chri- B ſto ſole ſpirituali illuſtraretur. Merito igitur ſoli Chriſto, & non alij attribuenda eſt auctoritas officij, vt ſingulariter vnus Magiſter dicatur, eo quòd ipſe eſt fontale principium, & origo cuiuſlibet ſcientiæ humanæ. *[Christus origo cuiuſlibet ſciẽtiæ humanæ.]* Vnde ſicut vnus eſt ſol, tamen multos radios emittit, ſic ab vno Magiſtro Chriſto ſole ſpirituali multiformes, & diuerſæ ſcientiæ procedunt: & quemadmodum multiplices, & diſtincti riuuli ab vno fonte egrediuntur, vnus tamen eſt fons, qui in tot riuulos ſine ſui defectibilitate multiplicat: ſic ab vno fonte æterno, ab vno pelago infinito, ab vno Magiſtro Chriſto, ſine ſui defectibilitate egrediuntur riuuli C diuerſarum ſcientiarum. Secundo Chriſtus habet virtuoſitatem facundiæ in exprimendo vtiliter, ſicut patuit in ratione, quam fecit legiſperitis: *Mat.22.d* Interrogauit eum vnus legis doctor tentans eũ: Magiſter, quod eſt maius mandatum in lege. Ait illi Ieſus: Dominum Deum tuum diliges ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Miſeri Iudæi ipſam veritatem confitentes, nec tamen eam diligentes, veniunt ad eum, & interrogant non deſiderio addiſcendi, ſed ſtudio tentandi: & quia quæſtionem bonam proponebant, quamuis eorum malitia nõ exigeret, rationem veram audire meruerunt. Diliges Dominum Deum D tuum, *&c.* Quod exponit ſic Auguſtinus: Ex toto corde tuo, ideſt intellectu ſine errore: ex tota anima tua, ideſt voluntate ſine contradictione: ex tota mente tua, ideſt memoria ſine obliuione. Tertio Chriſtus habuit eminentiam ſanctitatis vitæ in merendo, vel ædificando ſalubriter. *Ioan.13.b* De hoc dicitur: Si ego Dominus, & Magiſter laui veſtros pedes, & vos debetis alter alterius pedes lauare: exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis: magna humilitas eſt miniſtrare ſuperiori, maior pari, ſed maxima inferiori, & perfecta: ergo Dominus noſter ad hoc voluit ſumere infirmitatem humanam, vt in ea E doceret exemplum omnino de perfectione omnis iuſtitiæ, & perfectæ humilitatis quando voluit miniſtrare inferiori lauando pedes ruſticorum, & piſcatorum. Vnde Auguſtinus: Habemus humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum, erubeſcat ergo membrum eſſe ſuperbum, cum caput ſit humile: & quemadmodum exemplum dignum eſt imitatione, ideo dicitur: *Luc. 6. f* Perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut Magiſter eius.

Secundo in verbo propoſito commendatur Chriſtus a dicti ſoliditate, propter quam eſt firmiter credendus, cum ſubdit: *Quia verax es.* Eſt igitur Chri- F ſtus firmiter credendus ratione ſuæ veritatis triplici de cauſa. Primo quia habet veritatem puræ intentionis in cordis cogitatione. Secundo quia habet veritatẽ rectæ locutionis, in oris eruditione. Tertio quia habet veritatem honeſtæ conuerſationis, in operis oſtenſione. Primo credendum eſt Chriſto, quia habet veritatem puræ intentionis. *Prou. 8. a* Vnde: Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur impium. Guttur meum non materialis carnis, cum ad illud non pertineat meditari, ſed ſcrutinij ſpiritualis meditabitur veritatem per ſimplicitatem intentionis, & puritatem affectionis relegando de Deo omnẽ falſitatem vitioſitatis, & deceptionis, vt ſit cor rectum A & bene ordinatum: & labia mea deteſtabuntur impium per rectitudinem veri, qua rectitudine zeli carent illi, qui accipiendo perſonas, maxima peccata illorum quos carnaliter, & priuate diligunt, non deteſtantur, immo excuſant, & alleuiant: ſed minima peccata eorum, qui eis diſplicent, incuſant & aggrauant, quod maximum peccatum peruerſitatis iuſtus Dauid profitetur non eſſe in ſe, cum dicit: Iuſtitias tuas non abſcondi in corde meo, veritatem, & ſalutare tuum dixi. Secundo credẽdum eſt Chriſto: quia habet veritatem rectæ locutionis in oris eruditione, & hoc teſtatur ipſa veritas: *Ioan. 8. f* Quis ex vobis arguet me B de peccato: Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. Inquit ipſe Chriſtus. Quis ex vobis arguet me de peccato, quaſi diceret nullus, propter immunitatem culpæ totalis, & honeſtatem perfectionis vitæ. Nam ſine peccato conceptus, quia ſine virili ſemine, ſed Spiritus ſancti virtute ſine peccato natus: quia ſanctitate gratiæ repletus, ſine peccato conuerſatus: eo quòd peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Si veritatem dico vobis, propter plenitudinem ſcientiæ, qua non poſſum fallere, nec falli, quare non creditis mihi, per intellectus captiuationem, quaſi diceret, cum prædicatio alicuius non C debeat contemni, niſi ratione multitudinis culpæ, aut ratione dehoneſtatis vitæ, aut ratione ſimplicitatis ignorãtiæ? Cum ergo ego habeam immunitatem culpæ, perfectionem vitæ, & plenitudinem ſcientiæ, deberetis credere: *Ioan.18.d* quia ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati: Contra aliquos, qui malunt ſtudere carnali amicitiæ, & magnatibus placere, quàm aſſiſtere veritati, & iuſtitiæ ad hoc, vt eleuentur, & honorentur, cum certe glorioſitatis ſit deijci cum veritate, quàm magnificari cum falſitate. Tertio credendum eſt Chriſto, propter veritatem honeſtæ conuerſationis in operis oſtenſio- D ne. *Ioan.14.a* Vnde: Ego ſum via veritas & vita. Quia ſecundum Gregorium, Ardere eſt parum, lucere vanum, ſed vtrumque perfectum. Ideo Chriſtus, in quo eſt omnimoda perfectio, inquit: Ego ſum via, in exẽplo per honeſtatem vitæ: veritas in documẽto per claritatem ſapientiæ: & vita in præmio per æternitatem gloriæ: & ſic eſt Chriſtus via, quam uis ire per exemplum vitæ, veritas quam uis inuenire per documentum doctrinæ, & vita in qua vis manere per præmiũ gloriæ, & ita exponit beatus Auguſtinus. *Aug. tract. 69. in Ioã. to.9.* Qui ſuper hunc locum ita dicit: Chriſtus eſt via ad gradiendum, veritas ad inueniendum, & vita ad permanendum.

E Dicit ergo: *Magiſter ſcimus quia uerax es:* & ſequitur: *& viam Dei in veritate doces.* Vbi Chriſtus commendatur ab vtilitate dicti, propter quam ſinceriter eſt diligendus, bene Chriſtus ſinceriter eſt diligendus. Ratione vtilitatis iſtius documenti, propter triplicem rationem, eo quòd docet, Primo veraciter reſpectu credentium. Secundo delectabiliter reſpectu promiſſorum. Tertio efficaciter reſpectu agendorum, vel operandorum. Per primum excluditur erroris falſitas. Per ſecundum orbis volubilitas. Per tertium torporis tepiditas. Primo docet Chriſtus veraciter reſpectu credendorum contra erroris falſitatem. De F hoc dicitur in pſalmo: *Pſal.24. a* Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die. Fidelis inquit, propheta Dauid in perſona cuiuſlibet viri. Dirige me, per omnem erroris amotionem. Nam ille bene dirigitur qui omnem errorẽ tam intellectus in credendo, quàm affectus in diligendo, & etiam effectus in operando a ſe excludit. In veritate tua, per diuini ſplendoris infuſionem, vt amota priuatione erroris deuij, introducatur habitus virtutis fidei. Vnde diuina veritas nihil aliud eſt, quàm diuinus ſplendor fidei, & doce me per prædicationis, ſiue lectionis eruditionem: quia tu es Deus creando per potentiam, & ideo admirandus humiliter, Saluator meus, redimendo per clementiam, & ideo diligendus



ſinceriter: & te ſuſtinui ſeruiendo, per obe- A dientiam diligenter: tota die continuando, per perſeuerantiam finaliter. Hoc autem perfectum per documentum commendat Sanctus Dauid, cum dicebat: *Pſal.93. b* Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eũ. Secundo docet delectabiliter reſpectu promiſſorum contra orbis volubilitatem, ſiue delectabilitatem, & de hoc dicitur: *Mat. 5. a* Aperiens os ſuum docebat eos dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Audiant reuerenter clerici, & prælati qui ſe diſcipulos Chriſti gloriantur, vnde Chriſtiana doctrina ſumat exordium: audiant diligenter religioſi, ſiue Euangelij profeſſores quale ſit euange- B licæ perfectionis fundamentum. Beati, inquit, pauperes ſpiritu, & propter hoc paupertas quæ ab omnibus ſæculariter viuẽtibus cum timore fugitur a viris perfectis cum honore, vel amore debet ſuſcipi: eo quòd tamquam primarium fundamentum euangelicæ doctrinæ in præſenti perficit, & conſummat, propter quod dicit: Beati pauperes ſpiritu: & tamquam perfectum complementũ Chriſtianæ vitæ in futuro magnificat, ideo ſubdit: Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. O ſacratiſſima virtus, & omni laude digniſſima paupertas, quis tibi valeat dignas gratiarum laudes impendere, quæ ſolo tuo commertio terrenos C & miſeros homines ad tantam honoris excellentiam extollis, vt eos heredes regni cælorum inſtituas. Exponitur tamen hoc verbum, Beati pauperes ſpiritu, dupliciter: Primo ſui reputatione, & tunc pauperes ſpiritu ſunt veri humiles, qui non habent inflatũ ſpiritum, ſed quaſi nihil ſe in ſpiritualibus eſſe reputant. Vel ſecundo pauperes ſpiritu, ideſt volũtarie non coacte, qui renunciauerunt rebus mundanis, non coacti neceſſitate, ſed ducti voluntate, vt amota auaritia, *1.Tim.6.b* quæ eſt radix omnium malorum, inſeratur paupertas, quæ eſt primarium fundamentum omnis boni. Ratione huius veri documenti conuenit Chriſto illud: D *Malac.2.b* Lex veritatis fuit in ore eius. Tertio docet efficaciter reſpectu operandorum contra corporis tepiditatem: *Pſal.24. b* propter quod dicitur in Pſalmo: Docebit mites vias ſuas. Viæ Domini ſunt bonæ operationes, quas Chriſtus in hoc mundo corporaliter exercuit, quæ nomine viarum appellantur, eo quòd ſicut per viam graditur homo ad propriam ciuitatem, ſic per bonam operationem perducitur homo ad cæleſtem patriam: has vias docet Dominus mites interius neminem deſpiciendo, & humiles exterius neminẽ offendendo iuxta ſuum teſtimonium: *Mat.11. d* Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde. Quando ſuo exemplo erudiuntur ad E bene operandum: Nam omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtructio. Rogemus ergo Dominum, *et cet.*

## SERMO II.

*Mat.22 b* O*ſtende mihi numiſma cenſus.* Nummus eſt anima, quam Dominus maxime in morte examinat, vt imaginem ſuam quærat. *Oſtendite,* inquit. Conſiderandum autem, quòd oſtendere debet homo veritatem in prædicatione: iniquitatem in cõfeſſione, bonitatem in operatione: Dei F *Ezec.44.f* imaginem in expiratione. De primo: Populum meũ docebunt, quid ſit inter ſanctum, & pollutum, mundum & immundum oſtendent eis. Ecce doctores debent oſtendere, quid licitum, quid illicitum, quid virtus, quid vitium, vt vitium vitetur oſtenſum. Oſtendant contra vitium pœnam damnationis. *Apoc.17.a* Vnde Angelus, qui prædicatorem ſignificat, dicit: Oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, ideſt peccatricis animæ. Item vt virtus oſtenſa ametur, oſtendam gloriam retributionis, quæ per fructus terræ promiſſionis ſignificatur. Vnde de exploratoribus eiuſdem ter- *Deut.1. d* ræ, per quos prædicatores ſignificantur: Conſiderata terra, ſumentes de fructibus eius, vt oſtenderent vber- A tatem, intulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona eſt terra, quam Dominus Deus noſter daturus eſt nobis. De ſecundo: *Luc. 17. c* Dictum eſt decem leproſis: Ite oſtendite vos ſacerdotibus. *Gen. 3. b* Oſtendite non abſcondite, ſicut Adam, qui cum peccauerat abſcondit ſe, & eiectus eſt de paradiſo: quidam enim negando, vel dimidiando, vel excuſando, aut palliando in confeſſione ſe abſcondunt. *Prou.28.b* Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Iſidorus: Peccatum tuum proditum cito curatur: crimen autem tacendo ampliatur. Si oſtẽdis tuam miſeriam in confeſſione, oſtendet Dominus B ſuam miſericordiam in remiſſione. *Pſal.79. a* Pſalmus: Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, *et cet.* Si autem non vis oſtendere presbytero, oſtenderis vniuerſis in iudicio. *Naum.3.b* Reuelabo pudenda tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, *& cet.* *Iac.3. c* De tertio: Quis ſapiens, & diſciplinatus inter vos? oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapiẽtiæ. Sẽper debet homo aliquid virtutis oſtendere, & boni exẽpli. Et certe vbi caſtitas, vbi fidelitas, vbi pietas, vbi patientia, vbi charitas, vbi aliqua virtus eſt, tẽpore debito ſe oſtendit: etiam ſi neceſſe fuerit per ſanguinem proprium, ſicut Chriſtus, & ſancti martyres oſten- C derunt: *1. Mac. 6. d* Elephantis oſtenderunt ſanguinem, *et cet.* Si adhuc non potes per ſanguinem oſtendere fidem per dilectionem, oſtendas ſaltem per lacrymarum contritionem. Auguſtinus: Sciat ſe culpabiliter durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, & dolorem peccati non oſtendit lacrymis. Sed heu quidam bona virtutum non ad Dei glorificationem, ſed ad ſui commendationem oſtendunt, ſicut ſignatum eſt in Ezechia: *Iſa.39. a* Oſtendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa, quæ inuenta ſunt in theſauris ſuis, *et cet.* Et heu quia melius D ſciunt oſtendere nequitias, quàm virtutes: *2.Mac.13 c* Rex mente effrenatus veniebat nequiorem ſe patre ſuo Iudæis oſtenſurus. Tales autem in inferno conqueruntur illud: *Sap. 5. c* Virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere. De quarto dicitur hic: *Oſtendite mihi numiſma cenſus, et cet.* Interlinearis: Nummum, qui pro cenſu ſoluitur, qui habebat imaginem Cæſaris. Nummus iſte eſt anima ad imaginem Dei facta. *Aug.lib.1. confeſſ.c.1.* Auguſtinus: Feciſti nos Domine, *et cet.* Require ſupra in ſermone: *tom. 1. pag.162.* Inueni drachmam. Pro iſto nummo Chriſtus ſeruiuit plus quam triginta annis Deo. In morte diligenter hominis hunc nummum examinat, vtrum Dei an diaboli, vtrum claram an tenebroſam imaginem habeat. E O felix, qui in morte bonum nummum oſtendet: Dominus enim oſtendet bonum præmium, bonum regnum. *Sap. 10. b* Oſtendit illi regnum Dei. O infelix, qui ſic malum nummum malam animam oſtendit, oſtendetur enim tunc tormentum per damnationem, quod iam diu oſtenſum eſt per conuerſationem: *Luc.12. a* Oſtendam autem vobis, quem timeatis.

## SERMO III.

*Mat.22. b* R*Eddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Cæſar ſolicitus ſit pro ſe. Nos autem de ijs, quæ Deo reddere debemus. Videamus ergo quadruplicem redditionem. Exigit F Deus a peccatoribus, primam in mundo, ſecundam in extremo, tertiam in iudicio, quartam in inferno. In mundo exigit ſibi reddi dignam ſatisfactionem. In extremo ſuam imaginem. In iudicio rectam rationem. In inferno æternam luitionem. *Mat.18. d* De primo dicitur, quòd cum exegit rex a quodam decem millia talenta, dixit ille: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. In talento culpæ mortalis debitũ ſignificatur. In millenario eſt abundans numeroſitas. Decem ergo millia ſunt decem mandatorum multipliciter

pliciter tranſgreſſorum numeroſa debita, quæ ſatisfa-
ciendo reddere tenemini. O quot ſunt, qui ad litte-
2. Par. 36. ram decem millia peccata commiſerunt: Peccaui ſu-
in orat. Man. per numerum arenæ maris, *et cet.* Quando autem
reddenda ſunt peccatorum debita docet nos Magda-
Luc. 7. f lena, quæ lacrymis reddidit, quidquid debuit, cuius
culparum debita ad quingentos denarios Dominus
expreſſit in parabola de duobus feneratoribus. Si er-
go Magdalena tot lacrymis reddidit quingentorum
denariorum debita: quantis reddi deberent fletibus
decem millia talenta? Iſidorus: Eſto tamen pronus
ad lamenta. De ſecundo dicitur hic: *Reddite quæ ſunt*
B *Cæſaris, Cæſari,* & cet. Gloſſa: Sicut Cæſar exigit im-
preſſionem ſuæ imaginis, ita Deus animã lumine vul-
tus Dei inſignitam. Hanc imaginem in denario ani-
mæ nos maxime oportet reddere in morte. Vnde Pſal-
Pſal. 115. a mus, vbi legitur quàm pretioſa ſit in conſpectu Dei
mors ſanctorum eius, dicitur: Vota mea Domino
reddam. Gloſſa: meipſum, qui ſum imago. Imago
enim Dei Deo reddenda eſt. Bene autem additur. In
conſpectu omnis populi, ideſt omnium ſanctorum, in
quorum conſortium reddere debemus animam. Vtrũ
autem denarius animæ ſit falſus an non, tunc videbi-
tur quando de marſupio corporis extrahetur, *& cet.*
C Si tunc non fuerit aureus, vel argenteus, ſed cupreus,
Ezec. 12. d vel ferreus, conflabitur in igne gehẽnæ. Omnes iſtius
ſtagnum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis,
Mat. 12. c *et cet.* De tertio: Omne verbum otioſum, quod locu-
ti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iu-
dicij. Quid erit de factis, vbi ratio reddetur de verbis
otioſis? non ſolum de verbis, & operibus, ſed etiam
de inutilitate beneficiorum naturalium, & corpora-
lium, & ſpiritualium nobis collatorum rationem red-
demus, quæ tanto ſeuerius exigetur, quanto diutius
differetur, & quanto inutilius talenta Domini multo
Mat. 25. b tempore detinentur. Poſt multum vero temporis ve-
D nit Dominus illorum ſeruorum, & poſuit rationem
cum eis, *et cet. & infra*: Inutilem ſeruum eijcite in
tenebras exteriores. Qui ergo potentiam, qui ſcien-
tiam, qui diuitias, vel aliud in talentum accepit, ſiue
multum, ſiue parum acceperit, rationem in die iudi-
cij reddet, tantum quippe ab vnoquoque noſtrum
Mat. 5. d venturus iudex exiget. De quarto: Eſto conſentiens
aduerſario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte
tradat te aduerſarius tuus iudici, & iudex tradat te mi
niſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non
exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.
Aduerſarius eſt quilibet, cui per diſcordiam aduerſa-
E ris. Huic cito conſentire debes concordando. Bene
dicit cito. Interlinearis: Nemo enim nouit quando
de hac vita exeat. Via eſt præſens vita, qua ad patriã
vel infernum pergimus. Iudex eſt Chriſtus. Miniſter
Iſa. 24. d eſt diabolus. Carcer eſt infernus: Congregabuntur
in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur
ibi in carcere. Quadrans, dicit Gloſſa, ſunt minuta pec
cata, quia nihil erit impunitum. Elige nunc peccator
vbi poſt reddas debitum, an in mundo, vbi decem mil
lia talenta dimittuntur, an in inferno, vbi neque vnus
quadrans dimittetur. Patet vtrumque in ſeruo ne-
quam: cui primo totum dimittitur, poſtea vero, quo-
F niam non fuit conſentiens aduerſario ſuo, totum ab
Mat. 18. d eo exigitur: Iratus Dominus tradidit eum tortoribus,
ideſt tartareis miniſtris, dicit Gloſſa.

## SERMO IV.

Mat. 22. b CVius eſt imago, & ſuperſcriptio? O quàm ti-
menda eſt quæſtio hæc, quando in iudicio
diligenter examinatur anima, cuius imagi-
nem habeat Dei, an diaboli. Sed attende
quòd imago Dei triplex eſt, videlicet naturalis, ſpiri-
Gen. 1. d tualis, & æternalis. De primo: Faciamus hominem
ad imaginem noſtram. Hæc, ſicut dicit Auguſtinus,
conſiſtit in memoria, ratione, & voluntate, per quæ
A tria anima eſt imago Trinitatis. In hac Trinitate caput
Iud. 16. e eſt ratio, hoc caput miſit Samſon in ſinum Dalilæ, &
perdidit vires, & excæcatus eſt a Philiſtæis, ideſt a dæ-
monibus. Dalila carnem vel ſenſualitatem ſignificat,
ad quam dum caput rationis nimis inclinatur, a dæ-
monibus excæcatur. Huic hæc meretrix nimis inſi-
Mar. 6. d diatur, ſicut Herodias capiti Ioannis, per filiam ſal-
tatricem, ideſt per concupiſcentiam laſciuientem. Vẽ-
ter huius imaginis eſt memoria, quæ eſt receptaculum
Pſal. 30. b animæ. Pſalmus: Conturbatus eſt in ira tua oculus
meus: anima mea, & venter meus. Oculus eſt ratio,
anima voluntas, venter memoria. In hoc ventre, non
B ſerpentes, non vermes vitiorum, ſed Dominum por-
Luc. 11. d temus: Beatus venter, *&c.* Pes huius imaginis eſt vo-
luntas conſentiens, vel diſſentiens. Auguſtinus: Ne-
Apoc. 10. a mo in poteſtate habet quid ei in mente veniat: ſed
quòd angelus poſuit vnum pedem ſuper mare, alte-
rum ſuper terram. Per mare, in quo porci ſubmer-
Mat. 8. d guntur, ſicut dicitur: Mala vita ſignificatur. Per ter-
ram, quæ fructum profert, bona vita. Pes iraſcibilis
ſuper mare mitti debet. Pes concupiſcibilis ſuper ter-
ram, vt vitijs iraſcamur, virtutes concupiſcamus. De ſe
1. Cor. 15. f cundo: Sicut portauimus imaginem terreni: ſic por-
temus imaginẽ cæleſtis. Nota quòd Cæſarea, & regalis
C imago tribus perficitur, ſcilicet figura, colore, ornatu
regali. Figura pertinet ad imaginẽ naturalẽ, de qua iã
dictũ eſt: coloratio ad ſpiritualem, inſignia regalia ad
æternalẽ. Videamus colorẽ regis cæleſtis, cuius ima-
Cant. 5. c ginem portare debemus. Dilectus meus candidus, &
rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum
optimum: comæ eius ſicut elatæ palmarum: nigræ
quaſi coruus. Sed dum hunc triplicem colorem de-
bet imago Chriſtiana Chriſto cõformari. Bernardus:
Ad humanitatis eius imaginem oportet nos confor-
mari. Debemus ergo ad imitationem Chriſti candidi
eſſe per puritatem in conuerſatione. Rubicundi autẽ
D per charitatem, etiam ſi neceſſe fuerit in ſanguinis ef-
Thr. 4. b ſuſione. De vtroque colore dicitur: Candidiores na-
zaræi eius. Item nigri debemus eſſe per humilitatem,
ſemper noſmetipſos vilificando, & deſpiciendo. Sic
enim quantum apud nos ſimus nigri, tantum apud
Deum ſimus formoſi, *et cet.* Auguſtinus: Tanto præ-
tioſior eris apud Deum, quãto fueris ante oculos tuos
deſpectior. Et certe Chriſtus, hanc nigredinem ha-
Apoc. 6. d buit, quando propter nos humiliatus fuit: Sol factus
eſt niger. Certe quanto eſt nigrior, tanto amabilior.
Bernardus: Quanto minorem ſe fecit Dei filius in hu-
militate, tanto ſe maiorem exhibuit in bonitate, &
E quanto pro me vilior, tanto pro me charior. De ter-
2. Cor. 3. d tio: Nos vere reuelata facie gloriam Domini ſpecu-
lantes in eandem imaginem transformamur, *et cet.*
Perfecta imago regis non eſſet is, qui inſignia non ha-
beret, ergo æterna claritate imago Dei plena conſum-
matur, quando corona, vel amictu regali decoratur:
hoc ſignificatur in ornatu mulieris, de qua: Mulier
Apoc. 12. a amicta ſole. Mulier hæc ſignificat animam beatam,
quæ glorioſa inſignia regalia habet in regno: ha-
bet enim amictum ſolarem circa ſe: lunam
ſub pedibus ſuis, ideſt infra ſe: coro-
nam duodecim ſtellarum in capi-
F te ſuper ſe. Primum eſt æter-
næ claritatis, ſecundum
eſt, æternæ ſubli-
mitatis, ter-
tium
eſt æternæ digni-
tatis inſi-
gne.

DOMI-



# DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEM.

## SERMO I.

Mat. 9. c DOmine, filia mea modo defuncta eſt, ſed
veni impone manum ſuper eam, &
viuet. Filia tua eſt anima tua defun
cta per culpam, cui manus Chriſti
B imponitur per gratiam. Manus au
tem imponenda, ideſt miſericor-
diæ ſuæ gratia. Chriſti operatio fa-
cit quattuor in nobis. Purgat culpam, reparat natu-
ram, confert gratiam, præparat gloriam. De primo
dicitur hic: *Filia mea modo, &c.* Huius filiæ ſuſcitatio
eſt animæ peccatricis iuſtificatio, circa quam tria hic
ſignificantur, videlicèt culpæ propriæ recognitio, ibi:
*Filia mea*, ideſt anima mea, vtique non alterius. Qui-
dam enim mortem culpæ ſuæ aliorum animabus im-
3. Reg. 3. d ponent ſicut ſignatum eſt: vbi vna meretricum dicit:
Filius meus viuit, & filius tuus mortuus eſt. Item fe-
C ſtina conuerſio, ibi: *Modo*, non dicit anno præterito,
Eccl. 5. c ſed modo: Ne tardas conuerti ad Dominum, & ne
differas de die in diem. Subito enim veniet ira eius,
& in tempore vindictæ diſperdet te. Factus eſt repen-
Act. 2. d te, *&c.* Væ ergo illi, cuius anima non modo, ſed an-
te annum, immo ante triginta, vel quadraginta annos
defuncta eſt, & adhuc non petit eam ſuſcitari. Quan-
tis lacrymis, & orationum clamoribus ſuſcitanda eſt
anima mortua quadraginta annis, ex quo lacrymis &
Ioan. 11. f clamore Chriſti ſuſcitatur Lazarus quattuor diebus
defunctus! Item veniæ poſtulatio, ibi: *Impone ma-*
Mat. 8. a *num*, & cet. O virtus & gratia huius manus: Exten-
D dens Ieſus manum tetigit eum, dicens: Volo, munda-
Luc. 13. c re. De ſecundo: Impoſuit illi manum, & confeſtim eſt
erecta. Dicitur de muliere, quæ habebat ſpiritum in-
firmitatis decem & octo annis, & erat inclinata, ne-
que omnino poterat ſurſum aſpicere. Mulier hæc eſt
anima peccatrix. Sed nota quod ait Bernardus redi-
turis ad patriam: Tria nobis neceſſaria ſunt: velle,
poſſe, noſſe. Anima ergo peccatrix infirma eſt quoad
poſſe, inclinata eſt quoad velle, ſurſum non reſpicit
quoad noſſe. Vel infirma eſt quo ad ſpiritualia, incli-
nata quo ad corporalia, ſurſum non reſpicit quo ad
Pſal. 30. b terrena. Vel infirma eſt in opere. Pſalmus: Infirma-
E ta eſt in paupertate, *&c.* Inclinata eſt in affectione:
Prou. 2. d Inclinata eſt ad mortem domus eius, *et cet.* Sicut
enim anima per virtutes erigitur Deo, ita turbatur
per peccatum, & inclinatur diabolo. Vnde dæmones
dicunt ad animam: Incuruare, vt tranſeamus. Item
ſurſum non reſpicit in intentione contra illud Pſal-
Pſal. 122. a mi: Ad te leuaui oculos meos: Sapientis oculi in
Eccls. 2. c capite eius, ideſt Chriſto. De tertio: Oblati ſunt ei
Mat. 19. b paruuli, vt manus eis imponeret & oraret. Interli-
nearis: Vt eis manui & voci benediceret. Ecce qui-
bus benedictio gratiæ confertur, quia paruulis, & hu-
milibus. Nota ergo quòd humilibus datur licentia
Ioan. 12. b accedendi. Vnde ait: Sinite paruulos venire ad me:
F Sinite illam, *et cet.* Gloſſa: Imponit paruulis manus,
quando humilibus dat gratiam. Item fiducia perue-
niendi, vnde ait: Talium eſt regnum cælorum. Item
gratia perficiendi. Vnde ait: Cum impoſuiſſet eis ma
Mat. 18. a nus, *et cet.* Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut
paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quo mo
do enim per paruum oſtium intrare poſſumus, niſi
parui fuerimus? Oſtium cæli paruum humilitate eſt.
Si ſano capite voluerimus intrare, debemus caput di-
Mar. 8. c mittere. De quarto: Iterum impoſuit manus ſuper
oculos eius, & cœpit videre, & reſtitutus eſt, ita vt
clare videret omnia. Bis iſti cæco Chriſtus impoſuit
manus: primo & vidit obſcure, ſecundo & omnia cla-
A re. In quo duplex illuminatio ſignificatur: prima per
fidem, ſecunda per ſpem: prima eſt gratiæ, ſecunda
gloriæ, in qua anima omnia clare videt. Igitur qui
Creatoris ſui claritatem vident, nihil in creatura agi-
tur, quod videre non poſſint. Sed nota quòd hunc
cæcum Dominus extra vicum duxit, & in oculos eius
expuit, & manus ei impoſuit, in quo ſignificatur quòd
is, quem Chriſtus extra mundanam ſocietatem, & va-
nitatem eduxerit, ſputo doctrinæ & ſapientiæ linie-
tur: cui manus virtutis & gratiæ imponitur ille ad il-
luminationem æternam peruenire poterit.

## SERMO II.

B CVm eiecta eſſet turba, intrauit Ieſus, & tenuit Mat. 9. c
*manum eius, & dicit: Puella ſurge.* In his
verbis quattuor conſideranda occurrunt.
Turba eijcitur, Ieſus ingreditur, manus
puellæ tenetur, ſurgere iubetur. Signifi-
cantur in his quattuor neceſſaria ad ſalutem, ſcilicet
vt impedimentum ſalutis euitetur, vt efficaciter de ſa-
lute cogitetur, vt voluntas per gratiam ad ſalutem
adiuuetur, vt a peccato anima in ſalutem iuſtificetur.
Primum ſignificatur ibi: *Cum eiecta eſſet turba.* Tur-
C ba malæ ſocietatis, quæ ſæpe ſalutem impedit: Non Exod. 23. a
ſequeris turbam ad faciendum malum. Item nota
quòd relinquere hanc turbam valet ad remiſſionem
peccatorum. Vnde hic: Eiecta turba, puella, ideſt ani
ma ſuſcitatur. Item ad immiſſionem donorum: Ap- Mat. 7. d
prehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos, ideſt
dona Spiritus ſancti in auriculas eius. Item ad con-
templationem diuinorum. Vnde Zachæus quia non
poterat Ieſum videre præ turba, *&c.* Certe ſi non eij- Luc. 19. a
cis a te turbam malorum in mundo, non peruenies
ad turbam beatorum in cælo. De qua turba: Vidi Apoc. 7. e
turbam magnam, *&c.* Iſidorus: Qui ſupernam pa-
D triam deſiderant, non ſolum malorum mores, ſed &
conſortia fugiant. Secundum ſignificatur cum dici-
tur: *Intrauit*. Cum enim homo magnitudinem ſup-
pliciorum, & præmiorum æternorum penſando de
ſalute animæ ſuæ efficaciter cogitat, tunc Ieſus, qui
interpretatur ſalus, domum mentis per gratiam præ-
uenientem intrat. Intrat autem ad ſuſcitandum, ad
defenſandum, ad conuiuandum. Intrat ad ſuſcitan-
dum in iuſtificatione, ſicut hic ſignificatur. Libenter
Ieſus intrat in domum mentis, in qua mortuus plan-
gitur. Plange ergo mortem animæ tuæ: Luctum vni- Ier. 6. g
geniti fac tibi planctum amarum. Bernardus: Si non
E plangis, plane non ſentis animæ tuæ vulnera, conſcien
tiæ læſionem. Intrat ad defenſandum in tentatione:
Intrauit in animam ſerui Dei, & ſtetit contra reges Sap. 10. c
horrendos, ideſt contra dæmones, qui regnant in
peruerſis. Vnde de ſatana dicitur: Ipſe enim eſt rex Iob 41. d
ſuper omnes filios ſuperbiæ. Item ad conuiuandum:
Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. Melius certe nobis eſt Apoc. 3. d
intrare Dominum, qua dæmonium ſicut ſatanas in-
trauit Iudam: Et poſt buccellam introiuit in eum ſa- Ioan. 13. e
tanas. Vterque tamen ad oſtium pulſat, libenter in-
trat. Vtrique autem non eſt aperiendum. Auguſti-
nus: Claudatur diabolo, & aperiatur Chriſto. Ter-
F tium ſignificatur cum dicitur: *Tenuit manum eius.* Si-
cut enim Ieſus intrat domum per gratiam præuenien
tem, ita tenet manum per gratiam ſubſequentem.
Manum vtramque Dominus tenet, dum efficaciter
bene operandi virtutem præbet. Quo modo enim
homo ſurget, aut quid boni ageret, niſi ſic Dominus
manum teneret? Auguſtinus: Sine Deo operante, vt
velimus, ſine cooperante vt poſſimus, ad pietatis ope-
ra nil valemus. Et nota quòd Deus bonis manum te-
net ad ſurgendum, ad deducendum, & ad ſumendũ.
Tenet Dominus manum hominis ad ſuſcitandum
eum de culpa, ſicut hic ſignificatur: tenet Dominus
ſuſcitando, vt teneas amando Dominum. Tenui illũ Cant. 3. b
nec dimittam. Tene ergo Dominum in te per amo-

rem & timorem; Tene te in Domino per amorem: *Eccli.27.a* Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubuertetur domus tua. Item ad deducendum in gratia. *Pſal.138.b* Pſalmus: Manus tua deducet me de virtute in virtutem, & tenebit me dextera, ſiniſtra tenebit te Dominus per timorem, *Cant. 2. b* dextera per amorem: Læua eius ſub capite meo, *&c.* Item ad ſuſcipiendum in gloria. *Pſal. 72. b* Pſalmus: Tenuiſti manum dexteram meam. Et in voce tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Certe quem Dominus non tenebit ad gloriam, *Iob. 18. b* diabolus eum tenebit ad gehennam: Tenebitur planta eius laqueo, ſcilicet inuidiæ, auaritiæ, & aliorum vitiorum. Quartum oſtenditur, cum ſubiungitur: *Puella ſurge*. Puella eſt anima vel voluntas, quæ in iuſtificatione ſurgit a morte culpæ: *Epheſ.5. c* Surge qui dormis, & exurge a mortuis. O anima mortua vita tibi fertur, cum dicitur: *Surge*. Vere enim ſurgis a morte culpæ. Auguſtinus: Quibus in hoc ſæculo vita offertur, & nolunt eam recipere: in inferno quærent mortem, & non inuenient. Et nota quòd ſurgere debet homo a peccato voluntatis, a peccato actionis, a peccato conſuetudinis. Et hoc per tres mortuos ſignificatur de quibus require ſupra in ſermone, *Reſedit qui erat*. *Pag. 204.*

## SERMO III.

*Mat. 9. a* *Confide filia, fides tua te ſaluam fecit*. Quia conſuetudo boni medici eſt ad confortationẽ infirmi acceptatæ medicinæ efficaciã multipliciter extollendo prædicere. Hinc eſt quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus medicus corporum, & animarum ad confortationem iſtius mulieris infirmæ appetentis ab ipſo ſaluari, dignatus eſt efficaciam ſpiritualis medicinæ, ſcilicet fidei curantis omnem languorem vtiliter præoſtendere, cum dicit in verbo propoſito: *Confide filia*, & cet. Vbi primo notatur diuina dignatio gratuitæ adoptionis, cum dicit: *Filia*. Secundo pia compaſſio virtuoſæ animationis, cum addit: *Confide*. Tertio neceſſaria inſtructio ſuæ curationis, cum ſubiungitur. *Fides tua te ſaluam fecit*.

Dicit ergo: *Filia*. Vbi primo notatur diuina dignatio gratuitæ adoptionis: dignatur enim Dominus adoptare quamlibet animam in filiam propter tria. Ratione quorum habet aſſimilari beatæ Trinitati. Et primum eſt ſplendor cæleſtis intelligentiæ. Secundum eſt decor caſtitatis, & munditiæ. Tertium eſt timor humilitatis, & reuerentiæ. (Deus propter tria adoptat animam in filiam.) Primo adoptat Deus animam in filiam propter ſplendorem cæleſtis intelligentiæ. *Pſal. 44. c* Vnde dicitur in Pſalmo: Audi filia, & vide & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcit rex decorem tuũ. Loquitur propheta in perſona patris æterni cuilibet animæ in eius nomine credenti, cum dicit: *Filia*, per adoptionis beneuolentiam. Audi, per manſuetudinis reuerentiam, & vide per cordis intelligentiam, & inclina aurem tuam, per operis diligentiam: & obliuiſcere populum tuum, ideſt carnales parentes, maxime quando ſunt in via Dei parentes contrarij, & domum patris tui, temporalis opulentiæ, & merito: quia iſta duo, ſcilicet inordinatus amor carnalium parentum, & deordinatus ardor temporalium rerum, conſueuerunt elongare animam a Deo, quia ſine dubio tunc Chriſtus rex per honoris excellentiam concupiſcet per acceptionis complacentiam decorem tuum, quod eſt per fidei formatæ refulgentiam. O deifica virtus fidei, & omni acceptione digna, certe quibus te laudibus efferam neſcio. Tu enim pro certo es, qui indignos ſeruos intantum exceſſiue exaltas, *Ioan. 1. b* vt Dei filio efficias, iuxta illud: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Secundo adoptat Deus animam in filiam propter decorem caſtitatis, & munditiæ, & de hoc dicitur in Pſalmo: *Pſal.44. c* Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs au-A reis circumamicta varietate, quaſi dicat: Omnis gloria, ideſt perfecta gloria per virtutis eſſentiam, non vana per põpoſitatis iactantiam cuilibet animæ Chriſtianæ, quæ eſt filia Regis æterni, debet eſſe non deformis reſpectu generoſitatis carnalis, aut pulchritudinis temporalis, vel ornatus exterioris, ſed ab intus per cordis ordinationem perfectam, in fimbrijs aureis, quantum ad triplicem virtutem Theologicam: fidei ſcilicet in credendo veraciter, ſpei in expectando firmiter: & charitatis in diligendo feruenter. Et bene virtutes Theologicæ fimbrijs aureis aſſimilantur: quia ſicut illæ ſunt in perfectum ornamentum totius veſtimenti B materialis, ſic illæ virtutes ſunt ornamentum, & complementum cuiuſlibet virtutis, ſiue indumenti ſpiritualis. Circumamicta varietatibus, quantum ad virtutum Cardinalium quadriformem differentiam, ſcilicet prudentiæ in eligendo vera. Iuſtitiæ in operando bona. Temperantiæ in moderando ſuauia. Et fortitudinis in ſuſtinendo mala. Tertio adoptatus Deus animam in filiam propter timorem humilitatis, & reuerẽtiæ. Vnde dicitur: Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis! *Cant.7. a* Iſte princeps regum terræ eſt Chriſtus Ieſus: filia dicitur quælibet anima propter timorem humilitatis, & ſubiacentiæ, C pedes autem eius ſunt potentia intellectiua, amatiua, & operatiua, ſcilicet greſſus dicuntur cogitationes, affectiones, & operationes, quibus animus graditur, & procedit: poſtremo per calceamenta, quæ fiunt de pellibus morticinis intelligũtur exempla ſanctorum, quæ dormierunt. Vnde tunc dicuntur pulchri greſſus cuiuſlibet animæ in calceamentis, quando quaſi calceata, & informata exemplis ſanctorum prouocatur ad pie cogitandum, recte loquendum, & bene operandum, & talibus itineribus peruenitur ad ſalutem, dicit igitur: *Filia*.

Sequitur: *Confide*. Vbi ſecundo notatur pia compaſſio D virtuoſæ animationis ex pietate compaſſionis: animabatur enim iſtam Dominus noſter Ieſus Chriſtus dicendo ei: *Confide*. Primo ſcilicet in filij ſapientia, vt illumineris ab errore infidelitatis, & ignorantiæ. Secundo in Spiritus ſancti clementia, vt purgeris a fœtore deformitatis culpæ. Tertio in patris potentia, vt ſaneris a languore pœnalitatis miſeriæ. Et hæc tria neceſſario ſe habent per ordinem. Nam nullus ſanatur ab infirmitate pœnæ, niſi primo illuminetur ab infidelitate ignorantiæ, & ſecundo purgatur a fœditate culpæ. Primo ergo dicit: *Confide*, in filij ſapientia, vt illumineris ab infidelitatis errore, & ignoE rantiæ. Et de hoc dicitur: *Sap.3. b* Qui confidunt in illum intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquieſcẽt illi, inquit Spiritus ſanctus. Qui confidunt in illum, ſcilicet Deum, per ſpei fiduciam in expectando certitudinaliter. Intelligent veritatem per fidei luculentiã in credendo fideliter, & fideles in dilectione, per charitatis beneuolentiam in amando finaliter, acquieſcẽt illi, per operis efficaciam ſeruiendo liberaliter, quoniam donum, & pax eſt electis Dei, per remunerationis abundantiam in recipiendo delectabiliter: huic conuenit quod dicebat Pſalmus. *Pſal.124.a* Qui confidunt in Domino ſicut mons Syon non cõmouebitur in æterF num, qui habitat in Ieruſalem. Secundo *Confide* in Spiritus ſancti clementia, vt purgeris a fœtore deformitatis culpæ. Vnde dicitur: Confidẽs in Domino, *Phil. 1. a* quia qui incœpit in vobis opus bonum perficiet, vſque in diem Ieſu Chriſti, quaſi dicat Apoſtolus: Non diffido intuitu meæ fragilitatis, immo confido in Domino conſideratione diuinæ virtutis: quia qui incœpit in nobis bonum propoſitum per inſpirationem gratiæ præuenientis, opus bonum perficiet, per remotionem culpæ inficientis, ratione cuius nullum opus eſt bonum in genere gratuiti, nec remuneratione dignum in conſpectu Dei. Perficiet vſque in diem Ieſu Chriſti, per adiutorium gratiæ ſubſequentis. Vnde tanta eſt humana fragilitas, quòd nequaquam poteſt per



per ſe exire in aliquod bonum opus meritorium, niſi gratia humana vota inſpiret præueniendo, & proſequatur adiuuando. Tertio, *Confide* in patris potentia vt ſaneris a languore pœnalitatis miſeriæ. Et de hoc poteſt accipi illud Pſalmi: *Pſal.24. a* Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcã. Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi, qui ſuſtinent, te non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacue. Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Inquit propheta: Ad te Domine leuaui animam meam, per mentis deuotionem. Deus meus in te confido: quantum ad petitionis exauditionem, non erubeſcam, per ſubuentionis denegationem. Neque irrideant me inimici mei, ideſt dæmones per impatientiæ furentis demonſtrationem: etenim vniuerſi qui ſuſtinent te, per tribulationis tolerationem, non confundentur, per deſperationis illaqueationem: immo confundentur per tentationis ſuperationem. Omnes dæmones iniqua agẽtes ſuperuacue per ſuggeſtionis immiſſionẽ. Vnde Ambroſius: (Dæmonum infeſtatio.) Dæmonum infeſtatio velut latronum obſidet multitudo, qui per omnes vias ſupplãtatores inuiſi animarum laqueos tendunt. Diabolus nititur reuocare quaſi tendendo laqueum a poſteriori, voluptatem præteritam ad mentem reducendo. Nititur etiam impedire quaſi tendendo laqueum ab anteriori, futurorum proſperitatem, & delectabilitatem promittendo. Nititur inficere tendendo laqueum a dexteris vanitatem mundi offerendo. Nititur etiam capere tendendo laqueum a ſiniſtris, auſteritatem pœnitentiæ oſtendendo, vt in his omnibus tamquam per laqueos capiat, quos laqueos poteſt anima euadere, cum ſe tota deuotione ad Deum conuertit ore humiliter ſupplicando vias tuas diuinorum præceptorũ. *Sap.9. b* Domine qui es veritas demonſtra mihi per ſeptiformis ſapientiæ donationem, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit coram te omni tẽpore. Et ſemitas tuas, tam conſiliorum, quàm exemplorum edoce me per multiformis gratię infuſionem. Vnde Gregorius: Niſi miſericors Deus noſtris viribus tentamenta modificet, nullus eſt qui malignorum inſidias euitare poſſit. Dicit ergo: *filia confide*.

Sequitur tertio: *fides tua te ſaluam fecit*, vbi notatur neceſſaria inſtructio ſuæ curationis. Ad hoc autem vt aliquis ſaluetur, inſtruitur vt neceſſario fides ſua ſit. (Fides qualis debeat eſſe.) Primo ſolida in credendo vera fideliter. Secundo deuota in expectando promiſſa certitudinaliter. Tertio magna in operando ardua viriliter. Primo debet eſſe fides ſolida in credendo vera fideliter. Et de hoc dicitur: *Act.15. b* Nihil diſcreuit inter nos, & illos fide purificans corda eorum, quaſi dicat Apoſtolus: Non eſt acceptio apud Deum, & hoc eſt, nihil diſcreuit, ideſt nullam diſtinctionem fecit inter nos Iudæos, & illos Gentiles, immo purificat corda omnium credentium ab omni tenebroſitate infidelitatis, & deformitate vitioſitatis, & hoc fide, ſcilicet formatæ credulitatis, quæ operatur per dilectionem: quia non eſt diſtinctio Iudæi, & *Rom. 10. c* Græci, ſed in omnibus beneplacitum eſt illi. Vnde *Iob. 5. b* Gregorius ſuper illud: Qui irrigat aquis vniuerſa, *Greg. lib. 6. Moral. in cap. 5. Iob. cap. 8. in fi.* ex omni genere hominum ad ſuam cognitionem vocat Spiritus ſancti gratia. Cum diuites ſibi ſubijcit, pauperes non repellit, cum fortes humiliat: ad ſe venire debiles non recuſat: cum nobiles colligit, ſimul ignobiles apprehendit, cum ſapientes ſuſcipit, imperitorum ſtultitiam non contemnit. Secundo debet eſſe fides deuota in expectando promiſſa certitudinaliter. *Heb.11. a* Vnde dicitur: Eſt autem fides ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Dicitur fides ſubſtantia rerum ſperandarum, ſicut fundamentum ratione ſuæ fortitudinis, ſuſtentat fabricam materialem: ſic in fidei ſubſtãtia, & ſoliditate collocatur, & ſuſtentatur ædificium ſpirituale, & quemadmodũ corpus non poteſt ſuſtentari ſine anima, quantum ad eſſe naturæ, ita nec anima ſine fide, quantũ ad eſſe graA tiæ: quoniam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. *Ibid. a* Et propter hoc dicitur: *Abac.2. a* Iuſtus meus ex fide viuit. Et propter hoc fides dicitur ſubſtantia, ſiue hypoſtaſis: quia ratione ſuæ ſoliditatis ſuſtentat, & ratione ſuæ virtuoſitatis conſeruat. Dicitur nihilominus fides argumẽtum non apparentium: quia ſicut argumentum arguit mentem, & illuminat ad hoc, vt homo conſentiat probare concluſioni, ita fides illuminat mentem ad aſſentiendum in omnibus primæ veritati: Vnde ſicut mens dirigitur per argumentum, & caput per oculum: ita anima per fidei habitum. Tertio debet eſſe fides magna in operando ardua viriliter. Ideo dicitur: *Heb. 11. f* Sancti B per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Vnde ſancti vicerunt regna cæleſtia, per fidem confirmantem affectum in paſſionis, ſiue tribulationis toleratione, & merito quia per multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei, *Act.14. d* & operati ſunt iuſtitiam, per fidem calcantem mundum terreneitatis deſpectione. Niſi enim terrena ſubſtantia deſpiciatur, numquam iuſtitiam operatur. Vnde: *Ioan. 5. a* Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Et Auguſtinus dicit: Qui veram fidem habet de Chriſto: non quærit in his miſerijs fieri diues. Inſuper adepti ſunt repromiſſiones per fidẽ remunerantC tẽ deiformitatis gloriæ aſſimilationẽ. Rogemus, *& cet.*

# DOMINICA XXIV.

## POST PENTECOSTEM.

### SERMO I.

*Mat.24. a* *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele propheta*. Chriſtus volens oſtendere D finem mundi, ad hoc vt peccatores ſe præpararent, & eſſent parati ad diem iudicij. Ideo dicit: *Cũ videritis abominationẽ*, &c. In quo verbo duo notantur. Primo ſignorum abominationum damnabilitas, ibi: *Cum videritis*. Secundo huiuſmodi ſignorum certa infallibilitas, ibi: *Quæ dicta ſunt a Daniele*, qui mentiri non poteſt. *Eccli.5. b* Vnde ſecundum dictum ſapientis: Ira Dei ſuper peccatores reſpicit. Vnde ſicut Chriſtus per duodecim apoſtolos faciendo ſigna, & prodigia totũ mundum conuertit, & illuminauit: ſic Antichriſtus E duodecim ſignis in duodecim mores gentium ponet: vt quaſi totum mundum peruertat, & illa ſigna in hominibus apparebunt ante eius aduentum, & in hoc finem mundi cognoſcemus. Primum ſignum ſiue prima abominatio erit, quando ſenes erunt fatui, & ſine prudentia. Secundum quando Chriſtiani erunt ſine fide. Tertium quando populus erit ſine dilectione. Quartum quando diuites erunt ſine miſericordia, contra iſtos clamat ſcriptura iuſtitiam. Primum ſignum, ſiue prima abominatio erit, quando ſenes erunt ſine prudentia: nam antiquitus ſenes erant magnæ ſapientiæ, & magni conſilij, vt ait ſapiens: In anF tiquis eſt ſapientia. Sed modo vide & ſenes conſidera: hodie non eſt in eis conſilium, nec prudentia, nec patientia, nec pudicitia, ſed deteriores quaſi in omnibus ſunt, quàm iuuenes, & ideo ait de eis Daniel: *Dan.13. a* Egreſſa eſt iniquitas a ſenibus, qui videbantur regere populum, & erant iudices: quia alij non ponebantur iudices in tempore illo, & ideo flebat ſapiens, & dicebat: *Eccli.25. a* Vaniſſimum ſub ſole eſt ſenem fatuum, & inſenſatum: Et iſti ſimiles ſunt, & dici poſſunt illis, de quibus ait Ezechiel de ſenibus, qui tenebant dorſum contra templum Domini. Hodie multi tenent dorſum contra templum: quia ſunt ſenes queruli, triſtes, impatientes, accidioſi, tenaces, auari, laudant antiquos, ſpernunt modernos. Et quanto magis ap-pro-

propinquant ad mortem, tanto magis ardentiores ſunt A in congregando: quod eſt contra rationem: nec etiã curant de mortuis parentibus cum habeãt eos breuiter ſequi, nec etiam viuis pauperibus.

Secundum ſignum ſiue abominatio erit, quando Chriſtiani erunt ſine fide. Nam omnibus virtutibus fides eſt nobilior, & magis neceſſaria: quia ſine fide impoſſibile eſt ſaluari. Et ideo ſancti antiquitus faciebant multa miracula, quia populus erat bene fidelis. *Mat.21.b* Vnde Chriſtus dicebat: Si habueritis fidem, diceris huic monti: transfer te in mari, & fiet. Quapropter ſancti mortem ſuſtinebant ſicut martyres, & mortuos ſuſcitabant, & etiam omnes ægritudines ſa- B nabant: ſed modo Chriſtiani ſunt deterioris conditionis, quàm infideles, qui dum ore confitentur, factis negant, nam per eos Deus contemnitur in ſacramentis: etiam vituperatur, blaſphematur: præcepta non cuſtodiunt, legem Dei contemnunt, vadunt ad diuinos: faciunt experimenta, inuocant dæmones, & eis ſacrificant, obſeruant dies, timent auguria, &, vt dixi, timent Deum verbis, factis vèro negant: & certe dæmones credunt, & contremiſcunt, & tales dicunt ſe Chriſtianos, & non ſunt. Tales ſunt ſimiles noctuæ quæ oculos habet, & tamen de die non videt, ſed quare? quia obſcurantur a magno lumine: ſic eſt de C quibuſdam Chriſtianis, qui oculos habent fidei, ſed *Pſal.113.b* malitia excæcauit eos. Et de talibus ait Pſalmus: Oculos habent, & non videbunt. Hic eſt oculus interior quem coruus infernalis conatur eruere: ſicut coruus oculum animalis debilis, vt interficiat, & comedat. *Aug.ſer.de temp. 38. to. 10.* Auguſtinus: Fides eſt radix omnium virtutum, quæ ſi euelletur cæteræ virtutes areſcunt.

Tertium ſignum erit, quando populus erit ſine pace, & dilectione. Nam antiquitus ſe mutuo diligebant, non ſolum vicini vnius cameræ, vel vnius villæ, ſed etiam vnius prouinciæ, vel linguæ, & quaſi fratres in omnibus ſe habebant, ſed modo eſt totum oppoſitũ: D quia charitas refrigeſcit, & inualuit rancor, & mala *Prou.14.c* voluntas. Contra tales ait Sapiens: Proximo ſuo pauper odioſus erit, amici vero diuitum multi: immo eſt plus quòd filius non diligit patrem, nec filia matrem, & ſic de ſingulis, quo modo vnus contria alium accuſando iniurijs, decipiendo in mercaturis: ſpolia cum vſuris: defamando cum mendacijs, ſcandalizando cum iniurijs, & hoc aliquando facit *Eccl.29.c* lingua tertia, quia vt dicit Sapiens: Multos commouit, & hoc eſt ſignum aduentus Antichriſti ſecundum *Luc.21.c* verbum Chriſti in euangelio: Surget gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum.

Quartum ſignum erit, ſiue abominatio, quando E diuites erunt ſine miſericordia. Nam antiquitus diuites erant pij, miſericordes, modeſti, patientes, & humiles, in aduerſis patientes. Exemplum de Dauid, Salomone, de Iob, & de alijs multis, quo modo pauperes iuuabant, quo modo ſe humiliabant, ſua diſtribuebant, aliena non rapiebant. Sed modo vide, & cõſidera peruerſitatem hominum diuitum, quo modo ſunt auari, raptores, ſuperbi ſine miſericordia, ſine fide vſurarij, permittunt mori fame vicinos ſuos de his, quæ dant canibus, & porcis, ſicut habetis. Exemplum de diuite, & Lazaro, & non ſolum dant nec F dare volunt, ſed multis modis eis auferunt, vt patet in vſurarijs: interdum ſub ſpecie pietatis, & miſericordiæ ſi videant domum, ouem, bouem, terram, vineã, vel aliam poſſeſſionem deſiderabilem pauperi vicino quaſi compatiendo inuitant eum, quòd accipiat bladum, vinum, pannos, vel pecuniam, & non dormiunt donec illa poſſeſſione eum ſpoliauerint. Nota de illo *Exemplũ.* Lupo, & de Raynardo, vel de vſurario, vel de illo, qui cum accipiebat, habebat oculos lippos. Item *2.Reg.10.b* de filijs Amon quo modo vituperauerũt nũcios ſuos, quos miſerat Dauid, truncantes eorum habitus, & radentes dimidiam barbam eorum. Amon interpretatur populus iniquus, vel inutilis: tales ſunt hodie diuites propter eorum auaritiam radunt pauperes, & eos ſcandalizant, quos ille verus Dauid, ideſt Chriſtus miſit ad conſulendum de morte ſua, & de paupertate ſua vituperant blaſphemijs, ſpoliãt cum vſuris, & radunt barbam eorũ, priuando beneficijs, reſpicite mundum ſi per auaritiam perditur, & hoc omnes ſtatus mundi: ideo Dominus maledicit diuitibus dicens: Væ *Iſa. 5. b* vobis diuitibus, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, quæ erit merces veſtra, quàm quod aufertur a vobis regnum Dei, quia alijs vos aufertis eorum poſſeſſiones. Hic nota de procuratoribus, & aduocatis, de vſurarijs quo modo ſpoliãt B pauperes, contra iſtos prophetauit Abdias, dicens: Si- *Abd. 1. e* cut feciſti fiet tibi, & retributionem tuam conuertet in caput tuum, quaſi dicat: ſicut non feciſti miſericordiam, ſic nec fiet tibi: & ſicut ſudorem, & ſanguinem aliorum bibiſti, ita dæmones facient in inferno de te. Propter iſtos ſenes fatuos Chriſtianos ſine fide, populos ſine dilectione, diuites ſine miſericordia dicit propheta: Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra: incenſum *Iſa. 1. b* abominatio eſt mihi: Neomeniam, & Kalendas veſtras non feram: & ideo cum multiplicaueritis orationem non exaudiam: manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine, ideo audiuit ille de Euangelio: Nonne oportuit & *Mat.18.d* C te misereri conſerui tui? *et cet.* Et ille alius qui guttã *Luc.19.e* aquæ non impetrauit, quia pauperi eleemoſynam negauit, & de talibus dicit Pſalmus: Ecce ipſi peccatores *Pſal.72.b* obtinuerunt diuitias, & dixi: ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meũ. Et ſequitur: Quo modo facti ſunt in deſolationem ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitates ſuas.

Quattuor alia ſigna, ſiue abominationes inuenio. Primum ſignum erit quando iuuenes erunt ſine reuerentia. Secundum ſignum quando erunt pauperes ſiſine humilitate. Tertium ſignũ quando mulieres erũt ſine verecundia. Quartum ſignum erit quando matri- D monium erit ſine continentia. Dico quòd primum ſignum abominationis Antichriſti erit, quando iuuenes erunt ſine reuerentia, & timore, & maximè parentum. Nam ſolebant eſſe iuuenes in timore parentum vſque ad quinquageſimum quintum annum, & eis in omnibus obediebant: erant verecundi, ſeruabant munditiam per magnum tempus, & cum reuerentia inter maiores, & alios loquebantur: ſed modo eſt totum oppoſitum, ſunt inobedientes parentibus, & alijs ſine reuerentia ſunt, ante tempus immundi, & quod deficit de ætate ſupplet malitia. Sed ſecundum doctores peccata, quæ committuntur ante ſepti- *Peccata puerilia ante ſeptimum annum parentibus imputantur.* E mum annum, imputantur parentibus, quia eos male nutriunt: hinc euadunt ſine reuerentia loquentes, blaſphematores, murmuratores, diffamatores. Contra tales clamat Abacuc propheta, dicens: Vſquequo *Abac.1.a* Domine clamabo, & non exaudies: quare non reſpicis contemptores te? Quare contra eos non facis vindictam? propter hoc lacerata eſt lex, & tales male viuunt, & damnantur, ſicut dicit Gregorius de illo pue- *Greg.lib.4. Dial. c.18.* ro quinque annorum, qui blaſphemus erat, & dæmon eum de manibus patris deportauit, vel de tribus iuuenibus Italiæ cum maſſa defuncti. Secundum ſignum erit Antichriſti, quãdo pauperes erunt ſine humilitate: F ſed humiles eſſe debent, & eſſe cõſueuerunt, quia nutriuntur de bonis aliorum, & eorum humilitas debet oſtẽdi in opere, & ſermone iuxta illud: Cum obſecra- *Prou.18.d* tione loquitur pauper, diues affabitur rigide: ſed modo conſidera, & vide pauperes quo modo ſunt ſuperbi, bilingues, detractores, murmuratores, deriſores, latrones, blaſphematores, dæmones imitantes, opus falſificantes, malitioſi, & ſaturati, otioſi, male reſpondentes, mendaces, & hoc eſt ſignum Antichriſti certe ſic, & dubito quòd non tardabit. Ait ſapiens: Tria ſunt quæ odit Dominus; ſuperbum pauperem, *Eccli.25.a* diuitem mendacem, ſenem fatuum. Tertium ſignum Antichriſti erit quando mulieres erunt ſine verecundia. Nam mulieres antiquitus conſueuerunt habere mirabi-



mirabilem honeſtatem, & munditiam intantum quòd A legimus quòd erant duæ mulieres, vna publice tenebat hoſpitium, & alia ſtabat in via, ſed modo videatis ſi ſint plures quàm duæ vbi eſt honeſtas earum, eam totaliter amiſerunt: vide vias, vallatos, campos, vineas, hortos, plateas, vicos, domos, ſi de bonis, ſcilicet de veſtibus, in conſpectibus, in colloquijs ſuis, ſi in iſtis oſtendunt honeſtatem, certe non, immo ita parum verecundantur ire ad malum ſicut ad Eccleſiam. Qua- *Oſee.1.a* re de talibus prophetauit, dicens: Sume tibi vxorem fornicariam, ſignificans quòd ita eſſet futurum, & voca nomen eius Iſrael quod interpretatur viſitatio: quia ſuper tales viſitabit Dominus viſitatione terribili de B verecundia virorum, vel mulierum, de vacca raſa, & ſe monſtrata. Quartum ſignum erit quando matrimonium erit ſine continentia. Nam matrimonium eſt ſtatus digniſſimus: quare? quia in paradiſo terreſtri, & a Deo inſtitutus, & priuſquam alij ordines, & etiam ſunt ibi tria bona, ſcilicet honor, amor, & fidelitas. Debet eſſe ibi amor propter vnionem, quam poſuit *Gen.2.d* ibi Dominus, propter hoc ipſe dixit: Relinquet hõmo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: certum eſt quòd ſuper omnes amores amor patris, & matris eſt magis naturalis, & tamen Deus præponit amorem coniugalem, quare? credo quòd grauiſſime C peccant illi, qui inter eos ponunt diſcordiam, & idem eſt ſi mulier prouocat virum, & vir mulierem. Item eſt ibi honor, & ideo erat ſcriptum in lege, vt ſi quis percuteret prægnantem ſtringebatur ad magnam pœ- *Deut.21.c* nam. In quo patet quòd multum ſunt puniendi illi, qui ſuas percutiunt mulieres, niſi forte ſi non ſeruarent fidem promiſſam. Item eſt ibi ſumma fidelitas ad iſtud ſeruandũ: ſtatutũ enim erat in lege quòd mulieres, & viri adulterantes debebant lapidari, certe multi lapidarentur hodie, & etiam dubito quòd deficerent lapidatores, erat etiam antiquitus quòd vnus prouocabat alium ad bonũ, vt habetur de multis, qui D ieiunabant, orabant, temporibus continebant, in pace & concordia viuebant, ſed modo quid eſt matrimonium, iam eſt horrendum audire & videre: quia ibi non eſt aliqua continẽtia, & quaſi poſſem dicere (non dico quòd ſit) proſtibulum priuatum, ſiue ſecretum quàm matrimonium, cauſa quia ſine continentia, ſine deuotione, ſine oratione. Recte ſunt ſicut ait *Pſal.13.c* Pſalmus: Sicut equus & mulus, *et cet.* & ibi multi cõmittunt peccata mortalia, & propter hoc multi generant filios proteruos, & inobedientes infirmos & leproſos, excepta Dei offenſa: quare contra iuuenes ſine reuerentia, pauperes ſuperbos, mulieres ſine vere- E cundia, matrimonium ſine continentia prophetauit *Pſal.105.f* Pſalmus: Immolauerunt dæmonijs, & non Deo: & ſequitur: Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt, quia prouocauerunt eum filij, & filiæ.

Alia quattuor ſigna peſſima erunt Antichriſti aduentus, ſcilicet quando clerici erunt ſine honeſtate, & ſanctitate. Religioſi ſine veritate, & auſteritate. Prælati ſine ſolicitudine regiminis, & pietate. Domini terrarum ſine more ſubditorum, ſine miſericordia & liberalitate. Primum ſignum erit, quando clerici *1.Pet.2.b* erunt ſine honeſtate, & ſanctitate. Nam ſecundum F Apoſtolum ipſi clerici ſunt, & eſſe debent genus electum regale ſacerdotium, & cum ex hoc, quia antiquitùs erat in eis mirabilis ſanctitas, honeſtas, & puritas, & in ſignum huius vngebantur in mollicula auriculæ, & in pollice manus, & pedis ad ſignificandum quòd illi, qui ſeruiunt Deo, debent in omnibus ſenſibus eſſe vncti vnctione Spiritus ſancti, & ideo modo vnguntur chriſmate: ſed modo vbi eſt eorũ ſanctitas, & honeſtas? bene curioſi in omnibus factis ſuis platearij, fabulatores, habent arma ad nocendum ſicut prædones, incontinentes, viſitatores generoſi, & ſimoniaci, & multa mala reperiuntur in eis plus quàm in laicis, ante erant miſericordes, veraces, humiles in verbis, & factis caſti, & veri paſtores, ſed modo facti ſunt A ſacerdotes bel. Bel interpretatur vetuſtas, vel domicilium vetuſtatis, contra iſtos dicit Malachias propheta: *Malac.1.b* Ad vos ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis: in quo deſpeximus nomen tuum? Offertis panẽ pollutũ ſuper altare meũ, &c. non eſt voluntas mea in vobis, & munus non ſuſcipiã de manu veſtra. Secundũ ſignũ erit quãdo religioſi erũt ſine veritate, & auſteritate, & abſtinentia. Antiquitus erant multum orãtes, mundum fugientes, pœnitentiam facientes, herbas crudas comedentes, peccata ſua, & aliorum plorantes, & ideo gentes eis adhærebant, ſua eis dabant ſicut patet in multis religioſis, qui plura habent quàm re- B ges, & nobiles, ſed totum hodie reperitur oppoſitum vbi ſunt lacrymæ vigiliæ, abſtinentiæ, diſciplinæ, vbi honeſtas, vbi explanatio, vbi viſiones angelorum, quanta abominatio hodie eſt: quia ſunt mundum ſequentes, negociatores ſine oratione, & deuotione, multa fercula inquirentes ſplendidius volunt comedere, bibere, dormire & induere quàm multi nobiles & potentes, & curioſi ſicut mulieres, tales nõ ſunt religioſi, ſed ſepulchra dealbata. De iſtis dicitur: Cũ *Deut.12.d* ingreſſurus eris terram, quam Dominus daturus eſt tibi, caue ne imitari velis abominationes illorum gentium, quos eijciet Dominus a facie tua, ſed de reli- C gioſis pauperibus, qui in fine mundi dati ſunt mundo, qui cum maximo feruore venerunt, quorum inſtitutores fuerunt mundi contemptores, diuitias & honores contemnentes, parce comedentes, & bibentes, multum orantes, multum flentes, familiaritates ſæcularium fugientes humiles, benigni, mites, pacifici, ſed modo eſt totum oppoſitum: pauperes religioſi currunt ad negotia ſæcularia ad dominos terrarum, & quaſi curſores facti ſunt, fugiunt Eccleſiam & ſuos conuentus, ſuperbi ſunt indignantis naturæ, adulantur magnatibus, diligunt & honorant diuites, pauperes vilipendunt, procurant ſibi honores, & præ- D lationes, & menſas opulentas ſequuntur. Contra iſtos prophetatum eſt: Ponite corda veſtra ſuper vias, ſemi- *Aggai.1.a* naſtis multum, & parum intuliſtis: & qui merces congregat, miſit eas in ſaccum, ſic & iſti religioſi. Tertium ſignum Antichriſti erit, quando prælati erunt ſine ſolicitudine regiminis, & pietate & cura paſtorali. Nam conſueuerunt eſſe vigiles ſuper ſubditorum negotijs ſpiritualiter, & temporaliter, defendebant viduas pupillas, pauperes nutriebant, & tamquam veri patres de eis curabant, & eos defendebant, in orationibus vigilabant, multum abſtinebant, vſurarios & malefactores excommunicabant. Sed nunc eſt quaſi totum E oppoſitum, vbi ſunt eorum orationes, vbi lacrymæ, vbi vigiliæ, vbi ſubſidia viduarum & pauperum, vnde viuant? & manutenent diuites vſurarios Iudæos, præſtantes eis adiutorium, & fauorem & auxilium, & ad eorum inſtantiam excommunicant viduas, pupillos, pauperes, & ibi vna ratio, quia ab ipſis vſurarijs recipiunt munera, & dona per litteras excommunicationis, & abſolutionis pauperum: & ideo melius poſſunt dici raptores quàm defenſores. Redditus quos habent, vbi expenduntur? Deus ſcit vbi & quomodo, non pauperibus, & ideo de talibus prophetauit Zacharias: Iratus Dominus ſuper patres veſtros *Zach.1.a* F iracundia magna contra patres, ideſt prælatos qui debẽt eſſe patres verbo & exemplo: conuertimini de vijs veſtris peſſimis, & malis cogitationibus. Quartũ ſignũ erit, quando Domini terrarum, ſine amore erunt ſubditorum, & ſine miſericordia. Nam antiquitus domini ſolebant eſſe benigniſſimi, miſericordes, familiares, & vſque ad mortem eos defendebant, iuſtitiam tenebant, etenim nulla pecunia mala adulatione deuiabant, ſed modo eſt iſtud ſignum peſſimum, reſpice curias regum, comitum, baronum, dominorum, prælatorum, omnes corrupti ſunt pecunia, & muneribus: pauper ibi non auditur, & ſi auditur non exauditur, ſed deprædantur. Iudæi, diuites, & baratores ibi aſſiſtunt, & exaudiuntur, & domini ſunt crudeles

deles & tales officiales volunt infideles, qui ſine miſe-
ricordia ſunt, audiunt quòd diuites multa inferunt
pauperibus, & non corrigunt aliquem. Contra iſtos
prophetauit Sophonias, dicẽs: Princeps eius in medio
eius, vt leones rugientes inquirentes pecuniam, & non
iuſtitiam iudices eorum, quaſi lupi veſpertini.

## SERMO II.

Mat. 24. b VÆ *autem prægnantibus, & nutrientibus in illis
diebus*. Prægnantes & nutrientes luxurio-
ſos ſignificare poſſunt. Væ autem damna-
tionis non his ſolum, ſed omnibus per ſe-
ptem vitia capitalia vitioſis debetur. Væ ergo impijs
Iſa. 28. a propter ſuperbiam: Væ coronæ ſuperbiæ ebrijs Ef-
fraim, & flori decidenti gloriæ exultationis. Bene
dicit, coronæ. In coronis enim & ornamentis capitis
ſpecialiter ſuperbia oſtendi ſolet, quod eſt cõtra quod
Eſther. 14. d dicitur: Tu ſcis infirmitatem, & neceſſitatem noſtrã
quòd abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ,
quod eſt ſuper caput meum. Ioannes Chryſoſtomus;
Crimen eſt, caput poſt chriſmatis ſanctificationem,
aut croco, aut alterius pigmenti ſucco, vel puluere
ſordidari, aut auro vel gemmis, vel cuiuſlibet terre-
næ creaturæ ſpecie comi, quod iam cæleſtis ornatus
ſplendore refulget. Item bene dicitur, flori deciden-
ti. Flos enim gratiæ temporalis, flos pulchritudinis
Iſa. 40. b mortalis, flos iuuentutis corporalis cito decidit: Om-
nis caro fenum, & omnis caro eius, quaſi flos agri.
Exſiccatum eſt fenum, & cecidit flos. Item propter
Epiſt. Iud. inuidiam. Vnde in Canonica Iudæ: Væ illis, qui in viã
Caim abierit. In via Caim abierunt, qui proximos
1. Ioan. 3. c odiunt ſicut Caim fratrem ſuum: Qui odit fratrem
ſuum, homicida eſt. Inuidi ergo, qui verbis vel fa-
ctis malum procurant proximis, non ſolum Caim la-
tronem; ſed & Iudam traditorem ſicut imitantur in
Mat. 26. b culpa, ita ſequuntur in pœna. Væ ergo illis: Væ ho-
mini illi, per quem filius hominis tradetur. Grego-
rius: Qui poſt puniendi ſunt retributionis ſupplicio,
ſeipſos afficiunt inuidiæ tormento. Item væ propter
Iudit. 16. c iram: Væ genti inſurgenti ſuper genus meum, Domi-
nus enim omnipotens vindicabit in eis in die iudicij.
Viſitabit illos, & dabit ignem, & vermes in carnes
eorum, vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum:
Iracundi inſurgunt verbis & factis ſuper alios, ſed væ
eis, qui ſeipſos vindicant in mundo. Ideo bene dici-
Rom. 12. d tur hic, quòd Dominus vindicabit in iudicio: Mihi
vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed
valde timendum eſt quod Ioannes Chryſoſtomus ait:
Non iracundos tantum, & malitiæ memores punit
Deus, ſed etiam eos, qui iraſcentes aut offenſos fratres
placare negligunt & contemnunt. Item væ propter
Abac. 2. b auaritiam: Væ ei, qui multiplicat non ſua. Vſquequo,
aggrauat contra ſe denſum lutum? Vſurarij, fures,
prædones, non ſua, ſed aliena multiplicant, auferunt
Iſa. 33. a enim alijs, & auferetur ab eis: Væ qui prædaris: non
ne & ipſe prædaberis? Bene autem temporalia dicun-
tur lutum, quoniam coinquinant animam. Bernar-
dus: Beatus qui poſt illa non abijt, quæ poſſeſſa one-
rant, amata inquinant, amiſſa cruciant. Item propter
Mat. 11. c accidiam: Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia
ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ
ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam
egiſſent. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni
remiſſius erit in die iudicij. Horribilis eſt iſta accidio-
ſis ſententia, qui propter torporem, & pigritiam poſt
multas doctrinas, & exempla virtutum, negligunt
pœnitentiam agere, & Deo ſeruire. Nota quòd dicit
remiſſius. Ex hoc collige, quòd pro eis, & alijs vitijs
illis paribus, remiſſius erit Paganis quàm malis Chri-
ſtianis, & laicis quàm clericis, & ſæcularibus quàm
religioſis, & rudibus quàm ſapientibus. Væ miſeris
accidioſis tam duris, & ad bonum tam remiſſis. Ber-
nardus: Væ vobis ad duritiam cordis. Væ vobis a
A peccato gentium; quas Apoſtolus ſine commiſſione
commemorat. Item væ propter gulam: Væ vobis, Luc. 6. d
qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Saturati inquam non
ſolum cibo, ſed etiam potu: Cui væ? cuius patri væ: Prou. 23. d
cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuf-
foſſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vi-
no, & ſtudent calicibus epotandis? Require expoſi-
tionem in ſermone: *Deficiente vino*. Item væ pro- Pag. 42.
pter luxuriam: Apparuit ignominia tua, adulteria Ier. 13. d
tua, & hinnitus tuus, ſcelus fornicationis tuæ. Super
colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi Ieru-
ſalem. Væ ergo damnationis æternæ omnibus in præ-
B dictis vitijs per ſe peccantibus. Sed præcipue væ om-
nibus in eiſdem vitijs aliquos ſcandalizantibus: Væ Mat. 18. a
homini, per quem ſcandalum venit.

## SERMO III.

VBi *fuerit corpus, ibi congregabuntur, & aquilæ:* Mat. 24. c
Chriſtus Ieſus dicit ſeipſum corpus, aqui-
las omnes iuſtos, qui ad Chriſtum congre-
gabuntur in iudicio & in cælo. Conſide-
randum autem, quòd aquila eſt Chriſtus, angelus, ho-
C mo, diabolus. Aquila eſt Chriſtus, propter iuſtifican-
di altitudinem, angelus propter volandi fortitudinẽ,
homo propter renouandi aptitudinem, diabolus,
propter deuorandi conſuetudinem. De primo: Num-
quid ad præceptum tuum eleuabitur aquila? *et cet.*
Require expoſitionem. Numquid ad præceptum Iob. 39. d
tuum, in tertio membro; vbi etiam poſt hanc aquilã
ſuper te ad cælum volantem, & ſi volaueris ad primũ
chorum angelorum feliciter volaſti, ſi ad ſecundum,
felicius, & ſic de ſingulis: quanto ad altiorem ordinẽ
perueneris, tanto felicius volaſti. Gregorius: Sed
adhuc in infirmitate corporis, ſequamur tamen paſſi-
D bus amoris. De ſecundo: Vos ipſi vidiſtis, quæ fece- Exo. 19. a
rim Ægyptijs, quo modo portauerim vos ſuper alas
aquilarum. Bene angeli aquilis comparantur. Aquila
enim irreuerberatis oculis ſolem videre in rota dici-
tur: ſicut angeli ſolem deitatis æternaliter contem-
plantur: Angeli eorum ſemper vident faciem patris Mat. 18. b
mei. Fortitudo volatus exprimitur, quando in volan-
do ſuper alas aliquid portare dicitur. Alæ autem aqui
larum, ſunt miniſteria angelorum. Vna ala eſt mini-
ſterium defenſionis a malo, altera, promotionis ad
bonum. His alis tamquam manibus nos portant in
via ambulantes. Pſalmus: In manibus portabunt te, Pſal. 90. c
E *et cet.* Item portant ad requiem euolantes. Factum
eſt, vt moreretur Lazarus, & portaretur, *et cet.* Vnde Luc. 16. e
iſtæ aquilæ ad nos volant, vt nos in morte deportent.
Bernardus: Non ambigo, quin gratanter in palatio
colligant, quæ dignanter in ſterquilinio viſitant. De
tertio Pſalmus: Renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua. Pſal. 102. a
Aquila in ſenectute roſtro ſibi nimis adunco ſumere
non valet cibum, vnde langueſcit & decreſcit, tamdẽ
ad petram vncum roſtri deponit, & ſic cibum ſumẽs
reuiuiſcit. Sic peccator curuitates peccatorum, & ma-
xime peccata labiorum, tamquam curuum roſtrum
deponat ad petram Chriſtum, vel pœnitentiæ, quæ
F grauis eſt & dura, ſicut petra: Deinde cibum doctri-
næ, & gratiæ & Euchariſtiæ ſumere valebit, & ſic in
ſpiritu ſicut aquila renouabitur: Renouamini in ſpi- Epheſ. 4. f
ritu mentis veſtræ, *et cet.* In renouatione iſta dat Deus Gregor. ho.
nouas plumas, nouas virtutes, noua mandata. Grego- 32. in Euã
rius: Quia Dominus, ac Redemptor noſter nouus gel. to. 3.
homo venit in mundum, noua præcepta, *et cet.* Nota
quòd iſta aquila duas habet alas. Require ſupra in *ſer-
mone: Numquid ad præceptum tuum* in tertio mem-
bro. De quarto: Velociores fuerunt perſequutores Thren. 4. d
noſtri aquilis cæli. Ante enim tranſiret diabolus mil-
le milliaria, quàm aquila vnum paſſum. Vnde ſicut
aquilæ circa cadauer fœtidum congregantur, ſic dæ-
mones circa peccatorem feſtinanter conueniunt mo-
rientem: Volabit quaſi aquila feſtinans ad comeden- Abac. 1. c
dum.



dum. Tunc euadere non poteſt impius diabolum, ne-
que fugiendo, quia aquila velociter eſt: neque defen-
dendo, quia fortior leone eſt diabolus. Vnde diabo-
lus eſt beſtia illa: Et alas habebat quaſi aquilæ. Ioãnes
Dan. 7. a Chryſoſtomus: Nec reſiſtendi virtus, *et cet.* Require
Pag. 175. in ſermone primo: *Omnis arbor*. Et bene leænæ con-
Exemplũ. paratur diabolus. Leæna enim quando timet catulos
perdere, ferociſſima eſt, ita diabolus quando per con-
uerſionem amittere timet peccatorem. Iſidorus: Tũc
circa eum, quem poſſidet, diabolus acrius ſæuit, quo
ſe citius diuina virtute ab eo expellendũ recognoſcit.

## SERMO IV.

Mat. 24. c TVnc *apparebit ſignum filij hominis in cælo*:
Supra in eodem Euangelio, dicitur: Da-
bunt ſigna magna, *et cet.* Conſiderandum
autem, quòd tempore nouiſſimo appare-
bunt quadruplicia ſigna. Primo ſigna er-
roris ad decipiendum: Secundo ſigna terroris ad con-
cutiendum. Tertio ſigna amoris ad conuincendum:
Quarto ſigna decoris ad retribuendum. De primis
dicitur in hoc Euangelio: Surgent pſeudochriſti, &
pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, *&c.* Hoc maxime
intelligi poteſt de Apoſtolis Antichriſti, qui plura ſi-
gna facient. Gregorius: Fidelibus in Antichriſto cer-
tamina non deerunt, ſed tanta erunt illius temporis
Apoc. 13. c vt noſtrorum pauca, vel nulla videantur: Seducet ha-
bitantes in terra propter ſigna, quæ data ſunt illi face-
cere. In eodem capitulo legitur in diuerſis locis, quòd
ſimulabit ſe Antichriſtus mortuum, & per triduum la
tens apparebit, ſe dicens ſuſcitatum, & faciet magnam
viſionem aſcenſionis in cælum. Item apoſtoli eius di-
ſcurrent per orbem, vt faciant mundum adorare An-
tichriſtum. Et ſicut Spiritus ſanctus in igne deſcendit
Act. 2. a ſuper Apoſtolos, ſic Antichriſtus malignum in ignem
deſcendere faciet ſuper ſuos, & loquentur varijs lin-
guis, & facient fieri ſtatuam imaginis Chriſti, & arte
magica facient loqui, & futura prædicere. Dum er-
go ignem mittere, & mortuos ſuſcitare videbitur, pœ-
ne totus mundus ſeducetur. Gregorius: Qui electi
ſunt ad perſiſtendum per ſigna prædicatorum Anti-
Luc. 21. e chriſti, precabuntur ad cadendum. De ſecundo: Erũt
ſigna in Sole, & Luna, *et cet.* Hieronymus in Annali-
bus Hebræis inuenit quindecim ſigna dierum ante diẽ
iudicij. Sed vtrum continui futuri ſint dies illi, an in-
terpolatim, non expreſſit. Prima die eriget ſe mare
quadraginta cubitis ſuper altitudinem montium ſtans
A in loco ſuo quaſi murus. Secundo tantum deſcendet,
quòd vix poſſit videri. Tertio maxime belluæ appa-
rentes ſuper mare ſtabunt, & dabunt rugitus vſque
ad cælum. Quarto ardebit mare, & aqua. Quinto
herbæ, & arbores dabunt rorem, & ſanguinem. Sex-
to ruent ædificia. Septimo petræ adinuicem colli-
dentur. Octauo fiet generalis motus terræ. Nono
æquabitur terra. Decimo exibunt homines de cauer-
nis, & ibunt velut amentes, neque poterunt mutuo
loqui. Vndecimo ſurgent oſſa mortuorum, & ſtabũt
ſupra ſepulchra. Duodecimo cadent de cælo ſtellæ.
Decimotertio morientur homines viuentes vt cum
B mortuis reſurgant. Decimoquarto ardebit cælum,
& terra. Decimoquinto fiet cælum, & terra noua, &
reſurgent omnes. De tertio hic: *Tunc apparebit ſignum
filij hominis in cælo*, ideſt in aere: Dominus enim appa-
rebit in aere ſupra locum, vnde aſcendit, & ante eum
inſtrumenta mortis ſuæ quaſi vexilla triumphi. Crux
claui, lancea, & cicatrices. Ioannes Chryſoſtomus:
Non erit tunc neceſſitas accuſationis, cum viderint
crucem, & Chriſtum habentem in corpore ſuo teſti-
monia paſſionis. His ſignis conuincentur impij ma-
gnæ ingratitudinis. Pſalmiſta: Turbabuntur qui habi Pſal. 64. b
tant terram a ſignis tuis. Sicut enim tuba iudicis ab
C hominibus videtur, ſic ſignum crucis ab hominibus
videbitur. Cum eleuatum fuerit ſignum in montibus Iſa. 18. b
videbitis, & clangorem tubæ audietis. De quarto: Si- Apoc. 12. a
gnum magnum apparuit in cælo: mulier amicta ſole,
*et cet.* Mulier iſta eſt vniuerſalis Eccleſia, quæ poſt re-
ſurrectionem in quolibet membro magnæ gloriæ ſi-
gna habebit. Ipſa enim in membris ſuis, ideſt in om-
nibus iuſtis quo ad ornamenta erit amicta ſolari clari-
tate. Anſelmus: In illa vita iuſtorum ſolis pulchritu-
dini, quæ ſeptempliciter, quàm modo ſit, ſplendidior
erit, adæquabitur. Item quoad animas erit coronata
beatitudinis ſublimitate. In die illa erit Dominus exer Iſa. 28. b
D cituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo
populi ſui. In hac corona duodecim ſtellæ ſunt, quia
merita duodecim articulorum fidei ſpecialiter in præ-
mio lucebunt. Vel duodecim ſtellæ in corona, ſunt
quaſi duorum præceptorum charitatis, & decem man
datorum lucida merita, quæ in præmio apparebunt.
Item quoad corpora ſimul, & animas, Eccleſia erit fi-
xa in perpetua ſtabilitate, & hoc per lunam ſignifica-
tur. Luna enim, & quæ ſub luna ſunt, mutabilia, &
inſtabilia ſunt. Eccleſia ergo non ſub luna, ſed ſuper
lunam tunc erit, quamdiu inſtabilitati ſubiecta non
erit.

# FINIS

Sermonum de tempore Sancti Bonauenturæ.

# S. BONAVENTVRÆ
## EX ORDINE MINORVM
## S. R. E. CARDINALIS EP. ALBANENSIS
### EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS
## Sermones de Sanctis totius anni.

# DE SANCTO ANDREA APOSTOLO.
## SERMO PRIMVS.

*Galat. 6. d* — *Val. Max. lib. 8. c. 15.*

MIHI *abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*: Narrat Valerius Maximus quòd tanta in Romanis antiquis cupido gloriæ fuit, quòd non ſolũ temporalia bona, ſed & ipſam vitam (quam omnis homo conſeruare appetit ex natura) tradebant in mortem, vt indeficientem poſſent conſequi nominis ſui famam, & relinquere de ſe poſteris glorioſam memoriam. Eſt ergo gloria iuxta Tullianam ſententiam *Cic. lib. 2. de Inuent.* frequens fama cum laude: Verum quia hæc gloria in nullo omnino eſt ſolida ſed penitus vana, non vera ſed falſa: ideo Saluator noſter, doctor veritatis, eam in ſe fugit, & eſſe a cunctis fugiendam docuit. *Mat. 8. a* In cuius ſignum leproſo curato mandauit, vt nemini diceret curationis gratiam, quam accepit. Doctrinam ergo Magiſtri diuinus ſequens Apoſtolus dicit: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce, et cet.* In quo verbo docet Apoſtolus ſe velle ſequi Chriſtum, & quantum ad virtutum profectum, temporalis boni contemptum, & ſuſtinentiam malorum hominum. Nam ſuper iſto verbo Apoſtoli propoſito dicit Sanctus Auguſtinus *(Sermo in feſto S. Crucis to. 10.)*: Omnia bona terrena contempſit Chriſtus vt contemnenda alijs eſſe monſtraret: & omnia mala ſuſtinuit vt ſuſtinenda eſſe doceret, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in iſtis timeretur aduerſitas. Iuxta igitur iſta duo in verbo præmiſſo duo facit Apoſtolus. Primo docet, quid ſit hominibus fugiendum: quia humanum faſtigium. Secundo docet, quid ſit eis appetendum, quia Chriſti opprobrium. Tunc enim eſt homo perfectus vere, quando mundum fugit, tamquam malum, & ſequitur Chriſtum, tamquam omnino ſummum bonum. Notatur ergo primo contemptus mundi, ſiue fuga culpabilis mali, cum dicitur: *Mihi abſit gloriari.* Secundo notatur perfecta imitatio Chriſti, ſiue appetentia meritorij boni, cum additur: *Niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Dicat ergo beatus Andreas: *Galat. 6. a* *Mihi abſit gloriari*, ideſt procul ſit a me, vt ego glorier in aliquo quàm in Dominica cruce, ſiue in Dominica paſſione. Circa ergo primam partem ſermonis, in quo oſtenditur quid cauere, & vitare debeamus, breuiter eſt notandum quòd humana gloria ex quacumque re ſit cauſata, propter quattuor ab homine eſt fugienda. Primo, quia viliſſima ex ſua condi-
A tione. Secundo, quia vaniſſima, ſiue fragiliſſima in duratione. Tertio, qua falſiſſima in promiſſione. Quarto, quia maligniſſima in retributione.

Dico primo quòd mundana gloria ideo nobis eſt fugienda, quia viliſſima, & hoc de ſua natura cum ſit Deo & Angelis fœtida, & homini valde nociua, & damni maximi illatiua, & bonorum omnium ſpiritualium deſtructiua. Cum ergo homines de ſui natura appetant ſemper nobilia, & fugiant vilia, mirum quo modo non naturaliter fugiant vanam hanc gloriam, quam Scriptura docet eſſe viliſſimam. Sic igitur ſcribitur: A verbis viri peccatoris ne timueritis: *1. Mac. 2. g*
B quia gloria eius eſt ſtercus, & vermis. Quid in rebus ſtercore deteſtabilius, quid in animalibus, verme vilius? Ergo ſi gloria hominis ſtercus, & vermis extitit, non eſt hominibus appetenda, ſed potius fugienda. Eſt enim humana gloria hic putrido ligno ſimillima, *Exemplum* *Ariſt. lib. 2. de anima tex. 72.* de quo philoſophus docet, & ex ipſa experientia patet quòd de nocte lucet, ſed in die putridum apparet. Quid eſt enim gloria vana, niſi lignum putridum de nocte lucens? In hoc præſenti tempore, quod nocti vmbroſæ eſt ſimile, glorioſe incedere, & luminoſius infirmis oculis apparere, qui non poſſunt niſi ſecundum ea, quæ foris ſunt, iudicare. Sed quando dies
C iudicij veniet, in qua illuminabit Dominus abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: tũc *1. Cor. 4. a* qui videntur glorioſi, apparebunt putridi, & viliſſimi, & penitus non curandi, quia impoſſibile eſt (ſicut dicit Hieronymus) vt homo in cælo & in terra appareat glorioſus: vnde tales omnes ſunt lampyridi, ſiue *Exemplum* cicindelæ, vel noctilucæ ſimiles, quæ volãdo de nocte lucet, & in die latet, & tota nigra apparet. O ſi hoc attenderẽt tyranni, quę ſic modo ambulant glorioſi, quo modo apparebũt viliſſimi, nigri, & putridi, puto quòd mirabiliter deteſtarentur gloriam huius mundi.

Secundo mundana gloria eſt nobis fugienda, quia
D eſt fragiliſſima in duratione, nec eſt vlla ſtabilitate firmata. Vnde nec ſuis, nec ſibi eſt ſtabilita, ſed ſic eſt defectiua, vt quælibet vaporoſa vel fumoſa ſubſtantia, quæ quãtumcumque ad tempus appareat pulchra, inuenitur poſtmodum nulla. Fumus enim quanto plus in altum ſe erigit, tanto ſemper plus deficit donec penitus euaneſcat. Flos magni odoris, & ad tempus mirabilis venuſtatis exiſtit: ſed ad modicum tactum ſolis adurentis areſcit, & omnis gloria eius perit, vnde dicitur: Omnis caro fœnum, & omnis gloria *Iſa. 40. b*
eius,

eius quaſi flos feni, exaruit fenum & flos eius decidit, & omnis gloria eius deperijt. Tales igitur omnes, ſicut fenum tectorum ſunt, quod priuſquam euellatur exaruit. Eſter. 1. a Vbi enim nunc gloria Aſſueri qui centum & vigintiſeptem prouincijs imperauit? Vbi gloria illius maximi Alexandri, in cuius conſpectu omnis terra ſiluit? 1. Mac. 1. a Vbi nunc gloria totius Romani imperij, quod ad modum ferri omnia regna terræ perdomuit? Vbi ſunt principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias? &c. Omnes vtique perierunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij in loco eorum ſurrexerunt.

Baruc. 3. c Tertio mundana gloria, ideo nobis eſt fugienda, quia falſiſſima in promiſſione, nulli ſeruans promiſſa, B ſed omnes homines fallens in via. Nomina vnum ſolum, ſi poteris, quem ipſa nõ fefellit. Quem enim Regum, vel Cæſarum non decepit? Longam enim & honorabilem vitam, pacificam & ſecuram potẽtiam ſuis amatoribus promittit, cum vnum momentum temporis addere vitæ non poſſit. Quis in gloria Alexandro ſimilis? qui nullum vmquam bellũ perdidit, ſed cum paucis multitudinem ſæpe vicit, nullam ciuitatem obſedit, quam non cœperit, nullam prouinciam vmquã inuaſit, quam non ſuæ ditioni ſubmiſerit: & tamen quando ſe ſubiugaſſe omnia credidit, & pacifice ducere vitam ſperauit, tunc in momẽto ad modum aquæ C torrentis, deperijt. Fluit enim mundana gloria ad modum nauis mare ſulcantis, ad modum auis per aera velociter tranſeuntis, & ad modum torrentis velociſſime currentis, & plus vaneſcentis. Eſt igitur humana gloria hæc falſa: quia cum in neceſſitatibus promittit auxilium, præſtat potius impedimentum. Vnde propheta confortans virum iuſtum contra gloriam ſuperborum, ſic ait: Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendit cũ eo gloria eius. Quid igitur gloriam hanc ſequeris, a qua in morte iuuari non poteris, ſed D potius ab ea impedieris?

Quarto humana gloria eſt maligniſſima in retributione, quia non ducit ad gloriam, ſed ad pœnam, & Oſea. 4. b ignominiam ſempiternam. Vnde ſcribitur: Gloriam eorum in ignominiam commutabo. O in qualem ignominiam, vtique ignominiam ſummam, quando gloria in ſummam tranſibit ignominiam; potentia in impotentiam, ſapientia in ſtultitiam, & delectatio omnis in maximam pœnam. Nam iuxta menſuram culpæ, erit & menſura pœnæ. Vnde dicitur: Apoc. 18. b Quantum ſe glorificauit, & in delicijs fuit, tãtum date ei tormentum, & luctum. O vanitas vanitatum. O E ſumma ſtultitia, & inſania dare pro viliſſimo plumbo argentum, pro aurichalco aurum, dare pro vitro optimam margaritam, immo quod eſt potiſſimum, dare pro mortali bonum quod præſtat, & poteſt eſſe in æternum. Quis ſtultiſſimus mercator hoc faceret. Sed vaneglorioſus hoc facit, quando pro gloria vana, quæ omnino eſt nulla, gloriam vendit æternam, & pro laude viliſſima, perdit bonum quod potuit eſſe æternũ, & quod erit ſumma gloria dignum. De hac ſtultitia dicit Bernardus: Vt quid, inquit, alieno, vel mundi ipſius contentus ſum teſtimonio, cuius nec vituperio reprobus, nec laude inuenior eſſe dignus? Si enim F ante tribunal hominũ iudicandus aſtarem, merito de laudibus hominum gloriarer. Nunc autem cum ſolius Chriſti iudicio præſentandus ſis, quem te putas? inſaniæ eſſet gloriari de hominum laude, quæ nihil 2. Cor. 1. c omnino boni ponit in homine. Gloria enim noſtra debet eſſe teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Non eſt igitur gloriandum in mundi gloria, quæ eſt viliſſima, eſt mendaciſſima, eſt maligniſſima, ſed in diuina gloria, quæ eſt nobiliſſima, & ſtabiliſſima, & veraciſſima, & (ſi dici poſſet) optimiſſima. Hæc omnia beatus Andreas attendere docebat dicendo: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quaſi diceret, filij diaboli glorientur, alij in potentia, alij in corA dis elegantia, alij in ſcientia, alij in rerum omniũ opulentia, alij (quod peius eſt) in ipſa ſua malitia, ſed mihi in ſola cruce Chriſti eſt gloria. Vere ita fuit ſi ipſius Legendam diligenter perlegeris: in qua inuenire poteris, quàm feruide crucem amauerit, quàm conſtanter crucem prædicauerit, & quàm lætanter ad crucem acceſſerit, & quàm perſeueranter in ea permanſerit. Et de hoc quære in ſermone ſequenti. Qui autem vltra ea quæ de gloria Dei dixi, aliquid ſcire deſiderat, & quo modo quædam eſt gloria temporalis, quæ cõſiſtit in multis, & dicitur eſſe mala: Quædam eſt gloria ſpiritualis, quæ ſimpliciter coſiſtit in multis, & di- B citur eſſe bona: Quædam eſt gloria æternalis, quæ cõſiſtit ſimiliter in multis, & dicitur valde bona. In ſermonibus de vno martyre de hoc quære, & in quodã ſermone Dominicæ ſexageſimæ.

## SERMO II. DE EODEM APOST.

Gal. 2. d *CHriſto affixus ſum cruci.* Narrat doctor egregius Auguſtinus in libro de ciuitate Dei, Aug. lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 8. quòd manet diſſimilitudo paſſorum ſub ſimilitudine paſſionum: quia ſicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat, & ſub ea- C dem tribula paleæ comminuuntur, & frumenta purgantur: ſic vna & eadem vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vaſtat & exterminat. Et ait quòd eodem motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & ſuauiter fragrat vnguentum. Nec mirum, quia ſub eadem omnino ditione ſolis, & lutum diſſoluitur, & ſolidum amplius ſolidatur. Sub eadem influentia cæli quædam res generantur: quædam vero aliæ corrumpuntur. Quæ omnia facit non varia actio, ſed diuerſa cauſati diſpoſitio. Vnde videmus quòd vinũ ab vno ſano, & ab altero infirmo potatur: & quamuis eius virtus vna exiſtat, ſanũ tamen lętificat, D ſed ægrotum contriſtat, dum morbum in eo augmentat: ſic & paſſiones de ſe ſunt differentes, nec de ſe ſunt meritoriæ, ſed ſolum ex cauſa mouente, & voluntate ſuſtinente. Nam duo latrones cum Chriſto ſunt crucifixi: vna erat pœna, ſed quia in vltima eſt facta cauſa diuerſa, eo quòd vnus Chriſtũ blaſphemabat, alter eum arguebat, & Deũ pro ſe orabat: hinc vnus ad cælos aſcendit, alius ad inferna deſcendit. In pœnis igitur non eſt conſideranda pœna, ſed cauſa: quia vt dicit Auguſtinus: Non pœna, ſed cauſa facit hominem Aug. ſer. 4. de Innoc. & ord. ſer. de Sanctis 11. 10. 10. martyrem. Dicat ergo beatus Andreas *Chriſto crucifixus ſum*, ideſt propter Chriſtum affixus ſum cruci. E Deſcribitur igitur Apoſtoli paſſio, quantum ad duo in verbo præmiſſo. Primo quantum ad cauſam motiuã. Secundo quantum ad pœnam afflictiuam. Nam cauſa ad patiendum motiua fuit Chriſtus, ſed pœna corporaliter afflictiua fuit ipſa Dominica crux. Primum pręmittitur, quãdo dicitur: *Chriſto*, ideſt propter Chriſtum. Secundum adiungitur cum infertur: *Crucifixus ſum.* Ad litteram enim beatus Andreas, ſicut eius Legenda dicit, materialem crucẽ in corpore paſſus fuit. Sed quia valde pauci ſumus qui crucem hanc aſcendimus, de ſpirituali cruce nunc dicamus, quam cum Apoſtolo omnes portare debemus, & tenemur. Sicut F enim in cruce materiali quattuor videmus, ſic in cruce ſpirituali quattuor alia illis correſpondentia probamus. Nam in materiali cruce, Primo debemus cõſiderare ligni ipſius imum, ſiue profundum. Secundo ligni altum. Tertio ipſius ligni latum. Quarto vero ipſius longum. Iuxta hæc quattuor, crux ſpiritualis quattuor habuit, quam crucẽ ipſe Apoſtolus Chriſti portauit. Nam habuit in ſe profundum humilitatis, habuit altitudinem paupertatis, habuit latitudinẽ charitatis, & habuit longitudinem longanimitatis.

Dico quòd crux ſpiritualis, quam ad imitationem Domini Saluatoris venerabilis hic Apoſtolus ſemper geſſit. Primo habuit profundum humilitatis. Sicut enim in materiali cruce lignum imum totius crucis eſt



eſt fundamentum, & ſuſtentamentum: ſic humilita- A tis bonum, crucis pœnitentiæ eſt fundamentale principium: quia ſicut aqua ſemper fluit ad valles, ſic Dei gratia ſemper ad humiles. Vnde peccator, qui ſe non humiliat, & ſe ad gratiam humili mente non præparat, quantum eſt de lege communi gratiam Dei non accipit: quia in eo locus vbi gratiam teneat, nõ exiſtit. Vas enim quod vno liquore eſt plenum non capit alterum, niſi prius illo fuerit vacuatum. Hæc ſciens beatus Apoſtolus, ſe in principio ſuæ pœnitentiæ totũ per humilitatem euacuauit, vt ſic repleri poſſet omnibus ſpiritualibus donis, ſciebat einim dixiſſe Domi- Mat. 16. d num: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, B & tollat crucem ſuam, & ſequatur me? Quid eſt ſe abnegare niſi omnem ſuperbiam cordis abijcere, & perfectam humilitatem induere. Quid eſt crucem tollere, & poſt Dominum ire, niſi poſt dictam iam humilitatem, gratiam pœnitentialem accipere, & ſic ſemper poſt Dominum ambulare? Nam & ipſe in noſtrum exemplum prius ſe humiliauit, pedes diſcipulorum lauit, *et cet.* ſic cum crucem aſcenderet, hanc humilitatem ſanctus Apoſtolus ſe habere oſtendit cum Egeæ de cruce ſic ait: Ego crucis Chriſti ſeruus ſum, & crucis trophæum diligere potius debeo, quàm timere. Sed quis hodie humilis: immo quis non toto corde C ſuperbus? Vis ſcire vtrum ſis humilis? cogita apud te ſi gloriam appetis, ſi oblatam reſpuis, ſi doles iniurijs. Hieronymus: Si gloriam non quæris: non dolebis cum iniuriam pateris: quia qui laudes non appetit, contumelias non ſentit: ergo ſi ad iniurias dolere te ſentis, non es humilis, ſed vento ſuperbiæ plenus exiſtis.

Secundo crux ſpiritualis habet altitudinẽ paupertatis. Et debet paupertas eſſe altera eo quòd a terra, quæ loco eſt infima, tota ſit eleuata, & Chriſto ſit proxima. Nam altitudo paupertatis primo in Chriſto rege noſtro reſplenduit: ſi attendatur quo modo in præſepio D ſit collocatus, quo modo ſuper fænũ panniculis inuolutus, quo modo modico lacte nutritus, quo modo in tota eius vita paucis contentus, quo modo corpore nudus in cruce clauatus. Bernardus: Si totam vitam Domini aſpexeris, a partu Virginis vſque ad patibulum crucis: non inuenies niſi ſtigmata paupertatis. Hæc Chriſti Apoſtolus dum attendit, omnia propter Chriſtum reliquit, & nudus vitam in cruce finiuit. Vnde dicitur in Legenda quòd expoliauit ſe, & veſtimenta ſua tradidit carnificibus. Propter hoc bene po- Gal. vlt. d terat dicere illud: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini,* & cet. *Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* E Illi qui eum crucifigebant, ſic longis clauis eum ligno affigebant, vt nec lignum tangeret, neque per conſequens tãgebatur, & ſic fiebat per hoc, vt fortius per hoc in corpore torqueretur, dum totum corpus ſuper clauos pendere cogebatur. Quid eſt ergo quòd Apoſtolus, & mundo erat crucifixus, & ſimiliter mundus, niſi quia in mundo fuit pauperrimus? Sed quis hodie cum Apoſtolo immo cum ipſo Domino pauper eſt? Quis eſt, qui toto poſſe diuitias, & vltra poſſe non quærat? Poeta:

Horat. lib. 1. Ep. 1.

*Impiger extremos currit mercator ad indos.*
*Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignem.* F

O ſumma fatuitas, & corpus laboribus tantis atterere, & quod eſt peius, animã diabolo vendere, vt in dam- Abac. 2. c nationem tuã lutũ terræ valeas cõgregare. Vſquequo, propheta ait, congregas contra te depreſſum lutũ. Dicũtur diuitiæ depreſſum lutũ: quia ſicut lutũ bene depreſſum, nõ facile ſeparatur: ſic vix a diuitijs cor auari perfecte ſeparatur. Ad paupertatem ergo accipe Diog. Laer. in vita Diogen. lib. 6. exemplũ Diogenis magni Philoſophi, qui pro domo dolium quoddam habebat, panem oſtiatim quærebat, cum manu aquam bibebat. Cum ſemel Alexander coram dolio eius tranſiret, ibi aliquantulum gradum fixit, & multa dona ei promiſit: cumq. ille nihil temporale accipere vellet, & vt acciperet Alexander inſtaret, A Philoſophus ait: Rogo te vt remoueas te, & non auferas mihi ſolem: quia præſentia tua nunc mihi nocet dum mihi ſolem aufert, ſed abſentia numquam mihi nocuit. Ergo ſi tantus amor paupertatis eſſe potuit in pagano, quid eſſe debet in chriſtiano? Quærat diuitias paganus, qui ſine Deo viuit. Quærat Iudæus, qui terrenas promiſſiones accepit. Sed qua fronte Chriſtianus diuitias quærit, poſtquàm Chriſtus beatos eſſe pauperes prædicauit?

Tertio crux ſpiritualis debet habere latitudinem charitatis. Latum eſt enim mandatum Dei nimis. Pſ. 118. m Nec enim amor vmquam ſic probatur ſi ſit verus: ſi- B cut ſi pro amore alterius alius moriatur. Maiorem, inquit Dominus, hac dilectionẽ nemo habet, quàm Ioan. 15. b vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vnde dũ filij Zebedæi peterent a Domino regnum, quod eſt ſolum amantium, Dominus ait ad eos: Poteſtis bi- Mat. 20. c bere calicem quem ego bibiturus ſum? quaſi dicat: numquam ſic amatis, vt pro hoc regno habendo mecũ mori parati ſitis. Nam de ipſo Domino dicitur: Pro- Heb. 12. a poſito ſibi gaudio ſuſtinuit ſibi crucem omni confuſione concepta, tanto enim amore ardebat, quòd mori pro nobis, & confundi non ſolum contemnebat, ſed præoptabat. Quod Apoſtolus dum attendit mori pro C Chriſto non timuit, ſed pleno gaudio cordis ad crucẽ acceſſit. Vnde videns crucem non timuit, non fugit, non oculos ab ea auertit, ſed exclamauit, & dixit: O bona crux diu deſiderata, ſolicite quæſita, & ideo cõcupiſcenti animo præparata: lætus, & gaudens venio ad te, ita vt tu gaudens ſuſcipias me: diſcipulum eius qui pependit in te. Salua me, inquit, crux pretioſa, *et c.* Si enim tanta eſt vis amoris, vt multi Romanorũ propter amorem patriæ, filios, & parentes occiderint, & multi ob amorem vxorum, ſeipſos interfecerint, & multi ob dilectionem amicorum, nec mori expaue- D rint, quid pro Chriſto Creatore potentiſſimo, Redemptore pijſſimo, Patre benigniſſimo, benefactore præcipuo, Magiſtro doctiſſimo, debent facere Chriſtiani: qui nos tantum amauit, quòd tam impijſſimo genere mortis cum ſceleratis mori non refugit, ſed ſeipſum obtulit? Quis ergo amplius mori pro tanto Duce paueſcit? Bernardus: Fidelis miles vulnera ſua non ſentit dum benigni ducis vulnera intuetur. Filius mortis eſt ille, qui videns regem gladijs vulneratum, mucrone confoſſum, ſanguine cruentatum, ex bello ſe ſubtrahat, & abſque bello ſine vulnere de bello re- E cedat. Nam milites Alexandri, quamuis numero pauci, & aduerſarij multi, dum ſuum regem primo acies hoſtium inuadentem viderent: ſic animabantur ad bellum, vt pauci multos ſternerent, eo quòd mori pro ſuo rege non refugerent, ſed optarent. Nam & apiculæ pro ſui regis amore ſunt mori paratæ. Ergo quid faciendum Chriſtianis pro rege ſuo, qui pro nobis factus eſt homo, & vltimo pependit in ligno?

Quarto crux ſpiritualis ad ſuum complementũ debet habere longitudinẽ perſeuerãtiæ, ſiue longanimitatis. Nemo enim valet aliquid incipere, ſcutum ad bellum arripere, lanceam fortiter agitare, fortiter hoſtem inuadere, ſi non de obtenta victoria contingat F ſcutum abijcere. Vnde dicitur quòd contra Hay ele- Ioſ. 8. d uans clypeum tamdiu eleuatũ tenuit, quouſque attrita omnis hoſtilis potentia fuit. Nemo iuxta Dominicã ſententiam debet turrim fundare, niſi habeat, vt poſ- Luc. 14. f ſit perficere, nec bellum arripere, niſi habeat milites cum quibus poſſet aduerſarijs obuiare. Ob hanc cauſam cum principes ſacerdotum dicerent: Si rex Iſrael Mar. 15. c eſt, deſcendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Dominus ob hoc deſcendere noluit, ſed quod cœpit vſque ad finem tenuit, & opus redemptionis humanæ compleuit. Sic & beatus Andreas, ſicut in Legenda eius dicitur, de cruce deponi noluit, ſed vſque ad mortem in cruce permanſit, & lege hiſtoriã quia eſt valde pulchra, & diligenter narra. Sed quis hodie

hodie perſeuerat in cruce pœnitentiam vſque in finẽ. Qui enim in quadrageſima pœnitentiam accipiunt, poſt paſcha ſtatim ab ea recedunt, & ideo omne meritum ſuum perdunt. Narra hic de pœnitentia Magdalenæ, & illius Mariæ Ægyptiacæ, quæ triginta annis in deſerto permanſit, & tamdiu quod cœpit tenuit, deinde ad brauium concupitum peruenit. Ad quod perducat nos Ieſus Chriſtus.

## SERMO III. DE EODEM APOST.

*Hebr. 12. d* PRopoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Communiter apud gentes conſuetudo inoleuit, vt currentibus in ſtadio præmium curſus, corona, vel brauium proponitur. Eſt etiã mos apud reges, vt militibus pugnaturis donaria promittant, vt ex donatione futura ad prælium animentur. Laborat enim in vinea fortius, & ligonem amplius leuat, & velocius habitat, quando bonum præmium quis expectat. Vnde dicitur: *1. Mac. 6. c* Oſtenderunt elephantibus ſanguinem vuæ, & mori, vt acuerent eos ad prælium. Vnde Apoſtolus: *1. Cor. 9. d* Cum currentes ad brauium propoſitum electionis inuitat, dicit: Sic currite, vt comprehendatis. Si enim ſic currunt mortales ad corruptibile brauium, qualiter putas eſſe currendum ad brauium ſempiternum? Dominus ergo electis ſuis pugnantibus, vt fortiter prælientur, & ab hoſtibus non vincantur, brauium proponit æternum, quod tanti valoris eſſe probatur, vt pro eo magis mori quàm viuere a fidelibus eligatur, & propter hoc de nobiliſſimo iſto Chriſti milite propriiſſime dicitur: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*: quia dum ſanctus Apoſtolus gaudium illud æternitatis aſpexit propoſitum Dei filijs & electis, conſtanter & gaudenter patibulum crucis aſcendit. Vnde *Cant. 7. c* poterat dicere illud: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Aſpicere eſt ex conſideratione mercedis æternæ portare crucem. Nam palma, quæ arbor victorialis erat, crucem ſignificat, per quam de diabolo omnis homo triumphat. In verbo ergo præmiſſo de hoc Sancto Apoſtolo ſic accepto, duo maxime notantur. Nam primo proponitur ei præmium quo erat coronandus in patria. Secundo tangitur eius excellentiſſimum meritum, quo claruit luculenter in via. Primum notatur cum dicitur: *Propoſito ſibi gaudio*. Secundum vero notatur cum additur: *ſuſtinuit crucem*. Sed de gaudio multiplici temporali quære abundanter in ſermonibus de aduentu, & ſic de alijs.

*Crux duplex.* Notandum eſt igitur hic, quòd eſt duplex crux, vna materialis, alia ſpiritualis. Prima eſt interior, quæ portatur in corde. Secunda eſt exterior, quæ conſiſtit in opere. Crux corporalis bonorum eſt & malorum, ſed ſpiritualis eſt tantum beatorum. Vtrumque portauit Apoſtolus. Sed de prima habetur pleniſſime in Legenda: & ideo de ſecunda, quæ tantum bonorum eſt, prædicatio eſt texenda. Eſt igitur attendendum, quòd ſicut crux materialis habet quattuor brachia, ſic & crux ſpiritualis habet quattuor alia, duo directa, & duo tranſuerſalia. Nam in vtraque cruce eſt brachium infimum quod totius crucis eſt fundamentum. Eſt brachium dextrum. Eſt brachium ſiniſtrum. Et eſt brachium ſupremum. In cruce igitur ſpirituali brachium infimum eſt pœnitentia conſideratione malorum. Brachium ſupremum erit miſericordia reſpectu afflictorum. Brachium dextrum erit temperantia reſpectu proſperarum. Et brachium ſiniſtrum erit patientia ex tolerantia tormentorum. Nam hæ quattuor virtutes ſunt illa quadriga, qua in paradiſum delicia- *4. Reg. 2. b* rum eſt tranſlatus Elias ſicut habetur.

Dicamus ergo quòd primum brachium, & infimũ crucis eſt pœnitentia reſpectu peccatorum: quæ eſt virtus bonorum omnium fundamentum: Sicut enim baptiſmus eſt porta intrantium, ſic pœnitentia porta eſt reſurgẽtium: quia dum per eam peccatum deſtrui- A tur, homo ad innocentiam reparatur. Vnde ad hoc ſignandum natura docuit apes pro fundamento ſui operis quandam cruſtulam amaram componere, vt dum arcentur vermes ex eius amaritudine, ſua mella dulciſſima poſſent facilius conſeruare: quia niſi amaritudine pœnitentiæ deleantur peccata, bona non deguſtantur æterna. Quod ſanctus Apoſtolus cernens, fortem pœnitentiam egit, carnem afflixit, & ſpiritui ſeruire coegit. Vnde poterat dicere cũ Apoſtolo Paulo illud: *Gal. 2. d* Chriſto cõfixus ſum cruci, id eſt propter Chriſtum inueniendum amaræ pœnitentiæ ſuppoſui corpus meum, ita vt dicere poſſem illud apoſtolicum: B *Cor. 9. d* Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne cũ alijs prædicauerim, ipſe reprobus inueniar. Sed quis hodie eſt, qui cum Apoſtolo pœnitentiam agat: *Ier. 8. c* Attẽdi, inquit, Dominus per Ieremiam, & auſcultaui, nemo quod bonum eſt loquitur: nec eſt qui pœnitẽtiam agat ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci: ſed ſciat omnis impœnitens, quòd ſicut aqua amara numquam fit dulcis niſi fuerit ante purgata, ſicut patet in aqua maris, quæ fit dulcis in viſceribus terræ fortiter agitata: ſic & ab amaritudine vitæ numquam peruenitur ad gloriam niſi per pœnitentiam anima fuerit a peccatis exuta, propter quod Dominus prædicationem ſuam C *Mat. 4. a* incœpit a pœnitentia, dicens: Pœnitentiam agite, *et cet.* O ſi ſcirent peccatores qualis eſt pœnitentia peccatorum damnatorum! *Sap. 5. a* De qua dicitur: Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: omni tempore flerent vt ſua peccata delerent & purgarent. Vnde requiſitus quidam ſanctus pater quare ſic ſe affligeret, & ſic ieiunaret, & tantis vigilijs inſudaret, ait: Omnis pœnitentia huius vitæ, pœna quantumcumque ſit magna, eſt ſicut nulla, ſi ad illius pœnæ vnicam horam fuerit comparata. Dixit etiam quòd tanta eſt gloria, quæ debetur homini pro hac pœna, quòd in illa vltima retributione Abraam vellet am- D plius laboraſſe: quia vt dicit Apoſtolus, Vnuſquiſque accipiet ſecundum ſuum laborem.

Secundo ſummum brachium crucis ſpiritualis eſt miſericordia reſpectu afflictorum. Nam compati alteri ex vero corde, eſt quodam modo crucem portare ſicut dicit Gregorius. *Ioan. 19. e* De hac exponitur illud: Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius, *& cet.* Nam tanta fuit compaſſio matris ad filium, quòd anima eius fuit ſummi doloris gladio perforata: ita quòd nullus vmquam matris tantus potuit eſſe dolor. Fuit etiam tam compaſſio filij ad matrem, quòd dum eam ſic afflictã videret, ei ex intimis viſceribus condolens, eam amã- E tiſſimo diſcipulo commendaret. Hac etiam compaſſione fraterna transfoſſus Apoſtolus dicebat Ægeæ: Ego de tuo interitu doleo, non de mea paſſione conturbor. Meus enim dolor vnius diei, vel duorum vel trium, ſed tuus interitus nec per millia annorum poterit peruenire ad finem. Item ex compaſſione illi ſuccurrit epiſcopo, quem diabolus ſub ſpecie mulieris laborauit ſubuertere, ſicut patet in fine Legendæ. Itẽ ex paſſione pro ſalute Nicolai ſenis lacrymas multas fudit. Et iuuenem illum pulchrum ab accuſatione matris eripuit. Et hæc duo miracula quaſi in principio inuenies Legendæ. Poterat ergo illud dicere: F *2. Cor. 11. g* Quis infirmatur, & ego non infirmor? Sed quis hodie compatitur proximo? Compatitur paganus pagano, Iudæus Iudæo: immo, quod maius eſt, brutum bruto. Sed Chriſtianus vix compatitur Chriſtiano. Narrat enim Romana hiſtoria, quòd dum legati Carthaginenſium ad ſuos captiuos redimendos veniſſent in Vrbem, Senatus Romanus compaſſione confoſſus nulla ab eis accepta pecunia, captos omnes iuuenes reddidit numero duorũ millium, ſeptingentorũ quadraginta trium. Numquam hodie ſic faciũt Chriſtiani. Quòd ſi non Romanorum te mouet exemplum, audi exemplum brutorum. *Exemplũ.* Vpupa auis viliſſima tanta ad parentes ſuos pietate mouetur, vt illis ſeneſcentibus ſolicite quærat cibum, & eos ſuis pennis con-

foueat



foueat ne frigore pereant.

Tertio dextrum brachium crucis ſpiritualis eſt temperantia reſpectu proſperum. Vere enim dicuntur crucem ferre, qui nouerunt a delitijs abſtinere, & carnem, ne valeat laſciuire, ſobrietate coercere. Vnde di- *Galat. 5. d* citur: Qui autem Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. Sed guloſi filij diaboli dant omnia ventri. Contra quos dicitur: *Phil. 3. d* Multi ambulant quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Chriſti, quorũ Deus venter eſt, *et cet.* Non talis fuit hic ſanctus Apoſtolus, ſed ſicut dicitur in Legẽda de miraculo S. Nicolai, pro eo ſe valde afflixit, et carnem ieiunando macerauit: B nec ieiunium relaxauit quouſque ſe exaudium eſſe cognouit. Ipſe etiam ſenex Nicolaus, eo præcipiente plurimum ſe afflixit, & carnem ieiunijs duris attriuit. Quis vmquam ſanctorum abſque hac temperantia *S. Hier. in vita S. Hil. to. 1.* fuit? Lege vitas Monachorum Ægypti, & eorum, qui in deſertis, & ſolitudinibus morabantur, quibus vinum bibere, vel coctum aliquid manducare luxuria videbatur, vt Hieronymus narrat, Et quid mirum Chriſtianis, quando Romanorum vxores, quando *Exemplũ. Val. Max. lib. 2. ca. 1. & li. 9. c. 1.* adhuc pagani erant, tantæ in omnibus temperantiæ erant, vt iuxta Valerium Maximum, vix aut numquam egrederentur in publicum, deteſtarentur ſibi C matrimonium, quaſi intemperantiæ ſignum, nec vmquam bibebant vinum, eo quòd eſſet ad luxuriam incentiuum: ſimiliter & viri adeo ſobrie comedebãt, vt vix verum eſſe, qui legerit, credat. Confundatur ergo veſtra laſciuia ſimul & gula, quæ non contẽta etiamſi habeat vina, ſemper quærit noua, & exquiſita cibaria, non dimittit pro bono prandio bonam cœnam. Quod leo animal guloſum non facit, ſed dum bene vna die ſe paſcit, per tres dies abſtinendo quieſcit.

Quartum brachium, ſcilicet ſiniſtrum huius crucis eſt patientia reſpectu aduerſorum. Recte enim a ſanctis appellatur martyrium, quando quis in pœnis pœ- D *Greg. hom. 35. in Euã. non longe poſt med. to. 3.* nitentiam exhibet propter Chriſtum. Gregorius: Sine ferro & flammis martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo veraciter conſeruemus. Ob hanc cauſam ſanctus iſte Apoſtolus ab infidelibus captus, ad patibulum ductus, in cruce ſuſpenſus, & patientiam exhibuit, & in ea vſque ad mortem perſeuerauit: immo tantam patientiam in cruce pendẽs oſtendit, quòd commoti populi dixerunt ad iudicem: Trade nobis hominem ſanctum, redde nobis hominem ſanctũ, redde nobis hominem Deo charum, iuſtum, manſuetum, & pium: quia iam ecce biduo pendens in cruce non ceſſabat monere populum, ſciebat enim ſanctus E *Mat. 10. g* Andreas Dominum docuiſſe: Qui non accipit crucẽ ſuam & ſequatur me, non eſt me dignus. Quid eſt enim crucem accipere, & Dominum ſequi, niſi patientiam ſeruare dum contingit affligi? Nam qui non ſeruat patientiam in aduerſis, dignus Chriſti gratia non exiſtit. Numquid ſub capite vulnerato, ſpinis vndique perforato, arundine tam dire percuſſo, & alapis cæſo, membrum tranſire poterit ſine bello? Nũquid rege lancea perforato, & ſanguine toto corpore cruentato, miles quieſcit ſub ſuo tentorio? Legitur *Exemplũ. Val. Max. lib. 3. ca. 3.* enim quòd Alexandro Macedone rege ſæculi idolis immolanti, puer nobilis cum turibulo, & incenſo F aſtabat, ſuper cuius brachium carbo ardens delapſus eſt, licet ergo ignis carnes adureret, ita vt odor exuſtionis ad nares omnium aſtantium perueniret, puer tamen adeo patiens fuit, propter reuerentiam domini ſui regis, quòd non ſolum dolorem ſilentio preſſit, ſed brachium omnino immobile tenuit, tamquam vilipenderet pœnam ignis. Ergo ſi tanta fuit patientia ob reuerentiam regis dæmonibus immolantis, quanta deberet eſſe in hominibus Chriſtianis ad ſuum regem, qui ad hoc propter nos pati voluit, vt nos patientes eſſe doceret? Sed plorandum eſt: quia obliti patientiæ illius agni mundiſſimi, non ſolum facta, ſed nec portare poſſumus verba, quin exquiramus toto poſſe vindictam. Non ſic Dominus, de quo di- A *1. Pet. 2. d* citur: Cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur non comminabatur. Si talis Dominus, qualis deberet eſſe ſeruus? Chriſtus ergo, qui eſt patientia noſtra, det nobis gratiam ſic patiendi.



## DE S. NICOLAO EPISC.

### SERMO I.

PRAECEDAT *Dominus meus ante ſeruum ſuum: & ego ſequar paulatim ve-* B *Gen. 33. e* *ſtigia eius.* Rationabile valde eſt, & iuſtitiæ conſonũ, vt miles dum aliquid agit ſtrenuum, ſemper præ oculis habeat ſui ducis exemplum. *Exemplũ. de apibus.* Nam videmus in gruibus, quòd vna ex eis ſemper agmen præcedit, & ſemper clamando ad rectos volatus ceteras cogit. Apes etiam quando a ſuis aluearibus exeunt, a rege oculos non auertunt, ſed ſemper ad eum intendũt, & eo eunte vadunt, & eo ſe deponente, & ipſæ deponunt ſe. Nam & in exercitu vno dux eſt vnus. In naui vnus eſt gubernator. In domo paterfamilias vnus, C *Exod. 25. d* ad quos omnes tendunt, quibus obediunt, & eorum ſequuntur exempla. Vnde Dominus dixit Moyſi: Vi- *Ioan. 13. b* de omnia, & fac ſecundũ exemplar quod tibi in monte monſtratũ eſt. Et Dominus dixit Apoſtolis in Ioanne: Exemplum dedi vobis, vt, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Hoc ergo beatus Nicolaus attendens & loquens ad Dominum ait: *Præcedat Dominus ſeruum ſuum, & ego ſequar paulatim veſtigia eius.* Quaſi diceret: Tu Dominus, ego ſeruus: tu exemplar, ego exemplatus: tu forma, ego vero formatus. Ergo tuum eſt præcedere, tuum præcipere, & tuum oſtendere: ſed meum eſt ſequi te, & tibi per om- D nia obedire. Et ad litteram, ſicut dicit Auguſtinus, Dominus præceſſit, viam ſeruis ſalutis oſtendit, & *Ioan. 12. b* oſtium quo erat intrãdum aperuit, quando dixit: Ego ſum via, ego ſum oſtium. Iuxta hoc ergo beatus Nicolaus in verbo prædicto maxime facit hæc duo. Primo enim loquens ad Chriſtum, ipſum Dominum eſſe fatetur. Secundo conuertens parabolam ad ſeipſum, ſe velle ſequi Dominum, pollicetur. Ergo ſibi primo proponit Dominum, tamquam exemplar viuum imitari ab omnibus dignum. Secundo ſuum patefacit affectum, & ſpõdet effectum. Eſt tamen notabile quod dicit: *Paulatim ſequar*: quia non poſſumus Saluatoris E veſtigia ex toto ſequi, ſed debemus, quantum poſſumus, ipſum in ſuis veſtigijs imitari. Eſt igitur notandũ quòd Domini veſtigia quædam fuerunt profundiſſimæ humilitatis, immenſiſſimæ pietatis, latiſſimæ charitatis, pleniſſimæ poteſtatis. Et iſta veſtigia ſanctus Nicolaus ſequutus fuit, quantum poſſibile ſibi fuit. Nam ſequutus eſt veſtigium humilitatis in deuincendo ſeipſum. Veſtigium pietatis, quantum ad proximum. Veſtigium charitatis proximo impendendo ſeipſum. Et aliqualiter veſtigium poteſtatis in opere ſignorum.

Dico quòd ſanctus Nicolaus primo eſt Chriſtum F ſequutus quãtum ad humilitatis veſtigium. Dominus enim ſumme humilis fuit, dum formam ſerui accepit, dum ſeruis in ea ſeruiuit, & vſque ad lauandos pedes *Io. 13. a. b* ſeruorum ſe Altiſſimus inclinauit. Nam de humilitate ſumma ſic admiratus eſt Petrus, vt diceret: Domine tu mihi lauas pedes? tu Dominus mihi ſeruo, tu Dominus mihi nullo, tu ſapientiſſimus mihi inſcio, tu Dominus nobiliſſimus mihi piſcatori viliſſimo? Nam, inquit, non lauabis mihi pedes in æternum. O ſtupenda Saluatoris humilitas, in qua tantum exinaniuit ſe diuina maieſtas, vt ſic admiretur Apoſtolica dignitas. Non enim tantum in incarnatione ſe exinaniuit, nec tantum in conuerſatione ſeruis miniſtrauit, *Phil. 2. a* ſed in ipſa paſſione ſe inclinauit, vſque ad viliſſimum genus mortis: Humiliauit ſemetipſum, factus obe-



diens

diens, vſque ad mortem, mortem autem crucis. Erat autem crux ſupplicium, non nobilium, ſed latronū.

Gal. 3. b

Vnde maledictus dicebatur in lege omnis qui pendebat in cruce. Hoc ſanctus Nicolaus attendens, & humiliter incœpit, & humiliter mediauit, & humiliter conſummauit. Nam humilitas magna fuit, quando illi, cui ad nuptias filiarum clam aurum proiecit, ne nomen eius alteri panderet, imperauit. Magna humilitas, quòd a præſule hora matutinali captus, & cuius nominis eſſet requiſitus, columbinæ ſimplicitatis, ait: *Nicolaus vocem veſtræ ſanctitatis ſeruus*. Magnum etiam humilitatis ſignum fuit, quando epiſcopatum toto poſſe renuit, & coactus non in ſuperbiam ſe erexit: ſed eamdem quam prius humilitatem ſeruauit, & multa talia, quæ humilitatem eius probant inuenire poteris in Legenda. Vnde de eo conuenienter

4. Reg. 18. d

poteſt exponi illud quod dicitur de Ezechia: Adhæſit Domino, & non receſſit a veſtigijs eius, fecitq. mandata eius, quæ præceperat Dominus Moyſi. Sed quis eſt hodie, qui gloriam mundanam non quærat? Pagani gloriam fugiebant, quam non refugiunt, ſed contra Deum appetunt Chriſtiani.

Exemplū. Val. Max. li. 4. cap. 1.

Nam Fabianus maximus Romanus, cum a ſe quinquies, & a patre, auo, & proauo ſæpe officium conſulatus geſtum eſſe cerneret, dum eius filius conſul factus eſſet, quantum potuit conſtanter cum populo egit, vt vocatio huius honoris a ſua familia tolleretur, & alteri traderetur, non quòd crederet filium non ſufficere ad regimen conſulatus, cum eſſet prudentiſſimus, ſed ne Romanorum Imperium in vna tantum familia poneretur. Ergo ſi honorem tantum reſpuebant pagani, quid ergo deberent facere Chriſtiani?

Secundo ſanctus Nicolaus ſecutus eſt Chriſtum, quantum ad pietatis veſtigium. Nam Chriſtum fuiſſe pijſſimum monſtrat Euangelium. Nam ipſius pietatem probant verba, probant exempla. Ipſe enim ſæpe

Luc. 9. g
Ioan. 12. g

dicit, quòd non venit animas perdere, ſed ſaluare, & quòd non venit vt iudicet mundum: ſed vt mundus ſaluetur per ipſum. Exempla ſunt plurima, de muliere in adulterio deprehenſa, quam iuxta legem lapidari non iuſſit, ſed abſque omni pœna a peccatis abſoluit, liberam abire præcepit, & ſolum ne peccaret amplius imperauit.

Ioan. 8. a
Exemplum
Luc. 15. c
Exemplum

Exemplum aliud accipe in filio prodigo, qui omnibus ſuis bonis luxurioſe conſumptis, dum ad patrem miſericordiam petiturus acceſſit, Pater vt ad eum vſque veniret non expectauit, tāquam nihil mali egerit, obuiam illi venit, in amplexus & oſcula eius ruit. Annulū in manum eius dari præcepit, eum calciari mandauit, & maximum conuiuium illi fecit.

Exemplum aliud.

Exemplum etiam in ſeruo eſt, qui a Domino per miſericordiam decem millia talentorum accepit, ſeruo ſuo, qui debebat ei cētum denarios, non pepercit, propter quod reuocatus a Domino audire oportuit:

Mat. 18. d

Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me, nonne ergo oportuit te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Præcepit ergo eum ligari, & tortoribus tradi donec redderet omne quod dimiſſum fuit ſibi. Hæc ergo exempla, & plura etiam alia ſanctus Nicolaus attendens: ideo toto ſuo poſſe ſtuduit eſſe pius. Nam omne patrimoniū ſuum, quod fuit ampliſſimum, expendit in vſus indigentium; ab illo incipiens milite, qui filias ſuas ex vitæ neceſſitate paupertate cogente ſtatuerat proſtituere. Sæpe etiam indigentibus eleemoſynas miniſtrauit; fameſcentibus populis frumenta diſtribuit, ſicut in miraculo illo apparuit, vbi a nuncijs imperatoris frumenta detraxit, quibus quòd minorem menſurā non inuenirent frumēti promiſit, & ſæpe captiuis, & morti adiudicatis ex maxima pietate ſubuenit: ſicut plene ipſa Legenda oſtendit. Vnde poterat dicere ſanctus

Iob 23. c

Nicolaus illud: Veſtigia eius, ſupple pietatis, ſecutus es pes meus. Viam eius cuſtodiui, & non declinaui ab ea. Sed quis hodie habet hanc pietatem, immo

Pſal. 9. f

quis non eſt plenus crudelitate? Inſidiatur nunc quaſi leo in ſpelunca ſua, vt rapiant pauperem. Peiores, &

A

crudeliores hodie ſunt Chriſtiani, quàm fuerunt olim pagani. Narrat enim Valerius Maximus, Romanos olim tanta fuiſſe præditos pietate, quòd pauperibus mortuis expenſis communibus exequias facerent aduerſarijs regis, & captiuis expenſas regias, ad ſepeliendum exhiberēt, & naufragis a mari liberatis magnificas expenſas impenderent, & ab eis ciuibus captis pietatis lacrymas exhiberent. Nota exemplum.

Exemplū. Val. Max. lib. 5. ca. 4.

Marcellus dum Siracuſanam ciuitatem cœpiſſet, & eius caſum de ſublimi arce conſpiceret, dum eius caſum tam grauem attenderet, lacrymas continere non potuit. Sed contra, hodie Chriſtiani afflictis non condolent,

Exemplū. Val. Max. lib. 5. ca. 1.

B

ſed ſuper eos potius riſum mouent, vt adimpleatur illud Prophetæ: Et nihil compatiebantur ſuper contritione Ioſeph. Exemplum accipe de Ioſeph, & fratribus quem occidere voluerunt, quem tam vili pretio extraneis gentibus vendiderunt.

Amos. 6. a
Gen. 37. e. f. g

Tertio ſanctus Nicolaus ſecutus eſt Chriſtū, quantum ad veſtigium charitatis. Quis enim eſt ſufficiens enarrare Dominicam charitatem, propter quam homo voluit fieri, propter amorem hominum capi, oculis velut latro velari, manibus a tergo ligari, toto corpore flagellari, a militibus ſibi illudi: palmis in faciem cędi & cōſpui, arundine in capite percuti, veſtibus ſpo-

C

liari, nudus in cruce eleuari, duris clauis affigi, lancea vulnerari, & ad iudicium mortis adduci. Vnde & clamat Ieremias: Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum. O duri & inſenſati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tam ingens flamma amoris, hoc ſanctus hic Confeſſor attendens, ſic totum ſe ad amandum Deo dedit, ſic per amorem ad Chriſtum exarſit, vt poſſet dicere illud: Ego non ſolum alligari cupio, ſed mori paratus ſum pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Sciuit enim ſcriptum eſſe: Ipſe enim Chriſtus pro nobis paſſus eſt, nobis relinquens exem-

Act. 21. c

D

plum, vt ſequamini veſtigia eius, & ſi non ſemper mortis, ſaltem amoris. Vnde poſſet exponi de beato Nicolao illud: Nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. Per nubeculam, quæ aquā terris infundit, huius Sācti intellige pietatē, ſiue eleemoſynarum largitatem, per nubeculam paruam eius nota humilitatem: ſed per nubeculam de mari aſcendentem, eius accipe charitatem, quam in mari tribulationis ad Chriſtum ſeruauit. Vnde notabiliter dicit: Quaſi veſtigium hominis, ideſt ſecundum formam amoris, quæ apparuit in filio hominis, ſiue ſacratiſſimæ Virginis, dicit tamen, quaſi, quia non potuit tan-

3. Reg. 18. g

E

tus amor eſſe in milite, quantus fuit in rege. Sed quis hodie hoc ardet amore? Vere magis fuiſſe in antiquis legitur vis amoris amici ad amicum, vxoris ad virum, quàm Chriſtiani hodie ſint ad Chriſtū. Portia maioris Catonis filia & Bruti Romanorū nobiliſſimi vxor, cū cognouiſſet ſui viri cōſilium, quod de Cæſare interficiendo cœperat, egreſſo cubiculū Bruto, cultellū tonſorium, quaſi vnguiū reſecandorum cauſa popoſcit, eoq. velut forte elapſo, ſe vulnerauit: clamore deinde ancillarum in cubiculum reuocatus Brutus, obiurgare eam cœpit, quòd tonſoris præripuiſſet officiū. Cui ſecreto Portia, Non eſt hoc, inquit, temerarium factum

Exemplū. Val. Max. li. 3. cap. 2.

F

meū, ſed in tali ſtatu noſtro, amoris mei erga te certiſſimum indicium: Experiri enim volui ſi tibi propoſitum ex ſententia parum ceſſiſſet, quàm æquo animo me ferro eſſem interemptura. Hæc Valerius Maximus. Cumq. poſtmodum eum corruiſſe in bello audiſſet, cum gladium habere non poſſet, carbones ab igne ſubtraxit, & in os ſibi poſuit, & ſic vitā ob mariti amorem inſolito modo finiuit. Ergo ſi tantus potuit eſſe amor vxoris ad virum, quantus deberet eſſe animæ Chriſti ſponſæ ad Chriſtum?

Quarto beatus Nicolaus ſecutus eſt aliqualiter Chriſtum, quantum ad veſtigia poteſtatis in opere ſignorum. Nam inter ſanctos omnes temporibus ſuis maximis miraculis claruit, & ſtupendis, ſicut de eo ſancta Eccleſia in oratione dicit: Deus, qui beatum Nicolaum



Nicolaum innumeris decoraſti miraculis, de quibus quædam in Legēda ſunt poſita, quædam ſupra narrata. Nam ego vnum ponam, & alibi ſcriptū eſt, quàm in ipſa Legenda. Nam duo ſcholares nobiles & diuites, multumq. ſecum auri deferentes, Athenas ad philoſophandum pergentes, prius ſanctum Nicolaum videre volentes, vt ſe eius orationibus commendarēt, in ciuitatem in qua degebat Epiſcopus, aduenerunt. Quos hoſpes tam diuites cernens, maligno ſpiritu pulſatus, eos occidit, & more porcorum in fruſta concidit, & eorum carnes in vaſe ſaliuit. Quod ſanctus Nicolaus dum ab Angelo cognouit, in domum hoſpitis mox acceſſit, & quidquid fecerat indicauit: eūq. valde redarguit, & tandem orando pueros ſuſcitauit. Quia ergo in opere miraculorum imitatus eſt Chriſtum, poteſt de eo exponi illud quod de Chriſto dici-

Iaſ. 60. c

tur: Venient ad te, qui detrahebant tibi, & adorabūt veſtigia pedum tuorum. Rogamus ergo Dominum.

## DE EODEM SERMO II.

Iſa. 42. b
Aug. Trac. 124. in Io. ſub med. to. 9.

*SEruus meus es tu Iſrael*: Vt verbis vtar Auguſtini, duas vitas ſibi diuinitus prædicatas nouit Eccleſia, quarum vna dicitur actiua, altera contemplatiua. Prima eſt in via. Secunda eſt in patria. Prima in labore. Secunda in requie. Prima declinat a malo, & facit bonum. Secunda nullum habet a quo declinet malum, & magnum habet quo perfruatur bono. Propterea prima cū hoſte pugnat. Secunda ſine hoſte regnat. Prima carnales libidines fœrnat. Secunda diuinis contemplationibus vacat. Et concludit: Ergo prima, ideſt actiua, eſt bona, ſed adhuc miſera: ſed ſecunda, ideſt contemplatiua eſt melior, & beata. Ab his duabus vitis in verbo præmiſſo beatus Nicolaus commendatur a Chriſto. Nam primo commendatur ab excellentia operis, in actiua, qua adhuc mortalis emicuit. Secundo commendatur ab excellentia dulcedinis in contemplatiua, quam nunc Sanctus immortalis accepit. Primum ergo ſpectat ad meritum, quo laboramus in via. Secundum autem ad præmium, quo quieſcitur in patria. Primū notatur, cum dicitur: *Seruus meus es tu*. Secun-

Iſral quid.

dum vero cum additur: *Iſrael*. Iſrael enim interpretatur vir videns Deum. Et ſignificat virum beatum, & diuina viſione dotatum. Dicamus ergo, ſiue potius dicat Chriſtus: *Seruus meus es tu*. Eſt igitur notandum ad inſtructionem audientium, quod quidam hominum ſeruiunt, mundo, corpori ſuo, diabolo, Chriſto. Nam ſeruiunt mundo, cupidi & auari: ſeruiunt ventri ſuo guloſi, & laſciui: ſeruiunt diabolo tumidi, & ſuperbi: ſed ſeruiunt Chriſto humiles, & abiecti.

Sunt igitur quidam hominum, qui ſeruiunt principaliter mundo, ſicut omnes auari, & mercatores mali, raptores & vſurarij, iudices & aduocati, & communiter principes, & tyranni. Hi quaſi omnes diligunt plus aurum, quàm Deum, immo plus equum, vnum aſinum, immo ſæpius vnum modicum nūmum quàm Chriſtum. Probatio huius eſt: quia pro vno nummo acquirendo, mentiri & periurare non curant, & nummum ſi perdant, puluerem more galli ſolicite verſant, nec ceſſant donec inueniant: ſed de Chriſto perdito nihil curant, ita quòd ſæpe in tota vita ſua vix ſemel pœnitentiam accipiant. Sunt enim tales Iuda peiores: quia ille triginta denarijs vendidit Chriſtū quem forte hominem credebat eſſe purum. Iſti pro vno denario vendunt Chriſtum, immo aliquando nec lucrantur nummum, pro quo tradunt eum, quem tamen credunt eſſe Deum, & iudicem eſſe venturum, vel futurum. Tales ergo monentur in prima Canonica Ioan-

1. Ioan. 2. b

nis: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt: quia omne quod in mundo, *et cet.* Quare mundus diligendus non eſt, nec ei ſeruiendum eſt:

Mat. 6. d

quia Deo contrarius eſt, propter quod dicitur: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, ſcilicet Deo, & Mam-



A

monæ. Item mundus diligendus non eſt, nec ei ſeruiendum eſt: quia cum ſit vanus, ſeruos ſuos adiuuare non poteſt, vbi enim ſunt tyranni, qui modo facti ſunt ſeruis. Nam Alexander poſtquam totum orbem in oriente obtinuit, & totius Europæ legatos accepit, ſubito veneno interijt. In tantum enim Alexander cupidus fuit, vt ſibi totum mundum ſufficere poſſe non crederet. Vnde cum quidam philoſophus ſibi diceret quòd multi eſſent mundi, cogitabat, & æſtimabat quo modo omnibus imperare poſſet. Ratio autem quare terrena non ſentient, alibi recolo me dixiſſe.

Exemplū. Plut. 3. to. in princ.

Secundo ſunt quidam, qui ſeruiunt corpori ſuo, &

Rom. 16. c

B

& de his: Huiuſmodi non ſeruiunt Deo, ſed ſuo ventri: Et quorum Deus venter eſt. O ſeruitus viliſſima, habere corpus pro Deo. quod iuxta Bernardum non eſt aliud, quàm ſaccus ſtercorum, ſentina fœtorum, & cibus vermiū. Cogita guloſe quòd nō niſi fœtidum tuo egrediatur ex corpore. Nam videmus terram herbas producere odoriferas, metalla, lapides pretioſos, & plantas, ſed tuum corpus per ſingula ſua foramina, res marcidas prodit, & fœtidas. Item plantæ omnes, & arbores producunt de ſe frondes, & flores & fructus, tu de tuo corpore ſputa fœtida, vrinam, & ſtercus. Illæ de ſe producunt ſuauiſſimos cibos, tu

Phil. 3. d

C

de tuo corpore pediculos, & lumbricos. Ille de ſe ſpirant ſuauitatem odoris, tu de tuo corpore abominationem fœtoris. Hæc omnia inuenimus in libro de contemptu mundi. Propter hæc omnia dicit Seneca: Maior ſum, & ad maiora natus, quàm vt fiam mancipium corporis mei. Contrarium namque eſt, vt ſerui in equis vadant, & domini in terra incedant. Eſt ergo corpus verberibus, ieiunijs macerandum, & vigilijs edomandum, ne ſit ſicut equus ſine calcaribus, & frœno, & ſicut bos ſine ſtimulo, qui laſciuit in prato. Maius eſt enim corpus proprium ſubiugare, quàm ſibi regna ſubijcere. Quia ſicut Seneca, dicit: Multi

D

regiones & vrbes ſubiugare potuerunt, qui tamen ſuis corporibus ſeruierunt, & ea quæ ſunt vitia carnis, non ſubiugauerunt. Accipe Alexandri exemplum, de quo narrat Græcorum Hiſtoria quòd omnes reges exceſſit, & generoſitate naturæ, & corporis venuſtate, & animi virtuoſitate. Nam in ſubeundis periculis conſtans erat, in rebus mouendis velox, fidelis in deditos, clemens in captiuos, munificus in ſeruos, & liberalis in omnes: ita vt ſæpe maiora daret, quàm ab eo petere quis auderet. Erat vtique vir ſingularis audaciæ: patiens laborum, & nihil ſibi arduum, nihilq. difficile videbatur. Omnis periculi, & maximæ multitudi-

Exemplum

E

nis erat contemptor: primus ſemper aciem inuadebat, & ſi quandoque fortiſſimos eſſe hoſtium cuneos aduertebat, illud irruebat. Nullum vmquam bellum perdidit, nullam ciuitatem obſedit, quam non cœperit, & cum omnium victor eſſet, a ſeipſo deuictus eſt. Quem arma totius oriētis vincere non potuerunt, carnis vitia deuicerunt. Vnde a vino, & luxuria, ſuperatus eſt. Ex quo concluditur, quòd ſit maius ſubiugare ſeipſum, quàm vincere totum mundum.

Tertio ſunt quidam, qui ſeruiunt diabolo, & hi maxime ſunt ſuperbi, de qua ſeruitute dicitur: A quo quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt. Ergo qui ſe a

1. Pet. 2. d

F

diabolo ſuperari permittunt, diaboli ſerui fiunt. Vnde ibidem dicitur: Serui eius eſtis cui obediſtis. Hæc enim ſeruitus eſt mala: illi ſeruire, qui continue me quærit occidere, a ſummo bono ſubtrahere, ad pœnas æternas adducere. Vnde dicitur: Seruietis dijs alienis qui non dabunt vobis requiem die ac nocte, quia nec die præſentis vitæ, nec in nocte tenebroſitatis æternæ. Qui enim ſeruiunt nunc, vel mundo, vel corpori ſuo, vel ipſi diabolo: & nunc ſemper ſunt in peccati, opprobrio, & confunduntur in iudicio: & tandem cruciabuntur æternaliter in inferno.

Ibidem. e
Ier. 12. b

Quarto ſunt quidam, qui ſeruiunt Deo, & iſti ſunt omnes iuſti, qui nunc ſemper humiles, & deſpecti, qualis fuit beatiſſimus Nicolaus. De iſtis enim ſeruis dicit

*Luc. 17. b* dicit Dominus: Cum omnia, inquit, benefeceritis, dicite: quia ſerui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Hoc autem ideo dixit, vt ſemper de ſe humilia ſentiant, ne per ſuperbiam euaneſcant. O quàm ſecurum, quàm fructuoſum eſt huic regi ſeruire, qui nihil quærit a ſeruo, quod ſibi ſit inutile, ſed ſolum quod ſeruo ſit ad ſalutem. Auguſtinus: Nihil Deus iubet quod ſibi proſit, ſed illi cui iubet. Mirum eſt quo modo cum ſancto Nicolao non omnis mundus Deo huic ſeruit, tam potentiſſimo ad adiuuandum, tam ſapientiſſimo ad conſulendum, tam liberaliſſimo ad ſubueniendum, tam benigniſſimo ad parcendum, & econtra non ſeruient, tam ſeueriſſimo ad puniendum. *Exemplũ.* Dicitur enim de Alexandro quòd liberaliſſimus militibus erat, & omnia illis dabat quæ in prædam ex bonis hoſtium inueniebant: ſic eos ad ſeruiendum ſibi ſubiugauerat, quòd ad moriendum pro eo beatũ eſſe credebant. Ergo qualiter eſt Domino ſeruiẽdum, qui non vt Alexander ſolum tribuit bona fortunæ, ſed dat tot bona ex parte corporis ſimul & animæ: dat tot bona gratiæ, tot bona ſcientiæ, & promittit tot bona gloriæ, non tranſitoriæ, ſed æternæ. Nam hæc ſanctus Nicolaus attendens, adhuc infantulus ieiunare incœpit, & mammas quarta & ſexta feria ſemel bibens, non vltra lac requirebat. Item vltra, quæ habere potuit, in pauperum & indigentium vſus expendit. Item orationi vacans ſæpe Eccleſias viſitabat, humilitatem ſeruabat, & omnia Deo diſplicentia declinabat, & ideo maxima miracula in omnibus gentibus faciebat. Lege in Legenda hæc omnia, & poſtea prædica, & adapta, vt voles: Chriſtus Ieſus Filius Dei beati Nicolai precibus, *et cet.*

# DE S. AMBROSIO EPISCOPO.

## SERMO I.

*Iſa. 42. a* DEdi te in lucem gentium. Tres naturas legimus a Deo creatas. Vnam opacã, alteram tranſparentem & peruiã, ſicut eſt in igne, aere, & aqua. Aliam luminoſam & lucidam, ſicut eſt in cæleſti natura, cælo, ſole & luna. Verum hæc luminoſa natura, quæ naturarum corporalium eſt nobiliſſima, in triplici eſt differentia. Nam quædam eſt tantum influens, & non influxa, ſicut eſt in cæleſti natura, & hoc ſpiritualiter eſt lux diuina, quæ eſt ſumma, quæ ſic illuminat omnia, vt non illuminetur ipſa ab alia quacumque natura, & de hac dicitur: *Ioan. 1. a* Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Dicitur autem lux vera, eo quòd non *Ioan. 1. a* ſunt in ea tenebræ vllæ, ſicut dicitur: Item eſt lux alia non influens ſed influxa: ſicut eſt lux aerea, quæ eſt a ſole influxa, ſed non influit in alia. Et talis lux, ſpiritualiter loquendo, eſt in ſimplicibus fidelibus, qui ſic ſunt illuminati, vt non alios illuminent ipſi. Tertio eſt lux tertia & influens, & influxa, qualis probatur eſſe in luna, quæ a ſole illuminatur, & ipſa illuminat terram. Et talis lux ſpiritualiter eſt in doctoribus: quia quod ſanctitatis, vel ſcientiæ, vel luminis a Deó acceperunt, in alios, docendo, refundunt. Quare ergo ſanctus Ambroſius talis lux fuit: quia doctus docuit. *Iſa. 42. a* Vnde per Iſaiam a Domino dicitur ei: *Dedi te in lucem gentium*. In quo verbo tria notantur. Primo diuina liberalitas a Domino influente. Secundo doctoris nobilitas, ex lumine redundante. Tertio populi audientis vtilitas, ex audientia diſponente. Nam Deus influit, doctor refundit, ſed populus audit, & ſuſcipit. Notatur ergo diuina liberalitas ex parte influentis, cum dicitur: *Dedi te*. Notatur ſancti nobilitas, ſiue dignitas ex parte accipientis & dantis, cum additur: *In lucem*. Notatur populi prædicati, ac docti vtilitas, non dantis, ſed ſolum accipientis, cum ſubditur: *Gentium*, ideſt ad vtilitatem gentium te volui eſſe lucem, vt non ſolum in te luceres, ſed alios illuminares. Eſt ergo notandum quòd Doctor Chriſti Ambroſius fuit Lux pura, Impaſſiua, Sui communicatiua, Animi purgatiua. Primo fuit pura, per eminentiam caſtitatis. Secundo fuit lux impaſſiua, per conſtantiam firmitatis. Tertio fuit lux ſui communicatiua, per ampliationem charitatis, & pietatis. Quarto fuit lux illuminatiua, ſiue animi purgatiua, per repulſum omnis contrariæ fœditatis, ſiue per redundantiam veritatis. Vel ſic fuit lux pura, caſte viuendo, fuit lux impaſſiua patienter aduerſa portando, fuit lux ſui communicatiua amando, & compatiendo, & fuit lux purgatiua docendo, & arguendo.

Dico quòd beatus Ambroſius fuit lux pura continenter viuendo: Sicut enim luxurioſi ſunt immundi, quia cœno luxuriæ ſunt infecti: ſic viri caſti inſtar lucis eſſe dicuntur mundi, & puri, quia a luto concupiſcentiæ liberati. Quare cum ſanctus Ambroſius fuerit caſtiſſimus, recte puritati lucis eſt comparatus. Vnde de eo poteſt conuenienter exponi illud: *Sap. 7. d* Candor eſt lucis æternæ, ideſt candidus inſtar illius lucis æternæ, nihil habens immunditiæ. Vnde ſubditur: ſine macula. Anima eſt caſta, quando caſta ſunt corda, caſta ſunt verba, & caſta ſunt opera. Nam ſicut dicitur in vitis patrum, illi non ſunt dicendi caſti, qui ab opere carnis abſtinent, niſi voluntate caſtus ſit animus, caſtus affectus, & caſti ſint omnes ſenſus. Philoſophus enim dicit quòd non eſt caſtus omnis qui continet, & hoc ipſe gaudet. *Ariſt. lib. 7. Eth. cap. 1. & 4.* Cogitent ergo quòd a vera caſtitate remoti ſunt, qui tota die vana audiunt, vana dicunt, vana reſpiciunt. Accipiant tales exemplum *Exemplũ.* beati Bernardini, qui cum iuuenis eſſet, & plurimum pulcher, venit quadam nocte ad quoddã hoſpitium, vt quieſceret, vbi quædam puella pulchra, dum iuuenem formoſum aſpexit, nocte ad eius lectum acceſſit. At ille amator caſtitatis in nullo ſe mouit, non eam repulit, nec ei aliquid dixit, ſed ſtetit immobilis vt lapis. Cumq. illa vndique palpaſſet, & cerneret quòd nullos anima omnino carnales motus haberet, ſtupefacta confuſa receſſit. O vbi tunc erat illa caſtiſſima anima, quæ nullos carnis ſentiebat affectus? Talis etiam erat Ambroſius, & ideo vere caſtus.

Secundo lux eſt natura impaſſiua: quia numquam corrumpitur ex actione extranea. Vnde dicitur: *Sap. 7. b* Super ſalutem, & omnem ſpeciem dilexi illam, & poſuit pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius, & reuera talis fuit Ambroſius, patienter *Exemplũ.* aduerſa portando. Nam Iuſtina Regina, cum eſſet Arriana, pulſabat Ambroſium forti pugna: ſed nullis minis, nullis precibus, vel promiſſis deflecti potuit a rectitudine veritatis: ſed manens immobilis, hæreticos confundebat, cuius fidem magna miracula confirmabant. Hinc ſi eius Legendã legeris, narrare hæc poteris. Sed vbi hodie virtus hæc in omnibus Chriſtianis, quæ tamen floruit in paganis? Nam inuenio viros paganos non pro Deo, ſed pro mundo: non pro æterna, ſed pro temporali gloria, propriam contempſiſſe vitam, & magis quàm vita viuere, mortem eligere. *Exemplũ.* Vnde Valerius Maximus in ea, quam ſcripſit hiſtoria, ait quòd quidã populi, qui appellãtur Cimbri, & Celtiberi tãtæ fortitudinis cõtra ſeipſos ſunt, quòd mortem non ſolum paruipendunt, ſed totis affectibus appetunt. Vnde in prœlijs exultant, & gaudent tamquam ex hac vita feliciter deceſſuri. Sed in infirmitatibus febrium valde dolent, tamquam turpiter, & abſque gloria morituri. Et dicit quòd nefas eſſe dicũt prælio ſupereſſe. ergo ſi tam fortes poſſunt eſſe pagani, pro vana & mundana gloria, quales deberent eſſe Chriſtiani pro vita obtinenda beata? *Val. Max. lib. 2. ca. 1. cir. fin. de Cimbris, & Celtiberis. Steph. Str. li. 3. Pli. lib. 25. c. 8. Sil. Ital. lib. 2.*

Tertio lux eſt ſui communicatiua, & diffuſiua ſpiritualiter generatiua, nutritiua, & confortatiua. Sic





& beatus Ambroſius fuit lux ſe cunctis communicando: ſua omnia diffundendo, filios ſpiritualiter generando, nutriendo, confortando, tamquam omnes perfecte amando, omnibuſq. compatiendo. Vnde de eo *Eccl. 42. c* poteſt exponi illud: Sol illuminans per omnia reſpexit. Ad modum enim ſolis, qui omnibus lumẽ præſtat, omnibus ſe communicat, omnia naſcentia roborat & confortat, ſanctus Ambroſius ſe & ſua omnibus cõmunicabat, omnes docebat, omnes amabat, ſanos cõfortabat, infirmis conſolationem præſtabat. Sic enim amore fraterno totus ardebat, & ſic fraterna compaſſio ſibi eius cor ſubiugauerat, quòd dum aliquis ſibi caſum ſuum, vel peccatum narraret, & ſic fortiter fleret, quòd ipſum ad flendum compellebat. Dolebat etiam multum quando quis cadentibus inſultaret, ſiue ſpiritualiter, ſiue corporaliter caderent. *Exemplũ.* Vnde dum ſemel per ciuitatem Mediolanenſem incederet, & quidam in via grauiter corruiſſet, aliuſq. eius caſum riſiſſet, grauiter Sanctus tulit, & ad ridentem ait: *1. Cor. 10. c* Qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat. Statim ille qui riſerat cecidit, & coactus flere caſum proprium, qui riſerat alienum. Si enim ſancti viri tantum dolent in caſu corporali, quantum putes dolent in caſu ſpirituali? vbi non ſolum cadit corpus aliquando morte caſurũ, ſed cadit anima æternaliter damnatura. Fit enim ſæpe diuino iudicio, vt qui rident caſum alienum, cogantur flere proprium. *Exemplũ.* Vnde in vitis patrum quidam frater, qui fratrem tentatum in deſperationem poſuerat, & non ſolum ei compaſſus non fuerat, ſed eum valde exaſperauerat, coactus eſt a Deo pati, quod in alio reprehenderat. Cumq. eum tentatio carnis iam ſic affligeret, vt pati non poſſet, ſed ad ſæculum redire diſponeret, miſſus eſt ad eum alius ſanctus pater, qui diceret: ideo tibi hoc contigit, quia illi fratri cõpati neſciuiſti, vt diſcas compati, & ſcias quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Vnde & Apoſtolus docuit: *Gal. 6. a* Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans temetipſum, ne & tu tenteris. Nemo enim ſtat niſi Deo tenente: nemo cadit niſi Deo permittente: Ergo qui ſtat non ſuæ virtuti appropriet: & ideo fratri cadenti non inſultet, ſed ei perfecte condolens pro eo Deum cõtinue oret.

Quarto lux eſt animi purgatiua, & illuminatiua, & ſic regulariter in obſcuritate latentium oſtenſiua, & per conſequens arguitiua: nam cum malum detegit, ipſum arguendum eſſe oſtendit. Sanctus ergo Ambroſius fuit lux illuminatiua, purgatiua, peccatorum oſtenſiua, & arguitiua. Nam purgabat, & illuminabat docendo, & prædicando: ſicut eſt exemplum de beato Auguſtino, quem Ambroſius prædicando conuertit. Item peccata detegebat, & errores deſtruebat, rationes efficaciſſimas oſtendendo, & arguebat nullum timendo, *Exemplũ.* ſicut patet in exemplo de Theodoſio Imperatore, quem ab Eccleſiæ ingreſſu prohibuit, & de peccato quod egerat valde redarguit, & ad pœnitentiam aſperis verbis induxit, lege in Legenda totum: quia valde eſt notabile exemplum, & propter humilitatem Imperatoris ad pœnitendum, & propter conſtantiam paſtoris ad arguendum. Quia ergo Ambroſius erat lux malorũ detectiua, & arguitiua, & ad veritatem illuminatiua, erat Hæreticis valde odioſus. *Io. 3. b. c.* Nam ſcriptum eſt: Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum opera mala. Omnis enim, ait, qui male *Io. 3. c* agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguãtur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta, vnde hoc eſt valde contra Hæreticos, qui in latibulis docent, & more auium de nocte incedentium lucem odiunt, vnde diſputationes fugiunt, & conferre de veritate renuunt: ne a luce veritatis argui poſſint. *Eph. 5. c* Vnde contra eos Apoſtolus loquens fidelibus, inquit: Nolite cõmunicare operibus infructuoſis tenebrarũ, magis redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis turpe eſt dicere. Omnia autem, quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur. Omne autem, quo manifeſtantur, lumen eſt. Rogemus ergo Dominum, *& cet.*

## DE EODEM SERMO II.

IN medio Eccleſiæ aperuit os eius. *Eccl. 5. a* Docet Dominus Apoſtolos, vt non doceant in cculto, ſed ſemper in publico, & vt ea quæ audierunt in domo prædicent ſuper tecta: quia omne illud, quod refugit radium, & veritatis renuit argumentum, merito viris fidelibus eſt ſuſpectũ. Vnde de ſe dicit Dominus: *Io. 18. d* Ego ſemper palam docui in templo, vbi omnes conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Vnde concluditur neceſſario argumento, quòd illi receſſerunt a Chriſto, quæ contra doctrinam Chriſti prædicant in occulto. *Exemplũ.* Nam & aranea, quia non poteſt in publico muſcas decipere, telas texit ſub quibus ſe abſcondit, & muſcas incidentes in telã improuiſas, inuadit. *Exemplũ.* Leo etiã dum fameſcit vt beſtias improuiſas inuadere poſſit, in antris ſe abſcondit. Nõ ſic Dominus, ſed ad modum liberalis hominis, qui tempore careſtiæ miſertus pauperum, aperit horreũ ſuum, & pauperibus dat frumentum: Sic & ipſe Doctores ſuos, qui ſunt ſuum horreum, continentes ſapientiæ triticum, tempore opportuno aperit, per quos pane doctrinæ pauperes ſuos paſcit: *Luc. 4. a* quia non in ſolo pane viuit homo, *&c.* Vere enim Ambroſius abundãs doctrinæ horreum fuit, cuius triticum non ſolũ prouinciam vnam refecit, ſed potius totum mundum: non ſolum per annum, ſed potius vſque in ſæculum. Et propterea optime dictum eſt: *In medio Eccleſiæ aperuit os eius*. In quo tria notantur. Vnum ex parte Dei. Alterum ex parte Sancti. Tertiũ vero ex parte loci. Nam Primo ex parte Dei notatur liberalitas in donando. Secundo ex parte Sancti notatur facunditas in loquendo. Tertio ex parte loci notatur communitas ſe omnibus offerendo. Liberalitas donantis notatur cum dicitur: *aperuit*. Facunditas prædicantis notatur cum additur, *os eius*. Sed communitas offerentis notatur cum ſubditur: *In medio Eccleſiæ*. Dicamus ergo: *aperuit os eius*. Aperuit inquit, os eius ad tria. Ad verbum humilitatis in confeſſione. Ad verbum laudis in oratione. Ad verbum ædificationis in prædicatione.

Dico quòd primo aperuit os beati Ambroſij ad verbum humilitatis in confeſſione. Nam in Archiepiſcopum electus noluit ſibi manum imponi nec confiteri niſi Catholico Epiſcopo. Quo exemplo nos docuit fugere ſacerdotes Hæreticos, & quærere Catholicos, quibus ſolum data eſt auctoritas abſoluendi. Nũquam ad vineam quis pro ficubus vadit. Numquam ad ficum quis vadit pro vuis acquirendis: numquam aurum quis quærit in quercubus, vel lapides pretioſos in cedris. ergo ſtultum eſt pro confeſſione, & abſolutione illum quærere, qui abſoluendi non habet auctoritatem, cum non ſit membrum Eccleſiæ. Vnde dicitur in Pſalmo: *Prou. 4. d* Os iuſti meditabitur ſapientiã, & lingua eius loquetur iudicium. Quid enim eſt loqui iudicium niſi confitendo ſe ſacerdoti tradere iudicandum? Et quid eſt meditari ſapientiam, niſi ad eum te conferre pro indulgentia, qui clauem habet in Dei Eccleſia? Quid enim talibus confitetur, gratia repleri meretur, iuxta illud Pſalmi: *Pſal. 8. b* Dilata os tuum, & ego implebo illud, ideſt, confitere peccatum, & accipe indulgentiæ donum. Eſt enim dilatare os, perfecte aperire, ideſt totum morbũ euomere. Fiſtula enim, quæ habet os ſtrictum, numquam perfecte curatur; nec ſanies perfecte educitur, niſi os eius rebus competentibus amplietur. Nam quamdiu aliquid putredinis ibi celatur, niſi foras educatur, fruſtra medicina omnis impenditur. Item quamdiu de vulnere os putridũ

vel ferrum non trahitur, nũquam perfecte ſolidatur, A etiamſi ſolidari videatur: quia iterum, & iterum innouatur. Ergo ſi volumus perfecte ſanari, neceſſe habemus confiteri: quia qui aliquid de morbo medico celat, fruſtra auxilium eius implorat. Vnde dixit Ioſue ad Achor: *Ioſ.7. c* Confitere fili peccatum tuum ne abſcondas. Philoſophia Boetij: Si operam medicantis expectas, neceſſe eſt vt vulnus detegas tuum.

Secundo aperuit Dominus os ſancti Ambroſij ad verbum laudis in oratione. In omni enim tribulatione ſua, & maxime contra illam Iuſtinam, quæ ei intulit magnam pugnam, ſicut patet in ipſa Legenda, non armis, ſed ſola oratione pugnabat: in qua dum Deum B laudabat, omnes hoſtiles nequitias deſtruebat. Vnde *Pſal.50. c* & cum propheta dicere poterat: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Simile exemplum habemus in hiſtoria tripartita, de Exemplũ. Alexandro conſtantinopolitano Epiſcopo, cum cogeretur ab Imperatore Conſtantino, vt Arrium in Eccleſiam reciperet, vel in exilium iret, ipſa die qua id in die ſequenti fieri cogebatur, ſub altari pernoctauit Epiſcopus: Deum precans inſtanter, vt cauſam ſuam defenderet. Cum igitur die facto Arrius multitudine Satellitũ comitatus ad Eccleſiam properaret, vel ipſe ſuſcipiendus, vel epiſcopus repellendus; cumq. in via C media eſſet, quidam timor eum inuaſit, qui ſic eius viſcera perturbauit, vt locum peteret ad ſecretum naturæ. Ad quem cum iuit, inteſtina omnia, & quidquid in corpore habuit, emiſit, & animam dum diabolo tradidit, Deus in petitione orantem Epiſcopum liberauit.

Tertio aperuit os beati Ambroſij ad verbum ædificationis in prædicatione. *Sap.10. d* Nam & dicitur: Aperit os mutorũ, & linguas infantiũ facit diſertas. Sed quis ſufficienter dicat, quàm fideliter, & prudenter ſanctus hic docuerit, quantos prædicãdo cõuerterit: quàm cõſtanter Hæreticis reſtiterit, quàm lucide hæreſes cõfuderit, D quãtos libros pro fide defendenda cõſcripſerit. Tãtæ enim auctoritatis vir iſte fuit, quòd Auguſtinus virorum doctiſſimus, & Hieronymus trium linguarũ doctiſſimus ad probationem ſuorum dictorum dicta Ambroſij introducant. Sanctus etiam Ambroſius ea quæ in verbis prædicabat, exemplis & vita oſtendebat, & miraculis conſumebat. Nam dum per ciuitatem tranſiret, clamabant dæmones ſe ab Ambroſio cruciari, quibus ipſe humiliter reſpondebat: non ego vos crucio, ſed malitia veſtra. Cumq. regina Iuſtina diceret cum ſuis hæreticis, quòd Ambroſius pretium dæmoniacis daret, vt taliter poſt eum clamarent, E ſtatim vnum de aſtantibus famulis reginæ inuaſit, & eum excutiens coram omnibus, ait: Sic pereant omnes vt ego, qui non credunt Ambroſio. Quod regina dum vidit, ſtatim eum occidi mandauit, ne forte hoc ad alios perueniret, & ſic ab errore Arrianorum recederent.

Sequitur *in medio*: notatur hic communitas loci: quia ad modum Dei non docuit in occulto, ſed in publico, & quæ docuit poſuit in ſcripto, vt omnibus, & ſimul eius doctrina poſſet eſſe cõmunis. Locus enim medius communis eſt omnibus, & poteſt participari ab omnibus aliquid, cum Deus naturę omnibus rebus F locum medium dedit, quorum virtus, & influentia erat alijs circumſtantibus neceſſaria. Nam cælũ ſtellatum cum ſit virtute, & influentia maximum, poſuit in medio aquarum: corpus ſolis cum illuminet omnia poſuit in medio planetarum: cor cum ſit fœcundiſſimum, & membris omnibus influens vitam, & motum, poſuit in medio membrorum. Nec ſolum hoc eſt verum in naturalibus, ſed etiam in artificialibus. Quare ponitur in medio cementum, eo quòd plurium ſit lapidum coniunctio. Aranea enim ſemper telam confractam reſarcire incipit contra medium, reputans totum ædificium eſſe nullum, ſi medium ſit confractum. Poſuit ergo beatus Ambroſius doctrinã A ſuam in medio, vt a medio deriuata ad omnem perueniret Eccleſiam. Hic præter propoſitum pauca de medio dixi vt darem aliquam materiam prædicandi. Rogemus, *&c.*

# DE S. LVCIA VIRGINE ET MARTYRE.

## SERMO I.

*CErtamen forte dedit illi vt vinceret.* *Sap.10. c* Prudentis militis viriq. conſtantis, & fortis officium eſt, non ſolum bellum fugere, ſed optare bellando B victoriam, vt poſſit coronam accipere. Non enim coronatur niſi qui bellat, & vincit. Gregorius ſuper Lucam: *Greg. hom. 37. in Euã. to. 3.* Quia ad magna præmia perueniri non poteſt niſi per magnos labores. Poeta:

*Abſque labore graui, vix munera magna dabuntur.*
*Gratus eſt plenus vtilitate labor.*

Ergo iuxta Gregorianum dictum: *Greg. ibid.* Si delectat animum magnitudo præmiorum, non deterreat certamen laborum. C Dominus ergo vt poſſit filios, & filias coronare, vult omnes in hoc certaminis campo certare, & ideo ſapiens loquens de ſapientia increata, dicit: *Certamen forte dedit illi vt vinceret.* Cui? Illi venerabili Virgini, de qua feſtum agimus in præſenti: Ad cuius commendationem in verbo præmiſſo tria notantur. Nam primo in electis ſuis oſtenditur diuina prouidentia. Secundo ex parte Virginis deſcribitur acrior pugna. Tertio vero oſtenditur nobis nobilis, & alta victoria. Notatur autem diuina prouidentia, cum dicitur: *Dedit illi.* Notatur etiam pugna, cũ ſubditur: *Certamen forte.* Notatur conſequenter victoria, D cum ſtatim adiungitur: *Vt vinceret.* Dat igitur Dominus ſanctis pugnam, vt per pugnam veniant ad victoriam, & per victoriam ad coronam. Si enim corona tantum victoribus datur, & non poſſit eſſe victoria, vbi nulla eſt pugna, clementis ſit Dei prouidentia, vt illis indicatur bellum, quibus brauium eſt conferẽdum ſempiternum. Item ſi iuxta menſuram victoriæ menſura eſt & gloriæ, vel coronæ, vt nobiliſſima poſſit eſſe corona, fortiſſime quiſque debet aggredi pugnam. Nam & Alexander ille Macedo contra Perſarum multitudinem quaſi innaturalem ipſe cum pauciſſimis, ſed fortibus militibus pugnaturus, Exemplũ. acceſſit animans ſuos ad bellum, ſic ait: E In promptu o milites mei victoria eſt, ſed de hoc ſolum doleo: quia non cum hominibus, ſed cum feminis pugnaturi ſumus, & ideo minor erit mea gloria: quia parua eſt pugna, vel nulla. Eſt ergo notandum quòd ſanctæ Luciæ pugna fuit fortis, fuit magis fortis, fuit etiam valde fortis. Nam fuit fortis ad mundi diuitias contemnendas: fortior ad pœnas tyrannicas deuincendas: fortiſſima ad paſſiones proprij corporis edomandas.

Dico quòd beata Lucia primo forte certamen habuit contra mundum ad diuitias contemnendas. Nã quanta ſit hominum multitudo, quos per diuitias mũdus decipit, F & ad omnia mala trahit, quis ſufficienter dicere nobis poſſit? Sed Virgo Dei Lucia adhuc ſub matris cuſtodia poſita propter Chriſtum, omnia diſtraxit, vt Chriſtum lucrifaceret. Nam ſicut patet ex ipſa Legenda, patrimonium ſuum diſtraxit, & pauperibus erogauit, & ſic ipſum tuto loco conſtituit. Sciebat enim Dominum docuiſſe: *Mat. 6. e* Nolite theſaurizare vobis theſaurum in terra, *& cet.* Sed theſaurizate vobis theſaurum in cælo, *et cet.* Et ideo propter hanc fortitudinem de ea poteſt exponi illud: *Prou. vlt. e* Fortitudo, & decor indumentum eius. Decor enim, & fortitudo nobilium ſunt cumuli diuitiarum, quibus dum præclara ſibi comparant veſtimenta, glorioſi apparent in illa. Sed fortitudo, & decor Luciæ non fuerunt diuitiæ quas



quas contempſit, ſed virtutes animi quas amauit, A quibus tamquam veſtimentis ſpiritualibus ſe ornauit. Sed quis eſt hodie qui virtutes animi quærat, & non potius diuitias? Magis Chriſtiani contra documentũ Exemplũ. Domini ſui diuitias cupiunt, quàm pagani. Narrat enim quædam Romana hiſtoria, quòd Pyrrus rex qui diu cum Romanis bellabat dum cerneret ſe iam Romanis non poſſe reſiſtere: beneuolentiam Romanorũ acquirere ſtudebat, quorum potentiam debellare, ſiue debilitare non poterat. Omnes ergo diuitias ſui regni, & quidquid habere potuit, totum in vrbem portauit. Mire valde & inſolitum noſtris temporibus: B quia cum res magni pretij, & varij generis ornamenta tam viris, quàm mulieribus apta, eius legati contra Romanorum domos deferrent, & ad accipiendum ſingulos inuitarent, nemo in tam ampla ciuitate inuentus eſt aliquid accipere. O ſumma demẽtia Chriſtiana, quæ ſic ardenter appetit iſta vana, quæ Chriſtus docuit reſpuenda, quæ propter amorem ſuæ ciuitatis ſic deſpexit gens illa pagana. Gregorius: Quærant diuitias pagani, qui ſine Deo ſunt: quærant iudæi, qui eas in promiſſione acceperunt. Sed quo frõte petunt eas Chriſtiani, poſtquam Chriſtus beatos eſſe pauperes prædicauit?

Secundo beata Lucia fuit magis fortis ad paſſiones C tyrannicas deuincendas. Magnum eſt enim diuitias contemnere, ſed longe maius eſt cutuare tyrannum, *Prou. vlt. b* non minas, vel tormentum curare. Vnde dicitur: *Mulierem fortem quis inueniet?* quaſi dicat inueniuntur plurimæ quæ contemnunt mundum, ſed eã quis poterit inuenire, quæ non timeat ignis incendia, nec duci ad proſtibulum, non iugulatoris gladium. Quam fortis igitur, hæc ſancta Virgo fuit, quæ ſic conſtanter, & prudenter in omnibus tyranno reſpondit, quòd a mille viris & bobus tracta, moueri non potuit, nec ad lupanar eam adducere omnis paganorũ conatus præualuit, quæ etiam contra ſe ignem ardentem extinxit. D Lege hæc omnia, & alia multa ad hæc facientia in ipſa eius Legenda. Sed qui hodie Chriſtiani tyrannos nõ timent, immo qui ſunt hodie, qui tyrannis non obediant, qui poſt potentes diuiteſq. non vadant, & qui amorem dominorum ſuorum terras non deſtruant? Teſtis eſt omnis Italia, quam miſeri populares, maiorum ſequentes conſortia tracti in partem vbique deſtruxerunt. *Val. Max. lib.3. c.3.* Non fuerunt tales antiqui, ſed ſic pro patria fortes erant vt in nullo tyrannis obedirent. Nam Exemplũ. Pompeius nobilis quidam Romanus, dum apud quẽdam regẽ legationis officio fungeretur, ab eo captus, minis vt Senatus conſilia proderet cogebatur. E At ille vir fortis in præſentia regis digitum igni immiſit, totumq. ardere permiſit, & ſic ſe tormenta nulla timere oſtendit. Quod dum rex vidit nihil ab eo vltra quæſiuit: ſed ſe recepi in Romanorum amicitiam poſtulauit. In hac fortitudine tanta diabolo reſiſtendum eſt, *1. Pet. vlt. b* cuius nos ſemper premit tyrannis. Vnde dicitur: Aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.

Tertio beata Lucia fuit fortiſſima ad carnis laſciuias edomandas, ſiue ad ipſas miſerias mortis tolerandas. Nam etſi ſit magnum contemnere mundum, & magis contemnere quodcumque tormentum: F maximum tamen eſt perfecte ſubiugare ſeipſum, carnis ſuperare deſiderium, & mortis non timere periculum: Exemplũ. & non ſicut Alexander Macedo, qui omne militibus dabat aurum, & tamen a carne turpiter eſt deuictus. Vnde ſapiens Salomon de muliere loquens ait: Fortiſſimi quique deiecti ſunt ab ea. Nam & multi fuerunt ſancti qui nullo poterunt igne, vel ferro deuinci, qui tamen a carne deuicti ſunt. Beata ergo Lucia fuit fortiſſima dum inter corruptores virgo permãſit, & mori pro Chriſto non metuit. Vnde de ea poteſt accipi illud: *Prou.31. c* Accinxit fortitudine lumbos ſuos. Quid fuit fortitudine lumbos accingere, niſi paſſionibus carnis fortiter reluctare: propheta enim dicit, quòd for- A tiſſimum eſt vincere hanc paſſionem conſentaneam naturæ. Ad quod ſignandum dicitur: *Cant. 3. c* En lectulum Salomonis ſexageſimum fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. Niſi enim lectulus corporis noſtri ab Angelis fortiſſimis militibus ſeruaretur, mox omnis eius clauſura ab inimicis aperiretur. Non tamen gloriari debemus ſi Chriſti amore contineamus, cum inueniamus paganos propter ſuos Deos virginitatem ſeruaſſe. Nã multæ erant Virgines Romæ qui ſuam virginitatem deuouerant deæ Veſtæ, fuerunt & multi qui amore patriæ mori non timuerunt. Narrat Romana hiſtoria Exemplũ. B quòd tyrannus quidam quendam cœpit virum fortiſſimum, cogens eum, vt ſibi proderet, qui illi eſſent qui eum occidere vellent. At ille vbi fortes tortorum manus contempſit, flagella rupit, funes laxauit, eculeum ſoluit, omnes minas, & tormenta deriſit: nec per mortem induci potuit, vt aliquem de conſpiratoribus indicaret: ergo ſi tanta fortitudo poteſt eſſe pro mundo, quanta debet eſſe pro Chriſto, qui tanto remunerat præmio? Narra hic de morte huius Virginis quo modo percuſſa fuerit, *et cet.*

## DE EADEM VIRG. SERMO II.

*CErtamen forte dedit illi, vt vinceret.* *Sap. 10. c* Omnis qui aliquid agit, ſi ſtultus non eſt, propter aliquem finem agit. Numquam ruſticus laboraret in vinea niſi inde expectaret vindemiam, nec nauta tantis periculis in aqua ſultaret niſi lucrum attenderet. Sic nec miles bellare vellet ſi peruenire ad victoriam non ſperaret: victoria enim finis eſt pugnæ. Finis autem iuxta philoſophum imponit *Ariſt. 2. Phy. tex. 29* neceſſitatem his, quæ ſunt ad finem. Ideo ſi volumus victores eſſe, neceſſe habemus bellare, & ſi bonum eſt vincere, conſtat quòd bonum eſt pugnare: quia cuius finis bonus, D ipſum quoque bonum. Illis tamen iuxta diuinam moderantiam conceditur bellum leue, qui nequeunt grauia bella portare. Ob quam cauſam ſanctus Sixtus dicebat Sancto Laurentio: *Breu. Reſp. 2. Noct. 2. in feſto S. Laur.* Nos quaſi ſeniores leuioris pugnæ curſum recipimus, te autem quaſi iuuenem manet glorioſior de tyranno triũphus. Sic iterum maiora tibi debentur pro fide Chriſti certamina. Quia ergo hæc Virgo ſancta fuit fortiſſima, & ad magnam victoriam præparata, ideo fortis eſt ei data pugna. Bene ergo ſapiens dicit: *Certamen forte dedit illi vt vinceret.* In quo verbo deſcribit eã quantum ad duo. Primo quantum ad ſtatum tentationis, E & pugnæ. Secundo quantum ad ſtatum victoriæ, vel coronæ. Primum reſpicit ſtatum meriti quo refulſit. Secundum ſtatum præmij quod accepit. In his duobus, ſcilicet præmio & merito omne bonum hominis conſiſtit: quia meritum reſpicit bonum viæ, ſed præmium bonum patriæ. Notatur ergo ſtatus meriti, ſiue pugnæ cum dicitur: *Certamen forte dedit illi*, ſcilicet Deus Virgini. Sed notatur ſtatus præmij, & coronæ cum additur: *vt vinceret*, ideſt vt perfectam victoriam obtineret. Eſt ergo hic notandum quòd certat homo cum Deo, vt ab eo regnum accipiat. Proximo ne malo conſentiat: Diabolo vt eum vincat.

F Dico quòd vir ſpiritualis primo bellat cum Deo orando, inſtando, plorando, & ſic quodam modo eũ compellendo, vt illum accipiat: quia ſecundum Ioannem regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, Exemplũ. ſicut dicitur: nam cũ Deo bellamus, & ei quodam modo vim facimus dum eis lacrymoſis orationibus obteſtamur. Bernardus: Oratio Deum lenit, ſed lacryma perungit. Vnde narrat Gregorius quòd quidã ſacerdos nomine Seuerus a quodam infirmo pro pœnitentia requiſitus, dum ſacerdos tardauit, æger a vita diſceſſit. Quod ſacerdos dum vidit iuxta mortuum, genuflexit, & amaris lacrymis ſe reũ damnationis illius clamare cœpit, lacrymis quoque illius quodam modo cõſtrictus Deus angelum ſtatim miſit

miſit qui diceret, dæmonibus eum ducentibus, reducite eum ad corpus: quia ſeuerus presbyter plangit, quaſi dicat: cogit me ſacerdotis lacryma, vt meam mutem ſententiam. Hæc autem pugna fuit ſignata: *Gen. 32. e* Iacob luctatus eſt cum angelo, nec ante eum dimiſit, donec ei benedixit, vt & ab eo poſt luctum audiuit. Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis cõtra homines præualebis? Et de hoc certamine poteſt illud exponi Apoſtoli: *2. Tim. 2. a* Nõ coronabitur niſi qui legitime certauerit. Ideo enim Dominus vult nos orando pugnare, vt ſit glorioſior perceptio coronæ: quia honore nobiliſſimo poſſidere ab aliquo, quod acquiritur pugnando, quàm quod ex dono accipitur alieno. Vnde B beata Lucia plena ſapientia, non fuit contenta orare in domo proprio, ſed per longam viam iuit ad ſanctę Agathæ Eccleſiam: & dum feruenter orauit, omne quod poſtulauit obtinuit, ſicut manifeſtum eſt ex Legenda. Quare enim nos non accipimus, quia non petimus, vel quia non bene oramus. Vnde dicitur: *Iac. 4. a* Nõ habetis ea quæ poſtulatis, petitis, & non accipitis, eo quòd male petatis. Certum ſignum eſt quòd dare cupiat, qui totiens nos ad petendum inuitat: Petite, *Mat. 7. b* inquit, & accipietis: quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. *Exemplũ.* Nam & quidam ſanctus Pater dum vt oraret, Ieruſalem aduenisset, & fratres conquere- C rentur quòd non plueret, dixit eis: Quare non oratis? Qui dixerunt. Oramus Pater, & non pluit. Quibus ille: Puto quòd non attente oratis. Venite ergo, & oremus. Statim autem vt ille palmas ad Deum tetendit, mox pluuia venit.

Secundum certamen viri ſpiritualis eſt cum proximo, ne ſe ab eo ſeduci permittat, dum eum ad malum inuitat. Multum enim Paſchaſius niſus eſt Luciã inducere ad Idolis immolãdũ: Cui illa valde rationabiliter, auctoritate ſacræ ſcripturæ prudentiſſime respondebat, & patenter eum in diſputatione longa verborũ, verbis ſapientiæ conuincebat. Lege totam diſputatio- D nem: quia pulchra eſt valde, & eſt valde mirabilis: quia cum verba dulcia, & rationabilia iræ ſint placatiua, non tamen placatus fuit Paſchaſius a Lucia. Excæcauerat enim eum malitia ſua, & amor falſus, quem habebat ad idola, nec attendebat vnde tanta eſſet in puella prudentia. Mira tyrannorum inſania, & cæcitas deteſtanda. *Exemplũ.* Nam ſanctus Quiricus cum trium annorum eſſet, & verbis prudentibus inſano iudici reſponderet: Iudex vnde haberet illam prudentiam, requiſiuit. Cui infantulus ait: Miror de te quo modo, vnde mihi ſit ſapientia, non aduertis cum talia loqui non ſit huius ætatis? Volebat enim eum inducere vt E a Chriſto cognoſceret ſe illam habere. Non talis, vt Paſchaſius, *Exemplũ. Aug. lib. 4. de Ciu. c. 3. in fi. to. 5.* Alexãder ille inclytus, de quo dicit Auguſtinus, quòd cum in præda quendam piratam cœpiſſet, & ab eo quæreret, quid cauſæ eſſet quòd mare haberet infeſtum, eius prudenti reſponſione placatus eſt: Dixit enim ad eum pirata, hoc ego facio in mare quod tu facis in terra: quia ego prædor, & tu prædaris. Sed quia ego facio hoc exiguo nauigio latro vocor, tu autem quia maxima claſſe, Imperator. Narrat enim *Val. Max. lib. 7. cap. 3* Valerius Maximus, quòd dum Alexander ſemel idolis immolaret, præceptum eſt ſibi vt quidquid ſibi F primum exeunti de porta occurreret, occidi iuberet. Cumq. exeunti aſinarius quidam cum aſino occurriſſet, & ille eum capi feciſſet, quæſiuit ab eo ruſticus, qua de cauſa eum occidi iuberet. Cui cum rex cauſam indicaſſet, ille ait: Si ita eſt o rex, vt dicis, non ego mori debeo, ſed aſinus, qui tibi primo occurrit. Delectatus igitur rex de prudenti reſponſione eius, ipſum protinus liberauit. Multum enim valet apud ſapientes prudens reſponſio, quamuis nullius ſit ponderis apud ſtultos. Poterat ergo dicere beata Lucia cũ *Heb. 12. a* ſuis fidelibus illud Apoſtoli: Curramus per patientiã ad propoſitum nobis certamen. Non enim ſolum eſt certamen patienter portandum, ſed eſt ei occurrendum: quia multorum bonorum eſt certamen, & ma- A xime cum ſit ad gloriam perductiuum. Sed ſicut Auguſtinus dicit: *Aug. ſer. 47. de Sanctis, et 3. de plur. mart. to. 10.* Nos volumus gaudere cum ſanctis, & tribulationes mundi nolumus ſuſtinere cum illis. Qui enim ſanctos martyres vel inquantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit peruenire.

Tertium certamen viri ſpiritualis eſt cum diabolo, vt trahi ab eo non valeat ad peccatum. Diabolus non comedit, non bibit, non dormit, numquam quieſcit, ſed ſemper circuit more leonis, vt aliquem deuorare poſſit. Et cum infeſtet omni tempore, maxime tamen infeſtat in morte, ſciens quia modicum tempus habet, B vt vel vincat, vel perdat. Eſt ergo cum eo fortiter dimicandum, & in nullo credendum. Nonne miles, qui morti adiudicatus pro defenſione ſua, certamen belli libẽter ſubiret, ſi forte deuincendo ſuperaret? Ergo ſi omnes filij mortis ſumus, nec niſi pugnando, & vincẽdo liberari poſſumus: pugnare contra hoſtem non negligamus. Graue tibi videtur pugnare, ſed grauius eſt in æternum perire. Ergo dulcis tibi nunc ſapiat pugna, vt a pœna libereris æterna. Numquam male cũ frenetico agitur ne ſe perimat gladio, ſi fune ligetur. Numquam cum litargico male agitur, ne in dormiendo moriatur, ſi capilli ei trahantur, & barba expiletur. C Numquam cum quocumque infirmo male agitur, ſi dolori dolore ſubuenitur. Non poteſt os putridum ſine dolore truncari, & de profundo vulnere trahi, quod tamen dimiſſum inficit corpus totum, ergo parcetur dolori, vt os non eductum neceſſe ſit mori. Nũquam dimittenda eſt medicina, quæ eſt ori amara, ſi ſit totius corporis ſanatiua: ergo non eſt fugienda pugna, ſed potius inquirenda, qua homo ſanatur a peccati morbo purgatur, & vitæ perditæ reſtituitur. Vt igitur homo pugnare ſciat more militum, ſemper ſe in bellis exerceat. Nam tempore pacis faciunt tyrocinia ne tempore belli inueniãtur ab hoſtibus inexperti. Nã D & Dominus dimiſit gentes inter filios Iſrael, vt in illis eos erudiret, & diſcerent pugnare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi. Quare ſic timent homines mori, quia non ſunt adhuc experti. Probi milites, & bellis aſſueti bella non fugiunt, ſed illis occurrunt. Sic beata Lucia bellum non fugit, ſed in eo mori præoptauit. Vnde poterat in morte ſua dicere illud Apoſtoli ad Timotheum: *2. Tim. 4. b* Bonum certamen certaui: Ecce bonitas operis. Curſum conſummaui: Ecce rectitudo intenſionis. Et propterea ſequitur: De reliquo eſt mihi repoſita corona iuſtitiæ. Certum eſt enim quòd omnis homo, qui cum hac ſancta Virgine E pugnat, ita quòd ante mortem non deficiat: ſed quod cœpit fortiter teneat, & numquam fugiat, coronam accepturus eſt ſempiternam. Bernardus: O felix & ſecura pro Chriſto pugna, in qua ſi fueris captus, ſi ad terram proſtratus, ſi acriter vulneratus, ſi etiam millies, ſi dici poſſit, occiſus: non fraudaberis a victoria nec per conſequens a corona: ſi ſolum non fugiamus. Ad hanc coronam regalem, & inclytã, orante pro nobis Sancta Lucia, nos Chriſtus perducat.

# DE S. THOMA APOSTOLO

## SERMO I.

F *Quia vidiſti me Thoma credidiſti.* *Ioan. vlt. f* Vt verbo vtar ſancti Gregorij: *Greg. hom. 26. in Euã. to. 3.* Quid inter hæc animaduertitis? Numquid caſu geſtum eſſe credimus, vt electus ille diſcipulus (quando ad diſcipulos Dominus eſt ingreſſus) tunc deeſſet: ſed poſt veniẽs alijs referẽtibus audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpãs crederet? Nõ hoc caſu,



*Greg. hom. 26. in Euã. to. 3.* caſu, inquit, ſed diuina diſpenſatione geſtũ eſt. Egit enim miro modo diuina clemẽtia, vt diſcipulus dubitãs, dũ in magiſtro vulnera palpabat carnis, a nobis vulnera excluderet infidelitatis. Et addit: Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides diſcipulorum credentium, profuit: quia dum ille palpando ad fidem reducitur, manens in fide, omni dubitatione poſtpoſita ſolidatur. Et in alio loco dicit: *Greg. hom. 29. in Euã. ī prin. to. 3* Minus mihi Magdalena contulit quæ cito credidit, quàm Thomas qui dubitauit. Concludit ergo Gregorius: Apoſtolus ergo palpauit, & exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus.* Bene ergo Dominus dicit: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* In quo verbo deſcribitur Apoſtolus ad duo. Primo quantum ad fidem, qua Chriſtũ agnouit. Secundo quantum ad rationem, quæ eum mouit. Iſta enim duo, fidelem virum perficiunt, ſcilicet ſi fidem habeat, quæ ſummæ veritati inhæreat, & rationem poſtmodum addat, qua quod credit intelligat vt contra hæreticos defendere illud ſciat. Notatur ergo primo fides apoſtolica, quando dicitur *credidiſti.* Notatur ſecundo, ratio ad credendum motiua, cum additur: *Quia vidiſti me.* Nota tamen ſecundum Gregorium, *Greg. hom. 26. in Euã. to. 3.* quòd Apoſtolus aliud vidit, & aliud credidit. Nam hominem vidit, ſed Deum credidit. Nam hominem vidit, & ideo exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus.* Non enim fides, ſed veritas ipſa fuiſſet: nec meritum habuiſſet, ſi in ſua natura Deum vidiſſet. Quia *Greg. hom. 26. in Euã. to. 3.* fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Ergo Apoſtolus hominem Chriſtum vidit, ſed verum Deum, & omnium Dominum credidit eſſe. De viſione, & fide in ſermonibus alijs recolo me multa dixiſſe, quæ poſſunt hic prædicari. Eſt ergo notandum, quòd cum ſancto Apoſtolo quattuor videre debemus: Primo mundum deficiẽtem, vt ipſum contemnamus. Secundo carnem inficientem, vt ab ea fugiamus. Tertio diabolum ſeducentem, ſiue per ſuperbiam corruentem, vt ab eo caueamus. Quarto Dominum vocantem, vt ſequi contendamus. Eſt autẽ hæc diſtinctio ſumpta iuxta auctoritatem Bernardi qui dicit, quòd vocat nos mundus, vocat caro ſiue corpus, vocat diabolus, vocat Chriſtus. Mundus, & caro dicit: Venite ad me, & ego decipiam vos. Diabolus dicit: Venite ad me, & ego decipiam vos. Chriſtus dicit: *Mat. 11. d* Venite ad me, & ego reficiam vos.

Dico ergo quòd ante omnia videre debemus mundum deficientem, vt ipſum non amemus, ſed contemnamus. *Greg. lib. 6. Ep. 26.* Nam, vt Gregorius dicit, fugiendus hic mundus eſſet etiam ſi nos proſperis omnibus demulceret. Cum ergo nos tot calamitatibus pulſat, tot anguſtijs premit, tot defectibus agitat, quid aliud quàm ne diligatur clamat, ergo vt ipſum non amemus, ſed vilipendamus, eius continuos defectus aſpiciamus, in *Ier. 4. f* omnibus eius partibus. Sic enim ſcribitur: Aſpexi terram, & ecce vacua erat: & nihili: & cælos, & non erat lux in eis. Vidi montes, & ecce mouebantur, & colles omnes turbati ſunt. Intuitus ſum, & non erat homo, & omne volatile cæli receſſit. Hæc verba omnia ſonant vanitatem, & inſtabilitatem in omnibus partibus mundi: *Eccls. 3. d* Omnia enim ſunt vanitati ſubiecta, quia de nihilo facta, & vt Gregorius, dicit: Vniuerſa in nihilum tenderent, ſi non ea manus conditoris retineret. Nam & vniuerſa vanitas. Quid de ceteris ſentiendum ſit videamus. Quem enim præſulum Romanorum, quem Cæſarum omnium, ſiue regum mundus hic non decipit? Cui non deficit. Sic enim dicitur in Legenda ſancti Sebaſtiani. Sic mundus ab initio omnes fefellit, vt omnibus probetur fuiſſe mentitus. *Baruc. 3. b* Vnde dicitur: vbi ſunt Principes gentium, qui dominabantur ſuper beſtias, qui ſunt ſuper terram, qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidũt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum? Exterminati, inquam, ſunt, ad inferos deſcenderunt, & alij in locum eorum ſurrexerunt. Ergo ſi factum eſt, ita *Luc. 16. c* ſicut tota die experientia docet; Facite vobis, inquit, A amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Exemplũ. Val. Max. lib. 2. ca. 1. circa fin. de Gallis.* Scribitur enim in Romana hiſtoria, quòd apud Gallos hæc conſuetudo fuit olim, quòd quia credebãt animas immortales, & aliam vitam eſſe, ſibi pecunias mutuabant, & dicebant: Ego tibi hanc pecuniam mutuo in hac vita, vt tu mihi reddas in alia vita. Vtinam ſic facerent hodie diuites mundi, vt diuitias neceſſario perituras, & velint nolint, hic relicturas: Chriſto in ſuis pauperibus mutuarent, vt in alia vita centuplicatas acquirerẽt, vt ſunt vſurarij. Quare vſuras cum Deo non faciunt qui pro vndecim non duodecim reddit, nec pro libra ſo- B lidum in menſe, ſed pro vno centum, etiam in hac vita, ſicut dicitur in Euangelio: *Mat. 19. d* & in alia vita dat regnũ cælorum. Nam quædam narratur ſub hac figura a quodam Sancto patre parabola, quæ multum confert diuitibus. Nam quædam ciuitas narratur, cui conſuetudo erat quòd omni anno, vnum Dominum eligebant, *Exemplũ.* & ei quòd faceret omne quod vellet, poteſtatem dabant, ſed anno finito, ipſum inuadebant, verberabant, omnibus bonis ſpoliabant, & ad quamdam Inſulam tranſportabant, vbi numquam dies erat, nec quid biberet, vel manducaret habebat, & nunc frigore, nunc calore tabeſcebat. Cum ergo quidam do- C minus eorum electus conſuetudinem illorum didiciſſet, toto illo anno quo præfuit, ad illum locum frumenta, & omnia neceſſaria vitæ tranſmiſit, & ſic vbi alij erant in pœnis, ipſe requiẽ inuenit. Ciuitas, mundus. Inſula, infernus, vel quilibet pœnarum locus: a quibus qui vult euadere, neceſſe eſt vt per manus pauperum illuc cibi præmittetur. Hoc attendens Apoſtolus, relictis omnibus ſecutus eſt Dominum. Pro cæteris autem, quæ de hoc dici poſſunt, expone diligenter parabolam.

Secundo debemus videre carnem nos inficientem. Nullus enim vmquam hominum fuit, excepto Domi- D no, quem caro nõ infecerit. Quis ex ea non infectionem originalem accepit? Prima enim hora, qua anima illi infunditur, mox ab ea maculatur, nec maculare deſiſtit quàmdiu viuit. Ob quam cauſam exclamabat Apoſtolus: *Rom. 7. d* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Video, inquit, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, & multa de hoc ibi. De hoc poteſt exponi illud: *Ier. 2. e* Conſidera vias tuas in conualle, & ſcito quid feceris. Conuallis, ad quam omnis infectio fluit, eſt caro hominis. Ergo in hac valle ſtercoroſa, & omnibus malis, & infectionibus ple- E na, vias tuas conſidera, & eas effugere labora. Quis nõ libenter fugit ab homine lepra infecto. Quis ſi poteſt, domum ſtercoroſam, & fœtidam non declinat? Nonne formicæ, & apiculæ fugiunt loca fœtida? Numquid non taxus domum ſuam reliquit, quando eam ſordidam inuenit? Sed quid, ſi cæci non ſumus, eſt caro noſtra, nonne putrida, quædam latrina, & omnium fœtorum ſentina? ergo ſunt fugienda carnis vitia, quibus anima moritur, virtus vtriuſque hominis infirmatur, homo debilitatur, mors acceleratur, viſus vtriuſque hominis hebetatur, & non ſolum cæleſte regnum perditur, immo etiam terrenum. *Exemplũ. Val. Max. lib. 9. ca. 5. ponit tria, ſed duo ab his diuerſa* Vnde de F Alexandro narratur hiſtoria, quòd eius imperium tribus vicibus exultauit, ſcilicet cultu veſtium, apparatu ciborum, & maxime vitiorum carnalium, quibus totum ſe dederat, neſciẽs miſer his peccatis, regna amitti, non acquiri. Inſuper narrat Romana hiſtoria quòd *Val. Max. lib. 2. ca. 2. in prin.* Scipio ille magnus, qui deleuit Carthaginem, Conſul Hiſpaniam miſſus, cum inueniret Romanorum exercitum totum confuſum, & ſæpe ab hoſtibus ſuperatũ, eo quòd vacarent luxuriæ, & meretricibus plenus erat exercitus, & ipſe duo millia ſcortorum ab exercitu repuliſſet, & omnia quæ ad voluptatẽ attinebant, procul abire mandaret, mox a turpi ſentina vacuus factus exercitus, qui prius hoſtes fugiebat, animoſus effectus, omnes aduerſarios ſuperabat.

Tertio

A Tertio debemus videre diabolum fallentem, & ſuperbiam corruentem, & de hoc exponitur illud: *Luc. 4. c* Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Satan aduerſarius interpretatur, & ſignat diabolum, qui non ceſſat inuadere, non ceſſat decipere, non ceſſat ad ſuperbiam inducere. Sed dum nos eius ſuggeſtiones ſentimus, eius caſum attendamus. Scriptum eſt enim: *Luc. 14. c* Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur, ergo ſecundum menſuram exaltationis, erit menſura caſus. Ergo ſicut Maria Virgo domina noſtra, quæ fuit omnium creaturarum humillima, ſuper omnem creaturam eſt pura, & exaltat: ſic diabolus, quia ſuperbiſſimus, vſque ad locum infimum eſt de- B iectus. *Iſa. 14. c* Vnde dicitur lucifero: Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua cadauer tuum, quo modo cecidiſti de cælo lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo: ſuper cælum conſcendam, *et cet.* Et ſequitur: Verumtamen in infernum detraheris, in profundum laci: Sic ruit omnis ſuperbus, quia non eſt datum ſummis diu ſtare, ſed cadunt grauius, qui ſederunt ſublimius. Fortius enim cadit ædificium altum, quàm planum, & caſus alti montis eſt grauior, quàm ſit collis. Lapis enim quanto a ſuperioribus locis deſcendit, *Dan. 4. a* tãto fortius & grauius cadit. *Exemplum* Exemplũ eſt de Nabuchodonoſor rege, qui ſuperbia elatus, ab omnibus eſt de- C iectus, & vſque ad conſortiũ beſtiarũ eſt deductus, ſed poſtquam fuit humiliatus, in regnum ſuũ eſt reſtitutus. *2. Mac. 9. a. b* Item exemplũ de Antiocho rege: Qui in ſuperbiã elatus, & contra Dei populum eleuatus, in terram *Exemplum* deiectus eſt, vt præ fœtore ſeipſum ſuſtinere non poſſet, quare diuinam veritatem cognoſcens coactus eſt *2. Mat. 9. c* dicere: Iuſtum eſt mortalem ſubditum eſſe Deo, & non paria, cum Deo ſentire. Vnde & propheta dice- *Pſal. 36. g* bat: Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum, ſicut cedrus libani. Vidi & ecce non erat, quæſiui, & non eſt inuentus locus eius. Hæc attendens Apoſtolus, fugit ſuperbiam, & humilitatem apprehendit. Vnde & D Domino per omnia obediuit. Dicebat enim Domino uolenti eum mittere ad indos: Tu es Dominus Deus meus, & ego ſum ſeruus tuus, fiat voluntas tua.

Quarto debemus videre Chriſtum ad refectionem *Mat. 11. d* æternam, ſiue ad brauium nos vocantem: Venite ad me, inquit, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Vnde poterat dicere Apoſtolus illud: *Gen. 33. b* Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Si enim tanta poteſt eſſe auiditas temporalis gloriæ, vt pro ea multi omnia pericula nõ timuerint, quanta debet eſſe cupiditas gloriæ æternalis? Vnde de E Alexandro narrat hiſtoria, quòd ſatiari numquam potuit in gloria. Quare? quia cum talis gloria omnino ſit vacua, non ſatiat, ſed tantum inflat. Sed non eſt talis illa gloria æterna, de qua dicit ſanctus Propheta: *Pſal. 16. d* Satiabor cum apparuerit gloria tua. Videte ergo fratres ſtultitiam noſtram, errorem noſtrum: quia plures ſequuntur mundum deficientem, plures carnem inficientem, plures diabolum ſeducentem, & cum ſuis ſequacibus corruentem, quàm Chriſtum reficientem. Ergo rogemus.

## SER. II. DE EODEM APOST.

F *Ioan. 20. g* NOli eſſe incredulus, ſed fidelis. Naturale eſt ſummum bonum appetere, & illi placere velle. Omne enim quod illi placet, neceſſe eſt eſſe bonum, & quanto illi plus aliquid placet, tanto magis eſt bonum, eo quòd nullo poſſit ſeduci errore, cũ omnia, quæ ſunt in homine, legat paten- *1. Reg. 16. b* ter in corde. Homo enim iudicat ſecundum faciem, (& ideo ſæpe male) Deus autem intuetur cor: & ideo *Ioan. 7. c* ſemper bene. Nolite, inquit ipſe, iudicare ſecundum faciem, ſed rectum iudicium iudicate. Ergo qui Deo placet abſque dubio bonus eſt, & tanto melior ſem- *Heb. 11. b* per, quanto illi magis placet. Sed Apoſtolus docet, A quòd ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Quo modo enim illi placere poſſet, qui in illum non crederet, ergo ſi illi deſideramus placere, fidem in illum laboremus habere: quia & ſic ipſi Apoſtolo dictum eſt, *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Nullus vmquam in mundo tyrannus fuit, cui ſeruus placuit infidelis, immo omnis talis omnibus ſemper fuit odibilis, & ſi ſic in alijs, quid in Deo eſſe credis, ergo omne malum deteſtatur & odit, ergo bene a Chriſto dictum eſt ipſi Apoſtolo. *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* In quo verbo Dominus maxime docet duo: nam quod vni dicit, omnibus dicit. Primo ergo docet, quid nobis ſit fugien- B dum. Secundo notatur quid nobis ſit amplectendũ. Nam fugiendam docet incredulitatem, ſed amplectendam fidelitatem. Primum negatiue præmittit, cũ dicit: *Noli eſſe incredulus.* Secundum ſcilicet affirmatiue ſubiungit, cum addit: *Sed fidelis.* Verum quia vnum dependet ex altero: quia qui infidelis non eſt, fidelis per conſequens eſt, eo quòd vnum alteri contradictorie oppoſitum eſt. Dicamus & tractemus omnia ſimul. Eſt igitur notandum quòd debemus eſſe, Primo fideles ſerui per comparationem ad Dominum. Secundo fideles amici per comparationem ad proximum. Tertio fideles œconomi, ſiue villici per C comparationem ad aurum, ſiue ad id quod eſt diſpenſandum.

Primo dico quòd debemus eſſe fideles ſerui per cõparationem ad Dominum. Dignum enim eſt, vt fidelis Dominus fideles habeat ſeruos. Sed quis vmquam ſic fidelis fuit vt Dominus, qui pro ſeruo, & pro malo & ingrato ſeruo ſe dedit in mortem: multos enim ſeruos lego ſe in mortem tradidiſſe pro dominis: ſed nullos dominos recolo me legiſſe, qui pro ſeruis dederint ſe in mortem: ergo vide quàm fideles ſeruos deberet habere Chriſtus, qui cum eſſet omnium dominorũ Dominus, & regum Rex ſummus pro ſeruis D ingratis ſponte eſt mortuus. Pſalmus: Fidelis Dominus in omnibus vijs ſuis. *Pſal. 144. e* In omnibus vijs dicit: quia in redimendo, in defendendo, in cuſtodiendo. Apoſtolus: Fidelis Dominus, qui non permittit vos tentari ſupra id quod poteſtis, *1. Cor. 10. e* ſed facit cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Dignum igitur eſt, vt fideles ſerui ſimus, cum tam fidelem Dominum habeamus. Dicitur enim: Seruus fidelis ſit tibi, ſicut *Eccli. 33. d* anima tua. Sed quis hodie iuxta Euangelium eſt fidelis, & prudens ſeruus? Plures valde ſunt qui ſeruiunt mundo, & plures qui diabolo quàm qui Chriſto. Vtinam miſeri peccatores attẽderent, quanta eſt fide- E litas canum, & equorum ad dominos, quanta leonũ ad beneficos, vt ſic ſaltem cognoſcerent, quanta deberet eſſe fidelitas curati, & redempti non auro, ſed ſanguine Dei viui, ſiue tam ſolicite cuſtoditi, ad Dominum Creatorem, & gubernatorem. O ingratitudo Chriſtianorum omnium deteſtanda: quia maior eſt inuenta fidelitas in ſeruis paganis ad dominos temporales, quàm ſit in Chriſtianis ad Dominum æternalem. Narrat enim hiſtoria Romana quòd quidam *Exemplum* nomine Machonius orator clariſſimus de inceſtu apud iudices fuit accuſatus. Ad quod teſtandum, quidam eius ſeruus eſt aduocatus, tamquam eius F criminis erat conſcius. Cumq. fidelis ſeruus videret dominum valde dolentem, & nimium pertimeſcentem ait ad eum: *Noli timere mi Domine, ſed ſecure me iudicibus trade, certus quòd nihil dicam. Tradidit eum iudicibus.* Qui adeo fuit fidelis, vt multis verberibus laceratus, aculeo diu ſuſpenſus, laternis ardentibus totus aduſtus, omnium accuſationes fide ad Dominum ſeruata ſubuertit, & addit hiſtoriographus, quaſi de tanta fide admirans: Argui fortuna merito poteſt, eo quòd tantam fidelitatem ſeruili cordi impreſſit. Quis itaque hodie Chriſtianus ſic eſt fidelis ad Chriſtum? Tales olim martyres fuerunt, talis & hic ſanctus Apoſtolus fuit, qui pro Chriſto mori non timuit. Vnde & Chriſto volenti eum mittere ad Indos



ad Indos, reſpondit: *Tu es Dominus meus, & ego ſum ſeruus tuus, fiat voluntas tua.*

Secundo debemus eſſe fideles amici per comparationem ad proximum. *Eccli. 6. b* Nam ſicut dicitur: Amico fideli non eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri, & argenti, contra bonitatem fidei illius. *Val. Max. lib. 4. in proœm.* Sicut enim in libro ſuo docet Valerius Maximus, & etiam Seneca: Maius eſt vinculum amicitiæ, quàm ſit parentelæ. Nam a parentela poteſt ſeparari beneuolentia, & interuenire inimicitia: poteſt enim homo conſanguineus eſſe inimicus. Item conſanguinitas contrahitur ex natura, ſed amicitia ex B voluntate libera, quare facilius a propinquo, quàm ab amico poteſt ſe homo auertere. Et addit Va- *Val. Max. lib. 4. c. 1.* lerius quòd amicitiæ vinculum temere aſſumi non debet, ſed ſemel aſſumptum vlterius debet ſemper ſeruari. Et addit quòd vera fides amici maxime cognoſcitur in aduerſis, & iſta omnia probamus multis exemplis. De quibus vnum refero in quo ad pro- *Exemplum* ximum fidelis comprobatur amicitia. *Val. Max. ibidem.* Nam apud Romanos quidam nomine Graccus morti damnatus, & iam bonis omnibus ſpoliatus, omni erat auxilio deſtitutus, duo tamen eius amici Põponius, & Lectorius telis hoſtium vndique ruentium ſe oppoſuerunt, & C vt amicus euaderet, effecerunt. Nam Pomponius, vt ille facilius euaderet, ſe perſequentibus eum in porta ciuitatis oppoſuit, nec ex ea pelli potuit, niſi poſtquã multis vulneribus perforatus occubuit, & per cadauer ſuum viam aduerſarijs dedit. Lectorius amicus alter in ponte ſuper Tyberim ſtetit, & eum donec Gracchus tranſiret in ardore ſpiritus ſui contra omnes defendit. Cumq. vi multitudinis premeretur, vt iam ſuſtinere non poſſet, ſe lateraliter proprio mucrone transfodit, & ſaltu celeri in profundum Tyberis ſe proiecit, & ſic amicum defendendo, vterque amicus occubuit. Reuera amicitia dare ſolet vitam propriam pro vita D alterius conſeruanda. Sed hodie proh, dolor, nulli ſunt amici perſonæ, quamuis multi ſint amici fortunæ. Sanctus tamen noſter Apoſtolus veram ad proximum amicitiam habuit, pro cuius ſalute vitam ſuam *2. Cor. 12. d* poſuit. Vnde potuit dicere cum Apoſtolo Paulo ad fratres, & ad proximos omnes: libenter impendam, & ſuperimpẽdar ego ipſe pro animabus veſtris, quod non ſolum verbo dixit, immo & facto perfecit, ſicut & ipſa Legenda oſtendit.

Tertio debemus eſſe fideles villici per comparationem ad mundanum theſaurum, vt fideliter diſpenſemus omnia, quæ a Deo accepimus. Quod tunc vere E *Pſal. 111. a* facimus cum ſuperflua omnia damus. Diſperſit enim dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Omnes enim diuites, & maxime principes de diuitijs omnibus, & bonis acceptis reddituri ſunt rationem ſi famelicos cibauerint, ſi ſitibundos potauerint, ſi nudis veſtimenta dederint, ſi peregrinis *Mat. 25. c* portam aperierint. De his enim, vt patet, Dominus in iudicio petiturus eſt rationem. Et ex his concluſionem vltimam faciet, bonos villicos munerans, malos æternaliter damnans. Vnde quilibet nunc bene diſpenſans audiet Dominum ſibi dicentem illud: Euge *Mat. 25. b* ſerue bone & fidelis: quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper F multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Vere temporalia omnia ſunt pauca æternis diuitijs *Greg. hom. 37. in Euã. in prin. to. 3.* comparata, immo potius dicenda ſunt nulla. Gregorius: Si conſideremus fratres, quæ & quanta ſunt quæ nobis promittuntur in cælis, vileſcunt animo omnia quæ habentur in terris. Sed audite quid dicatur: Quis *Mat. 24. d* putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? Beatus, inquit, ſeruus, quem, cum venerit Dominus inuenerit ſic facientem: quia ſuper omnia bona ſua conſtituet eum: Ergo econtrario quẽ inuenerit contrarium facientem, & eum excludet a bonis, & tradet tortoribus ſempiternis. Vnde dictum eſt illi, qui talentum Domini ſui abſcondit, & non A tradidit nummularijs: Serue male & piger, ſciebas *Mat. 25. e* quia meto vbi non ſemino, *&c.* & addidit. Inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores. Sed plorãdum eſt hodie, & toto corde dolendum: quia fideliores ſunt inuenti pagani in diſpẽſatione theſauri ſibi commiſſi, quàm ſint homines Chriſtiani. Nã Scipio prin- *Exemplum* ceps nobiliſſimus Romanorum dum poſtularetur, vt rationem redderet de innumerabili quaſi pecunia ſibi commiſſa, tradidit eis librum, in quo expenſæ erant, quas fecerat, nec cum eis ad legendũ voluit ire, certus quòd bene expenderat. Dixitq. ad Senatum: Nolite patres de mea innocẽtia dubitare: quia licet A- B fricã totã veſtræ poteſtati ſubiecerim, tamẽ nihil ex ea quod meũ poſſit dici, pręter nomẽ, & gloriã, reputaui. O ſi tales hodie eſſent Chriſtiani, quàm ſecure viuerent, quàm ſecure decederent, & quàm ſecure ſe diuino iudicio præſentarent. Et quia talis fuit Apoſtolus, & omnia ſua dedit pauperibus, immo & illa omnia, quæ ille rex Indorum ſibi tradiderat ad fabricandum palatium, ideo fidelem ſe oſtendit villicum, dũ commutauit temporale palatium in æternum. Lege omnia in Legenda. Rogemus, *& cet.*

C

## DE S. AGNETE VIRG. ET MART.

### SERMO.

*GLorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Pſalmus: Hominem ex duabus *Pſal. 86. a* naturis dicimus eſſe compoſitũ: vna ſpirituali: ſecunda corporali: & auctoritas clamat, & ra- D tio confirmat, & certa experientia nobis probat. Nam corpori de ſui natura conuenit non viuere, non ſentire, quia ſi hoc inquantum eſt corpus haberet, omne vtique corpus viueret, & ſentiret, cũ hoc falſum apertiſſime conſtet, eo quòd multa corpora ſunt, quæ nec viuunt omnino, nec ſentiunt. Reſtat, vt Auicenna dicit, in corporibus noſtris eſſe aliquid quod corpori vitã, & ſenſum tribuat, quod quidquid illud ſit nos communi vocabulo vocamus animam, quod nomen eſt officij non naturæ. Iuxta ergo hanc *Vita duplex.* naturam duplicem, duplex in ſanctis conſideratur vi- E ta. Vna interior, quæ conſiſtit in mente. Altera exterior, quæ reſplendet in carne, ſiue exteriori conuerſatione. Prima facit hominem gratum. Secunda facit hominem mundo formoſum. Prima ſecundæ eſt fundamentum, ſed ſecunda eſt primæ ſignum. Ergo ſanctiſſima Agnes in præmiſſo iam verbo ab hac ſanctitate duplici commendatur. Nam primo commendatur ab excellentia ſanctæ vitæ, qua fulſit in corde. Secundo ab eminentia claræ famæ, quæ nimia honeſtate fulſit in carne. Notatur autem vitæ ſanctitas, qua perficitur homo interior, cum dicitur: *Ciuitas Dei.* Notatur etiam famę luminoſitas, qua perficitur homo F exterior, cum ſubinfertur. *Glorioſa dicta ſunt de te.* Quidquid enim ab hominibus de aliquo dicitur, ſecundum vitam exteriorem accipitur, eo quòd ab eis exterior ſola videatur. Dicamus ergo: *Ciuitas Dei.* Eſt *Ciuitatis perfectioni quatuor conueniũt.* autem notandum, quòd vt materialis ciuitas ſit perfecta quattuor maxime requiruntur. Primũ eſt quòd ſit alta, ſiue in alto fundata, vt ad eam difficillime aſcẽdatur. Nam non libenter exercitus aſcendit montem, & propter difficultatem, & defectum aquæ, quæ vt plurimum inuenitur in monte. Secundum eſt vt ſit clauſa, ſcilicet aquis circumdata, vel foſſis: muriſq. vallata, ne ſubito ab hoſtibus in eam intretur. Tertium eſt vt ſit fortis, & firma non ſuper arenam, ſed ſuper ſaxũ fundata, vt non facile dirimetur. Quartum eſt, vt fideli,

deli, & prudenti conſilio ſit gubernata ne ab hoſte fal-
leretur. Beata igitur Agnes, vt ſpiritualiter loquar, fuit.
Ciuitas alta per contemptum temporalis ſubſtantiæ.
Ciuitas clauſa per murum virginalis continentiæ.
Ciuitas fortis per virtutis donationem conſtantiæ.
Ciuitas prudenter, & fideliter gubernata, per dictamẽ
ſapientiæ. Si quis enim legat perfecte eius Legendã,
inueniet quattuor iſta patenter in ea.

Dico ergo quòd Agnes beatiſſima a vero agno ſic
eſt appellata, eo quòd fuerit nobiliſſima Virgo, & ſpe-
cioſa. Fuit ciuitas alta in ſummis, & æternis mõtibus
collocata per contemptum mundi, & omnis tempora-
lis ſubſtantiæ. Vnde cum præfecti filius omnem mũ- B
di gloriam, & diuitias promitteret ab ea omnia velut
quædam ſtercora ſunt reputata, & ideo de ea conue-
*Mat. 5. b* nienter poteſt exponi illud: Non poteſt ciuitas abſcõ-
di ſupra montem poſita, ideſt ſupra Chriſtum. In al-
to fundata fuit hæc Virgo ſanctiſſima, quæ propter
amorem ſponſi contempſit temporalia omnia. Vnde
non potuit eſſe abſconſa nec mundo celari ciuitas il-
la, ſic ab amore temporalium eleuata. Sed quis hodie
non cecidit ab hoc monte, qui totus proſtratus ia-
cet in valle, adhærens totaliter ipſi terræ? Terrã ope-
ramur, de terra loquimur, & terram ſequimur. Pſal-
*Pſal. 43. d* mus: Humiliata eſt in puluere anima noſtra: cõglu- C
tinatus eſt in terra venter noſter. Conglutinatus: quia
ſic fortiter terræ coniunctus, ſicut forti bitumine la-
pides coniunguntur, vt vix amplius diſſoluantur. Quis
vmquam populus ſic fuit auaritiæ, ſic pecuniæ ſeruus,
vt eſt hodie populus Chriſtianus? Ad hoc iam deue-
nit vt non ſolum populares perſonæ viles, ſed milites,
comites, barones, facti ſunt mercatores, ſaltẽ per in-
terpoſitam perſonam. Non tales fuerunt ſapientes an-
tiqui, non tales Philoſophi, qui propter mundanam
gloriam omnia contempſerunt. Vnum autem referã
Exemplum quod circa Coum mare accidit in Mileſia regione. Vbi
quidam ab omnibus ibidem piſcantibus vnum iactum D
*Plutarch. in Solone. Diogenes Laertius in Thalete lib. 1. Val. Max. lib. 4. cap. 1. in Extem.* retis, ſiue quantum de piſcibus vno iactu caperet,
emit. Cumq. crederent extrahere piſcem, menſam
auream magni ponderis extraxerunt. Inter piſcatores
igitur & emptorem controuerſia orta eſt, & dicebant
piſcatores ſe capturam piſcium vendidiſſe, & illũ em-
ptorem piſces non aurum emere voluiſſe. Delata eſt
igitur res ad populum ciuitatis, & placuit cunctis, vt
Deo Apollini, quem colebant, pro conſilio habẽdo ſu-
per hoc committeretur, cuinam deberet aurea menſa
dari. Tunc Deus eorum reſpondit, illi menſam de
ſeptem eorum ſapientibus eſſe dandam, qui ſapientia
ceteros anteiret. Habito ergo conſilio tradiderunt E
eam Thaleti tamquam omnium ſapientiori. At ille cõ-
tempſit, non accepit. Sed ſecundo a ſe ſapienti tranſ-
miſit, & ille tertio deſtinauit: & ſic dum per omnes
tranſiſſet, vltimus ad Apollinem detulit, & eam illi
obtulit. Quis de hodiernis Chriſtianis talem menſam
Chriſto offerret, & non potius ſibi retineret?

Secundo beata Agnes fuit ciuitas clauſa, & muro
valloq. præcincta virginalis continentiæ. Nam adeo
fortibus ſeris vndique clauſa fuit, vt non ſolum facta,
ſed nec a viro nobiliſſimo audire paſſa eſt verba, ſed
*Breu. Rom. In feſto S. Agn. lect. 1. Noc. 2.* ait: *Diſcede a me pabulum mortis*, vt patet clare in Legẽ-
da. Quo modo cogitabat de ſtupro, quæ non poterat F
aliquid audire de matrimonio? Vnde ipſa fuit illa Ie-
ruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, ſicut habetur in
*Pſal. 121. a* Pſalmo. Vere enim ad modum ciuitatis fuit ædifica-
ta: quia diuitijs ſpiritalibus tota plena, pulchritudine
totius honeſtatis ornata, muro & vallo pudicitiæ vn-
dique fuit cincta. Sed numquam Virgines noſtris tẽ-
poribus ſunt tales, quę ante ſunt corruptæ, quàm aptę:
fracti ſunt modo muri. Portæ ſenſuum non clauduntur,
vallum nullum, omnia indiſpoſita ſunt: & opor-
tet quòd nuptui prius tradantur, quàm ad tempus pu
bertatis attingant, ne prius forte ſtuprentur, quàm ma
*Oſea. 2. a* ritis tradantur. Vnde dicitur: Muri Ieruſalem diſſi-
pati ſunt, & portæ eius exuſtæ ſunt igni. Ieruſalem

A Virginem puellam ſignat, quæ muros caſtitatis vio-
lat, & portas ſenſuum clauſas non ſeruat, ſed ſe expo-
nit antequam nubat. Non ſunt tales apud Friſones *Friſones ijdẽ qui Friſij populi protinus vltra Rhenũ Oceano oppoſiti.*
Chriſtianæ puellæ. Nam gens illa Friſonum miro mo
do caſtitatem zelat, & grauiſſime punit ſi quos, vel
ſi quas tranſgreſſores inueniant. Filias ergo ſuas in
domibus proprijs diu ſeruant, nec ante triginta quaſi
annos permittunt, quòd nubant, & ideo non ſicut no-
ſtræ filios debiles, & paruos generant, ſed robuſtos,
& magnos ſicut experientia probat.

Tertio fuit ciuitas fortis, & firma per donum con-
ſtantiæ. Nam nullis minis, nullis factis potuit a ſuo
B propoſito permutari. Verba ſpreuit, ignem extinxit,
& lupanar in orationis domicilium permutauit. Nam
dicitur in Legenda quòd præfectus primo eam blan-
dis ſermonibus præmonebat, dehinc terrore pulſa-
bat. Sed Chriſti Virgo non blandimento ſeducitur,
nec terrore concutitur, ſed eodem vultu, & eodem
animo perſeuerans, & terrentem ſimul, & blandien-
tem animo deridebat. Cumq. præfectus diceret:
Cupio cõſulere infantiæ tuæ: tũc illa dicebat: Noli in-
fantiã corporalem ita in me deſpicere, vt putes me te
velle propitium habere. Lege ibi. Sed vnde ei tanta
potuit eſſe conſtantia? Non fuit hoc ſuæ poteſtatis,
C ſed diuini muneris. Illius, inquam, de quo dicit Da-
uid: Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus *Pſal. 117. b*
eſt mihi in ſalutem. Habens itaque in ſeipſa eum qui
eſt omnium fortitudo, audiebat ab eo illud: Ne ti- *Ier. 1. c. d.*
meas a facie eorum, nec enim te timere faciam vultus
eorum. Ego, inquit, dedi te in ciuitatem munitam,
& columnam ferream, & murum æneũ, & ſuper om-
nem terram, & ſequitur: Bellabunt aduerſum te, &
non præualebunt: quia ego tecum ſum dicit Domi-
nus. Quo modo poſſet vinci vel perdere, qui ſecum
habet omnipotentem, fortificantem, & adiuuantem?
Sed vbi hodie fortitudo? Non dico tantum in femi-
D nis, ſed in viris. Vnde dicitur cuilibet noſtrum: Vbi *Iob. 4. b*
eſt fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum
tuarum? venit, inquit, ſuper te plaga, & defeciſti, te-
tigit te, & conturbatus es. Quis hodie, non dico ad
facta, ſed patiens inuenitur ad verba? Quis noſtrum ſi
audit diſplicens verbum non pro verbo, ſi poterit, red
dit factum? Lupus animal magnæ crudelitatis contẽ-
tus eſt lege tali, vt ſic hominẽ lædat, vt læſus ab eo fuit,
ſed homo animal manſuetum natura, ſua natura de-
poſita, & natura crudeliſſimæ feræ ſumpta, non reddit
pugillum pro pugillo, ſed reſpondet gladio, & ſæpe
pro verbo, & pro ictu modico, lethali vel mortali vul-
E nere ferit. Non fuerunt tam impatientes illi ſummi
nobileſq. Romani, qui non ſolum verba, ſed remitte-
bant & facta, non parua, ſed magna. Nã M. Bibulus Exemplum
vir ampliſſimæ dignitatis, & ſummis honoribus fun- *Val. Max.*
ctus, dum in Syria moraretur, duos nobiliſſimos *lib. 4. ca. 1.*
ſuos filios a militibus Ægypti occiſos eſſe cogno-
uit: quorum interfectores ad eum vinctos Regina
Ægypti Cleopatra miſit, vt ex eis quam vellet appe-
teret vltionem. At ille vt patientiſſimus, hoc accepto
beneficio, quo nullum maius lugenti poterat dari, do-
lorem cedere virtute coegit, & carnifices filiorum in-
tactos ad reginam remiſit, dicens: Hanc vindictam
F non ſuam ſed Senatus eſſe debere. Vtinam nos ſic cũ
offendimur, diuino Senatui vindictas relinqueremus,
quia dicitur: Mihi vindictam & ego retribuam. Nul- *Deut. 33. f*
lam enim iniuriam inultam relinqueret, ſi ſe homines
vindicare nollent, ſed ei ſuas vindictas committe-
rent, quamuis etiam non ſemper, quando vellet, hoc
faceret: quia tempus congruum expectaret.

Quarto hæc Virgo ſacra fuit ciuitas regia fideli ac
prudenti conſilio gubernata: Non enim humana pru
dentia, ſed diuina gubernabatur ſapientia, & ideo nul
li deceptioni potuit eſſe ſuppoſita, ſed verba pruden-
tiæ admirabilis loquebatur, ſicut per totam eius patet
Legendam. Vnde Ambroſius dicit de ea quòd erat
corpore iuuencula, ſed animo cana. Vnde hæc eſt ci-
uitas



*Eccl. 9. d.* uitas illa parua, contra quam venit rex magnus, & A
vallauit eam: ſed inuentus eſt in ea vir pauper, & ſa-
piens, qui liberauit vrbem per ſapientiam ſuam. Ci-
uitas parua, Agnes humillima. Rex ille magnus, dia-
bolus, vel præfectus, qui hanc ciuitatem obſedit,
dum tot pœnis eam afflixit, vbi pauper & ſapiens
Chriſtus fuit, qui eam inhabitans ſua ſapientia libe-
*Matt. 10. c* rauit. Ipſe enim eſt qui dixit diſcipulis ſuis: Dum
ſteteritis ante reges & præſides, nolite cogitare, quo-
modo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in
illa hora quid loquamini: Non enim vos eſtis qui
loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in
*Luc. 21. b.* vobis: Et: Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non B
poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri. Exem-
*Act. 7. g.* plum de ſancto Stephano habetur in actibus. Lege
hiſtoriam, & illa narra, quæ ſpectant ad hanc mate-
riam. Sed nota hic, quòd ſunt multi, qui nec cre-
dunt diuinis conſilijs, nec humanis: & ideo cito ca-
dunt, & in omnia mala ruunt. Nam & capta Cartha-
*Exemplũ. Saluſt. de bello Iugurthin. & Nauclerus Chron. gen. 60. ex T. Liuio. de Catonis & Scipio. Naſicæ hac in re diſceptatione* gine, quidam Romanorum ſapientiſſimus futura cõ-
ſiderans, ne deſtrueretur, conſilium dabat, ſciens
quòd ſi quis a Romanis frenum auferret, mox om-
ni voluptati ſe traderent, & gladios in ſeipſos con-
uerterent: quia equus freno carens non obedit ſeſ-
ſori. Quod & factum eſt: nã Carthagine deſtructa, C
quæ Romana corda frenabat, Romani cum bella
ciuilia non haberent, ad inteſtina bella conuerſi ſunt:
& ſic deſtructio Carthaginis occaſio fuit Romanæ
deſtructionis. Quare etiam eſt ſapientum, regi con-
ſilio & maxime diuino, quod in nullo poteſt errare
futuro. Sequitur: *Glorioſa dicta ſunt de te*. Et hæc
ſunt glorioſa re vera: quia puella paruula ſic mun-
*Hæc fere oĩa, re poſtrema excepta, quæ eſt ex Voragine, et aſteriſco notatur, apud B. Ambr. libro 4. epiſt. To. 5. epiſt. 34. Et Lipom. To. 1. die 21. Ianuarij.* dum contempſit, ſic virginitatem ſeruauit, ſic &
ignes & pœnas contempſit, ſic tantam conſtantiam
in cunctis exhibuit, ſic tam prudenter reſpondit
quòd Deus ſic eam & capillis & cæleſti veſte veſti-
uit, quòd lupanar ſic illuſtrauit, quòd mortuum ſu- D
ſcitauit, quòd filiam Conſtantini a lepra curauit,
quòd parentibus ſuis octaua die poſt mortem appa-
ruit, & quòd *ſacerdotem Eccleſiæ ſuæ, qui eam, iu-
bente Papa, deſponſauit, ab omni carnali tentatione
curauit. Lege hæc omnia in Legenda, & prædica. Pro-
pter quæ omnia poterat ei dici illud Iſaiæ: [a] Indue-
re veſtimentis gloriæ tuę ciuitas ſancti. Omnia enim
iſta quæ dicta ſunt & innumera alia, fuerunt eius in-
dumenta, quibus mundo apparuit glorioſa.

*a Iſa. 52. a.*

## SERMO II. DE EADEM VIRGINE.

*Apoc. 19. b* VEnerunt nuptiæ Agni: & vxor Agni E
præparauit ſe. Quales ſint illæ nu-
ptiæ æternales, quàm nobiliſſi-
mæ, quàm iucundiſſimæ, quàm
copioſiſſimæ, quis noſtrum ſuffi-
ciat, vel verbo dicere, vel corde
*Iſa. 64. b.* penſare? Iſaias inquit: Oculus
*† Editio vulgata habet: expectãtibus.* non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti† diligen-
tibus te. Nam & videmus in his temporalibus nup-
tijs, dum quis nuptias filio ſuo facit, quòd tunc quid-
quid poteſt oſtendit: immo ſi dici poſſet, plus facit
homo, quàm poſſit. Vnde, ſicut legitur, pro nuptijs
*Heſt. 2. d.* & coniunctione Heſter, iuſſit rex parari conuiuium F
iuxta magnificentiam triumphalem. Ergo ſi ſic in
nuptijs faciunt homines mortales, quales ſunt nuptiæ,
quas filijs ſuis facit Rex immortalis? Has nuptias dũ
Agnes beatiſſima fide percepit, ad eas toto poſſe præ-
parauit ſe: & ideo bene dicitur: *Venerũt nuptiæ Agni,
& vxor Agni præparauit ſe*. Nam quamuis prius fue-
*Exemplum* rit præparatio, quàm nuptiarum celebratio; prius
tamen celebrationem præmittit, quia finis ſemper
*Finis quomodo præcedat id, qđ eſt ad finẽ.* id, quod eſt ad finem, præcedit non in re, ſed in in-
tentione. Nam licet flos in arbore præcedat fructum
tempore, fructus tamen præcedit florem operantis
electione & intentione: Sic & Agnes ſanctiſſima prius
ſecundum intentionem illas æternas nuptias concu-



A piuit: & ad amorem earum ſe poſtea præparauit:
quamquam ipſa præparatio præceſſerit tempore nup-
tiarum celebrationem & coniunctionem. Iuxta hæc
igitur in verbo præmiſſo duo notantur: Primum eſt
dignitas meriti, quo fulſit in via: Secundum eſt ſubli-
mitas præmij, quo fulget in patria. Primum ſcilicet
meriti dignitas notatur cum dicitur: *Vxor Agni præ-
parauit ſe*. Sed ſecundum, ſcilicet præmij ſublimitas
notatur cum præmittitur: *Venerunt nuptiæ Agni*. Di-
camus ergo: *Vxor Agni præparauit ſe, &c.* Primo per
cordis munditiam ſe diuinis ſeruitijs deuouendo: ſe-
cundo per condignam pœnitentiam carnem operibus
B macerando: tertio per malorum tolerantiam ipſis re-
ſiſtendo. In his enim tribus vita perfecta conſiſtit: pri-
mo ſi munditia & deuotio ſit in corde: ſecundo ſi ca-
ſtigatio ſit pro peccatis in corpore: tertio ſi patientia
appareat in vtroque.

Dico quòd hæc beata virgo ſe præparauit. Primo
per veram cordis munditiam & orationem deuotam.
Si enim cor eſt omnium membrorũ primum, & fon- *Ariſt. li. 3. de par. anĩmal. c. 3. & 4. to. 5.*
tale totius vitæ, motuſq. principium, ſic munditia eſt
bonorum omnium fundamẽtum. In cuius ſignum al-
bedo omnium colorum eſt principium: nec congrue
poteſt color aliquis pingi, niſi ei fuerit albedo ſub- *Exemplum de pictoribus.*
C ſtrata. Vnde pictores omnes aliquid pingere volen-
tes, calcem vel aliquid album pro fundamento ſup-
ponunt. Sic & virgo ſancta primo ſe mundam in
corde ſeruauit: deinde mundam ſe foris exhibuit.
Sicut enim immũditia exterior immunditię interio-
ris eſt nuncia, ſic exterior munditia interioris mun-
ditiæ eſt indicatiua, ſicut & effectus indicat ſuam
cauſam: nullus enim motus eſt in homine, qui non
cauſetur ex corde. Cum igitur Agnes ſic munda ex-
terius fuerit, vt nec lupanari inquinari potuerit, quòd
veram habuerit munditiam in corde, verum argu-
mentum extitit. Ipſa enim ſciebat in Eccleſiaſtico eſ-
D ſe ſcriptum: Qui Dominum timent, præparabunt *Eccl. 2. d.*
corda ſua: & in conſpectu illius ſanctificabunt ani-
mas ſuas. Præparantur corda per munditiam, & per
inuocationem diuinam: quia libenter venit Dominus
ad locum mundum, ſi fuerit vocatus. Deſiderium *Pſal. 9. g.*
pauperum exaudiuit Dominus, præparationẽ cordis
eorum audiuit auris tua. Citiſſime audit Dominus
mũdos corde, & omne quod poſtulant, libens donat.
Vnde teſtatur Hieronymus, Sibyllã a Deo donũ pro- *Exemplum*
phetiæ accepiſſe merito virginalis mũditię. Et narrat *Hiero. li. 1.*
de quadam Regina orientis, quam ſępe Romanos de- *aduerſus*
bellaſſe dicit merito caſtitatis. Videmus apes amare *Iouinian.*
E munditiam, & de ſuis domunculis omnia proijce- *procul a fine To. 2. inferius antẽ exemplum eſt de Teuta Illyricorũ regina, quæ ſæpe Romanos deuicit.*
re fętida & immunda: immo quędam ex eis ad hoc
ſunt ordinatę, quarum officium eſt domunculas mun-
das ſeruare. Turpe eſt enim vt homo immundi-
tiam amet, quam apicula deteſtatur. Sed proh do-
lor, quidam ſunt ſimiles ſchroffis, quæ libentius in
ſtercoribus habitant, & tota die pedibus voluunt im-
munditias, quas ipſi appetunt inter roſas. Turpe
videtur talia dicere: ſed turpius eſt ea facere. Ve-
re hodie poteſt dici de quolibet noſtrum illud:
Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum? im- *Prou. 20. b*
munda ſunt corda, immunda ſunt verba, immunda
F ſunt opera, & omnis oculata pudicitia: ſola hodie
regnat luxuria.

Secũdo beata Agnes ſe præparauit per exteriorem
pœnitentiam, carnem ieiunijs & vigilijs edomando.
Cauſati enim ſumus, Iudęos & Græcos, omnes ſub *Rom. 3. b.*
peccato eſſe, ſicut dicit Apoſtolus ad Romanos. Item *Iac. 3. a.*
Iacobus in Canonica: In multis offendimus omnes. *Ex Aug. li. de Eccl. dogmat. ca. 36. to. 3.*
Offendimus, *dicit*, nõ offenditis: cum prima perſona
loqueretur Apoſtolus, dans intelligere, quòd ipſi
Apoſtoli offendebant. Vnde & Ioannes in ſua Ca-
nonica: Si, *inquit*, dixerimus, quia peccatum non ha- *1. Ioan. 1. c.*
bemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis nõ eſt.
Quare ita? Vt intelligatis, ꝙ & Virgo hæc ſancta nõ
fuerit abſque culpa, ſaltim veniali: ideo egebat pę-
nitentia.

nitentia. Vnde & de beata Cæcilia dicitur, ꝙ cilicio
ad carnẽ induta erat: & quòd carnem ieiunijs, & vi-
gilijs edomabat. Sciebant enim hæ Sanctæ virgines
2.Par.19.a dictum fuiſſe illi regi ſancto: Impio præbes auxiliũ,
& his, qui oderunt Dominum, amicicia iungeris, &
idcirco iram quidem Domini merebaris. Ecce culpa.
Sed bona inuenta ſunt in te: eo quòd abſtuleris lucos
de terra, & præparaueris cor tuum ad requirendum
Dominum Deum tuum, *Supple, per pœnitentiam.*
Sed cum ſimus omnes hodie peccatores: non ſicut
ſancti qui leuia committebant, ſed ſicut criminoſi
qui omnibus peccatis ſe implicant. Vbi eſt pœniten-
tia, quis hodie dolet, ſi Deum offendit? Vere plus B
dolet ſi aſinum perdidit, quia, aſino perdito, mox
eum quærit: ſed, Deo perdito, & per tempora lon-
giſſima non requirit: & propterea conqueritur Do-
Ier.8.b. minus per Ieremiã dicens: Numquid qui cadit nõ re-
ſurget, & qui auerſus eſt nõ reuertetur? Quare ergo
auerſus eſt populus iſte in Hieruſalẽ auerſione cõten-
tioſa? Apprehenderũt humana, ſiue mundana, & no-
luerunt reuerti. Attendi, *inquit,* & auſcultaui. Nemo
quod bonum eſt loquitur, nec eſt qui agat pœnitentiã
ſuper peccato dicens: Quid feci? Omnes, *inquit,* con-
uerſi ſunt ad curſum ſuũ: quaſi equus impetu vadẽs
in præliũ. O vtinam attenderent, quàm vtilis ſit pœ- C
Exemplum nitentia, licet modo videatur amara. Nam & vide-
mus, quòd amara medicina magis, quàm dulcis eſt
proficua. Dicunt philoſophi, quòd amygdalus ama-
ra plus quàm dulcis valeat ad medicinam, nec in ea
arbore eſt aliquid inuenire, quod miro modo non
conueniat medicinæ. Sic pœnitentia videtur amara:
ſed multæ eſt dulcedinis adductiua. Nam & poma
omnia prius ſunt amara, quàm dulcia. Et aqua in
fonte eſt amara, ideſt in mari, quod eſt fons omnium
aquarum, ſed ſit dulcis vena poſtquam in terra eſt
Ezec. 2. d. fortiter concuſſa. Vnde in figura Ezechielis, datus
& Apoca- eſt ei liber ad deuorandum, qui erat ſcriptus intus, & D
lip. 10.d. foris, & ſcriptæ erant in eo lamentationes vtique pę-
nitentiæ, carmen gloriæ, & væ damnationis æternę:
vt ſic agens pœnitentiam, quæ nunc videtur amara,
conſideret vitæ æternæ præmia, & ipſa loca pœnalia,
& ſic ei dulceſcat pœnitentia. Vnde ſubdit ipſe Eze-
Ibid. ſup. c. chiel: Et comedi volumen, & factum eſt in ore meo
3.a. tanquam mel dulce, eo quòd amaritudo pœnitentiæ
vertitur in dulcedinem. Nam & dulcis eſt ſomnus
poſt vigiliæ afflictionem: dulcis eſt requies poſt la-
borem: dulcis eſt ſanitas poſt languorem: dulce lu-
men poſt longam cęcitatem: dulcis valde tranquilli-
tas maris poſt tempeſtatem: & poſt longam pluuiam E
ſerenitas magis delectat, quàm ante, & ſic eſt in om-
Tob.3.d. nibus alijs inuenire. Et hoc eſt, quod dicitur: Hoc
habet pro certo omnis qui colit te, quia vita eius ſi in
probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribula-
tione fuerit, liberabitur: & ſi in corruptione fuerit,
ad miſericordiam tuam venire licebit. Non enim, *in-
quit,* delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tẽ-
peſtatem tranquillum facis: & poſt lacrymationem,
& fletum, exultationem infundis.

Tertio ſe pręparauit per veram patientiam, ſiue per
†S.Amb.li. malorum tolerantiam, tormentis corporalibus non
4.epi.To.5 cedendo. Vnde verbera, & ignes non timuit, lupanar F
epiſt.34. in non erubuit, nec gladiũ lictoris expauit: quia etſi fue-
prin. rit iuuencula corpore, vel ætate, non tamen mente,
vel fide. †Vnde Ambroſius: Corpore quidẽ iuuencu-
*S.Greg.li. la, ſed animo cana. ſciebat enim eſſe ſcriptũ: [a] Fili ac-
24.Moral. cedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timo-
in 33.cap. re, & præpara animam tuam ad tentationem ſci-
Iob cap.7. licet ſuſtinendam. Omnis enim qui accedit ad Dei
procul ab ſeruitium, ſi præparare debet ad bellum, quia ſtatim
init. vbi ea armatur diabolus contra eum. Exemplum de Iob.
dem omnia Exemplum etiã de Tobia, cui dictum eſt: [b] Quia ac-
fere extãt. ceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.
a Eccl.2.a *Vnde Gregorius dicit quòd illos ſolũ diabolus pul-
b Tob.12.c ſare negligit, quos quieto iure poſſidere ſentit. Vnde

A Abbas Ioannes, vt dicitur in Vitaſpatrum, dum ſemel *Lib. qui di-*
rogaſſet Deum, vt non tentaretur, omnis ab eo tenta- *citur Vitas*
tio ablata eſt: ſed videns ſe minus proficere, Deum ro- *patrum.*
gauit, & tentatio redijt. Et hæc fuit cauſa quare Deus
dilectum Apoſtolum non exaudiuit orantẽ pro amo-
tione ſtimuli carnis, ſed audire meruit: Sufficit tibi 2.Cor.12.c
gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur. Vn-
de concludit idem Paulus: Libenter gloriabor in in-
firmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.
Non ſunt ergo fugienda temporalia mala, non fugien-
da tormenta, ſed cum Chriſto potius ſuſtinenda, vt
per hæc fugiamus ęterna ſupplicia, & præmia conſe-
B quamur æterna, quia ſecundum Apoſtolum, ſi fueri- 2.Cor.1.b.
mus ſocij paſſionum, erimus & conſolationum. Ad
hoc perducat nos Chriſtus.

# IN CONVERSIONE
## S. PAVLI APOSTOLI
### SERMO I.

SVrrexit Saulus de terra: apertiſq. oculis, nihil videbat. Act.9.b.
Si quis epiſtolæ hodiernæ hiſtoriã diligenter perlegerit, aperte videbit, ꝙ
duplex fuit viſio in Paulo, vna
exterior, quæ conſiſtit in oculo † Hier.lib.
corporali: altera interior, quæ epi.Tom.1.
conſiſtit in oculo intellectuali: & ep.32.
quantum ad viſionem corporalem, ad Chriſtum con- *Exemplum*
uerſus, factus eſt cęcus: Vnde *apertis oculis nihil videbat.* *eſt de De-*
Sed quantũ ad ſpiritualem maxime fuit illuminatus. *mocrito a-*
Vnde ibidem dictum eſt de Saulo: *Et vidit virum* *pud Cic. li.*
*Ananiam nomine, introeuntem.* Conſtat quòd de vi- *5. de Fin. et*
ſione intellectuali hæc dicit, quia in illis tribus die- *lib.5.Tuſc.*
bus viſum corporalem non habuit. *Erat,* inquit, *tri-* *Et Plutar.*
D *bus diebus non videns, & non manducans neque bibens.* *lib. de cu-*
Vnde erat quoddam mirabile, quia dum viſum ami- *rioſit. Hic*
ſit exterius, ipſum accepit interius: & quandiu habuit *autem fa-*
viſum ad mundum, totus cęcus erat ad Chriſtum: vi- *ctũ negat:*
ſus enim corporalis eſt impeditio ſpiritualis, quia ani- *ille vero nõ*
ma ad exteriora diffuſa, ad interiora eſt quaſi nulla. *affirmat om-*
† Vnde narrat Hieronymus, ꝙ plures philoſophi, vt *nino.*
poſſent rebus interioribus melius eſſe intenti, ſibi cor- *Idem dici-*
porales oculos eruerãt. Nã & cęcos videmus eſſe mi- *tur de Me-*
rabilis intellectus, & admirabilis ingenij, & valde te- *trodoro ei⁹*
nacis memoriæ, quia anima ab externis abſtracta, ad *diſcipulo.*
interiora tota collecta, capit facile omnia. * Vnde do- * *S. Aug. li.*
E cetur anima in libro de anima, & ſpiritu, ꝙ ſi vult ſe *de ſpiritu,*
cognoſcere, vel ad Deum aſcẽdere, ab omnibus cor- *& anima*
poris ſenſibus retrahat ſe, & redeat ad ſe, ſtet in ſe, & *cap. 2. Hic*
eleuet ſe ſupra ſe mentis acie, ſicut in viris contempla- *liber inter*
tiuis videmus fieri tota die. Numquã enim poteſt vi- *opera S. P.*
deri Deus, niſi procul a viſu ſit mũdus. [a] Non, *inquit,* *Auguſtini*
videbit me homo, & viuet. Ergo doctus Apoſtolus, & *circumfer-*
illuminatus ad vidẽdum Deum, viſum perdidit ad vi- *tur To. 3.*
dendum mundum. In illo ergo triduo videbat, & non *ſed nomen*
videbat. Videbat ſcilicet ſpiritualiter, ſed cęcus erat *Auctoris*
corporaliter. Vnde bene de eo dicitur: *Surrexit Saulus* *hic non po-*
*de terra, apertiſq. oculis nihil videbat.* Nihil, *inquit,* ter- *nitur, quia*
F renũ, ſed videbat interioribus oculis Chriſtum. Vnde *S. Bon. diſt.*
& ſtatim vidit, & ſtatim cognouit, ſtatimq. clama- *24.p.1.art.*
uit: *Domine quid me vis facere?* Quaſi diceret, præcipe, *2.q.1. dubi*
& paratus ſum obedire. Igitur in verbo præmiſſo duo *tat an ſit*
notantur: Primo eleuatio mentis in Deum, quod per- *Auguſtini:*
tinet ad oculum ſpiritualem: ſecundo clauſio oculo- *& a Trite*
rum ad mundum, quantum ad oculum corpora- *mio Hugo-*
lem. Ergo ſurrexit, vt oculum ſpiritualem acciperet, *ni aſcribi-*
quo totus in Chriſtum intenderet: ſed cęcus fuit, vt ſe *tur.*
a mundo auerteret, & mundũ vlterius nõ amaret. Pri- a Exo.33.d
mũ notatur, cum dicitur: *Surrexit de terra* iuxta illud:
Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit Eph.5.d.
te Chriſtus. Qui n. a terra ſurgit, verſus cælũ ſe erigit,
& ad lumẽ, quãtum in ſe eſt, ſe diſponit. Secũdum ve-
ro



ro notatur, cum additur: *Apertiſq. oculis nihil videbat.* A
Totus igitur hic ſermo circa Chriſti viſionem verſa-
tur. Nam & ipſe Apoſtolus confitetur nihil aliud ſe
ſcire, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum. Et de
Mat.17.b Petro Iacobo, & Ioanne dicitur: Qui leuantes ocu-
los neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum: Et ipſe Ie-
Luc.10.d ſus dicit: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Er-
go ſi beati eſſe volumus, Ieſum ſolum cum Apoſtolis
videamus. Nam & Dominus per Ioannem dicit:
Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, &
quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Sed quid eſt Chriſtũ
cognoſcere, niſi videre: ergo videre Chriſtum, eſt eſſe
Gen.37.d beatum. Vnde & dicebat Iacob: Vidi Dominum fa- B
cie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Eſt ergo
hic notandum, quòd Ieſum videre debemus: primo
pœnis afflictum, vt omnis in nobis deſtruatur carna-
litas: ſecundo rebus deſtitutum: vt omnis in nobis
deſtruatur cupiditas: tertio humilem, & abiectum,
vt omnis in nobis deſtruatur pompoſitas.

Dico primo quòd ante omnia debemus videre
Ieſum pœnis afflictum: quia tamquam latro a popu-
lo ſuo captum, velatum, & oculis iudici præſentatum,
ad columnam ligatum, flagellis cæſum, ſanguine cruẽ-
tatum, a militibus illuſum, ab Herode ſpretum, a Pila-
to condemnatum, in cruce eleuatum, clauis duris affi- C
xum, & lancea perforatum. Attende ergo carnem il-
lam virgineam, in vtero virginali conceptam, vtique
carnem tenerrimam, carnem nobiliſſimam, carnem
nullo peccato fœdatam, Deo carnem vnitam. Et hæc
videas, quæ fuerit paſſa, & quibus fuerit partibus per-
forata, & eius pœna, quàm fuerit diuturna. Et quia ab
illis fuerit paſſa, quibus ſua contulerat beneficia, vi-
debis dolorem eius fuiſſe permaximum: nec vmquã
tantũ dolorem fuiſſe, vel eſſe potuiſſe in homine, vt ip
Thr. 1. d ſe teſtatur dicẽs: O vos omnes qui trãſitis per viam at-
tendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Ad hãc
paſſionem habendam præ oculis nos inuitat Bernar- D
dus dicens: Habete Chriſtum ſemper non retro in hu
meris, ſed ante, præ oculis: ne portantes, & non odo-
rantes, & onus premat, & odor non erigat. Nam le-
uius veſtras iniurias feretis, ſi videritis amaritudi-
nem Dominicæ paſſionis. Ergo ſi tanta fuit amaritu-
do carnis Domini Saluatoris, quis, niſi ſit filius ge-
hennæ, audeat laſciuire? Quis vltra præſumat in deli-
cijs carnem peccatricem nutrire? non eſt iuſtum, non
eſt rationi conſonum, vt ſub capite dolente, membrũ
ſine labore viuat delicate. Non habetur miles ille ami-
cus regi, qui tunc vacat luxurijs, ſiue carnis delicijs:
quando rex ſuus, armis indutus, bellis expoſitus, vul- E
neribus plenus, & totus pœnis expoſitus. Quare Apo-
ſtolus Paulus cum vulnera vidit Chriſti, ſe totum pœ-
nis expoſuit, carnem afflixit, & virginitatem puram
ſeruauit, ſicut habetur in his, quæ dicuntur ad Corin-
2.Cor.4.c thios: In omnibus perſecutionẽ patimur, ſed nõ dere-
linquimur: ſemper mortificationẽ Ieſu Chriſti in cor
pore noſtro circũferentes, vt & vita Ieſu in corporibus
noſtris manifeſtetur, &c. Ergo per omnia ambulauit
Apoſtolus, vt Chriſtus ambulauerat, & patiendo, &
virginitatem ſeruando. Sed filij diaboli, omni gratia
deſtituti, ſeruiunt ſoli carni, peiores quàm pagani, &
magis luxuriæ dediti. Nam inuenio paganos ſic dete- F
ſtatos eſſe carnalem laſciuiam, vt nec filiabus a morte
Exemplũ. pepercerint. Nam miles quidam Romanus nomine
Val. Max. Pontius, poſtquam comperit filiam ſuam ſtuprum cũ
lib.6.ca.1. ſeruo commiſiſſe, & ſceleratum ſeruum effecit ſup-
plicijs, & filiam interfecit. Sed & alius nomine Virgi-
nius, vt narrat eadẽ Romana hiſtoria, maius aliud fe-
Val. Max. cit: Nam dum vnus de potentioribus concubitum fi-
ibid. liæ ſuæ potenter expeteret, deductam in publicũ puel-
lam occidit, prius volens eſſe occiſor filiæ pudicæ,
quàm vellet pater eſſe corruptæ, ergo ſi tantus amor
virginitatis eſſe potuit in paganis, quantus deberet eſſe
in Chriſtianis, quorum rex Virgo fuit?

Secundo debemus videre Ieſum temporalibus bo-

A nis omnibus nudum, vt omnis in nobis deſtruatur cu-
piditas. Quis vmquam cupidus eſſe audeat, dum Chri
ſtum videt naſci in ſtabulo, poni in præſepio, iacere in
fœno, omni carere temporali ſubſidio, & nudum ſu-
ſpendi in ligno? Quis adeo peſſimus latro fuit, qui in
morte ſaltẽ, camiſia ex humanitate indutus non fuerit?
ergo Deus pauperimus fuit: quia parum in ortu, mi-
nus in progreſſu, ſed nihil omnino in obitu eſt inuen-
tus habere, & propterea dicitur pauperibus in Pſal-
mo: Videant pauperes, & lætentur. Quid videant?
Chriſtum egentem, Chriſtum mendicantem, Chriſtũ
nihil penitus poſſidentem: videãt, inquit, & lætentur,
B cum in paupertate ſint fratres, & ſocij non cuiuſque
viliſſimi, ſed filij Altiſſimi, Domini noſtri Ieſu Chriſti.
Quis veretur vlterius eſſe pauper, ſi videat Dei filium
mendicare? ergo videant, & lætentur: quia qui nunc
cum Chriſto ſunt pauperes, cum eodem erunt cæleſtis
palatij coheredes. Heredes, inquit Apoſtolus, Dei co
heredes autem Chriſti. Vnde dicitur: Beati pauperes Mat.5.a
ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Hæc
Paulus in Chriſto dum attendit omnia cum alijs Apo-
ſtolis dereliquit. Vnde legitur in Euangelio, quod ho
die recitatum eſt: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecu
ti ſumus te. Hieronymus: Ieſus nõ dixit: Qui reliqui- *Hier.lib 3.*
C ſtis omnia: hoc enim Crates fecit philoſophus, & mul *cap. 19. in*
ti alij diuitias contẽpſerunt: Sed, qui ſequuti eſtis me: *Mat. 10. 6.*
quod proprie Apoſtolorum eſt, atque credentium.
Hæc Hieronymus. Faciemus ergo propter Chriſtum
quod philoſophi illi fecerunt propter naturæ inſtin-
ctum. Nam Democritus tantis diuitijs plenus fuit, *Val. Max.*
quòd exercitui Xerſis regis, qui erat innumerabilis, *lib.8.ca.7.*
epulas facile dare potuit. Dum autem tam diues eſſet,
& philoſophiæ operam dare vellet, ſciens philoſophiã
non conuenire cum pecunia, patrimonium ſuum pa-
triæ donauit, a qua omni tempore exul fuit. Ergo ſi
pro philoſophia vana Philoſophus pauper fuit, quid
D pro philoſophia vera, Chriſtianum facere, conuenit?

Tertio debemus videre Chriſtum pauperem, & ab-
iectum, vt confundatur noſtra pompoſitas, omnis hu
mana dignitas, & ſuperba ſublimitas. Nã monſtrũ eſt,
& natura abhorret, vt ſit humilis Dominus, & ſuper-
biat ſeruus, Dominus in imo ſedeat, & ſeruus in alto,
Dominus vadat pedes, & ſeruus eques. Audi ergo
quid de Domino Saluatore dicatur per Iſaiam: Vidi- *Iſa. 53. a*
mus, inquit, eum, & non erat aſpectus: & deſiderauị-
mus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum
dolorum, & ſcientem infirmitates, & quaſi abſcondi-
tus vultus eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus
E eum: reputauimus enim eũ quaſi leproſum, & percuſ-
ſum a Deo, & humiliatũ. Hanc humilitatem attendens
Apoſtolus ex Saulo factus Paulus, ideſt ex ſuperbo hu
milis, & modicus. Nã Saulus ex Saulo rege ſuperbiſſi- Saulus, &
mo erat dictus, ex cuius Tribu fuerat natus, ſed Paulus Paul⁹ quid.
interpretatur modicus. Nõne ex ſuperbo factus eſt hu
milis, quãdo dixit: Ego ſum minimus omniũ Apoſto- 1.Cor.15.a
lorũ, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam
perſecutus ſum Eccleſiã Dei? Item nõne ex ſuperbo fa
ctus eſt humilis, quãdo ex perſecutore factus eſt Apo-
ſtolus? Ergo fratres deponamus ſuperbiã, & Chriſtum
humilem cũ Apoſtolo imitemur. Fugiamus chariſſimi
F honores: quia Chriſtus fugit ne rex fieret Iudæorũ, in
quo docere nos voluit quid fugere debeamus. Nã &
viri pagani dum honorũ pericula conſpexerunt, ipſos
penitus renuerunt. Vnde Marcus Rutilius ſecũdo fa- *Val. Max.*
ctus cenſor a Romanis, ad concionẽ populũ conuoca- *li.4. cap. 1.*
uit, & verbis duris, quàm potuit, ipſum populũ arguit,
quòd illam tam amplã poteſtatẽ bis ei contuliſſent. Fa Exemplum
bius Maximus cũ a ſe quinquies, & a patre ſuo, auo, & *Val. Max.*
proauo, maioribusq. ſuis ſæpenumero Cõſulatũ geſtũ *ibid.*
aduerteret, dũ filius eius factus a populo Conſul eſſet,
quantum potuit, conſtanter cum populo egit ne hunc
honorem tam ſæpe domui ſuæ darent, dicens, incon-
ueniens eſſe, vt Romanum Imperium ſic in vna fami-
lia daretur continuum. Ergo non reputemus magnũ,
ſi ho-

ſi honores contemnemus propter Chriſtum, & propter regnum æternum, quando viri ſic extranei imperia contempſerunt, ob amorẽ propriæ ciuitatis, *&c.*

## SERMO II. DE EODEM

*Act. 9. e* *Vas electionis mihi eſt iſte, vt portet nomen meum coram regibus, & gentibus, & filijs Iſrael.* Duplicem electionem legimus in Scriptura, vnam æternalem, alteram temporalem. Per primam ſemper ad gratiam præparamur, & gloriam. Per ſecundam vocamur ad gratiam, ſed nõ ſemper ad gloriam. Prima electio eſt idem quod B prædeſtinatio, per quam in libro vitæ conſcribimur, cuius libri ſcriptura, nulla obliuione interueniente, deletur. Secunda enim electio eſt idem quod temporalis vocatio, quæ etſi ad tempus fiat ad gratiam, non tamen ſemper ad gloriam: quia non omnes qui temporali- *Mat. 20. b* ter ſunt vocati, æternaliter ſunt electi. Multi enim, vt dicit Dominus, ſunt vocati, pauci vero electi. De *Eph. 1. a* æterna vero electione dicit Apoſtolus: Elegit nos an- *Io. 15. c* te mundi conſtitutionem, & dicitur: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. De ſecunda vero electione in- *Io. 6. b* telligitur illud: Nonne ego duodecim vos elegi, & C vnus ex vobis diabolus eſt? Conſtat enim Iudam non ab æterno, ſed temporaliter fuiſſe electum, quia non ad gloriam, ſed ad tempus tantum. Ad gratiam vero ſanctus Apoſtolus, cuius hodie feſta celebramus, ad gloriam ab æterno fuit electus, & a Chriſto temporaliter eſt vocatus, vt & gratiam haberet abundanter in via, & gloriam obtineret in patria. Vnde bene de eo dictum eſt: *Vas electionis mihi eſt iſte, vt portet nomen meum*, & cet. In quo verbo maxime duo notantur. Nam primo oſtenditur quòd ſanctus Apoſtolus ſit ab æterno prædeſtinatus. Secundo vero monſtratur ad quid fuerit temporaliter ordinatus. Notatur autem D eius æterna electio, cum in auctoritate præmittitur: *Vas electionis mihi eſt iſte*. Secundo notatur eius temporalis vocatio, ſiue ad prædicationem ordinatio, cum infertur: *vt portet nomen meum, et cet.* Dicat ergo Dominus, & Saluator de Apoſtolo ſuo: *Vas electionis eſt mihi iſte*. Eſt ergo notandum quòd ſanctus Apoſtolus fuit vas. Primo altum, per contemptum temporalis ſubſtantiæ. Secundo clarum, & lucidum, per donum ſapientiæ. Tertio purum, per donum continentiæ. Quarto ſolidum, per donum patientiæ.

Dico primo quòd ſanctus Apoſtolus fuit vas altũ: E vas a terra eleuatum, vas cælo proximum per contemptum temporalis ſubſtantiæ. Quis ſic pauper vt Apoſtolus fuit, qui propter Chriſtum omnia reliquit, nec de Euangelio, cum poſſet, viuere noluit, ſed labore manuum ſuarum victum quæſiuit, ſicut aperte patet in eius Epiſtolis? Vnde de eo conſequenter poteſt *Eccl. 43. a* exponi illud: Vas admirabile opus excelſi. Eſt enim opus excelſum, immo excellentiſſimum, & cũctis admirabiliſſimum, ſic perfecte contemnere mundum, ſpernere victum, non curare veſtitum, ſed omnia arbitrari vt ſtercora propter Chriſtum. Et ideo hoc vas apoſtolicum admirabile dicitur, propter tam virtuoſum contemptum, & opus exelſum, ideſt Dei ſummi, F quia Dei dictum. Nemo enim poſſet ſic ſe & ſua contemnere, niſi illo donante, a quo eſt omne datum opti- *Iac. 1. c* mum, & omne donum perfectum. Sed hodie contemnitur paupertas, & auaritia regnat: quia ſicut dici- *Ier. 6. c. & 8. d* tur: A minimo vſque ad maximum, omnes auaritiæ ſtudent. Et deinde dicitur: Auaritia ſupet caput om- *Amos. 9. a* nium. Nec attendunt miſeri, quòd illud quod natura ſub noſtris ponit pedibus, ipſi peruerſa natura ſibi ponunt ſuper caput. Numquid non natura dedit tibi terram pedibus ad conculcandum, ergo contra naturam eſt, ſi terra homini dominetur, quæ ei data eſt, vt pedibus conculcetur. Sed numquid aurum, & argentum non generatur ex terra? immo ſecundum Philoſophũ

A ſunt egeſtiones terræ, nec mireris ſi hæc ſunt metalla ipſa terra viliora, cum ſint ex terra creata, & ad modicum ſunt vtilia, niſi quantum ea facit æſtimatio humana, quæ olim ea habuit viliſſima, & plus æs quàm aurum reputabant: ergo non ſua natura, ſed æſtimatio ſola ea facit pretioſa. Numquid non plus valet frumentum, quàm aurum, cum ſit totius vitæ ſuſtẽtamentum. Qui eſſet in aliquo loco, & eſſet vtique plenus auro, ſi pane careret, & frumento, nonne inuadente fame, totum daret aurum pro modico pane? Dic vnde hoc eſſet, niſi quia tunc naturam bono melius anteponeret? Nunc autem vilius B frumentum, ſed charum eſt aurum: quia de illo multum, de iſto vero parum: quia æſtimatio fallit iudicium. Nam quidam miles fuit, qui pulcherrimam *Exemplum.* vxorem habuit, & ei turpiſſima famula ſeruiebat, in quã miles oculos cum inieciſſet, & eam ardenter amaret, peruerſo iudicio, & amore oculo excæcato, videbatur ſibi quòd domina tota turpis, ſed famula eſſet pulcherrima. Cumq. de hoc argueretur ab omnibus, & ſibi diceretur, quòd domina eſſet pulcherrima: hæc autem famula eſſet turpiſſima, mirabatur an hoc eſſet verum: ad quemdam philoſophum venit, & totũ negotium ei dixit. Cui philoſophus: Amor te fallit, C nec vt recte iudices, nec æſtimes permittit. Si ergo de eis vis rectum iudicium ferre, æquali diſtantia eas a te remoue, vt dominam non odias, & aliam non diligas, ſed ad ambas æquali mente te habeas, & tunc videbis quid te ad iudicandum impediat: quia amor & odium falſant iudiciũ. Vnde olim philoſophi & Poetæ pingebant amorem cæcum. Sic igitur patet quòd æſtimatio falſa aurum frumento præponit, quæ ſæpe plus aſinum, quàm hominem ſeruum diligit: & quod eſt peſſimum, plus nummum preciatur quàm Deum.

Secundo Apoſtolus fuit vas clarum, & luminoſum per donum ſapientiæ: fuit enim ſcientiæ admirabilis, D ita vt eius verba in magna veneratione Seneca haberet, & illi approbanda ſua ſcripta committeret, & Senatus non mediocriter ſentiret de illo, & ipſe Cæſar valde eum verbis extolleret, ſicut ipſe Seneca docet. *Ex Epiſtolis Senecæ ad B. Paulum.* Vnde de ipſo poteſt exponi illud: Vas caſtrorum in *Eccli. 43. b* excelſis, in firmamento cæli reſplendens. Vas caſtrorum dicitur: quia per eum caſtra Chriſtianæ militiæ illuminantur. Quis vmquam ſic docuit, ſic Chriſtum prædicauit, & quis ſic mũdum illuminauit, vt Paulus? Sic enim Chriſtum ardenter amauit, quòd totũ mundum Chriſto acquirere totis viribus laborauit. Vnde dicitur quòd in firmamento cæli reſplenduit: quia E in Dei Eccleſia, quæ firmamentum eſt veritatis, magnum luminare claruit, & omnes gentes docuit. Sed quis hodie Chriſtum vere prædicat, quis hodie ſequitur Pauli ſcientiam, & non potius vanam philoſophiam? Plures hodie incomparabiliter intendunt philoſophiæ, & legi Iuſtinianæ, quàm diuinæ, quia illis acquirunt pecuniam, hac acquirunt animam, animæ præponentes pecuniam, cum tamen dicatur: Quam dabit homo commutationem pro ani- *Mat. 16. d* ma ſua? Et quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur: animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Sic philoſophi intenderunt toto poſſe mundanæ F ſciẽtiæ. Nam Archimedes philoſophus, ſic ſcientiæ totum ſe dedit, vt propter ſcientiam, mortem cõtemneret. *Exemplũ. Val. Max. lib. 8. ca. 7. in externis.* Cum enim Syracuſana ciuitas in Sicilia poſita, eſſet a Marcello Principe Romanorum obſeſſa, diu ſe defendit, munita ſolis conſilijs philoſophi ſupradicti, cum ceteris ibidem incluſi. Cumq. finaliter capta eſſet, Marcellus illius philoſophi eximia ſcientia delectatus, vt ad vitam ſeruaretur edixit, plus reputans ſibi ad gloriam, quòd tantum virum vita donabat, quàm quòd Syracuſanos deuicerat. At ipſe philoſophus nec vitam curans, nec mortem metuẽs, mente & oculis in terram defixis, verba ſcientiæ digito ſcribebat in terra. Adueniente igitur milite, qui domũ gratia prædãdi irruperat, ſuper caput eius gladium vibrans, quis eſſet



eſſet interrogauit. A Ait ille, ſic intentus inueſtigationi ſcientiæ erat, quòd nomen ſuum indicare non potuit, immo ob amorem ſcientiæ mortem contempſit, nec gladium aduertere voluit ferientis. Et quia factum eſt, vt dum militi parere nollet, nec nomen illi ſuum indicaret, vt mortem incurreret. O ſi tales eſſemus pro diuina ſcientia capienda, quàm deuote ad prædicationem iremus, quàm ſtudioſe non intellecta quæreremus, quàm conſtanter, & feruide pro diuinis verbis animas poneremus. Nã pro hac doctrina tam ſancta, tam ſolida, tantis miraculis confirmata, mortuus Paulus fuit, mortui ſunt omnes Apoſtoli, ſancti & martyres omnes, immo & ipſe Dominus pro hac confir- B manda doctrina & voluit capi, & illudi, & flagellari, & *Ioan. 5. e* quod maius eſt, tradi morti. Vnde inquit: Ego ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. *Gal. 3. a* Sed nobis poteſt dici illud: O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non credere veritati? Nunc enim ſtulto- *Eccls. 1. d* rum infinitus eſt numerus. En fatui tamquam vas con *Eccli. 21. c* fractum omnem ſapientiam non tenebit.

Tertio Apoſtolus fuit vas purum, & mundum per *1. Cor. 7. b* donum continentiæ. Vnde dicebat, loquens de continentia: Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum, & ſic continere vt contineo meipſum. Et de *Prou. 25. a* hoc vaſe conuenienter poteſt exponi illud: Aufer, C inquit, rubiginem de argento, & fiet vas puriſſimum. Apoſtolus enim fuit vas argenteum, etiam ante conuerſionem propter donum ſapientiæ, ſed erat rubiginoſum propter perſecutionem, quam inferebat Eccleſiæ. Dum ergo Chriſtus ipſi in via apparuit, verbis terruit, & cæcum ad exteriora reddidit, & intus lumine gratiæ illuſtrauit, peccati rubiginem ab argento remouit, & vas puriſſimum illum fecit. Poteſt tamen dici quòd Apoſtolus fuit vas purum, vas magis purum, & vas puriſſimum. Nam fuit vas purum in conuerſione, fuit purus ſiue magis purum in conuerſatione, fuit vas puriſſimum in mortis toleratione: Sed D *Prou. 20. b* quis hodie eſt vas purum? Quis hodie dicere poteſt: Mundus ſum a peccato? immo qui ſunt hodie, qui nõ *Pſal. 31. c* ſeruiant luxuriæ? Facti ſunt omnes ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Ad modum enim leenæ homines noſtris temporibus ſemper feruent ad coitum, non expauent adulterium, non ſtuprum, non incæſtum, nec peccatum quod eſt naturæ contrarium. Non tales antiqui philoſophi, qui quaſi inueniebantur inſenſibiles, & quaſi corpus non habentes ad peccatum carnis: & vt de multis taceam vnum re- *Exemplũ. Val. Max. lib. 4. cap. 3* feram vnde noſtra confundatur laſciuia. Xenocrates E maior diſcipulus Platonis, qui eius ſcholas poſt eum, vt dicitur, rexit, miræ continentiæ homo fuit. quod quedam mulier pulchra ſic probauit. Nam cum quibuſdam iuuenibus pignus poſuit, quòd eum deciperet & ad luxuriam excitaret. Iuit igitur mulier inſana, & iuxta eum ſe poſuit, & caput ſuum in gremium eius poſuit. At ille nec eam tetigit, nec eam repulit, nec verbis vllam iniuriam illi dixit, ſed quamdiu voluit in ſinu eius morari permiſit: ipſe permanſit immobilis in propoſito caſtitatis, nec vllum incentiuum libidinis ſenſit. At illa cum hoc vidit confuſa receſſit. Cumq pueri eam deriderent, quòd nihil facere po- F tuiſſe & pactum victoriæ flagitarent. Illa reſpondit: Ego vobiſcum pignus poſui de homine, hic autem vt experta ſum, non eſt homo, ſed ſtatua. Et dicit hiſtoriographus quòd non potuit magis commendari de continentia, quàm ab hac commendatus ſit femina. Magna ergo Chriſtianis eſt verecundia, dum inter gentes paganas magis quàm inter eos inuenitur continentia.

Quarto Apoſtolus fuit vas ſolidum per donum patientiæ: Vas enim ſolidum non cedit facile impellenti: quia dum intus malleo funditur, non intus frangitur, ſed malleus repercutitur: hoc etiam apparet in pila, quæ ad murum percuſſa, non per murum, ſed ad manus proijcientis velociter redit: Dicit etiam Hie-

A ronymus, quòd ſagitta ab arcu immiſſa in lapidem, vel in ferrum, non ante, ſed retro rediens, ſæpe percutit ſagittantem: ſic & Apoſtolus cum eſſet vas ſolidum, & gratia plenum, nec lædi, nec ſonum potuit dare percuſſum: quia non ſonat tactum vas plenum, ſed vacuũ. *Exemplũ.* De ſoliditate ergo vaſis huius poteſt exponi illud: Vas auri ſolidũ ornatũ omni lapide pretioſo. *Eccl. 50. b* Nota quare dicatur vas aureum, vas ſolidum, vas ornatum. Vas aureum dicitur propter refulgẽtiam charitatis, quia totus ardebat. Vas ſolidum propter conſtantiam firmitatis: quia nulli afflictioni cedebat. Sed vas omni lapide pretioſo ornatum, propter reſplen- B dentiam honeſtatis, qua mundo fulgebat. De quolibet horum fieri poſſet lõgus ſermo, ſed videamus quàm ſolidus, quàm conſtans, & firmus fuerit hic ſanctus Apoſtolus. Sicut enim ipſe ait: Deus nos nouiſſimos *1. Cor. 4. b* oſtendit Apoſtolos, tamquam mori deſtinatos, & quibuſdam interpoſitis, ait: Vſque in hanc diem eſuri- *Ibid. c* mus, & ſitimus, nudi ſumus, & colaphis cædimur, & *Ibidem. c* inſtabiles ſumus, & laboramus manibus noſtris. Maledicimur & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, *et cet.* Item: In omnibus tribulationẽ *2. Cor. 4. b* patimur, ſed non anguſtiamur, *&c.* Item: In labori- *2. Cor. 11. b* bus plurimis, & in carceribus abundãtius, in plagis ſu- C pra modum, in mortibus frequenter: a Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi: ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, *et cet.* Si gloriari oportet in his, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor. Tales deberent eſſe milites Chriſti: ſic per omnia ſolidi, vt nec ipſa morte poſſent ab hoſtibus deterreri. Et quid mirum, ſi cum Apoſtolo debeamus agere fortiter pro Chriſto, & pro regno obtinendo æterno, quoniam multi inuenti ſunt milites terreni, qui vitam ſuam tradunt pro rege terreno, pro quo morientes, non accipiunt præmium, ſed ſupplicium po- D tius ſempiternum. Nam quidam Hermon nomine princeps maximus, in regno Perſarum, dum pro domino ſuo bellum contra Alexandrum committeret, cum ſe ab alijs derelictum videret, ſe toti exercitui Alexandri oppoſuit, & alios quidem haſta, alios gladio obtruncabat. Plura iam acceperat vulnera, & a parte anteriori & a tergo, ſed plura intulerat hoſtibus. Vt ergo non videretur virtute, ſed ſolum felicitate inferior Alexandro, tantam ſtragem hoſtium fecit, vt ſolus agmina quandoque fugaret. *Exemplum. De Hermone Pelaſgorum principe vide Adagia in parœmia Hermoniũ officium. De Hermone Perſarũ rege nihil potuit inueniri.* Verum cum innumerabiles ictus haud ſuſtinere poſſet, de equo lapſus ſuper genua ſe poſuit, ſcuto protegens totum E corpus, & gladium manu ſtringens, hoſtes prouocabat ad bellum: ſi quis auderet ſecum confligere, donec lethalis lancea pectori eius infixa eſt. Et quamuis eſſet vndique perforatus, nec tamen fugit, nec captum ſe reddidit, nec miſericordiam petijt, ſed tantum ſe defendit, donec ſanguinis effuſione defecit. Ergo ſi tantus potuit eſſe miles mundanus pro gloria mundi, qualis debet eſſe miles Chriſti pro gloria paradiſi? Sed facti ſumus hodie vaſa confracta, vaſa terrea, vaſa non aurea, non argentea, ſed vitrea quæ modico tactu franguntur. F Vnde poteſt de nobis dici illud: Filij Sion *Thren. 4. a* inclyti, & amicti auro primo, quo modo reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli?

# DE S. AGATHA VIRG. ET MART.

## SERMO.

*Pſal. 117. b*

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: Secundum doctrinam Sancti Bernardi non eſt deteſtanda, ſed optanda infirmitas, quæ Chriſti virtute firmatur. Quis inquit, dabit mihi non ſolum infirmari, ſed omnino deſtitui, & penitus a me ipſo deficere, vt me Deus virtutum ſua virtute ſtabiliret? Non ergo dicendus eſt deſtitutus, qui

B

eſt in ſe infirmus, cum fortitudo ſua ſit Dominus. Dicat ergo ſancta Agatha, & ſic eſſe credat: *Fortitudo mea Dominus*. Quaſi dicat de me vtique non confido, ſed ſolum de illo, qui eſt ſanctorum omnium fortitudo. In quo verbo valde ſapienter procedit. Nam primo principium fontale totius bonitatis, vt ipſum diligat, oſtendit. Secundo acceptum ab eo beneficium, vt amoris deſiderium creſcat, agnoſcit. Tertio vero gratias illi, ne ingrata appareat, reddit. Optime coniunguntur hæc tria munera, datorem diligere, munus acceptum agnoſcere, & pro munere gratias compenſare. Eſt igitur primum primi principij, & fontalis

C

veneratio, quando dicit: *Dominus*. Secundum eſt muneris recognitio, quando addit: *Fortitudo mea*. Tertium vero eſt gratiarum actio, quando ſubdit: *Et laus mea*. Tunc enim Deus, *Laus mea*, dicitur, quando a nobis pro bonis acceptis laudatur. Dicat ergo beatiſſima Agatha: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus*. Verum quia hæc Virgo ſancta, ſimul & ſemel, & ſemper & Deum fortiſſimum in auxilium inuocabat, & tormenta fortiter hilariterq. portabat, & ſemper in omnibus gratias agens Deo referebat, omnia in ſermone tractanda ſunt ſimul. Eſt igitur notandum quòd hæc Virgo ſancta accepit a Deo fortitudinem, qua eſt vſa

D

ad plura. Nam fuit fortis ad quattuor. Primo ad bonum fidei Chriſto ſponſo ſeruandum, Secundo ad omne temporale ſubſidium contemnendum. Tertio ad omne genus ſupplicij tolerandum. Quarto ad illud, quod cœperat, finaliter exequẽdo ad perſeuerandum. Iſta enim quattuor faciunt hominem perfectũ eſſe, ſcilicet ſtabiliter fidem ſeruare, omnia propter Deum contemnere, omnia mala pro eo portare, & in his finaliter permanere.

Dicamus ergo quòd beata Agatha fuit fortis, primo ad bonum fidei thori ſeruandũ: erat enim Chriſti ſponſa, Chriſtoq. conſecrata, & ideo ei non licebat

E

*2. Cor. 11. a*

vt alteri iungeretur. Deſpondi, inquit Apoſtolus, vos vni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto. Nota igitur quòd homo ſponſam vult inuenire incorruptã. Ergo multo fortius, Rex regum Dominus vult ſuam fidem thori ſeruari, & ſponſam ſuam alteri non coniungi. Nullus vmquam homo ſic zelotipus eſt, vt Chriſtus. Hæc igitur conſiderans Virgo ſacra, induci non potuit vt nuberet Quintiano: ipſe enim Quintianus videns Virginem mira pulchritudine corporis refulgentem, & eam diuitem eſſe & nobilem, voluit eam ſibi ſumere vxorem. Vt, quia pulchra, poſſet in ea ſua libido ſatiari: quia diues, poſſet per eam ditari: &

F

quia nobilis, poſſet per eam nobilitari. Fecit igitur eã arctari, & cuidam matronæ tradi vt mutaret animũ eius. Audi ergo fortitudinem Virginis, quia per triginta dies fortiter pugnauit ne matrimonio iudicis conſentiret, & ſuperari non potuit. Quare matrona iam dicta ad Quintianum veniens, dixit ei: Facilius poſſunt ſaxa molliri, & ferrum in plumbi molliciem conuerti, quàm hæc puella conuerti. Audiuerat enim

*Tob. 7. a*

Saræ filiæ Raguelis Tobiæ matrimonialiter iunctæ dictum, & ſic accipiebat, vt ſibi eſſet a Chriſto perſonaliter enarratum: Forti animo eſto filia, quaſi dicat fortiter ſerua fidẽ, & ſponſi tui ne lædas amorẽ. Turpe eſt, vt fides, quæ ſæpe ſeruatur mortali marito, non

A

ſeruetur Domino Chriſto. Nam innumeræ fuerunt antiquitus mulieres, quæ prius voluerũt occidi, quàm poſt mortem primi mariti vellent nubere alteri. Vnde, vt narrant hiſtoriæ, & Hieronymus, mos fuit apud Indos, vt quilibet homo haberet plures vxores, & cũ vir moreretur, illa quæ magis fuit ab eo dilecta, cum eo in igne cremabatur. Eratq. mirabile, quia viro mortuo, omnes inter ſe contendebant, & quælibet ſe magis dilectam fuiſſe dicebat, vt poſſet cum viro comburi. Illa igitur, quæ vincebat, optimis ſuis veſtibus ſe ornabat, & iuxta viri corpus ſe collocabat, illum oſculans, & amplexans, ignes hinc inde ardentes

Exemplum
*Hier. lib. 1. aduerſ. Iouinian. lõge poſt med. & non procul a fine. to. 2.*

B

non curans, ſed virum oſculando, ardebat. Ergo ſi tanta potuit eſſe fides ad virum mortalem, quanta debet eſſe ad Dominum immortalem? O ſi ſcirent virgines, cum quanto dolore florem virginitatis amittunt, cum quanta mutatione corporis fœtum concipiunt, & nutriunt, cum quanta dolore pariunt, & ſæpe pereunt, cum quantis pœnis filios nutriunt, cum quanto dolore eos morientes aſpiciunt, quanta eſt pœna, zelotipos viros habere, malos maritos ſuſtinere, bonos perdere, non deſiderarent facile nubere, ſed libentius Chriſti, & Virginis glorioſæ amore eligerent Virgines permanere.

C

Secũdo Beata Agatha fuit virgo fortiſſima ad omne temporale ſubſidium cõtemnendum. Solum enim Chriſtum amabat, de ipſo ſolo in omni preſſura ſperabat. Itaque nec in ſuis vulneribus medicinam corporalem requirebat, ſed ſolum Dei auxilium inuocabat. Vnde cum in aculeo ſuſpenſa, & in mammilla grauiter torta, & a corpore ſeparata, totoq. corpore vulnerata, & in carcere eſſet clauſa, Apoſtolus Petrus in forma medici venit ad eam, hortans, vt eius medicinã reciperet, vtq. ſic ſanari poſſet. Ancilla Domini eum medicum putans eſſe, & de ſolo Domino ſperans, ait ad eum: Corporalem medicinam num-

D

quam corpori meo exhibui, ſed habeo Saluatorem Dominum Ieſum, qui ſolo ſermone reſtaurat vniuerſa. Lege totam hiſtoriam. Poterat ergo vere dicere de ſolo Chriſto confidens, & omnia temporalia reſpuens illud Dauid: Dominus petra mea, & robur meum, & Saluator meus, Deus meus, & fortis meus, ſperabo in eum. Aſpice ſapientiam virginis, quæ domum ſuam non fundauerat ſupra rem vanam, non ſupra arenam, non ſupra vaneſcentem materiam, ſed ſupra ſolidiſſimam petram, ideſt ſuper Chriſtum ſe totam poſuerat, & ideo vinci non poterat. Sciebat enim eſſe ſcriptum: Reſpicite filij nationes hominum, &

*2. Reg. 22. a*

*Eccli. 2. b*

E

ſcitote, quia nullus ſperauit in Deo, & eſt confuſus, Sed quis vmquam euaſit confidens in diuitijs? Nam & in vitis Patrum habetur, quòd quidam fuit frater pauper, qui de ſolo Deo confidens, diuitias reſpuens. propter quod omnia, quæ lucrari poterat, pauperibus dabat: cuius ſanctitati diabolus inuidẽs ſibi ſuggeſſit, vt de his, quæ acquireret, partem aliquam reſeruaret, vt ſi quandoque infirmitates incurrerent, vnde ſuſtentaretur, haberet. Cumq. illi tentationi aſſenſum præberet, & iam multam pecuniam congregaſſet, Deo volente grauiter infirmatus eſt. Cumq. medicos aduocaſſet, & pro cura omnem illam pecuniam expen-

Exemplum

F

diſſet, curari tamen non potuit, vehementer tamen afflictus, ad Deum ſe contulit, & pro ſalute ſua, illius auxilium implorauit. Cui Angelus apparens, ait: Vbi eſt pecunia tua, in qua ſperaſti, dic illi vt te adiuuet. Cumq. ille ingemiſceret, & miſericordiam peteret, ab angelo curatus eſt. Propterea dicere poterat beata Agatha, & nos omnes cum ea illud: Non eſt Sanctus, vt eſt Dominus, neque eſt alius extra te, & non eſt fortis, ſicut Deus noſter. Ergo reſtat vt in ipſo ſolo, non in mundo ſperare debeamus.

*1. Reg. 2. a*

Tertio beata Agatha fuit fortis ad omne genus martyrij tolerandum. Vnde dicitur quòd lætanter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas inuitata: Agonem ſuum Domino precibus commendabat: Tyranno etiam omnes



nes pœnas comminanti dicebat. Sicut qui audit bonũ nuncium gaudet, ſic ego in his pœnis corporalibus poſita: quia frumentum non ponitur in horrea, niſi theca eius fuerit fortiter conculcata in paleis: ita anima mea non poteſt in paradiſum cum palma intrare martyrij, niſi corpus meum permiſeris a carnificibus fortiter attrectari. Lege in Legenda tormentorum eius generalia, & populo prædica. Nam & ipſa vere po-

*2. Mac. 6. g*

terat dicere illud Eleazari: Fortiter, inquit, vitam excedendo ſenectute quidem dignus apparebo. Adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompte ac fortiter pro ſanctiſſimis legibus honeſta morte profungar. & addit: orans ad Dominum: Domine qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſte tu ſcis, quia cum a morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo labores, ſiue dolores, ſecundum animã vero propter amorem tuum libenter hæc patior. Sed quis hodie talis, qui non effugiat pœnas & mortem, ſi poſſit? Si qui aliquando tamen pati cogantur, de hoc ſolo conqueruntur: quia innocentes, & abſque culpa patiuntur, cum potius gaudere deberent. Nam innocentes mortui ſunt omnes, qui pro Chriſto ſunt occiſi, immo ipſe Chriſtus fuit innocentiſſimus mortuus. Ergo eſſet gaudendum non dolendum, ſi quis culpabilis non patia-

*1. Pet. 2. d*

tur. Quæ enim gratia, inquit Apoſtolus Petrus, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? Quæ gratia latronibus, ſi decolentur, vel exoculentur, ſi membris truncentur,

Exemplũ.
*Val. Max. lib. 7. cap. 2*

ſi ſuſpendantur? Vnde Socrates ille philoſophus, qui tanta ſapientia claruit, ſicut Valerius Maximus ſcribit, vt nihil vltra petẽdum eſſe a dijs arbitraretur, quàm vt bona tribuerent. Hinc Socrates multis ad hanc rem probandã vſus eſt argumentis, vt narrat Valerius Maximus, qui in fine capitis illud de ſcelerata ſententia ab Atheniẽſibus in eũ lata ſapiẽter dictũ cõcludit. Socrates enim cũ forti animo, & conſtãti vultu potionẽ veneni e manu carnificis accepiſſet, admoto iã labris poculo, vxori Xantippæ inter fletũ, & lamentationem vociferanti innocentem perimi: Quid ergo, inquit, nocenti mihi mori ſatius eſſe duxiſti? Hæc Socrates, vt narrat Valerius dicens: O immenſam illam ſapientiã, quæ ne ipſo quidem vitæ exceſſu obliuiſci ſui potuit! Forti igitur animo vultuq. hilari de manu carnificis veneni potionem accepit, & eam appoſitam bibit.

Quarto beata Agatha fortis fuit ad perſeuerãdum: nullus enim ei ſcutum patientiæ arripere potuit, ſed illud finaliter retinuit. Quid prodeſt cani, ſi poſt leporẽ aliquantulum currat, eũ autẽ non capiat, ſed ante capturam deficiat, niſi quia fruſtra laborauit? Beata igitur Agatha ſicut viriliter incœpit, ſic mediauit, & ante victoriam, clypeum fortitudinis non abiecit. Potuit ergo occidi, ſed non potuit vinci, nec a certamine ſibi propoſito deterreri. Vnde mortem non ſolum patienter tulit, ſed eam ardenter deſiderauit, & feruenter eam precibus poſtulauit. Vnde Sancta in carcere poſt tot, & tam diuerſa tormenta, expandens manus ſuas ad Dominum ait: Domine qui me feciſti, & cuſtodiſti ab infantia mea, & feciſti me viriliter agere, qui tuliſti a me amorem mundi, qui corpus meũ a pollutione ſeparaſti, qui me feciſti vincere tormenta carnificum, ferrum, ignem, & vincula, qui mihi inter tormenta virtutem patientiæ contuliſti, te rogo

*Tob. 2. c*

vt accipias ſpiritum meum modo. Tẽpus enim Domine eſt, vt iubeas me ſæculum hoc relinquere, & ad tuam miſericordiam peruenire: & his dictis animam cælo reddidit. Vide ergo quo modo perſeuerauerit, quo modo mori petierit, & quo modo peruenire ad gloriã concupiuerit. Accipiebat enim illud ſibi dictũ: Forti animo eſto, in proximo eſt, vt a Deo cureris. Sed quidam fortiter incipiunt, & ante finem deficiunt,

Exemplũ.

ſimiles Leopardo, qui dum beſtiam ſtatim non capit, beſtiam, ad quã currit, mox inſequi deſinit, & ſui curſus fructum non accipit. Nullam vmquam ciuitatem Alexander obſedit, a cuius obſidione ceſſauerit niſi eã prius cœperit ſciens omnem laudem ex fine eſſe. Et

A

ideo plorauit Dauid fortiſſimos Iſrael, qui ante victoriam, coram inimicis corruerant. Dicebatq. quo modo ceciderunt fortes? Montes, inquit, gelboe, nec ros, nec pluuia veniat ſupra vos: quia ibi abiectus eſt clypeus fortium. Montes, ſuper quos nec ros miſericordiæ, nec pluuia gratiæ deſcendit, ſunt diuerſæ ſpecies ſuperbiæ, per quas fortiſſimi quique deijciuntur in mortem. Sicut enim humilitas hominem eleuat, & cuſtodit, ſic ſuperbia deijcit, & frangit. Et ideo beata Agatha cũ eſſet nobilis, & ingenua, in omnibus incedebat quaſi ancilla. Vnde ait ad eam Quintianus: Si ingenua es & nobilis, quare ſeruilem perſonam te

*2. Reg. 1. b. c*

B

oſtendis? Cui illa: Quia ancilla Chriſti ſum, ideo ſeruilem perſonam me habere, oſtendo. Rogemus ergo Dominum, *et cet.*

# IN CATHEDRA S. PETRI APOSTOLI

## SERMO I.

*Mat. 16. c*

C

Beatus es Simon Bar iona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi: ſed Pater meus qui eſt in cælis. Duplicem beatitudinem eſſe, a Scripturis accepimus. Vnam viæ, alteram patriæ. Nam beatitudo viæ conſiſtit in plenitudine gratiarũ: ſed beatitudo patriæ eſt eſſe glorioſum, ſecundum tres dotes animarum, quæ ſunt viſio, quantum ad potentiam rationalem: tentio, quãtum ad iraſcibilem: & dilectio, quantum ad concupiſcibilem. Verbum ergo, quod Dominus dixit Petro, poſſet exponi de vtraque beatitudine, ſed proprie accipitur de beatitudine viæ, cum adhuc eſſet in ſtatu militiæ. Dicat ergo Dominus: *Beatus es Simon*, in

D

quo verbo generaliter ſic accepto, maxime notat duo. Nam primo oſtendit eius excellentiam virtuoſam, qua clarus, & beatus apparuit. Secundo huius excellentiæ rationem aſſignat, & cauſam: eo quòd diuinam naturam in Chriſto confeſſus fuerit. Nam quia Chriſtum Deum eſſe cognouit, & hoc confeſſus fuit, dicẽs: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: Ideo audire verſa vice meruit, *Beatus es Simon Bar iona*. Primo ergo notatur eius excellens felicitas, cum dicitur: *Beatus es Simon Bar iona*. Secundo notatur felicitatis tantæ cauſalitas, cum additur: *Quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi*. Eſt igitur circa totale hoc verbum de Si-

E

mone notandum, quòd nobis oſtenditur venerabilis propter plura quæ geſſit. Nam Primo legimus hunc venerabilem Simonem propter Chriſtum omnia relinquentem, ipſiq. per omnia obſequentem. Secundo legimus Simonem naturam diuinam in Domino confitentem. Tertio legimus Simonem Chriſtũ præ ceteris diligentem. Quarto legimus Simonem præ ceteris maiora miracula facientem.

Dico primo quòd legimus Simonem ad primam vocem Domini omnia relinquentem, eius mox imperio obſequentem: Simon enim interpretatur obediẽs. Et ideo non mirum ſi ſtatim obediens, omniaq. contẽnens Dominum vocantẽ audiuerit. Vnde dicitur: Am-

F

bulans Ieſus iuxta mare Galilææ vidit Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mari, & vocauit eos, dicens: Venite poſt me, faciã vos fieri piſcatores hominum. At illi continuo relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Mira obedientia quæ nihil dixit, inducias nullas petijt, impoſſibilitatem non allegauit: ſed mox omnibus relictis poſt Dominum iuit. Vnde admiratur Gregorius, dicens: Audiſtis fratres chariſſimi, quòd ad vnius iuſſionis vocem Petrus, & Andreas relictis omnibus ſecuti ſunt Redemptorẽ: Nulla vero hũc adhuc miracula facere viderãt, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamẽ ad vnicum Domini præceptum, hoc quod poſſidere videbantur, obliti ſunt. Et addit: Quanta nos eius mira-

*Mat. 4. c*
*Mat. 4. c*
*Greg. hom. 5. in Euãg. in prĩ. to. 2.*

miracula vidimus, quot flagellis affligimur, quantis [A] minarum aſperitatibus deterremur, & tamen vocantem contemnimus. In cælo, inquit, iam ſedet qui de conuerſione nos admonet. Iam iugo fidei, colla gentiũ ſubdidit, iam mundi gloriam ſtrauit, iam ruinis crebreſcentibus diſtricti iudicij propinquum denunciat diem, & tamen ſuperba mens noſtra non vult hoc ſpõte deſerere, quod quotidie perdit inuite. Quid, inquit, igitur in eius iudicio dicturi ſumus, qui ab amore mundi, nec præceptis flectimur, nec verberibus deterremur? [Mat. 19. a] Sed quæreret forte aliquis, quid Petrus dimiſit, qui pæne nihil habuit? Huic quæſtioni reſpondet Gregorius, dicẽs: [Greg. hom. 5. in Euãg. to. 3.] [B] In hac re fratres potius debemus conſiderare affectum, quàm cenſum. Multum enim dereliquit qui quantumlibet parum quod habuit totũ deſeruit: multum dimiſit qui deſiderium habendi dereliquit. Nam a ſequentibus Chriſtum tanta dimiſſa ſunt, quanta a non ſequentibus concupiſci potuerunt, [Mat. 19. c] bene igitur Petrus dicit: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Bernardus: Bene, inquit, Petre, quia ſequi Chriſtum non poteras ſic oneratus: [Ber. in declamat. in prin. to. 2.] velocius enim currit nuncius ab omnibus expeditus, quàm mercibus oneratus. Fortius alijs currit in aqua [Exemplũ.] nauis exonerata, quàm mercibus plena. Propter quod leo dum fugere venatores cogitat, ventrem grauatum [C] cibis exonerat. Quis vmquam bene fugit ſi oneratus fugit? Nonne ſtultus eſſet qui plumbo ſe oneraret, quando eum fugere oporteret? Ergo cum Apoſtolis contemnenda ſunt omnia, quæ habita grauant, & amiſſa excruciant, ſicut dicit Bernardus.

Secundo legimus Simonem Dei filium Chriſtum confitentem. [Mat. 16. b] Nam cum quæreret Dominus, quem dicunt homines eſſe filium hominis? Et alij dicerent: Ioannem Baptiſtam: alij Ieremiam. Ipſe ait ad Apoſtolos: Vos autem quem me eſſe dicitis? Et reſpõdens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Hæc autem confeſſio, ſic placuit Domino, vt [D] diceret Simoni Petro: Et ego dico tibi Petre: quia tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eã: & tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Eſt tamen notabile, quòd Petrus Chriſtum confeſſus eſt ore: quando eum gentibus prædicauit, & confeſſus eſt opere, quando pro eo crucifigi voluit. Sed quid, ſi qui hodie Chriſtum confiteãtur ore, vel etiam corde, qui eum tamen non confiteãtur opere? Tales, vt [Tit. 1. d] dicit Apoſtolus, dicunt ſe noſſe Deum: factis autẽ ne- [E] gant, & ſimiles ſunt Iudæis: qui Chriſtum Dominum cognoſcebant, ſed factis eum negabant. Grauius enim peccant tales Chriſtiani, quàm peccent pagani, vel ſaraceni. Nam exempli gratia tale ponamus exemplum. [Exemplũ.] Sint homines duo qui obligati ſunt vno domino, ſed vnus obligationẽ hanc neſciat, alter vero plene agnoſcat, & vterque iſtorum ſeruitium domino non impẽdat. At domino requirenti, cur ſibi non ſeruiat: primus dicat: Domine neſcio quòd ſis dominus meus. Nam ſi ſcirem, deuote tibi ſeruirem, nec alteri domino tuum honorem impenderem. Sed alter dicat: Scio: bene ſentio te dominum meum eſſe, ſed nolo tibi ſer- [F] uire. Numquid non valde grauius offenderet dominum hic ſecundus, quàm primus, cum ille dominum non contemnat: hic autem contemnat, & totus ingra- [Exemplum] tus exiſtat? Exemplum de beato Machario, qui cum inueniſſet in deſerto caput hominis, ab eo quæſiuit quis fuerit. Cui caput: Sacerdos idolorum fui. Cui ſanctus Macharius: Eſt ne aliquis ſub te: Reſpondit caput: Sunt quidem inferiores nobis Iudæi: qui Dominum cognouerunt, & legem ab eo acceperunt. Et adhuc inferiores ceteris mali Chriſtiani ſunt, qui redemptionis beneficium agnouerunt, & ex hoc ingrati fuerunt. Ergo fratres nolite Dominum ſolum confiteri ore, ſed ore confiteri & opere: quia fides ſine [A] operibus mortua eſt: [Iac. 2. d] Quid valeret ſi homo Imperatorem cognoſceret, ſed ei ſeruire contemneret, numquid non contemptum aggrauaret? Sicut enim ignorantia aliquo modo peccatum excuſat, ſic ſcientia aggrauat. Exẽplum in Apoſtolo Paulo, qui dicit ſe ideo [1. Tim. 1. e] miſericordiam conſecutum, quia ignorans fecit.

Tertio legimus Simonem Chriſtum præ ceteris diligentem. Vnde Dominus dicit ei: Simon Ioannis diligis me plus his? Et ait: Tu ſcis Domine: quia amo te, [Io. vlt. e] ter ſic quæſiuit, & Petrus ſemper ita reſpondit. Mira in his verbis ſemper commendatio dilectionis Petri. Quia ſicut dicit Auguſtinus, de hoc quærebat Dominus, quod ſciebat. [Aug. tract. 123. in Io. c. vlt. circa med. to. 9.] [B] Mira etiam humilitas ipſius Apoſtoli, qui de ſe parua, de alijs ſentiebat magna. Nam cũ diceret Dominus: Diligis me plus his? Numquid ei reſpondit quòd plus alijs eum diligeret, ſed ſolũ quòd eum amaret. Tu, inquit, Domine, qui omnia noſti, ſcis quia amo te. Petrus enim tanto amore in Chriſtũ ardebat, & quaſi de amore ebrius fuit. Nam ipſe ſolus ſæpe pro omnibus reſpondebat, nec expectabat quòd alius loqueretur. Ipſe ſolus cum Dominus diceret: Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & condemnabunt eum [Mat. 20. c] fiat tibi morte. Et dixit ei: Abſit a te Domine, non [1. Reg. 20. a] [C] iſtud, vt ſcilicet moriaris: & quia in furore modum excedebat ideo a Domino redargutus eſt. Item propter ipſum ſolum, dicit Auguſtinus quòd Dominus hora cœnæ indicare noluit proditorem: quia, vt ipſe ait, ſtatim Petrus ſurrexiſſet, & eum coram omnibus trucidaſſet. Vnde valde diligenter procurauit ſcire, quis eſſet. Item ipſe ſolus in hora paſſionis gladio euaginato Dominum defendit. Item ipſe ſolus dum audiuit a Ioanne, Dominus eſt: [Io. vlt. b] poſuit ſe in mare: omnes alij nauigio venerunt. Et puto quòd quia nimium audax, eum cadere permiſit Deus, vt diſceret non de ſe, ſed de Deo ſolo ſperare. Sed quis [D] hodie eſt qui Chriſtum ſic amet? Proh dolor, inuenio vxores plus amaſſe maritos quàm Chriſtum ament animæ ſpõnſæ Chriſti. Narrat enim Romana hiſtoria [Exemplũ.] [Val. Max. lib. 4. c. 6.] quòd quidam nomine Caius Plautius mortem dum audiuit vxoris, doloris impotens, pectus ſuum gladio transfixit. Cumq. amici eius eum caperent, ne iterũ ſe feriret, ille ſciſſis deinde faſcijs, ac vulnere diuulſo, conſtanti dextera, ſpiritũ, luctus acerbitate permixtũ, ex ipſis præcordijs, & viſceribus hauſit. Iulia item filia Cæſaris, vxor Pompeij, [Val. Max. ibidem.] cum quadam vice veſtem mariti ſanguine cruentatam ex campo domum relatã vidiſſet, timens ne ſibi malum aliquod accidiſſet, cum [E] grauida eſſet ſtatim perforata aculeo doloris, ſe incuruauit, & peperit, & cum partu animam expirauit. Vbi ergo hodie tantus amor in Chriſtum? Tota die poſtulant panem filij Dei, & non eſt qui manum porrigat. Cadunt animæ ſponſæ Chriſti: nec eſt qui manum releuantem impendant, nec plus curatur ſi pereat anima, quàm ſi pereat bos aut aſinus. Omnes, inquit [Phil. 2. e] Apoſtolus, quæ ſua ſunt quærunt, nõ quæ Ieſu Chriſti.

Quarto legimus Simonem maiora ceteris miracula facientẽ. Nullus vmquã fuiſſe inuenitur ſanctus ita ad miracula faciẽda potẽs, vt Petrus: quia ipſe, ſicut prædixerat Dominus, [Ioan. 14. b] maiora miracula fecit quàm Chri- [F] ſtus. Nam de Simone legitur quòd in plateis eijciebat infirmos, [Act. 5. c] & ponebant eos in lectulis, & grabatis, vt veniẽte Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam eorum, & liberarentur ab infirmitate.

[Exemplũ.] Exemplum de filio Principis Antiocheni, quem Petrus ſuſcitauit, cum per annos duodecim mortuus iacuiſſet. Lege hiſtoriã & hic narra. Collige etiam ex alijs multis locis, & varijs Legendis multa eius miracula, quæ volueris, & prædica. Rogemus, *et cet.*

SER-



## SER. II. DE EODEM APOST.

[Gen. 41. e] *Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Aegypti:* Sicut patet ex hiſtoria hodierna, quæ ſcripta eſt in Legendis propter reſuſcitationem filij Principis. Apoſtolus Petrus apud Antiochiam ad cathedram ſublimatus fuit, & principatum, quem a Chriſto acceperat, hodie per aſcenſum cathedræ, publicauit. Non enim hoc abſque diuina diſpenſatione geſtum eſt, vt honorem Principis & doctoris Petrus acciperet, & vt principatũ, quem a Chriſto acceperat hoc ſigno clarefaceret: [B] Nam duplex inuenitur in mundo poteſtas. Vna tẽporalis, altera ſpiritualis: cũ autem omnis multiplicitas ad vnitatem aliquam reducatur, quia ab vnitate naſcitur, neceſſe eſt, vt vna iſta poteſtatum ad alteram reducatur, ſed non ſpiritualis ad temporalem, cum illa ſit nobilior, ergo tẽporalis ad ſpiritualem. Ergo dum Petrus cathedram honoris accepit ſe principem omnium eſſe oſtendit. Item nulli dubium debet eſſe, quin ratione culpæ de omnibus poſſit iudicare, & ſi exigat meritum culpæ commiſſæ, poteſt quoſque a ſuis dignitatibus repellere, & per conſequens alios quos dignos viderit, erogare. Vnde in figura huius dictum eſt Moyſi: [Ier. 1. b] [C] Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, non quòd faceret eum Deum per naturam, ſed per potentiam, & prædominantiam. Item hoc ipſum expreſſius dictum eſt: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, vt euellas & deſtruas, ædifices, & plantes in nomine Domini. Ecce quo modo ſpiritualis poteſtas habet a Deo, vt regna euellat, & deſtruat, ædificet iterum, atque plantet, bene igitur a Chriſto dicitur Petro: *Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram*, &c. In quo verbo deſcribit Dominus Petri principatũ, quantum ad duo. Primo quantum ad altitudinem qua ſublimari promeruit. Secundo vero quo ad latitudinem, qua ſe eius imperium dilatauit. [D] Iſta enim duo, quantum ad ſtatum vitæ præſentis, vbi æternitas eſſe non poteſt, perficiunt principatum, ſcilicet vt ſit altus gloria dignitatis, & ſit latus latitudine poteſtatis. Primo igitur oſtendit Pontificium eius eſſe altum, & præ ceteris eſſe eleuatum, cum dicit: *Ecce conſtitui te*, & cetera. Secundo vero oſtendit Pontificium eſſe latum & vbique diffuſum, cum addit: *Vniuerſam terram*. Et tamen hic notandum quòd quadruplex eſt terra, ſuper quam Apoſtolus fuit conſtitutus, ſcilicet terra inferior, ſuper quam calcamus: interior, quam portamus: exterior, quam venerantes amamus: ſuperior, quam deſideramus. [E] Prima eſt terra elementaris ſubſtantiæ. Secunda eſt terra conſcientiæ. Tertia eſt terra Eccleſiæ. Quarta eſt terra cæleſtis patriæ.

Dico quòd prima terra, cui Apoſtolus præfuit, eſt terra inferior, quam pedibus conculcamus, & quam Deus dedit ad vſum, vt nobis eius fructus eſſent in cibum: huic præfuit Apoſtolus, quia dum eam propter Chriſtum contẽpſit, ſuper totam ſublimari promeruit. Nam & reges ſeruos ſuos toti regno præficiunt, & eis vniuerſa ſubijciunt: Ergo quanto fortius rex ſummus ipſi mundo, quem fecit, ſuos ſeruos præfecit, quos ſibi fideles inuenit. [Pſal. 44. d] Pſalmus: Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. [F] Mirum valde quia dum putaſſent Apoſtoli ſe propter Chriſtũ omnia reliquiſſe, inuenerunt ſe principatum ſuper omnia accepiſſe. [Pſal. 46. b] Pſalmus: Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraam. [2. Cor. 6. b] Vnde Apoſtoli fuerunt tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Nobilis margarita paupertas, quæ dum omnia cõtemnit, dominium ſuper omnia accipit. Sicut econtra auarus dum omnia appetit, omnium ſeruum ſe facit, quare auari non poſſunt eſſe beati: quia numquam poſſunt eſſe contenti. Ille enim ſolus poteſt dici beatus, qui modica habens eſt illis contentus. [Exemplum] Vnde narrat Valerius Maximus quòd Gyges Rex Lydiæ diuitijs, & armis inflatus ad deum Apollinem venit, quæ- [A] rens ab eo, ſi aliquis mortalium ſe beatior eſſet. [Val. Max. lib. 1. c. 1. in externis Exemplo vltimo.] Cui ille ait: Aglaus te felicior eſt. Hic autem Aglaus erat vir pauperrimus, atque ætate prouectus, qui terminos cuiuſdam ſui agelli numquam exceſſerat, ſed paucis eius fructibus fuerat ſemper contentus. Et addidit dicens regi in ſuis diuitijs glorianti, magis eſſe laudandum pauperculum tugurium cum ſecuritate, quàm diues palatium cum timore, & paucas terræ glebas ſine omni pauore poſſeſſas, quàm pinguiſſima regni ſui arua metu ſemper plena, & habere vnum par boum facile ad cuſtodiendum, quàm exercitum magnum, & apparatum aruorum impenſis multipli- [B] cibus oneroſum, & habere horreolum victum modicum continens & neceſſarium, nulli hoſti appetendũ, quàm multos theſauros cupiditatibus, & inſidijs multorum expoſitos.

Secunda terra, eſt terra interior, quam nobiſcum portamus, quæ eſt terra conſcientiæ, quam terram admodũ oportet excolere ne ſpinas, & tribulos generet peccatorum. Terra enim non culta, non aratro trita, non aquis aſperſa, non calore cæleſti excocta, fit penitus infœcunda, niſi forte generet ſpinas, & ſilices. Hic conſcientia ſi dimittatur inculta, diſcretionis aratro non ſæpe contrita, aquis lacrymarum non ſæ- [C] pius balneata, cæleſti incendio non excocta, generat non bona, ſed mala. Vnde de hac terra ſubditur: [Heb. 6. b] Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & proferens herbam optimam accipit benedictionem a Domino. Proferens autem ſpinas, & tribulos eſt maledictioni proxima. Expoſitio eſt plana per ea quæ dixi ſupra. Super hanc terram fuit conſtitutus Apoſtolus, dum ſuæ conſcientiæ præfuit, quam & ſapientiſſime coluit, lacrymis deuotionis aſperſit, & ardore Dominicæ charitatis excoxit. Et de hoc poteſt exponi illud: [Pſ. 104. b] Conſtituit eum dominum domus ſuæ. Domus ſua fuit conſcientia, cui dominabatur, & quam [D] regebat multa ſapientia. Vnde dicitur in Clemente [Clemẽs Põt. Rom. in Epitome de rebus geſtis B. Petri.] quòd Petrus tanti ardoris, & deuotionis erat, quòd ſemper pannum portabat in manica propter lacrymas defluentes: non enim volebat ſine lacrymis & ardore per horam conſcientiam permanere.

Tertia eſt terra exterior, quam veneramur, & colimus, quæ eſt terra Eccleſiæ, cui præfuit ipſe Apoſtolus: [Deut. 32. b] Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum: Excelſa terra eſt ipſa Eccleſia, quæ omnibus terris alijs iam dictis eſt prælata. Cui Petrus præfuit, & fructus agrorum comedit, quando ſibi per fidem infideles incorporauit, vel quando pri- [E] mitias, & decimas agrorum accepit, ex quibus Eccleſia vitam ducit. Dicitur autem de Petro: Conſtituit eum, quia ipſe quodam modo ſingulariter præ ceteris audire meruit: [Mat. 16. c] Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum. Ipſe enim ſolum audiuit: [Ioan. 1. f] Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur caput. Ipſe etiam ſolus audiuit: [Luc. 22. d] Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ipſe etiam ſolus audiuit: [Ioan. 21. d] Simon Ioannis diligis me plus his? Paſce oues meas. Vnde poteſt de eo accipi illud: [Mat. 24. d] Quiſputas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſti- [F] tuit Dominus ſuper familiam ſuam? Optime in Petro & in quolibet prælato coniunguntur hæc duo, prudentia & fidelitas: quia prudentia ſine fidelitate tranſit in malitiam, ſed fidelitas ſine prudentia declinat in ſtultitiam. Deus autem nec acceptat ſeruum maleuolum, nec etiam ſtultum. Debet ergo ſeruus Dei eſſe prudens in opere, & fidelis in intentione, vel prudens in cauendo malum, & fidelis in operando bonum, vel prudens in diſcernendo, ſed fidelis in exequendo: & quia talis fuit Petrus, conſtituit eum Dominus ſuper omnem terram Eccleſiæ. [Exemplum] Romani enim dum aliquẽ ſibi præficerent, ſiue in Conſulem, ſiue in Imperatorem, iſta duo maxime in eo requirebant, ſcilicet quòd eſſet vir prudens ne falli poſſet, & fidelis ne ſuos fal-

leret

leret. Numquam enim bonus rector eſſe aliquis po-
terit, qui altero iſtorum carebit. Duo enim iſta omni
homini ſunt neceſſaria ad regendum ſeipſum, & ad
regendum proximum, vt per prudentiam non falla-
tur, & per fidelitatem nullo amore, vel odio, nulloq.
munere corrumpatur, amore pecuniæ non frangatur.
Exempla, quæ oculis patent, multa ſunt & noua & ve-
tera, & ideo apponere hic non curaui.

Quarta terra eſt terra ſuperior, quam deſideramus,
& terra hæc cæleſtis patriæ, de qua dicit propheta:
*Pſal. 26. d* Credo videre bona Domini in terra viuentium. Vere
viuentium terra dicitur illa vita beata, vbi nemo vm-
quam infirmatur, nullo vmquam dolore tangitur,
numquam ibi moritur, quia continua ſanitas ibi ha-
betur. Item nemo ibi aliquo eget: quia ſummum
bonum omnes poſſident, vltra quod nihil appetere
homo poteſt. Item nullus ibi timore afficitur, nemo
perturbatione concutitur, nullus ibi hoſtilis formida-
tur incurſus: quia ibi eſt ſumma pax, ſumma ſecuri-
tas, ſumma tranquillitas. Item ibi ſeruitus non time-
tur, quia omnium ſumma libèrtas, liberaq. voluntas.
Item nemo ibi vmquam conturbatur accidia, nec com
mouetur triſtitia: quia ibi eſt ſumma lætitia, numquã
diſcontinuata, quia numquam deeſt gaudendi mate-
ria, dum continue cernitur pulchritudo ſumma, & de
guſtatur dulcedo diuina. Et propter hoc dicitur: Bea-
*Eccli. 10. d* ta terra, cuius rex nobilis eſt. Super hanc terram no-
bilem conſtitutus eſt Petrus. Vnde & ſibi dicere po-
*Mat. 25. b* tuit illud: Euge ſerue bone & fidelis: quia ſuper pau-
ca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam. Pauca
dicit iſta temporalia æternis comparata, quæ ſunt
adeo multa, vt nulla poſſint exprimi lingua. Non-
ne Petrus ſuper hanc terram conſtitutus fuit, quando
*Mat. 16. c* a Chriſto audiuit: Quodcumque ligaueris ſuper ter-
ram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris
ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Quis vmquam
tyrannorũ, vel regum tantã poteſtatẽ accepit? Magna
fuit potentia Alexãdri, magna & illius nobilis Aſſueri,
maxima Romani imperij. Sed huiuſmodi potẽtia fuit
tãtum ſuper terram. Poteſtas autẽ Petri ſe extendit ſu-
pra cælum. O poteſtas altiſſima, poteſtas latiſſima, po
teſtas veneranda, & honoranda, portarum inferna-
lium confractiua, & bonorum ſupercæleſtium colla-
tiua. Quænã vmquã poſſet exprimere lingua, qualis,
& quanta ſit illa cæleſtis terra, quæ peregrinantibus
ad tẽpus eſt data? eſt enim tam lata, & tã longa, vt di-
*Eccli. 1. a* catur: Altitudinẽ, & latitudinẽ eius quis dimenſus eſt?
Quanta eſt terra illa, quæ repatriantibus in perpetuũ
eſt conceſſa? Itẽ ſi hæc terra peccatoribus data, & ad
tẽporalẽ vſum conceſſa, tot producit bona, quot ſunt
illa bona, quæ ſunt in cæleſti terra amantiſſimis filijs
Dei conceſſa? Item ſi in hac terra ſic eſt hominibus
dulcis vita, licet tot doloribus, tot calamitatibus ple-
na, qualis eſt illa terra, quàm dulcis habitatio in ea,
vbi nulla mors eſt timenda, nulla penitus pœna ſuſpi-
canda, ſed lætitia ibi eſt ſempiterna? Item ſi ſic dele-
ctat hic viuere cum amicis temporalibus, vbi vix ami-
citia eſt niſi falſa, quàm delectabilis erit vita vbi erit
ſanctorum militia, vera amicitia, nullo vmquam tẽ-
pore finienda? Item ſi ſic delectant diuitiæ perituræ,
quid faciunt ſummæ illæ diuitiæ in æternum mãſuræ?
Item ſi nos ſic delectat corporis ſanitas, quam deſtruit
ſæpe infirmitas, qualis illa ſanitas erit, vbi in perpetuũ
infirmitas nulla erit? Item ſi ſic delectat pulchritudo
hæc corporalis, quæ febre turpatur, quid erit delecta-
tionis, eſſe ibi pulchriores ſole, vbi pulchritudo in per-
petuũ non perdetur? Item ſi ſic delectat nunc eſſe fi-
lium militis, comitis vel baronis, quid delectationis
erit, eſſe filium ſummi regis, vbi nec filiatio perdi po-
terit? Ergo veneranda eſt hæc Petri poteſtas, quæ ſi li-
gat in terra mortalium, ligat & in terra viuentium.
Et ſi ſoluit in terra peccantium, & ſoluit & in terra
felicium. Ad quam precibus, & meritis beati Petri
perducat nos filius Dei viui. Amen.

A
# DE S. MATTHIA APOSTOLO
## SERMO I.

Dilectus meus candidus, & rubicundus,
electus ex millibus. Septem ſunt quæ *Can. 5. c*
excludunt hominem, vel excludere
deberent a diuina electione, ſicut
ex verbis elicitur ſacræ Scripturæ.
Primũ eſt conſanguinitas, ſiue car-
nalitas. Secundum eſt carnis nobi-
B litas. Tertiũ eſt mentis debilitas, ſiue fragilitas. Quar
tum eſt puſillanimitas. Quintum eſt ſuperba poteſtas.
Sextum eſt mendoſitas, ſiue falſitas. Septimum eſt cu-
piditas. Et illa ſeptem ſunt diligenter notata a Domi-
no, loquente ad Moyſem: Prouide, inquit, tibi de om- *Exod. 18. c*
ni plebe viros potentes, & timentes Deum, in qui-
bus ſit veritas, & qui oderint auaritiam. *De om-
ni*: per quod excluditur conſanguinitas: *plebe*, per
quod excluditur nobilitas: *viros*, per quod excludi- *
tur fragilitas: *potentes*, per quod excluditur puſilla- Editio vul-
nimitas: *timentes Deum*, per quod excluditur ſuper- gata legit
ba poteſtas: *in quibus ſit veritas*, per quod excluditur ſapientes.
C falſitas: *& qui oderint auaritiam*, per quod remouetur
cupiditas. Quod autem illa ſeptem in ſancto Matthia *Act. 1.*
fuerint, recte eum ad apoſtolicum cœtum Deus ele-
git. Mira enim, ſi quis attendat electionem Matthiæ,
commendatio eſt, quòd ex omni cœtu ſanctorum,
ſuper hoc orantiũ Deũ in Apoſtolum ſit electus, locũ
Iudæ proditoris ſortitus. Vnde hic poteſt narrari Iu-
dæ hiſtoria, quæ ſcribitur in huius ſancti Legenda.
Quia ergo hic ſanctus Apoſtolus ex tanta multitudi-
ne eſt electus, tamquam, Deo inſpirante, ſanctiſſimus,
bene de eo dicitur: *Dilectus meus candidus, & rubicun-
dus, electus ex millibus*. Non dicitur millibus, quòd mille
D eſſent, ſed millenarius numerus: quia perfectus, per-
fectionis apoſtolici cœtus eſt ſignatiuus. In auctorita-
te ergo præmiſſa, a quattuor hic Apoſtolus commẽ-
datur. Primo ex parte Dei, ab excellentia amoris exi-
mij. Secundo a munditia, ſiue pudicitia animi. Ter-
tio a prærogatiua martyrij. Quarto a dignitate officij.
Notatur autem primo diuina charitas, quando dici-
tur: *Dilectus meus*. Notatur ſecundo animi puritas, &
totius vitæ honeſtas, cum additur: *Candidus*. Nota-
tur tertio eius ad patiendum ſtabilitas, cum ſubditur:
*Et rubicundus*, quaſi ſanguine cruentatus. Notatur
quarto ſui officij dignitas, cum infertur: *Electus ex mil
E libus*. Verum quia omnis qui a Deo æternaliter eſt ele
ctus, in tempore ad gratiam eſt vocatus, & eſt a Deo
*dilectus*, & eſt munditia *candidus*, & diuino igne eſt
*rubicundus*. De ſola enim electione nunc eſt ſermo
fiendus, tum quia omnia alia in ſe claudit, tum quia
diei magis conuenit, tum quia in alijs ſermonibus ma
ioribus feſtiuis plura de alijs me recolo dixiſſe, quæ ſi
ſuper ſermones lector tabulam fecerit, poterit inue-
nire: & hoc, ſi videbitur, prædicare. Eſt igitur hic no-
tandum quòd homines eliguntur ad plura. Quidam Homines
enim eliguntur, Primo ad diuinorum obſeruantiam ad plura
mandatorum. Secundo ad perfectionem conſiliorũ. electi.
F Tertio ad tolerantiam martyriorum. Quarto ad regi-
men inferiorum. Quinto vero omnes ad excellentiã
præmiorum. Prima electio eſt omnium ſaluãdorum.
Secunda eſt religioſorum. Tertia eſt ſanctorum mar-
tyrum. Quarta eſt omnium prælatorum. Quinta ve-
ro eſt communiter omnium electorum.

Dicamus ergo quòd quidam eliguntur ad obſeruã-
tiam mandatorum, ſiue præceptorum, & hæc electio
eſt communiter omnium: quia nulli eſt ſalus adulto,
ſi negligat obſeruare præcepta: Si vis, inquit Domi-
nus, ad vitam ingredi, ſerua mandata. Et de hac ele- *Mat. 19. c*
ctione dicitur: En Dominus Deus tuus elegit te, vt ſis *Deut. 26. d*
ei populus peculiaris, & cuſtodias omnia præcepta
eius. Hæc eſt prima electio, ſcilicet obſeruantia man-
datorum



datorum Dei: ad quam vocantur omnes populi, &
homines omnes a Deo creati: quamuis hoc leue onus
refugiant peccatores impij: volentes prius obedire
diabolo, & carnis deſiderio, quàm Regi æterno pro
eis temporaliter paſſo. Sed nunc attende, quàm gra-
uiter mundi reges ſuorum præceptorum puniunt
tranſgreſſores, & obedire nolentes: quos & tormen-
tis afficiunt, carceribus tradunt, & dira morte vitam
finire faciunt. Ergo ſi ſic puniunt homines mundi,
*Eccl. 8. b.* quid facturus eſt Rex ipſe cæli, cum non ſolum ſit iu-
ſtus, ſed ipſa ſit iuſtitia? Sed quia non profert ſtatim
contra malos ſententiam, filij hominum abſque vllo
timore perpetrant mala, ſicut dicitur. Sed attendant,
quòd quanto plus eos expectat, ſi conuerti negligant
*Pſal. 74. a.* cum ex hoc culpam augeant: tanto iuſtius eſt, vt gra-
uius finaliter ſęuiat. nã dicitur: Cum accepero tem-
pus, ego iuſtitias iudicabo. Nam conſuetudo eſt iu-
dicum clementium, vt prouocati ad iram, fortius ſę-
*Exemplum* uiant in ſubiectos. Et eſt exemplum in elephante,
quod eſt animal beniuolum, ſed proſternit arbores,
& aliquando domos ad iracundiam prouocatus. Pro-
*Heb. 10. e.* pter ergo omnia ſupradicta dicitur: Irritam faciens
legem moyſi, ſine vlla miſeratione duobus, vel tri-
bus teſtibus moritur, quanto putatis maiora mereri
ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſangui-
nem teſtamenti pollutum duxerit, & Spiritui gratiæ
contumeliam fecerit? Arguit Apoſtolus a minori.
Nam minor fuit Moyſes ſeruus, quàm Chriſtus Do
minus: & maior Lex Chriſti, quàm Moyſi: ergo
grauius peccat qui facit contra hanc legem, quàm
qui fecit antiquitus contra illam: ergo ſi fractores il-
lius ſic grauiter ſunt puniti, quali pœna iſti ſunt
*Heb. 2. a.* digni? Loquens de lege moyſi: Si enim qui per
Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & om-
nis præuaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mer-
cedis retributionem, quomodo effugiemus ſi tantam
neglexerimus ſalutem? Et contra: Si verba Chriſti,
quæ fuerunt verba Dei (quia Chriſtus Deus eſt)
*Liu. Dec. 1.* non obſeruamus, conſequens eſt, &c. Inuenio enim
*libro 8. de* plures conſulum Romanorum amore iuſtitiæ filios
*Mãlio Tor* occidiſſe, nec eis parcere voluiſſe, eo quòd ſine li-
*quato. Val.* centia bellauerunt, quamuis hoſtes ſuperauerint: er-
*Max. lib. 5.* go quid faciet Rex iuſtitiæ illis, qui contra obedien-
*cap. 9.* tiam faciunt, & non hoſtes vincunt, ſed contra na-
turalem Dominum, eius aduerſario ſe ſupponunt?

Secundo quidam eliguntur ad perfectionem con-
ſiliorum. Non enim eſt diuinum præceptum, ſed eſt
ſalubre conſilium vniuerſum relinquere mundum,
& Deo in paupertate ſeruire. Vnde diuiti illi Chri-
ſto dicenti ſe diuina omnia præcepta ſeruaſſe, dixit
*Mat. 19. c.* Dominus: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia
quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me,
vt ſic pauper pauperem ſequaris. Non quidem pa-
ri curſu per mare vadunt nauis onerata, & quæ eſt
*Exemplum* oneribus expedita. Ob quam cauſam curſores bre-
uibus veſtimentis vtuntur, ne in curſu impedian-
tur. Similiter & leo, qui dum fugere cogitat, reiectio-
ne ſuperfluorum ventrem alleuiat. Neceſſe igitur ha-
bet, vt qui vult pauperem Chriſtum ſequi, vt & ip-
ſe ſit pauper, quia ſic non poteſt currere equus qui
ſuper ſe habet militem armatum, ſicut qui inermem
*Exemplum* ſuper ſe habet dominum. Ob quam cauſam qui equos
ſuos currere volunt ad brauium, non ſuper eos ponunt
graues viros, ſed potius pueros modicum ponde-
*Iſai. 48. c.* roſos. De hac igitur electione perfectorum, quæ fit
ad conſilia, dicit Dominus: Elegi te in camino pau-
pertatis. In camino notabiliter dicit, quia ſicut in ca-
mino ignis, & fumus, & calor affligit, ſic paupertas
in hac valle miſeriæ hominem multum premit, ſed
in fine ad diuitias æternas adducit. Nullus eſt ita
ſtultus mercator in mundo, qui non libenter ad tem-
pus patiatur inediam, ſi multam ex hoc deberet inue-
nire pecuniam, ipſam tamen aliquando perituram.
ergo nunc paupertatis inedia modicum ſuſtineamus,
A vt ad æternas diuitias veniamus, quas in perpetuum *S. Hiero. in*
non perdemus. Sed Romani nobiliſſimi eligebant *Mat. lib. 3.*
pauperes eſſe: ſimiliter & philoſophi pro gloria mun- *cap. 19. To.*
di citiſſime tranſitura Quid ergo eligendum eſt pro *6. de Crate*
gloria ſine defectu in perpetuum permanſura? *te philoſo-*

Tertio quidam electi ſunt ad gloriam martyrum, *pho in ſi.*
ſiue ad tolerantiam tormentorum. Eſt enim marty-
rum opus altiſſimum, opus digniſſimum, opus ſum-
ma gloria dignum, & omnis peccati rubiginis ab-
ſterſiuum: nam peccatum omne interimit: chari-
tas perficit, & abſque dilatione ad gloriam intro-
ducit. Vnde Auguſtinus dicit quòd iniuriam facit *S. Aug. de*
B martyri qui orat pro martyre. Sicut enim materialis *uerb. Apoſt.*
ignis dum in materiam ferream inualeſcit, omnem *ſer. 17. non*
rubiginem ab eo tollit, & ad ignis claritatem addu- *lõge a prin.*
cit, ſic charitas martyris dum ad pœnæ præſentiam *& ref. extr.*
inualeſcit, omne in anima peccatum conſumit, & ad *de Celebr.*
claritatem perpetuæ lucis adducit. Vnde de hac ele- *Miſſ. cap. Cũ*
ctione exponitur illud: *Vas electionis mihi eſt iſte*, *Marthæ §.*
*vt portet nomen meum coram regibus, & principi-* *vltimo.*
*bus, & filijs Iſraelis*. Et paucis interpoſitis, ſubdi-
tur: *Ego autem oſtendam illi quanta oporteat eum
pro nomine meo pati*, quia ſicut igne probatur au-
rum, ſic & vir iuſtus camino paupertatis, & tribula-
C tionis. Qui timet pati, timet a peccato purgari. Non
enim ignis aurum falſificat, ſed probat, & purgat.
Vnde magis quàm ante rutilat argentum: quamuis
enim natura ſit album: in igne tamen ſit rubeũ. Car *Exempla.*
bo extinctus eſt nigerrimus, ſed ſit pulcherrimus igni
ſimillimus, cum igni coniunctus fuerit: ſic & tribula-
tio, quæ eſt ſicut ignis, & vitia omnia purgat, & ani-
mam totam pulchrificat, Deoq. aſſimilat. In ſignũ hu- *Euſeb. cæ-*
ius dicitur de Polycarpo, qui diſcipulus fuit beati Ioã- *ſar li. 4. Ec*
nis, quòd dum in ignem fuiſſet proiectus a paga- *cl. hiſt. cap.*
nis, corpus eius non arſit, nec igne in aliquo fuit le- *14. S. Hier.*
ſum, ſed ad modum auri in fornace rutilans, ſic ful- *Tom. 1. de*
D gens cunctis apparuit. *ſcript. Eccl.*

Quarto quidam eliguntur ad regimen ſubditorũ, *& Lipom.*
ſiue inferiorum, & tales ſunt omnes iudices ciuita *Tom. 1. de*
tum, & caſtrorum rectores, duces, barones omnes, *ſanctis die*
& reges, quibus a Deo commiſſi ſunt omnes mino- *26. Ianua-*
res. Vnde vnus eorum dicebat: Tu domine elegi- *rij.*
ſti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuo-
rum, & filiarum. O quàm ſancti, quàm immacu-
lati, quàm ab amore priuato, & a munere alieni eſ-
ſe deberent omnes, qui alijs præferuntur, cum vita
eorum quaſi quoddam ſpeculum omnibus ſubditis
proponatur? Sed hodie ſicut dicitur, Conuerſum *Iſai. 59. c.*
E eſt retrorſum iudicium, & iuſtitia longe ſtetit.
Corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit in-
gredi. Quis hodie iuſte iudicat? quis eſt qui amici-
tia, vel potius pecunia non corrumpatur? Vnde di-
citur: Quare taces, conculcante impio iuſtiorem ſe? *Abac. 1. a.*
Propter hoc, *inquit*, dilacerata eſt lex, & non perue-
nit vſque ad finem iudicium, quia impius præualet
aduerſus iuſtum: propterea egreditur iudicium per-
uerſum. Vtinam attenderent iudices noſtri illud Sa-
pientiæ: Audite, *inquit*, reges, & intelligite: diſcite *Sap. 6. a.*
iudices finium terræ, & *cætera*. quoniam vobis data
eſt poteſtas a Deo, & virtus ab Altiſſimo: qui in-
F terrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur,
quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non re-
cte iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, ne-
que ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Hor-
rende, & cito apparebit vobis: quoniam iudicium *† S. Greg.*
duriſſimum in his, qui præſunt, fiet, &c. Lege au- *Paſt. cura*
ctoritatem, quia valde prædicabilis eſt tota, & mul- *par. 3. ad-*
tum valet ad hanc materiam. † Gregorius enim dicit *mon. 5. to. 3*
quòd maiores tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubdi
tos perditionis exempla tranſmittunt. * Narrat etiam ** Nuſquam*
Seneca, quòd quidam reuerſus ab inferis narrauit ſe *in Seneca*
vidiſſe Neronem apud inferos balneantem, & erat *id ſcriptũ*
balneum auro liquefactum, & quòd infundebant *reperiri po*
dęmones continue ſuper eum. Cumq. Nero vi- *tuit.*
diſſet

A diſſet coram ſe cętum iudicum tranſeuntem, clamauit ad eos: O amici noſtri, o venale genus hominum, venite ad me in balneum, & balneetis vos mecum qui ſimiliter amauimus aurum, peruertimuſq. iudicium.

Quinto omnes ſupradicti, ſi bene ſe habuerint, & perſeuerauerint, ſunt electi ad gloriam Beatorum, & in hac electione vltima, eſt omnis boni complementum, quia in ea ſola poſſidetur, & perfecte diligitur ſumme bonum, & longe fit in perpetuum omne

*Mar.13.d.* malum. De hac igitur dicitur: Mittet Dominus angelos ſuos, & congregabit electos ſuos a quattuor vẽtis, a ſummo terræ vſque ad ſummum cœli: congregabit, B inquit, vt recipiant præmium, & intrent in gaudium diutius concupitum. O felices, qui intraturi ſunt, & in perpetuum infelices qui excludendi ſunt. Nota ergo, quòd his omnibus modis hic ſanctus Apoſtolus fuit a Chriſto electus. Hic igitur electus fuit ad obſeruantiam mandatorum, ſicut omnes communiter iuſti. Electus fuit ad perfectionem conſiliorum, ſicut omnes diſcipuli. Electus fuit ad tolerantiam martyriorum, ſicut ceteri martyres Chriſti, ſicut ex Legenda eius poteſt oſtendi, quæ hic poterat recitari. Electus fuit ad officium prælatorum, ſicut ceteri Apoſtoli qui mundo toti conſtituti ſunt a C Chriſto prælati. Electus etiam hodie fuit ad gloriam Beatorum, ad quam eſt ingreſſus conſummatione martyrij. Ad quam nos perducat, &c.

## SER. II. DE EODEM APOST.

*Pſal. 64.* B*eatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti: habitabit in atrijs tuis.* Si electus omnis beatus exiſtit, quid eſt, quòd Iudas beatus non fuit, ſed filius perditionis extitit? Sic enim

*Ioan.6.g.* de eo dicitur: Nonne ergo duo- D decim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? Sed dicendum hic breuiter, quòd eſt

*Electio duplex.* electio ſecundum veritatem, & eſt electio ſecundum reputationem tantum. Vel eſt electio ſecundum æternitatem, & eſt electio ſecundum vocationem in tempore. Primis duobus modis vndecim fuerunt electi, ſed ſecundis duobus modis Iudas fuit electus, quia ſecundum reputationem tantum, non ſecundum veritatem. Vnde non fuit aliud eius electio temporalis, quàm quædam vocatio. Quòd ſi

*Dub.* quæras, quare vocauit eum ex quo ſciebat eum pe-

*Sol.* riturum, & ſe traditurum, Dicendum eſt, quòd in E hoc oſtendere voluit, quòd quantum in ſe eſt, omnibus dare gratiam paratus ſit, quòd nemo perit, niſi qui ſalutem ſuam negligit, & ſe ad gratiam non diſponit, vel Dei gratia non bene vtitur ſi accepit. Quare nullus ſe excuſare poterit, cum fuerit iudicatus: quia ſi gratiam a Deo non accipis, vel ſi accipis a Deo, perdis, non eſt culpa dantis, & quantum in ſe eſt continue influentis: ſed culpa eſt voluntatis, vel non præparantis, & quantum in ſe eſt non facientis, vel a gratia iam accepta deficientis, & non perſeuerantis. Sic enim Dominus proprium proditorem, qui eum tradidit pretio tam vili in mor- F tem, ad ſe veniẽtem benigne ſuſcepit, peccata illi omnia donauit: ſua eum gratia decorauit, & ſuum Apoſtolum, & quaſi procuratorem omnium eum fecit. Quid faceret alijs non tam ſceleratis, ſi ſe ad eum conuerterent, ſi de peccato contererent, ſi deuote eius miſericordiam implorarent? Igitur ſi damnamur, ſi gratiam non accipimus, ſi in accepta non perſeueramus, nobis imputandum eſt, & non Deo. Numquam culpa eſt maris, quod abundantiſſime vndique aquas ſpargit, nec vmquam ſuam influentiam ſubtrahit, ſi fons fuerit deſiccatus, eo quòd

*Exemplum* aquæ via aliquo obſtaculo ſit obſtructa. Item ſi eſſet vas aliquod vndique clauſum, vel ſi non clauſum

A eſſet vtique perforatum, vel in aliqua parte fractum, in quod curreret flumen magnum, conſtat quòd aqua vel non intraret, vel ſicut intraret, ſic & per foramina foras exiret. Sed numquam eſt culpa fluminis influentis, ſi vas aquam non acciperet, vel ſi receptam non teneret. Cor enim hominis cum ſit liberum, poteſt ſe gratiæ claudere, & illam non admittere: poteſt ſe aperire, & receptam eijcere. Quare ſi homo gratiam non habeat, ſi in accepta non perſeuerat, hominis culpa eſt, & non Dei. Bene igitur dictum eſt: *Beatus, quem elegiſti.* In quo verbo ſanctus Apoſtolus deſcribitur maxime a duo- B bus. Primo ab excellentia meriti, quo refulſit. Secundo vero a ſublimitate præmij, quod accepit. In his duobus conſiſtit omnis beatitudo hominis, ſcilicet ſi clareſcat in via per meritum, & ſi fulgeat in regno per præmium. Notatur igitur ſtatus meriti excellentis, quo fulſit in mundo, cum dicitur: *Beatus, quem elegiſti.* Notatur ſtatus præmij refulgentis, quo extitit coronatus in regno, cum additur: *Et aſſumpſiſti.* Habitabit in atrijs tuis. Domini enim atria ſunt cæleſtia habitacula. De quibus dicit Propheta: Quàm dilecta tabernacula tua Domine vir- *Pſal.83.* tutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria C Domini. Ad hæc beata atria hodie Apoſtolus ingreſſus eſt: qui loco Iudæ prius fuerat ad Apoſtolatum electus. Vnde hic eſt narranda hiſtoria, & quomodo Iudas ruit, & quomodo Matthias ſubſtitutus fuit ſicut habetur. Conuertendo igitur ſermonem *Act. 1.b.* ad noſtram inſtructionem, eſt notandum, quòd aliter eligit mundus, aliter Chriſtus. Nam mundus eligit, & confidit in potentia, confidit & in opulentia. Eligit igitur ad honores nobiles & potentes: eligit iudices, & ſapientes: eligit diuites, & abundantes. Econtra Dominus, quia eſt ſumme ſapiens, & quia eſt ſumme diues, non formidat humanam D potentiam: non miratur humanam ſapientiam: non aſpicit humanam opulentiam. Non igitur mundi eligit Dominus nobiles, vel potentes, ſed infirmos, & ignobiles: non philoſophos ſapientes, ſed piſcatores ſimplices: non glorioſos, & diuites, ſed abiectos, & pauperes.

Dico, quòd Dominus noſter non eligit nobiles, & potentes, ſed infirmos, & ignobiles. Vnde ſcribi- *Bar.3.c.* tur: Ibi fuerunt gigantes nominati, qui ab initio fuerunt ſtatura magna, ſcientes bellum: non hos elegit Dominus. Quare? vt oſtenderet ſe omnipotentem eſſe, & humana potentia non egere: ſi enim E per potentes mundum expugnaſſet, potentiæ illorum attributum fuiſſet, & ſic non Deum ex mundi ſubiugatione laudaſſent. Sed nunc tota laus in Deum refertur, dum potentiſſimus ab infirmiſſimo expugnatur. Nemo miratur, ſi murilegus vincat mu- *Exempla.* rem, ſi canis leporem, ſi lupus ouem, ſi etiam leo bouem. Sed admiratio magna eſſet, ſi mus cattum inuaderet, vel ſi lepus canem occideret, ſi ouis lupum fugaret: & ſi bos ſibi leonem ſubijceret. Vt ergo mundo innoteſceret diuina potentia, non elegit potentes, quibus ſibi mundum ſubijceret, ſed elegit infirmos, & debiles, viles, & F ignobiles, quibus, dum omnem mundi potentiam deiecit, quanta ſua potentia ſit, oſtendit. Vnde dicitur: Ignobilia, & contemptibilia, & quæ infirma *1. Cor.1.d.* mundi ſunt, elegit Deus, vt confundat fortia. Quis vnquam Petro vilior fuit? Et tamen per ipſum Deus totum Romanum imperium ſubiugauit. Ergo, fratres mei, non eſt curanda, ſed penitus deteſtanda humana potentia, quæ excludit ab electione diuina, nec ſui poteſt eſſe in periculis defenſiua, ſicut quotidie probant bella, vbi ſępe plures a paucis, ſapientes a ſtultis, potentes a debilibus ſuperantur. Exemplum Samſonis, qui a femina liga- *Iud. 16.e.* tus fuit, a Philiſtęis excęcatus. Nam in naturis videmus, quòd aquila timet hirũdinem, elephas murem, *Exempla.*

leo



leo gallum albas pennas habentem, lupus lapi- A dem. Cum ergo in omnibus rebus magna, & fortia, timeant parua, & debilia, cur mirabimur de diuina potentia, quæ fortia trepidare facit, & debilia facit eſſe ſecura?

Secundo, Dominus non elegit iudices, vel Philoſophos ſapientes, ſed ſtultos, & ſimplices. Vnde di-

*1.Cor.1.d.* citur: Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confunderet ſapientes. Quare hoc? vt, ſi ſapientes elegiſſet, & per eos mundanam ſapientiam conuiciſſet, victoriam non Deo homines, ſed illorum ſapientiæ detuliſſent. In hoc ergo diuina ſapiẽtia apparuit magna, quando per ſimplices viros, per illiteratos, per homines ignaros, & omni prorſus ſcientia deſtitutos, omnem ſapientiam mundi conuicit, B & ſtultam & cæcam eſſe oſtendit. Quis enim Ioanne ſimplicior? & tamen quis vnquam fuit, qui ſic alte de Deo ſenſerit? quis ſic altę ſcrutatus diuina myſteria fuit? quis Chriſti magnalia altius intonuit? Dicit enim Auguſtinus quòd ſi altius intonaſſet, totus

*Hieron.ep. 103. to. 3. longe ante med.* mundus non caperet. Vnde Hieronymus in epiſtola ad Paulinum de omnibus diuinæ hiſtoriæ libris: Ioannes ruſticus, piſcator, indoctus, & vnde illa vox, obſecro: In principio erat verbum, & verbum

*Ioan. 1.a.* erat apud Deum, & Deus erat verbum? Hoc, *inquit,* C doctus Plato neſciuit, hoc Demoſthenes eloquens

*Aug. to. 5. li.10.de Ciui. Dei ca. 29.circa finem & li.7 confeſ.c. 9. to.1.* ignorauit, &c. Auguſtinus tamen dicit expreſſe, ſe legiſſe in libris Platonis totum Euangelium Ioannis ab eo loco, vbi dicitur: In principio erat verbum; vſque ad illud: [a] Verbum caro factum eſt: quod ibi vtique non inuenit; eo quòd Incarnationis beneficium non agnouit. Vnde dicit Auguſtinus audiuiſſe ſe a S. Simpliciano ſene, quòd dum quidam Platoni-

*a Ioan.1.a* cus Philoſophus Ioannis Euangelium legiſſet, dixit ad circumſtantes: Hoc deberet aureis litteris cõſcribi, & in loco valde alto ſuſpendi, vnde ab omnibus

*Caſſiodorus in hiſtoria tripartita lib. 2. cap. 4.* poſſet legi. Narrat etiam hiſtoria tripartita, quòd D dum Conſtantinus Imperator fidem Chriſti acceperat, quidam Philoſophus eum arguebat, quòd inconſulte fidem antiquam reliquerat. Et idem Philoſophus, ſe de fide velle cum Alexandro diſputare, dicebat. Erat autem Alexander Conſtantinopolitanus Epiſcopus, vir ſimpliciſſimus, ſanctus, tamen ſęcularibus deſtitutus litteris, ſed Deo valde deuotus. Ab Imperatore ergo ad diſputationem vocatus, de ſolo Deo, qui ſimplices elegerat, ſanctus Epiſcopus confidebat. Cumq. omnes congregati eſſent, Epiſcopus Philoſopho dixit: In nomine Chriſti, tibi præcipio, vt non loquaris. Quod vt philoſophus audiuit, E ſtatim ſibi obligato ore, vltra loqui non potuit.

*Exemplũ.* Exemplum etiam de beata Catherina, quæ ſolum Chriſtum dum confeſſa fuit, electos philoſophos obmuteſcere fecit, & eos ad Chriſti fidem conuertit.

Tertio, Dominus non elegit diuites, ſed contem-

*Iac.2.a.* ptibiles pauperes. Vnde dicit: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe? Sed quare hoc? Ne, ſi per diuites mundum viciſſet, victoria non Deo, ſed diuitijs attributa fuiſſet. Nam & Romani homines ruſticos ab aratro ſubtrahebant, quos ad imperium promouebant, & per eos ſibi F

*S. Aug.lib. 18.de ciui. Dei ca.49. to.5.* gentes extraneas ſubiugabant. Nota ergo iuxta Beatum Auguſtinum quòd hoc fuit maximum miraculorum omnium. nam cum Apoſtoli fuiſſent numero valde pauci, fuiſſent potentia infirmi, fuiſſent omni ſcientia deſtituti, fuiſſent diuitijs nulli, Deus per eorum paucitatem omnem multitudinem mundi ſubiugauit: per eorum infirmitatem omnem potentiam mundi deuicit: per eorum ſimplicitatem omnem ſapientiam mundi conuicit: & per eorum paupertatem omnes mundi diuitias, & ſęculi gloriam contemni fecit. Ergo, fratres, laboremus eſſe debiles, non potentes: ſimplices, non ſapientes: pauperes, non diuites, ipſo donante, &c.



# DE BEATO GREGORIO PAPA

## SERMO I.

A*udi, fili mi, & eſto ſapiens: & dirige in via animum tuum.* *Prou. 23.b* Docet Scriptura ſacra, docet omnis philoſophia, docet & ipſa experientia, prius eſſe audiendum, quàm docendum, quia numquam bonus magiſter erit, qui eſſe diſcipulus renuit. Vnde *Val. Maxi. lib.8.cap.7.* narrat Valerius Maximus, q; Pythagoras, perfectiſſimus omni ſapientia, cum iam credebatur omnium *Item Hieronymus in epiſtola ad Paulinum, presbyterũ de libris diuinæ hiſto. Ep.103. tomo 3.* ſcientiarum culmina attigiſſe, tunc incępit audire. Nam & Ægyptum adijt, & quidquid de ſcientijs inuenit, totum accepit: indeq. profectus ad Perſas, illorum philoſophis ſe erudiendum dedit, a quibus ſiderum motus, curſus ſtellarũ, & rerum omnium proprietates docili animo didicit. Deinde Cretam na- C uigauit: & eorum moribus, legibuſq. inſpectis, ad Olympicum certamen deſcendit. Et, cum iam omnibus hominibus eſſet propter ſummam ſapien- *Idem Chryſoſt.Homil. 1.in Ioan. to.3.* tiam admirandus, interrogatus, quid profiteretur, non ſe ſapientem, ſed philoſophum, ideſt amatorem ſapientiæ eſſe reſpondit. Dicebat enim, ſuperbiſſimum eſſe, ſapientem aliquem appellare, cum nullus finis inueniatur eſſe ſapientiæ, ſed ſemper *Pythagoræ dictum.* poſſet homo in ea proficere. Ergo non eſt facile docendum, ſed prius eſt audiendum. Fons enim primo aquam a mari accipit, & poſtea eam locis ſibi vicinis infundit. Numquam Luna illuminat D terram, niſi a Sole ipſa fuerit prius illuſtrata. ergo optime dictum eſt Beato Gregorio: *Audi fili mi, & eſto ſapiens.* Quia, diu audiendo, ſapientiæ ſtudioſus, culmen omnium ſcientiarum obtinuit, & ſic ſapiens factus, & verbo docuit & exemplo. In verbo igitur præmiſſo Sapiens tria conſiderare docet: Primo, ſapientiæ auditum: Secundo, ſapientiæ habitum: Tertio, ſapientiæ vſum. Nam ſapientia per auditum acquiritur, per habitum poſſidetur, per vſum effectui mancipatur. Notatur ergo primo auditus, cum dicitur: *Audi fili mi.* Notatur ſcientiæ habitus, cum additur: *Et eſto ſapiens.* Notatur & E ſcientiæ vſus, cum adiungitur: *Et dirige in via animum tuum.* Ad hoc enim ſapientiæ ſtudere debemus, vt per eam in agendis omnibus recte dirigamur. Supradicta enim tria perfecte fuerunt in hoc Doctore clariſſimo. Nam, cum eſſet in omni philoſophia ſummus, ita, quòd non eſſet ei quiſquam ſecundus, ſicut de eo legitur, non fuit ſapientiæ ſęcularis vento inflatus, ſed factus eſt velut Chriſti diſcipulus, & tandem Eccleſiæ doctor clariſſimus. Quia dicitur: Da ſapienti occaſionem, & ad- *Prou.9.b.* detur ei ſapientia. Vnde de Beato Gregorio poteſt exponi illud: Dedit Dominus Salomoni ſapien- *3.Reg.4.d.* F tiam, & prudentiam multam nimis, ita vt præcederet ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum. Ad litteram: Sapientia Beati Gregorij, omnium ſapientiam præcedebat, qui temporibus ſuis erant. Ob quam cauſam prius monachus factus, deinde Pontifex ſummus, totam ſapientiſſime gubernauit Eccleſiam, & in diuinis officijs ordinauit. Lege hiſtoriam, & eam narra. Nunc *Vide Ioan. Diac. apud Lipom. de vitis Sãct. die 12. Martij. to.2.* igitur ad inſtructionem noſtram quattuor ſunt nobis neceſſaria, vt eſſe poſſimus vere ſapientes. Nam neceſſe eſt, vt quiſque primo ſapiens appareat in auditu: Secũdo, in aſpectu: Tertio, in opere, & in effectu: Quarto, in affatu. Hic eſt enim ordo hominis ſapientis, vt Primo, audiat, ſiue ſtudeat, & diſcat:

Secundo, ſapientiam in conuerſatione oſtendat: A Tertio, vt, quod oſtendit, efficiat: Quarto vero, vt ipſum, quod facit, alios doceat.

Dico primum, quòd qui vult eſſe ſapiens, neceſſarium eſt, vt ſapientia appareat in auditu: ergo neceſſe eſt, vt magiſtrum habeat, & diligenter verba ſapientiæ audiat: ſic Beatus Gregorius fecit, vt ſuperius patet ex dictis. Qui enim vult bene diſcere, & ſapiens cito eſſe, debet accedere ad magiſtrum, vt audiat: ad librum, vt legat: ad ſtudium, *Eccl. 3. d.* vt ſemper ſe exerceat. Vnde dicitur: Auris bona audiet, cum omni concupiſcentia ſapientiam. Auris bona dicitur eſſe illa, quæ non eſt ſurda, vt audiat: B non eſt ſuperba, vt audita contemnat: non eſt obliuioſa, vt audita non teneat. Item dicitur: Auris bona, non quæ libenter audit verba vana, verba laſciua, verba maledicta, verba mundana: ſed econtra verba caſta, verba vera, verba dulcia, & diuinis benedictionibus plena, & verba diuina: vnde debent boni ſapientes fugere mundi rumores, & ire ad prædicationes, vbi audiuntur ſermones, verba vitæ continentes. Item Auris bona eſt illa, quæ non quærit audire ſublimia, ſicut eſt de præſcientia, & de prædeſtinatione diuina, ſed ſcire quærit *Eccli. 3. c.* diuina præcepta, in quibus eſt animæ vita. Altiora C te ne quæſieris, & maiora te non ſcrutatus fueris, *Eccli. 6. d.* ſed quæ præcepit tibi Deus, cogita illa ſemper. Cogitatum habe in præceptis Altiſſimi, & in mandatis aſſiduis eſto, & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi. Ergo, fratres chariſſimi, ante omnia debemus audire diligenter, ſi volumus eſſe ſapientes. nam *Hier. epiſt. 103. ante med. to. 3.* & Hieronymus dicit: Nemo poteſt ſcire ſine doctore quod cupit: non agricolæ, non cęmentarij, non fabri, non carpentarij: ergo multo fortius, nec grammatici, nec dialectici, nec aſtrologi, & de hoc multo fortius, nec diuini. Vnde Plato, cum omnium mortalium ſapientiſſimus haberetur, vt D *Val. Max. lib. 8. ca. 7. & Cic. in Bruto.* narrat Valerius, ita, vt, ſi ipſe Iuppiter, quem Deum tunc eſſe credebant, de cælo deſcendiſſet, nõ eſſet in eo elegãtior, nec beatior facũdia, in Ægyptum tamen iuit, & ibi multa de cæleſtibus didicit: &, cum a ſtudioſis iuuenibus in doctorem peteretur Athenis, *Hieronymus in eadem epiſtola in principio.* ipſe quaſi omnes mundi prouincias peragrauit, vt diſcere poſſet, malens, vt Hieronymus dicit, aliena verecunde diſcere, quàm ſua impudenter ingerere.

Secundo, neceſſe eſt, vt ſcientia appareat in aſpectu, vt omnis noſtra conuerſatio ſit talis, vt ſignum ſit ſapientiæ cordis, vt per exteriora cognoſcamus interiora. Cognoſcitur enim interior ſapientia per- E fecta per exteriora. Philoſophus enim dicit, quòd *Ariſt. li. 2. de anima cont. 94.* per ſignum exteriorum membrorum diſpoſitiones cognoſcimus animorum. Vnde mollities carnis, boni ingenij ſignum eſt. Vnde frequens clauſio oculi ſignum eſt mobilitatis animi. Item per aſpe- *Medici & Ariſtot. in phyſ.* ctum faciei iudicant medici, qui ſint cholerici, qui melancholici, qui ſanguinei, quive flegmatici: & ſic de omnibus alijs. Sicut eſt ergo in naturalibus, ſic eſt in ſpiritualibus, quia per ſigna exteriora *S. Aug. in Regula 3. to. primo.* iudicamus facta interiora. Vnde, ſicut impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius, ſic eſt oculus pudicus pudici cordis nuncius: ergo ſecundum ge- F ſtus exteriores ſapientiam iudicamus interiorem. *Prou. 17. d* In facie prudentis lucet ſapientia. Ex viſu cogno- *Eccl. 19. d* ſcitur vir. Amictus, *inquit*, corporis, & riſus dentium iudicant de illo: Nam, ſicut in naturalibus, humorum interiorum diſpoſitio, faciem exterius colorat, & quaſi æque, quantum ſibi poteſt, aſſimilat, ſic interiorum morum diſpoſitio exteriorem hominem ordinat. Vnde non eſt credendum, ordinatũ eſſe interius, qui ſit deordinatus exterius. Ob hanc vtique cauſam ſic deteſtabãtur antiqui va- *Val. Maxi. li. 1. c. 3. de ſeueritate.* nos aſpectus, vt vxores a ſe abijcerẽt. Vñ docet Romana hiſtoria, ꝙ quidam nomine Sulpicius, vxorem dimiſit, eo ꝙ capite aperto, vel nudo eam foris ver- A ſatam cognouerat, quaſi alijs vellet placere. Dixitq. ad eam: Lex matrimonij te tantũ meis oculis tradidit, quibus pulchritudinem deberes oſtendere: his tantum tuam formam ſpecioſam oſtendere, his tantum te videndam committere debuiſti: propter quod tuus vanus aſpectus alijs ſuperuacue demonſtratus in ſuſpicionem criminis me adduxit: & ideo, quia legem matrimonij violaſti, violetur, &c. Quantæ honeſtatis decor huius Sancti fuerit, requiratur monachalis habitus, quem aſſumpſit, & tota vita, quam duxit.

Tertio, neceſſe eſt, vt ſapientia appareat in ope- B re, & effectu: in naturalibus ita eſt, quòd fructus oſtendit, qualis ſit arbor. Ex fructu enim arbor cognoſcitur, ſic & opus hominis ſapientiam interiorem oſtendit. Vnde dicitur: Quis ſapiens, & diſci- *Iac. 3 c.* plinatus inter vos? oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ. Sed quis hodie habet ſapientiam operandi? Sapien- *Ier. 4. e.* tes ſunt, vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt. Nam ſapientes hodie putantur, qui ſciunt vias ad peccandum exquirere, proximos conculcare, pecuniam congregare, bella diſponere, incendia procurare, & omnia talia facere: per hæc enim & C ſimilia faciunt ſibi nomen, & famam. Narrat Hie- *Hieronymus aduerſus Heluidium. to. 2. & Val. Maxi. l. 8. c. 14 & Strabo. lib. 14.* ronymus, quòd quidam fuit apud Epheſum, qui, cum vellet ſibi facere nomen, nec poſſet per aliquod bonum, cogitauit facere aliquod facinus, per quod fieret cunctis notus. Cumq. cogitaret, quid facere poſſet, nocte iuit, & templum Dianæ famoſiſſimum apud illos incendit. Cumq. quæreretur actor facinoris, ille ſponte ſe obtulit. Requiſitus, cur hoc faceret, ait: Vt, quia bene non poteram, male omnibus innoteſcerem. Numquam Nero Im- *Vide apud Sueton. in Nerone ei⁹ petulãtiã, libidinẽ, luxuriã, auaritiam, &c.* perator potuiſſet ſic apud mundum fieri famoſus per bona, quæ apud eum erant modica, ſicut factus eſt D per turpiſſima mala. Tales ergo hodie dicuntur ſapientes, cum nihil de ſapientia habeant, ſed ſtultitia ſumma pleni exiſtant. Stultus factus eſt omnis *Ier. 10. b.* homo a ſcientia ſua. De alijs operibus Sancti Gregorij quære in Legenda, quia longum eſſet hic ponere.

Quarto, debet apparere ſapientia in affatu. Non debet homo præſumere loqui verba ſapientiæ, vel *Act. 1. a.* alios docere. Cœpit Ieſus facere, & docere. Primo fecit, & poſtea docuit: ſic & Beatus Gregorius diu in monaſterio prius Deo ſeruiuit, carnem ieiunijs, & vigilijs macerauit, exempla de ſe virtutis exhi- E buit, & ſic ad officium doctoris acceſſit. Sciebat *Rom. 15. c.* enim, Apoſtolum dixiſſe. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus. Cato: *Cato in parenæſi prima.*

*Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.*

Rhetores definiunt Oratorẽ, quòd non ſolum ſit vir arte peritus, ſed ſit opere bonus: quia, ſicut dicunt, dicendi perdit auctoritatẽ docendi, qui dicit, & non *M. Tul. de Orat. lib. 2.* facit. Vnde Tullius: Caput eſt artis, ea docere, quæ facis. Princeps, qui bellum fugit, ſcutum non arripit, arma non induit, ſed vacat laſciuijs, non eſt *Plutarchus in vita Alexandri.* bonus exhortator ad bellum. Vnde de Alexãdro illo Magno narrat hiſtoria, quòd erat vir audaciæ ſin- F gularis, patiens laboris, cui nihil arduum, nihil impoſſibile videbatur: omnis periculi, omniſq. multitudinis erat contemptor: primus etiam omnium *Curtius de rebus geſtis Alex. lib. 5. & alibi.* ingrediebatur pericula, in aciem irruebat, & ſi vbi cuneos hoſtium fortiores eſſe videbat, illuc protinus procedebat. Et, quia ſic in omnibus periculis milites præcedebat, ſic eos animauerat, vt ad vocem eius eſſent parati non ſolum homines inuadere, ſed muros ferreos penetrare. Vna vtique vox illa, & imitatione digna. Quæ nam illa? Quæ dicit operibus, & exemplis oſtendit. Sicut enim arbor cognoſcitur floribus, folijs, & fructibus, ſic homo exemplis, verbis, & operibus. Et propter hæc omnia bene dicitur: Doctrina ſua cognoſcitur vir. Et *Prou. 12. b.*

Sapiens



*Eccl. 20. d.* Sapiens in verbis producet ſeipſum, id eſt, primo A docebit ſeipſum, & poſtea proximum. Rogemus ergo Dominum, &c.

## SERMO II. DE EODEM.

*Pſal. 36. f* O*S iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Quãtæ ſit vtilitatis, verbis vitæ, errantibus, ſiue ignorantibus prædicare, quis exprimet officio linguæ? *Iac. vlt. d* Dicitur enim: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ B ſuæ, ſaluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum. Quid melius iſtis? Sed, nunquid non prædicatores faciunt iſta, diuina auxiliante gratia? Nonne ad prædicationem Petri vnam, tria millia hominum conuerſa ſunt? immo, vt de his taceam, quæ ſunt pluribus nota, vnum exem- *1. Laertius li. 4. in uita Polemonis i principio. Vale. max. lib. 6. c. 9.* plum extraneum ponam. Narrat Græcorum hiſtoria, quòd apud Athenas erat adoleſcens, Polemo nomine, totus deditus vino, & luxuriæ: ideo non ſolum peſſimus erat, ſed de ipſa ſua mala fama gaudebat. Cumq. ſolus poſt cœnam, ex conuiuio domum rediret, & Xenocratis philoſophi apertam ia- C nuam vidiſſet, vino, vt erat, grauatus, vnguentis delibutus, ſertis capite coronatus, pellucida veſte veſtitus, philoſophi iam dicti ſcholas intrauit: ipſoq. philoſopho legente, ad ſedem ſe poſuit: cumq. fieret contra eum ſcholarium tumultus, philoſophus, nihil motus, omiſſa re, de qua docebat, de temperantia cæpit loqui. Cumq. Polemo verba eius diligenter audiret, dolore compunctus vitæ ſuæ, mox de capite coronam depoſuit, brachium intra pallium reduxit, omnem intemperantiam abiecit; caſtitatem induit, & poſt philoſophus factus fuit. Ergo, ſi tantum valuit ſermo pàgani philoſophi, D quantum præſens valebit ſermo efficax ſerui Dei? ergo magnum eſt prædicantis officium, & ideo ad commendationem prædicatoris maximi, doctoriſq. clariſſimi, optime dicitur: *Os iuſti meditabitur ſapientiàm, & lingua eius, &c.* In quo verbo duplex notatur perfectio: vna cordis, perficiens intra: altera vero oris, perficiens extra. Prima ergo perfectio, quæ conſiſtit in corde, eſt ſapientiæ meditatio. Secunda vero perfectio, quæ conſiſtit in ore, eſt ſapientiæ prædicatio. Prima eſt ſecundæ cauſatiua: ſed ſecunda eſt primæ declaratiua: Nam, ſicut idem eſt verbum cordis, & oris, vt Richardus E dicit; ſic & eadem eſt ſapientia, & quæ latet in corde, & quæ prædicatur in ore. Sed in corde eſt nuda, in ore veſtita. Vox enim oris eſt veſtimentum vocis interioris. Notatur ergo primo, vera ſapientiæ meditatio, cum dicitur: *Os iuſti meditabitur ſapientiam.* Secundo vero, ſapientiæ prædicatio, cum additur: *Et lingua eius loquetur iudicium.* Vt igitur cum Doctore hic venerabili poſſimus eſſe ſapientes, & corde meditando, & ore docendo, quattuor ſunt neceſſaria nobis, quæ fuerunt in Doctoribus ſanctis, ſcilicet: Domus conſcientiæ perfecta purgatio: Temporalis ſubſtantiæ perfecta deſertio: Intel- F lectiuæ potentiæ perfecta humiliatio, Diuinæ ſapientiæ perfecta inquiſitio. Vt mente mundati, a temporalibus curis abſtracti, & ad nos reuerſi, per humilitatem concaui facti, & ſic ad ſapientiæ lumen diſpoſiti, per amorem facti ad quærendum ſolliciti, dona ſapientiæ capiamus.

Dico primum, quod neceſſarium ad habendam ſapientiam, eſt domus conſcientiæ perfecta purgatio: non enim ſimul eſſe poſſunt mortalis cul- *Sap. 1. a.* pa, & vera ſapientia. Vnde dicitur: In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in còrpore ſubdito peccatis: poſſunt enim impij habere mundam ſcientiam purè ſpeculatiuam,



A ſed ſcientiam ſapidam, ſicut eſt ſapientia a ſapore ſic dicta, nunquam habent. Vnde, etſi ſint ſapientes, ſicut & dęmones, nunquam tamen ſapientes, vt iuſti homines: ergó, ſi volumus perfici in vera ſapientia, oportet nos recedere a culpa. Vnde dicitur: Sapiẽs *Eccl. 3. d.* cor, & intelligibile abſtinebit ſe a peccatis. Vnde videmus, quòd illi non fuerunt vere ſapientes, ſed dicti ſunt philoſophi, ideſt ſapientiæ amatores, vt poſſint fieri ſapientes. Non ſolum abſtinebant a vi- *Hier. to. 2. li. 2. contra Iouinianũ.* tijs, grauibuſq. peccatis, ſed ab omnibus mundi vanitatibus, & curioſitatibus: & multi conati ſunt, vt poſſent fieri virtuoſi. Quis vnquam ſic mundum con B tempſit, vt Diogenes, qui nunquam domum habere *Laertius in vita Dio. Cynici.* voluit, nunquam accipere ab aliquo aliquid voluit, nunquam familiaris alicui fuit, ſed hoſtiatim panem petens, gloriam omnium contempſit: & hoc propter mundi ſapientiam. Ergo, quid faciendum nobis eſſet propter ſapientiam diuinam, quæ eſt ſecundum animam?

Secundum, quod eſt neceſſarium ad ſapientiam, eſt mundanæ ſubſtantiæ perfecta deſertio: non enim poteſt acquiri ſapientia cum pecunia. Vnde *Laertius libro 2. in vita Ariſtippi* Ariſtippus, cum iret ad philoſophandum Athenas, aurum, quod portauit, abiecit in mare, dicens: Pe- C cunia, & philoſophia ſimul poſſideri non poſſunt. Abite, diuitiæ, ne a vobis valeam impediri: Crates etiam, alter philoſophus, magnum auri fruſtum *Hiero. in Matth. li. 3 ca. 19. to. 6. Et li. 2. contra Iouin. to. 2.* proiecit, dicens: Abite peſſum malæ cupiditates: ego vos ſubmergam, ne ſubmergar a vobis. Ob hanc cauſam Beatus *Gregorius, volens Chriſti eſſe philoſophus, cum eſſet ex nobilibus natus, & eſſet ditiſſimus, omnia vendidit, & ſeptem monaſteria conſtruxit, omniaq. ſua pauperibus erogauit. Sciebat *Laertius li. 6. de vita philoſo. in Cratete Thebano.* enim Apoſtolum dixiſſe: [a] Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi huius ſęculi conquiſitor? Quaſi diceret: Si ſapientes mundi ſic ſagaces ſunt ad lucrandum, & acqui- D rendum illud, vnde pereunt, quid deberet facere ſapientia Chriſtiana ad quærendum illud, quod eſt *Suidas, & Aelian⁹ li. 3. var. hiſt.* vera vita? Quæ eſt comparatio pecuniæ ad ſapientiam? Nam pecunia eſt bonum extra: ſapientia bo- **Ioã. Diac. libro 1. Vit. c. 1.* num intra: pecunia bonum eſt a nobis extraneum: ſapientia bonum verum: pecunia bonum eſt periturum, ſapientia permanſurum: pecunia ducit ad mortem, ſed ſapientia perducit ad requiem. Ergo, ſi *a 1. Cor. 1. c* tanta poteſt eſſe cura mercatoribus ad acquirendam ipſam pecuniam, quanta deberet eſſe ad acquirendam ſapientiam? Sic enim ſcribitur: Beatus, qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia: melior, *Prou. 3. b.* E *inquit*, eſt acquiſitio eius auri, & argenti primi, & puriſſimi: & multa ibi de hoc. Et ſimiliter: Non iſtam ſapientiam habent filij mundi, filij diaboli. *Sap. 7.* Quia, ſicut dicitur: Exquiſierunt prudentiam, quæ de terra eſt, negociatores terræ: viam autem ſa- *Bar. 3.* pientiæ non inuenerunt, & propterea perierunt. Hanc ſapientiam bonam ſancti Dei Apoſtoli habuerunt: propter quam, mundum cum ſuis omnibus reliquerunt.

Tertium, quod eſt neceſſarium, eſt animæ noſtræ perfecta humiliatio: vbi enim concauum humilitatis non eſt, ſapientia eſſe non poteſt: quia aquæ F nunquam currunt ad montes, ſed tantum ad valles: & breuiter, vbicunque eſt concauum, illuc eſt fluxus aquarum. Vnde, cum Alexander Rex a Didymo philoſopho quæreret, quomodo poſſet eſſe ſapiens, ille ait: Deus poteſt tibi præſtare ſapientiã, ſed tu non habes, vt teneas eam. Vnde dicitur: *Prou. 11. a* Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & cõtumelia: vbi autẽ eſt humilitas, ibi & ſapientia. Quid igitur mirum, ſi ſapiẽtiſſimus Gregorius fuit, quia humillimus fuit? Lege in Legenda ipſius, quàm humiliter inter monachos vixerit: quomodo ſummum Pontificium toto poſſe refugerit: quantũ etiam in ipſo ſummo officio ſemper humilitatem amauerit, & econtra ſuperbiam oderit! Sed quis eſt hodie, qui fugiat honores, & cõ-



tumelias

tumelias amet? Vnde hodie bella, vnde tanta ſæ-
uitia, niſi ex dominante ſuperbia, quæ ſuos ſupe-
*†Bernard. in epiſtola ad Henricum Senenſem.* riores odit, pares inuadit, inferiores premit? Au-
guſtinus: Vtinam ſuperbi attenderent, quòd ſepe al-
ta, calore ſiccantur, quando aliquis humillima cōſer-
uat. Bernardus: † Superbia cauſa eſt ſubtractionis gra-
tiæ: ſicut humilitas eſt cauſa ipſius præſentiæ. Vn-
*Chryſoſt. in homil. 25. in 3. caput Ioannis. tomo 3.* de dicit Chryſ. Tolle hoc vitium, vt nolint homi-
nes glorioſi videri, & abſque labore cetera vitia re-
ſecantur.

Quarto, ſi volumus eſſe ſapientes, neceſſarium
eſt nobis ſapientiæ perfecta inquiſitio. Vnde dicitur:
*Baruch. 3. b.* Diſce, vbi ſit ſapientia. Quærenda enim eſt toto
velle, toto poſſe, & omni mentis ſollicitudine, ne
per negligentiam amittatur. Exemplum huius eſt in
Sancto Gregorio: qui, quantum ſtuduerit ſapien-
tiæ, teſtes ſunt libri, quos fecit. Vnde quidam Poeta:

*Abſque labore graui non munera magna dabuntur.*
*Gratior eſt plenus vtilitate labor.*

Quis vnquā ſine labore diues? Quis ſine labore ali
quā artem didicit? Ergo, quis abſque labore ſapiens
eſſe poterit? Vſque ad canos quæſierunt antiqui ſa-
pientiam: & tamen pauci inuenerunt eam, quia lo-
cum eius ignorauerunt, & viam qua peruenirі pote-
*Iob 28. b.* rat ad eā. Vnde dicitur: Sapientia vbi inuenitur? &
quis eſt locus intelligētiæ? Neſcit homo pretiū eius,
nec inuenitur in terra ſuauiter viuentiū, ideſt carna-
liter viuentium & delicate. Ergo, qui vult ſapien-
tiam habere, & locum eius inuenire, non oportet
laſciuire, ſed neceſſe eſt vigilare, & laborare, &
deuote orare, & eam a Deo lacrymis poſtulare.
*Prou. 2. a.* Si ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum
prudentiæ; ſi quæſieris eam quaſi pecuniam, &
quaſi theſauros effoderis illam; tunc ſcientiam Dei
inuenies: quia Dominus dat ſapientiam, & ex ore
eius prudentia, & ſapientia. Vnde dicitur in Cano-
*Iac. 1. a.* nica: Qui indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat
omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur
ei. Ergo, qui ſapientiam non habet, poteſt argui ne-
gligentiæ; quia non eſt defectus ex parte dantis, ſed
potius negligentis, & laborare nolentis. Nam de
*Diogenes Laertius libro 2. in Socrate ante finem.* Socrate narrant hiſtoriæ, quòd quamuis ſapientiſ-
ſimus fuerit, nec in ipſo ſuo ſenio a ſtudio ceſſauit:
immo, damnatus ad mortem, ad conſolationem ſui,
in carcere poſitus, diſputauit. Vnde Valerius Ma-
*Val. Maxi. lib. 8. cap. 7.* ximus de eo dicit, quòd, quia ad diſcendum ſem-
per ſe pauperem credidit, ad docendum fecit ſe lo-
cupletiſſimū. Sic enim aliqui philoſophi ſtudio erāt
intenti, vt etiam obliuiſcerentur cibi. Studeamus
igitur fratres ſapientiæ, laboremus mandata diuina
cognoſcere. Studeamus Deum timere, quia initium
*Prou. 1. a.* ſapientiæ timor Domini.

## DE SANCTO MARCO EVANGELISTA

### SERMO I.

*Epheſ. 3. b.* M*Ihi enim, omnium ſanctorum mi-
nimo, data eſt gratia hæc, in gen-
tibus euangelizare inueſtigabiles
diuitias Chriſti.* Secundum phi-
*Ariſt. li. 4. Phyſicorū, c. 6. tex. 83. par. 4. & in problematibus ſectione 8. quaſt. 8.* loſophum, immo (quod ma-
ius eſt) certum experimentum,
nihil patitur eſſe vacuum. Vn-
de natura ſine locato nunquam
ſinit aliquem eſſe locum. Propter quam cauſam,
ſi vrceus, vel vas aliquod, verſo ore, in aquam
ponatur, quantumcumque ad inferius deprimatur,
ſurſum ſemper repellitur, nec aliquid aquæ in-
tus intrare permittitur, eo quòd aere plenum eſ-
ſe probetur. Sola enim vaſa vacua ſunt liquoris
infuſi receptiua: vnde vas vno liquore plenum non
A recipit alium, niſi illo prius fuerit vacuatum. Eſt
enim natura corporis vacui, attrahere ad ſe corpus.
*Exemplum* Nam barbitonſores, ſiue balneatores, dum vento-
ſas hominibus ponunt, prius cum ſtuppa ignem im-
mittunt, vt, ignis virtute, repulſo aere ibi conten-
to, & tandem igne extincto, ibi remaneat vacuum,
& ſit virtus quædam potens ad attrahendum. Et
hæc ratio, quare ventoſa carnibus applicata, ſic eſt
fortiter attractiua; quia vacua corpore, ſiue aere,
attrahit fortiter ad ſe carnem, vt ſuam vacuitatem
poſſit repellere: Quia ergo Beatus Marcus, humi-
litate plenus, ſe vacuum eſſe credebat, ideo ſibi
B abunde diuinam gratiam attrahebat: & ideo bene
dicit: *Mihi enim, omnium ſanctorum minimo, data eſt
gratia, &c.* In quo verbo tria conſiderare debemus;
Primum, ex parte Dei gratiam conferentis: Secun-
dum, ex parte ſancti donum accipientis: Tertium,
ex parte doni in alios redundantis. Ex parte igitur
Dei, monſtratur liberalitas: ex parte ſancti, oſten-
ditur idoneitas: ſed ex parte diuini doni, mirabi-
lis efficacitas. Notatur igitur primo Dei largitas in
donando, cum dicitur: *Data eſt gratia hæc*, ſupple
a Deo. Notatur ſecundo, ſancti idoneitas in ſuſci-
piendo, cum additur: *Mihi omnium ſanctorum mini-*
C *mo, &c.* Qui enim per humilitatem ſe minimum
credebat, ideo ad gratiam idoneum ſe reddebat.
Tertio notatur doni accepti efficacitas in docendo,
cum adiungitur: *Vt euangelizarem inueſtigabiles di-
uitias Chriſti.* Dicat ergo Beatus Marcus: *Mihi enim,
omnium ſanctorum minimo, data eſt gratia*: Quaſi di-
ceret: ideo gratiam a Deo accepi, quia me mini-
mum reputaui: congruum enim eſt, vt, dum ho-
mo, propter honorem Dei, ſe vacuum reputat,
Deus illi gratiam de ſupernis infundat. Eſt ergo
notandum, quòd Beatus Marcus propter Chriſtum
in quattuor fecit ſe minimum, contra quattuor, in
D quibus ſe magnificant homines: Nam quidam ex-
tollunt ſe in potentia: quidam in rerum opulen-
tia: quidam in ſcientia: quidam vero in vita. Iſta
enim quattuor ſunt cauſa ſuperbiæ, ſcilicet multum
poſſe, multum habere, multum ſcire, & multum
credere ſe valere. Beatus ergo Marcus ſe fecit mi-
nimum, Per confeſſionem propriæ culpæ: Per ſim-
plicitatem propriæ vitæ: Per contemptum humanæ
pecuniæ: Per abnegationem propriæ perſonæ.

Dico primo, quòd Beatus Marcus ſe reputauit
minimum per confeſſionem culpæ in ſua conuer-
*Prou. 18. c* ſione. Sicut enim dicitur: Iuſtus in principio accu-
E ſator eſt ſui: & eſt hoc valde rationabile: quia nun-
quam ægrotans medicinam a Medico implorat,
niſi ei prius infirmitatem detegat, & oſtendat: nun-
quam poteſt ante vulnus curari, niſi poſtquam fer-
rum fuerit foras eductum. Ergo ſecundum iſtam
ſententiam, ante omnia neceſſe eſt ægrotanti, vt
oſtendat vulnus Medico ſpirituali: vt ſic poſſit ab eo
curari, & iuſtus per conſequens fieri. Ob quam cau
*1. Cor. 15. a* ſam dicere poterat Sanctus Marcus illud Pauli: Ego
ſum minimus omnium Apoſtolorum, qui non ſum
dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum
Eccleſiam Dei. Ecce confeſſio peccati. Omnis enim
F homo Eccleſiam Dei perſequitur, quando peccatis
*Exempla.* inficitur: & ſic fideles in eo turbantur. Sic enim
homo minuit per confeſſionem, ſicut minuit apo-
ſtema per ſaniei eductionem, & veſica plena per
venti expulſionem: & iſta talis minutio ſui eſt con
tra illam ſuperbiam, qua gloriantur hypocritæ de
ſanctitate vitæ: hypocritæ enim, ne videantur ma-
li, nolunt ſua peccata confiteri: ſed ad modum Ci-
gni ſub penna alba, ideſt, ſub vitæ apparentia oc-
cultant carnem nigram, ideſt, animam peccatis in-
fectam. Sed veniet dies illa, dies omni amaritudi-
ne plena, quando publicabuntur coram vniuerſo
mundo omnia, non ſolum verba, & opera, ſed
ipſa cordis ſecreta. O quàm conſultius, quàm me-
lius



lius eſſet, nunc vni detegere ſacerdoti, dicere nul-
li valenti, quàm coram Deo, & Angelis, mundoq.
vniuerſo confundi.

Secundo, Beatus Marcus fecit ſe minimum per
ſimplicitatem vitæ: audierat enim Dominum di-
*Matt 10.* centem: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimpli-
*1. Cor. 4. c.* ces ſicut columbæ. & dicebat Apoſtolus: Nos ſim-
*Prou. 3. d.* plices propter Chriſtum. Et: Cum ſimplicibus enim
*1. Cor. 2.* ſermocinatio eius. Vnde poterat Sanctus Marcus
dicere cum Apoſtolo: Nihil fateor me ſcire inter
vos, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixū. Exem
plum de Pauli ſimplicitate, qui tantam gratiam a
Deo acceperat, quòd vidit Angelos, & dæmones,
& cognouit omnes homines, in quo ſtatu eſſent.
Vnde poſſet de Beato Marco ſpiritualiter illud ex-
*Gen. 42. c.* poni, quod de Beniamin dicitur: Minimus fratrum
cum patre noſtro eſt. Optime, *minimus*, ideſt ſim-
plex frater dicitur eſſe cum patre, quia Deus ſim-
plicitatem diligit, & cum talibus eſſe cupit. Sed
non tales multi, qui ſeipſos magnificant per oſten-
tationem ſcientiæ, ſicut fecerunt vani Philoſophi,
*Rom. 1. c.* iudices, & aduocati. Tales enim, ſicut dicitur, di-
*Ier. 10. b.* centes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Stultus fa-
ctus eſt omnis homo a ſcientia ſua. Optime dicit
*ſua*: quia ſola diuina ſapientia, non mundana, non
diabolica, facit homines ſapientes. Ergo iuxta Apo-
*1. Cor. 3. d.* ſtolum: Si quis autem inter vos ſapiens eſſe vult,
fiat ſtultus, vt ſit ſapiens, ideſt fiat ſtultus in mun-
*Prou. 30. a* do, vt ſit ſapiens ſoli Chriſto. Nam & ſapiens di-
*1. Cor. 8. a.* cit: Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia homi-
num non eſt mecum. Et dicitur: Si quis æſtimat
ſe aliquid ſcire, vbi nondum cognouit, quemad-
modum oporteat eum ſcire. Nam qui ſuperbit de
*Aeſopus in Fab. lib. 2. fab. 28. Et Horatius li. 1. epiſt. 3 Epiſt. 3.* ſcientia, quæ a ſolo Deo eſt, ſimilis eſt corniculæ,
quæ gloriabatur de pennis auium aliarum: ſed, dum
quælibet auis, ſuas ſubtraxit ab ea, remanet nuda
penitus, & omnis eius gloria in ignominiam eſt
conuerſa, ſic & in die iudicij, cum diuinis nuda-
buntur, miſeri non habebunt vnde valeant gloria-
ri: quia ſolis peccatis, quæ proprie ſua ſunt, tunc
inuenientur ornati.

Tertio, ſanctus Marcus ſe fecit minimum per
contemptum mundi, & pecuniæ, & omnis tempo-
ralis ſubſtantiæ. Nudus enim nudum Dominum eſt
ſecutus: non enim poterat ſequi veſtitus: ipſe enim
fuit de numero illorum minimorū, de quibus dicit
Dominus: Quod vni de minimis meis feciſtis, mihi
*Mat. 25. d* feciſtis. Minimos dicit ipſos pauperes indigentes,
quales fuere Apoſtoli, & Euangeliſtæ. Sed quidam
quærunt ſe magnificare, & glorioſos apparere per
congregationem pecuniæ, non attendentes quod
dictum eſt Simoni mago a * Simone Petro: Pecu-
**In actibus Apoſtolorū. c. 8. d.* nia tua tecum ſit in perditionē: O quanta ſtultitia,
ſe onerare pecunia, quæ citius demergitur in pœ-
nam! multo ſtultior eſt hic, quàm ille, qui con-
gregat ſibi ligna, quibus ignis eum ardes perpetuo
nutriatur. Nonne ſtultiſſimus eſſet qui per lubri-
cam viam incedens, & profundum magnum iuxta
ſe habens, in quo ſi ſemel caderet, in perpetuum
non exiret, ſe plumbo, & ſtercoribus ornaret, qui-
bus eum mergi neceſſe eſſet? Ergo, ſi toti in lubri-
co poſiti ſumus, ſi profundum inferni iuxta nos cer-
nimus, ſi quotidie noſtros vicinos ruere, & cade-
re paſſim videmus, quid eſt, quòd nos temporali-
bus ſtercoribus ornamus? Sapientes nautæ, ſi flu-
ctibus premuntur, ventis quatiuntur, tempeſtatibus
impelluntur, non nauem onerant, ſed eam alleuiant,
non merces quærunt, ſed inuentas abijciunt: & nos,
fratres, vbi, niſi in tempeſtuoſiſſimo mari ſumus? Er-
*Ambr. li. 4. Commē. in Euāg. Luc. cap. 5. to. 3.* go iuxta verbum Sancti Ambroſij: Cauēdum valde
nobis eſt, ne nauem noſtram, vel fluctus abſor-
beat, vel procella tempeſtatis allidat, vel in æter-
nam prædam pirata crudelis abducat.

Quarto, Sanctus Marcus ſe fecit minimum per

A abnegationem propriæ perſonæ: & in hoc eſt ſum-
ma perfectio: Nam & mali poſſunt per confeſſio-
nem peccata detegere; poſſunt vitam ſimplicem du-
cere; poſſunt temporalia iſta deſpicere: Sed nemo,
niſi vir magnanimus, poteſt ſeipſum contemnere.
*Grego. Homil 32. ſub init.* Gregorius: Non magnum quippe eſt homini abne-
gare quod habet; ſed multum valde eſt abnegare
quod eſt. Et forte, *inquit*, laborioſum non eſt ho-
mini relinquere ſua, ſed valde laborioſum eſt, re-
linquere ſeipſum. Ergo ſanctus Marcus, dum ſe-
ipſum ob Chriſti amorem reliquit, viam perfectio-
*Mar. 10. g.* nis arripuit. Sciebat enim Dominum dixiſſe: Qui
B *Mat. 18. d* maior eſt veſtrum, fiat ſicut minimus. Et illud: Qui
vult venire poſt me, abneget ſemetipſum. Quid eſt
enim ſemetipſum abnegare, niſi voluntatem ſuam
Deo dare, & ſe totum Deo committere, nihil de
ſe ſibi retinere? Sed multi ſunt, qui non ſolum non
ſe abnegant, ſed ceteris laborant præponi, non at-
tendentes, quòd ex alto loco grauius caditur, &
exiſtenti in alto, ruina grauior præparatur. Quan-
to enim nubes in altum attolluntur, tanto fortius
ventorum turbinibus quatiuntur. Sæpe feriuntur to-
nitruis alti montes, quando quietiſſimæ manent
valles. Arbor enim, quanto magis in altum aſcen-
C dit, tanto magis ſe turbinibus, & ventis exponit:
& præciſa fortius terram petit, & grauiori pluri-
mum caſu ruit: ergo ſtultum eſt appetere, vnde
*Iob 30. c.* ſit neceſſe grauiſſimo caſu concidere. Iob: Eleua-
ſti me, & quaſi ſuper ventum eliſiſti me valide.
Exemplum de Lucifero: vbi oſtenditur, quòd quia
altiſſimus fuit, ideo in profundiſſimum locum in-
ferni cecidit. Sequitur: *Euangelizare, & cet.*
Hoc enim eſt donum, quod accepit ex gratia re-
dundante, quòd non ſolum in ſe ſancte, & humi-
liter vixit, ſed verbum vitæ alijs prædicauit. Nam
*Lipom. 25. Apr. to. 2.* doctor fuit Eccleſiæ, Primo, factis. Secundo, ver-
bis. Tertio, ſcriptis. Sed de his quære in ipſius
Legenda.
D

### SERMO II. DE EODEM.

O*Pus fac Euangeliſtæ: miniſterium tuū
*1. Tim. 4. a.* imple.* Inter omnia exteriora ope-
ra gratiæ gratis datæ, nobiliſſi-
mum opus eſt euangelizare, ſiue
Euangelium prædicare: ſed non
eſt vtile, niſi præcedat miniſtra-
re, quia tam ordine gratiæ, quàm
naturæ, prius eſt facere, quàm docere, vel dicere:
E prius enim diu natura hominem format, quàm ei
vſum loquelæ tribuat. Item Ioannes Baptiſta prius
diu fecit, quàm ad prædicandum acceſſerit. Ita nec
Dominus ſuam prædicationem incepit, niſi prius ie-
*Hier. to. 6. in Matt. c. 23. lib. 3.* iunaſſet in deſerto. Non enim (vt dicit Hieron.)
ædificat, ſed deſtruit, qui quod alijs dicit, ipſe
non fecit. Bene ergo Beato Marco dicitur: *Opus fac
Euangeliſtæ: miniſterium tuum imple.* In quibus verbis
commendatur a duobus iam dictis, vt nihil deſit
eius perfectioni. Nam primo commendatur ab ex-
cellentia ſanctitatis in vita, quam tenuit. Secundo
vero, a refulgentia veritatis in doctrina, quam ſcri-
F pſit. In his enim duobus perfectus homo conſiſtit.
Nam per primum ordinatur ad Deum, & etiam
ad ſeipſum. Per ſecūdum ordinatur ad proximum.
Notatur igitur primo excellentia ſanctitatis in vita,
per quam ordinatur ad Deum, & nullo modo ad
ſeipſum: cum dicitur vltimo: *Miniſterium tuum im-
ple.* Sed notatur ſecundo veritatis refulgētia in do-
ctrina, per quam ordinabatur ad proximum: cum
præmittitur: *Opus fac Euangeliſtæ.* Nam conſtat
opus Euangeliſtæ eſſe. Primo, in Chriſtum crede-
re. Secundo, Chriſtum prædicare. Tertio, prædi-
cata in Scripturā redigere. Quarto, ſeipſum in mor-

tem

tem pro Euangelio tradere: & ſic doctrinam ſuam A morte confirmare. Et quia hæc omnia Sanctus Marcus effecit, ſicut ex Legenda probare poteris, ideo vere Chriſti Euangeliſta fuit, cuius Euangelium Petrus legit, & lectum approbauit: & legendum Eccleſiæ tradidit. Nunc autem ad inſtructionem fidelium de miniſterio tantum ſermo reddendus eſt: tum, quia prius, & melius eſt facere, quàm docere: tum quia per miniſterium ſolum, & ordinatur homo ad Deum, & ordinatur ad ſeipſum, & ordinatur ad proximum. Eſt igitur hic notandum, quòd qui vere Chriſti miniſter eſt, ſicut fuit hic Sanctus, primo ordinatus eſt ad ſeipſum. Sunt au- B tem duo, quibus homo ad ſe ordinatur: Primum, eſt munditia carnis: ſecundum vero eſt modeſtia mentis: vt per primum componatur exterius, per ſecundum ordinetur interius.

*Homo quomodo debeat eſſe ordinatus.*

Dico quòd homo primo ordinatur interius ad ſeipſum, per modeſtiam mentis. Ad hanc enim, inuitat Dominus, quando dicit: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, ideſt meam modeſtiam imitetur. Nã Dominus totus fuit manſuetus, ſiue modeſtus, nunquã turbatus. Iſaias: Non erit triſtis, neque turbulentus. Eius autem manſuetudinem probat, parabola ſerui debitoris decem millium talentorũ, C & alterius centum denariorum. Item mulier deprehenſa in adulterio. Item parabola de filio prodigo. Item exemplum Magdalenæ, quam non ſolum non repulit, ſed benigne ſuſcepit, eiq. peccata dimiſit. Quare iſta ad prædicandum ſunt valde pulchra: quia, dum modeſtia tanta de Deo prædicatur, nos ad modeſtiam inuitamur, & valde arguimur, ſi more apri, vel vrſi iraſcimur. Miro enim modo per iram inordinatur homo, & ſubuertitur ratio: ſed econtra, ordinatur per modeſtiam. Qui ergo in hac virtute Dominum imitatur, ab eo plurimum honoratur. Ipſe enim dicit: Si quis mihi D miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus. Secundo debet homo ordinari exterius ad ſeipſum, per vitæ munditiam. Nullus enim eſt Rex, immo nec vllus homo, qui mundum miniſtrum non requirat: ergo, ſi volunt hoc homines immundi, & peccatis infecti, quales putas vult habere miniſtros Dominus mundiſſimus? Vnde dicitur: Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Sed quis hodie cum munditia carnis Deo ſeruit? Quis vitam immaculatam ducit? Quis maculari hac turpitudine non cupit? Nam, quia omnes polluti ſumus, & velut canes, & equi, ad carnis laſciuiam currimus, ideo a Deo in noſtris precibus non audimur. E Vnde dicitur: Cum multiplicaueritis preces, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Legitur enim: Et omnis caro corruperat viam ſuã. Non tanta fuit olim infectio in paganis, quanta hodie eſt in hominibus Chriſtianis. Ideo narrant Romanæ hiſtoriæ, quòd non ſolum Romani deteſtabantur actum ipſum nefandiſſimum, ſed omnem vanum aſpectum, & ſuſpectum colloquium. Nam quidam, nomine Quintus Antiſtius, repudiauit vxorem, eo quòd cum quadam ſuſpecta femina eam viderat loquentem. Et Sempronius vxorem F dimiſit, eo quòd ipſo ignorante, homines ludentes aſpexit. Nec erat apud Romanos hoc reprehenſibile, ſed valde laudabile. Ergo, ſi talia faciebant propter ſolum aſpectum, & colloquium, cogita quid feciſſent, ſi actum vidiſſent.

*Ordo. 1. — Ioan. 12. d — Iſa. 42. a — Matt. 18. c — Ioan. 8. a — Luc. 15. e — Ioan. 12. d — Pſal. 100. b — Iſa. 1. b — Gen. 6. b — Exemplum. — Val. Max. lib. 6. c. 3. — Val. Max. ibidem.*

Secundo debet miniſter bene ordinari ad Deum. Ordinatur autem per duo, Primo per intelligentiam in agendis. Secundo vero per patientiam in periculis tolerandis. Dico quòd primo ordinatur miniſter Chriſti per intelligentiam in agendis. Multum enim diligunt Reges, & Principes, miniſtros bene vota ſua intelligentes, & pro poſſe effectui mandantes. Vnde ſcribitur: Acceptus eſt regi mi- A niſter intelligens. Stulti miniſtri, etiam ſi ferant aurum, non placent. Nec mirum: nam ſola intelligentia excellimus bruta. Nam, cum a leporibus, tigribus, & canibus ſuperemur in velocitate, ab elephantibus in malignitate, a ceruis in robore, ab aquilis & lyncis in viſu, a lupis in auditu, a vulturibus in olfactu, & ab araneis in tactu, ſola intelligẽtia ſuperamus cetera animalia. Et ideo homines ſoli propter intelligentiam Deo ſunt accepti, & ad beatitudinem electi. Secundum vero, quod ordinat ad Chriſtum, ſiue ad Deum, miniſtrum, eſt tolerantia, ſiue patientia in periculis tolerandis. Ille enim miniſter dignus amari non eſt, qui propter Dominũ portare mala non po- B teſt. Vnde dicebat Apoſtolus: In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patiẽtia, vt nõ vituperetur miniſterium noſtrũ. Ergo, ſecundum hoc Apoſtoli dictum, illud vituperandum eſt miniſterium, quod non vult pati aliquid propter Chriſtum. Sunt enim multi, qui tantum Deo ſeruiunt in proſperis: ſed numquam ad Deum clamant, niſi cum ſe ſentiunt in aduerſis. Sunt enim ſimiles ferro, quod cum ſit ſemper nigrum, & rubiginoſum, in ſolo igne fit pulchrum, vel arena aſpera fortiter confricatum. Plumbum, colore eſt liuidum, C ſed fit pulchrum igni aduſtum. Sic & multi non ad Deum redeunt, nec pœnitentiam agunt, niſi a tribulatione cogantur. Eſt ergo tribulatio non ſolum patienter ferenda, ſed deſideranda, cum ſit nobis ad Deum redeundi via.

*Ordo. 2. — Prou. 14. c — Exempla. — 2. Cor. 6. a — Exemplũ. — Exemplũ.*

Tertio oportet Dei miniſtrum bene ordinari ad proximum. Sunt autem duo, per quæ ordinatur ad proximum. Primum eſt beneuolentia voluntatis, vt ex propoſito nullum lædat. Secundum eſt beneficium charitatis, vt omnibus pro poſſe ſubueniat. Dico quòd primum eſt beneuolentia voluntatis, vt neminem lædat, nulli iniuriam faciat, nulli maledi- D cat, ſed econuerſo benedicat, & ſeruiat. Vnde Paulus: Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum. In beneuolentia ſerui cognoſcitur beneuolentia domini: & malignitas miniſtri ſæpe redundat in dedecus miniſterij. Nam ſerui refugiunt malum miniſterium, ſicut ſcholares malum Magiſtrum, & clerici malum Præpoſitum, ſiue malignum. Dicitur enim in fabulis, quòd dum leo rex aliquando animalia ad conſilium conuocaſſet, vltimo omnium vulpes aduenit: Cumq. foris ſtaret, nec intus intraret, & leo, vt ingrederetur ediceret, illa ait: Obſtupeſco tuam crudelitatem, E quam video: quia, cum veſtigia omnium animalium conſiderem, nullum video foras exiſſe. vnde timeo te omnia occidiſſe: quare non auſa ſum introire. Sic & malignum dominum fugit exercitus famulorum. Secundum eſt beneuolentia charitatis, vt omnibus pro poſſe ſubueniat: officium enim eſt boni patris, filijs neceſſaria exhibere. Ideo Deus dat quibuſdam diuitias, vt pauperibus ſubueniant, & ſibi vitam æternam acquirant. Vnde dicitur talibus: Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores. Boni diſpenſatores dicuntur qui a Deo ac- F cipiunt, & indigentibus libenter diſtribuunt. Vnde dicitur ꝙ nemo erat indigens inter Apoſtolos, ſed ſicut erat cor vnum, & anima vna, ſic & illis erant omnia communia. Si enim aquila, auium regina, numquam comedit prædam ſuam, quin alijs auibus dimittat ex ea, & hoc dictante natura: quid deberet facere humana natura, ad hoc a ſuo Rege edocta? Numquam ſine eleemoſyna deberet eſſe humanum prandium, vel cœna. Require de hoc exemplum Nicolai, quod ſcriptum eſt in Legenda Ioannis eleemoſynarij, & multa alia de hoc exempla ſunt ibi.

*Ordo. 3. — 2. Cor. 6. a — Æſopus in fabulis lib. 2. fab. 43. & Horat. lib. 1. epiſtolarum, epiſtola 1. poſt med. — 1. Pet. 4. b — Act. 4. f — Exemplũ. — Lipom. 23. Ian. to. 1.*

DE SS.



# DE SS. PHILIPPO, ET IACOBO APOSTOLIS

## SERMO I.

*Pſal. 138. b*

NIMIS *honorati ſunt amici tui Deus*. Dignum eſt, & rationi conſonum, vt, qui toto poſſe Dominum honorauerint, & pro eius honore ſe occidi permiſerint, operante Deo, ab omnibus honorentur. Fit ergo, Deo B efficiente, vt maior honor impendatur ab homine piſcatori, quàm alicui ſummo regi: maior Iacobo, quàm illi famoſiſſimo Alexandro: maior Philippo, quàm Cyro, & Dario. Et propterea bene de eis dicitur: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*. In verbo ergo præmiſſo deſcribuntur Apoſtoli maxime a duobus. Primo, ab excellentia ſanctitatis, qua fulſerunt in via. Secundo, ab altitudine poteſtatis, qua præſunt in Patria. Ille enim perfectus dicitur eſſe, qui in via diuinis meritis adornatur, & in patria regio diademate coronatur. Primo ergo notatur excellentia meriti, C qua fulſerunt in mundo, cum dicitur: *Amici tui Deus*. Secundo notatur ſublimitas præmij, quo regnant in cælo, cum ſubditur: *Nimis honorati ſunt*. Nam & ſi ſancti Apoſtoli fuerunt honorati in ſua conuerſione propter Regis vocantis amorem, & iterum in ſua conuerſatione, propter Regis familiaritatem, & iterum in ſua paſſione propter Regis ſocietatem: nimis tamen dicuntur honorati propter aſſecutam æternitatem, & quam acceperunt immortalitatem, & perpetuam poteſtatem. Sed nunc ad eorum meritum adeamus, & eos, quantum poſſumus, imitari ſtudeamus, vt aliquando ad Regem perueni- D re poſſimus. Nam dicit Auguſtinus: Qui ſanctos Martyres, inquantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinẽ non poterit peruenire. Eſt ergo notandum, quòd Dei amicitiam ſancti Apoſtoli multis modis acquiſierunt, quibus & nos, præſtante Deo, eam acquirere poſſumus, ſi ocio non vacemus. Diuina igitur amicitia acquiritur per puritatem innocentiæ, per afflictionem veræ pœnitentiæ, per amorem obedientiæ, per donum patientiæ, per donum munificentiæ, ſiue miſericordiæ.

*Aug. ſerm. 47. de Sanctis in principio, qui eſt 3. de plur. mart. to. 10.*

Dico quòd diuina amicitia primo acquiritur per munditiam vitæ: ſic enim ſcribitur: Qui dili- E git cordis munditiam, habebit amicum Regem. Optime dicit cordis munditiam: quia cordi mundo omnia ſunt munda. Numquam aqua riuuli erit munda, ſi fuerit in fonte immundo: numquam viriditas eſſe poterit in arbore, ſi defecerit in radice. Et ſicut naſcitur riuus ex fonte, ſic omnis in corpore noſtro motus cauſatur ex corde. Ergo, ſi cor fuerit immundum, erit viſus immundus, auditus immundus, olfactus immundus, guſtus immundus, & tactus. Et econtra, ſi fuerit in corde munditia, omnia per conſequens erunt munda. Quia ſancti Apoſtoli habuerunt corda munda, ideo & caro ex- F terius fuit munda. Audiuerant enim a Domino: Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis: Nam & de ſancto Iacobo dicitur quòd fuerit † Sanctus ex vtero matris ſuæ. Sed quis poteſt hodie gloriari, [a] mundum ſe habere cor? Quis hodie mundus a ſordibus? Immunda ſunt hodie corda, immunda ſunt verba, immunda ſunt opera. Quomodo poſſet vita hominum eſſe munda, vel vitare luxuriam, cum ſic regnet in eis gula? Dicit enim Hieronymus de virginitate ſeruanda: Libido eſt iuncta luxuriæ, prius enim venter extenditur, & ſic cetera membra concitantur. Venter cum inordinate reficitur, genitalia ad lu- A xuriam prouocantur. Et addit: Sicut ignis ex oleo creſcit & lignis, ſic libido ex cibis. Ob hanc enim cauſam antiquitus Romanæ matronæ, vt poſſent eſſe caſtæ, in nullo indulgebant gulæ. Sed a vino, in quo eſt luxuria, penitus abſtinebant. Vnde magnus quidam Romanus vxorem occidit, quia eam vinum bibere vidit, exiſtimans, quòd mulier, quæ ſobrietatem abijcit, & vinum immoderate bibit, virtutibus omnibus ianuam claudit, & eam vitijs aperit.

*Prou. 22. b — Exemplum — Ioan. 15. a — † Hæc vide in Vitis Lipom. die 1. Maij to. 3. ex Hegeſippi lib. 5. — [a] Pro. 20. b — Hieron. in epiſt. 22. ad Euſtochiũ, poſt initiũ to. 1. — Eph. 5. d — Metellus apud Val. Max. lib. 6. cap. 3.*

Secundo acquiritur diuina amicitia per afflictionem veræ pœnitentiæ, vt, qui inimicus Dei erat B per culpam, fiat amicus, & filius per pœnitentiam, ſi ſit vera: ſi per amaritudinem cordis, ſi per confeſſionẽ oris, & per ſatisfactionẽ operis. Ad hęc enim tria ſtudeamus in prudentia ſerpẽtina: de qua Dominus dicit Apoſtolis: Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes. Nam ſerpens, cum ſe veneno ſentit eſſe grauatum, quandam herbam amaram comedit, cuius virtute venenum vomit, quod ſibi erat cauſa infirmitatis: quo facto pluribus diebus ieiunat, & ſic cutem a carne relaxat, poſtea in aqua ſe balneat: ſicq. per arctum foramen lapidis intrat, & ibi veterem pellem expoliat, vt nouam induat, & ſic to- C tum ſe renouat. Sic & homo, volens ex veteri fieri nouus homo, oportet, quòd cum ſerpente ſe primo lauet, id eſt pro peccato lacrymas compunctionis effundat, & ſic herbam amaram comedat: id eſt pro peccato amaros planctus edat: poſtea debet venenum euomere; id eſt peccata omnia confitendo narrare: quo facto, per arctum foramen ſatiſfactionis debet tranſire: & ſic veterem culpam deponere, gratiam diuinam induere, & perditam amicitiam reparare. Nam per pœnitentiam reparatur homo ad diuinam amicitiam, quæ fuerat amiſſa per culpam. Vnde de hac poteſt exponi illud: D Ad amicum ſi produxeris gladium, non deſperes: eſt enim reuerſio ad amicum. Quis amicus, vt Deus, a quo accipimus omne quod ſumus, omne quod ſcimus, omne quod habemus, ſiue in bonis naturæ, ſiue in bonis fortunæ, ſiue in bonis gratiæ? Sed ad eum gladium producimus, cum peccamus: ſed non eſt deſperandum, quia, dum vere pœnitemus, in priſtinam amicitiam reparamur, immo aliquando in maiorem. Exemplum de Dauid, Petro, & Magdalena. Vnde Dominus dicit: Mihi alienigenæ amici facti ſunt, ideſt, qui per peccatum erant extranei, per pœnitentiam in amicitiam E ſunt reparati. De pœnitentia, & aſperitate vide Legendam ſancti Iacobi, quantæ abſtinentiæ, quantæ orationis, quantæq. fuerit ſanctitatis. Nam propter eius iniquam mortem dicit Ioſephus, Ieruſalem fuiſſe a Tito ſubuerſam.

*Mat. 10. b — Exemplum — Quomodo ſerpens exuat ſeneētutem, vide apud Ariſtot. de hiſtor. animal. lib. 8. c. 17. par. 5. — Eccls. 22. c Editio Latina aliter habet. — Pſal. 107. b — Lipom. 1. Maij. to. 3.*

Tertio acquiritur diuina amicitia, per amorem obedientiæ: multum enim Principes, ſiue Reges amant ſeruos bene obedientes, & eos ſibi faciunt valde familiares: vt iam non dicantur ſerui, ſed maxime amici, dum fiunt regis conſiliarij. Vnde Dominus dicit Apoſtolis: Iam non dicam vos ſeruos: quia ſeruus neſcit, quid facit dominus eius: F vos autem dixi amicos: quia omnia, quæ audiui a Patre meo, nota feci vobis. Sed cuius merito? certe obedientiæ, quia me vocantem ſecuti eſtis, quia præcepta mea ſeruaſtis, & quia pro me omnia reliquiſtis. Vnde Dominus dicit de eis: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis. Propterea, qui obedire nolunt, grauiſſime puniendi ſunt. Exemplum de Saule rege, qui, quia obedire renuit, deiectus a Regno fuit. Lege hiſtoriam. Adeo enim inobedientia eſt graue peccatum, vt propter eam eiecerit Dominus hominem primum de paradiſo, cum omni poſteritate ſua morti adiudicatum. Nec mirum, quia antiqui Principes Romani filios proprios bellantes contra obedientiam occiderunt,

*Ioan. 15. c — Ibidem. b. — Exemplum — 1. Reg. 15. c — Gen. 3. d*

reputantes

reputantes grauiſſimum eſſe, valdeq. periculoſum, non obtemperare maioribus. Nam † Torquatus, dictator nobiliſſimus, filium ſuum Manlium, quem ad prorogandam ſucceſſionem genuerat, quem in ſinu ſuo nutriuerat, quem litteris imbuerat, quem armis inſtruxerat, deinde ipſius amatorem, patriæ defenſorem, qui non ſuo iuſſu, ſed ſponte a campum progreſſus, hoſtes fugauerat, victorem redeuntem occidi mandauit. Ergo, ſi ſic inobedientia hominis eſt punita a patre in filio, quanta pœna eſt punienda inobedientia contra Deum? Ob quam cauſam hi duo Apoſtoli non ſolum obſeruauerunt diuina præcepta, ſed ipſa conſilia non pro morte eius inflicta, ſicut narrat vtriuſque Legenda, receſſerunt ab eorum obſeruantia.

*Exemplum*

*† Valerius Max. lib. 2. ca. 7. exẽpl. 6. ponit Poſthumiũ dictatorẽ, qui Auliũ Porthumiũ filium ſuum ſecuri feriri iuſſit quamuis paulo poſt de Torquato etiã mẽtionem faciat; ſed Bonauentura de Poſthumio loquitur, cũ eadem Valerij verba dicat. Hoc idem ait Liuius li. 4 & Gellius lib. 12. ca. vlt. Sed Diod. Sic. id non credit.*

Quarto acquiritur diuina amicitia per donum patientiæ. Hæc virtus, quæ dicitur patientia, ſiue malorum tolerantia, eſt amicitiæ (ſi vera ſit) probatiua: non enim dicendus eſt amicus, ſed ſimulator potius, qui aſſiſtit in proſperis, & fugit in aduerſis. [a] Simulator ore, decipit amicum ſuum: nã illa magna, quæ ore promittit, non ſeruat, vt dixerat, in aduerſis. Propter quod viri ſapientia pleni, numquam facile amicum eſſe credunt, quem in aduerſis nõ probauerũt. [b] Si poſſides (inquit Eccl.) amicum, in tentatione poſſide illum, & ne facile credas ei. Stultus eſt, qui emit equum in nullo probatum: ergo & fatuus, qui illum credit amicũ, cuius numquam habuit experimentum. Nam & Philippus, Rex Macedonum, * valde arguit litteris filium ſuum Alexandrum, quòd illos ſibi amicos credebat eſſe, quos pecunia & donis ſibi familiares effecerat. Hieronymus: Vera amicitia non temporalibus communionibus eſt penſanda, ſed amore gratuito impendenda. Nemo, *inquit*, poteſt eſſe amicus hominis, niſi prius fuerit amicus veritatis. Hæc igitur ſcientes hi Sancti Apoſtoli, in omnibus periculis, morteq. probati, amiciſſimi ſunt inuenti. Lege eorum vitas, & prædica. Sciebant enim ſcriptum: Abraham pater noſter tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus eſt. Non timet probus miles equum amittere in bello, dum ſcit ſibi reddendum a rege. Sed conſtat, quòd qui corpus ſuum hoc terreum, & obſcurum, graue, & groſſum, tradiderit propter Chriſtum, recipit illud impaſſibile, & clariſſimum. Ergo illud morti exponere, non eſt vllo modo timendum. Vnde Dominus dicit: Amici mei, nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.

*a Pro. 11. b.*
*b Eccl. 6. a*
** Val. Max. lib. 7. ca. 2. in extern.*
*Iudith. 8. e.*
*Luc. 12. b.*

Quinto acquiritur diuina amicitia per donum miſericordiæ. Miſericordia enim, ſiue pietas ad pauperes, miro modo diuinam iracundiam placat, indulgentiam aduocat, & omnia peccata relaxat. Vnde: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Quid eſt enim miſericordia, niſi quidam diuinus ignis, qui omnium peccatorum rubiginem a duritia noſtri cordis abſtergit? Quid eſt enim cor durum, niſi quoddam ferrum frigidum igne miſericordiæ non mollitum? Ergo, dum miſericordiam induimus, dum miſeris vere compatimur, & pro poſſe eorum neceſſitatibus ſubuenimus, ignem in nobis incendimus, quo rubiginem omnium peccatorum abſtergimus. Ad hanc miſericordiam monebat Dominus, cum dixit: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Et eſt ſenſus: Pauperum eſt Regnum cælorum. Ergo vos, cum diuitias habeatis, nihil de veſtro in Regno Cælorum habetis. Ergo, ſi illud habere vultis, neceſſario vobis incumbit, vt a pauperibus illud ematis. Ergo de mammona iniquitatis, id eſt de diuitijs inæqualiter poſſeſſis a vobis, amicos pauperes faciatis vobis. Nam iſti, qui ad curias regis vadunt, quia per ſe accedere ad regem non poſſunt, ad ſeruos regis accedunt, portarijs aurum tradunt, regis familiaribus ſua ferunt, quorum auxilio, & fauore, ad regis præſentiam accedere poſſint. Non ergo vos, fratres, pigeat dare temporale bonum, vt poſſitis accipere ſummum bonum. Nullus eſt enim mercator in mundo, qui non libenter daret pro auro plumbum, pro argento ſtannum, pro marca argenti denarium, pro tritico hordeum, & pro Regno, domum, & c. Iſta enim omnia temporalia bona æternis bonis comparata, ſunt viliſſima ſtercora. Si conſideremus, fratres chariſſimi, quæ, & quanta ſunt, quæ nobis promittuntur in cælis, vileſcunt animo omnia, quæ habentur in terris. Ergo non timeamus dare terrena, vt accipiamus æterna: quia, ſecundum ſententiam Domini, In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Qui enim parce ſeminat, parce & metet. Iuxta enim menſuram ſeminis, menſura futura eſt meſſionis: non perditur quod ſeminatur, immo ad magnas vſuras terræ committitur. Plus illi vſurarij lucrantur, & maiores pecunias cumulant, qui multa, quàm qui pauca mutuant. Eleemoſynas dare, non eſt datum perdere, ſed ad vſuras maximas dare. Non tantum redduntur, ſed vno denario Regnum datur, non terrenum, ſed cęliferum: non paruum, ſed magnum non periturum, ſed perpetuo poſſidendum. Ob quam cauſam iſti ſancti Apoſtoli, relictis omnibus, datiſq. pauperibus, pauperem Dominum pauperes ſunt ſecuti. Rogemus ergo, &c.

*Eccl. 3. d.*
*Luc. 16. c.*
*Luc. 6. c.*
*Mammon iniquitatis quid.*
*Greg. hom. 37. in Euã gel. in prin.*
*Matt. 7. a.*
*2. Cor. 9. b.*
*Prou. 12. e.*
*Luc. 5. c.*

## SERMO II. DE EODEM MVLTA.

Venite, filij, audite me. Licet enim in ſanctis Euangelijs multa nõ legantur (quia innumerabilia fecit Dominus, & dixit, quæ nemo Euangeliſtarum ſcripſit, ſicut habetur in fine Ioannis) nulli tamen dubium eſſe debet, quòd, ſicut Dominus, Petrum, & Andream, Iacobum, Ioannem, ſimiliter Matthęum vocauit, & ad ſe ſequendum inuitauit, ſic & Apoſtolos ceteros euocauit. Nam de Philippo expreſſe habetur quòd dixit ei: Sequere me: Quia igitur ita eſt, bene, & congrue de horum Apoſtolorum vocatione dicit Dominus per Prophetam: *Venite, filij, audite me*, id eſt, venite poſt me: quem audite, vt Pontificem ſummum, vt Dominum, & Magiſtrum. In quibus verbis Dominus tria facit. Primo enim oſtendit ſuam beneuolentiam, vt facilius retraherentur. Secundo inuitat ad veniam, vt a culpis præteritis purgarentur. Tertio mandat obedientiam, qua in gratia complerentur. Optime coniunguntur hæc tria, quia ad ſequendum, beneuolentia allicit, venia diſponit, ſed obedientia perficit. Notatur igitur primo Domini beneuolentia, cum dicitur, *Filij*: nihil enim eſt in amoribus maius amore filiorum. Secundo notatur vocatio ad veniam, ſiue receſſum a culpa, & a vita præterita, cum addit, *Venite.* Quid eſt enim venire, niſi a præteritis ſurgere, & ad Chriſtum accedere? Tertio vero notatur inuitatio ad obedientiam, cum ſcribitur: *Audite me.* Verus enim obediens, attente audit præcipientem: immo relinquit voluntatem propriam, ſe totum tradens alterius volũtati: Dicat ergo Dominus Apoſtolis ſuis: *Venite, filij, audite me.* Eſt ergo notandum, quòd cum ſuis Apoſtolis debemus venire ad diuinam reuerentiam, Eccleſias viſitando: ad diuini iugi ſupportationem, præcepta ſeruando: ad malorum omnium tolerantiam, Chriſtum ſequendo: ad paupertatis eminentiam, temporalia contemnendo: ad præmij excellentiam, ad Patriam aſpirando.

*Pſal. 33. c.*
*Ioan. 1. f.*

Dico, quòd primo venire debemus ad diuinam reuerentiam eccleſias frequentando. Vnde dicitur quòd Petrus, & Ioannes aſcẽderunt in templum, ad horam orationis nonam. Et credendum eſt, quòd ſicut in illa, ſic & ad omnes alias horas, aſcendebant in templum. Nam & hoc de Sancto Iacobo dicitur, quòd propter excellentiam ſuæ ſanctitatis, cum diceretur ab omnibus iuſtus, eſſetq. Saluatori ſimillimus, propter quod & frater Domini fuit dictus, de conſenſu Apoſtolorum omnium, poſt mortẽ Domini Hieroſolymis factus eſt Epiſcopus: & quòd ei ſoli ex omnibus Apoſtolis concedebatur, vt Sanctaſanctorum ingrederetur: & quòd, genua figens in templo, pro populo orabat, vt eius genua indurarẽtur ſuper duritiam camelorum. Nos ergo ad hanc diuinam reuerentiam, & orationem deuotã inuitamur: Venite adoremus, & procidamus ante Deũ, ploremus coram Domino, qui fecit nos: quia ipſe eſt Dominus Deus noſter. Si enim ipſe eſt Dominus, qui creauit; ſi ipſe eſt Dominus, qui redemit; ſi ipſe eſt Dominus, qui gubernat, & regit; ſi autẽ nos populus eius; ſi oues paſcuæ eius; ergo venite corpore: adoremus mente: procidamus ante eum corpore, & mente, & ploremus coram eo, ex peccatorum recordatione, ex bonorum omiſſione, ex præceptorum eius tranſgreſſione; & ex omnium virium interiorum corruptione. O magnam verecundiam populis Chriſtianis, quòd, cum pagani ſic viſitarent, & ſic honorarent, ſic denique offerrent in templis ſuorum deorum, & dęmonum peſſimorũ, ipſi Eccleſias fugiunt, ad eas ire contemnunt, decimas, & dona non offerunt, ſed potius, ſi poſſunt, eis auferunt, & diuitias poſſident. Milites enim noſtri temporis, verecundantur ad Eccleſias ire, &, ſi caſualiter vadant, verecundantur Dominum adorare. O ſumma ſtultitia, quòd tam lęta facie genuflectitis terreno regi, a quo nihil penitus habetis, ſiue poſſidetis: & illum verecundamini adorare, a quo habetis omne, quod eſtis, omne quod ſcitis, & a quo res omnes poſſidetis. Sed ego pro Chriſto ſecure ſpondeo vobis, quòd, ſicut vos eum nunc erubeſcitis, & adorare contemnitis, ſic ipſe in morte veſtra, cum ante ipſum veneritis, dicet vobis: Neſcio vos. Qui (inquit) me erubuerit, & ſermones meos coram hominibus, & ego erubeſcam eum coram Patre meo.

*Act. 3. a.*
*Pſal. 94. b.*
*Exemplum*
*Luc. 10. d.*

Secundo, venire debemus ad Diuini iugi ſupportationem, Chriſto obediendo. Hoc iugum leue aſſumpſerunt Sancti Apoſtoli, quando, vocante Domino, ſunt eũ ſecuti. Audierant enim ipſum dicentem: Tollite iugum meum, ſuper vos. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Ad hoc igitur iugum ab omnibus aſſumendum inuitat Dominus: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, dulcedine ſcilicet ſpirituali. Non credunt modo miſeri peccatores laborare, cum tamen omnis eorum vita ſit amariſſima, pœna, & cura, ſiue febris, &c. Quis non videat, quantum laborant luxurioſi? quantum auari? quantum ſuperbi? quantum inuidi, niſi ſint penitus cęci? * Non ſentit freneticus duriſſimam febrem, quam tolerat, immo ſępius alte cantat, ignorans, quòd mors ſibi inſtat. Non ſentit † Epilepticus, dum cadit in ignem: & tamen grauiſſima eſt illa infirmitas, quæ in carne ſic animam alienat, vt ignis ardores non ſentiat. Grauiſſimi ergo infirmi ſunt peccatores, qui, cum in labore viuant, ſic abſtracti ſunt, vt eos non ſentiant. Sed veniet dies illa, vltima pœna veniet, quæ, velint nolint, aperiet oculos modo clauſos, & excitabit ſenſus modo mortuos, ſiue paralyticos. Membrum enim paralyticum modo non ſentit, cum ſenſus ad ipſum tranſire non poſſit: ſed, cum infernalis illa pœna viam ſeruabit, velit nolit, tunc ſenſus ad membrum redibit, & tunc male vixiſſe plorabit. Vnde damnati dicturi ſunt illud: Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus per vias difficiles. Viam autem Domini ignorauimus, ideſt ſcire noluimus, vel, ſi ſciuimus, de ea non curauimus. Ergo ante illam tremẽdam horam aſſumamus cum Apoſtolis iugum Domini ſuaue, onus leue, quod non grauat, ſed alleuiat: non deprimit, ſed reficit: non ad infernum mergit, ſed in cęleſtem patriam ſurſum vehit. Videtur ſtultis, quòd pennæ multæ, ſint in grauamen auibus: cum tamen ſint in maximum volatus auxilium, ſine quibus, nec a terra ſurgere poſſunt, nec in aera ſe attollere. Et eſt notabile, quòd, quanto plus de pennarum onere habent, tanto volare melius habent, ſiue valent: ſic eſt de onere Domini, quia, qui plus de eo arripit ad portandum, faciliorem ſe reddit.

*Mat. 11. d*
** Ariſto. in problematibus ſect. 11 quæſtio. 22. par. 7.*
*Exemplum*
*† Epilepticus eſt: epilepſia laborans. Epilepſia autem morbus eſt caducus, quem vulgus appellat lunaticũ. Hic morbus dicitur etiam comitialis, dicitur ſacer, maior: Ab Ariſt. Herculeus s a Plat. & Apul. diuinus.*
*Sap. 5. b.*
*Exemplum*

Tertio, venire debemus ad malorum omnium tolerantiam, Chriſtum ſequendo. Chriſto enim in carne paſſo (ſicut dicit Apoſtolus) & vos eadẽ cogitatione armamini. Vnde hi Sancti Apoſtoli libenter, ſiue patienter omnia pericula portauerunt, ita, quòd nec mori pro Domino timuerunt, ſicut ex eorum patet Legenda. Sciebant enim Dominum docuiſſe: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me. Ille enim vere abnegat ſemetipſum, qui ſe in mortem pro Chriſto tradere non formidat, & omnia mala mundi pro eius amore patienter tolerat. Sunt enim iuſti ſimiles ligno Sethim, quod in igne ſi ponatur, nullo incendio conſumitur. Pellis † Salamandræ, quamtumcumque vetuſta, ſi in igne fuerit põſita, non ſolum non comburitur, ſed in melius renouatur. Adamas (vt refertur) tantæ fortitudinis eſt, vt non ſolum in igne non ardeat, ſed nec aliquo modo caleſiat. Viri ergo iuſti, ad modum auri poſſunt liquefieri, ſed non in pondere, & in valore minui, nec corrumpi: immo aurum fit pulchrius, & ſplendidius, dum ab igne inflammatur. Vere patientiã ſimilis eſt cuidam gẽmæ; a qua ſi veſtis cocta fuerit in igne poſita, non ardebit: quia nihil eſt, quod nocere poſſit homini patienti: quia ad modum incudis, quanto fortius mallijs intunditur, tanto amplius inſolidatur. Sed quis hodie talis? Hodie ſumus ſimiles folijs, quæ quocunque vento agitantur, ſecundum illius impulſum mouentur: non eſt, qui ſuſtineat facta, non verba, immo nec ſigna: ſed ſunt ad modum marinæ ſpumæ, quæ nunc ſubito generatur, nunc ſubito corrumpitur.

*1. Pet. 4. a.*
*Mat. 16. d*
*† Ariſt. de hiſtor. animaliũ. li. 5. cap. 19. parte 5.*
*Plinius libro 10. cap. 67.*
*Idem Plinius lib. 37 cap. 4. hiſtoria.*
*Auguſt. de Ciuita. Dei lib. 21. c. 4. de Salamãdra, & de adamante idẽ refert.*

Quarto, venire debemus ad paupertatis eminentiam, propter Chriſtum omnia relinquendo. Hoc enim iſti Sancti fecerunt Apoſtoli: qui a Chriſto vocati, omnia reliquerunt. Turpe eſt, & cõtra rationem, vt diues miles ibi ſit ſeruus, & rex ibi ſit pauper. Vnde dictum eſt iuueni illi diuiti: Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis: & veni, & ſequere me. Non poſſumus ſimul eſſe diuites in cælo, & in terra: ſed neceſſe eſt omnino, quòd qui hic diues eſt, ibi ſit miſer, & pauper. Hieronymus: Impoſſibile, *inquit*, eſt, vt aliquis a diuitijs, ad diuitias tranſeat, & in cælo & in terra appareat glorioſus. Vnde Anaxagoras philoſophus, cum ad ſtudium vadens, ſua omnia reliquiſſet, cum poſt multa tempora patriam repetijſſet, & omnes poſſeſſiones ſuas deſertas & incultas cerneret, ait ad circunſtantes: Non ſaluus eſſe potuiſſem, niſi iſtæ perijſſent.

*Exemplum*
*Mat. 19. c.*
*Hiero. to. 7. in Pſal. 83.*
*Vale. Max. lib. 8. ca. 7. in externis.*
*Laertius etiam in vita ipſius Anaxagora Clazomenij in initio quãuis paulo aliter.*

Quinto, venire debemus ad præmij excellentiã, ad Patriam anhelando. Ad hanc enim inuitabimur a Domino in die iudicij, quando facta erit omnium reſurrectio, omnium ad iudicium congregatio, omniũ meritorũ diſcuſſio eo modo, quo dicitur in Matthęo: Tũc enim dicet Dominus his, qui a dextris eius erũt: Venite benedicti Patris mei, &c. O vox dulciſſima, vox

*Mat. 25. c*

vox amantiſſima, vox deſideranda, vox omnibus laudibus prædicanda, vox propriæ lętitiæ cauſatiua. Venite, *inquit*, ab omni malo de cetero recedendo. Venite, omne bonum accipiendo. Venite, mortem, & omnia pericula fugiendo: & venite, vitam ſempiternam in munus accipiendo. Benedicti Patris mei, ideſt benedicti a Patre meo: non benedictione temporali, non benedictione tantum ſpirituali, ſed (quod eſt maximum) æternali. Venite, *inquit*, & percipite regnum, non vanum, ſed verum: non vacuum, ſed plenum: non confractum, ſed firmum, & ſolidum: non hoſtibus patens, ſed pacificum, & quietum: non momentaneum, ſed æternum: non in aliquo diminutum, ſed vſquequaque perfectum, ita, vt ei nullum fieri poſſit additamentum. Quis enim, etiam ſi adeſſet lingua Demoſthenis, ſapientia Salomonis, & fluuius eloquentiæ Tullianæ, poſſet vel ad medium enarrare, quantum Sancti gaudio exultabunt? Si ſic gaudet canis, dum leporem inuenit: ſi ſic falco, dum volucrem arripit, quem inuadit: ſi ſic gaudet homo, dum magnum theſaurum acquirit, vel aliquem dignitatem aſcendit: ſi ſic gaudet anima, cum de Deo aliquid ſentit: pro quo & lacrymas dulces effundit, quid gaudij ibi erit, vbi, Domine, inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & de torrente voluptatis tuæ potabis eos? Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Sic væ illis, væ & iterum væ, qui econuerſo audire merebuntur a Chriſto: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo, & angelis eius. O quæ vox, & quæ lingua dolorem ſummum exprimet damnandorum, clamores flentium, & flumina lacrymarum, dum ſeparabuntur a beatiſſima Trinitate, & ſummi boni dulciſſima viſione, & prædulciſſima deguſtatione, a tanta Angelorum, & Sanctorum dulciſſima ſocietate, & a bonorum omnium vbertate, & tradentur diabolo, hoſti crudeliſſimo, igni acerbiſſimo, & æterno, & breuiter omni malo, nullis vnquam ſęculis finiendo? Sic, fratres, dum tempus habemus, veniamus ad pœnitentiam: veniamus ad malorum præſentium tolerantiam, vt fugiamus illa futura mala, & apprehendamus cum ſanctis Apoſtolis illa præmia ſempiterna, ipſo donante, qui cum Patre, & Spiritu ſancto, viuit, & regnat Deus per infinita ſęcula ſęculorum Amen.

*Exemplum*

*1. Cor. 2. b. Iſa. 64. a.*

# DE INVENTIONE

## SANCTÆ CRVCIS

### SERMO I.

*Prou. 3. c.*

*Ignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam.* Vita eſt actus nobiliſſimus, actus continuus, nũquam interpolatus, a Deo viuentibus datus; adeo a cunctis deſideratus, vt pro vita ſeruanda, ſollicita ſint cæleſtia, ſollicita ſint terrena, ſollicita ſint vegetabilia, ſollicita ſint rationabilia, quaſi (breuiter) omnis natura. Quare? quia viuere, eſt viuentis eſſe, Philoſopho teſtante. Vnde, vita corrupta, pariter omnis viuentium corrumpitur natura, & hoc eſt non ſolum naturaliter, ſed, quod magis eſt, etiam ſpiritualiter. Vnde anima, vita gratiæ ſpoliata, dicitur mortua: ergo, ſi viuere cupimus, crucem Domini amplectemur: quia *lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam.* In his enim paucis verbis maxime duo notantur. Nam primo Dominica crux ab effectu, ſiue fructu deſcribitur, quando dicitur: *Lignum vitæ*. Secundo, quibus hic fructus proſit, oſtenditur, dum infertur, *Eſt his, qui apprehenderint eam*. Quamuis enim virtus Crucis (quæ non eſt alia, quàm illius virtus, qui fuit in Cruce ſuſpenſus, & paſſus) ſit omnibus hominibus in ſalutem, propter ſuam ſufficientiam, non tamen habet efficaciam, niſi in volentibus apprehendere eam. Quãuis enim virtus ſolis, omnes homines illuſtrare ſufficiat, non tamen oculos clauſos illuminat, non oculos infirmos lętificat, nec in domum eius, qui illam ei non aperit, radios ſuæ lucis immittit. Bene ergo dicitur: *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam*. Numquam medicinam, quantumcumque perfecta ſit, illi in aliquo proficit, qui eam non amat, ſed potius deteſtatur, & odit. Eſt igitur notandum, quòd, ſicut communiter ſolet dici, triplex eſt vita; Prima eſt naturalis: Secunda eſt ſpiritualis: Tertia eſt æternalis. Et ſecundum hoc, eſt triplex lignum vitæ: cuius efficacia conſeruatur vita. Primum lignum vitæ fuit plantatum in medio paradiſi terreſtris. Secundum lignum fuit plantatum in medio mundi cæleſtis. Tertiũ lignum vitæ fuit & eſt plantatum in medio paradiſi ſupercæleſtis. Item ex defectu huius triplicis ligni vitæ, dum triplex vita perditur, mors triplex inducitur. Primo, mors naturæ: Secundo, mors culpæ: Tertio vero mors gehennæ.

*Ariſto. li. 2. de anima contex. 16. & libro 7. c. 15. Moralium Eudemiorum, & lib. 9. ca. 9. moralium Nicomachiorum: par. 3.*

*Exemplum*

Dicamus ergo, incipientes a primis, quòd prima vita, eſt vita, quæ dicitur naturalis, quæ non eſt aliud, quàm anima, quæ eſt vita corporis: & de hac dicitur, quòd fecit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ: & factus eſt homo in animam viuentem. Dei enim inſpirare fuit, animam creare, & corpori infundere, vt ſic fieret homo in animam viuentem, ideſt habens animam, qua viueret. Sine vita quis eſſet omnis homo? Quid eſt enim corpus hominis ſine vita, niſi caro fœtida, deformis, & pallida, ſiue nigra, nullis vſibus apta, niſi redeat in terram, de qua fuit aſſumpta? Et ideo eſt adeo cara hominibus vita, vt pro ea ſeruanda omnes humani labores, omnes temporalium aggregationes, & omnes commeſtiones, veſtium compoſitiones, domorum, & armorum fabricationes fiant: & quãuis ſic omnis humana natura ſit ad vitam ſeruandam, non tamen poteſt vita hominis eſſe longa, ſed eſt breuis, & vana, momentanea, & caduca, more vaporis. Vapor enim, ſiue fumus, videtur magnum quid, dum aſcendere incipit: ſed, dum adeſſe creditur, euaneſcit: ſic vita, dum florere videtur, modica febre extinguitur. Vnde: Quid eſt enim vita noſtra? vapor eſt ad modicum parens. Sed quare ita eſt? Ideo ita eſt, quia nunc vita noſtra ligno vitæ caret, quo ſolo conſeruari poteſt. Ad quod intelligendum, eſt hic notandum, quòd humana vita maxime conſiſtit in humido radicali. Eſt enim, ſecundum doctrinam omnium medicorum, duplex humiditas in corporibus noſtris: vna, quæ dicitur radicalis: altera, quæ dicitur nutrimentalis. Humiditas radicalis, eſt illa, quæ radicaliter ſe tenet cum ipſa natura, cum qua generatur homo, ſine qua viuere, & eſſe non poteſt: quia in hac tota veritas humanæ naturæ eſt. Et ideo dicitur radicalis, quia, ſicut radix eſt principium productiuum, & conſeruatiuum totius arboris, ſic humiditas radicalis principium humani corporis. Humiditas autem nutrimentalis eſt illa, quæ generatur ex cibis, quæ non eſt de eſſentia noſtri corporis, ſed in auxilium radicalis humiditatis. Calor enim, ſiue ignis, qui in corporibus noſtris exiſtit, cum otioſus eſſe non poſſit, ſemper aliquid de illa radicali humiditate conſumit: & ſic, cùm datur in pabulum, humiditas nutrimentalis minus in radicale agit: quia, dum nutrimentum radicale vim ſuam conuertit, minus de radicali conſumit.

*Gen. 2. b.*

*Iac. 4. d.*

*Exemplum*

*Humiditas radicalis quid.*

*Humiditas nutrimentalis quid.*



*Exemplum*

Et eſt exemplum notabile in lucerna, in qua eſt lychnus, & oleum a lychno imbibitum, & aliud oleum circumſtans lychnum, & ignis incendium. Lychnus eſt ſicut corpus humanum: oleum a lychno imbibitum & illi incorporatum, eſt ſicut radicale humidum: oleum circumſtans lychnum eſt ſicut nutrimentum. Dum igitur ignis agit in lychnũ, conſumens oleum illud imbibitum; & dum circumſtans oleum præbet nutrimentum igni, conſeruat ignẽ, & præſtat impedimentũ, ne tam cito conſumat lychnum. Nam, quando illud oleum imbibitum eſt conſumptum, conſumptus eſt & lychnus: quia, humore radicali conſumpto in corpore, & vita ſimiliter eſt conſumpta: hoc enim humidum radicale non poteſt vllam reparationem accipere: quia (vt Auicenna docet) ſi reparari poſſet homo, ex ſenectute in iuuentutem rediret. Lignũ ergo vitæ, quod erat in medio Paradiſi, habebat virtutem radicale humidum reparandi. Vnde, ſi homo non peccaſſet, ſed in Paradiſo ſteriſſet, de ligno vitæ comedens, nunquam infirmus fuiſſet, nec vnquam ſenio defeciſſet, ſicut Auguſtinus docet. Poſtquam ergo Adam peccauit, & per diuinam ſententiam neceſſitatem mortis incurrit, Dominus eum a ligno vitæ ſeparauit: ne, ſi de illo comederet, diutiſſime viueret. Vnde dicitur: Ne forte mittat manũ ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum, emiſit eum Dominus de Paradiſo. Adam igitur a ligno vitæ ſeparatus, cum amplius per alios cibos humidum radicale reparare non poſſet, neceſſitatem habuit moriendi; non ſolum per diuinam ſententiam, ſed etiam propter defectum ligni conſeruantis vitam. Omnes igitur morimur, & tanquam aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur, ſicut habetur. Vadam (inquit Iob) & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. Nunquid, *ait*, non paucitas dierum meorum finietur breui? Ergo, fratres chariſſimi, cum ſimus adiudicati morti, & ſit in nobis neceſſitas moriendi, & ratione peccati, & ratione defectus ligni, de quo dixi: ſi hanc vitam habere non poſſumus, ſic viuamus, vt vitam aliam non perdamus. Exemplum de Enoch, & Helia poſſet hic prædicari, qui, de ligno illo vitæ comedentes, tanto tempore ſunt ſeruati in vita.

*Aug. li. 13. de Ciuitate Dei cap. 20. to. 5.*

*Gen. 3. d.*

*2. Reg. 14. c*

*Iob 10. d.*

*Enoch, & Helias quomodo in vita ſeruentur.*

Secunda vita eſt ſpiritualis, qua anima viuit in Deo. Sicut enim anima eſt vita corporis, ſic Deus vita eſt animæ: quia, ſicut, recedente anima, corpus moritur, ſic, Dei gratia diſcedente ab anima, anima ſua vita priuatur, non quantum ad vitam naturæ, ſed quantum ad vitam gratiæ. De hac enim vita dicebat Apoſtolus: Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. Et eſt ſenſus: Ego vita gratiæ viuo: ſed hoc a me non habeo, ſed a Chriſto. Hæc autem vita nobilis, qua anima noſtra viuit, ex medio ligni vitæ cauſatur in nobis. De hoc ligno exponitur illud: Benedictum lignum, per quod fit iuſtitia: hoc eſt enim lignum, cui committunt homines animas ſuas. Dicitur ibidem: Hoc enim ſalutiferum ſignatum fuit in primo ligno vitæ iam dicto: & aliqui opinantur, quòd fuerit ex eodem ligno, quia, dum Adam infirmaretur vſque ad mortem, & filius ſuus Seth ad Paradiſum iuiſſet, & de ligno vitæ pro patris ſalute peteret, Angelus Paradiſum cuſtodiens, ramum illius arboris tradidit, eiq. dixit: Cum hoc lignum fructum faciet, tũc pater tuus ſalutem recipiet. Sed alij dicunt, quòd de illo ligno fuit, in quibus Adã peccauit. Seth ergo ramum accepit, & veniens mortuum patrem inuenit. Vnde ramum arboris ad caput ſuum plantauit, qui procedente tempore creuit, & in arborem magnam ſurrexit: quam Salomon incidi mandauit: ſed in tota domo ſua, vbi hoc lignum poneret, non inuenit: Nunc enim vel maius debito, vel minus inueniebatur. Et ſic, Deo volente, eſt factum, vt in quodam loco pro ponte poneretur, vt per hoc ſignaretur, quòd futurus pons erat ex ligno faciendus, per quem hoc mare magnum erat ad cælum Chriſtianus populus tranſiturus. At Regina Saba, dum ad Salomonem venit, in ſpiritu hoc lignum cognouit, nec ſuper illud tranſire voluit, ſed Salomoni indicauit, quòd in illo ligno erat aliquis ſuſpendendus, pro cuius morte regnum Iſrael deperiret. Quod Salomon dum audiuit, illud in profundiſſimum terræ demergi fecit. Sed, inſtante tempore Dominicæ paſſionis, terra crepuit, & ibi piſcinam fecit, in qua lignum ſupernatauit, cuius virtute ad tempus aqua mouebatur: &, qui primus in eam tunc deſcendebat, ſanabatur quacunque infirmitate teneretur, ſicut dicitur. Cum ergo crucifixores Domini hoc lignum vidiſſent, ipſum acceperunt, & de eo Crucem Domino parauerunt. Breuiter hoc dixi, quod longum eſt; vt de hoc aliquid prædicator Crucis acciperet. Hoc igitur vitæ noſtræ lignum in medio mundi plantatum, fuit, quia Hieruſalem in vmbilico terræ ſituata eſſe dicitur: ob quam cauſam, & in Pſal. dicitur: Operatus eſt ſalutem in medio terræ. Dignum vtique erat, vt, qui pro ſalute omnium patiebatur, in medio omnium pateretur, vt a medio ad extrema æqualiter tantum beneficium funderetur. Hoc eſt lignum vitæ, in quo vita mundi pependit, per quod vitam omnibus dedit, quantum in ſe fuit, ſine cuius beneficio nullus vita gratiæ viuit. Hoc vitæ lignum in palo ſignatum fuit, in quo ſuſpenſus ſerpens ęneus fuit olim, ad cuius aſpectum omnes ſaluabantur, qui ab ignitis ſerpentibus mordebantur. Vnde & de hoc dicit Dominus: Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic exaltatus eſt filius hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Igitur hominibus vita eſt ex Cruce Dominica.* Narrat enim Caſſiodorus, quòd quidam apud Conſtantinopolim fuit, qui Chriſtianus erat, ſed Dominicam Crucem adorare nolebat. Infirmatus igitur nimium, cum pro ſalute rogaret Dominum, apparuit ei Angelus, Crucem illi oſtendens, & dicens: Si vis curari, hanc Crucem adora: quia, ex quo mundi Dominus in ea pependit, nullum vmquam beneficium homini contulit, niſi ob gratiam Crucis. † Conſtantino etiam dictum eſt: In hoc ſigno confide, & vinces. Qui, cum vexillum ſuum in Crucis formam vertiſſet, nullum inuenit hoſtem, quem non ſterneret. Dicitur etiam in hiſtoria eadem, quòd nullus vmquam in bello illud Crucis vexillum portantium potuit vulnerari, vel occidi, vel capi: immo, dum quidam de portantibus illud ſemel timeret hoſtes, &, alij ſignum tradens, ſe de medio ſubtraxit, ille inter tela remanſit illæſus, hic autem extra ſagittas letaliter eſt percuſſus. Manifeſtum eſt igitur ex præmiſſis, quòd qui ab hoc ligno ſe longe facit, vita gratiæ carens, mortem culpæ incurrit. Exempla ad hoc multa quære in Legenda exaltationis Sanctæ Crucis, & de Crucis inuẽtione facta per Helenam. Narra hiſtoriam, quia ad prædicandum eſt valde pulchra: & in Legenda Sancti Chriſtophori,* & Sanctæ Criſtinæ ſunt etiã pulchra exempla: quomodo diabolus timeat ſignum Crucis. Nam & Iulianus Imperator, dum adhuc puer eſſet, & in arte magica magiſtrum haberet, abſente magiſtro, dum librum artis aperiret, & dęmones mox veniſſent, ille, timens, dum ſe Cruce ſignaſſet, & illi mox aufugiſſent, magiſtro redeunte, factum narrauit: quare ſic fugiſſent, ab eo quæſiuit. Cui ille: Nihil in mundo ſic dęmones timent, ſicut hoc ſignum Crucis.

*Sap. 14. d.*

*Sap. 14. a.*

*Vnde hæc deſumpta, inueniri nõ potuit.*

*Gal. 2. d.*

*Ioan. 5. a.*

*Piſcinæ origo.*

*Hieruſalem ſitus.*

*Pſal. 73. c.*

*Ioan. 3. d.*

** Caſſiodorus in hiſt. tripar. li. 2. cap. 19. & Niceph. li. 7 cap. 50. Eccle. Hiſt.*

*† Nicephorus in Eccleſ. hiſt. tomo 8. cap. 3 & lib. 2. ca. 47.*

*Caſſiodor⁹ in hiſtoria tripartita. lib. 1. cap. 4. Sozom. & cap. 8.*

*Caſſiodorus in eodẽ lib. cap. 5.*

*Vide Caſſiodorum li. 2 cap. 18. hiſtoriæ tripartitæ. Et Nicephor. li. 8. hiſt. Eccle. cap. 29. Niceph. in Eccl. hiſt. li. 10. cap. 3. In hiſtoria tripartita. lib. 6. ca. 1. in medio; ſed paulo aliter.*

Tertia vita eſt vita æternalis: & hæc vita ſumma vita, ſola beata, vita pacifica, & ſecura, quæ conſiſtit

*Col. 3. a.* ſtit in viſione diuina. Tunc, *inquit Apoſtolus*: Appa- A *Pſal. 35. c.* rebitis cum ipſo in gloria. Et: Quoniam apud te eſt *Ioan. 14. a* fons vitæ. Et Dominus; Ego ſum via, veritas, & vita. Via, in meritis, vel exemplis: veritas, in præceptis: vita, in præmijs. Vel Via deducens, veritas docens, vita reficiens: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Cognoſcant, *inquam*, non cognitione viæ, quæ eſt obſcura, ſed cognitione patriæ, quæ eſt aperta, vt videatur Deus in ſua eſſentia; quæ, quia in ſummo eſt pulchra, ſumme delectat animam. Hæc autem dulciſſima ſanctorum vita eſt eis ex ligno vitæ, quod eſt in medio paradiſi, vt B poſſit ab omnibus manducari. Vnde loquens Ioan- *Apoc. vlt. a* nes de Hieruſalē cæleſti, dicit: In medio plateæ eius ex vtraque parte fluminis lignum vitæ. Flumen appellatur abundantia gloriæ, quæ copioſe ad modū *Pſal. 45 a.* aquæ fluminis redundat in Sanctos: Fluminis impe *Ioan. 4. b.* tus lętificat ciuitatē Dei. Et: Flumina de vētre eius fluent aquæ viuæ. O ſanctorum beata gloria, ex Chriſto Ieſu, ligno vitæ, cauſata, vbi non guſtatur caro peccatorum, non auium, non piſcium marinorum, ſed ipſum vitæ lignum, verbum vtique incarnatum, quod deguſtatum, adeo eſt dulce, vt, illo deguſtato, nec fameſcat homo, nec ſitiat in C æternum. Vbi ſunt glutones, qui quærunt dulcia vina, & fercula ſapida? Nam ſponſa deguſtans de *Cant. 2. a.* fructu huius ligni, dicit: Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi *Prou. 8. b.* meo. Comede, fili, mel, quoniam bonum eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo. Qui ſeparatus fuerit ab hoc ligno, in fine priuabitur vita gloriæ, & incurret mortem damnationis ęternæ, vbi erit vita ſemper moriens, & mors ſemper viuens: vita vita carens, & mors mori neſciens: vita mortalis, & mors vitalis. O, ſi ſcirent peccatores miſeri, qualia ſunt paſſuri, quàm grauia pondera ſuper ſe portaturi, quàm continue, ſine interpolatione, non more febris quartanæ, vel tertianæ, ſed continue ſunt arſuri, quàm grauiſſima fame, & ſiti mortifera, ſint carnes proprias corroſuri, nunc, contempta vita naturæ, currerent ad vitam gratiæ, vt tandem ad vitam gloriæ peruenirent, ſemper donante Chriſto, qui Sanctis omnibus factum eſt lignum vitæ, & cet.

## SERMO II. DE EADEM.

*Matt. 7. b.* OMnis, *qui quærit, inuenit*. Omne, quod diligitur, a diligente ſollicite quæritur. Quā ſollicite quærit canis lepuſculum, gallus vermiculum, ceruus fontem aquarum! † Helena ergo Conſtantini mater, quia Chriſtum feruenter amauit, eius Crucem, & clauos diligentiſſima cura quæſiuit, & inuenit. Exemplū [a] Magdalenæ, quæ, quia Dominum ſollicite quæſiuit, & in quærendo perſeuerauit, ipſum inuenire promeruit. * Exemplū hoc etiam apparet in [b] Magis, qui ideo inuenerunt, quia quæſierunt. Bene ergo dicitur: *Omnis qui quærit, inuenit*. † Lege hiſtoriam Inuentionis Crucis, & in Regina hoc verbum impletum eſſe videbis. In verbo igitur præmiſſo, iuxta hiſtoriam maxime notantur duo, Primum, eſt labor deuotus a Regina aſſumptus. Secundum vero eſt laboris vtilis fructus. Notatur itaque primo labor deuotus, quem ſuſtinuit in quærendo, cum dicitur: *Omnis, qui quærit*. Secundo, notatur fructus vtilis, quem habuit in inueniendo, cum ſubditur: *Inuenit*. Sed, quia hodie feſtum de Inuentione agitur, de ſola Inuentione aliquid dicamus. Eſt igitur notandum, ad noſtram inſtructionem, quòd eſt

*† Nicephorus li. 8. ca. 29. hiſt. Eccleſ. & Caſſiod. lib. 2. cap. 18. tripar. hiſtoria.*
*a Matt. 28. & Ioā. 20.*
*b Matth. 2.*
*† Niceph. et Caſſiodor.⁹ ibidem.*

A

Aliquid, cuius inuentio eſt { Vana, Mala, Bona }

Eſt enim vanum, temporale inuenire theſaurum. Eſt male, inuenire peccatum. Eſt vtile, ſiue bonū, inuenire Dominicum lignum.

Dico, quòd aliqua res eſt, cuius inuentio eſt vana: & talis res eſt omnis proſperitas humana, ſiue mundana; & omnis temporalis ſubſtantia, etiam iuſte acquiſita. Nonne vanum eſt quidquid cor implere non poteſt? Nonne vanum eſt, quod teneri non poteſt? Sed totus mundus cor humanum B non implet: quia auarus non implebitur pecunijs. In rebus etiam mundi nihil ſtabile eſt: immo cras ad te veniet, quod hodie meum eſt. Anguilla enim, *Exemplū.* quanto fortius ſtringitur, tāto fortius de manu elabitur: ſic & mundus, quanto plus amatur, tanto timidius retinetur: & ſemp eſt in ſuſpicione ne perdatur: & perdito, ex hoc magnus dolor exoritur. Inuentio enim temporalium rerum eſt ſicut ſomnus dormientium: qui, dum dormiunt, ſomniando diuites ſe eſſe credunt, ſed, dum euigilant, vacuos ſe inueniunt. Diues, cum dormierit, nihil ſecum af- *Iob 27. d.* fert: aperit oculos, & nihil videt. Diuites enim, C dum multa ſe congregaſſe credunt, adueniente morte, nihil ſe habere inueniunt, niſi peccata, quæ propter diuitias commiſerunt. Pſalmus: Dormie- *Pſal. 75. a.* runt ſomnum ſuum, & nihil inuenerūt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Sępe, dum diues moritur, ei, quem odit, velit nolit, ſua dimittit. Con- *Pſal. 38. b.* gregabit, & ignorat, cui congregabit ea. Exemplum de diuite illo magno, qui multa congregauit: cui dixit Dominus. Stulte, hac nocte animam tuam re- *Luc. 12. c.* petunt a te: quæ autem paraſti, cuius erunt? Quid profuerūt diuitiæ Darij? Nonne eas cum omni imperio ſuo reliquit aduerſario? Quidam enim, vt di- D citur, fuit, qui ſomniauit ſe diu debere viuere: cumq. propter longam, quam ſomniauerat, vitam, congregaſſet multa, morte interemptus eſt ſubita. Innocentius: Quid proſunt diuitiæ, quid epulæ, quid deliciæ? non enim liberant hominem a morte, non defendunt a verme, non eripiunt a fœtore.

Secundo, eſt res aliqua, cuius inuentio non eſt tantum vana, ſod etiam mala: & talis res eſt peccatum contra Deum, & proximum perpetratum: nihil enim ex omnibus rebus eſt malum, niſi ipſum peccatum. Vnde iter peccati maxime ſequuntur homines, & laborant inuenire delectabilia, E quamuis non attendentes, (more porcorum) quid fętoris, quid anxietatis, quid turpitudinis, quid amaritudinis ſit in eis. Nam Salomon, qui experientia & ſcientia nouerat, dicebat: Luſtraui, *inquit*, vni- *Eccl. 7. a.* uerſa animo meo, vt cognoſcerem impietatem ſtulti, & errorem imprudentium: & inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius, & vincula ſunt manus eius. Nota verba, ſigna myſteria. Quid morte amarius? & tamen dicit ſapientiſſimus hominum, cognitor naturarum, quòd mulier amarior morte eſt: quippe quia laqueus eſt, ſagena eſt, vinculum eſt: laqueo F capiuntur aues, ſagena piſces, vinculo homines. Nulla eſca ſic fortiter attrahit aues, nulla ſagena ſic violenter piſces, ſicut mulieres attrahunt homines. Quid igitur faciendum eſt in tanto periculo? *Prou. 7. & Eccli. 21. a.* certe quod ibidem ſequitur: Qui, *inquit*, placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator eſt, capietur ab illa. Non eſt enim tutum iuxta ſerpentem dormire. Femina, ſcorpionis more, ſemper eſt hominem parata ferire: nihil enim eſt, vt Hieronymus dicit, in corpore mulieris, quod intuitu non ſagittet cor hominis. Ergo qui vult effugere laqueum mortis, fugiet a facie mulieris, quaſi a facie colubri, & ſerpentis, ſicut fugit Helias a facie *3. Reg. 19. a.* Iezabel. Eſt & aliud conſilium, quod datur: Dic, *inquit*,

*Hieron. in Eccl. cap. 6. to. 5. & to. 9. de Reg. Monacharum ca. 20.*



inquit, ſapientiæ, ſoror mea es: & prudentiam vo- A ca amicam tuam, vt cuſtodiat te a muliere extranea, & ab aliena, quæ verba ſua dulcia facit. De ſapientia increata (ad quam recurrendum eſt, dum carnis ſentimus incendia) lege totum iam ſupradictum capitulum: quia eſt pulchrum, & valde prædicatori aptum contra mulieris malitiam. Qui ergo vere continens eſſe vult, debet non ſolum tactus impudicos fugere, ſed vanos aſpectus, vanos auditus, & vanas locutiones vitare. Nam Lacedęmones tamquam caſtitatis amici (vt narrant eorum hiſtoriæ) libros cuiuſdam philoſophi extra ciuitatem iuſſerunt aſportari, eo quòd illorum lectio non erat B omnino pudica, ſed potius ad luxuriam inflammatiua. Noluerunt enim filios ſuos talibus lectionibus imbui, ne honeſtis moribus plus nocerent, quàm ingenijs prodeſſent. Ergo, ſi talia pagani fecerunt, quid deberent facere Chriſtiani?

Eſt tertio res aliqua, cuius inuentio eſt ſumme bona; Crux Dominica: & talis fuit per Helenam inuenta: in qua deiecta ſunt dęmonum fortia caſtra. Vnde valde clamabant dęmones contra Iudam (qui fuit ductor illius inuentionis) dum locum, vbi iam ducentis annis iacuerat, patefecit. *Sur. in Vitis, to. 3. die 3. Maij.* Lege hiſtoriam, & narra. Eſt igitur a nobis ſollici- C te quærenda Crux ipſa Dominica, in qua mundi pependit vita. Vnde non eſt aliud, Crucem inuenire, quàm illum inuenire, qui pependit in Cruce. Omnis enim honor Crucis ad Crucifixum refertur. Vnde ſępe pro Cruce aſſumitur illud verbum, quod *Prou. 8. d.* de ſe dicit illa Sapientia crucifixa: Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem a Domino. Sed, qui vult inuenire Crucem, immo ipſum Dominum Crucifixum, quærat eum tempore, quo *Exempla.* inueniri poteſt: & loco, in quo eſt. Nemo enim (ſi non ſit ſtultus) quærit vuas in vere, neque in *Eccli. 3. a.* æſtate violas, nec fructus in hieme: omnia enim tē- D pus habent: & omnia bona in tempore ſuo. Item nemo quærit ficus in vite: nemo aurum in arbore: nemo piſces in monte. Si enim res omnis quærenda eſt, vbi eſt: ergo quæramus Crucifixum, pro tempore, in quo ſumus, quia nunc inueniendus eſt. Item quæramus eum in loco, vbi eſt, vbi continue iacet, ideſt in Cruce. Bernardus: Circuire poſſum, Domine, cælum & terram, & nuſquam te poſſum inuenire, niſi in Cruce: ibi dormis, ibi cubas in meridie: ergo, qui ſuauiter viuūnt, qui carni deſeruiunt, Chriſtum inuenire non poſſunt: quia *Baruc. 3. b* ad locum, vbi ſtat, numquam vadūt. Dicitur enim: E *Iob 28. d.* Quis inuenit locum eius, aut quis intrauit in theſauros eius? Non inuenitur in terra ſuauiter viuētium. Ergo, ſi Crucem, ergo ſi Dominum Crucifixum inuenire volumus, oportet carnem affligere, oportet pœnitentiæ crucem aſſumere oportet cum † Magdalena ad ſepulchrū fluuios lacrymarū effundere: oportet cum Magis ad præſepe, vbi iacet, accedere: oportet cum paſtoribus ad ſtabulum ire: oportet iuxta Crucem cum Dei matre aſtare, & cum ipſa lacrymas irremediabiles fundere. Breuibus verbis multas hiſtorias tetigi: vt ſit prædicatori via ad plurima diffundendi. Scri- *Prou. 9. b.* ptum eſt enim: Da ſapienti occaſionem, & feſtinabit accipere. Rogemus igitur Dominum Crucifixum, per ipſum venerabile lignum, quod contactu ſuæ ſanctiſſimæ carnis factum eſt ſanctum, & c.

*† Ioannes ibidem cap. 20. a. b. & Matt. c. 28. a. b. Ioannes c. 19. e.*

## DE S. ANTONIO PADVANO ORDINIS MINORVM SERMO I.

ISte eſt frater veſter paruulus, *de quo dixeratis mihi*? Mirum eſt, & valde dignum eſt admiratione, quomodo Deus, cum *Gen. 43. f.* ſit altiſſimus, non ad altos oculos vertat, ſed tantum ad deie- B ctos, & humiles. Superbos deijcit, humiles ſurſum vehit. Hoc & ſanctus admiratur Propheta, cum dicit: Deus noſter in altis habitat: & humilia reſpicit in *Pſal. 115.* cælo, & in terra. Et Domina noſtra ſuo dicit in Cantico: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit *Luc. 1. e.* humiles. Et puto, iuxta dicta Sanctorum, hoc ideo eſſe, quia ſuperbus Deo voluntatem ſuam non ſubijcit, ſed eius voluntati ſuam præponit: cuius totum contrarium vir humilis facit: qui, dum de ſe vilia ſentit, ſe totum Diuinæ virtuti committit. C Quis enim ex regibus his terrenis illum ſeruum in regno præficeret, cuius voluntatem ſibi contrariam eſſe ſciret? & non potius illum ſubſecuturum faceret, quem ſibi per omnia ſubſecutum cognoſceret? Paruuli ergo, & qui ſunt humiles in hoc mundo, ſunt qui a Chriſto ſublimantur in cælo. Nam Lu- *Exemplū.* na, quando mundo tota eſt obſcura, & ab hominibus mundi dicitur eſſe nulla, tunc verſus cælum tota eſt luminoſa. Vel, quando verſus terram eſt vacua, verſus cælum tota eſt plena: & ſic eſt in rebus omnibus inuenire, eo quòd, ſicut Hieronymus *Hier. to. 9. de ſcientia diuinæ legis. Epiſtolā 8. poſt medium.* dicit, Non eſt poſſibile, vt homo in cælo & in ter- D ra appareat glorioſus. Dicat ergo Ioſeph typum Chriſti per omnia gerens: dicat de paruulo fratre ſuo: dicat ad alios fratres ſuos, quos in mundo voluit vocari minores: *Iſte eſt frater veſter paruulus, de quo dixeratis mihi?* quaſi dicat: Ipſe eſt, quē adeo mihi laudaſtis, cuius nomen ſic famoſum feciſtis? Quia vero paruulus inter vos vixit, humilem in omnibus vitā duxit, & ideo ſic exaltari promeruit. In verbo igitur præmiſſo, Dominus & Saluator noſter Beatum Antonium deſcribit a tribus. Primo, ab excellentia ſanctitatis, qua intus ardebat in anima: Secundo, a contemptu mundanæ ſubtilitatis, ſiue E ab amore propriæ vilitatis, quam foris oſtendebat in vita: Tertio, a celebri gloria nominis, qua cunctis innoteſcit in fama. In his enim tribus perfectio ſumma conſiſtit. Primo, vt ſanctitas ſit in corde: Secundo, ſit humilitas in conuerſatione: Tertio, ſit homo famoſus in nomine. Notatur igitur primo excellentia ſanctitatis in anima, cum dicitur: *Iſte eſt frater veſter*. Per fratrem notatur nomen ſanctitatis, nomen amoris, & charitatis. Dum pronomen demonſtratiuum & verbum ſubſtantiuū coniunguntur, excellens ſanctitas deſignatur. Secundo, notatur amor propriæ vilitatis in vita, cum F additur: *Paruulus*. Tertio vero, vulgatio nominis ſui diffamatur, cum adiungitur: *De quo dixeratis mihi*? Ipſum enim dicere, fuit vitam eius prædicare, miraculis diuulgare, & canonizationem eius precibus impetrare. Vnde, quia hæc dictio, *Paruulus*, continet ſanctitatem mentis, & oſtendit humilitatem operis, de hoc nomine ſolo (breuitatis gratia) erit ſermo. Eſt ergo notandum, quòd paruuli has habent proprietates: quia

Sunt {
- Ad diſcendum dociles,
- Ad obediendum flexibiles,
- Ad amandum habiles,
- Ad indulgendum faciles,
- Ad dona, ſiue munuſcula promptiores. Quia

}

ergo ad doctrinam ſunt dociles: Diuinæ veritati in nullo rebellabant: quia ad obediendum flexibiles, Diuinis imperijs non repugnant: quia ad amādum habiles, Diuinæ charitati non obſtant: quia ad indulgendum perfaciles, Diuinæ pietati non obuiant: ſed quia ad accipiendum veloces, Diuinis donis nō derogant.

Primo, ſunt ad diſcendum dociles. Omnis enim res, quando eſt tenera, poteſt aptari ad omnem formam; ſicut manifeſte apparet in virga, quæ facile flectitur, & curuatur ad ima, & facile reuocatur ad ſumma. *Exemplū.* Eſt quædam herba, quæ dum extrahitur ab aqua, eſt adeo tenera, quòd flecti poteſt ad omnem formam, ſiue figuram recipiendam. Sic & pueri, quamdiu ſunt in pueritia, habiles ſunt ad omnem doctrinam. Eſt enim prima ætas, vt dicit Auicenna, calida, & humida: & ideo ad modum ceræ calidæ & liquidæ facile recipit omnem formam: ſic & in ſpiritualibus ſuo modo ſe habet, quòd, qui ſunt paruuli, propter humilitatem ſunt valde diſpoſiti ad Diuinam influentiam. Sic Beatus Antonius fuit valde diſpoſitus ad Diuinam ſcientiam, immo ad omnem Diuinam influentiam: ſol enim nobiliores impreſſiones facit in terra, quia eſt omnium infima, quàm faciat in aliqua alia eleuata natura. Hoc eſt ergo, quod Dominus ſignificare voluit: *Mat.11.d.* Confiteor tibi, Domine, pater cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus: ſupple, mundi: & reuelaſti ea paruulis; ideſt, humilibus. Quia ergo Beatus Antonius humilis fuit in conuerſando, humilis in ſuam ſcientiam abſcondendo, multum illuminatus fuit a Deo, *Pſal.18. d.* ſicut manifeſtat eius prædicatio. Dicitur enim: Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Confundatur ergo ſuperbia intellectus humani, quæ, dum hominem per arrogantiam eleuat, oculum rationis excęcat, vt ſibi vtilia homo non videat. *Exemplū.* Oculus enim carnis, ſi tumore nimio fuerit inflatus, impeditur noſter corporeus viſus, ſic & ſpiritualis oculus, factus per ſuperbiam tumidus, ad omnia bona fit cęcus. Tales fuerunt omnes philoſophi, qui, quia fuerunt ſuperbi, & vani, facti ſunt ſtulti. *Rom.1.e.* Dicentes (inquit Apoſtolus) ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. De qua ſtultitia ſatis ſupra in præallegato capitulo inuenies, ſi de ea volueris prædicare. Sicut enim vas, vno liquore plenum, non recipit alium, niſi illud prius fuerit euacuatū, ſic homo plenus ſuperbia non habet ſapientiam. Quia, *Prou.11.a* ſecundum Sapientem: Vbi ſuperbia, illic & contumelia: vbi autem humilitas, ibi ſapientia.

Secundo, paruuli ſunt ad obediendum valde flexibiles, *Exemplū.* numquam imperijs maiorum rebelles. Exēplum de pueris, qui ſtant in ſcholis, qui quaſi nihil aliud cogitant, niſi quomodo præcepta magiſtri adimpleant. Dicitur etiam, quòd hinnuli ceruorum miro modo ſunt obedientes parentibus, & in ſaltando, & in ſedendo, & etiam in abſcondendo. Nam & pulli gallinarum, quamdiu ſunt paruuli, miro modo obediunt parenti, & mox currunt vocati: ſed nullo modo obediunt facti magni. Sic & ſpirituales viri ſunt inter alios paruuli, quamuis meritis ſint valde alti, vt a malis ſeruis non poſſint cognoſci aſpectu. *Gal.4.a.* Dicitur enim: Quanto tempore heres eſt, nihil differt a ſeruo, cum ſit dominus omnium. Tales enim neſciunt in aliquo contradicere, ſed in omnibus parati ſunt obedire. Vere talis fuit Beatus Antonius, *Sur. in Vitis die 13. Iunij to. 3. cap.7.* qui inquantum fuit paruulus, & deſpectus, vt in quodam generali Capitulo a nullo miniſtrorum fuerit poſtulatus, quem tamen ad petitionem ſuam frater Gratianus duxit in Romandiolam, quia adeo ſemper fuit, dum vixit, obediens, vt in nullo obedire reluctaret. *Surius ibidem cap.8.* Exemplum, quando ei in quodam Capitulo apud Forum Liuij Miniſter impoſuit, vt ſermonem fratribus faceret: quia tamen nihil ſcire credebatur, ſic humiliter ſcietiam ſuam occultabat. Quòd igitur ſic obediens fuit, & ſic paruitatem amauit, Deus eum in omnibus cuſtodiuit. *Pſal.114.b* Cuſtodiēs paruulos Dominus: humiliat autem peccatores vſque ad terram. Sed væ inobedientibus, & ſuperbis, quos Dominus cuſtodiuit. *Dan.4.c. 2.Macha. 9.d.* Exemplum de Nabuchodonoſor, & Antiocho rege. *1.Reg.10.c* Dixit Samuel de Saul: Nonne, cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in Iſrael factus es? Et ſequitur ibi: Quia ſermonem Domini abiecisti, abiecit te Dominus, ne ſis rex. *Heſt.2.d.* Vnde dicitur de Eſther quòd, quidquid ei Mardochæus præcipiebat, omnia obſeruabat, ſicut eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat. Et, quia ſic fecit, ad regnum exaltari meruit, Vaſthi abiecta, quæ obedire contempſit.

Tertio, paruuli ſunt ad amandum habiles, & in nullo amori alterius rebelles, ſed amant valde ſe amantes. Videmus enim non ſolum in paruulis hominum, ſed in paruulis animalium aſinarum, & *Exempla.* maxime equarum, quòd quamdiu ſunt paruuli, mirabili affectu parentes ſequuntur, & amant plurimum, & amantur. Sed, ſi ad maturam ætatem perueniant, nec parentes de filijs, nec filij de parentibus curant. *Plin. li.10. hiſto.natural. cap. 3. Idē de Gallina affirmatur quā tum ad affectum præſertim.* Aquila ſic pullos, quamdiu ſunt paruuli, diligit, quòd tota infirmatur in eis, & præ amore langueſcit: quos tamen adultos omnino repellit, & ſecum habitare non ſinit. Igitur manifeſtum eſt, his exemplis, quòd paruuli de ſua natura ſunt habiles ad amandum; ſiue vt ament, & amentur. Vnde videmus, quòd paruuli ab omnibus amplexantur, & ab omnibus in collo feruntur: in quo ipſi valde gratulantur. Vnde dicitur quòd Dominus, complexans paruulos, & imponens illis manus, benedicebat eis. *Mat.19.b.* Vnde & dicebat eis. Sinite paruulos venire ad me, & nolite eos prohibere, quaſi diceret: Quid eos prohibetis? tales ſunt, qui diligunt me. Vnde cantat Eccleſia in perſona Dominæ noſtræ: Dum eſſem paruula, placui Altiſſimo, &c. Quia ergo Beatus Antonius paruulus per humilitatem fuit, & multum Chriſtum amauit, ideo multum ab eo amatus fuit. Vnde tanto feruore de paſſione Domini prædicabat, quòd quaſi crucifixus omnibus apparebat. Ita, vt poſſet dicere cum Apoſtolo: *Gal.2.d.* Chriſto confixus ſum Cruci. *Surius in vitis, die 13.Iunij.c.12.to.3.* Exemplum habetur in Legenda, quando de titulo Crucis Dominicæ prædicabat. Sed hodie nulla eſt charitas, quia nulla eſt paruitas: immo valde laborant eleuari in colles, & colles in altiſſimos montes: Hodie de viliſſimis vſurarijs fiunt milites: & pauperes ſublimantur in principes, & barones. *Pſal. 72.c.* Sed dicitur: Deieciſti eos, dum eleuarentur. *Auguſt. in enarratione in Pſal. 72.ante finem to.8.* Auguſtinus: Non dicit, Dum eleuati eſſent, ſed, dum eleuarentur. Vnde dicitur:[a] Ecce paruulum dedi te in Gentibus contemptibilem inter homines. Contemptibilis tu es valde: ſed ſuperbia cordis tui extulit te in ſciſſuris petrarum exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo: Quis trahet me deorſum? Sed, ſi exaltatus fueris, vt aquila, & inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. *[a] Hier.49.c Abd. 1.a.*

Quarto, paruuli ſunt ad indulgendum perfaciles. Mox enim verberati, de collo depoſiti, & repulſi, mox ad amplexus redeunt vocati: Nam & canes adeo domino ſunt fideles, quòd, quamtumcunque exaſperati, verberibus affecti, foras repulſi, mox redeunt vocati, quaſi nihil omnino ſint paſſi. Sic & paruuli non ſunt maleuoli, ſed ad iniurias relaxandas promptiſſimi. *1.Cor.14.e* Vnde dicebat Apoſtolus: Malitia paruuli eſtote; ſine maleuolentia, ſicut eſt puerilis natura. Tales enim nihil habent impietatis, nihil crudelitatis. Et, quia Beatus Antonius, eo modo, quo dictum eſt, paruus fuit, ſicut corde humilis, & habitu vilis, ſic in omnibus totus fuit pius, & dulcis.

Vnde,



Vnde, quamuis haberet prudentiam ſerpentinam, habebat tamen dulcedinem columbinam, nulli corde detrahens, neminem ore lędens, opere nullum offendens: Sciebat enim, Apoſtolum dixiſſe Petrū: *1.Pet.2.c.* Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum. Sed in mundo quis hodie paruulus? quis, vt paruulus, pius? Regnat in mundo crudelitas, & repulſa eſt foris pietas. Sunt ſimiles homines auibus viuentibus de rapina, quæ nullum diligunt: omnium ſocietatem fugiunt, omnes, quos poſſunt, inuadunt, nulli parcunt, pacem numquam quærunt, qui ſine guerra viuere non poſſunt. Sicut & multi ſunt hodie, qui, quia pauperes ſunt, vt prædari alios valeant, guerras concitant, pacē aliorum exturbant, &, vt numquā pax fiat, pro poſſe laborant. Sed caueant, ne contingat finaliter eis, ſicut contingit accipitri prædatori: *Exemplū.* dum enim ſtellio, animal paruum, in rimula ſua quieſcit; dum ſupra ſe accipitrem volare proſpicit, quadam eum occulta vi ad ſe trahit, & eum diſcerpens, auibus ad manducandum exponit. Quaſi enim diceret: Ecce tu in prædam datus es alijs, qui ceteros prædaris. Numquam enim vidi, immo vix audiui hominem prædatorem, fratrum ſuorum oppreſſorem, *Mat.26.e.* bene vitam finire: quia, qui ferit, gladio peribit.

Quinto, paruuli ſunt ad accipiendum veloces: numquam ita plorant, quin ſtatim currant, & rideant, ſi quis eis pulchrum pomum porrigat, vel denarium album offerat. Valde enim munuſcula amant; quæ ſi ablata eis fuerint, plorant. Beatus ergo Antonius, quia verus paruulus erat, ad cæleſte Regnum ſibi promiſſum totis affectibus aſpirabat. Sępe ad illud oculos eleuabat: & pro accipiēdi deſiderio irremediabiliter flebat. Sciebat enim, ꝙ iuxta menſurā paruitatis in via, erat menſura felicitatis in Patria. Vnde, cum Diſcipuli quærerent a Domino: Quis putas maior eſt in regno cælorum? *Mat.18.a* Ille, aduocans paruulum, ſtatuit eum in medio, & dixit: Amen dico vobis, niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum. Quicunque igitur ſe humiliauerit ſicut paruulus iſte, hic erit maior in Regno cælorum. Quid igitur, fratres chariſſimi? per diuerſa nitimini; quid laboratis in ventum? niſi, ſuperbia depoſita, efficiamini paruuli, Regnū non accipieris æternum: & tanto ibi maiorem obtinebitis locum, quanto hic eſſe poteritis paruiores. *Exemplū.* Nam & vapor, quanto magis ab imo ſurgit, tanto plus in altum aſcendit. Vnde vapor, reſolutus a terra, quæ loco eſt infima, vapore, qui reſoluitur ab aqua, ſublimius eleuatur. Nunc vltimo prædicabitur de fama Sancti, quàm excelſus in cælo, quám famoſus in mundo. Vnde hic ponenda ſunt eius miracula, & populo prædicanda. *Miraculū. Surius in Vitis, die 13. Iunij. ca.28.to.3.* Ego vnum referam, quod legi ipſum feciſſe in vita. Dum enim, ad quendam mortuum vt prædicaret, inuitatus a parentibus eſſet, hoc in thema propoſuit: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. deinde addidit: quòd cum mortuus non Deum, ſed aurum amauerat, cor ipſius non erat in eo, ſed cum ipſis denarijs in marſupio. Cumq. illi diligenter inquirerent, non in ipſo, ſed in ipſo marſupio cor hominis inuenerunt. Rogemus ergo Dominum, &c.

## DE EODEM SERMO II.

*Sap.7.b. Iac.1.a.* I*Nuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Scribitur autem: Qui indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei. Qui enim aliquo indiget, quod poteſt habere, ſi non petat, negligentiæ poteſt argui, ſi a donatore illud non poſtulat. Non eſt enim res petenda ab eo, qui non habet, ſed ab eo, qui poſſidet. Nūquid a ficu vuæ petendæ ſunt, vel ficus a vite? *Eccl.1.a.* Cum igitur omnis ſapientia ſit a Deo, vt habetur: & ipſe ſit ſumme largus, omnibus eam dare paratus, ab eo ſolo ſapientia ab omnibus eſt petenda. Quod Beatus Antonius dum cognouit, dum ſapiens eſſe appetijt, ſapientiam a Domino poſtulauit: &, quam poſtulauit, accepit. Vnde bene dicit: *Inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* In quo verbo principaliter notantur duo. Primo, eius deuotus affectus, quem habuit, Deum affectuoſius exorando: Secundo, orationis vtilitas, ſiue fructus, quem obtinuit, ſapientiam petendo. Nam affectus præueniens notatur, cum dicitur, *Inuocaui*, ideſt, intus oraui: ſed fructus conſequens notatur, cum additur, *& venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Verum quia plura de oratione recolo me dixiſſe, nunc de fructu, quæ eſt ipſa ſapientia, qua anima fit tota ſciens, & ſapida: non eſt enim aliud ſapientia, quàm ſcientia ſaporoſa. Vnde de ipſa aliquid eſt dicendum. Eſt igitur hic notandum, quòd Beatus Antonius habuit in ſe ſcientiam omnium antiquorum; ſcilicet, Angelorum, quæ conſiſtit in miniſtrando: Patriarcharum, quæ eſt ſimilis ſapientiæ viatorum: Prophetarum, quorum eſt prouidere futura, & nunciare: Apoſtolorum, quæ ſimilitudinem habuit cum ſapientia mercatorum: Martyrum, quæ ſimilitudinem habet cum ſapientia pugnatorum: Confeſſorum, ſiue Doctorum, quæ eſt ſapientia Magiſtrorum: Virginum, quæ conſiſtit in fugiendo mala, & conſortia hominum.

Primo dicamus, quòd ipſe habuit ſcientiam Angelorum, quæ conſiſtit in miniſtrando. *Heb.1.c.* Omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus, ſicut dicitur. Dicitur autem ille miniſter ſapiens, qui voluntatem Domini prudenter intelligit, fideliter complet, & perficit: & qui Dominum, cum iratus eſt, placare nouit. Tales fuerunt Angeli in principio ſuæ conuerſionis ad Deum, quando, malis ſuperbientibus angelis, & ideo de cælo ruentibus. Sancti Angeli, dū voluntatem Domini aduerterent, ad Deum fideliter conuerſi ſunt, & iram eius obſequio humili placauerunt. *Prou.11.a* Scriptum eſt enim: Vbi ſuperbia, ibi contumelia: hoc, quantum ad Angelos malos. ſed, vbi humilitas, ibi & ſapientia: hoc, propter bonos. Beatus ergo Antonius, tamquam miniſter bonus, & Deo fideliter miniſtrauit, & eius iram erga ſe, & alios ſuis precibus mitigauit. Vnde de eo poteſt exponi illud: *Prou.16.b.* Indignatio regis, nuncij mortis: & vir ſapiens placabit eam. Sed, quis hodie eſt, qui ſic Deo miniſtret, vt iram eius placet, & non potius prouocet? Mala ſunt corda, plena diſcordia, odio venenoſa, in omnibus fraudulenta. Mala ſunt noſtra verba, maledica, detractoria, ad malum inducentia, vana inſuper, & mundana. Et mala ſunt opera, vt probant latrocinia, homicidia, & adulteria, & ſimilia, &c. Sed numquam ex talibus Dei ira placatur, ſed potius prouocatur. *Iſa.5.f* In omnibus his, inquit Eſaias, Non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta eſt: ergo eſſent facienda opera, & dicenda verba, per quæ Diuinus impetus placaretur. *Val. Max. lib.5.ca.1. hoc exemplum narrat de Pyrrho Epyrotarum Rege, non de Dionyſio, ut hic habetur.* Si enim verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, immo & tyrannos crudelitatibus aſſuetos, quāto magis placatur his Deus, qui ex natura totus dulcis eſt, & benignus? Nam apud Athenas quidam tyrannus, nomine Dionyſius, imperabat. de quo cum in quodam conuiuio quidam de ipſius actibus malis nimium murmuraſſent, apud eum ſunt accuſati. At ille, furore plenus, eis vocatis, ſi vera eſſet relatio, requiſiuit. Tunc vnus iucunde ait: Niſi nobis vinum defeciſſet, nihil eſt, quod diximus, in comparatione eius, quod dixiſſemus. Tunc ille riſit: & placatus eſt: *Prou.16.c.* Qui ſapiens





eſt

eſt corde, & dulcis eloquio, maiora recipiet. A

Secundo, Beatus Antonius habuit ſapientiam Patriarcharum, quæ eſt ſimilis ſapientiæ viatorum. Dicitur enim ſapiens viator, qui nouit rectam viã tenere. Sed ille dicitur ſapientior, qui nouit viarum pericula declinare. Ille vero dicitur ſapientiſſimus, qui, vbi nec via, nec ſemita eſt, nouit iter ſuum dirigere. Tales fuerunt Patriarchæ, qui, nondum apparente via præceptorum, quæ in lege Moyſi fuit data, nec ſemita conſiliorum, quæ per Chriſtum in Euangelio oſtenſa eſt, terram tamen propriam dimiſerunt, & conſanguineos reliquerunt, & viam ſcrutari cœperunt, qua iretur ad cælum. Nam, ſi- B cut habetur in Geneſi, *Gen. 12. a.* & Apoſtolus Paulus meminit, *Heb. 11. b.* Abraham vocatus, obediuit exire in locum, quẽ in hereditatem acceperat, & exijt neſciens quo iret. Talis re vera fuit Beatus Antonius, dum, relicto ordine, in quo erat, fratribus adhuc quaſi mundo ignotum totaliter ſe commiſit: &, relictis domeſticis extraneis, adhæſit, vt eſſet ille, de quo dicitur: *Prou. 24. a.* Vir ſapiens dirigit greſſus ſuos. Sed quis hodie ſanctum hunc ſequitur? Ecce, chariſſimi, certa eſt via, nota omnibus ſemita, cœli ianua eſt aperta: data ſunt præcepta, propoſita ſunt Diuina conſilia: & tamen non eſt, qui teneat ea, ſed omnes diuer- C tunt a via. *Pſal. 13. a.* Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Vere ſunt homines noſtri temporis ſimiles vulpi, quæ numquam recte vadit, ſed ſemper tortuoſis greſſibus incedit. Adeo enim ſunt tortuoſæ viæ hominum hodie, vt neceſſe ſit eis errare. *Prou. 30. c.* Vnde de hoc poſſet exponi illud: Tria ſunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri ſupra petram, viam nauis in medio maris, & viam iuuenis in adoleſcentia ſua. Omnia iſta (ſicut ad ſenſum patet) tortuoſe vadunt: nunc huc nunc illuc ſe diuertunt: & numquam re- D cto itinere procedunt. Certe ſic & homines hodie, derelicta via Dei, quæ eſt tota recta, viam ſequuntur ſerpentis antiqui, & huius ſęculi vaniſſimi, quæ tota eſt tortuoſa, quamuis eis videatur recta. Vnde *Prou. 14. b.* dicitur: Eſt via, quæ videtur homini recta, ſed nouiſſima eius ducunt ad mortem.

Tertio, Beatus Antonius habuit ſcientiam Prophetarum: quorum eſt præuidere futura, & ea populis nunciare. Talis enim fuit re vera Beatus Antonius, dum per ſe Paduanam ciuitatem ſublimandã eſſe præuidit: *Sur. in Vitis die 13. Iunij to. 3.* dum etiam Canonico ſocio improperanti, Vade, vade, quia forſitan ſanctus eris, pro- E phetans ſic reſpondit: Dum me ſanctum audieris, Deum vtique collaudabis. Lege hic attentius in Legenda, quæ ſunt breuiter hic inſerta. Vere enim Beatus Antonius ſpiritualiter gallus fuit, cantans in die, cantans in nocte, & a Diuinis laudibus, & a prædicatione non ceſſans. Vnde de eo poteſt exponi illud: *Iob 38. d.* Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? aut quis dedit gallo intelligentiam? Magnæ enim ſapientiæ, & intelligentiæ gallus fuit, dum, admodum galli, ſuis cantibus ægros ſpiritualiter cõfortauit, & malos, & impios attriuit, lapſos reparauit, feſſos fortificauit. Nam & ad cantum galli, F ſicut dicitur, ægri confortantur, mucro latronis abſconditur, & lapſis fides reuertitur. *Ambroſ. in Hexamerõ lib. 5. c. 24. to. 1. & to. 5. in primo Hymno, Æterne rerum Conditor.* Sed non ſunt hodie tales noſtri ſpeculatores, noſtri rectores, noſtri maiores, quia populis ſubditis non ſolum non præuident futura, ſed nec ordinant præſentia: quia non ſunt ſapientia illuminati, ſed ſunt cæci, omni lumine veritatis deſtituti. Vnde de eis dicitur: *Iſa. 56. d.* Speculatores eius cęci omnes neſcierunt vniuerſi: canes muti, non valentes latrare, videntes vana. Tales enim non attendunt mala, quæ in ciuitatibus fiunt, *Iſa. ibid.* quia cęci ſunt. Canes enim muti ad nihil vtiles ſunt: vnde nec pane digni ſunt.

Quarto, Beatus Antonius habuit ſapientiam Apo- A ſtolorum, quæ ſimilitudinem habet cum ſapientia mercatorum: ipſi enim ſunt, qui titulo emptionis emerunt regnũ cælorum. *Mat. 19. d.* Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et ait illis Ieſus: Vos, qui reliquiſtis omnia, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. Optima re vera mercatio, vbi pro paruis dantur magna, pro corruptibilibus incorruptibilia, & pro caducis æterna. Bonus mercator, ille homo, qui nouit mercationem ſuam ſine damno deducere: ſed ſapientior ille, qui nouit ex paucis multa acquirere: ſed ille ſapientiſſimus haberetur, qui ſciret quaſi ex nihilo B bona inæſtimabilia comparare. Tales re vera fuerũt Apoſtoli, dum pro nobis terram deſiderabilem inuenerunt. Certe hanc ſapientiam Apoſtolorum imitatus fuit Beatus Antonius, dum propter Regnum cælorum omnia dereliquit, & pauperem virũ Franciſcum, immo Dominum Ieſum ſecutus per omnia fuit: ſciebat enim, quòd hæc ſapientia omnia præcederet mundi bona, iuxta illud: *Prou. 3. b.* Beatus, qui inuenit ſapientiam, & affluit prudentia: melior eſt, *inquit*, acquiſitio eius negociatione auri, & argenti. Et ibidem dicitur: *Prou. 7.* Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt: & acquire prudentiam, quia melior eſt C argento. Et de hoc habetur ſatis in Sapientia. *Sap. 7. & 8. c.* Sed, quis hodie hanc ſapientiam quærit, & non potius eam abijcit, & toto poſſe diuitias quærit? Vnde dicitur: *Baruch. 4. c.* Filij Agar exquiſierunt ſapientiam, quæ de terra eſt, negociatores terræ. Filij Agar ſunt omnes mali Chriſtiani, qui a Chriſto, vero Patre; & ab Eccleſia, vera Matre facti ſunt alieni: &, omiſſa ſapientia Chriſti, toto poſſe quærunt diuitias mundi. Quis hodie eſt ſanctus mercator, qui ad lucrãdum regnum cælorum ſe toto corde diſponat? Sed potius auri, & argenti mercatores ſunt hodie, non ſolum, vt olim perſonæ viles, ſed milites, barones, D & principes: tales omnes, contra mercationẽ Apoſtolorum, pro vilibus dant pretioſa, pro terrenis cæleſtia, pro tranſeuntibus æterna, & ſumma bona: & quid hoc eſt ſtultius? Nobiliſſimi Romani, vt humanam poſſent conſequi gloriam, in omnibus contemnebant humanam pecuniam. Nam cum, Pyrrho Rege deuicto, *Val. Max. lib. 4. ca. 3. de abſtinentia. Exemplo 5.* Manius Curius, victor eiuſdem, Macedonum opibus paupertatem Romanam ſatiaſſet, & diuitias magnas Romanis præbuiſſet, nullo modo ſuos parentes fecit locupletiores, optime ſecum actum credens eſſe, ſi alij ex victoria ſua pecuniam, ipſe gloriam occupaſſet. Ergo, ſi propter E gloriam vanam citiſſime perituram ſic potuerunt viri pagani contemnere mundi bona, quid Chriſtianis faciendum eſſet propter æternam gloriam, omnibus bonis plenam plus quàm exprimi valeat vlla lingua?

Quinto, Beatus Antonius habuit ſapientiam Martyrum, quæ eſt ſicut ſcientia pugnatorum. Nam ille ſapiens pugnator fuit, qui nouit aduerſariorum inſidias declinare. Ille ſapientior creditur, qui nouit aduerſarios expugnare: ſed ille ſapientiſſimus habetur, qui per ipſas hoſtium manus, noſſet de hoſtibus triũphare. Talis re vera fuit ſapientia Mar- F tyrum pugnatorum, qui ſeruientibus ſibi manibus hoſtium meruerunt pertingere ad triumphum. Quis enim fabricauit coronam Stephano, niſi manus lapidantium? Quis Laurentio, niſi manus aſſantium? Quis Andreæ, & Petro, niſi manus crucifigentium. Quis Bartholomæo, niſi manus excoriantium? Et ſic de alijs eſt intelligendum. Vnde dicitur: *Eccli. 9. d.* Melior eſt ſapientia, quàm arma bellatorum. Hanc ſapientiam vir Dei Antonius habuit, *Sur. in Vitis die 13. Iunij to. 3.* cum martyrium ſic deſiderauit, ſic animoſe quæſiuit, & ſic ad patiẽdum omne quod potuit fecit: quem Deus tamen ad aliud ordinauit, ſicut ipſa Legenda oſtendit. Qui enim optabat bellare cum pœnis, datum eſt ſibi, vt bellaret cum vitijs: quod, ſecundum Gregorium, *Gregor. in Dialo. li. 3. ca. 26. to. 1.*

quoddam



quoddam martyrij genus exiſtit. *† Idẽ Greg. in Hom. 35 ſuper Euãgelio poſt med. to. 2.* Vnde de eo poteſt A dici illud: [a] Certamen forte dedit illi, vt vinceret, & ſciret quoniam omnium potentior eſt ſapientia. Et item dicitur: [b] Melior eſt ſapientia, quàm vires: & vir ſenſatus melior, quàm fortis. † Nobile genus vincendi eſt, per patientiam vincere. Sed, quis hodie patiens ad portandum, non dico martyrium, ſed modicum verbum? *[a] Sap. 10. c. [b] Sap. 11. d.* Confundunt impatientiam noſtram paganorum exempla. * Nam quidam fuit Romanorum nobiliſſimus conſul apud eos, & maximus, ſed aliquando ab æmulis accuſatus, & ab eis fuit expulſus. ** Val. Max. lib. 4. ca. 1. narrat huiuſmodi exemplũ de Dione Syracuſano: non de Romanorũ nobiliſſimo.* Qui, patriam egrediens, & ad extraneam gentem perueniens, regi patriæ ſe præſen- B tare volens, ad eius palatium iuit. Cumq. intrare ad eum non poſſet, in nullo turbatus, verbum memoriæ dignum, & maximæ patientiæ oſtenſiuum dixit ad ſocium: Oportet, *inquit*, nos patienter hoc ferre: quia nos, dum in dignitate noſtra eſſemus, ſępe talia alijs fecimus: ergo non debet facere Chriſtianus quod fecit paganus?

Sexto, Beatus Antonius habuit ſapientiam confeſſorum, ſiue potius ſanctorum doctorum, quæ eſt ſapientia magiſtrorum. Sapiens enim doctor ille dicitur, qui prudenter docet ſuos ſcholares: ſapientior ille, qui docet vnam totam prouinciam: ſed ſa- C pientiſſimus ille, qui docet omnem terram. Item ſapiens doctor eſt, qui docet in aliquo tempore, ſicut in hieme tota: ſed ſapientior, qui docet in tota vita: ſed ſapientiſſimus, qui ſic doceret in iſta, vt eſſet ſibi, & alijs vtilis in futuro. Talis re vera fuit Antonius, qui primo docuit ſe, vigilando, orando, ieiunando, & carnem ſeruire ſpiritui cogendo. Secundo, docuit proximum, non tantum in vno loco, ſed vndique per circuitum, non ea tantum, quæ valerent in hac vita ad meritum, ſed quæ valerent in futuro ad præmium, & ad euadendum infernale ſupplicium. Et propterea de eo poteſt exponi il- D lud: *Eccli. 21. c.* Scientia ſapientis, quaſi inundatio, abundabit: & conſilium eius, quaſi fons vitæ permanet. Sed, quis hodie eſt, qui ſic proximum doceat, qui ſic ei de bono animæ conſulat, & non potius varia quærat, vana amet, & vanis omni tempore deſeruiat? Statim modo vt nati filij cognoſcere incipiunt, ſtatim inſtruuntur, vt vanis intendant, & mundanis aſſueſcant, & computare diſcant. Quis vmquam modo docet filium, vt Deo ſeruiat, vt ad Eccleſiam vadat, vt mundum relinquat? Heu, dolendum, & plorandum eſt valde: quia pagani olim filios, & filias tradebant templis dæmonum, quos colebant, E & ibidem omni tempore ſeruire ſtatuebant: ſed Chriſtiani, ſerui emptitij, Chriſti ſanguine comparati, volunt filios ſuos magis ſeruire mundo, quàm Chriſto: magis crudeliſſimo tyranno, quàm vero, & pijſſimo Domino. Sunt enim omnes tales lupis ſimiles, qui filios ſuos adultos docent ad prædam, & inſtruunt ad inſidias canibus & ouibus faciendas.

Septimo, Beatus Antonius habuit ſapientiam virginum, quæ conſiſtit in fugiendo vana, & fugiendo hominum conſortia, in vitando verba ſcurrilia, & omnia, quæ poſſunt laſciuiæ eſſe cauſa. Hoc perfe- F cte fecit Antonius, dum mundum penitus fugit, & religionem elegit, non aliquem locum verbis, vel aſpectibus dereliquit. ſciebat enim eſſe ſcriptum: *Eccli. 3. d.* Sapiens cor, & intelligibile, abſtinebit ſe a peccatis, ideſt, non ſolum ab opere peccati cauebit, ſed & ab omnibus cauſis abſtinebit inducentibus ad peccatum. Vnde opus veræ pœnitentiæ eſt, cauſas peccatorum excidere, & eis aditum vltro non indulgere. *Ge. 34. per totum.* Exemplum de Dina, filia Iacob: quæ, quia ſe intra tabernaculum non continuit, ſed ad vidẽdum vana foris exiuit, & alterum in ſuam concupiſcentiam inflammauit, ipſam virginitatem perdidit, & tota ciuitas propter eam, deſtructionem incurrit. Lege historiam. Ob hanc enim cauſam apud Ro- A manos * mulier illa reputabatur incorruptũ gerere animum, quæ non egrederetur in publicum: & quæ, poſt primum, ſecundum non contraheret matrimonium, continentiæ habere virtutem. ** Val. Max lib. 2. ca. 1. de matrimoniorum ritu.* † Et, vt nullam incontinentiæ ſibi occaſionem darẽt, numquam bibebant vinum, ſed tantum erat apud eas continentiæ bonum, vt nullum timeretur apud eas adulterium. *† Idem Valer. in eodẽ lib. cap. eodem paulo poſt.* Magna confuſio Chriſtianis, apud quos ſunt prandia, ſunt vina varia, ſunt verba, & opera vana, omnia ad luxuriam prouocantia: & ideo apud nos nulla continentia, ſed adulteria, ſtupra innumerabilia. Rogemus ergo. B



# DE S. IOANNE BAPTISTA

## SERMO I.

DEdi te in lucem Gentium. *Iſai. 49. b.* Quid luce nobilius, quæ eſt naturaliter in ſummo omnium conſtituta, rerum omnium contentiua, & rerum omnium pulchri- C ficatiua? Sed hic eſt notãdum, quòd lux vniformiter non in omnibus eſt corporibus, ſed aliter eſt in ſolari ſubſtantia, aliter in luna, aliter eſt & in alia qualibet ſtella cæli. Nam in Sole lux eſt pleniſſima, & inacceſſibilis, propter ſuam excellentiam. In Luna lux eſt incõprehenſibilis, propter eius abundantiam: ſed in quacunque alia ſtella eſt viſibilis, propter ſui temperantiam. Lux ergo ſolaris, nobis inacceſſibilis, maxime Chriſti eſt figuratiua: D lux Lunaris, nobis incomprehenſibilis, ſignat maxime Virginem glorioſam, quæ a Chriſto, vero Sole, illuminata, eſt noctis illuminatiua, & aliarum quaſi ſtellarum obſcuratiua: lux vero ſtellaris, viſui noſtro comprehenſibilis, & minor ſupradictis, eſt Sanctorum ſignatiua. Vnde, cum Sol ſit vnus, quia vnus eſt Dominus: & Luna vna, quia mater Dei eſt vnica: Stellæ tamen ſunt innumeræ, quia innumerabiles ſunt Sanctorum perſonæ. Vnde, licet omnes ſancti in luce poſſint figurari, quia omnes fuerunt lucidi, & præclari, Ioannes tamen, quodam priuilegio ſpeciali, qui & lucerna ardẽs, & lucens fuit, E in mundum venit, vt teſtimonium perhiberet de lumine. *Ioan. 1. a.* Bene ergo Dominus de eo in ſua perſona dixit Iſaiæ: *Dedi te in lucem Gentium*. In quo verbo maxime tria notantur. Primum, ex parte Domini largientis: Secundum, ex parte nuncij relucentis: Tertium, ex parte populi proficientis. Nam ex parte Domini notatur liberalitas, qua ſuum præconem ad magna leuauit. Ex parte nuncij, ſiue ſerui, notatur ſublimitas, qua refulſit. Sed ex parte populi notatur vtilitas, qua perfecit. Notatur igitur primo, Dei liberalitas, cum dicitur: *Dedi te*. Notatur ſecundo Ioannis ſublimitas, cum additur: F *In lucem*. Notatur tertio populi vtilitas, cum infertur: *Gentium*. Notandum eſt ergo ad præſens, quòd Ioannes lux fuit, & quia veram lucem præuenit, & quia veram lucem annunciauit, & quia, prædicando, baptizando, docendo, mundum illuminauit. Lux enim (vt ex multis pauca dicam) eſt natura impaſſiua, eſt natura directiua, eſt natura confortatiua, eſt natura arguitiua, & eſt natura inflammatiua. Eſt impaſſiua, per extraneam actionem: Eſt confortatiua, per virium corroborationem, & viſus delectationem: Eſt directiua, per radiorum expanſionem: Eſt arguitiua, per rerum occultarum manifeſtationem: Eſt inflammatiua, per radiorum repercuſſionem, & multiplicationem.



Dico,

A Dico, quòd lux eſt in ſeipſa, natura, impaſſiua, nulli paſſioni ſuppoſita. Probat enim philoſophus, quòd illa cæleſtia corpora, quæ ſunt ex luce formata, nullius peregrinationis ſunt ſuſceptiua. Vbi autem actio non eſt, paſſio non poteſt eſſe, quia omnis paſſio ab actione eſt. Ergo manifeſtum eſt, quòd illa corpora ſunt impaſſibilia, & incorruptibilia. Beatus ergo Ioannes fuit lux impaſſiua per mentis, & carnis integritatem, & eam, quam ſemper ſeruauit, virginitatem, tam mente, quàm carne: hoc autem ex hoc apparet, quòd paruulus deſertum intrauit, & ſemper ab omnibus vanis remotus vixit.

*Luc. 1. g.* B Vnde dicitur: Puer autem erat in deſertis vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael. Vnde de eo cantat Eccleſia:

*Hymnus ex Paulo Diacono.*

*Antra deſerti teneris ſub annis*
*Ciuium turmas fugiens petiſti,*
*Ne leui ſaltem maculare vitam*
*Famine poſſes.*

Quia igitur donum incorruptionis ſemper tenuit, & ſeruauit, lux incorrupta, & impaſſibilis fuit. Lux enim ſolaris numquam deficit, ſed ſemper in ſole lumen exiſtit. Vnde dicitur, loquendo

*Sap. 7. d.* de ſapientia increata: Propoſui, *inquit*, pro luce C habere illam: eo quòd, ſicut lumen lucis eſt inextinguibile (ſicut apparet in ſole) ſic & lumen ſapientiæ. Sed quis eſt hodie lux incorrupta, lux pura, lux immaculata? Lux enim, etiam ſi per ſordes tranſeat, nullas contrahit maculas: ergo illi non ſunt lux munda, ſed tenebra: qua ex verbis, & factis, & ex ſignis contrahunt immunditiam. Miro modo deteſtabantur antiqui, & puniebant grauiſſime corporis voluptates, cum ſint animæ infectiuæ, corporis vero debilitatiuæ, vitæ diminutiuæ,

*Cic. in Cat. Plut. in Pyrrho: & Val. Max. lib. 4. c. 3. de abſtinentia.*

& mortis acceleratiuæ. Vnde Fabricius, Romanorum nobiliſſimus, cum apud Pyrrhum Regem pro D Romanis eſſet legatus, audiuit quendam referentem, quòd philoſophus quidam Athenienſis diceret omnia eſſe facienda propter corporis voluptatem. Quod cum audiſſet, adeo deteſtatus eſt, vt pro monſtro illam ſententiam haberet. Dixitq. Regi: Quamuis Athenienſes de ſua doctrina glorientur, valde tamen in hac ſententia falluntur. Quod euẽtus ipſe probauit. Nam vrbs ipſa, poſtquam voluptati ſe dedit, imperium maximum, quod tenebat, amiſit: & vrbs illa, ſcilicet Roma, quæ ſe laboribus occupauit, imperium eius obtinuit. Illa per luxuriam tueri non potuit quod iſta per continentiam occupauit. E Ad ſenſum videmus, quòd viri luxurioſi, & delicijs dediti, fiunt totaliter effeminati, ad bella omnino inepti, quia mucronem prius fugiunt, quàm ab aduerſario extrahatur. Nulla eſt alia cauſa, quare Italici noſtri vltra montanos fugiunt, & defenſionem non faciunt, (cum ſint plures illis, corpore pulchriores, artubus fortiores) niſi quia delicijs dediti, timent capi, timent vulnerari, timent occidi.

Secundo lux eſt debilium confortatiua, & viſus directiua, vnde Philoſophus dicit, quòd in aſcenſu ſolaris lucis vſque ad mediam diem, confortantur, & creſcunt vires in corporibus animalium, quæ in F deſcenſu eius ad occaſum decreſcunt, & reſoluuntur in ſomnum. Videmus etiam, quòd ad præſentiã lucis confortantur itinerãtes, confortantur nauigantes, & ægrotantes. Lux etiam miro modo viſum delectat, quando ſe illi contemperat. Vnde Eccleſia-

*Eccls. 11. c* ſtes: Dulce lumen, & delectabile eſt oculis, videre ſolem. Ioannes ergo fuit lux confortatiua, dum ad pœnitentiam populos, exemplis, & operibus animauit: nam & prædicationem ſuam a pœnitentia in-

*Matt. 3. a. Luc. 3. a.* choauit, ſicut habetur in Matth. Et in Luca. Vbi dicitur quòd venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem omnium peccatorum. Parate, *inquit*, viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Ecce quomodo con-

A fortabat omnes in generali, confortabat in ſpeciali turbas ad eleemoſynas, publicanos ad iuſtitiam, milites ad miſericordiam: nam ſicut habetur in

*Luca. 3. c.* Luca: Interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid faciemus & nos? quibus dicebat: Qui habet duas tunicas, vnam det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat, dicebant & publicani: Magiſter quid faciemus? quibus ille: Nihil aliud, quàm quod conſtitutum eſt vobis, ideſt ea, quæ recepiſtis, fideliter & iuſte tractetis. Item militibus quærentibus, & nos quid faciemus? ait: Neminem cõcutiatis, neque alteri calumniam faciatis: & eſtote contenti B ſtipendijs veſtris. Vide quomodo omnes in generali, & in ſpeciali confortabat. O quàm felices turbæ, mercatores, & milites, ſi doctrinam hanc obſeruarent! Sed quis eſt, qui de duabus tunicis, immo de minimis, & varijs, det vnam non habenti? Quis eſt, qui iuſte, & ſine fraude mercationes faciat, & qui in aliena bona ſibi commiſſa turpiter non inuadat? Quis eſt ex maioribus, qui minoribus calumniam non faciat, qui ſeruos non concutiat, qui ſuis ſtipendijs contentus exiſtat? Vtinam officiales nihil acciperent vltra ſuum: ſed omnes quidem furãtur, & rapiunt: & qui plura rapit, melior & ſapientior C reputatur, &c.

Tertio, lux eſt natura arguitiua per rerum occultarum manifeſtationem: dum enim lux tenebras pellit, occulta detegit & abſcondita manifeſtat: latrones, & adulteri tenebras quærunt, latere volunt: & ideo lucem fugiunt, & odiunt ad modum rubetæ. Eſt enim rubeta quædam rana venenoſa, quæ

*Rubeta quid ex Plin. li. 32. cap. 5.*

odit loca odorifera, & boni odoris, & diligit fœtida, & fimoſa: & ideo lucem fugit, & tenebras ſemper quærit, quod omnium maleficiorum officium exiſtit. Vnde dicitur in Ioan. Hoc eſt iudicium, quia

*Ioan. 3. c.* lux in mundum venit: & dilexerunt homines maD gis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucẽ, vt non arguantur eius opera mala: qui autem, *inquit*, facit veritatem, venit ad lucẽ, vt manifeſtentur eius opera, quæ in Deo ſunt facta. Fuit ergo Ioannes lux arguitiua: qui peccatores grauiter arguebat, nulliq. parcebat: vnde dicitur

*Matt. 3. b.* in Matthæo, quòd videns multos Phariſæorum, & Sadduceorũ, ad baptiſmum ſuum venire, dixit eis: Progenies viperarum, & filij patrum peruerſorum, quis monſtrauit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. Ecce ſecuris ad raE dicem arboris poſita eſt: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ecce quàm grauiter arguebat illos, qui videbantur ceteris ſanctiores. Non etiam verebatur perſonam potentis: vnde nec Herodi parcebat, ſed eum de vxore fratris ſui, quam fratre viuente acceperat, grauiter arguebat, ſicut habetur in Matth. Nã

*Mar. 6. c. d*

& ob hanc cauſam ab Herode, occiſus eſt. Lege hiſtoriam totam. O quot inter nos ſunt hodie Herodes, fornicatores, aliorum habentes vxores: virginum conſtrupatores, & maſculorum concubitores, qui lucem odiunt, arguentes fugiunt, prædicatores F audire nolunt: ſed Ioannem, ſi poſſent, occiderent. Sed numquid Herodes hoc fecit impune? Non, *inquam*, ſed ipſe in exilium relegatus, miſerrime vitam finiuit cum ipſa meretricula, quam amauit: ſed & puellam, quæ ſaltauit, & caput Ioannis petijt, viuam terra abſorbuit. Dicit tamen quædam hiſtoria, quòd dum Herodias caput Ioannis teneret, caput eius in eam efflauit, & protinus in puluerem vertit.

*Niceph. lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 20. ex Ioſepho lib. 16. & 18. Antiquit.*

Quarto, lux eſt natura inflammatiua, ſiue calefactiua per radiorum repercuſſionem, & multitudinẽ: dum enim ſolares radij ad corpus opacum veniũt, dum tranſire vltra non poſſunt, ab ipſo corpore repercuſſi retrocedunt; ſicut pila, ad murum proiecta, cum pertranſire non poſſit, repercuſſa ab ipſo corpore





A corpore retrocedit. Radij ergo ſic repercuſſi circa corpus illud ſe multiplicant, & maximum ibi calorem generant. Vnde ſemper maior calor eſt iuxta parietem, quàm in campo: & maior eſt etiam calor in valle, quàm in monte: quia in valle radij detinentur, ne tranſeant, cum in monte detineri non valeant. Item ex eadem ratione minor eſt calor tempore hiemis, quàm æſtatis: quia in hieme radij ſuper terram quaſi cadunt ex latere, & vltra tranſeunt, & non ibi ſubſiſtunt: ſed in æſtate cum

*Zenith, pũctus eſt in firmamẽto directe ſuprapoſitus capitibus noſtris.*

Zenith, qui eſt pũctus directe poſitus ſuper caput noſtrũ, approximat ſol, & radij quaſi diametraliter caB dũt ſuper terram, & ſic ibi ſubſiſtunt, nec vltra procedunt: propter quod calorem efficiunt. Fuit ergo Ioannes lux calefactiua, & inflammatiua in verbis, & operibus, & exemplis: vnde de eo dicitur, quòd fuit lucerna ardens, & lucens: ardens in affectu, lucens in intellectu: vel ardens in corde, lucens in opere: vel ardens quantum ad ſeipſum, lucens per comparationem ad proximum. Ipſe enim fuit He-

*Eccli. 48.* lias, de quo in Eccl. dicitur, quòd ſurrexit Helias ſicut ignis, & verbum eius ſicut facula ardebat: ſed væ mundo miſero, quia non eſt hodie, qui hac luce inflammetur: ſed ſumus niue frigidiores, quæ

*Plin. li. 32. cap. 5.* C numquam calefieri poteſt: Eſt quoddam oſſiculum in dextro latere rubetæ tantæ frigiditatis, quòd in lebetem ſi miſeris, feruere non ſinit: & ſi feruet, ſtatim feruere deſinit. Sic multi non ſolum in ſe non ſunt calidi, ſed adeo frigidi, vt omnes, cum quibus conuerſantur, infrigident.

## DE EODEM SERMO II.

*Luca 1. f.* I*oannes eſt nomen eius*. Tantæ excellentiæ fuit beatiſſimus Ioannes, vt plena lingua dici nequeat. D Quis enim ſic totus ſanctus, ſic omni tempore vitæ ſuæ conuerſatus, ſic a Deo commendatus, vt præcurſor hic maximus? Non enim abſque rationabili cauſa Ioãnes toties appellatus fuit. Ergo bene ad laudem eius aſſumitur, vt dicatur: *Ioannes eſt nomen eius*, quaſi vir magnæ gratiæ, vel magnorum meritorum. Quamuis igitur eius altiſſima merita plene non poſſimus exprimere lingua, breuitatis tamen gratia ex quattuor poſſumus oſtendere altiſſima eſſe, ſcilicet ex parte abundantis gratiæ, quam accepit: ex parte humilis E conſcientiæ, per quam vilia de ſe ſenſit: ex parte aſperæ pœnitentiæ, quam ſemper portauit: ex parte zeli iuſtitiæ, pro qua mori non timuit.

Dico primo, quòd Beatus Ioannes magnorum fuiſſe meritorum oſtenditur ex parte abundantiſſimæ gratiæ, quam accepit. Ioannes enim interpretatur, in quo eſt gratia Dei: & vt daretur intelligi, quòd eius gratia fuit maxima: nam a tribus, Spiritu ſancto dictante, plenus eſt appellatus, vt ex ore trium teſtium tam veracium, eius meritum probaretur fuiſſe quàmmaximum. Nam primus impoſitor nominis, vt de Deo omittam, fuit Ange-

*Ioannes quid.*

F lus, qui Zachariæ apparens, ait: Eliſabeth vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioan-

*Luca. 1. a. b* nem. Lege hiſtoriam. Item & hoc ibidem: Cum natus eſſet puer, venerunt circumcidere eum: & vocabant eum nomine patris eius Zachariam. Quibus obuians mater eius, ſciens, quid dixiſſet Angelus, dixit ad illos: Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes. Iterum dum innuerent patri eius, quem vellent vocari eum, poſtulans pugillarẽ, ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomẽ eius: & ſequitur, quòd mirati ſunt vniuerſi. Vnde mirati? quia ſic ab Angelo nunciante, ſic a matre concipiente, ſic a patre generante, puer Ioannes concorditer eſt nominatus. Dum ergo toties aſſerunt, eum eſſe Ioannẽ,

A oſtendunt in eo plenitudinem gratiæ. Sed nos hodie fratres mei in culpa concipimur, in peccatis naſcimur, in peccatis nutrimur, & in peccatis ſæpius nominamur. Vnde poſſumus merito gemere, ſicut Innocentius dicit, eo quòd ſit noſtra cõceptio culpa, natiuitas pœna, & vita mori. Quotidie morimur, quotidie vitam finimus, quotidie ad mortem tendimus, nec ad punctum ſtare poſſumus. Vnde

*Hominis natiuitas cur lugenda.*

*Mos vetus.* ob noſtras tantas miſerias mos fuit olim in terra, vt in natiuitatibus hominum flerent, eo quòd ad pœnas venirent, & in eorum morte gauderent, eo quòd mundi mala effugerent. Nota eius merita

*Ioan. 1. per totum.* B ab eodem Angelo, quo Dominus, nunciatus, a Maria adhuc in vtero ſalutatus: & natus, ab ipſa in brachijs eleuatus, & in natiuitate eius totus mundus gauiſus.

Secundo apparet, eum fuiſſe magnorum meritorum ex parte humilis conſcientiæ, per quam vilia

*Luca 14. c.* de ſe ſenſit. Si enim iuxta ſententiam Saluatoris, quæ mentiri non poteſt, omnis, qui ſe humiliauerit, exaltabitur. Ergo qui ſe magis humiliat, magis exaltabitur: & qui maxime, maxime. Sed Beatus Ioannes ſumme humilis fuit, vilia maxime de ſe ſenſit, vilia de ſe prædicauit, vilia de ſe quærentiC bus reſpondit. Hæc omnia probantur per Ioan-

*Ioan. 1. c. d*

nem. Cum enim Ioannes tantus eſſet, quòd crederetur a multis Meſſias, requiſitus a Sacerdotibus, & Leuitis, ſe non eſſe Chriſtum, nec Heliam, nec prophetam, reſpondit: ſed vocem ſe eſſe dixit, quaſi dicat quid in me erratis? Chriſti Dei verbum manet in æternum, ſed vox deficit. Et poſt multa, quæ humilitatem eius ſonant, cum dicerent ei: Quare baptizas, ſi tu non es Chriſtus? dixit: Ego baptizo vos aqua: medius autem veſtrũ ſtetit, quem vos neſcitis: ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum

*Ioan. 3. c. d* D dignus ſoluere corigiam calceamenti, &c. Et plura addidit de ſua humilitate ibidem. Ergo quia ſic in ſummo humilis fuit, ſumme exaltari promeruit. Sed quis hodie humilis cum Ioanne? quis non ſuperbus cum Herode? quid hodie mundus niſi ſuperbia? vnde diſcordiæ, vnde guerræ, vnde rixæ, vnde incendia, vnde homicidia, vnde furta, vnde adulteria, vnde omnia mala, niſi ex ſuperbia, quæ diuina paruipendit imperia, diuina refugit præmia, nulla infernalia formidat ſupplicia? Vtinam attenderent miſeri quòd eorum gloria eſt, ſicut palea igne ſuccenſa, quæ ad ictum oculi tota E combuſta, nec etiam viles cineres derelinquit. Sunt enim ſicut aqua defluens, quæ prius diſſoluitur, quàm tangatur. Multum erigitur, & inflatur ſpuma maris, ſed mox euaneſcit modico vento tacta. Vnde vobis filij ſuperbiæ tanta de vita fiducia? Numquid non corpus humanum fragilius eſt, quàm vitrum, quia vitrum ſolo concuſſu alterius corporis rumpitur, ſed hominis corpus modis innumeris frangitur? ſed numquid cõfidis in pecunia? ſed vbi mundi diuites, vbi Principes, vbi Reges, qui omnia poſſederunt. Sic de potentia, ſic de ſapientia penitus eſt ſentiendum. Ergo fratres non ſuperbiamus cum F Herode, ſed ſimus humiles cum Ioãne: non ſuperbiamus cum diabolo, ſed ſimus humiles cũ Chriſto.

Tertio oſtenditur fuiſſe magnorum meritorum, ex parte auſteræ pœnitentiæ, quam ſemper portauit: fuit enim auſtera eius pœnitentia ex parte loci, & ex parte veſtimenti, & ex parte cibi. In his enim tribus conſiſtit auſteritas pœnitentiæ: nam infantulus introiuit deſertum, vbi eſt locus vilis, locus ſterilis, locus inhabitabilis. Item eius veſtimentum viliſſimum, & aſperrimum. Item cibus eius modicus, & admirandus, & ſimiliter potus. Vnde dicitur in

*Mat. 3. a.* Matth. Ipſe Ioannes erat in deſerto, & habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos. Eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſilueſtre,

*Luca 7.e.* ſilueſtre de potu eius dicitur in Luca: Venit Ioannes Baptiſta, non manducans panem, neque bibens vinum, prædictum enim erat per Angelum: *Luca 1.b.* Vinum, & ſiceram non bibet. Sed quis hodie talem pœnitentiam facit? non in deſerto, ſed amplis palatijs, & lectis ſpacioſiſſimis pœnitemus: noſtra pœnitentia ſunt delicatiſſima veſtimenta, non duo paria, ſed plurima: non locuſta, nec panis, & aqua, ſed fercula varia, & vina dulcia, & diuerſa: vere non eſt vera, ſed falſa noſtra pœnitentia. immo nec pœnitentia eſt nominanda, vbi nulla ſunt aſpera, ſed dulcia vniuerſa. Si enim Ioannes, qui ex vtero fuit ſanctus, qui, vt dicitur, actualiter nũquam peccauit, B tam aſperam pœnitentiam faciebat, quid facere debent peccatores impij, peccatis omnibus pleni? Ipſe enim Ioannes prædicauerat: Facite fructus dignos *Luca 3. b.* pœnitentiæ. Vbi dicit Gregorius, quòd non debet eſſe par pœnitentia eius, qui parum, & eius, qui multum peccauit: ergo ſecundum menſuram culpæ debet eſſe menſura pœnitentiæ. *Greg. Hom. 20. in Euãgel. ante med.* Si Ioannes, & Helias, & omnes ſancti Patres, in deſertis Ægypti tantis ſe vigilijs, & ieiunijs macerarunt, tam aſpera, & inculta veſtimenta portauerunt: quid nos pleni peccatis omnibus facere debemus? Quarto Ioannes oſtenditur fuiſſe magnorum meritorum C ex parte zeli iuſtitiæ, pro quo animam ſuam poſuit. Nam quia Herodem de vxore fratris arguit, Herodes ipſum occidit. Multipliciter metuebat Herodes Ioannem, ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum. O quot ſunt Herodes, qui iuſtos premunt, angarias eis imponunt, & quandoque pro iuſtitia occidunt, nec argui volunt? &c.

## DE SS. PETRO ET PAVLO SERMO.

*Matt. 19.* *Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit Filius hominis in* D *ſede maieſtatis ſuæ, & vos ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes tribus Iſrael*, Hieronymus in Matthæũ: *Hier. in ca. 19. Matth. circa finem li. 3. to. 6.* Grandis fiducia, Petrus piſcator erat, cibũ manu & arte quærebat: & tamen confidenter dicit: Dimiſimus omnia: fecimus, quod iuſſiſti, quid igitur dabis nobis præmij? Ad hanc quæſtionem reſpondens ait: Vos, qui ſecuti eſtis me, &c. Circa igitur ſtatum meriti, quo in via potiſſime indigemus, vt tandem ad præmium veniamus, immorandum eſt, & notãdum, ante quàm veniamus ad meritorum ſtatum, quòd ſunt qui- E dam ſequentes carnis delectabilia. Carnem ſequuntur guloſi, & luxurioſi. Quidam ſunt ſequentes mundi deſideria. Mundum ſequuntur auari, & cupidi. Quidam ſunt ſequentes Chriſti veſtigia. Chriſtum ſequuntur Apoſtoli, & apoſtolici viri, ſiue potius omnes Sancti.

Dico, quòd quidam ſunt, qui ſequuntur carnem, & carnis delectabilia, ſicut guloſi, & luxurioſi, qui ad nihil aliud vacant, niſi vt bene comedant, & bibant, & vana videant, vana audiant, & turpia tangant: tales ſimiles ſunt porcis, qui os totum, dum comedunt, in paſtam figunt, & ſine maſticatione F deglutiunt, & ſtatim poſt cibum in luto ſe ponũt, nec ori a luto parcunt. Certe tales ſunt omnes carnis amatores, qui primo ſe cibis, & vinis ingurgitant, & ſic tandem luxuriæ vacant. Vnde de eis *Prouerb. 7. per tot.* dicitur in Prouerbijs, vbi eſt ſermo de muliere meretrice, quæ irretiuit iuuenem multis ſermonibus, & procaci vultu blandita eſt ei, quòd iuuenis eam quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens ignorans, quòd ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta iecur eius, vel quaſi auis feſtinet ad laqueum, neſciens, quòd de periculo animæ eius agatur. Nota verba. Nam primo ſequitur eam lentus, quaſi bos ad macellum ductus. A Secundo ſequitur eam lætus, quaſi laſciuiens agnus. Tertio ſequitur eam feſtinus quaſi auis ad eſcam, celeri volatu deducta. Primo vinculatur, & neſcit. Secundo ſagittatur, & non fugit. Tertio occiditur, & ſic perit. Vinculatur primo, mala affectione: ſagittatur ſecundo in occaſionis acceptione, ſicut in riſu eius, vel in aſpectu oculorum eius, & ſimilibus: ſed tertio occiditur in conſenſione, ſiue in peccati perpetratione. Et propter hæc omnia dicitur in Eccleſ. Poſt concupiſcentias tuas ne eas, & a voluntate tua auertere: quia ſi dederis animæ tuæ concupiſcentias, faciet te venire in gaudium inimicis tuis. *Eccl. 18. d.*

B Secundo ſunt quidam, qui quærunt mendacia, & mundanorum falſa deſideria. Et tales ſunt omnes auari, & cupidi, & griſonici. O ſumma fatuitas auarorum, quærũt vento, & vanitatibus mundanis ſatiari, quia non attendunt, quòd numquã ſatiari poſſũt: ſed quanto plura acquirunt, tanto plura appetunt, & vacuos ſe eſſe magis inueniunt: dicitur enim in Eccleſ. Quaſi qui apprehendit vmbram, & ſequitur ventum, ſic qui attendit ad vilia mundana, vere mundus eſt vmbræ ſimillimus, quia ſicut vmbra aliquid eſſe videtur, ſed dum apprehenditur, non ſentitur, nec manu tenetur, ſic mundus nunc videtur *Eccli. 34. a* C aliquid, ſed totus vanus exiſtit, ſicut vnuſquiſque in morte perpendit. Hinc Iob: Quaſi flos egreditur, & conteritur, &c. Ergo ſtultiſſimi ſunt auari, qui volunt vmbra fugiente repleri, & vento vaniſſimo ſatiari. *Iob 13. d.* Sunt enim draconi ſimillimi auari, qui quærit vento ſatiari, & vento credit ſuum internum incendium mitigari: de hoc enim Hieronymus ait ſuper illud Hieremiæ: Attraxerunt ventum ſicut dracones: Draco, *inquit*, eſt animal ſitibundum, intantum, vt vix aqua valeat ſatiari, & ideo vento os aperit, vt ſic ſitim extinguere poſſit. *Hier. 14. a* Quare cum nauem in mari viderit, & ventum ma- D ximum circa nauis velum aduerterit, tanto impetu illuc vadit, quòd ſæpe nauem ſubuertit, & tamen draco nihil proficit, cum ardorem nullo vento vnquam extinguere poſſit. Sed nota hoc, quòd omnes, qui carnem ſequuntur, & mundum ſequuntur, ſequuntur etiam diabolum, tyrannum vtique peſſimum, quærentem omnes ſecum trahere ad infernum: & tale eſt ſequi diabolum, quale eſſet, ſi agnus ſequeretur lupum, porcus vrſum, gallus vulpem, lepus canem, &c. Et licet caro omnes inficiat, mundus in omnibus paſſim deficiat, & diabolus omnes decipiat, nec alicui verum dicat, quia griſoni- E cus eſt, tamen hos peſſimos dominos ſequitur omnis mundus. Vnde in figura huius dicitur in libro Regum, ꝙ omnis Iſrael toto corde ſequebatur Abſalonem ad perſequendum Dauid: *2. Reg. 16.* Abſalon, quia laſciuus, ſignat mundum: ſed tyrannus, ſignificat diabolum, qui in ſuis membris perſequitur Chriſtũ. Sed attendite fratres: quia Abſalon perijt, & omnis populus, qui eum ſequebatur, diſperſus fuit, quia tempus adueniet, quando amatores ſui corporis, amatores mundi, & cõſecutores diaboli, omnes cum ſuo Principe ignibus infernalibus ſunt tradendi.

Tertio ſunt qui ſequuntur Chriſtum, agnum mã- F ſuetiſſimum, doctorem prudentiſſimum, Regem potentiſſimum, & Patrem dulciſſimum. Et tales fuerunt Apoſtoli, & omnes Apoſtolici viri & quis poſſet ſufficienter cogitare, quis ſufficienter verbis exprimere, quàm perfecte, quàm continenter, quanto feruore, Apoſtolorũ principes ſecuti ſunt Dominum Saluatorem? Nam rebus omnibus nudi, fame, ſitiq. confecti, verberibus attriti, carceribus macerati, iniurijs plurimis prouocati, tandem ſequentes Chriſtum, iudicati ſunt morti. Vide Legendam. Poteſt *Sur. 29. Iunij to. 3.* vnuſquiſque Apoſtolorum dicere pro ſe illud in Iob: Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus, veſtigia hu- *Iob 23.* militatis profundiſſimæ, paupertatis altiſſimæ, charitatis ardentiſſimæ, & patientiæ conſtantiſſimæ. Quæ

vmquam



vmquam in mundo, ſic humiles, ſic omnibus rebus A pauperes, ſic flãma charitatis ardentes, ſic in perſecutionibus patientes, vt Petrus, & Paulus? Vnde *Rom. 8. f.* Paulus dicebat ad Ro. Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? &c. Et ſequitur: Certus ſum, quòd neque mors, neque vita &c. poterunt nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Domino. Vnde potuit quilibet iſtorum figurari *Reg. 15. d.* in Ehai, qui dixit ad Dauid regem: Viuit Dominus, & viuit dominus meus rex: quoniam in quocunque loco fueris, domine mi rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus. Sic enim ſancti Apoſtoli dicere potuerunt vero Dauid, Domino Saluatori. B *Ioan 13. d.* Nam Petrus dixit: Animam meam ponam pro te. *Philipp. 1. c.* Paulus autem ait: Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. & Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto: Qui ſunt hodie fideles Chriſto, qui parati ſunt mori pro Chriſto, quando pro eius amore non poſſumus pati verba? Qui non ſuſtinet verba, quomodo portaret mortis ſupplicia? Nunquid nix, ſiue ros, ſuſtineret ignis incendia, quæ calorem nequeunt pati ſolis? O Chriſtiana confuſio, & ſempiterno digna opprobrio, quæ non poteſt pati pro Chriſto.

## DE SANCTA MARIA MAGDALENA. C

### SERMO I.

*Pſal. 41. a.* *Qvemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*. Quàm ardenti deſiderio, quàm flagranti incendio, ſe Magdalena D ad Chriſtũ habuerit, quis vllis exprimat dignis verbis? Nã primo ex magno deſiderio, odioq. peccati, ad fontem miſericordiæ ſitibunda, velut ceruus ad fontem, venit: fontes lacrymarum effudit, quibus Dominicos pedes lauit, ſuis capillis extersit, & oſcula illis magni amoris impreſſit. Propter quod *Lucæ 7. g.* audire promeruit: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Eſt igitur circa deſiderium hoc notandum, quòd propter hoc Chriſtus eſt deſiderandus omni tempore, ab omni gente, in omni neceſſitate, in omni pro- E ſperitate, in omni aduerſitate, ex omni parte, eo quòd ipſe eſt deſiderabilis viſui, vt ſit homini delectatio in videndo. Eſt deſiderabilis auditui, vt ſit delectatio in auditu. Eſt deſiderabilis ſenſui, ſiue guſtui, vt ſit homini delectatio in guſtando. Dicat ergo & ante omnia Magdalena, & quilibet noſtrũ cum ea: Deſidero Domine te videre. Sicut enim naturale eſt ſummum bonum deſiderare, ſic & deſiderare conſpicere ſummum pulchrum: viſus enim naturaliter delectatur in pulchro. † Vnde omnia animalia ſequuntur pantheram, vt videant eius pulchritudinem. Item miro modo aquila delectatur, F dum ſolis pulchritudinem tuetur: delectatur & plurimum viſus hominis, dum virens pratum, & flores conſpicit: & dum purum & clarum ſpeculum intuetur, delectabiliter viſus acies reparatur. Et ſi ſic delectat pulchrum hoc corporale, quid pulchrum efficit ſpirituale? & ſi delectat viſum hũc corporalem ſol iſte materialis, quantum delectat viſum animæ ſpiritualem ſol ſpiritualis? & ſi tanta eſt pulchritudo in creato hoc ſole, quanta eſt in ſole creãte, & cunctis rebus pulchritudinem dante? Eſt igitur Saluator noſter, de quo dicitur: In quem de- *1. Petri 1. b* ſiderant Angeli proſpicere: & ſi Angeli, conſtat, *Aggai 2. b.* quòd omnes Sancti. Vnde dictũ eſt in Aggæo: Ve- A niet deſideratus cunctis gentibus: & ſi ſic eſt deſiderabilis omnibus, qualiter Maria Magdalena ardebat, quomodo æſtuabat, quomodo eius faciem videre cupiebat, quæ præter eum nihil aliud diligebat? Vnde poterat dicere illud Iſaiæ: Anima *Iſa. 26. b.* mea deſiderauit te in nocte, id eſt, dũ adhuc eſſem in tenebris peccatorum, ſiue inter tenebras mundanorum. Et hoc deſiderium patuit in Ioan. Vbi *Ioan. 11. b.* dum mortuum ploraret, a ſorore audiuit: Magiſter adeſt: ſtatim fratris oblita, ſurrexit, & ad fontem miſericordiæ feſtina cucurrit. Vere poterat dicere illud Pſalmi, & poteſt eſſe verbum cuiuslibet ſanctæ B animæ: Sitiuit anima mea ad Deum, &c. Non po- *Pſal. 41. a.* teſt anima, amore feruens, pati ſui dilecti abſentiam. Exemplum de ſponſa in Cantico: quæ ſic quære- *Cant. 2.* bat, ſic ardebat, ſic languida incedebat propter abſentiam ſui ſponſi. Sed quis hodie hoc deſiderio *Hier. 9. a.* quærit Chriſtum? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lacrymarum, vt non ceſſem a fletu, cum videam omnem mundum magis valde deſiderare aurum, quàm amantiſſimum Dominum? Currunt Reges, currunt Principes, currunt pariter omnes gentes ad aurum, & vix eſt vnus qui currat ad Chriſtum. Iſaias: Principes tui infideles om- *Iſa. 1. f.* C nes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Et Hieremias: A minimo vſque ad maximum om- *Hier. 31. f.* nes auaritiæ ſtudent: ſed numquid impune? Narrat ſcriptura, quòd quidam reuerſus ab inferis, vidit Neronem Imperatorem in quodam balneo, quod erat ex auro liquefacto, ſuper cuius etiam dorſum liquidum fundebatur a dæmonibus aurum: poterat enim dicere dæmon ille, qui hoc gerebat officium, quod dictum fuit Craſſo Imperatori: Dum enim captus eſſet, & aurum in os eius liquefactum effunderetur, dicebatur ei: Aurum ſitiſti, aurum bibe. *Idem narratur ſup. pag. 263. col. 2. f. ſub nomine Senecæ: ubi uitio Librarij, vel Typographi, vt cõiectura fert, pro ſcriptura Seneca legitur. Id quod ob notam compẽdioſam, fortaſſe factũ eſt.*

Secundo dicat venerabilis Magdalena, & quilibet D noſtrum cum ea: Domine deſidero te audire. Naturale eſt auribus audire ſuauia. Nam boues, & cerui, libenter audiunt melodiam, & miro modo delectantur in cantu. Cygni in tantum cantum amant, quòd ad cantantes de nidis aduolant, & voces conſimiles formare laborant. Sed ſi tantum delectat auditum cantus auium, ſiue hominũ, & ſonus inſtrumentorum; ſi ſic afficitur animus, dum aliquis bonus orator, vel concionator auditur, quid putas diuinam ſapientiam concionantem audire? Dicitur enim Regum 3. Omnis terra de- *3. Reg. 10.* ſiderabat videre Salomonem, vt audiret ſapientiam E eius. Salomon fuit Rex pacificus, Chriſtus: Ob ſapientiam huius Regis, venit Regina Saba a finibus terræ, ſicut dicitur: cum enim audiſſet Regina *3. Reg. 10. b* famam Salomonis, venit ad eum, & audiens omnem ſapientiam, dixit ad eum: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea ſuper ſermonibus oris tui, & ſuper ſapientia tua. Nec credebam narrantibus, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui, quòd media pars narrata mihi non fuit. Maior eſt enim ſapientia tua, quàm rumor, quem audiui: Beati ſerui tui, qui ſtant ſemper coram te, & audiunt ſapientiam tuam. Argue ergo ſic: Si igitur F Regina Saba inuenit tantam ſapientiam in figura, quantum putas, Magdalena inuenerit in re ipſa. Dicitur enim in Luca, quòd ſedẽs ſecus pedes Do- *Luca 10. g* mini, audiebat verbum illius. Quod Auguſtinus exponens ait: Erat, *inquit*, Maria intenta dulcedini *Aug. ſerm. 27. de ver. Domi. in initio. to. 10.* verbi Domini, & mira dulcedine tenebatur, quia maior eſt refectio mentis, quàm ventris. Vnde poterat Maria Magdalena dicere illud Pſalmi: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Et ſimiliter illud Cantici: Anima mea li- *Can. 4. c.* quefacta eſt, vt dilectus locutus eſt. Et quid hoc mirum eſt, cum ſic equi exiſtant, dum vocem audiunt tubæ ſonantis? Quid anima ſancta facit, dum aure cordis diuinæ ſapientiæ intendit? O ſi ſcirent

miſeri

*† Hoc de odore nõ de colore aut pulchritudine Pãtheræ dicitur ab Ari. lib. 9. de hiſto. animal. c. 6 p. 5. & in Problem. 4. ſect. 13. p. 7. Idem dicit Plutarc. de ſolertia animal. Et Plin. lib. 8. hiſto. natural. cap. 17.*

miſeri peccatores, quàm ſit dulce, quàm ſuaue intus [A] in corde diuinam ſapientiam loquentem audire! Omnia dimitterent, de nullo curarent, ſed ad eius auditũ totis auribus aſpirarent. Vnde dicebat Spõſa in Canticis: *Cant.2.c.* En dilectus meus loquitur mihi. Pro magno narrat, quia in ipſa locutione ſuauitatem admirabilẽ ſentiebat. Narrat Gregorius, *Gregor. homil. 15. in Euang. poſt med.* quòd quidam nomine Seruulus, dum in lecto iaceret, & coram ſe diuina verba legi faceret, ſubito clamare cępit: Tacete, tacete. Cumque tacuiſſent, numquid, ait, non audiſtis, quantæ laudes reſonant in cælo? Cumq. ad illas laudes collo ſuſpenſo aurem intenderet, tantam delectationem ſenſit, quòd mox cæ- [B] lo animam reddidit. Ergo ſi ſic delectat aures carnales, Sanctorum audire concentum, modulationes, & harmoniam, quid æſtimas, eſt audire diuinam ſapientiam, & ipſum verbum æternum, quod omnis beatitudinis Sanctorum cauſa eſt, & principium?

Tertio dicat Beatiſſima Maria Magdalena: Domine non ſolum deſidero videre te, vt perficiatur etiam meus viſus: non ſolum audire, vt perficiatur auris mea, ſed & corde deſidero te ſentire, vt compleatur animæ guſtus. nam in deguſtatione, & complexu ſuaui eſt complementum, & perfectio omnis boni: maior enim eſt delectatio in re ama- [C] bili in complexu, quàm in auditu, vel viſu. nihil eſt enim aliud, quàm rei conuenientis cum ſibi cõuenienti coniunctio. *Ariſt. 3. de anima cõt. 63.* Vnde longe plus delectat vinum guſtatum, quàm auditum, vel viſum. Nam guſtus eſt quidam tactus, vt dicit philoſophus. Vnde Propheta: *Pſal. 33. b.* Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, quaſi diceret: Scire, quàm dulcis ſit, *1. Petri 2. a* non poteſtis, niſi guſtetis, non guſtu carnis, ſed mentis. Poterat ergò ſancta dicere Magdalena, quod de ſponſo in Canticis dicitur: Sub vmbra illius, quem deſiderabam, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo: quoniam ipſa triginta annis in deſerto ab- [D] ſque humano ſolatio fuit, vbi nihil aliud guſtauit, quàm verbum æternum. O quanta dulcedine tenebatur! Lege totam hiſtoriam, quia ad narrandam valde eſt pulchra, & multum facit ad materiam. Nam ad litteram, dum corpus Chriſti deguſtaſſet, tanta eam dulcedo inuaſit, quòd mox animam exalauit. Si ergo tantam delectationem habere potuit, dum adhuc eſſet corruptibilis, & mortalis, quid nunc glorioſa ſentit, dum ſuo Dilecto coniuncta eſt in cælis, quem ſic amare potuit in terris? O dilectio ſumma in hac vita paucis experta, & in ea valde paruula mora, quid eſt, quòd non deſi- [E] deraris ab omnibus? Certe quia non perfecte poteſt amari, quod non contingit aliquando experiri. Nam ſanctus Bernardus, qui aliquando expertus fuerat, dicebat: Semel te guſtaui bone Ieſu, vtinam millies mori poſſem, vt ſemel iterum guſtarem. Si ſic dicebat qui ſemel ad momentum guſtauerat, quid eſt Sanctis, & Beatis, qui cõtinue guſtant, neſcio, quid dicam. Nihil eſt illi dulcedini cõparabile, & ideo magis tacendum, quàm aliquid imperfecte dicendum. Quidquid enim de illa dulcedine, vitaq. beata, dicere poteſt lingua, minus valde eſt, quàm vna aquæ gutta ad totum mare comparata, [F] aut ad magnitudinem cæli vna modica terræ particula. O ſumma ſtultitia pro carnis delectatione tam parua, pro modica huius ſæculi gloria, & pro minima temporalium copia, omnino citiſſime peritura, perdere velle illam delectationem æternam, & ecõtra ad pęnam peruenire perpetuam!

## DE EADEM SERMO II.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Luca 7 g.* Dilectio, ſiue amor in rebus ſpiritualibus, eſt ſicut ignis in corporalibus. Nam ſicut ignis habet virtutem corporis calefactiuam, rubiginis abſterſiuam, duriciei emollitiuam, ſic dilectio velut animarum ignis, dum in animam agit, ipſam intime calefacit, & omne frigus ab [B] ea expellit, eam ad pietatem & miſericordiam mollem facit, & omnem culpæ rubiginem ab eadem abſtergit. Gregorius: *Gregor. homil. 33. in Euang. ante med.* Quid eſſe dilectionem credimus, niſi ignem? quid culpam, niſi rubiginem? ergo tanto amplius peccati rubigo conſumitur, quancor peccatoris charitatis igne concrematur.

Eſt ergo notandum, quòd hæc venerabilis femina Magdalena ſupra humanum eloquium dilexit Chriſtum, cuius amoris ſigna probantia quattuor fuerunt iſta. Primum ſignum fuit aſſiduitas recordationis. Secundum fuit ſolicitudo inquiſitionis. Tertium fuit ſinceritas affectionis. Quartum vero [C] ſignum fuit feruor æmulationis. Iſta enim quattuor ſigna miro modo probant qui ſe alterum diligunt: & probant, non ſolum opere exteriori, quod nonnumquam decipit, ſed interiore. Eſt igitur primum ſignum dilectionis, aſſiduitas recordationis dilecti: amor enim, ſi verus ſit, cor quieſcere non ſinit, ſed continue ad ſui amati recordationem impellit. Vbi eſt amor, ibi cor. Cum enim amor ſecundum Dionyſium ſit vis vnitiua, & ſecundum Hugonem eſt vis transformatiua, dum amantem transformat in amatum, neceſſario de eo generat continuum cogitatum: ſicut enim homo non poteſt ſui obliuiſci, ita [D] nec ſui amati, quia violentia impreſſi amoris ſępius mouet aſpectum cognitionis. Vis igitur ſcire, ſi Deum perfecte diligas, vel aliud plus Deo amas? attende, ſi de Deo plus, quàm de alijs rebus, cogitas, quia de illo plus cogitas, quod plus amas: *Matt. 6. c.* Vbi enim theſaurus tuus, ibi cor tuum eſt. Veritas hoc docet, quæ mentiri non poteſt: Ergo ſi plus cogitas de mundo, plus de lucro, plus de carnali amico, vel ſocio, quàm de Chriſto, non vertas in dubium, ſed ſit tibi certiſſimum argumentum, quòd amas iſta plus, quàm Chriſtum. Nam ob hanc cauſam Dominus dicebat de diuino amore: *Deut. 6. a. Mat. 22. d Luca 10. c* Diliges Domi- [E] num Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Nota diligenter, quòd non dicit ex parte cordis, vel eius medio, ſed ex toto: nec tantum dicit, ex toto corde, ſed ex tota anima, & ex tota mente, dans per hoc intelligere, quòd non debeamus aliud velle, aliud cogitare, quàm Chriſtum. Nam ſicut Bernardus dicit, Diligere Deum toto corde, eſt diligere toto intellectu ſine errore. Diligere Deum tota anima, eſt diligere tota voluntate ſine contradictione. Diligere vero tota mente, eſt tota memoria ſine obliuione. Sed quis, chariſſimi, ita diligit? nonne plus cogitamus de [F] minimo, plus de mundo, plus de aduerſario ſubiugando, plus de carnali peccato, quàm de Domino Ieſu Chriſto? ergo dum plus iſta, quàm Deum, diligimus, filij perditionis, & non filij Dei ſumus, quia ipſe dicit: *Matt. 10. d. & Luc. 14. f.* Qui amat patrem, aut matrem, plus quàm me, non eſt me dignus: & quod de patre, & matre dicitur, quibus maxime obligamur, multo fortius de omnibus alijs intelligitur: ergo nullus talis eſt Deo dignus: ergo non eſt eius, ſed ſui aduerſarij filius. vnde ipſe dicit omnibus talibus in Ioanne: *Ioan. 8. f.* Vos ex patre diabolo eſtis. Quod intelligi debet ex diabolo, ſcilicet, non creatione, ſed imitatione. Nõ talis Maria Magdalena, quæ ſemper portauit Chriſtum in memoria, vt nihil aliud præter ipſum ama-



ret, vel cogitaret. [A] Dicitur enim, quòd poſt mortem Domini impatiens alios homines videre, deſertum intrauit, vbi neminem videret, ſed de ſolo Domino cogitaret. *Tren. 3.* Vnde vere poterat dicere illud: Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.

Secundum dilectionis ſignum eſt, ſolicitudo inquiſitionis. Prouerbium eſt enim: Qui bene amat, non dormit: †intenta enim ſupplicatio, vt dicit Ambroſius, dormire cor mundum vetat. Nam & perfecte amans etiam ſomniat de amico: quod facit ipſa animæ ſolicitudo. Videmus enim ad ſenſum, quòd ſi quis non videat rem, quam diligit, & neſciat, vbi ſit, non quieſcit, non dormit, comedere ad [B] tempus omittit, & ſolicite illam quærit. Vnde Sponſa præ amore, & abſentia Sponſi languens, ſic ait: In lectulo meo per noctẽ quæſiui quem diligit anima mea: ſed quia Chriſtus non inuenitur in lecto, nec in ſuaui loco, addit, & dicit: Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas: quæram quem diligit anima mea. Sed quia Dominus Ieſus non inuenitur inter cognatos, & amicos, addit anima ſancta, dicens: *Cant. 3. a.* Paululum cum pertranſiſſem eos, ſcilicet, cognatos, & notos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum, & nõ dimittam. Talis re vera fuit Magdalena, quæ Domino mortuo, ſibiq. ſubtracto, [C] non dormiębat, quieſcere non poterat, ſed ſępe ad monumentum currens, intus aſpiciebat. Et quamuis ipſum ibi non eſſe cerneret, ſępe tamen ad videndum ſe inclinabat: quia, vt dicit Gregorius, *Greg. hom. 25. in Euãgel. nõ procul ab initio.* de ea loquens, vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis. Sed quis hodie Chriſtum quærit? quærunt luxurioſi, & guloſi, ſuauia: quærunt ſuperbi ſublimia, quærunt auari pecuniam magis, quàm Chriſtum. Vere multi plus diligunt aſinum ſuum, porcum ſuum, & equum, immo denarium vnum, quàm Deum. Vnde hoc probas? Certe ex inquiſitione ſolicita. Nam perdit homo bouem, & ſolicite eum [D] quærit: perdit equum, & non quieſcit: perdit ouem, & poſt eam vadit: perdit aſinum, & quærit. Sed perdit homo, peccando, Chriſtum, & quieſcit, dormit, bibit, comedit, & non quærit. O quot ſunt, qui diu dormiunt in peccatis, nec curant per pœnitentiã Chriſtum Dominũ inuenire. Vnde ipſe conqueritur: *Hier. 2. f.* Omnes, inquit, dereliquiſtis me. Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt: deuorauit gladius veſter prophetas veſtros, &c. Quare ergo dixit populus meus: Receſſimus, & non veniemus vltra ad te? Nunquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? Popu- [E] lus vero meus oblitus eſt mei diebus innumeris.

*†Dictũ hoc eſt in Hymno, Ales diei nuncius, qui legitur in Feria 3. ad Laudes, & inter opera Prudentij extat in li. Cathemer. ad Galli cantum.*

Tertium dilectionis ſignum eſt ſinceritas affectionis. Eſt enim ſincere diligere Deum, nihil niſi ipſum, vel propter ipſum, amare. Auguſtinus ad Dominum in libro Soliloquiorum: *Aug. lib. Soliloquior. c. 19. to. 9.* Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Sicut enim aurum mixtum, vel impurum, non tam eſt charum, vel pretioſum, ſicut illud, quod eſt purum, ſic dilectio mixta, & non pura, minus eſt accepta Deo: virtus enim vnita eſt potentior, quàm diuiſa, quia, *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.* Quare dilectio in plura diuiſa non [F] poteſt eſſe ſincera, vel pura, & ideo ſemper eſt talis dilectio diminuta. Gregorius: *Greg. li. 18 Moral. c. 8.* Tanto quiſque a diuino amore ſeiungitur, quanto in inferioribus delectatur: ergo qui vult Deum ſincere amare, ipſum ſolum debet diligere, & alia omnia propter ipſum. Sic enim eum Magdalena amabat. Vnde in perſona eius cantat Eccleſia: Regnum mundi, &c. O quanto amore flagrabat ad Chriſtum, quæ nullum poterat ſibi inuenire ſolatium, nullum niſi de ipſo habere gaudium, de cuius amore ſic ebria erat tota, quòd non homines curabat, nec ipſos aduertebat. Conſueuerunt homines obliuiſci poſt mortem non tantum amicorum, ſed etiam filiorum. Exem- [A] plum de Dauid, *2. Reg. 12. e* qui poſtquàm filium mortuum eſſe audiuit, ſtatim ſurrexit, flere omiſit, faciem lauit, & cibum ſumpſit: Ergo cogita, quantum Maria Magdalena dilexerat viuum, quem ſic amabat mortuum! Poterat enim dicere illud: *Cant. 1. d.* Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur, quaſi dilectus meus mihi ſic redolet etiam mortuus, ſicut myrrhæ faſciculus, qui eſt valde odoriferus: & ideo eius amor, & memoria, ſemper inter vbera mea commorabitur, in medio pectoris mei, ſiue in medio cordis. Eſt enim cor in medio vberum. De hoc igitur tanto amore eius ſic [B] dicit Gregorius: *Greg. hom. 25. in Euãgel. Ioan. c. 29.* Quæ prius frigida peccando remãſerat, poſtmodum amãdo fortiter ardebat. Vnde ſtabat ad monumẽtum foris plorans, & tanta vis amoris eam accendebat, quòd a monumento Domini, diſcipulis recedentibus, non recedebat, ſed amoris igne ſuccenſa, eius, quem ablatum credebat, ardebat deſiderio. Sed quis hodie in cælo ſic amat regnantem in omnibus, ſicut illa amabat in ſepulcro iacentem? Frigida ſupra niuem ſunt corda noſtra: frigida verba, & vniuerſa frigida ſunt opera, quaſi ſint adamantina: dicitur enim, quòd adamas nullo igne calefieri poteſt: nonne ergo durior & frigidior eſt [C] adamãte, qui diuino nõ poteſt calefieri igne, & tanta Chriſti ad nos charitate demolliri? O duri, & inſenſati filij Adam, & frigidi, quos non emollit, nec incendit tam ingens flamma amoris.

Quartum amoris ſignum eſt, feruor æmulationis, vt homo laboret illum imitari, quem diligit. Signũ eſt, quòd homo diligat Deum, ſi odiat omne malũ Deo contrarium, & diligat omne bonum. Hinc Pſalmus: *Pſal. 96. b.* Qui diligitis Dominum, odite malum. Naturale enim eſt, vt qui delectatur in aliquo, neceſſario contriſtetur in eius contrario. Vnde guſtus, qui in dulci delectatur, in amaro turbatur: & qui [D] amat ſanitatem, fugit, & deteſtatur infirmitatem. Ergo qui diligit Dominum, refugit malum: fortis enim eſt, vt mors, dilectio, ſicut dicitur. *Can. vlt. b.* Quia ſicut mors ſeparat animam a corpore ſuo, ſic qui vere diligit, recedit ab omni eo, quod poſſit diſplicere dilecto. Maria Magdalena ergo, quæ multum Dominum amauit, cum fuiſſet filia regis, ſicut hiſtoria Marthæ dicit (Nam Maria Magdalena caſtrum habuit ex parte matris) regnum omne contempſit, & omnes carnis delicias dereliquit, & quidquid ſcire potuit eſſe contrarium Chriſto. Poterat dicere illud Matthæi: Domine ſequar te quocunque ieris. [E] Sed quæ hodie anima fide Chriſti deſponſata, *Matth. 8. c* Chriſti ſanguine redempta, Chriſti miſericordia gubernata, ſic ſequitur ſponſum ſuum, vt Magdalena?

# DE SANCTO IACOBO

## SERMO I.

Dilectus Deo, & hominibus Moyſes: cuius memoria in benedictione eſt. [F] *Eccli. 45. a* Recte per Moyſen beatus Iacobus intelligitur, quia vterque ex aquis ſumptus, quia vterque in filium adoptatus. Sed Moyſes a filia Pharaonis, Iacobus a diuina Sapientia: quia vterque Ægyptum, ideſt mundum dereliquit: & quia vterque, dux Dominici populi factus fuit. *Exo. 2. a. Hebr. 11. d. e.* Plana ſunt iſta, ſi quis legat quæ de Moyſe, & Iacobo dicta ſunt in Scriptura Exodi: & ad Hebræos de Moyſe, & Iacobo in Euangelijs.

Eſt ergo notandum, quòd pręter illa quattuor ſigna, quæ ſupra dixi in ſermone de Magdalena, hæc

hæc quattuor alia ſunt poſita, quæ ſunt dilectionem probantia. Eſt enim bonorum omnium primum ſignum, communicatio: Secundum eſt ſeruitij exhibitio: Tertium eſt voluntatis conformatio: Quartum eſt aduerſorum pro amico toleratio. Valde fortia ſunt hæc ſigna amoris, ſi omnia amico communicas, ſi totum ei ſeruitium impendas, ſi te per omnia illius voluntati conſormes, & ſi pro illo pati quæcunque mala non timeas. Dico quòd dilectionis eſt primũ ſignum, ſi ſibi inuicẽ amici omnia bona communicant, vt ſi vnus amicus alteri omnia ſua donat: Amor enim eſt bonum inappretiabile, & ideo qui pro amore omnia temporalia donat, B ſiue tribuit, bonam nummatam accipit, quia rem vilem pro pretioſiſſima tradit. Hinc dicitur: *Cant. vlt. c* Si dederit homo omnẽ ſubſtãtiam ſuæ domus pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam, id eſt modicum eſt deſpicere omnia pro ea. Quis ita ſtultus mercator eſſet, qui non daret aurichalcum, pro auro, & plumbum pro argento? Quis non daret ordeum pro frumento? Item quid mirùm ſi fidat homo dilecto ſuo, qui tradidit ei omne quod poteſt, & omne quod habet? Ergo qui dat cor ſuum, daret ei facile omnem mundum, etiam ſi mundi multiplicarentur in infinitum. C Multũ ergo Chriſtus beatum Iacobum dilexit, & multum ab eo dilectus fuit, quia propter eum Iacobus omnia dereliquit non ſolum res temporales, ſed etiam dilectos parentes; immo ſeipſum, quod maximum eſt. Nam ipſe cum fratre ſanctiſſimo vocati a Domino, continuo relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum. *Matth. 4. c* Sed quis hodie ſic diligit Chriſtum? Qui pauperi Chriſti buccellam negat, quomodo daret ei plenum modium? qui negat pauperi vetus, & confractum, quomodo traderet ei nouum, & ſolidum? qui negat pauperi hoſpitium, quomodo ei traderet ipſam domum? D Ergo qui pro Chriſto nõ traderet hoc temporale bonum, vtique vanum, & neceſſario periturum, quomodo daret ei amorem ſuũ? *Ioan. 3. c* Vnde dicitur: Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatẽ habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Fratrem notabiliter dicit, vt oſtendat quanta ſit crudelitas hominum, qui non paſcunt fratrem ſuum, vtique Dei filium, cum vna equa paſcat alterius equæ pullum, & hinnus paſcat alterius filium, & falco aquilæ paruulum.

Secundum amoris ſignum eſt, ſi ſibi dilecti mutuo ſeruiant: Non poteſt eſſe, vt ignis ſit in paleis, vel in lignis, & non ardeat: E non poteſt ocioſus eſſe ignis, ſed ſemper creſcit, vel decreſcit: *Prou. 30. b* ignis ſecundum ſententiam Salomonis eſt inſatiabilis, & numquàm dicit, ſufficit: immo quanto plura ligna ſuſceperit, tanto in maiorem flammam ſe erigit, & ex abundantia materiæ vires ſumit: Sic in ſpiritualibus per omnia facit vis amoris: amor enim quieſcere neſcit, ſed ſicut Bernardus dicit, vel creſcit, vel deficit, quia ſtare neſcit. Amor Dei non eſt ocioſus: operatur enim magna, ſi eſt: ſi operari renuit, iam amor non eſt. *Exemplũ.* Sicut enim vrſus ad palum ligatus, tota die circa ſtipitem ſe vertit, ſic amor continue ad Deum, & ad proximum ſe conuertit. F *Ioan. 14. c* Vnde Dominus dixit Iacobo, & ceteris Apoſtolis: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. *Greg. hom. 30. in Euã ge. ſub init.* Gregorius dicit: Probatio dilectionis eſt exhibitio operis: non poteſt eſſe vt ignis ſit, & non calefaciat. Nec ſimiliter poteſt eſſe vt amor ſit, & nõ ferueat. Hic Apoſtolus ſanctus dum accendit ignem ardentem, intus celare non potuit, ſed primus de omnibus Apoſtolis amorem Chriſto reddidit, quem acceperat. Nã primus inter omnes Apoſtolos pro Chriſto morti ſe tradidit, ſicut dicitur. *Act. 12. a* Quia miſit Herodes rex manus, vt affligeret quoſdam de eccleſia. Occidit autem Iacobũ fratrem Ioannis gladio. *Sur. die 25 Iulij. to. 4.* Vide Legendam, quomodo, & quare mortuus fue- A rit, & de miraculo, quod in via fecit, &c. Attendite fratres: ſi Chriſtum diligitis, ex ſeruitio pẽſate: qui enim diligit, ſeruit: ergo qui non ſeruit, non diligit: ſed nos non ſeruimus, quia diuina præcepta non agimus, non ſeruamus, ſed mundum amamus, & mundanis curis intendimus: honores appetimus, carnem nutrimus. Chriſtum igitur Dominum non amamus: igitur filij mortis ſumus. Quia qui non diligit, manet in morte, ſicut dicitur. *Ioan. 3. c*

Tertio perfectum amoris ſignum eſt, ſi voluntas cum voluntate conueniat, vt idem omnino velint, & ſapiant: in nullo penitus contradicant, ita tamen, B vt nihil aliud, quàm bonum appetant. Nam in malis eſſe non debet conformitas voluntatum, quia ſanctus amor refugit omne malum. Narrat Valerius, quòd dum quidam a ſuo amico quoddam iniuſtum peteret, & ille facere omnino renueret, ille indignatus ait: *Val. Max. lib. 6. c. 4.* Quid mihi opus eſt amicitia tua, ſi quod a te peto, non facis? Ille reſpondit: immo quid mihi tua, ſi propter te agere debeo turpia? Ergo vbi verus eſt amor, voluntatum in nobis conformitas eſſe debet, vt ſit idem nolle idem velle. Vnde Hieronymus dicit: Qui perfecte amat, totam ſibi amantis voluntatem vendicat, quia C nihil eſt omnino imperioſius charitate. Hæc autem conformitas voluntatum perfecte in Chriſto fuit, & in Iacobo, quia nihil voluit Apoſtolus, niſi quod eum velle voluit Chriſtus. Cum enim Iacobus, & Ioannes, nobiliſſimi duo fratres, ſeſſionem ad dexteram, & ad ſiniſtram a Domino peterent, & ille diceret eis: Neſcitis quid petatis; *Matt. 20. c* ſtatim, vt eius voluntatem audierunt, tacuerunt, & illud amplius non petierunt. Hæc autem conformitas voluntatum maxime probatur per amorem proximorum, quia hoc ſolum eſt nobis a Deo mandatum, vt nos inuicem diligamus: quia, vt ait Apoſtolus, qui diligit pro- D ximum, legem impleuit. *Ioan. 13. d* Vnde Dominus ad Apoſtolos: In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, id eſt voluntate mihi conformes ſitis, ſi dilectionem habueritis ad inuicẽ: ergo qui diligit Deũ, diligit fratrem ſuum. Vnde ſecundum Auguſtinum: Omnes fratres ſumus, ſi Euam, & Adam attendamus, a quibus vniuerſi deſcendimus. Vnde & ipſi, qui ſunt inimici, ſunt proximi. Et ideo a nobis ſunt diligendi. Vnde Auguſtinus: Ego ad dilectionem inimicorum vos moneo. Quia ad ſananda vulnera peccatorum nullum medicamentum vtilius eſſe ſentio. Et dicit: Elige modo quod tibi placuerit: ſi ini- E micos amaueris non ſolum amicus Dei, ſed filius eſſe mereberis: ſi autem inimicos amare nolueris, Deum propitium habere non poteris.

Quartum ſignum dilectionis eſt, ſi pro amico aduerſa ſuſtinere non refugis. Non enim diligit, nec amicus exiſtit, qui aliquem ſequitur in proſperis, & deſerit in aduerſis: qui enim alterum perfecte amat, verbera, vincula, improperia, rerum damna, & pericula mortis portat: *Cant. vlt. b* fortis eſt enim dilectio, vt mors, ſicut dicitur: quia non ſuperatur a morte, ſed ipſa ſuperat mortem. Vnde Seneca loquens de amicitia dicit: *Seneca epiſto. 9. ante med.* Amicus qui vtilitatis F cauſa aſſumptus eſt, tamdiu placebit, quàmdiu vtilis eſt. Quare in vera amicitia nihil aliud debet placere præter ipſam, & addit: Ego amicum quæro, vt habeam quem in exilium ſequar, pro quo moriar, cuius me morti opponam, & me ipſum in mortem impendam. Talis amicus fuit Chriſto ſanctus Apoſtolus, pro cuius amore, capite eſtruncatus. *Prou. 17. c* Omni enim tempore diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtijs comprobatur. Sed quis hodie amicus Chriſti, qui pro eo mori paratus ſit? quis pro eo fert vulnera, quis verbera, quis verba? Vere impleta eſt prophetia Apoſtoli ad Timotheum: *2. Tim. 3. a* In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes,



tes: & eſt, ac ſi dictum eſſet, quòd nec eſt dilectio ad Deum, nec ad proximum, ſed vniuſcuiuſque ad ſeipſum.

## DE EODEM SERMO II.

*Iſa. 11. c.* E*Rit Sepulchrum eius glorioſum*. Sicut patet, & ad ſenſum cernimus tota die, nullius Sãcti Sepulchrum ſic eſt apud omnes homines glorioſum, quia in principio miraculis plurimis fabricatum, quia in B medio magnis virtutibus adornatum, & quia magnis priuilegijs eſt dotatum. Nec debet verti in dubium, quòd ille, qui ſic eum voluit honorare in via, donis etiam ampliſſimis eum ſublimauerit in patria, qui tot beneficia præſtat ad eius oſſa, & oſtendit cunctis tam ampla miracula, ſicut patet in eius Legenda, quanta ei contulit in cælo præmia, ſiue dona: ergo, fratres, multum a nobis eſt honorandus, quem honorat Deus, & eſt in omnibus neceſſitatibus inuocandus, quia eſt audibilis Sanctus, & Deo gratiſſimus: pro cuius honore omnium Apoſtolorum primus eſt mortuus, & ad ſepulchrum miraculoſe delatus.

C Eſt igitur notandum, quòd triplex ſepulchrum eſt nobis ſępius memorandum, *Sepulchrũ triplex.* ſcilicet ſepulchrum temporale, ad quod homo per mortem deducitur. Hoc primum eſt cogitare horribile, ſed aliquando finiendum. Sepulchrum infernale, in quo pro peccato affligitur, hoc eſt toto corde deteſtabile, quoniam eſt ſempiternaliter horrendum. Sepulchrum æternale, in quo anima Deo perfruitur, hoc eſt deſiderabile, quia eſt ad æternaliter delectandum. Dico quòd Sepulchrum primum eſt temporale, & eſt de ſua natura horribile, ſed eſt aliquando dimittendum, ſicut erit in reſurrectione corporum, quando ex illis ſepulchris corpora aſſumentur, ad duo alia adducen- D tur, ſecundum quòd animæ in illis corporibus meruerunt, vel deduci in cælum, ſiue ad infernum. De hoc ſepulchro tota Scriptura eſt plena, & ideo hic ſufficiat auctoritas. *Pſal. 48. b* Sepulchra eorum domus eorum in æternum, non dicit *in æternum*, quia ibi ſemper ſit ſtandum, ſed longo in eis tempore permanendum, ſcilicet vſque ad iudicium. O quàm dura eſt domus iſta, & quàm ſtricta, quàm fœtida, quàm paupercula, & quàm obſcura, qui communis eſt omnibus diuitibus, & pauperibus, ruſticis, & regibus viris, & mulieribus, paruulis & ſenibus. Vtinam attenderent viri fortes, & reges, principes, E & diuitijs abundantes, quomodo a tam amplis palatijs ſunt deferendi ad ſepulchrum tam ſtrictum: & a palatijs tam luminoſis, & fulgidis, ad ſepulchrũ horrendum, & obſcurum: & a palatijs, ſic rebus omnibus ſuperplenis ad ſepulchrum tam indigens, & egenum: & a palatijs, filijs, & familijs adornatis ad ſepulchrum ſic vacuum, ſic ab amicis, & filijs derelictum. *Bern. ſerm. de Diuite epul.* Bernardus: Vbi eſt illa præterita pompa, vbi præterita gloria, vbi famulorum obſequentium turba, vbi veſtimenta tam fulgida, vbi culcitra tam mollis, & tenera, vbi vina illa rubentia, vbi fercula illa tam varia, & diuerſa: heu, qui paulo ante viuebat in delicijs in palatio, totus mandu- F catur a vermibus. *Innoc. 3. in ſerm.* Vnde Innocentius dicit? Heu, fratres attendite: Qui paulo ante inclytus reſidebat in domo, ecce quàm pauper iacet in tumulo: & qui glorioſus incedebat in aula, ecce quàm deſpectus iacet in tumba: & qui veſcebatur delicijs in cœnaculo, ecce nũc cõſumitur a vermibus in ſepulchro. Ab hoc ſepulchro excluduntur omnes excommunicati, omnes hæretici, vſurarij, & omnes peccatores, niſi prius abſoluti fuerint, & confeſſi. *Greg. in Dial.* Vnde narrat Gregorius, quòd cum excommunicati, fuiſſent in loco ſacro ſepulti, quando Diaconus in Eccleſia clama- A bat, vt omnes excommunicati exirent, quidam videbat eos de ſepulchris exire, & extra Eccleſiam ire. Narrat & ibidem Gregorius, *Greg. lib. 4. Dial. c. 52.* quòd dum vſuratius, quadam pecunia clericis data, fuiſſet in loco ſacro ſepultus, cuſtos Eccleſiæ vidit eum in nocte a quibuſdam ſpiritibus nigris, valde ipſo fortiter clamante, & ſe lamentante, ligatis pedibus, foris trahi. Cumq. cuſtos ad tumulum cucurriſſet, & cum illum in ſepulchro non inueniſſet, ſciuit non eſſe phantaſticum, ſed verum fuiſſe, quod viderat. *Greg. lib. 4. Dial. c. 53. & 54.* Narrat etiam de alio fornicatore, qui ſine pœnitentia mortuus, & in loco ſacro ſepultus, quòd ignis ex B fundo ſepulchri proceſſit, & non ſolum carnem, & oſſa vorauit, ſed ipſam terram vndique conſumpſit. *Auguſt. lib. de cura pro mortuis gerenda c. 2.* Non ergo (ſicut dicit Auguſtinus) valet impio eccleſiaſtica ſepultura, ſed potius eſt ei ad pœnam. Ad hoc ſepulchrum eſt corpus Apoſtoli delatum, ſed non fuit ei fętidum, ſed odoriferum: non deſpectum, ſed glorioſum, vt nullus vnquam regum habuerit ſepulchrum ſic ab omnibus honoratum, tot donis, & priuilegijs a Deo dotatum. Vnde bene eſt dictum: *Erit ſepulchrum eius glorioſum*.

Secundum ſepulchrum eſt infernale, in quo homo dure punitur. Nam qui ad hoc peſſimum ſepul- C chrum deducitur, conuertuntur eius deliciæ in tormentum, honores in opprobrium, & diuitiæ in cumulum egeſtatis. Conſideremus fratres, ſi ita eſt. *Luca 16.* Dicitur enim: Mortuus autem eſt diues, & ſepultus eſt in inferno. Nota, quòd diues erat ab alijs honoratus, fulgide veſtitus, & quotidie ſplendide comedebat: ſed fortis mutatio, quia diues ſepultus eſt in inferno: qui erat purpuratus, honoratus, tenetur in viliſſimo: & qui delicijs aſſuetus, totus eſt poſitus in tormẽto. Nam & de quolibet delicijs dedito dicitur: *Apoc. 18.* Quantũ ſe in delicijs glorificauit, tantum date ei tormentum & luctũ. O quanto conſultius illi diuiti fuiſſet, vt panem ordeaceum omni tempore comediſſet, quàm delicijs affluxiſſet, pro quibus tam D grauia tormenta portaret! *Luca 16. e* Quanto melius fuit illi Lazaro temporaliter mẽdicanti, qui in ſinũ Abrahæ eſt portatus, quàm illi diuiti abundanti, qui in ſupplicijs eſt ſepultus! *Auguſt. lib. de cura pro mortuis gerenda c. 2.* Quid illi, vt dicit Auguſtinus, valuit marmoreus locus? quid illi decor ille purpureus? quid turba plorantium famulorum poſtquam ductus eſt ad infernum? Nota etiam, & cum hoc quomodo in egeſtatem ſibi diuitiæ ſunt conuerſi, ſicut enim dum vixit fuit ditiſſimus, ſic mortuus eſt inuentus pauperrimus. *Pſal. 75. a* Pſalmiſta: Dormierunt ſomnũ ſuũ, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Quid enim aqua vilius? quid E habetur ab hominibus aqua abundantius? communis eſt omnibus non ſolum hominibus, ſed etiam pecoribus. Ergo ille non tibi videtur factus eſſe pauperrimus, cum varijs ferculis abundaret, & vina varia biberet, aquam communem a ſuis, non dico [a] ſitulã aquæ, ſed vnam guttã ad ſitim refrigerandã, quam petijt habere non potuit, immo ab ipſo Abraham, quem vocauerat Patrem, audiuit: [b] Recordare fili, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. Nolite vacare fratres potationibus, & cõmeſſationibus, & purpureis veſtimentis, quia ratio F Abrahæ eſt bona. Conſtat quòd qui nunc habent bona, paſſuri ſunt multa mala, non temporalia, ſed æterna. Vnde de omni tali, qui ducitur ad infernum, poteſt dici illud: *Hier. 22. e* Sepultura aſini ſepelietur. Nam ſicut aſino prius corium detrahitur, & poſtea canibus, & auibus deuorandis exponitur, ſic omnis diues prius diuitijs ſpoliatur, & ſic perpetuo cruciandus dæmonibus datur. [c] Diues enim cũ dormierit, nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos, & nihil inueniet. Ne timueris cum diues factus, &c. Ad hoc ponitur exemplum in hiſtoria Barlaam, quòd erat ciuitas quædam, quæ omni anno regem ſibi

*[a] Situla eſt vas ad hauriendam aquam accõmodum.*

*[b] Luca 16. e*

*[c] Iob 27. d.*

*Damaſcenus in Hiſtoria de Ioſaphat, & Barlaam.*

ſibi ponebat, & plenam illi poteſtatem, vt omne, quod vellet facere, dabat: ſed anno finito, ipſum ad quandam inſulam portabant, vbi ex penuria bonorum omnium, fame, ſiti, & frigore deficiebat: quorum vnus cum regnauit, tantum ad inſulam præmiſit, quòd ibi abundanter vixit. Ciuitas eſt mundus, quæ amatoribus ſuis poteſtatem omnis mali tribuit, ſed in fine eos ad infernum tranſmittit, vbi fame

*Eccli. 14. c*

ſiti, & frigore tabeſcunt. Vnde Eccleſiaſticus: Ante mortem præpara iuſtitiam, quia non eſt apud inferos inuenire cibum.

Tertium ſepulchrum eſt æternale, in quo homo beatificatur: hoc enim ſepulchro nihil melius, nihil dulcius, nihil vtilius, dum tranſit homo a triſtitia ad lætitiam, ab egeſtate ad copiam, a confuſione ad gloriam, non vtique tranſitoriam, ſed æternam. Vnde dicebat Iob, quaſi mortem appetens, & ſepulchrum hoc

*Iob 17. a*

cupiens: Dies, *inquit*, mei breuiabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum: quaſi diceret, vtinam cito dies temporis mei finiantur, vt veniam ad ſepulchrum, quod mihi ſupereſt ſolum ad meæ gratiæ complementum. Quis ad introitum talis ſepulchri non gaudeat? quis videns ſemel tantum bonum, ſecundo non redeat? quis illum iubilum narrare ſuf-

*Surius To. 6. die 6. Decemb.*

ficiat? dicitur in Legenda beati Nicolai, quòd vir, inuento auro, tanto exultauit gaudio, vt non poſſet exprimi vllo modo. Multi enim inuenti ſunt homines, qui ex aliqua tranſitoria re, & mundana

*Mors ex nimio gaudio.*

tantum gaudium acceperunt, quòd dilatato corde vltra debitū, perierunt: ergo ſi creaturæ tantū gaudiū poteſt ingerere bonum creatū, aliquando finiendum, quantū inferet homini gaudium bonum ſummum, increatum, perpetuo poſſidendum? Sic enim

*Iob 5. d*

dicitur viro iuſto: Ingredieris in abundantia ſepulchrum, vere in abundantia, vbi nullius boni penuria, & nullius mali præſentia. O ſepulchrū beatum, quare te non quærimus, quare te non appetimus, quare pro te obtinendo bona noſtra omnia non tradimus? certe, puto, iſta facimus, vel quia quæ vere de te dicuntur non credimus, vel quia pro tempore hoc miſero, in quo ſumus, tuam dulcedinem

*Auguſt. lib. Soliloquiorum. c. 168.*

non guſtamus: Auguſtinus dicit, quòd vna gutta tuæ dulcedinis eſt maior, quàm oceanum. Quare mihi certum eſt, quòd ſi quis tuæ dulcedinis vnam ſolam guttam ſentiret, pro nihilo omnia bona carnis, & mundum contemneret, & millies morti ſe traderet, vt ad tuam plenam dulcedinem veniret. Ergo, fratres chariſſimi, horreamus ſepulchrum temporale, fugiamus infernale, & deſideremus ſempiternale.

# SANCTI PETRI

## AD VINCVLA

### SERMO

*Act. 12. b*

S*Vrge velociter.* Quia Sancti hanc hodiernam epiſtolam exponentes, per beatum Petrum Catenis aſtrictum, hominem peccatorem vinculis alligatum, ſpiritualiter volunt intelligi, poſt narrationem hiſtoriæ, quæ Apoſtolicas tenet laudes.

Sunt autem quattuor peccata, quibus maxime homines inhærēt terræ. Nam primo, iacent in terra negligentes, & pigri. Secundo, incumbunt terræ per affectum, totaliter cupidi, & auari. Tertio, latent in terra lubrici, & laſciui. Et in terra ſedent guloſi, & delicijs aſſueti. Primum vitium, ſiue peccatum, eſt contra potentiam operatiuam: Secundum, per potentiam amatiuam: Tertium, per potentiam generatiuam: Quartum, per potentiam nutritiuam. Ergo, ſi ſurgere, eſt ſe a terra erigere, debemus hic notare, quòd Primo debemus ſurgere a ſomno pigritiæ, quo operari negligimus: Secundo, a frigore auaritiæ, per quod auaritiæ ſeruimus: Tertio, a calore luxuriæ, quo noſipſos inficimus: Quarto vero, ab incendio gulæ, quo ſuperflua deguſtamus.

Dico, quòd primo ſurgendum eſt a ſomno pigritiæ, vt operari poſſimus. Nam hic maledictus ſomnus, quo tota die iacemus & ſedemus, inſtar corporalis ſomni, aufert vſum bonæ cogitationis, ſenſum diſcretionis, motum bonæ operationis, & facultatem bonæ refectionis, & ſomnij phantaſmata vana, & phantaſias inducit. Stultum eſt ergo, & rationi contrarium, ibi dormire, vbi eſt vigilandum: ſtare, vel iacere, vbi eſt ambulandum: & quieſcere, vbi eſt laborandum. Vnde dicitur: Surgite, & ite,

*Michea. 2. c.*

quia non habetis hic requiem: Homo enim factus eſt ad laborandum, ſicut auis ad volandum, vt dici-

*Iob. 5. b.*

*Gen. 3. d.*

tur: In ſudore vultus tui (dictum eſt homini) veſceris pane tuo. Ergo non eſt dolendum, ſed vigilandum: non pigritandum, ſed ſollicite operandum.

*Eccl. 9. c.*

Quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec prudentia, nec ſapientia eſt apud inferos, quò tu properas. Vnde Domi-

*Ioan. 9. a.*

nus: Operamini, dum dies eſt: veniet autem nox, dum nemo poterit operari. O quantum dolebunt, quàm amare poſt mortem plorabunt, qui modo operari, & pœnitentiam agere renuunt! ſed nihil dolores & lacrymæ tunc valebunt: quia tempus operandi, quod nunc eſt, amiſerunt: ibi autem non tempus eſt ad operandum, ſed tantum ad patien-

*Rom. 13. c.*

dum: & ideo dicit Apoſtolus: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, &c. quaſi dicat: Quid vltra dormitis, quid negligitis, quid vtilitatis expectatis? Ecce, quia Chriſtus eſt in ianuis: iudicium appropinquat: & tempus reddendæ rationis inſtat. Vnde di-

*Prou. 6. b.*

citur: Vſquequo piger dormis? vſquequo non conſurges ex ſomno tuo? Quis, niſi ſtultus dormiret, dum bellum inſtaret, dum ignis iam domum inuaderet, dum mox ferenda ſententia mortis eſ-

*Prou. 6. a*

ſet? Vnde addit Salomon, pigros excitans per exemplum: Vade ad formicam, & conſidera vias eius, o piger, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, æſtate parat ſibi cibum, vt comedat, &c. Notate viarum multiplicationem, & ſagacitatem in eundo. Notate grana, non ordeacea, ſed frumentina eligendo; ipſa grana, ne germinent, diuidendo: & futura tempora cognoſcendo; cum tamen ducem non habeat, qui eam doceat: nec præceptorem, quem timeat. Ergo, quid nos faciemus, qui, cum magni corpore ſimus, qui ductorem veritatis habuimus, qui præceptorem comminantem

*Exemplū.*

ſuſcepimus? Quam coram eo excuſationem habebimus, ſi operari negligimus? vtinam cogitaremus, quomodo inter apes nulla eſt otioſa, ſed omnes ad laborandum vadunt, paſcua quærunt, & mel ex floribus legunt: ita, quòd totæ oneratæ redeunt, & otioſas grauiſſime puniunt, &, ſi poſſunt, occidunt.

*Pſal. 43. d.*

Secundo, ſurgendum eſt a frigore auaritiæ, quo totaliter terræ incumbimus. Vnde auari dicunt: Conglutinatus eſt in terra venter noſter, & omnes affectus noſtri. Venter enim, quia cibaria appetit, & ea conſeruat, ſignat affectum: cuius eſt, res appetere, & acceptas ſeruare, ad modum cuiuſdam memoriæ. Ergo, cum auari ſic iaceant, & terræ inhæreant, neceſſe habent, vt ſurgant, & ad Deum fa-

*Mat. 9. a.*

ciem ſuam vertant. Vnde dicitur de Matthæo Apoſtolo, qui ad telonium ſedebat, & auare temporalia lucra quærebat; qui ſurgens ſecutus eſt eum, ideſt Chriſtum. Surgere debet homo ad modum virgæ, quæ mox nata incipit aſcendere, a terra ſe eleuare, & verſus cælum ſemper ſe erigere: numquam enim





ad terram ſe flectit: immo, ſi violenter incuruata fuerit, mox dimiſſa, ſe ad cælum erigit: ſolum autem pedem in terram figit, vbi tantum attrahit neceſſarium alimentū. Turpe eſt ergo, quòd homo, qui factus eſt ad poſſidendum ſupernum regnum, ſemper faciem eleuatam non portet ad cælum, numquam cælum reſpiciat, numquam ſe ad cælum erigat, ſed ſemper, brutorum more, terram reſpiciat, animam nobiliſſimam, Dei imagine inſignitam, ad terrena conuertat, ſeq. totam ſubijciat terræ, quam calcat. Quid tibi, homo, digniſſima creatura, cum terra? Vnde tibi cum terra tam fortis amicitia, cum grauatus ex ea non poſſis aſcendere ad tuæ beatitudinis locum, ſed demergaris eius pondere ad infernum? Puto, dices, quòd propter victum, & veſtitum, terra indiges. Sed fac, ſicut planta: ſolum pedem tene in terra, id eſt accipe ex ea neceſſaria, & dimitte ſuperflua, quæ tibi ſunt in ruinam. Nam & planta ipſa ſi ſuperfluum humorem attraxerit, uel in ſe putreſcit, vel putridos fructus facit. Vnde amygdalus ex humore ſuperfluo, quem attraxit, ſterileſcit, & fructum non facit: iuxta quod

*Ariſtot. de Plantis lib. 1. c. 3. circa finem to. 6. Et Theophr. li. 2. de pl. c. 8. prope fin.*

Philoſophus dicit: Debet in radice perforari clauis, vt, dum humor ſuperfluus inde exierit, humor neceſſarius, qui remanſit, dum a calore plantæ digeſtus fuerit, vertatur in fructum. Sunt ergo, fratres, abijcienda ſuperflua, accipienda ſola neceſſaria, ſi volumus facere opera matura, & Deo accepta. Nam ad congregandum ſuperflua non cogit natura, ſed auaritia ſola. Nam, ſi congregare talia, eſſet ex natura, vtique congregarent omnia bruta, quæ (vt dicit Damaſcenus) non regunt, ſed reguntur a natura: ſed non congregant illa: ergo congregatio tua, pura eſt auaritia. Nam hoc eſt, quod Dominus arguit

*Matt. 6. d.*

a minori: Nolite, *inquit*, ſolliciti eſſe, dicentes, quid manducetis, aut corpori veſtro quid induamini, &c. reſpicite, *inquit*, volatilia cæli, & *cetera*, reſpicite lilia agri, &c. Lege & prædica omnia vſque ad finem capituli: quia miro modo ſunt pulchra, & ædifica-

*S. Ambr. in cap. 12. Lucæ to. 3.*

toria, pro confundenda humana auaritia. Vnde Ambhoſius exponens illa, ſic ait: Numquam humanæ vitæ neceſſarius deficit vſus alimenti, niſi cum venerit dies moriendi. Abſurdū, *inquit*, eſt vt victus nobis copiam defuturam credamus, qui iugem vi-

*Ibidem.*

tam a Deo accepimus. Et addit: Conſiderate volatilia cæli: Magnum, *inquit*, ſane, & aptum, quòd fide ſequamur exemplū. Nam, ſi volatilibus cæli, quibus nullū eſt exercitiū cultiuationis, nullus de meſſium fœcunditate prouentus, indeficientem tamen diuina prouidentia largitur alimoniam, verū eſt, quòd cauſa inopiæ noſtræ auaritia eſt.

Tertio, ſurgendum eſt a peccato luxuriæ, per quod nos totos inficimus, & corpus, & animam maculamus. Luxurioſi enim, more ſcabronum, ſemper in ſtercoribus ſunt, & ſtercora continue reuoluunt, & adeo infecti ſunt, quòd ſtercorum fœtorem non ſen-

*Exemplū.*

tiunt. Ciconia cognoſcit fœtorem, & ſentit, quando ſua vxor adulterata fuit, & miſer homo adeo infectus exiſtit, quòd fœtorem proprium non aduertit, cum fœteat magis, quàm putridus canis. Ergo, fratres, ſurgendum eſt a turpitudine, exēplo filij prodigi, qui omnia, quæ a patre acceperat, luxurioſe conſumpſerat. Audi, poſt multa, quæ fecerat, reuer-

*Luc. 15. d.*

ſus ad ſeipſum, ait: Surgam, & ibo ad patrem meū, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te. O, qui ſic faceret, qui ſic pœniteret, qui ſic toto corde ad Deum patrem rediret, qui ſic peccatum ſuum diceret, qui ſic humiliter veniam peteret, vt, ſicut ille, largam miſericordiam inueniret! Nam, vt ibidem habetur, dum adhuc ille longe eſſet, pater ſuus illum videns, miſericordia motus eſt, & currens, ſuper collum eius cecidit, & dulce oſculum ſibi dedit: ſtola prima illum induit, annulum in manu illius poſuit, calceamenta in pedibus dedit, & magnū conuiuium illi parauit. Omnia iſta verba magnam oſtendunt eſſe Dei clementiam, quæ non abijcit, non contemnit, ſed dulciter ſuſcipit filios pœnitentes, & ad ſuam miſericordiam reuertentes. Fluuius

*Exemplū.*

enim ad tempus a mare recedit: ſed, dum ad illud redit, non eum abijcit, ſed infra ſuos ſinus recolligit. Eſt ergo, fratres, peccatum grande, & immane, tam pium patrem offendere, qui nos fecit, nos redemit, qui & tota die offendentes eum benigne ſuſcipit reuertentes. Sed notate, qui hic tantam benignitatē contemnit, & ad eum non redit, grauiſſime eum pu-

*Rom. 2. a.*

nit. Vnde dicitur: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis eius contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuerentiæ iuſti iudicij Dei, qui reddit vnicuique iuxta opera ſua, & c. Quanto enim peccator amplius ad pœnitentiā expectatur, tanto, niſi conuertatur, grauius punietur. Nam, quia Dominus poſt paſſionem

*Ioſephus lib. 6. de Bello Iudaico c. 12. de abſciſſis manibus: De numero autē occiſorū lib. 7. cap. 17.*

ſuam 42. annis, vt redirent ad pœnitentiam, Iudaicum populum expectauit, dum conuerti renuit, Titum, Romanum Principem, ſuper eum induxit, qui, eis obſeſſis, vndecies centum millia fame & gladio mori fecit, & omnes alios vendidit, ita quòd triginta ex eis pro denario vno dedit: quia ipſum Dominum vendiderant pro triginta denarijs.

Quarto, ſurgere debemus a peccato gulæ, quo carnem augmentamus, & ſpiritum deprimimus. Gulæ enim ſeruire, eſt pinguedinem augmentare: & pinguedinem augere, eſt ſanguinem minuere, qui eſt

*a Leu. 17. c*

nutrimentum vitæ. [a] Anima enim omnis hominis in ſanguine eſt. Vnde viri pingues modicum habent

*Ariſtoteles lib. 3. de hiſtoria animalium. c. 19. parte 5.*

de ſanguine, ſicut Philoſophus, & † Conſtantinus teſtantur. Nam pinguedo non eſt aliud, niſi ſanguis coagulatus: &, qui modicum habent de ſanguine, modicum habent & vitæ. * Vnde, loquendo communiter, qui pingues ſunt, non diu viuere poſſunt: quia pinguedo vitam minuit. Vnde exem-

*† Conſtātinus Medicus in Pantechni lib. 2. c. 14. & lib. 11. c. 16 Hic fuit deinde Monachus Benedictinus.*

plum ponitur de agno, qui, quando circa renes impinguatur, cito infirmatur, & moritur. Iſti enim pingues, dum in eis pinguedo diſſoluitur, ſubito moriuntur, & cōmuniter a reumate ſuffocantur. † Vnde dicit Hieron. quòd Philoſophi olim, vt poſſent diu viuere, modicum dabant gulæ, & viuebant omni tempore temperatè. Dicebant enim, & vere, quòd cibi dati homini erant ad vitam conſeruandam, non ad eam corrumpendam. Item & dicebant, & dicunt Sancti, quòd venter pinguis groſ-

** Ariſt. de hiſtoria animalium li. 3. c. 17. parte 5.*

ſum ſenſum gignit. Quare, vt poſſent eſſe ſubtiles, erant plurimum abſtinentes. Item homines pingues, ad operandum, & generandum ſunt quaſi inutiles. † Vnde dicunt paſtores ouium, & philoſophi hoc ſcripſerunt, quòd, quando aries impinguatur, non eſt ad generandum aptus. Quare paſtores,

*† Hieron. c. 2. li. 2. cōtra Iouinianū, longe poſt principiū, ſed ante medium.*

cum eos nimis impinguari cernunt, tamquam inutiles, eos occidunt. * Ob hanc etiam cauſam mulierem nimis pinguem volentem concipere, Hippocrates iubet macreſcere. Ergo, cum gula mortem acceleret, intellectum obtenebret, & vim operatiuam, & generatiuam eneruet, ab ea ſurgendum eſt. Vnde

*† Ariſtot. de generatione animalium li. 1. ca. 18. & 29. par. 6.*

ad literā dicitur: [a] Si coactus fueris in edendo multū, ſurge e medio, euome: & refrigerabit te; quaſi dicat: Caue, ne nimium comedas; ſed, ſi in comedendo neſciens exceſſeris, euome quod nimium comediſti. Nam & leo hoc facit, cum nimis cibo grauatum ſe ſentit. De abſtinentijs ſanctorum Patrum ſunt exempla innumerabilia: ſed, quia multis ſunt nota, non arbitror hic ponenda, & *cet.*

** Hippocrates in li. de ſterilibus poſt mediū.*

*a Eccli. 31. c.*

# DE SANCTO LAVRENTIO
## SERMO I.

*Iob 23.e.*

PRobauit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Valde bene, & conuenienter modo Beatus Laurentius ſignatur in auro ignis maximo calore probato. Nam conſtat, quòd auro nihil eſt pulchrius. Inter omnes enim formas picturarũ, auri pulchritudo obtinet principatum, immo pulchritudo auri, decor eſt metallorum omnium, & colorum. Sic & Beatus Laurentius pulchritudo fuit in ſuo tempore, totius Eccleſiæ, propter maximam, quam habuit, honeſtatem. Item auro nihil ductilius: nam tam ductile eſt, quòd inter incudem, & malleum ſine corruptione, ſine partium diuiſione, in tenuiſſimas laminas dilatatur: immo, vt dicitur, ad modũ paſtæ in manibus tenetur, & ex eo pro voluntate vniuerſa formantur. Sic & Beatus Laurentius ſic ſemper per obedientiam ductilis fuit, quòd de præceptis maiorum nihil vmquam omiſit. Vnde pecuniam ſibi a Papa dimiſſam, ſtatim abſque mora pauperibus diſtribuit. Item auro nihil ſolidius, & compactius: Vnde, ſi illud in ignem ponatur, non euaporat. Vlterius, ſi in ignem ponatur, non conſumitur; nec in pondere ſuo minuitur, ſed ardore caloris diſſoluitur. Sed, ſi quid habet impuritatis annexum, ſolum ab illo purgatur, & ſic fulgidum redditur: Sic & Beatus Laurentius, in igne poſitus, corrumpi non potuit: ſed, quidquid in eo erat culpæ venialis, totum ibi dimiſit, & ſic fulgidus totus exiuit. Item aurum percuſſum non reddit ſonum ſicut æs, vel argentum; nec crepat, vel ſcinditur, ſed ſolum, dum percutitur, dilatatur: Sic Beatus Laurentius, verbis attritus & factis, nullum impatientiæ ſonum dedit, non per odium ſciſſus fuit, vel crepuit: ſed ad inimicos ad maiorem flammam exarſit. Item nihil auro eſt purius: non enim, vt alia metalla, rubiginem contrahit a terra: Sic Sanctus Laurentius mundum cum ſuo flore contempſit, propriam patriam, & omnia dereliquit, vnde nullam peccati rubiginem a terra contraxit. Item nihil eſt auro virtuoſius: nam virtutem habet confortatiuam, & ſuperfluorum omnium in corde corroſiuam: vnde valet plurimum contra lepram, & contra paſſionem cardiacam. A lepra enim vel præſeruat, vel eam retardat; vel ſaltem eam palliat, & occultat: Sic & vir iſte ſanctus magnas virtutes efficit cordis: In fide enim corda dubia confirmauit, exemplis, verbis, & miraculis, multoſq. iam infectos a lepra peccati ſanauit. Ergo veriſſime de eo potuit dici: *Probauit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit.* In quo verbo vtique tria facit: Nam primo, ſe a Deo eſſe examinatum oſtendit: Secundo, ſuam puritatem, & patientiam innuit: Tertio vero, per quid examinatus fuerit, patefacit. Oſtenditur ergo primo, auctoritas, in probando. Oſtenditur ſecundo, Martyris ſoliditas, in portando. Sed oſtenditur tertio, inſtrumenti acerbitas, in agendo. Dico, quòd primo examinatum ſe eſſe oſtendit, cum præmittit, *Probauit me*. Secundo, ſuam firmitatem, & patientiam innuit, cũ interponit, *quaſi aurum*. Tertio, per quid examinatus fuerit, patefacit, cum in fine adiungit, *quod per ignem tranſit*. Verum, quia patientia Martyris per ignem probata fuit, & iam ſuperior narratio martyrem commendauit: nunc, ad inſtructionem, de

*Exẽpla multa de auro in B. Laurentio reperta.*

*Surius to. 4 die 10. Auguſti nõ procul à fine.*

*Cardiaca paſſio vel affectio, eſt innati roboris labefactatio & lãguor, teſte Galeno in Def. med.*

A

igne aliquid eſt dicendum. Eſt igitur notandum, quòd in Scriptura maxime ſex legimus ignes. Primus, eſt ignis illuminans, & inflammans: Secundus, eſt ignis maculans, & deformans: Tertius, eſt ignis probans, & examinans: Quartus, eſt ignis purgans, & lauans: Quintus, eſt ignis crucians, & exterminans: Sextus, eſt ignis glorificans, & beatificans.

*Ignis quotuplex.*

Dico, quòd primus ignis eſt illuminans, & inflammans. Et hic eſt ignis Diuinæ gratiæ: cuius officium eſt, animam illuminare ad verum, & inflammare ad bonum: Scientia enim & virtutibus humanus perficitur animus, vt dicit Philoſophus: & ideo,

B

ſi perfici volumus, hoc igne gratiæ indigemus. Hic eſt vtique ille ignis, de quo dicitur: Ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi vt ardeat? Nobilis certe ignis, propter quem accendendum Dominus in terram venit. O quanta diligentia, quanta ſollicita cura deberet hic ignis nutriri, & cuſtodiri, ne poſſet extingui, cum talis ſit anima, quòd poſſit accendi hoc igne ſpirituali, ſicut carbo igne materiali. Anima autem ſine tali igne ſpirituali, eſt ſicut carbo ſine igne materiali. Opera enim noſtra, hoc ſpirituali igne non incenſa, ſunt ſicut cibaria multum craſſa, & dura, igne materiali non cocta. Talis eſt anima

C

ſine hoc igne ſpirituali, qualis eſt ſtomachus ſine calore naturali, cuius virtute non poſſunt cibaria coqui, vel digeri. Ergo, ſicut, propter vitam corporalem, calor naturalis fouendus eſt cibis, & rebus confortatiuis, ſic propter vitam ſpiritualem calor gratiæ ſpiritualis nutriendus eſt ſanctis verbis, & operibus bonis: quia & ignis materialis ſępe perit, deficientibus ſibi lignis. Et propterea de hoc igne præceptum fuit: Ignis (inquit Dominus) in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubijciens ei ligna per ſingulos dies. Altare diuinum, eſt cor humanum, quod ſemper debet igne gratiæ eſſe

D

inflammatum, & ne deficere poſſit, ſemper lignis operum bonorum nutriendus eſt ignis.

*Ariſto. Problematum ſectione 30 quæſtio. 4. parte 7.*

*Luc. 12. f.*

*Leuit. 6. c.*

Secundus ignis, iam dicto igni contrarius eſt, ſcilicet ignis maculans, & animam deformans. Et hic eſt ignis culpæ. Hic enim malus ignis, dum animæ aduenit, omnia eius bona conſumit, & naturam inficit. Et de hoc igne dicitur: Ignis eſt vſque ad conſummationem deuorans. Et iterum dicit: Ignis deuorabit tabernacula eorum, quæ munera libenter accipiunt. Hic eſt ille ignis, qui dicitur de rhamno exire: de quo dicitur: Egrediatur ignis de rhamno. Dicitur enim, quòd arbor illa culpæ ſignatiua de ſe

E

ignem emittit, qui omnia circumiacentia deſtruit, & comburit. Hic ignis domus noſtræ combuſtiuus non eſt nutriendus, ſed aqua pœnitentiæ extinguendus. Quis enim ſic ſtultus, qui non aquam ad domum deferat, dum eam ardere videt? & quis non ſtatim currat, quando primo eam ignis inuadit, nec expectat, quouſque conſumpta fuerit? Non enim facile aqua etiam extinguitur ignis, poſtquam plurimum in lignis inualuit; nec facile culpa remouetur ab anima, quando in ea diu fuerit radicata. Nã rubigo, quæ diu ferrum tenuit, ſic fortiter illi innititur, quòd non facile remouetur. Non facile plaga

F

curatur, cui in principio non ſuccurritur: ergo non diu eſt in culpa ſtandum, ſed citiſſime illi per pœnitentiam occurrendum.

*Iob 31. b.*

*Iob. 20. d.*

*Iud. 9. b.*

Tertius ignis, eſt ignis probans, & examinans, quo Sanctus Laurentius fuit hodie probatus, dum in craticula fuit aduſtus: igne enim omne metallum probatur: nec vmquam melius denarius falſus probatur, ſiue cognoſcitur, quàm ſi in igne ponatur. Vas enim ſolidum, & plenum, non crepat ad ignem poſitum, ſed ignem non ſuſtinet vacuum. Ergo vas ſolidum, vas aureum, vas plenum Laurentius fuit: qui igne probatus, patientiam non abiecit, ſed velut fortiſſimus clypeus, natura adamantinus, omni periculo aduerſanti ſe oppoſuit. Sed quis hodie ſeruat patientiam

*Exemplũ.*



patientiam in aduerſis? Similes ſumus ligno balſami,

A

quod nullo modo vult gladio tangi: immo, ſi tactũ fuerit, ſtatim perit. Oliua, ſi, putata, in collectione fructuum, ſicut nux feriatur, ſic dedignatur, vt nullum in futuro tempore fructum ferat. Homines ergo noſtri temporis ſunt de natura cordis, quod tãgi renuit, vel tactu, vel acu ſolo punctum viuere renuit. Nõ talis Laurentius, qui ardens dicebat illud: *Igne me examinaſti*. Et propterea dicebat: *Proba me, Domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum.*

*Plin. in Natur. Hiſto. lib. 12. cap. 25.*

*Pſal. 16.*

Quartus ignis, eſt ignis purgans, & lauans, qualis eſt in Purgatorio. Officium enim ignis, eſt purgare, & rubiginem a metallo abſtergere. Qui enim

B

eſt in ſtatu ſalutis, & ſufficienter ſe in præſenti non punit, ad ignem Purgatorij, velit nolit, perueniet: quia dicitur: Qui timet pruinam, veniet ſuper eum nix. Sępe, dum quis credit ſe vrſum effugere, præter propoſitum incidit in leonem. Sic, & qui per pęnitentiam refugit hic puniri, grauiori reſeruatur examini, quia purgatorio igni. Et de hoc igne dicitur: Vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit: quia vniuſcuiuſque opus, quale ſit, ignis comprobabit, *& cet.* O quot opera, quæ nunc videntur aurea, tunc apparebunt lutea, confracta, & vana, ſiue potius nulla.

C

Aurum enim ſophiſticum, ſiue artificialiter factum, in igne appoſitum, apparet eſſe nullum. Sic & apparebit eſſe in purgatorio igne: quia multa opera, quæ modo creduntur eſſe aurea, apparebunt ærea. O quot ſunt hodie, qui videntur ædificare aurum, argentum, & lapides pretioſos, qui inuenient ſe ædificaſſe lignum, fęnum, & ſtipulam, ideſt, non opera ſublimia, ſed modica, & purgatione digna. Sed, quis illam examinationem poterit ſuſtinere? Quis poterit illud tam graue incendium tolerare? & tamen quis illum ignem poterit declinare? Eſt enim (vt Sancti dicunt) grauior, quàm quidquam in hac vita portari ab aliquo poteſt: & eſt hac præſenti pœ-

D

na diuturnior: & eſt hac tẽporali pœna infructuoſior: quia hæc temporalis pœna meretur palmam, & gloriam: ſed ille ignis ſolam pœnam habet; ſed palmam non habet & gloriam. Vnde plus ſatisfacit hic homo Deo valde modica pœna voluntarie pro peccatis aſſumpta, quàm ibi permaxima: ſiue quia ibi eſt inuoluntaria, ſiue quia, ſi ibi eſt volũtaria, eſt tamen ratione ſtatus immeritoria, nulla laude, vel præmio digna. Timeāt igitur peccatores hunc ignẽ, qui nihil relinquit intactum, vel nihil penitus impunitum, ſiue verbum fuerit permodicum, ſiue opus inutile factum, ſiue quid modicum in corde penſa-

E

tum. Vnde dicitur: Quis ſtabit ad vidẽdum eum? Ipſe enim, quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Ignis enim in conflatorio vſque ad minima penetrat omne metallum: & herba fullonum, quia ſi carbo cadit in panno, etiam minimum pilũ conſumit, quia nullum erit tam paruum peccatũ, quod ab illo pertranſeat igne non tactum, & totaliter non excoctum. O fratres mei, qui modo modicam febrem, vel modicum quemcumque dolorem non poteſtis pati, quid facietis, quantum dolebitis, quantum plorabitis, illo incendio inflammati, & to-

F

taliter a pœnis abſorpti? Vnum tamen maximum bonum hic habet ignis, quia propter hoc, quòd peccatum conſumit, & ſolum ad tempus exiſtit, hominem in ſecuriſſimo ſtatu ponit: quia, qui ibi eſt poſitus, a pœnis eſt æternalibus abſolutus, & de vita eſt æterna ſecurus quamuis aliqui aliter ſenſerint.

*Iob 6. b.*

*1. Cor. 3. c.*

*Aurum ſophiſticum.*

*Ignis purgatorij qualis.*

*Malac. 3. a*

*Ignis purgatorij bonum.*

Quintus ignis, eſt ignis crucians, & exterminans. Et hic ignis eſt in inferno, cuius conflator diabolus eſt. Hic enim ignis eſt peſſimus, quia eſt ſupra, quàm dici valeat afflictiuus, conſumptiuus, & (quod eſt mirũ) reparatiuus. Vnde: Quis de vobis poterit habitare cum igne deuorante? Mirum valde, quia ille ignis & eſt importabilis, & tamen eſt ineuitabilis, vt declinari non poſſit. Eſt enim ignis vſque

*Ignis purgatorij qualis.*

*Iſa. 33. f.*



A

ad conſummationem deuorans, & penè iam deuoratũ reparans; ita, vt iterõ atque iterũ, immo vſque in æternum valeat deuorare. Vnde dicit Gregorius ꝙ in inferno eſt vita ſemper moriens, & mors ſemper viuens. Vnde Gloſſa exponẽs illud: Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos, dicit ꝙ ſicut herba ab ouibus carpitur, ſed non radicitus euellitur, vt continue renaſcatur, vt ſic ſemper ſit, quod carpatur; ſic homo in inferno ſemper moritur, &, vt ſemper mori poſſit, ad vitam continue reparatur. Eſt etiam quid grauiſſimum ignis æternus, nullis vmquam temporibus finiendus. Vnde miſe-

B

ri peccatores non erunt in inferno per annum, non per annos centum, nec per annorum millenarium, non per millia millium, ſed per plura mille millia, quàm ſint pennæ omnium volatilium: pluſquam pili, & capilli omnium animalium: pluſquam ſint genera beſtiarum, bladorum omnium: pluſquam ſint flores, & fructus, & folia omnium arborum: pluſquam omnes herbæ camporum, montium, & pratorum: plus quàm ſint lapilli, & arenulæ omnium fluuiorum, & marium: & pluſquam ſint in oceano mari, & in fluminibus omnibus, puteis, & fontibus guttæ aquarum: & adhuc vltra hæc omnia in infi-

C

nitum. Vnde dicitur: Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Et in Cantico Moyſi: Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima: deuorabitq. terram cum germine ſuo, (id eſt, viros terrenos, cum omnibus ſuis filijs) & montium fundamenta comburet: radicem, ſiue radicalia corda ſuperborum conſumet. Conſumuntur fame guloſi, & deuorabunt eos aues, id eſt, dęmones, ſiue infernales ſerpentes, morſu amariſſimo. Attendite etiam, fratres mei: quia ille ignis nõ ſolum inextinguibilis, ſed etiam eſt irrefrigerabilis: cum nihil ibi ad temperamentum caloris habe-

D

ri poſſit. Nam guttam vnam aquæ diues ille petijt, quam habere non potuit: quam etiam ſi accepiſſet, nihil ſibi penitus profuiſſet: immo, ſi fontẽ totũ, vel puteum, vel maximum fluuiũ accepiſſet, nec ſitim illam mortiferam mitigaſſet, nec ad modicum incendium temperaſſet. Dicit enim Auguſtinus, quòd tanta eſt vis illius ignis, quòd, ſi totum mare in ipſum flueret, nec ipſum ad modicum temperaret. Eſt enim quædam ignis ſpecies, quæ etiam in aqua ardet, ſicut in Legenda ſancti Nicolai dicitur. Vnde, ſi aliquis damnatorum in mari profundo poneretur, ibi ab igne torqueretur.

*Grego. moral. li. 9. ſuper Iob ca. 39. circa med. to. 1.*

*Pſal. 48.*

*Inferni mãſio qualis.*

*Iſa. vlt. d.*

*Deut. 32. d*

*Luc. 16. f.*

E

Sextus ignis, eſt ignis glorificans, & beatificans. Et hic ignis eſt in cælo, vbi vita eſt Beatorum: nec eſt aliud, quàm charitas, ſiue amor, non ad modum viæ, ſed patriæ: nam hic ſanctus ignis in via eſt paruus, imperfectus, & diminutus, ſed in patria eſt ſummus, & vſquequaque perfectus. Vnde dicitur: Viuit Dominus, cuius ignis eſt in Sion, & caminus in Hieruſalem. Sion, quæ interpretatur Specula, eſt militans Eccleſia: in qua charitas eſt modica, illi charitati gloriæ cõparata. Sed Hieruſalem, quæ viſio pacis eſt interpretata, eſt cæleſtis curia, ſiue triumphãs Eccleſia, vbi eſt charitas conſummata, & ad inſtar

F

camini in Sanctorum cordibus inflammata. O qualis, quàm ſuauis, quàm amabilis, quàm deſiderabilis eſt iſte ignis, qui ſanctos viuificat, ſanctos lætificat, ſanctos glorificat, ſanctos in bono conſeruat, & ſanctos ſtabilit, & confirmat. Quis non deberet velle hoc frigus pati, velle penuria rerum affligi, velle laboribus premi, & velle ſe, offerente tempore, & opportunitate, mori, vt poſſet aliquãdo hoc dulciſſimo igni ſuccendi? Non eſt hic ignis deuorans, ſed conſeruans: non affligens, ſed delectans: non ſitim aquæ generans, ſed perfecte ſatians: ſolius boni ſummi deſiderium cum ſatietate, & ſatietatem cum deſiderio generans. Rogemus, & c. Ad hunc nos perducat Chriſtus, Amen.

*Iſa. 31. d.*

*Sion quid.*

*Hieruſalẽ quid.*

## DE EODEM SERMO II.

*Pſal.16.* I*Gne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas*. Inter omnia elementa, ignis maxime eſt actiuus, eo quòd plus ceteris habeat de forma, & minus de materia. Et cõſtat, quòd omnis actio eſt a forma, ſicut omne poſſe pati, eſt a materia. *Iſid. li. 19. Orig. ſiue etym. c. 16.* Vnde Iſidorus dicit, quòd ignis eſt fortiſſimæ actionis, conſumens vniuerſa, quæ rapit. Cum enim ſit calidus in vltimo quarti gradus, nihil eo poteſt eſſe calidius: nec per cõſequens actiuũ eo amplius: immo, cũ omne calidum ab igne habeatur, vt ſit calidum, *Ariſtot. 1. Poſt. Cõt. 5.* (cum id, quo vnumquodque eſt tale, & ipſum ſit magis tale) ignis elementum ſumme eſt calidiſſimum, & per conſequẽs ſumme actiuum, ſumme conſumptiuum, ſumme penetratiuum, & rei quantumcumque duriſſimæ, & compactæ, diuiſiuum, & liquefactiuum. Si non credis, quære hoc a metallis, quæ, cum ſint corpora ſolidiſſima, & corpora compactiſſima, per actionem tamen ignis non ſolum molleſcunt, ſed penitus liquefiunt. *Ariſtoteles Topicorum cap. 3. li. 5. parte 1.* Attende tamen, vt Philoſophus docet, quòd ignis tres ſunt C ſpecies, ideſt ignis lux, in ſua ſphæra; Ignis flamma, in materia aerea: & Ignis carbo, in materia terrea. Verumtamen ignis in carbone eſt valde acutus, & valde afflictiuus, ſi fuerit affligibili applicatus. Cum igitur beatus Laurentius fuerit hoc igne decoctus, & craticulæ ſuperpoſitus, prunis aduſtus, recte potuit dicere Domino: *Igne me examinaſti*. In quibus verbis maxime duo facit. Nam Primo, oſtendit, ſe eſſe probatum per ignis adurentiam, quam portauit. Secundo, ſe aſſerit innocentem inuentum per ipſam innocentiam, quam ſeruauit. Primum, fuit indicatiuum ſuæ patientiæ, qua ſuſtinuit ardua. Secundũ D fuit oſtenſiuum ſuæ innocentiæ, qua fugit mala fœdantia. In his enim duobus conſiſtit perfecta iuſtitia, ſcilicet in aggreſſione bonorum operum arduorum, quibus in bono proficimus, & in declinatione malorum, quibus inficimur. Notatur ergo primo ſtatus tolerantiæ, in quo aduſtionem ſuſtinuit, cum ait: *Igne me examinaſti*. Secundo, notatur ſtatus innocentiæ, in quo vitia declinauit, cum addit: *non eſt inuenta in me iniquitas*. Dicat ergo Sanctus Laurentius: *Igne me examinaſti*. Eſt igitur hic notandũ, quòd duplex eſt ignis: vnus materialis, & vnus ſpiritualis. De corporali nihil in hoc ſermone. Sed E de ſpirituali aliquid eſt dicendum ad noſtram inſtructionem. *Luc. 12. f.* De hoc enim dicit Dominus: Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi vt ardeat? Spiritualis itaque ignis non eſt aliud, quàm charitas, ſiue gratia, qua peccatorum rubigo conſumitur, frigus ab anima tollitur, durities remouetur, & econtra quædam pulchritudo inducitur, calore amoris anima inflammatur, & dulcedine quadam, & pietate mollitur. Iſta enim omnia ignis corporalis facit in ferro, & amor ſpirituali facit in anima. Item attende, quòd, ſicut materialis ignis deficit cito, non nutritus, ſic & ignis ſpiritualis cito de- F ficit, non nutritus. Eſt igitur notandum, quòd ad nutriendum hunc ſanctum ignem quattuor maxime ſunt neceſſaria. Primum, eſt pura meditatio cordis: Secundum, eſt ſancta collocutio oris: Tertium, eſt continuatio boni operis: Quartum vero, humiliatio vera mentis. Miro modo his quattuor, gratia, ſiue amor nutritur in homine, ſcilicet puris meditationibus, caſtis ſermonibus, ſanctis operibus, & humilitatis ceruicibus.

Dico, quòd primum, quod ad nutrimentum ſpiritualis ignis eſt neceſſarium, eſt pura, & ſancta meditatio cordis. Sicut enim prauæ cogitationes hominem ſeparant a Deo (ſicut dicitur) ſic bonæ, & pu- *Sap. 1. a.*

A ræ Deo vniuntur: & amore, quo vniuntur, enutriũtur. Cor enim, ſicut eſt omnium membrorum primum, & a natura primo productũ, ſic eſt ſpiritualis ignis, ſiue totius amoris radicale ſubiectum, & principale domicilium. *Hoc ſecundum philoſophorũ doctrinam: ſecus autem Medicorũ, qui iecur primum generari, & produci affirmant.* Vnde ad ſenſum videmus, quòd, quidquid corde diligimus, oculis illud libenter inſpicimus: & ſępe ad illud oculos eleuamus, libenter de eo loqui audimus: libenter ad locũ, vbi eſt, pergimus: libenter brachijs amplexamur, & oſcula illi amoris imprimimus. Ergo primũ nutrimentũ caſti amoris maxime in corde exiſtit: vt ſint mundæ affectiones, caſtæ meditationes, & ſemper deuotæ co- B gitationes. Sequitur enim his incrementum ſpiritualis ignis, ſicut ex pice, oleo, & pinguedine creſcit materialis ignis. Sanctus vero Laurẽtius, quia ſemper meditationibus ſanctis ſe exercebat, & cogitationes inutiles reſpuebat, ideo ſpiritualem in ſe ignem omni tempore augmentabat, & ſic illo totus intus ardebat, quia ex amore ignem vix ſuis applicatum carnibus ſentiebat. Vere ergo poterat illud dicere: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. *Pſal. 38. a.* Dum enim cor ſanctis meditationibus incaleſcit, ignis in eo Dominicus exardeſcit, & ſuſcipit non modicum incrementum. C Sed, quis hodie bona, caſta, munda, & iuſta cogitat? hodie mundana cogitamus, vanis intendimus, immunda ruminamus: & ideo nihil caſte diligimus, quia cordibus coinquinatis nihil eſt mundum, ſed coinquinata eorum eſt mens, & conſcientia. *Iob 17.* Vnde poſſumus dicere illud: Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum. Cogitationes enim malæ & diſſipationem bonorum omnium faciunt, & ad modum aquæ ignem deuotionis extinguunt, & cor inſuper cogitantis affligunt. Nam & quidam fuit ſanctus pater, qui, quamdiu ſanctis cogitationibus ſe exercuit, & per amorem in Dominum exar- D ſit, alimentum a Deo de cælis accepit. Omni enim die ſibi panis mundiſſimus de cælo mittebatur. At poſtquam cœpit diabolo pulſante immunda cogitare, panis miſſus cœpit ſordidus apparere. Cumq. ſubuerſis omnibus cogitationibus mundis, ſola cogitaret immunda, panis totus niger & ſordidus apparuit, & vltra a Deo miſſus non fuit. Sicq. factum eſt, vt, qui, ſancta cogitans, Diuino igne totus ardebat, dum immunda reuoluere corde cœpit, ignem, quẽ diu nutrierat, mox extinxerit. † Ob hãc cauſam multi fuerunt philoſophi, qui ſibi oculos eruerunt, vt, ſubtracta ſibi videndi materia, nulla E omnino immunda, ſed ſola cogitarent illa, quæ ſaperent puritatem. *† Hier. lib. ep. To. 1. ep. 32. & eſt exemplũ de Democrito apud Cice. lib. 5. de Fin. & li. 5 Tuſcul. & Plutarch. lib. de Curioſit. Hic autem factũ negat. ille vero non affirmat omnino. Idem dicitur de Metrodoro eius diſcipulo.*

Secundum, quod eſt neceſſarium ad ſpiritualis ignis nutrimentum, eſt ſancta collocutio oris, ſiue ſanctitas ſermonis. Patet enim experientia, quòd ſancta verba audita, vel prædicata, miro modo incendunt corda. Nonne, vt Hieronymus dicit, exultant equi in prælijs, dum vocem clamoris intelligunt? Nonne ad bellum pugiles inflammantur, dum hominum clamoribus excitantur? Nonne ad pugnam milites fortiores, & fortius agitant lanceas, ſtrictoſq. mucrones, dũ voce clamantis principis exci- F tantur? Nonne & boues, & cerui, dulcibus vocibus cantuum animantur? Ergo, ſi tanta eſt virtus ad corda confortanda vocum hominum, quanta ad corda inflammãda eſt virtus verborum ſpiritualium? Vnde dicitur: [a] Surrexit Helias Propheta, quaſi ignis: verbum eius velut facula ardebat. *[a] Eccli. 48. a.* Talia fuerunt verba Beati Laurentij, alios inflammantia, ſicut patet in Hippolyto, & alijs, quos conuertit. Bene poterat dicere ſanctus Hippolytus illud: [b] Factus eſt ſermo Domini (ſupple mihi prædicatus per ſanctũ Laurentium) in corpore meo, quaſi ignis exæſtuans, clauſuſq. in oſſibus meis: & defeci, ferre nõ ſuſtinẽs. *[b] Ier. 20 c.* Verbum enim Domini ignis eſt, & in cor agit immutat, purgat, etiam innouat: Ignitum eloquium tuum *Pſal. 118.*



*Pſal. 104.* tuum vehementer. Eloquium Domini inflammauit A eum. *Act. 1. b.* Vnde Spiritus ſanctus apparuit in linguis igneis, vt corda intus redderet inflammata. Sed quis hodie loquitur Dei verba, ad bonum ignem augendum? quoniam, fratres, potius noſtra verba ſunt mundana, ſunt laſciua, ſunt ád malum prouocantia, ſunt ad diſcordias concitantia, ſunt diuinum ignem extinguentia. Sed vir linguoſus non dirigetur in terra, ſicut dicit Propheta. *Pſal. 139.* O quanta mala faciunt mala verba! Quid enim in hac vita bonis moribus melius? Nonne ad componendos mores omnis nobis ſcriptura eſt tradita, & omnis moralis philoſophia? Ergo nihil moribus eſt in vita melius: B ergo nihil malis verbis peius. Quia, vt dicit Apoſtolus, Corrumpunt bonos mores colloquia mala. *1. Cor. 15.* Bernardus: Leuis eſt ſermo, ſed grauiter vulnerat. Eſt enim, *inquit*, aptiſſimum euacuãdis cordibus inſtrumentum. Idem ait: O quàm velociter currit verbum! Vnus eſt, qui loquitur, & vnum verbum ſolum loquitur, & tamen vincit illud verbum, dum vno momento multitudinis audientium aures tangit, corda inficit, & animas illorum interficit. Vnde quidam ſanctus pater animaduertit, quòd, dũ quidam fratres de Deo loquerentur, bonus Angelus appropinquabat illis: cumq. de mundo, Ange- C lus fugiebat, & diabolus illis appropinquabat. Vnde vere, iuxta ſententiam Iacobi: *Iac. 3. a.* Si quis verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Et hic potes multa prædicare de lingua.

Tertium, quod valet ad augmentum ſpiritualis ignis, eſt continuatio boni operis. Sicut enim materialis ignis nutritur lignis: & augetur, illis augmẽtatis: & extinguitur, illis ab eo abſtractis, ſic ſuo modo ſpiritualis ignis nutritur operibus ſanctis, & creſcit illis multiplicatis, & deficientibus deficit. Vnde *Leuit. 6. c.* in figura huius præceptũ fuit: Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubijciens illi ligna per ſingulos dies. Altare Dei eſt cor hominis, in quo ſemper ardere debet diuinus ignis, nutritus ſemper lignis bonæ operationis. Eſt tamen notabile, quia Dominus docuit hunc ſacrum ignem nutriri lignis, non paleis: ſed lignis, id eſt operibus ſolidis, & non vanis. Item ligna ignem nutrientia non debent eſſe madefacta, ſed ſicca: quia opera noſtra, quibus nutritur hic ignis, non debent eſſe carnalia, vel fluida, ſed ab omni malo humore ſiccata, vt ſic, ſint veri ignis nutritiũa. Sicut enim omne animal perit, niſi competenti ſibi pabulo nutriatur, vel ſi cibus venenoſus, vel ſui ſaluti contrarius E illi detur, ſic ſpiritualis ignis ſine operatione bona moritur, ideſt ſi ei nulla bona opera apponantur. *Greg. hom. 30. ſuper Euãg. to. 2. ſub init.* Eſt igitur viris ſpiritualibus hoc igne ardẽtibus fortiter operandum, quia, ſicut dicit Gregorius, Amor Dei non eſt otioſus: operatur enim magna, ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt. Arbor, quæ fructus non fert eo tempore, quo debet, de ipſa teſtimonium perhibe, quòd naturali ſibi debito caret, & ideo eſt digna ſuccidi, & ardenda ignibus tradi: quia homo, qui nunc renuit operari, æterno poſt mortem tradendus eſt igni: in quo, poſtquam ſteterit per tot mille millia annorum, quot arenu- F læ marium omnium, adhuc tantum ibi ſtare habebit, ſicut quando incepit, & in infinitum magis.

Quarto, ad conſeruationem ſpiritualis ignis requiritur vera humiliatio mentis. *Exemplũ.* Sicut enim materialis ignis cito extinguitur, niſi bene cineribus cooperiatur, ſic ſpiritualis cito euaneſcit, niſi cinere veræ humilitatis fuerit coopertus. Species enim terræ valde ſunt redolentes: ſed, niſi clauſæ teneantur, ne reſpirare poſſint, citiſſime euaneſcunt. Sic & vinum ſine clauſura dimiſſum, reſpirando fit vanum, & vertitur in acetum. Verum hæc omnia diu conſeruantur, ſi bene clauſa teneantur. *Num. 19. c* In veteri enim lege omne vas reputabatur immundum, quod non ha- A bebat operculum. Mercator ſapiens, theſaurum, quẽ maxime diligit, non in publico ponit, ſed, quantum poteſt, abſcondit: vina enim clauduntur in dolijs, frumenta in horreis, poma in ciſtulis, ſed aurum in ſcrinijs, vel ſub terris? *Gregor. in hom. 11. ſuper Euãg. tomo 2. in principio.* Nam, ſicut dicit Beatus Gregorius, depredari deſiderat, qui theſaurum publice in via portat. Ergo manifeſtum eſt, quòd ad ignem ſpiritualem ſeruandum, & augmentandum, valet plurimũ ſub cinere humilitatis tenere abſconſum. Hoc enim valde eleganter ſignatũ eſt in Machabæis: *2. Mach. 1. d.* vbi ſic dicitur quòd ſacerdotes acceptũ ignem de altari occulte abſconderũt in valle, vbi erat puteus altus. B Ille amorem ſuum in valle, ſiue in alto puteo abſcondit, qui eum, quantum poteſt, operit cinere humilitatis. Vnde notabile eſt, quod dicitur ibidem, quòd poſtea, requirentes abſconſum ignem, non ignem exurentem, vel deuorantem, ſed inuenerunt aquam craſſam impinguatam, quæ in ignem magnum excreuit, & omne ſacrificium conſumpſit: quia amor celatus creſcit, & tantum ſubtiliſſima cordis incendit, vt fiat Deo in ſacrificium laudis. Beatus ergo Laurentius amorem, quo totus ardebat, & opera, quibus ignem nutriuit, ſemper optima meditando, ſemper optima colloquendo, ſemper op- C tima operando, & ſemper vilia ſentiendo, in ſe perfectiſſime habuit. Propter quod in tantum amor eius excreuit in corde, vt vix ſentiret ignem, qui exterius ardebat in corpore. *Surius to. 4. die 12. Auguſti nõ procul a fine.* Vnde & dicebat Decio: Aſſaſti miſer ex vna parte: gyra aliam, & manduca. Hoc etiam igne totus accenſus, clamabat poſt Beatum Sixtum Papam: Quo progrederis ſine filio, pater? & c. Quid, *inquit*, in me diſplicuit paternitati tuæ? Numquid degenerem me probaſti? Experire, & cet. *Surius to. 4. die 10. Aug. in fi. ex B. Petro Chryſologo Archiepiſ. Rauenn.* Cui Epiſcopus: Non ego te deſero, fili, ſed maiora tibi debentur pro fide Chriſti certamina. Nos quaſi ſenes, & c. Lege vtriuſque D Sancti hiſtoriam: & diligenter eas prædica. Rogemus ergo, & c.

## DE S. BARTHOLOMAEO

### APOSTOLO

### SERMO I.

A*Mice, aſcende ſuperius*. *Luc. 14. c.* Docet Tullius, & Valerius Maximus, quòd amicitia propinquitati præfertur, *Cice. in Lælio, de amicitia.* eo quòd ex propinquitate remoueri amor poteſt, ſed ex amicitia numquam. *Val. Max. lib. 4. ca. 7. de Amicitia.* Sępe enim propinquus odit propinquum, ſed numquam amicus amicum. Vnde concludit Tullius, quòd omnibus rebus humanis eſt amicitia præponenda. *Cic. ibid.* Dicit quoque Valerius, *Valer. ibidem.* quòd amicitiæ bonum non eſt a quocunque facile aſſumendum, ſed ſemel aſſumptum nũquam eſt deponendum: quia, qui ſemel fit amicus, eſt omni tempore diligẽdus. F Eſt igitur homo primo probandus, antequam ſit in amicitiam aſſumendus: & cum non ſit probandus in proſperis, probandus eſt in aduerſis. Amicum enim ſe oſtendit, qui in aduerſis amicum non deſerit. Vnde dicitur: *Eccli. 6. a.* Si poſſides amicum, in tentatione poſſide illum, & non facile credas ei. Non eſt enim credendus amicus, qui beneficijs emitur: quia, beneficijs ceſſantibus, amicitia diuideretur: eo quòd tales omnes, amici fortunæ ſunt, non perſonæ. *Val. Max. li. 7. cap. 2. Cicer. idem refert li. 2. de officijs.* Vnde Philippus, Rex Macedonũ, litteris arguit filium Alexandrum, quòd illos ſibi amicos eſſe crederet, quos beneficijs comparaſſet. Seneca: Ego amicum quæro, cui ſeruiam, pro quo mori valeam, non a quo munera vlla recipiam.

cipiam. Nam, qui in amicitia non amici, ſed ſua commoda penſat, non bene cogitat: quia, ſicut cœpit, ſic deſinet: &, cum amicum viderit afflictum, *Ambr. li. 3 de of. c. 16. to. 4.* diſcedet. Amicitia enim, vt dicit Ambroſius, virtus eſt, & non quæſtus. Non enim debemus amicitiam contrahere cum diuite, quia diues eſt, ſicut Seneca docet. Quia, ſicut mel muſcæ ſequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ, ſic & falſi amici prædam ſequuntur, non hominem: & fortunam potius, quàm *Boet. lib. 3. de conſol. proſa 5. in fine.* perſonam. Vnde Boetius dicit: Quem felicitas fecit amicum, infortunium faciet inimicum. Verus ergo amicus Bartholomæus fuit, quando Chriſto non diuiti, ſed ſumme pauperi ſe coniunxit, non ſolum ſequens eum in proſperis, ſed potius in aduerſis. Vnde bene dicit ei Chriſtus: *Amice, aſcende ſuperius*: quaſi ei diceret: quia pro me, ſiue cauſa mei, elegiſti eſſe inferius; nunc, tamquam probatus iam, *Amice, aſcende ſuperius*. Reges enim, antequam tradant ſtipendia militibus; prius, quales ſint, experiuntur in bellis. Dignus enim eſt donatiuo, qui fortiter pro domino certat in bello. In verbo ergo præmiſſo, a duobus, ſanctus Apoſtolus commendatur. Primo, ab excellentia meriti, quo refulſit: Secundo, a ſublimitate præmij, quod aſſumpſit. Primum, reſpicit ſtatum hominis gratioſum, quo merita cumu C lantur: Secundum, reſpicit ſtatum hominis glorioſum, quo præmia condonantur. In his enim duobus ſumma perfectio hominis cõſiſtit. Primo, ſi clareſcat meritis in Eccleſia militante: Secundo, ſi dotetur præmijs in Eccleſia triumphante. Notatur ergo primo, dignitas meritorum, quibus Apoſtolus fulſit in via, cum dicitur: *Amice*. Notatur ſecundo, ſublimitas præmiorum, quibus eſt coronatus in patria, cum infertur: *Aſcende ſuperius*. Circa erga veram amicitiam eſt notandum, quòd ad eam oſtendendam ad præſens quattuor requiruntur. Primo, vt ſit in amicis communis contemptus omnium vitiorũ: Secun- D do, communis amor omnium diuinorum: Tertio, communicatio omnium ſecretorum: Quarto vero, communis pro ſe ipſis tolerantia tormentorum. Tũc enim eſt amicitia vera, ſi amici communiter mala refugiant, ſi bona communiter faciant, ſi conſilia ſibi communicent, & ſi pro ſe mutuo communiter mala ſuſtineant.

Dico, quòd primum, vnde probatur, amicitiam eſſe veram, eſt communis contemptus omnium vitiorum, & omnium impedimentorum, quibus homo *Cicero. in Lælio.* poteſt impediri ad bonum. In malis enim nulla poteſt eſſe amicitia: quia, vt Tullius, & Auguſtinus do- E cent, *Auguſtin. cõtra Academicos li. 3. lõge poſt initium. to mo 1. & in epiſto. 154. de vera amicitia. to. 2. & to. 4. libro vnico de Amicitia, in principio, & alibi.* Amicitia eſt diuinarum, humanarumq. rerum cum beneuolentia, & charitate conſenſio. Vnde ex vera amicitia duæ voluntates quodam modo fiunt, vna ſcilicet in omni nolito & volito, non malo, ſed bono. Vnde narrat Valerius, quòd duo erant amici, quorum ad malum vnus alterum inuitabat. Cũq. vnus nõ aſſentiret, alter ait: Quid neceſſe eſt me te habere amicum, poſtquam, quæ tibi dico, non facis? Cui alter ſapienter reſpõdens ait: Immo, quid mihi neceſſe eſt, amice, te amicum habere, ſi me pro te oportet turpia agere? Igitur in amicis, communis debet eſſe contemptus omnium malorum, omnium F turpium, imo omnium impedimentorum, ſiue omnium mundanorum, quibus impedimur ad bonum, & allicimur ad malum. Ergo inter Chriſtum, & hunc ſanctum Apoſtolum vera amicitia fuit, quia, quidquid Chriſtus contempſit, etiam Apoſtolus dereliquit. Vnde non ſolum peccatum, ſed & totum mundum perfecte dimiſit. Sciebat enim, ſe non ſi- *Iac. 4. a.* mul eſſe poſſe amicum Chriſti, & mundi. Vnde dicitur quòd amicitia huius mundi inimica eſt Deo. Et inquit: Qui voluerit eſſe amicus huius ſeculi, inimicus Dei conſtituitur: nullum enim medium: *Iac. 4. a.* vel amicus eris Chriſti, vel mundi. Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire, ideſt mundo, &

A Chriſto. Quare: Quia ſunt eis voluntates contrariæ, præceptiones contrariæ, prohibitiones cõtrariæ. Mundus inducit ad gulam, Chriſtus ad ſobrietatẽ: Mundus ad luxuriam, Chriſtus ad caſtitatem: Mundus ad ſuperbiam, Chriſtus ad humilitatem: Mundus ad auaritiam, Chriſtus ad paupertatem: Mundus ad inuidiam, Chriſtus ad charitatem. Ergo, dũ duo contraria immediate ſe habentia ſimul circa idem eſſe non poſſunt, nemo ſimul eſſe poteſt amicus Chriſti, & mundi. Apoſtolus ergo, vt verus Dei amicus eſſe poſſet, mundo, & omnibus vanis libellũ repudij tradidit, & Chriſto toto corde adhæſit. Vn- B de erat de dicentibus illud: Ecce nos reliquimus *Mat. 19. d* omnia. Auguſtinus enim dicit: Dominus omnia bona temporalia contempſit, vt contemnenda eſſe oſtẽderet: & omnia mala ſuſtinuit, vt ſuſtinenda eſſe doceret: vt neque in illis quæreretur felicitas, nec in iſtis vlla timeretur aduerſitas. Et dicit: Peccatum eſt, amare quæ Chriſtus contempſit, & fugere, quæ ipſe ſuſtinuit. O quis hodie in hoc ſequitur Chriſtum, vel eius Apoſtolũ? immo quis eſt, qui non ſequatur toto corde temporalia iſta bona, & non fugiat tẽporalia mala? Nullus. Immo vita noſtra eſt omnino vitæ Chriſti contraria: & ideo cum ſancto C Apoſtolo eius non ſumus amici, ſed hoſtes, & inimici: non ſerui Dei, ſed mundi, & diaboli. Orabat ſemel pater Franciſcus, cuius ſeruus eſſet, ſibi poſtulans reuelari. Ad quem de cælis vox facta eſt, dicens: Franciſce, quando diuina meditaris, diuina loqueris, & ſecundum me operaris, ſeruus tunc meus exiſtis. Cum autem his contraria operaris, alterius ſeruus efficeris, qui meo ore nominari dignus vtique non exiſtit. Tunc ſanctus ait: Et ego, Domine, ſemper me alterum horum trium ſpondeo facturũ: vel de te meditari, vel de te loqui, vel aliquid propter te operari. Veniens ergo ad fratres ait: Fratres, D talia a Deo audiui: talia illi promiſi: nolo, vt vos promittatis: ſed rogo, vt ſemper alterum horum triũ facere ſtudeatis, vt ſerui Dei eſſe poſſitis. Sed, quis mundanorum hoc facit? Quid auari, niſi de pecunia? quid vani, niſi de gula, & luxuria? quid ſuperbi, niſi de dignitatibus, & gloria, meditantur, loquuntur, & operantur? Ergo omnes iſti non ſerui Chriſti, ſed ſerui diaboli eſſe probantur. A quo enim quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt, ſicut *2. Pet. 2. d.* Apoſtolus Petrus docet.

Secundum, vnde probatur, amicitiam eſſe veram, eſt communis obſeruantia diuinorum. Eſt enim of- E ficium veræ amicitiæ, idem velle, & quòd in rebus diuinis, Dominicisq. præceptis nulla ſit diuerſitas voluntatum. Vera igitur amicitia inter Chriſtum, & ſuum Apoſtolum fuit, quia, ſicut Dominus non *Iac. 15. b.* venit ſuam facere voluntatem, ſed Patris, ſic & Apo *Salluſtius in Catilinario.* ſtolus, nihil ſibi de propria voluntate retinuit, ſed corporaliter diuinis præceptis ſe ſubdidit. Audiebat enim Dominum dicẽtem: Vos amici mei eſtis, *Act. 4. g.* *& cetera*. Si enim amicorum eſt idem velle, & idẽ *Aug. to. 1. libro 4. confeſſionum. ca. 6. ex Horatio lib. 1. carm. ode 3. de Virgilio nauigãte: Et li. 2. ode 17. de Mecœnate.* nolle, ergo, quidquid vnus mandat, alter obſeruat. Et, quid mirum, ſi hoc de Apoſtolis verum eſt, qui fuerunt Chriſto intimi, & in eius amicitia præci- F pui, cum dicatur, quòd omnium credentium erat cor vnum, & anima vna? Nam & ipſe Auguſtinus dicit, ſe habuiſſe amicum, de quo videbatur ſibi, quòd, licet duo haberent corpora, anima tamẽ erat tãtum vna. Nec mirũ, ſi tanta poteſt eſſe vnitas Chriſtianorum ſe charitate amantium, cum amor communis tantam vnitatem poſſit facere paganorum, vt dicantur inter ſe eſſe vnum. † Nam, poſtquam Alexander, Rex Macedonum, Regem Dariũ *† Val. Max. de amicitia, li. 4. c. 7 Curti. idẽ lib. 3. de rebus geſtis Alexãdri.* deuiciſſet, & regnum Perſarum ſuo dominio ſubiugaſſet, & ad quendam locum, vbi erat mater Darij, deueniſſet, illa quendam militem videns, quem propter elegantiam formæ, & magnitudinem perſonæ, Alexandrum eſſe credidit, ipſum tamquam regem



regem ſalutauit. Cumq. audiret, quòd ille, quem A ſalutauerat, rex non eſſet, timens, verba quærebat, quibus ſe excuſaret. Cui rex: Nihil eſt, quod in hac re debeas formidare: quia & hic Alexãder eſt, & ego ſum id quod ipſe eſt: ergo, ſi tanta potuit eſſe amicitia paganorum ſe communi amore amantium, quanta cum Chriſto fuit amicitia Apoſtolorum, quos diuinus amor totaliter transformauit in Chriſtum? Omnia ergo ſeruauit Bartholomæus, quæ eum obſeruare voluit Chriſtus. Sed, quis eſt Chriſto amicus, niſi qui Diuina obſeruat mandata? Vn- *Hier. 2. d.* de conqueritur Dominus, dicens: A ſeculo confregiſti iugum, & dixiſti: Non ſeruiam. Quis non B confregit quidquid in baptiſmo promiſit? Quis pœnitentia dignus, & non prius abijcit, quàm aſſumpſit? Quis non diabolo, vel modo, pluſquam Chriſto, obedit? Ergo non ſumus, fratres, amici Chriſti, ſed potius diaboli, ſiue mundi.

Tertium, vnde probatur, amicitiam eſſe veram, eſt communicatio animorum, ſiue omnium ſecretorum: conſtat enim, quòd amor eſt vita cordis, ſicut Hugo dicit. Ergo qui alteri dat amorem ſuũ, dat illi per conſequens & cor ſuum: ſed cor hominis eſt cellarium continens omne ſecretum: Ergo, cum amicus det amico cor ſuum, nihil ex om- C nibus tenet illi celatum: Ergo vbi eſt amicitia, ſiue mutua donatio cordium, ibi eſt communicatio omnium ſecretorum. Cum igitur inter Apoſtolum, & Chriſtum fuerit mutua donatio animorum, fuit & inter eos communicatio conſiliorum. Vnde Domi *Ioan. 15. b.* nus dicit: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius: Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ a Patre meo audiui, nota feci vobis. Sed quis hodie Chriſti amicus? vbi ſunt hodie, quibus pandantur diuina ſecreta? vbi ſunt hodie diuina miracula? vbi Propheta, cui hodie pandantur diuina ſecreta? Vnde poteſt D *Pſal. 73. b.* hodie dicere cum Propheta religio Chriſtiana: Signa noſtra non vidimus, iam non eſt Propheta: & *Thren. 2. c* nos non cognoſcet amplius. Et illud: Prophetæ noſtri non inuenerunt viſionem a Domino. Quis ho- *Rom. 11. d* die iuxta Apoſtolum cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Sed quare, o fratres, hæc omnia? quare ſic excluſi ſumus a Domini noſtri præſentia? Numquid non ſunt in Eccleſia Dei, qui digni eſſent hac gratia? Sunt quidem plurimi, ſed ab hac gratia excluſi ſunt propter peccata populi. Non ſumus, fratres mei, hac gratia digni: quia non ſumus Dei amici, ſed potius inimici. Quis rex, ſi E ſapiens ſit, ſecreta ſua conſilia publicat aduerſarijs? *Exempla.* Nam & animalia bruta vias ſuas, quãtum poſſunt, ſuis hoſtibus celant: intantum vt leo cauda ſua veſtigia deſtruat: ne, quo vadat, venator perpendat. Ceruus, canem latere volens, ſaltus mutat, & nunc ad dextram, nunc ad ſiniſtram ſaltat, vt ſic canem ſequentem ſe, fallat. Ergo, non eſt mirum, ſi ſapientiſſimus Dominus nobis ſua conſilia celat, cum nos hoſtes ſuos eſſe perpendat.

Quartum, & certiſſimum ſignum, quo probatur, amicitiam eſſe veram, eſt, ſi vnus pro alio mala pati non refugiat; ſed vnus pro alio ad patiendum ſe F offerat. Talis reuera amicitia fuit inter Chriſtum, & hunc ſanctum Apoſtolum: quia Chriſtus pro illo ſe obtulit, & Apoſtolus verſa vice pro Chriſto ſe impendit. Chriſtus totum corpus ſuum crucifixoribus flagellandum dedit: ſed Bartholomæus in manibus hoſtium corium dereliquit. Ad litteram enim, excoriatus fuit: quod non ſine graui dolore fieri po *Luc. 12. a.* tuit: Sciebat enim Dominum dixiſſe illud: Dico enim vobis amicis meis: ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hoc non habent amplius, quid faciant: ſed potius eum timete, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem animam mittere in gehennam. Non eſt, chariſſimi, timenda mors corporis,

A quæ de neceſſitate venit: ſed mors timenda eſt gehennalis, quæ ſicut eſt importabilis, ſic eſt ineuitabilis, & etiam æternalis. O quàm bene, quàm feliciter nati, qui vitam hanc temporalem, aliquando neceſſario perituram, pro Chriſto ponerent in ruinam, pro morte fugienda æterna, & vita acquirenda perpetua! Sed hodie hæc vera amicitia penitus receſſit ab aula: non eſt enim, qui pro Chriſto velit pati, non dico ſuſpendium, non aculeum, non diruptiones oſſium, vel morſus beſtiarum, ſed nec durum verbum: immo nec aliquod leſiuum. Vnde dicit Dominus per Prophetam: Amici mei, & pro- *Pſal. 37. b.* B ximi mei aduerſum me, &c. O ſtultitia Chriſtiana: & amicitia falſa, ſub Chriſtiano nomine palliata, quæ ſub pelle ouis lupinum animum gerit. Quid fraudulente, Chriſtianum eſſe te aſſeris, & Chriſtum non imitaris, ſed potius in ſuis membris eum perſequeris? Omnes dereliquerunt me, dicit Dominus, *Mich. 7. a.* & factus ſum, ſicut qui colligit racemos poſt vindemiam, ſicut dicitur. Narrat Ambroſius, quòd duo *Ambr. li. 1. de of. c. 41. to. 4. & Cice. de amicit. Et Val. Max. lib. 4. c. 7. de amicitiæ vinculo: idq. ex Euripid. in Ephig. in Taur. & Hygin. ca. 120. de Oreſte & Pylade in fabulis tragicis, non autem de Philoſophis narratur.* fuerunt Philoſophi, qui inter ſe de morte contendebant, vnuſquiſque pro alio mori volebat. Narrat & Macrobius, quòd multi fuerunt ſerui, & pagani, qui pro dominis ſuis temporalibus ſe tradiderunt C morti. Ergo fratres mei, quanta confuſio nobis eſſe debet, qui ſumus fideles, nolle pro illo mori, vel pro eo modicum pati, qui pro nobis affixus eſt cruci? Apoſtolus tradidit pro illo corium, & nos pati non poſſumus vnum verbum: quia ergo ſic Chriſti fuit amicus, ideo audire meruit: *Amice, aſcende ſuperius*. Nam aſcendit: Primo, ad dignitatem Apoſtolici officij: Secundo, ad excellentiam ſingularis Martyrij: Tertio vero, ad ſublimitatem excellentiſſimi præmij. Vnde poterat dicere illud: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Palma eſt arbor alta, arbor pulcherrima, omni tempore D folijs adornata: Arbor victoriæ ſignatiua: & arbor diuturna: Arbor fructu dulciſſima. Sic & vita illa beata, ad quam hodie aſcẽdit Apoſtolus obtinendã: Eſt altiſſima quantum ad locum, propter cælum empyreũ: Eſt pulcherrima, vita continua, decorata propter aſpectum, ſiue viſum: Eſt victorioſiſſima: *Idem docet Aug. in lib. de amicitia to. 4. in prin. & to. 1. lib. 4. confeſſionum. cap. 6.* quia numquam vlla pugna concuſſa, propter continuæ pacis effectum: Eſt immenſiſſima, nullo tempore finienda, propter æternitatis bonum: Et eſt fructu dulciſſima propter guſtum. Quid ergo eſt, quòd tantum bonum non cupimus? Quid eſt, quòd noſipſos in mortem pro hoc ſummo bono non tradi- E mus? quid eſt, quòd omnia mũdi bona pro eo obtinendo non damus? Stultiſſimi mercatores ſumus, *Macrob. Saturnaliorũ li. 1. ca. 11. ante med.* qui damus pro plumbo argentum, pro aurichalco aurum, immo pro bono tranſitorio, bonum ſummum. Non talis fuit mercator Apoſtolus, qui pro hoc mercando, non ſolum bona temporalia dedit, ſed ſeipſum impendit: & ideo ſic aſcendere dignus fuit.

## DE EODEM SERMO II.

*Poſuiſti Domine ſuper caput eius coronam, &c.* *Pſal. 20. a* Triplex corona legitur in Scriptura: Vna aurea: Altera F ſtellea: *Corona triplex.* Tertia vero lapidea. Prima corona datur Virginibus: Secunda datur Prædicantibus: Tertia datur Martyribus. Dico, quòd prima corona, quæ datur Virginibus, dicitur aurea: *Aurũ quid.* Aurum enim propter ſuam puritatem, & ſpecioſitatem, & incorruptibilitatem, ſignificat incorruptionẽ, virginitatem, ſiue carnis integritatem. Et de hac corona dicitur: Corona aurea ſuper caput eius. *Eccli. 45. a* Secunda corona, quæ dicitur ſtellea, datur Prædicatoribus: *Stella quid.* Stella enim propter ſuam luminoſitatem, prædicatam ſignificat veritatẽ: & ſicut ſtella eſt deuiantium directiua, ſic veritas prædicata, eſt errantium illumina-

*Apoc.12.a.* illuminatiua. Et de hac corona dicitur: In capite A eius corona ſtellarum duodecim. Duodecim ſtellæ, quibus corona cõponitur, ſunt duodecim proprietates ſtellarum, quæ in ſermonibus de cõmuni Apoſtolorũ ponũtur. Quære ibi, & lege ſermones. Tertia corona, quæ dicitur lapidea, datur Martyribus, *Lapis quid.* & pro Chriſto patientibus: Nam lapis propter ſuã ſoliditatem, ſignificat patientiæ firmitatem: Diabolus enim, quia impugnat per concupiſcentiam, ſuperatur a Virginibus per virginalẽ munditiam, quibus redditur corona aurea. Item, quia impugnat per fallaciam, vincitur a Prædicatoribus per veram ſcientiam: propter quod datur eis corona luminea. B Item, quia impugnat per violentiam, vincitur a Martyribus per tormentorum ſuſtinentiã: propter quod datur eis corona lapidea. In prima corona coronãtur actus concupiſcibiles, cuius eſt carnis deſideria frẹnare. In ſecunda corona coronantur actus rationales, cuius eſt errantes inſtruere. In tertia corona coronantur actus iraſcibiles: cuius eſt ardua viriliter tolerare. Hac triplici corona Beatus Bartholomæus eſt coronatus in Patria: Quia corona aurea, eo quòd, vt creditur, virgo fuit: & corona ſtellea: quia prædicator optimus fuit: & corona lapidea: quia martyrium fortiter tolerauit. Bene ergo de C eo dicitur: *Poſuiſti Domine*, &c. *Pſal.20.a.* Et notabiliter dicit: *Coronam de lapide pretioſo*, quo iam dicta triplex corona patenter eſt deſignata: nam lapis pretioſus habet ad modum auri, incorruptibilitatem, ſicut patet in adamante. per quod intelligitur virginitatis integritas. Item lapis pretioſus habet luminoſitatem, ſicut patet in carbunculo aperte, in quo intelligitur prædicationis veritas. Vlterius patet, quòd lapis pretioſus habet ſoliditatem, in quo deſignatur patientiæ firmitas. Ergo vere, & proprijſſime dicitur de hoc Sancto Apoſtolo: *Poſuiſti Domine ſuper caput*, &c. In quo verbo maxime tria D notantur. Primum, eſt ſublimitas ex parte donantis: Secundum eſt idoneitas ex parte recipientis: Tertium eſt, pretioſitas ex parte muneris. Nam primo notatur in conferente ſublimitas, ſiue liberalitas, cũ dicitur, *Poſuiſti Domine*. Notatur ſecundo in accipiente idoneitas, ſiue dignitas, cum infertur, *in capite eius*. Notatur tertio in munere pretioſitas, cum adiungitur, *coronam de lapide pretioſo*. Verum, quia multa dixi de corona, quæ omnia Apoſtolo ſunt conuenientia, conuertamus ſermonem ad inſtructionem noſtram: Nos enim pauci ſumus, qui has coronas accipimus: quia pauci ſunt hodie Virgines, E pauci boni Prædicatores: & nulli quaſi Martyres: Vnde plorantes cum Ieremia poſſumus dicere illud: *Thren.5.c.* Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis: quia peccauimus. Eſt igitur hic notandum, quòd triplicem coronam modo portamus, quam non portauit, ſed proiecit Apoſtolus. Prima eſt corona laſciuiæ, qua carne, & mente inficimur: Secunda eſt corona auaritiæ, qua ad terrena deprimimur: Tertia eſt corona ſuperbiæ, qua in vanum erigimur. Primam coronam nobis imponit corpus inficiens: Secundam mundus deficiens: Sed tertiam diabolus fallens, vel decipiens.

F Dico, quòd prima corona, qua coronata eſt a carne, eſt corona laſciuiæ, quam ſerui ventris, & carnis ſibi tota die imponunt. Ad litteram enim videmus, quòd ſerui ſui corporis ſibi ad modum coronæ, ſerta faciunt de floribus, ſiue roſis. Vnde dicunt illud: *Sap.2.b.* Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: quia eorum coronæ mane ſunt virides, ſero ſiccæ: mane redolentes, ſero fẹtidæ: mane ſpecioſæ, in ſero apparent nullæ. *Iſa.40.b.* Sic enim habetur: Omnis caro fẹnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri, exiccatum eſt fẹnum, & cecidit flos: ergo corona, ſiue gloria carnis eſt ſicut gloria fẹni, vel floris, quæ mane ſunt pulchræ, *Pſal.128.* in ſero vero ſiccæ, vel nullæ. Propheta: Fiant A ſicut fẹnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit. Homo natus de muliere: Ecce fragilitas. *Iob 14.a.* Breui viuens tempore: Ecce vitæ modicitas. Repletur multis miſerijs: Ecce vitæ calamitas. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra: Ecce vitæ noſtræ vanitas. Et numquam in eodem ſtatu permanet: Ecce ſtatus varietas, & mutabilis. Mane ſicut herba floreat, & tranſeat: veſpere decidat, induret, & areſcat. *Pſal.89.b.* Quid ergo homo carnalis in corona vaniſſima gloriaris? Quid de tanta varietate lẹtaris? Nonne vides, quòd cum ſtent cæleſtia corpora, quattuor elementa, ſtent metalla, multaq. ta- B lia; tu vero totus vanus, vt vmbra, velocius tranſis, quàm vmbra, vel herba? Nam Nero Imperator, qui totus fuit ſeruus carnis, impudice ſeruiens laſciuijs, *Suetonius in Nerone.* ſẹpe ferens ſerta de roſis, dum vanitatem hominũ carnalium non agnouit, dum ſe diu regnare poſſe credidit; iudicante Deo, quẽ eſſe non credidit, manu propria fuſtem per ventrem transfodit. Hanc coronam ſibi non Apoſtolus, ſed coronam potius caſtitatis impoſuit, quæ ſicut dicitur in Legenda ſanctæ Cæciliæ, numquam marceſcet.

Secunda corona, qua coronãtur a mundo, eſt corona auaritiæ, qua coronantur diuites omnes, mun- *Hier.13.c.* C diq. amatores. Vnde ſcribitur: Dic regi, & dominatrici: humiliamini, & ſedete, quia de capite veſtro deſcendet corona gloriæ veſtræ. Hæc eſt illa corona, qua quis pingitur coronatus in rota fortunæ: nam, quia rota ſemper voluitur, nec ad momentũ ſtare permittitur; dum ad ſummum peruenit, deſcendere cogitur. Et hæc eſt optima ratio: quia nec in proſperis eſt gaudendum, nec in aduerſis eſt deſperandum: quia cum rota ſtare non poſſit, ſæpe qui imus eſt, aſcendit, & qui ſummus eſt, vſque ad ima deſcendit. Vnde ſcribuntur hi verſus in rota fortunæ. Nam qui in ſummo eſt, dicit:

D *Glorior elatus, deſcendo mortificatus.*

Item alius, qui in imo eſt, dicit:

*Infimus ecce premor, rurſus ad aſtra vehor.*

Vnde ſapiens Salomon mirabatur, qui videbat ſeruos ambulantes in equis, & dominos ſuper terram. *Eccl.10.d.* Et illud etiam cum dicebat: Interdum de carcere & catena quis conſurgit ad regnum, & filij regni inopia conſumuntur. *Eccl.4.c.* Numquid non temporibus noſtris reges, principes, & barones ſunt deiecti, & viles, & humiles exaltati, pauperes ditati, & diuites pauperes ſunt effecti? Probat enim Valerius Maximus multis, varijſq. exemplis, in *Val. Maxi. li.6.c.9. de varietate caſuum.* E vno eodemq. ſtatu neminem poſſe ſtare: Quia hi mores fortunæ ſunt: hos deijcere, illos eleuare, ſumma imis, & ima ſummis euertere. Vnde dicit, quòd quidam Samniorum Tyrannus bonis omnibus fuit plenus, *Polycrates.* & in omnibus videbatur fortunatiſſimus: Nam omne, quod deſiderabat, ſibi veniebat, ſicut voleba: ita quòd velle ſibi eſſet quaſi efficere: Nam & ſemel (vt dicit) quendam annulum ſibi chariſſimum in mare proiecit, ad videndum, ſi ſibi fortuna mutaret aſpectum: quem continuo recuperauit: quia capto maximo piſce, qui annulum deglutiuit, annulum ei reſtituit. Sed fortuna hæc ſic F grata in principijs, non ſic perſeuerauit, ſed faciem eidem mutauit: quoniam captus a præfecto regis, eum cruci affigi fecit. Vnde concludit idem Valerius, contra diuitiarum fortunam loquens: *Ibidem lib. 6. cap. 11. exemp.* Caduca nimium, *inquit*, & fragilia, & puerilia ſunt hæc temporalia bona, quæ ſubito adueniunt, ſubitoq. recedunt, & in nullo loco, nullaq. perſona ſtabilibus radicibus fixa conſiſtunt: ſed illos, quos in ſublime aliquando extulerunt, improuiſe receſſa, deſtitutos in miſerabilem profundum demergunt. Ob quam cauſam narrat, quòd rex quidam ſapiens fuit, cui dũ *Val. Maxi. lib.2. ca.2. de Antigono Rege.* corona regia eſſet oblata, vt capiti ſuo imponeret eam; ille eam manu diu dicitur conſideraſſe, & tandem dixiſſe: O corona magis nobilis, quàm felix,



lix: quam ſi quis vere cognoſcat, quàm multis curis, A multiſq. periculis, & miſerijs plena ſit, nec humi quidem iacentem tollere vellet. Hæc ergo omnia dum Apoſtolus conſiderauit, propter Chriſtũ omnia dereliquit, & c.

Tertia corona, qua a diabolo coronamur, eſt co- *Iob 41.d.* rona ſuperbiæ. Ipſe enim diabolus eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, ſicut dicitur. Hæc enim corona tota eſt vana, ſuper vano fundata: & ideo ſemper eſt ruinæ parata: Domus enim alta non in petra, ſed in arena fundata, ſemper minatur ruinam, & tanto maior eſt, quanto ſitum obtinet altiorem: quanto enim lapis a loco ſublimiori cadit, tanto B eius caſus eſt grauior. Cum ergo corona ſuperba, *Iſa.28.a.* & temporaliter alta, ſit ſemper ad ruinam parata; nullo modo eſt appetenda: nam de hac corona, ſic dicitur: Væ coronæ ſuperbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidenti gloriæ exaltationis eius. Quaſi dicat: Væ æternum erit ſuperbiæ coronantis: cum corona talis ſit, ſicut gloria floris ad modicum decidentis. Vnde ſtatim ſubditur ibidem: Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum. Et erit flos de- *Sap.56.b.* cidens gloriæ exaltationis eius. Propter quod damnati dicunt illud: Quid nobis profuit ſuperbia? multum, & in tempore breui Alexander ſe erexit: C ſed ſubito, dum non credidit, velut fumus euanuit. *Niceph.lib.10. Eccl.hiſto.c.35.circa med. & Caſſiodorus in tripar. Hiſtor.li.6. cap.47.* Iulianus apoſtata intantum aſcendit, quòd contra Chriſtum Dei filium ſe erexit: ſed dum vincere Perſas credidit; a milite inuiſibiliter victus fuit: Et dum confirmari in regno ſperauit, in quo tantum imperauerat tribus annis; tunc ſubito lancea perforatus interijt, & vellet, nollet, quòd Chriſtus de eo triumphauerit, ore maledico confeſſus coram hominibus fuit. Propterea ſanctus Apoſtolus coronam ſuperbiæ procul iecit, & dum coronam humilitatis *Pſal.20.* accepit; ad regium, & cæleſte diadema ſublimari promeruit, vt de eo proprijſſime dici poſſit: *Po-* D *ſuiſti Domine ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo*: Quam & nobis præſtare dignetur, &c.

# DE EXALTATIONE
## SANCTÆ CRVCIS
### SERMO

*Iſa.49.f.* *AD populos exaltabo ſignum meum.* Crux Dominica, quia ex tactu E Dominicæ carnis, fuit ſanctificata, in qua & facta eſt redemptio noſtra; in multis extitit exaltata. In Dominica paſſionis primo, & principaliter: Nã *Ioan.19.c.* quando Dominus baiulans ſibi crucem, eam ſuper humeros ſuos eleuauit, & tandem ipſe ſuper eam aſcendit; nonne valde exaltata fuit, quam Altiſſimus ſuper ſe portauit? Vnde dicitur Cruci: Flecte ramos arbor alta. Et Domi- *Ezec.17.g* nus prædixit: Ego Dominus exaltaui lignum hu- F mile. *Auguſt. de verbis Domini, ſerm. 18. poſt initium to.10.* Vere (ſecũdum Auguſtinum) lignum crucis extitit exaltatum, quando lignum, quod erat latronum patibulum, factum eſt regale vexillum, & tranſiuit ad frontes Imperatorum. Secundo Crux fuit exaltata in Apoſtolorum prædicatione, quando per totum mundum gloria crucis diuulgata eſt: *1.Cor.2.a. 1.Cor.1.c.* Vnde & dicebat Apoſtolus: Nihil iudico me ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Non, *inquit*, veni ad vos in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti. Tertio fuit exaltata in ſua inuentione propter ea, quæ facta ſunt tũc miracula.* ** Caſſiodorus in hiſtoria tripartita lib. 2. cap.18. lib. 8. cap. 29. Eccl.hiſtor.* Lege hiſtoriã. Quarto fuit exaltata in victoriæ collatione, & in huius ſigni oſtẽſione ipſi Cõſtantino, cui & dictum eſt: Confide: in hoc ſigno vinces. Quinto A fuit exaltata hodierna die in eius recuperatione, & victoriæ collatione, & in miraculorum multorũ operatione.* Lege hodiernã hiſtoriam. **Caſſiodor. in hiſt. tripartita lib. 1. cap.4. & Niceph. lib. 8. cap.3. & lib.2. c.47. Eccl. Hiſtoria.* Sexto eſt Crux exaltata in fidelium deuotione, eo quòd ab omnibus adoretur. Septimo exaltabitur Crux Chriſti in die iudicij: quia, vt dicitur, Hoc ſignum erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Bene igitur, & proprie dictum eſt: *Ad populos exaltabo ſignum meum*. In primo notatur Crucis nobilitas, quam ex tangente contraxit. In ſecundo Crucis poteſtas, quam in ſignis oſtendit. Notatur ergo primo excellentia ſingularis, cum dicit: *Signum meum*. No- B tatur ſecundo reuerentia popularis, cum addit: *Exaltabo ad populos*. Eſt igitur hic notandum, quòd præter illa beneficia per Crucem nobis ab antiquo collata, magna nobis tota die exhibentur beneficia, pluſquam vlla exprimi poſſit lingua, vel ſcribi valeat vlla charta. Nam primo Crux Chriſti eſt ſignũ oberrantibus ad ſemitam reductiuum. Eſt ſecundo ſignum pœnitentibus, gratiæ collatiuum. Eſt tertio ſignum pugnantibus, impotentiæ firmatiuum. Eſt quarto ſignum proficientibus, intelligentiæ directiuum. Eſt quinto ſignum diligentibus, miſericordiæ promiſſiuum. Eſt ſexto ſignum morientibus, C ab hoſtibus defenſiuum. Eſt ſeptimo ſignum peruenientibus, ad gloriam inductiuum.

Dico, quòd Crux Chriſti primo eſt ſignum recla- *Exemplũ.* matorium, quo falcones reuocantur ad manum. In hoc tamen ſigno ad modum aucupis, non poſuit Dominus carnẽ alienam, ſed propriam, proprio ſanguine rubicundam. Sed proh pudor: quia auis extranea vocata ſuo reclamatorio venit: ſed homo vocatus reclamatorio Chriſti, ſẹpe nõ venit, ad modum ſaturi accipitris, qui vocatus, redire contemnit. De hoc ſigno profugos reuocante dicitur: *Iſa.5.f.* Leuauit, *inquit*, Dominus ſignũ in natione, & congre- D gatione profundi iſrael. Qui erant profugi, niſi qui ad modum filij prodigi, erant a Deo peccando elõgati? Sed hi ad viam ſunt reducti, Crucis ſignaculo reuocati. Nonne hoc eſt ſignum, quo carceres fracti, cæli aperti ſunt? Nonne hoc eſt ſignum, quo ſunt leproſi mundati, paralitici erecti, dæmones effugati, cæci ad lumen reducti, & ad vitam mortui reuocati? Hæc enim omnia per Crucem fuerunt, & ſunt corporaliter facta, & fiunt ſpiritualiter continue in Eccleſia. Ergo fratres ſi deuiamus; hoc tanto ſigno reuocati, redeamus. Nam & agniculus, ſi *Exemplũ.* in grege errauerit, mox audita, quaſi quodam ſigna- E culo, voce matris, ſignum agnoſcit, & ad eam protinus redit. Reſtat ergo, quòd Crux ſit ſignum ad ſemitam reductiuum.

Secundo, Crux eſt ſignum pœnitentibus, gratiæ collatiuum: Signum enim crucis Dominicæ ſignum eſt indulgentiæ. Si enim Dominus pro ſuis crucifixoribus voluit Crucem pati; quid factum eſt homini pœnitere volenti? Exemplum de filio prodigo. *Luc.15.c* Vnde dicitur: Ponam arcum meum in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter te: & *Gen.9.c.* non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum omnem carnem. Quid eſt arcus in nube, niſi Chriſtus in F cruce? Arcus ergo ille cæleſtis, quia habet cornua verſus terram, propter quod non eſt tenſus ad eam feriendam; ſignat pacem, & gratiam. Chriſtus ergo cum in Cruce extendit tranſuerſaliter brachia, & caput inclinauit ad terram: ſicut dicitur; ſignauit, *Matt.27.g* ſe ad hoc pati voluiſſe, vt eſſet hoc ſignum gratiæ dandæ, & rigoris temperandi. Vnde Bernardus: *Bern. ſerm. 44. de paſſ. Dom.* Attende o homo, capitis inclinationem ad oſculum, extenſionem brachiorum ad amplexum, apertionẽ lateris ad affectum. Igitur ſicut circulus eſt ſignum tabernæ, ſic Crux ſignum fuit gratiæ conferendæ. Numquid rex iſte non dicitur exponere militibus theſaurum, qui in multis locis perforat doliũ? Ergo a ſimili, nõ vult Chriſtus ſuæ nobis gratiæ dare donum,

donum, quem in cruce vides tot vulneribus perfo- A ratum? *Bernar. ſuper Cantica ſermone 61.* Bernardus: Clamat clauus, clamat vulnus; quòd miſericordiæ Domini non eſt numerus. Foderunt (*inquit*) ei manus, pedes, & latus, per quas rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumq. de ſaxo duriſſimo. *Rom. 8.f.* Et propter hæc omnia dicit: Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiã cum illo omnia nobis donauit? Ergo crux eſt ſignum gratiæ collatiuũ.

Tertio, Crux eſt ſignum pugnantibus, impotentiæ firmatiuum, confortatiuum, & roboratiuũ: Sic enim Conſtantinum, & totum exercitum ſuum roborauit; quòd plenum triumphum, non ſolum de Ma- B xentio; ſed de cunctis hoſtibus reportauit: nec vllus in toto tempore ſuo, poſt vexillum crucis Dominicæ, quod aſſumpſit, ei vmquam reſiſtere potuit. Heraclius Imperator, dum in hoc ſigno ſpem poſuit, tantum a Deo robur accepit, quòd filium Coſdroæ in ſingulari certamine vicit; & tandem ſibi omnem illius exercitum ſubiugauit: nam & hoc ſignum & *Num. 21.c* vulneratos ſanat, & debilitatos roborat. Vnde dum filij Iſrael ab ignitis ſerpentibus morderentur, præceptum fuit Moyſi, vt faceret ſerpentem æneum, quem pro ſigno in ligno ſuſpenderet, quem dum vulnerati attenderent, ſanarentur. Serpens æneus C ſimilitudinem habens ſerpentis, non tamen habens venenum, fuit Chriſtus non habens peccatum; ſed ſimilitudinem carnis peccati. Sicut igitur illi vulnerati a ſerpentibus, ſanabantur ad illius ſerpentis aſpectum; ſic modo percuſſi a dæmonibus ſanantur, *Ioan. 3.b.* & fortificantur per Chriſtum. Vnde ipſe dicit: Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ſic exaltari oportet filium hominis: immo longe magis: quia ibi tantum fuit figura; hic veritas pura. Vnde ille ſerpens ex virtute huius ſerpentis, virtutem *Sap. 16.b* habuit ſanatiuam. Vnde dicitur: Qui enim ad eum conuertebatur; non per hoc, quod videbat, ſanaba- D tur, ſed per te omnium Saluatorem. Ad literam legitur de illo ſerpente, cuius virtus erat per hunc ſanare. Quia igitur hoc ſignum vulneratos ſanat; per conſequens eos firmat, & ad bellandum roborat. Dum enim fidelis miles ducem ſuum in cruce vulneratum videt; miro modo roboratur ad *Bern. in li. de paſſion. Dom. c. 44.* bellum. Bernardus: Si paſſio Domini ad memoriã reuocetur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur. Valde enim milites animoſi fiunt, dum in vexillum regis vident, & intendunt. Et hoc *2. Macha. 13.d.* ſatis aperte dicitur, vbi legitur: Et dato eis ſigno de adiutorio Dei; ipſe dux in prima acie commiſit E bellum: & facto ſibi adiutore Omnipotente; interfecerunt fere 14. millia hominum, & reliquos fugere compulerunt. Ergo Crucis ſignum eſt vulneratorum omnium ſanatiuum, & omnis debilitatis, & impotentiæ firmatiuum.

Quarto, ſignum Crucis eſt ſignum ambulantibus, & proficientibus intelligentiæ directiuum: Ambulantes enim ſæpe deuiant, & aberrant, ſi Cruces, quæ ponuntur in vijs in multis partibus, non attendant: ſic viam ad Patriam neſcit, qui crucem Dominicam non attendit. Vnde dicitur presbyteris, quorum eſt *Iſa. 62. d.* alijs viam præbere: Præparate viam ante omnes, F alios antecedendo, & planum facite iter, de via offendicula remouendo: & leuate ſignum ad populos. Idem ſignum Crucis, eis itinera demonſtrat: *Iſa. 30. e.* nam ſicut in eodem dicitur: Hæc eſt via, & non *Ioan. 14.a.* eſt alia præter ipſam. Nonne dicit: Ego ſum via? *Ioan. 10.a* Nonne in eodem dicitur: Ego ſum oſtium, & qui aliunde intrat, fur, & latro eſt? Quid igitur fruſtra quidam quærunt ſibi viam ad Patriam, per mundũ, vel mundi diuitias, quidã per carnis delicias, quidam vero per honorum eminentias? fruſtra laborant, qui ſupra petram ſeminant: quia non eſt hæc via ad regnum, ſed potius ad infernum. Nonne ſtultus eſſet, qui, ſi vellet aſcendere in montem, te- A neret viam deducentem ad vallem? Quis niſi ſtultus volens cum feſtinantia ire Romam, viam teneat ducentem in Franciam, qui ſemper elongat a Roma? Cum igitur via Crucis nihil habeat, niſi aſperum, & hæc ſola ſit via ad regnum; reſtat neceſſario eſſe ponendum, quòd omnis via, quæ dulce bonum ſequitur, non amarum, ductiua ſit ad infernũ: ſicut enim omnis aqua fluminis intrat, & finitur *Eccls. 1.b* in mare; ſic eſt (vt dicit Richardus) omnino neceſſe, vt omnis humana dulcedo terminetur in amaritudine: Quid enim morte amarius, morte ſcilicet, quæ ſecunda dicitur, & numquã finitur? Sed quæ eſt B vita in mundo, quæ mortis termino non claudatur? quæ ſi in dulcedine ducitur; nõ ſolum morte corporis, ſed morte gehennali, quæ eſt grauiſſima, terminatur. Ergo fratres non laboremus in vanum; non nos decipiat hoc bonum creatum, quia nulla via alia eſt ad regnum, niſi per Dominum Crucifixum. *Exemplũ.* Vnde cum Sanctus Franciſcus multis lacrymis ſibi viam ſalutis a Deo oraret oſtendi, librum accepit, quem ad hoc poſuerat in altari: quem cum aperuiſſet, vt videret quid ſibi occurreret, & quid ſibi Dominus demonſtraret; Dominica paſſio ſibi primo occurrit. Cumq. ne caſu hoc eſſet factum, ſe- C cundo, & tertio hoc feciſſet; ſemper ſibi idem occurrit. Tunc intellexit vir Dei, quòd non erat alia via ſalutis, quàm Dominicæ paſſionis, & Crucis. Ergo licet concludere, quòd Crucis vexillum eſt ſignũ proficientibus directiuum.

Quinto, crux Chriſti eſt ſignum amantibus, miſericordiæ promiſſiuum: Si enim maiorem chari- *Ioan. 15.b.* tatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; patet, quòd multum nos amauit, qui *Bern. ſuper cant. ſerm. 61.* pro nobis Crucem ſuſtinuit. Bernardus: Patet amor cordis per vulnera corporis. Et iterum Bernardus ait: Hoc eſt, bone Ieſu, quod deuotionem meã plus D mouet, plus vrget: calix, Domine, quem bibiſti, opus *Bern. ſuper cant. ſerm. 20.* redemptionis noſtræ. Vnde de hoc exponitur illud: *Iſa. 11.b.* Radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum; ipſum gentes deprecabuntur. Ad literam de Chriſto loquitur, qui fuit radix: Quia ſicut radix eſt primum fundamentum, & ſuſtentamentum totius arboris; ſic Chriſtus eſt radicale principium omnis gratiæ ſpiritualis. Sed hic in Cruce poſitus eſt in ſignum, vt dum ab omnibus videretur, omnes eum deprecarentur, vt nobis miſericordiam impetraret. Non eſt, fratres, recedendum a corde, non recedendum ab opere: hoc ſignum nobis eſt imperatiuum. Vnde E dicitur: in Exodo, & loquitur de Paſcha, in quo *Exo. 13.b.* paſſio Dominica eſt ſignata: Erit hoc quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monimentum ante oculos tuos: quaſi dicat: Cum conuerteris cor tuum ad agenda, hoc erit tibi pro ſigno in manu: ſi vero ad cogitanda, erit tibi pro ſigno ante oculos. Vnde Eccleſiaſticus: Gratiam fideiuſſoris tui ne obli- *Eccl. 29. c.* uiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam. Quid pro te dare maius aliud potuit? ergo qui pro te dedit animam, non faciet tecum miſericordiam, ſi tamen tanti beneficij non inueniaris ingratus? Accipe hoc exemplum Beati Carpi, quod ponitur in F Legendis: cui Chriſtus dixit, quòd erat paratus iterum pro peccatoribus crucifigi. *De hoc B. Carpo ſancti Pauli Apoſtoli diſcipulo, deq. hac eadem re Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 9. cap. 56.* O ſumma pietas, ſummaq. miſericordia Domini Saluatoris; qui cum tota die offendatur a nobis; non tamen nobis ſua beneficia retrahit; ſed continuam miſericordiam nobis impendit: & nunc per interna conſilia, nunc per exteriora carnis verbera; nunc per Scripturæ documenta, nunc per beneficia; & nunc æterna comminando ſupplicia, bonaq. promittendo æterna, nos cogit ad regnum. Ergo Crux eſt ſignum miſericordiæ donatiuum.

Sexto eſt ſignum morientibus, ab hoſtibus defenſiuum. Non tute quis tranſit, vbi latrones ſtant in inſidijs, niſi vexillum deferat ſanctæ Crucis,



nam hoc ſigno victorioſo viſo, terrentur mirabiliter A dæmones, fugantur hoſtes, nec appropinquare audẽt dæmones. Vnde quando quis oleo vngitur in extremis, crux ibi dimitti in auxilium morientis conſueuit, vt ea viſa, confortetur infirmus, & terreatur dia- *Exo. 12.b* bolus. Vnde dictum eſt in figura ab Angelo percuſſore: Erit vobis ſanguis in ſignum, & videbo ſanguinem, & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Aegypti. *Ezech. 9.b* Et propter hoc dicitur Angelo percuſſori: Signa Thau ſuper frontes virorum gementium & dolentium. Et ſubditur ibi: Super quem videritis ſignum Thau, ne occidatis. Ergo ſi nulli parcitur, ſed B omnis occiditur, ſuper quem Thau non inuenitur, reſtat quòd Crucis ſignum eſt morientium defenſi- *Greg. to. 3. lib. 3. dial. c. 7.a.* uum. Nam & de quodam Iudæo narrat Gregorius quòd dum in quoddam templum Idolorum propter noctem aliquando declinaſſet, eo quòd aliud hoſpitium habere non poſſet, timens, quamuis in Crucifixum non crederet, Crucis ſignaculo ſe muniuit: cumq. in ipſa nocte ibi multitudo dæmonum conueniſſet, vnus ex eis ait: Quis eſt ille, qui nos aſpicit? Cumq. quidam irent vt viderent, territi clamauerũt væ, væ, væ, vas vacuũ, ſed ſignatum: ſtatimq. omnis illa turba diſparuit dæmonum. Dicitur etiam in hi- C ſtoria tripartita, quòd nemo illorum, qui tempore *Lib. 1. Hiſt. Trip. c. 5.* Conſtãtini vexillum Crucis portabant tempore belli, potuit vnquam vulnerari vel capi. Ergo ſi ad defenſionẽ hominis tanta in viuentibus eſt virtus Crucis, quantum putas auxilij conferre mortuis, cum in extrema neceſſitate ſunt?

Septimo Crux Chriſti eſt ſignum peruenientibus ad gloriã perductiuum, & in ipſa gloria ornatiuum Nulli enim cæleſtis ianua clauditur, ſi vexillum Crucis ab eo feratur. Vnde dicitur in quadam hiſtoria, quòd latro, qui fuerat cum Domino crucifixus, vadens ad paradiſum deliciarum, ſuper ſe detulit Cru- D cis ſignum: quod dum vidit Angelus cuſtodiens paradiſum, ſtatim eum intrare permiſit. Propter quod *Apoc. 7. c* & in Apoc. dicitur quòd Ioannes vidit numerum ſignatorum ex omnibus gentibus ſtantes ante thronum, amictis ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Cumq. quæreret, qui eſſent, audiuit: Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Ergo ſi in cælis volumus coronari, neceſſe habemus hoc ſigno ſignari, cum ſit gloriæ collatiuum, & in ipſa gloria ornatiuum: ad quam nos Deus perducere dignetur, &c.

## DE SANCTO MATTHÆO APOSTOLO ET EVANG.

### SERMO I.

*Apoc. 1. c* *Conuerſus ſum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum.* Peccatum, ſicut docet Auguſtinus, eſt auerſio *Aug. to. 5. lib. 12. de Ciuit. Dei. cap. 6. & 8.* ab incommutabili bono, & conuerſio ad commutabile bonum. In omni enim mortali peccato ſunt neceſſaria iſta duo, ſcilicet auerſio & conuerſio; ſed auerſio eſt in peccato ſicut formale, & conuerſio ſicut materiale: & ideo auerſio & conuerſio non ſunt duo peccata, ſed vnum, & ſunt ſimul iſta duo, ſcilicet auerſio & conuerſio. Nam ſicut in de generatione & corruptione elementorum (vt *Ariſt. de gen. lib. 1. c. 3. tex. 17.* Philoſophus dicit) generatio vnius, eſt corruptio alterius, & econuerſo: ſic etiam ſuo modo intelligendum eſt in peccato; quia nunquam quis a Deo auertitur, niſi ad aliud conuertatur: & dum ad commutabile bonum conuertitur, ab incommutabili bono auertitur. Verum quia omnia peccata in auerſione A conueniunt, ex illa parte diſtingui non poſſunt; quia nulla inter ſe differunt per ea, in quibus conueniunt; ergo ex parte conuerſionis ad commutabile bonum fit diſtinctio peccatorum. Vnde conuerſio ad pecuniam, dicitur auaritia: conuerſio ad propriam excellentiam, dicitur ſuperbia: & ſic omnis culpa denominatur a conuerſione propria, ita quòd ſit hæc denominatio a materia, non a forma.

Sed nota quòd quia ſimplex eſt anima, non poteſt ſimul, & ſemel ad duo conuerti bona, & maxime ſi ſint diſtantia multum. Quare homo conuerſus ad incommutabile bonum, non poteſt conuerti ad com B mutabile bonum; immo dum ad Deum conuertitur, neceſſe eſt, vt a bono commutabili eius facies auertatur. Quia ergo beatus Matthæus tanquam publicanus erat ad mundum conuerſus, & a Deo auerſus, a Chriſto vocatus, neceſſe habuit faciem a lucro, quod intẽdebat, auertere, & ſe ad Chriſtum vocantem conuertere. Vnde optime dicit: *Conuerſus ſum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum.* Primo, vt viderem me vocantem. In quo verbo oſtendit in duobus ſuam obediẽtiam, & conuerſionem eſſe perfectam, ſcilicet ex parte cordis, a quo omne bonum initiatur (cor bonum omne initiat, tanquam fonta- C le vitæ principium) & ex parte operis, quo bonum quodlibet conſummatur: cor etiam omne opus bonum conſummat, dum illud adducit in actum. Notatur igitur primo perfecta conuerſio cordis, cum dicit: *Conuerſus ſum.* Secundo notatur perfecta ſuperadditio operis, cum addit: *vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum.* Quid enim fuit vocem videre, niſi eam audire? & quid eſt vocem audire, niſi voci obedire? quod dicitur in opere ponere. Vnde mos eſt apud quoſdam, quòd cum nolunt, quod audiunt, facere, dicunt ſe non audire: non (inquiunt) te audiemus, id eſt, quod dicis non faciemus. Dicat ergo ſan- D ctus Matthæus iam ex publicano factus Apoſtolus: *Conuerſus ſum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum.* Eſt igitur notandum quòd ad conuerſionem etſi nos omnia inducant; ſunt tamen quattuor quæ nos debent mouere: ſcilicet culpa, gratia, pœna, gloria. Nam nos ad conuerſionem mouere debet primo culpa, qua Dominum Deum Redemptorem offendimus: ſecundo, gratia, quam peccando perdidimus: tertio, pœna, quã per culpã meruimus: quarto, gloria, a qua nos excluſi fuimus. Dico quòd ad conuerſionẽ cum ſancto Apoſtolo faciendam, mouere nos debet culpa, qua Deum offendimus. Quid eſt E enim culpa, niſi quædam lutoſa fætensq. materia? *Exempla.* Sed quis eſt pulchris pannis ornatus, ſi in lutum caderet, qui citiſſime inde non ſurgeret, ſi ſaltem valeret? Sed quid anima pretioſius? Ergo ſi in lutum cecidit culpæ, numquid non cito inde debet ſe erigere? Item quis eſt in regno Franciæ, qui ſi Regem offendiſſet, non pro poſſe laboraret, nec moram interponeret, vt in eius gratiam rediret? ergo quod ſit regi mortali, non magis faciendum eſt Domino immortali? Et ideo beatus Apoſtolus a Chriſto vocatus, nec rationem Domino reddidit, nec inducias po ſtulauit: ſed vt dicitur: Surgens, ſecutus eſt eum: po *Matt. 9.a* F terat enim dicere illud: Cogitaui vias meas, ſupple præteritas, & conuerti pedes meos (ideſt affectus *Pſal. 118. 59.* meos) in teſtimonia tua. Quæ enim mulier ſi nobiliſſimum virum haberet, deprehenſa ab eo in adulterio, non ſtatim ſurgeret, verecundiam indueret, & ad virum indulgentem, & ſuppliciter vocantem non ſtatim accederet, & veniam lacrymis poſtularet? Sed talis eſt anima Chriſti ſponſa peccato proſtituta: ergo ipſe dicit animæ: Tu (inquit) fornicata es cũ amato- *Ier. 3. a* ribus multis: tamen reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te, ſolum hoc peto a te, vt in te recognoſcas virum tuum: me Dominum tuum offendiſſe. Vnde ſtatim ſubdit ibidem: Leua oculos tuos in directum, & vide vbi non proſtrata ſis. O ſumma, & inenarrabilis

pietas Domini Dei noſtri: fornicatur vxor alicuius A hominis, & ſtatim eam expellit, & vix vnquam ei parcitur: ſed peccat anima Chriſti ſponſa, nec vno tantum, nec pluribus peccatis, ſed modis innumeris cum mundo, carne, & diabolo: & ſtatim ſi redeat, ſtatim eam vocat ad ſe, & omnia peccata condonat; immo, quod maius eſt, nolentem redire vocat, vt redeat, & vt reuertatur, reuocare non ceſſat. Vnde dicitur: *Ierem.3.d* Conuertimini filij reuertentes: quia ego vir veſter, & aſſumam vos: & multa ponuntur ibi de hac materia.

Secundo, ad conuerſionem nos mouere debet gratia, quam peccando perdidimus. Exempla. Quis enim non B doleret, ſi perderet frumentum in horreis poſitum? Quis ſi perderet vinum in dolijs conſeruatum? Quis ſi amiſerit aſinum, bouem, vel equum? Quis inſuper non doleat, ſi perdat theſaurum, diu in ſcrinijs conſeruatum? ſed quantus credendus eſt omnis theſaurus corporalis, comparatus ſpirituali? Quid eſt enim corpus ad animam? ergo quanto eſt anima corpore nobilior, tanto theſaurus animæ eſt theſauro corporali melior: atque theſaurus animæ eſt, quo ſolo anima diues eſt. ergo ſi tantum doles, pro amiſſione theſauri corporalis: quantum dolorem decet habere pro amiſſione theſauri ſpiritualis? ergo ſi perdidiſti, C neceſſe habes ad Deum conuerti, vt demum recuperes quod amiſſum eſt. Exemplũ. Item conſidera aliud: Si enim aliquis haberet a rege Franciæ aliquod ſignũ, quo habito eſſet amicus regis, quo oſtenſo, pateret ei, quandocunque vellet, ingreſſus ad regem, & quo ſigno ſeruato, deberet a rege regnum magnum accipere: dic, ſi potes, quantum doleret, ſi ſignum hoc perderet? multum enim doleret. Et pauperes ſi contingat eos perdere ſignum, per quod admittuntur ad eleemoſynam Papæ, quantum putas dolerent? ſed gratia eſt tale ſignũ, quo habito, amici ſumus Regis æterni; & quo oſtẽſo, ad intima ſecreta eius admittimur, D & quo ſeruato, æternum regnum accipimus. Ergo nonne dolebit ex omnibus medullarum præcordijs, qui hoc ſignum per negligentiam ſuam perdiderit? ergo, Fratres mei, ratione ſigni perditi debemus cum Apoſtolo ad Chriſtum conuerti. Vnde dicitur nobis: *Ioel.2.c* Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Ecce qualiter debet conuerti ad Dominum qui eius perdidit ſignũ. Nam debet eſſe conuerſio perfecta & integra, quia corde toto: debet eſſe corporis afflictiua, quia in ieiunio: debet eſſe lacrymoſa, quia cum fletu multo: debet E eſſe doloroſa, quia corde perfecto & contrito. Et quia ſic ad Chriſtum hic ſanctus Apoſtolus eſt conuerſus, poterat dicere illud: *Iere.31.d* Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam. Et illud: *Iob.42.a* Ideo me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. O quanta fuit huius Apoſtoli pœnitentia, quàm dura, quàm aſpera, quàm diuturna in diſcurrendo, in prædicando, in fame, in ſiti, & calore & frigore, & vltimo mortem pro Domino ſuſtinendo! Vnde Apoſtolus de ſe, alijsq. Apoſtolis: *1.Cor.4.c* Puto enim quòd nos Deus Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculũ facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus. F Et addit: Vſque in hanc horã, & eſurimus, & ſitimus & nudi ſumus, colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, &c. Sed quis hodie dolet de gratia perdita? Quis laborat, vt gratiam amiſſam recuperet per pœnitentiam? Vnde Dominus conqueritur dicens: *Ier.2.g* Quare dixit populus meus, receſſimus, non venimus vltra ad te? Heu me, quia a Domino Deo noſtro receſſimus, ad Deum conuerti per pœnitentiam non curamus: & tamẽ Dominus benigniſſimus dicit: Populus meus. Quomodo ſuus, ſi ab eo receſſerat? quomodo ſuus, ſi redire nolebat? ſed ſuus erat propter faciendam cum eo miſericordiam: ſed non ſuus, propter culpam commiſſam: vel ſuus propter electionẽ æternam: non ſuus, propter temporalem malitiam: vel ſuus, propter eos, qui erant ibi boni: & nõ ſuus, propter eos, qui erant ibi mali.

Tertio, ad conuerſionem nos mouere debet pœna, quam peccando meruimus: ſtatim enim vt peccauimus, & gratiam diuinam abiecimus, æternæ pœnæ tanquam mortis filij ſumus obligati, immo ſtatim vt homo peccauit, ſi Deus non miſericorditer exſpectaret, ſed ſecundum iuſtitiam contra nos procederet, ſtatim nos in infernum deijceret. Et eſt mirabile, quia vnde deberemus Deo eſſe ſubiectiores, & ipſius maximi amatores, inde ſumus peiores. Quis iudicem non amaret, ſi ingratus non eſſet, qui cum mox eum ex iuſtitia occidere poſſet, eum cum miſericordia exſpectaret? ſed verum eſt quod ſcriptum eſt: *Eccle.8.b* Quia (inquit) non profertur ſtatim contra malos ſententia, filij hominum abſque vllo timore perpetrant mala. Sed ſciant peccatores certiſſime, quòd quanto ex miſericordia diutius exſpectantur, tanto, ſi non conuertantur, durius ex iuſtitia punientur: & quod peius eſt, miſericordia poſtea tranſibit in vindictam. Naturale enim eſt vt Iudices, qui mites ſunt, & cum malefactoribus mitius agunt, quòd dum illi miſericordiã non agnoſcunt, Iudices in iram fortius inardeſcunt, & tanto fiunt crudeliores, quanto prius fuerant mitiores. Exemplũ. Exemplum de illis, qui rogabant Eleazarum propter antiquam, quam habuerunt cum viro, amicitiam, vt ſe comedere carnes porcinas tantum ſimularet, vt ſic mortem euaderet: *2.Macha.6.d* Cumq. ſe hoc facturum negaret, dicitur ibi, quòd illi, qui prius fuerant ei mitiores, in iram maiorem contra eũ conuertebantur. & propter hanc cauſam dicitur: *Pſalm.7.b* Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, ad vulnerandum: arcum ſuum tetendit, & parauit illum, ad ſagittandum: & in eo parauit vaſa mortis, ad æternaliter puniendum. O ſi ſcirent quantis pœnis ſunt puniendi, quàm intenſis doloribus affligendi, quàm diuturnis & continuis ignibus exurendi, vellent non eſſe nati. O ſumma ſtultitia hominis: Exempla. quia timet agnus lupum, & eum fugit: timet mus murilegum, & ſe ab eo abſcondit: timet ceruus vrſum, & animal omne leonem, & eius rugitum expaueſcit: timet aquilam omnis auis dum ipſam in aere ſentit, vnde, ipſa die qua falco eam ſentit, ad prædandum non exit: & homo creatura rationalis, cuius eſt anima immortalis, & pœna, quę ei dabitur, eſt ex parte peccati æternalis, non tanta pericula expaueſcit. Exemplũ. Si timet latro ſuſpendium, cuius pœna eſt ad momentum, quanto amplius eſſet timendum, ſi ſemper duraret ſuſpendium: & pœna illa, quam ex laqueo ſentit ad momentum, eſſet durabilis in æternum? Ergo quomodo ſic ſtulti ſumus, vt non timeamus ignem inflammantem, ignem deuorantem, ignem indeficientem, & ſerpentes ignitos, carnes noſtras perpetuo & continue comeſturos, nunquam ad ſatietatem venturos: & omnia hæc & alia mala innumera non ſuſtinebunt miſeri ad momentum, nec per mille millia annorũ, ſed per plura millia millenaria, quàm ſint in mari guttæ aquarum, & magis in infinitum, quia vſque in ſempiternum. Tunc enim deſinet pœna miſerorum, quando gloria deſinet beatorum: immo quando Deus deſinet eſſe Dominus omnium. Et propterea ſane conſulitur homini: *Eccli.5.b* Ne, *inquit*, tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ne ſubito veniat ira illius, & in tempore vltionis diſperdat te.

Quarto, ad conuerſionem mouere nos debet gloria, quam peccando amiſimus. Homo enim, quando equum aut pecuniam perdit, ſtatim ſurgit, & vadit quærendo donec reinuenerit quod amiſit. Exemplũ. Exemplum hoc ponit Dominus de illo, qui ouem perdidit, & de muliere, quæ drachmam amiſit. Ergo ſi ſic fit pro parua re temporali, & pro re mortali, quid faciendum eſſet pro re immenſiſſima, nullis temporibus



bus finienda? Ergo, Fratres mei, ſi, peccando, gloriã A illam beatam amiſimus, ſi nos a ſocietate Sanctorum recluſimus, per pœnitentiam nos ad Deum conuertamus, & indulgentiam illius fuſis lacrymis poſtulemus, quia benignus eſt Dominus: & recuperabimus quod amiſimus. Vnde dicitur: *Ioel.2.c* Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quoniam benignus eſt in tolerando, miſericors in ſuſtinendo, patiens in exſpectãdo, multæ miſericordiæ in remittendo, & præſtabilis ſuper malitiam, gratiam conferendo, & gloriam finaliter dando. Et propterea dicitur: *Ezec.18.g* Conuertimini, & agite pœnitentiam a criminibus & inquinamentis veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas veſtra. De his quattuor conſiderationibus ad conuerſionem monentibus ſic ait Bernardus: *Bern. to.1. Ser. de primord. med. & nouiſs.* Conſidera vnde venis, & erubeſce, quantum ad primam: vbi ſis, & ingemiſce, quantum ad ſecundam: quo vadis, & contremiſce, quantum ad tertiam: ad quid vadas, & concupiſce, quantum ad quartam: quod ipſe præſtare dignetur.

## DE EODEM SERMO II.

*Iere.31.d* *POſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam.* Sicut enim Baptiſmus eſt C poſt peccatum, ſiue poſt naufragium, prima tabula, qua eripimur a procella, ſiue a culpa, quæ eſt maris tempeſtas; ſic pœnitentia eis, qui relabuntur in culpam, eſt ſecunda tabula, qua liberatur anima a recidiuo. Nam ſicut Baptiſmo liberamur a culpa originali, ſic per pœnitentiam liberamur ab actuali: ergo, qui poſt ablutionem Baptiſmatis recidiuat in culpam, non debet ſecundam contemnere medicinam, cum iam amiſerit primariam. Aegrotus enim, ſi non ſit ſtultus, ſi recidiuet, poſtquam a medico eſt curatus, medicum D aduocat & rogat, vt ſecundam medicinam apponat, per quam morbum eijciat: cum enim ægritudini ſit contraria medicina, & contraria curentur contrarijs ſicut calido frigidum, & frigido calidum, quotiens replicatur morbus, totiens repetenda eſt medicina: ſicq. quotiens iteratur culpa, totiens illi contraria reiteranda eſt pœnitentia. Cum ergo ſanctus Apoſtolus, poſt mundationem primam in circumciſione factam, fuerit relapſus in culpam, non veritus eſt agere pœnitentiam. Vnde dicit Domino: *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam.* In quo verbo notantur principaliter duo: Vnum ex parte Dei; E ex parte Dei notatur vel monſtratur miſericordia, qua Apoſtolũ olim publicanum conuertit: Alterum ex parte Apoſtoli. Ex parte Apoſtoli notatur iuſtitia, qua ſe pro peccato puniuit. Oſtenditur autem diuina clementia in Apoſtolum conuertendo, cum dicitur: *Poſtquam conuertiſti me.* Secundo notatur Apoſtoli iuſtitia, in ſe acriter puniendo; cum additur: *Egi pœnitentiam.* Eſt igitur notandum, quòd ad pœnitentiam, quantũ ad præſens, quattuor ſunt motiua: ſcilicet mũdialis ignominia, in qua ſumus: iudicialis ſententia, quam timemus: infernalis miſeria, quam pati meruimus: ſupernalis gloria, a qua nos excluſimus. F Agamus igitur pœnitentiam, vel vt euadamus ignominiam, vel vt redeamus in gratiam, vel vt declinemus æternam miſeriam, vel vt admittamur ad gloriam perpetuam.

## DE SANCTO MICHAELE SERMO.

*Pſal.90.* *ANgelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, &c.* Verbum propoſitum aſſumptum, de Pſal. ad laudem & commendationem Angelorum, ſimul quoque excitat nos ad eorum dilectionem, & ad diuinam A laudem & gratiarum actionem. Deus enim propter ſuam pietatem deputauit Angelicam dignitatem ad adiuuandam noſtram infirmitatem. Deſcribuntur autem ſancti Angeli in verbo propoſito, quantum ad tria: ſcilicet vel quantum ad officium, vel quantum ad iniunctum miniſterium, vel quantum ad impenſum obſequium, ſiue beneficium, ita quòd in officio extollitur Angelica dignitas, cum dicitur, *Angelis ſuis.*

Angelus enim eſt nomen officij non naturæ: nam Angelus idem eſt quod nuncius. non paruæ, aut exiguæ dignitatis eſt eſſe nuncium Dei: vnde Auguſtinus: *Aug. to. 3. lib. 5. de Geneſ. g* B Habet Deus, *inquit*, nuncios, ideſt Angelos, non quòd ei quod neſcit annuncient, ſed bonum eorum eſt eius de operibus conſulere voluntatem. In iniuncto miniſterio oſtenditur diuina pietas, cum dicitur: *Mandauit de te.* Magnæ pietatis, & benignitatis indicium eſt, deputare tales miniſtros humanę infirmitati, ſine quibus nullo modo eſſet tuta. In impenſo beneficio exprimitur humana vtilitas, cum ſubiungitur: *Vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* De quibus cuſtodibus Iſaias: *Iſa.62.b* Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, &c. Ne autem contingat, nos eſſe ingratos diuinis præſidijs, dicamus aliquid de Angelicis C miniſterijs, & collatis beneficijs. Angeli ſancti diuino imperio multiplicia nobis impẽdunt obſequia, multiplicia etiam conferunt beneficia, quæ omnia ad nouem reduci poſſunt, iuxta nouenarium Angelorum ordinem.

Primo enim nobis obſiſtunt in malis & peccatis ponentes impedimenta: frequenter enim tum ex natura corrupta, tum ex infirmitate contracta, tum ex malitia concepta, laberemur in multiplicia, & enormia peccata, niſi ſancti Angeli obuiarent nobis, & impedimenta apponerent. Quod optime ſignatum eſt Nume. vbi dicitur, *Num.22.e* quòd contra Balaam Angelus D euaginatum habebat gladium, quem cernens aſina auertit ſe, & ibat per agrum: quam cum verberaret Balaam, vt eam ad viam reduceret, ſtetit Angelus in anguſtijs duarum maceriarum, quibus vineæ cinguntur, quem videns aſina iunxit ſe parieti, & attriuit ſedentis pedes: at ille iterum verberauit eam, & tunc Angelus in anguſto loco, vbi nec ad dexteram, neque ad ſiniſtram poterat declinari, obuius ſtetit. Cumq. vidiſſet aſina ſtantem Angelum, concidit ſub pedibus ſedentis. qui iratus vehementius cædebat fuſte latera eius. Aperuitq. Dominus os aſinæ, & locuta eſt: Quid feci tibi? cur percutis me? &c. Deinde dixit: E Nonne animal tuum ſum, cui ſemper inſidere conſueuiſti vſque in præſentem diem? Dic quid ſimile vnquam fecerim tibi? At ille ait: Nunquam. Protinus aperuit oculos Balaam Dominus, & vidit Angelum ſtantem in via, euaginato gladio. Cui Angelus: Cur tu verberaſti aſinam? ego veni, vt aduerſarer tibi, quia peruerſa eſt via tua, mihiq. contraria. Breuiter, quantum ad propoſitum ſufficit, felix talis aduerſarius, quia in malis aduerſatur. Et ideo optimũ eſt conſiliũ Saluatoris: *Matt.5.d* Eſto conſentiens aduerſario tuo, dum es in via tua, ne forte aduerſarius tradat te iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem F mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem. Aduerſarius iſte, bonus Angelus eſt, qui in malis nobis obſiſtit, & in his ei conſentire debemus ne forte nos tradat iudici, id eſt Chriſto iudicanti, vel in fine, vel in morte. Angeli enim, qui nos modo cuſtodiunt, poſtmodum nos accuſabunt, vt iudex tradat miniſtro, id eſt diabolo tortori, & mittat te in carcerem infernalem, vſque ad minimum quadrantem: ideſt, nihil remanebit impunitum, vel vſque ad minima peccata. Per hoc, quod dicit: *Donec ſoluat*, pœna intelligitur æterna. nam illud debitũ ſoluitur, vt non relinquatur pœnitendi locus, non quòd aliquando illa pœna ceſſet. Si autem aliquis curioſe inquirat, quomodo aſina locuta

eſt, & quomodo Dominus aperuit os eius: dico quòd non contulit ſibi Dominus officium loquelę, nec ſimpliciter, nec ad tempus, vt quidam dixerunt: ſed, vt dicunt, Origenes & Auguſtinus, *[Aug. to. 3. lib. 1. de mirabil. ſcrip. ſacræ. c. 34. a]* Angelus mouebat organa eius, & plectrum linguæ formabat verba, ſicut diabolus ſerpentem, qui loquebatur Adæ: ſed non terrebatur de re tam inſolita, quia nimia cupiditate cæcatus, ferebatur ad accipiendum munera, quæ Balaac promiſerat, vt dicit Auguſtinus: *[Aug. to. 10. ſer. de tempor. 103. e]* & aſſuetus erat monſtris Balaam cum eſſet incantator.

Secundo, reſiſtunt aduerſarijs, & repellunt hoſtilia tentamenta. Nam, vt dicit Apoſtolus, *[Epheſ. 6. b]* Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem et ſanguinem tantũ, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus. Hinc Petrus: *[1. Petr. 5. c]* Aduerſarius veſter diabolus, & c. Cui nulla poteſtas ſuper terram comparari poteſt, vt dicit Iob: *[Iob. 41. d]* modo impugnat per violentiam tribulationum, modo per blanditias tentationum, modo per aſtutias, & fraudulentias illuſionum, & deceptionum, modo per curioſitatem. Contra igitur hoſtes tam callidos, tam potentes, humana fragilitas nequaquam ſtare poſſet, niſi haberet ſanctos Angelos adiutores, qui eorum ſæuitiam coercerent, & eorum repellerent impugnationes. Gratias igitur Deo agamus, qui tales nobis dedit propugnatores. Hoc optime ſignatum eſt in Daniele, vbi dicitur: *[Dan. 6. f]* Miſit Dominus Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non me contaminauerunt. Leones, vt prædictum eſt, dæmones ſunt, qui multo leonibus crudeliores nos appetunt deuorare: *[Pſal. 73. d]* Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi. Sed Dominus mittit Angelicam poteſtatem, quæ eorũ coercet rapinas, vt aut non noceant, aut ſi noceant, non noceant quantum appetunt, & hoc eſt, ora leonum concludere. Hoc nihilominus ſignatum eſt per Angelum Tobiæ, *[Tob. 3. b]* qui dæmonem nomine Aſmodæum, qui interficiebat viros Saræ, alligauit in deſerto ſuperioris Aegypti, vt neminem lęderet, hoc eſt, eius compeſcuit poteſtatem. Hi ſunt noſtri cuſtodes, & protectores, qui ſemper & vbique nobis aſſiſtunt, nec nos patiuntur lædi niſi velimus. Propter quod dicit illa ſancta Iudith: *[Iudit. 13. c]* Viuit Dominus, quoniã cuſtodiuit me Angelus eius, hinc euntem, ibi morantem, & inde huc reuertentem, & non permiſit me coinquinari.

Tertio, peccatores, ſiue in peccata lapſos illuminant, & excitant ad pœnitentiæ lamenta: ſicut enim dicit Saluator: *[Ioan. 8 d]* Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: ideo quamdiu voluntas ſub peccato aſtricta eſt, non poteſt deteſtari peccatum, non poteſt per ſe ſibi diſplicere peccatum; & ideo vndique incitant & ſtimulant Angeli. Deus igitur ex ſui miſericordia, qui non continet in ira ſua miſericordias ſuas, per Angelos facit nos excitari: vnde iacentes in peccatis excitant, & ſtimulant, vt reſurgant: deinde inquiunt: Surge miſer, & conſidera vbi iaces, quomodo corrupiſti tuam naturam, defœdaſti pulchritudinem tuam, qua eras ad imaginem æternæ pulchritudinis factus! nam repuliſti a te Spiritum ſanctum, factus es dæmonum proſtibulum, priuaſti te æternis præmijs, obligaſti te æternis ſupplicijs. Surge igitur, & redi ad pœnitentiam. Hoc ſignatũ eſt in Geneſ. *[Geneſ. 16. c]* vbi dicitur, quòd Agar fugienti a facie Saræ, dominæ ſuæ, occurrit Angelus Domini, & dixit ei: Vnde venis, aut quo vadis? reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu eius. *[Agar quid.]* Agar, quæ interpretatur aduena, eſt anima noſtra, quæ debet eſſe in hoc mundo peregrina: Sara, quæ interpretatur particeps, eſt æterna ſapientia, cui mens noſtra debet eſſe ſubiecta. Ergo Angelus Domini tranſgredienti diuina mandata, & quia refugit a facie Domini, dicit: Reuertere ad dominam tuam, conuerte te ad diuinam ſapientiam, & humilia te ſub manu eius, recognoſcendo culpam, petendo veniam. Hoc idem ſignatum eſt Act. 12. *[Act. 12. a]* vbi dicitur quòd Petro in carcere compedito Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoq. latere Petri, excitauit eum dicens: Surge velociter: & ceciderunt catenæ de manibus. Lumen refulget in carcere, quando peccatori vinculis peccati compedito, in tenebris obnubilato, infundit aliquem radium ſuæ illuminationis. Angelus adſtat, & latus percutit peccatoris, excitando ad lamentum ſiue gemitum contritionis, & dicit: Surge velociter per peccati derelictionem: & tunc cadunt catenæ de manibus per abſolutionem, & bonæ operationis reſtitutionem.

Quarto, quoniam indigemus ad reſurgendum a culpa, & faciendam pœnitentiam auxilio gratiæ Dei, apud Deum pro nobis interpellant, & impetrant nobis gratiarum chariſmata. Sancti enim Angeli ſecundum Auguſtinum ſunt ſemper in veſtibulis & thalamo circa Deum, & ſemper Deo aſſiſtunt. Nos autem in iſto exilio relegati, & a facie Dei excluſi, non poſſumus ad Deum habere acceſſum; ideo ipſi orant pro nobis Deum, & quando vident Deum contra peccatores iratum, placant eius iram, implorant miſericordiam, obtinent gratiam, quod optime ſignatum eſt in Zachar. *[Zach. 1. c]* vbi dicitur, quòd Angelus Domini reſpondit, & dixit: Domine exercituum vſquequo non miſereberis Hieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? & ſequitur: Reſpondit Dominus Angelo verba bona, verba conſolatoria. Ad quid reſpondit Angelus? fortaſſis diuinæ voluntati, quam vidit iratam contra Hieruſalem. Vnde dixit: Domine exercituum: in quo manifeſtatur eius potentia, quia habet tot Angelorum exercitus obtemperantes ſibi, & parentes ſuæ voluntati. Vſquequo, & c. id eſt, quandiu durabit tua iracundia: placare Domine, deſinat ira tua, fac cum peccatoribus miſericordiam, & reſpondit Dominus Angelo verba bona, & verba conſolatoria. Vnde ſequitur: Reuertar ad Hieruſalem in miſericordijs. Si igitur Angeli mediatores pro nobis Deum interpellant, non obduremus, aut obfirmemus facies noſtras: & ſi Deus conuertitur, & nos in miſericordia reſpicit, & recipit nos in gratia, remittit nobis offenſam, nos conuertamur ad Deum per humilem obedientiam.

Quinto, nos corroborant, & confirmant, & confortant, & promouent ad exercitia virtutum. Humana enim fragilitas vix auderet aggredi tam arduas perfectionis vias, quæ videntur eſſe ſuper naturam, & facultatem humanam, niſi haberet auxilia & adiutoria angelica. Quomodo auderet aggredi viam perpetuæ obedientiæ? totum mundum, & quæ mũdi ſunt relinquere propter Deum? quomodo auderet ſe morti exponere propter Chriſtum, niſi Angeli eum confortarent, & adiuuarent? Vtique non auderet homo attentare tam grandia: & ſi auderet, non perſeueraret. Sed Dominus prouidit nobis iſtos fortiſſimos adiutores; quod ſignatum eſt in Tobia, *[Tob. 5. a]* vbi dicitur quòd cũ Tobias, pater, vellet mittere filium ſuum ad Gabelum cognatum ſuum, reſpondit filius quòd neſciebat viam, & dixit ei pater: Egredere, perge, & inquire aliquem fidelem virum, qui eat tecum: & egreſſus inuenit iuuenem ſtantem præcinctum, & paratum ad ambulandum: & ignorãs quòd Angelus Dei eſſet, ſalutauit eum: & cum quæreret vtrum noſſet viam, quæ ducit ad Rages ciuitatem Medorum, reſpondit: Noui, & omnia itinera eius frequenter ambulaui: quem cum filius introduxiſſet ad patrem, quæſiuit pater ab Angelo: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum? cui reſpondit Angelus: Ego ducam & reducam eum ſanum ad te. In omnibus his nihil aliud ſignatur, niſi quòd Angeli nos in via perfectionis dirigunt: ipſi ducunt, ipſi deducunt, ipſi reducunt. Nullus ergo debet timere, nullus debet trepidare, aut formidare magna aggredi, cum habeat

tales



tales duces, tales adiutores. Hoc ipſum ſignatum eſt 3. Reg. *[3. Reg. 19. a]* Vbi dicitur quòd Angelus Domini tetigit latus Eliæ, dixitq. illi: Surge, comede: grandis enim reſtat tibi via. Surrexit & comedit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Oreb. Angelus Domini hominem tangit, quando tepeſcentem excitat. Dicit: *Surge, comede*, quando eum ad aggrediendum ardua confortat: quia in illa confortatione, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, hoc eſt toto decurſu laborioſo iſtius vitæ vadit, ideſt in virtutibus perficit, quouſque veniat in montem Dei Oreb, ideſt pertingat ad ſtatum perfectionis, vel poſt præſentem laborem ad montem Domini, ideſt ad ſublimem, & ſtabilem quietem æternitatis.

Sexto exhibent nobis ſalutaria documenta, & reuelant myſteria. Sancti etenim Angeli ante rerum fiendarum productionem, ipſarum cauſam & rationes in verbo Dei vident. Ipſi nihilominus continue faciem Dei contemplantur: *[Matt. 18. b]* Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, & c. Vnde Gregorius: *[Greg. to 2. li.... in Iob c. 2. & lib. 4. Dial. c. 33.]* Quid eſt ergo, quod non videant, qui videntẽ omnia vident? Ipſi enim de futuris ad ſalutem noſtram ſpectantibus recipiunt illuminationes: nos autẽ quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem, *[Sap. 9. d]* ad illa inuiſibilia contuenda non ſumus idonei. Et ideo Deus prouidit nobis magiſtros, qui nos inſtruant, & reuelent myſteria, & infundant diuinas illuminationes. Omnia veteris teſtamenti diuina myſteria fere facta ſunt mediantibus Angelis. Lex enim miniſterio Angelico fuit tradita: *[Gal. 3. c]* quia, vt dicit Apoſtolus, ordinata fuit per Angelos in manu Mediatoris. Hoc etiam patet in omnibus Prophetis. Vnde Zacharias dicit: Angelus, qui loquebatur in me. Et idem dicitur Apocalyp. 4. *[Apoc. 4. a]* Miſit Dominus Angelum ſuum oſtendere conſeruo ſuo, quæ oportet fieri cito. Non dubito autem quin Angeli maxime aſſiſtant ſtudentibus ſapientiæ, & multa eis reuelent, quibus digni ſunt.

Septimo mentem noſtram eleuant, & inflammant, deſideria lætificant, & ingerunt ſpiritualia ſolatia; nos enim ſumus tepidi, ipſi ardent diuina dilectione: *[Pſal. 103. a]* Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Ideo eleuant mentem noſtram, & inflammant ad amorem æternorum: *[Apoc. 21. c]* Suſtulit me Angelus in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Hieruſalem. In montem in ſpiritu ſuſtulit, quando mentem in infimis iacentem, ſeu ad infima inclinaram, ad amorem ſupernorum erigit, & gaudia illius ciuitatis oſtendit, quibus deſiderium attendit vlterius: quoniam in iſta peregrinatione inter anguſtias deficeremus, niſi aliqua oblatione cæleſtium reſpiraremus: ideo ipſi conſolantur, & afferunt gaudia, & ſpirituales conſolationes. Vnde Angelus Raphael ſic ſalutauit Tobiam: *[Tob. 5. b]* Gaudium ſemper tibi ſit, forti animo eſto, in proximo eſt, vt a Deo cureris. Angelus nihilominus nunciauit gaudium natiuitatis Saluatoris paſtoribus, dicens: *[Luc. 2. b]* Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator mundi. *[Luc. 2. b]* Angelus etiam nunciauit gaudium reſurrectionis mulieribus: *[Matt. vlt. a]* Nolite, *inquit*, timere, quia Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis, ſurrexit ſicut dixit, & c.

Octauo, in conſpectu Dei perferunt omnia bona noſtra opera, ſeu merita: non quòd Deus non nouerit, quem nullum latet ſecretum, ſed quia Deus vult, & ita ordinauit, vt ea quæ ipſe nouit & amat, narrẽt, laudent, & prædicent: ideo fortaſſis vt ipſi Deum conſulentes, nos promoueant ſemper ad maiora; & vt ipſe Deus nobis conferat gratiarum augmenta, & vt opera noſtra ſint in conſpectu Dei accepta, propter hoc ſcriptum eſt in Tobiæ libro *[Tob. 12. e]* quòd Raphael dixit Tobiæ: Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Exemplũ hoc eſt in Actibus de Cornelio, *[Exemplũ. Act. 10. a]* qui erat vir religioſus, & timens Deum, dixit Angelus: Corneli, orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ in memoria aſcenderunt in conſpectu Dei per approbationem & aſcenſionem & per dignam remunerationem. Multum ergo debemus conari, & ſatagere ad bona, quando tales aduocatos & tales nuncios habemus, qui ſtatim ea referunt in conſpectu Dei, & ſcribunt in libro vitæ.

Nono ipſi perducunt, & introducunt electos ad æterna præmia, ſiue regna cæleſtia, vt monſtrat Bernardus in Dialogo. *[Dialogus hoc loco citatus eſt forſan ſermo, vel liber Declamationum, inſcriptus, Colloquiũ Petri & Chriſti, vt videre eſt, in principio libri, & in Indice operum S. Bernardi, inſcribitur Dialogiſmus, in quo de Angelis nihil extat.]* In puncto ſeparationis animæ a corpore, obſeratis corporis ſenſibus, Angeli boni & mali conueniunt, vel adueniunt, qui omnia bona & mala ad memoriam reuocant, ita quòd ſtatim iudicet Dominus omnia bona & mala, merita vel demerita. Hinc eſt Angelus bonus bona allegans, & recitans, inde angelus accuſans, & omnia mala ad memoriam reuocans, & ſi quæ mala bonis præponderent, vtpote ſi reperiatur in mortali, ſtatim traditur tortoribus, qui retrudunt eam in carcerem inferni cruciandam in ſæcula ſæculorum: ſi vero decedat in charitate, tunc cum aliquo purgabili, boni Angeli deducunt eam in Purgatorium, quæ purgatam deducunt eam in Paradiſum. Si autem in tanta deceſſerit charitate, vt omnem conſumpſerit rubiginem peccatorum, ita quòd nihil purgabile ſecum habeat, ſtatim accipiunt eam Angeli ſancti, & deferunt, & introducunt in regnum cæleſte, vbi diuina viſione in perpetuum perfruetur. Hoc exemplum habemus in Luca *[Exemplũ. Luc. 16. e]* de diuite Epulone & Lazaro mendico: vbi dicitur quòd mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno. Vtique ad talem parochiam cum tali proceſſione delatus mortuus eſt pauper, portatusq. eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ. Secundum Auguſtinum, *[Aug. to. 4. lib. 2. qõ. Euãg. & To. 6. contra Manich. li. 33. a. To. 8. in Enarra. in Pſal. 36. b. To. 10. ſer. de tẽp. 95. c]* ſinus Abrahæ eſt ſecretum quietis, vbi requieſcant animæ ſeparatæ: ſinus enim communi nomine ſecretum appellatur. Hoc ſignatum eſt Exodi 23. Mittet enim Deus percuſſorem ſuum Angelum, vt introducat te in terram Chanaan.

# DE ANGELIS SERMO.

ET omnes Angeli ſtabant in circuitu throni & ſeniorum, & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum. *[Apoc. 7. c]* Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinã ſcripta ſunt, *[Rom. 10. a]* vt per audita, & intellecta diſcamus non ſolum Deum diligere, ſed ipſum amando timere. Et hinc eſt quòd oculis ingratorum introducitur humilitas Angelorũ, qui Deo inhærentes feruent incendio dilectionis, & inuigilant obſequio deuotionis, vt pudeat præſumptio fragilitatis humanæ, vbi ſic ſe humiliat altitudo nobilitatis Angelicæ. Et in verbo propoſito oſtẽditur Angelorum ſtudioſitas quantum ad duo. Primo quantum ad promptitudinem obſequendi, cum dicitur: *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni. In circuitu*, dicit, vt intelligatur in Angelis vnitas voluntatis: in Deo vero ſublimitas poteſtatis: *[Dan. 7. c]* Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. Secundo, quantum ad decus reuerentiæ; cũ addit: *Et ceciderunt in facies ſuas in conſpectu throni, & adorauerunt Deum.* Quorũ reuerentia in duobus oſtenditur, ſcilicet in ſigno humiliationis, quia *ceciderunt in facies ſuas*; & in iubilo adorationis, quia *adorauerunt Deum*. Propter quod ſequitur: *Benedictio & claritas & ſapientia*, & c. Dicit igitur: *Et omnes Angeli, & c.*

Licet Angeli,ſecundum ſe conſiderati,omnē creaturam decore tranſcendant, quia flores naturæ ſunt, ſicut dicit Auguſtinus; tamen conſiderati in quātum in Hierarchijs, & ordinibus ſunt diſtincti, ita quòd ſuperiores inferioribus præferantur,& inferiores ſuperioribus diſponantur, quanto huius ordinationis diſpoſitio in illis magis relucet, tāto viris intelligentibus magis placet. Vnde ſi admirata eſt regina Saba ordinē miniſtrantium in menſa Salomonis, quanto magis poteſt anima admirari ordinē miniſtrantium *Iob 25.a* in menſa Creatoris,vel curia illius, ſcilicet qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. Et ideo nota quòd Angeli diſtincti ſunt in triplici Hierarchia,ſcilicet ſuprema,media,& infima: ſuprema eſt aſſiſtentiū Maieſtati diuinæ: media,eſt reſiſtentium poteſtati contrariæ: infima,eſt miniſtrantium neceſſitati humanę.

Prima eſt aſſiſtentium Maieſtati diuinæ, & hi ſunt quaſi cubicularij,& palatini in conſiſtorio Dei, quia Deo immediatius coniunguntur, & ipſum vicinius contemplantur: de qua Dionyſius in cæleſti Hierarchia dicit: *Dionyſ. de cæleſti Hierarch. c. 7.* Prima cæleſtium Hierarchiarum in excellentibus eſſentijs ſanctificatur, ordinem habens omnibus altiorem: & quoniam hic accipitur præſens aſſiſtentia per conuerſionem ad Deum, ideo in ordine triplicatur. Nam ad conuerſionē tria ſunt neceſſaria.

Primo, ſumma dilectio,& hoc quantum ad Seraphin, quæ interpretantur ardentes, ſiue incendentes; *Pſal. 103.a* de quibus: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis,vel ignem vrentem,quia licet omnes alij ardeant in amore diuino,iſti tamen ardentius, quia amoris ignem in primis accipiunt, & fortius ardentes ad ceteros accendendos flammam dilectionis emittunt. Vnde Dionyſius: *Dionyſ. de cæleſti Hierarch. c. 15* Prima ſanctorum Angelorum diſpoſitio magis ſimilem habet igneam proprietatem,ideſt,charitatem: & quoniam charitas omnium virtutum dona excellit, ideo conſequens fuit, vt ille ordo, qui omnium eminentiſſimus eſt, a ſola charitate ſumeret ſingularitatem in ſui diſcretione, & appellatione, quamuis & omnia alia ceterarum dona virtutum, alijs etiam excellentius poſſiderent,a quibus appellationem, & vocabulum ſumere potuiſſent.

Secundo, perfecta cognitio, & hoc quantum ad ordinem Cherubin, qui interpretatur plenitudo ſcientiæ. Nam ceteris Angelis ſunt lumine ſapientiæ clariores,& ideo dicuntur ſignacula diuina, ſpecula ſplendida, & aſtra matutina. Propter hoc dicit Iſidorus, quòd Cherubin ſunt ſublimiora agmina Angelorum præter Seraphin: & quòd vicinius ſapientiæ diuinæ ſuppoſiti ampliori diuinæ ſcientiæ *Ezec. 10.a* dono repleti ſunt. Propter quod dicitur: Eleuata eſt gloria Domini ſuper Cherubin, & atrium repletum eſt ſplendore gloriæ Domini:& quoniam in eis eſt manifeſtatio diuinæ claritatis, & ideo petebat,& *Pſal. 79.a* dicebat Dauid in Pſalmo: Qui ſedes ſuper Cherubin, manifeſtare coram Ephraim. Quaſi dicat: Sicut illis manifeſtus es in ſplendore Diuinitatis,ita fias nobis manifeſtus in ſuſceptione humanitatis. De iſto ordine fuit Lucifer ille, qui cecidit; ſicut exponit *Greg. to. 2. in expo. Iob c. 18. li. 32.* Gregorius ſuper illo verbo: Tu Cherub extētus,&c. & tamen non erat de illo,ſed de ordine Seraphin,ſed habebat habitum illi ordini conuenientem, &c.

Tertio, perpetua cōprehenſio ſiue fruitio: & hoc quantum ad ordinem Thronorū a Thronis dictus, eo quòd in eis Deus ſedeat, iudicia ſua diſcernat, & *Dan. 7.c* cuncta ſubiecta diſponat, de quibus: Aſpiciebam donec Throni poſiti ſunt,& antiquus dierum ſedit. *Diony. lib. de cæleſti Hierar. c. 7* Et quoniam Deus in eis ſedet, ideo a beato Dionyſio ſedes vocantur altiſſimæ, pacatæ, & deiferæ. Altiſſimæ ſedes dicuntur, quia altæ per diuinam auctoritatem,qua in iudicio ordinantur: altiores per diuinam conformitatem, qua iuſtitiæ regulam imitantur: altiſſimæ per diuinā ſublimitatem, qua ad Deum immediatius ordinantur: pacatæ dicūtur,quia ex qualitate operis deſcendit qualitas retributionis, ſcilicet ex culpa,pœna: ex iuſtitia,gloria: Deiferæ vero dicuntur,quia Deum præſentem ſuſcipiunt, & Deificā poteſtatem per diuerſa iudicia indicant, & oſtendūt. Merito iſti tres ordines ſunt in prima Hierarchia, quia præ omnibus ardent incendio diuinæ dilectionis, quo ad primos: præ omnibus fulgent radio ſerenæ cognitionis, quo ad ſecundos: præ omnibus eminent priuilegio perpetuæ intuitionis,quo ad tertios:& ideo dicuntur aſſiſtere,non miniſtrare, quia nunquā ſecundum Dionyſiū ad exteriora mittuntur. *Dionyſ. de cæleſti Hierarch. c. 7.*

Secunda Hierarchia eſt,reſiſtentium poteſtati contrariæ: & hi deputati ſunt in regimen Reipublicæ, quaſi diuini exercitus bellatores, qui deſignari poſſunt in Angelis, qui apparuerunt Iacob: *Gen. 32.a* Quos dum vidiſſet,dixit: Caſtra Dei ſunt hæc; quia ad modum caſtrorum nos muniunt, qui ſumus faciles ad seducendum,fragiles ad reſiſtendum, debiles ad operandum ſiue agendum: & ideo occurrunt nobis tanquam potentiſſimi adiutores, vt eorum auxilio muniti diſcamus hoſtiū potentias non timere. Ad quorū virtuoſitatem inſinuandam neceſſaria fuit, vel virtus operatiua,vel virtus executiua,vel virtus expeditiua.

Primo, quo ad virtutem operatiuam ſunt Dominationes, quorum eſt alijs imperare, & in ſpirituali bello nos inſtruere, ſicut dicit Gregorius. *Greg. to. 3. hom. in Euang. 34.* Vnde ſunt quaſi duces exercitus, quorum prudentia gubernamur. Et tales ſignari poſſunt in Angelo, de quo: *Zach. 2.a* Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur,& alius Angelus venit in occurſum eius, & dixit: curre & loquere ad puerum iſtum dicens: Abſque muro habitabitur Hieruſalem, &c. Recte igitur ſpiritualis certaminis poſſumus eſſe victores, quando tam excellentiſſimorum ſpirituum tutela muniti ſumus: quod tunc contingit,cum regnum animæ ſecundum imperium rationis dirigimus, & carnis voluptatibus reluctamur. Nam quid proderit barbaros ſuperaſſe,ſi a ſola voluptate vincamur? Ad hoc dicitur: *Prou. 16.d* Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Vnde Claudianus: Tunc omnia iure tenebis, cum poteris rex eſſe tui.

Secundo quo ad virtutem executiuam ſunt Poteſtates, quibus nihil eſt impoſſibile exequi,quod imperatur. propter quod dicit Dionyſius quòd ſanctę Poteſtates æquiualentē cum Dominationibus habēt poteſtatem. Et ideo habent poteſtates aereas coercere, vel arcere, & ipſas a nocumentis contrarijs cohibere. Vnde Gregorius: *Greg. to. 3. homi. in Euang. 34.a* Poteſtates etiam vocantur hi,qui hoc potentius ceteris in ſuo ordine perceperunt, vt eorum ditioni virtutes aduerſæ ſubiectæ ſint,quorum poteſtates refrenantur,ne corda hominum tantum tentare præualeant,quantum volunt. Quid igitur formidat imbecillis animus Chriſtiani, cui tot Deus contulit præſidia poteſtatis? Non paueas igitur repentino terrore irruentes contra te impiorū poteſtates, cum talium militū præſidio ſis munitus: vnde ratione potentiæ dicitur: *Pſal. 102.d* Benedicite Dominū omnes Angeli eius, potentes virtute facientes verbū illius, ad audiendam vocem ſermonum eius.

Tertio, quo ad virtutem expeditiuam, ſunt Virtutes, quibus datum eſt, poſſe ſuper omnia difficilia, ad diuinum miniſterium pertinentia, & ideo eis attribuitur, mirabilia operari. Et ideo dicit Dominus quòd habent Deiformem motum firmiter ſentientem, inſuper ſubſtantialem, & potentificam Dei virtutem. Nam licet impiorum virtus infirma ſit diuinæ virtuti comparata, non tamen infirma eſt, ab eadem per gratiam firmata. Propter quod dicitur: *Pſal. 102.d* Benedicite Domino omnes virtutes eius: miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. Et ordinantur hi ordines ſecundum maiorem dignitatem & minorem, quia plus eſt reſiſtere quàm repugnare, & repugnare quàm per ſe operari poſſe. Et

ſic pri-



ſic primus,ſunt Dominationes, quaſi exercitus præceptores: ſecundus,Poteſtates,quaſi exercitus bellatores: & tertius, Virtutes,quaſi exercitus ſeruatores. Et in hoc apparet mirabilis Dei ſapientia, quæ ſic cuncta diſpoſuit, vt nihil inordinatum relinquat. Vnde, quia diabolus in nobis poſt caſum, rationem ſeducit per aſtutias: virtutem opprimit, per violentias: & voluntatem allicit per blanditias;id ne nobis contingat,tribus ordinibus venit poſt nos: vt ſic non immerito Dominus exercituum nuncupetur.

Tertia Hierarchia eſt miniſtrantium,& horum eſt neceſſaria habitudo ad nos,qui habitant in terra, & iſti deputati ſunt ad regimen ſpeciale, ſiue alicuius Principis,ſiue alicuius Gentis, vel hominis. De quibus: *Hebr. 1.d* Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus,in miniſterium miſſi,propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis. Vnde diſtinguit Apoſtolus duplicem miſſionem, ſcilicet inuiſibilem, quæ eſt Angelorum ad Angelos,& hæc omnibus competit, etiā ſublimioribus; & miſſionem viſibilem, quæ eſt Angelorum ad homines,& hæc competit inferioribus, quibus proprie *Iſaia 18. a* cōpetit miniſtrare,de quibus: Ite Angeli veloces ad gētem conuulſam,& dilaceratam: ad populum terribilem,&c. Sed quoniam hæc Hierarchia præſens officium miniſteriale habet; ſic quòd triplex eſt ordo angelicus,ſecundum quòd tripliciter contingit, Angelos ad regimen alicuius deputari: quia aut ordinati ſunt ad regimen alicuius principis,pro vt eum dirigunt in legibus,ſiue gradibus præſidentiæ, & ſic ſunt principatus: aut ad regimen alicuius gentis,aut multitudinis,prout eos euidenter erudiunt in moribus & ſapientia,& ſic ſunt Archangeli: aut ad regimen alicuius hominis, prout eum cuſtodiunt in ſemitis innocentiæ,& ſic ſunt Angeli. Patet ergo ordo ad ſufficientiam iſtorum, quia plus eſt præſideri Principi quàm vni Genti, & plus deputari ad cuſtodiam multitudinis,quàm ad regimen perſonæ ſingularis.

Primo quidam ordinantur ad regimen Principū, prout eos dirigunt in gradibus præſidentiæ, & ſic ſunt Principatus, quorum proprium eſt Principes in præſidendo dirigere & ordinare ſecundum Dionyſium, & etiam ſecundum illud: *Iſa. 32.b* Princeps, ea,quæ digna ſunt Principe,cogitabit, & ipſe ſuper duces ſtabit. Et vere,nam quemadmodum ipſi in ſe ordinati ſunt, inquantum ad primum principium reducuntur, & ipſum, quantum eſt poſſibile, imitantur; ſic ſubditos ſibi Principes ordinant, & in gradibus præſidentiæ dirigendo reformant. Et hi deſignari poſſunt in Angelo, qui apparuit Ioſue Principi exercitus Domini,cui cum diceret: Noſter es, an aduerſariorum? *Ioſue 5. d* reſpondit: Nequaquam, ſed ſum Princeps exercitus Domini. Secundo quidam ordinantur ad regimen Gētium,prout eos inſtruunt in moribus & ſapientia: & hi ſunt Archangeli, quorum proprium eſt multitudini præſidere. ſicut Michael,qui olim fuit prælatus Synagogæ, modo dicitur prælatus Eccleſiæ, ſicut dicit Dionyſius. *Dionyſ. de cæleſti Hierarch. c. 9.* & hoc eſt quod dicitur: In vnamquamque Gentem præpoſuit rectorem, Gloſſa, ideſt, Angelos. *Eccli. 17.b* Iſtorum etiam officium eſt illuminare,purgare, & perficere, & ſublimia ſecreta hominibus reuelare, necnon & dæmones a nobis refrenando fugare: *Tob. 8.a* ſicut patuit in Archangelo Raphaele, qui relegauit dæmonem in deſerto ſuperioris Aegypti. Tertio quidam ordinantur ad regimen hominum vt eos cuſtodiant in ſemitis innocentiæ: & hi ſunt Angeli ad vniuſcuiuſque hominis cuſtodiam deputati: de quibus: *Pſal. 90.c* Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Horum proprium eſt, quos cuſtodiunt,ad Dei reuerentiam excitare,ſemper peccantibus pœnitentiam perſuadere,& malos a maleficijs reuocare.Propter quod dicit Hieronymus: *Hieron. to. 6. lib. 3. in Matth. c. 17* Magna dignitas animarum, vt vnaquæque ab ortu ſuæ natiuitatis habeat Angelum ad cuſtodiam deputatum: &,quod magis mirabile eſt, ipſi etiā obſtinatis & perfidis effectum ſuæ cuſtodiæ non ſubtrahunt. Ad hoc exigit lex Diuinitatis,cuius proprium eſt in nullo negligere ordinem: ſed per prima,media:& per media, extrema reducere. Dicit igitur: *Et omnes Angeli, &c.*

## DE SANCTO LVCA SERMO.

IN *lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* *Pſal. 1.a* Duplicem actum habet anima noſtra, vnum intellectiuum, qui perficitur lumine: alterum affectiuum, qui amore perficitur inflammante. Lex ergo Domini,cū illuminat, & inflammat, intellectum perficit circa verum,& affectum inflammat ad bonum. In cuius figura,lex in igne Moyſi data fuit:& ſimiliter Apoſtolis,linguis igneis eſt oſtenſa: vt, ſicut dicit Bernardus, *Bernar. to. 2. ſer. 1. in die Pentec.* legem igneam linguæ igneæ loquerentur. Vel, verū & certiſſimum eſt, quòd ignis & lucet & calet; lucet viſui,& calet tactui: vt per hoc daretur intelligi,quòd lex,quæ dabatur in igne, & erat ad docendū ipſum hominis intellectum, & nihilominus erat ad inflammandum affectum. Lex ergo,cum faciat creata bona,eſt amanda,& conſcribenda,& eſt opere adimplenda. Quia ergo beatus Lucas hanc legem amauit,hanc exquiſiuit & conſcripſit, hanc etiam obſeruauit. Ideo de eo bene dicitur: *In lege Domini, &c.* In quo verbo,reſpectu diuinæ legis,commendatur, ex parte deſiderij,quod habuit in amando,vt ſic eſſet ei amor in affectione: ex parte miniſterij, quod habuit in ſcribendo,ſimul & ſtudendo,ſtudium in conſcriptione ſimul & lectione. Ex parte actus continui, in perſeuerando, labor aſſiduus in continuatione. Iſta enim tria faciunt hominem eſſe perfectum: Primo ſi legem interius diligat, notatur ſanctum deſiderium,quod habet in amando, *In lege Domini fuit voluntas eius.* Secundo, ſi in ea ſtudeat, & manu conſcribat,notatur eius miniſterium,quod habuit in legendo,ſcribendo,& meditando: *Et in lege eius meditabitur.* Meditatio enim, vt dicit Bernardus: Inueſtigat quod poſtea manu ſcribat. Tertio vero ſi perſeueranter hoc agat: & notatur opus continuum, quod habuit ſemper in ſtudendo,cum additur, *die ac nocte,* bene enim ſtudentes non ſolum in die ſtudent, ſed etiam in nocte. Circa ergo ſtudium diuinæ legis, quod beatus Lucas habuit, verſatur hic iſte ſermo,&c.

Eſt ergo notandum,quòd ſicut iſte Euangeliſta legem tripliciter habuit,ita etiam portauit. Nam eam habuit in affectu per actum dilectionis, & habuit in affatu,per actum prædicationis. Sed eam nihilominus portauit in manu, per opus conſcriptionis, ſiue per effectum operationis. Quid enim his melius? quid perfectius? quid Deo placibilius? nihil aliud Deus requirit a nobis, niſi, vt legem ſuam obſeruemus, quæ diuina conſilia continet,& mandata. Primo feramus in corde,eam medullitus diligendo: ſecundo in ore, eam alijs prædicando: tertio in opere, eam complendo vel obſeruando. Dico quòd ſanctus Lucas legem Domini, primo portauit in corde, tanquam in bonorum omnium radice: niſi enim radix arboris fuerit bona, omnia quæ ſunt illius arboris, fiunt vana,& ad vſum inutilia. Vnde ſapientes agricolæ,dum vident amigdalum incongruum ferre fructum,ſub terra fodiunt,& radicem eius inueniunt, quam clauis perfodiunt, vt totam arborem ſalutiferam faciant;quia dum per foramina facta noxius humor educitur, arbor tota ſalubris efficitur: ſalus enim radicis, arboris ſalus exiſtit. Cum igitur cor

ſit

ſit membrum radicale, & cauſa in corpore totius motus, & vitę, dum cor bene diſponitur, omnia bene geruntur, ſicut eo infirmato, omnia infirmantur, & eo moriente, membra omnia moriuntur: conſueuit enim dici, quòd ſi caput infirmatur, omnia membra langueſcunt: ſed hoc verius de corde dicitur. Sed quia ſi caput læditur, aut vulneratur, non tamen ſigna doloris in membris alijs oſtenduntur, quamuis ei membra omnia compatiantur: ſed cor ſi ad modicum tangatur, ſi acu pungatur, ſi ad modicum vulneretur, omnia mēbra langueſcunt, & præ dolore deficiunt. Sapienter enim ſanctus Lucas legem Domini prius in corde portauit: ne, ſi fundamentum bonorum omnium reliquiſſet, fruſtra in ceteris laboraſſet. Fruſtra enim omnia fiunt in domo, fundamento non antea ſolidato: fruſtra homo riuulum purgat, niſi ante fonte purgato: ſimiliter vana ſunt verba, nulla omnino ſunt opera, niſi purgata prius fuerint corda. Quod ſciens beatus Lucas, prius diuinam legem ſtuduit habere in corde, ne fruſtra eam portaret in ore. Vnde de eo poteſt dici illud: *Pſal. 36. d* Lex Dei eius in corde ipſius: & non ſupplantabuntur greſſus eius: quaſi diceret: ideo ingreſſus eius opera ſolida habuit, quia bonum fundamentum illis ſubſtrauit, dum prius per amorem diuinæ legis cordis ſubſtantiam ſtabiliuit. Nos ergo fratres, exemplo beati Lucæ, diuinam legem, ideſt, diuina præcepta amemus; & ipſa in corde portemus, ſicut in Deutero. ſcribitur. Diuinum præceptum, quod eſt præceptorum omnium contentiuum, non eſt in cælo ſitum, non eſt vltra mare poſitum, ſed eſt in cordibus noſtris ſcriptū ſtylo ferreo, tanquam vngue adamantino, vt inde radi non poſſit. *Ierem. 31. f* Vnde: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Sed dices, quòd diuinum præceptum ſit naturaliter nobis impreſſum. *Matt. 7. b* Certe illud, quod ſcribitur: Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc eſt, inquit, lex & Prophetæ; ideſt de nihilo aliud prædicant Lex & Prophetæ: quia, qui hoc præceptum tenet, & Legem omnē & Prophetas adimplet: Sed quis hodie eſt qui obſeruet? vnde rixæ? vnde diſcordiæ? vnde guerræ? vnde odia? vnde homicidia? vnde furta? vnde falſa teſtimonia? Si faceremus fratribus illa omnia, quæ nobis cupimus ab alijs eſſe facta, hæc non eſſent. Sed hodie completa eſt propheria, qua dicitur: *Haba. 1. b* Dilacerata eſt lex. Nonne, lacerata? nonne concuſſa? nonne abolita? de qua nihil ab omnibus obſeruatur.

Secundo beatus Lucas legem Domini portauit in ore. Non enim ſufficit ſolo corde portare, niſi portetur & in ore; quia non poteſt ignis in ſinu latere, quin foris appareat, nec in domo quin ardeat. Sicut enim Sol non poteſt non ſplendere; & ſicut roſa non poteſt odorem non ſpargere; & ſicut aqua fluens non poteſt terras proximas non irrigare, ſic nec cor Deo deuotum ſe poteſt abſcondere, quin manifeſtet ſe ore, cum neceſſitas, vel charitas hoc requirit. *Rom. 10. c* Nam ſicut dicit Apoſtolus: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Non poteſt radix latere ſub terra, ſi viuat, quin in germen arboremq. prorumpat. Vnde Chryſoſtomus dicit, quòd ſi radix lateat, & ſe exterius non extendat, certum ſignum eſt, quòd non viuat. *Exemplū. Ier. 1. & 2.* Exemplum de Ieremia, qui cum propoſuiſſet in corde ſuo non loqui, in nomine Domini, adeo verbum Dei in corde eius concaluit, quòd illud ſuſtinere nō potuit donec alijs prædicauit. Cum ergo ſanctus Lucas hoc igne caleret, non contentus fuit legem Dei tantum corde portare, ſed eam ſtuduit ore prædicare, aliosq. ad Chriſtum conuertere. Vnde de eo poteſt exponi illud: *Mala. 2. b* Lex veritatis fuit in ore eius, & multos auertit ab iniquitate. Ipſe enim ſicut medicus fuit corporū, ſic fuit per diuinum verbum medicus animarum. Ipſum enim diuinum verbum frequentius prædicatum eſt ſicut collyriū oculorum animæ ſanatiuum, & ſicut medicamentum ſanitatis introductiuum: *Pſal. 18. b* Lex Domini immaculata conuertens animas, &c. Et: Præceptum Domini lucidum; illuminans oculos. Sed quis hodie cum beato Luca alios docet? nec prædicamus hodie, ore, nec opere: omnia verba noſtra hodie ſunt mundana, ſunt vana, ſunt mala, & ad malum inflammantia, non ad bonum. Quis de Deo hodie loquitur? quis loquitur ad ædificationem audientium, & non magis ad corruptionem? *1. Cor. 15. d* Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Canes, leones, & alia animalia bruta, viuentia de rapina, lacerant ore corpora: ſed nos laceramus maleuolo ore corda: *Pſal. 56. a* Lingua eorum gladius acutus: *Pſal. 5. c* Sepulchrum enim patens eſt guttur eorum.

Tertio ſanctus Lucas legem Domini portauit in opere. Nam & manu eam ſcripſit, ſicut Euangelium opere adimpleuit, dum carnis integritatem ſeruauit; ieiunijs corpus detriuit, & diuina mandata ſollicita cura ſeruauit: ex fructu enim arbor cognoſcitur. *Luc. 6. f* Nam ex ipſo fructu, quem facit, hominibus innoteſcit, vtrum doctor bonus, vel malus ſit, vtrum etiam arbor vel bona, vel mala ſit. Opera enim exteriora probant, qualia corda intus exiſtant. Vnde & Dominus dicebat: *Matth. 7. c* Attendite à falſis prophetis, &c. & addit: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Nam cuius naturæ vitis ſit, exterior fructus oſtendit. Nunquam melius, qualis ſit magiſter agnoſcitur, quàm per id, quod exterius operatur, quia etſi Deus videat corda, nos videre non poſſumus niſi opera. Bona igitur arbor beatus Lucas fuit, quia bonos fructus portauit, dum quod corde credidit, ore prædicauit, & operibus adimpleuit: ſciebat enim eſſe ſcriptum: *Prou. 1. a* Conſerua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Et pater Chriſtus eſt, ſed mater noſtra Eccleſia eſt. Et: *Prou. 3. c* Cuſtodi legem meam, & erit vita animæ tuæ. Sed quis hodie diuina mandata ſeruat? quis conſilia diuina ſequitur? certe qui obſeruat ea, ad beatitudinem ſufficienter ſe præparat, iuxta illud: *Iacob 1. d* Si quis perſpexerit in legem perfectā libertatis, nec auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit. Legem libertatis, legem Euangelicam, ſiue gratiæ, dicit, eo quòd liberum faciat obſeruantem à ſpiritu ſeruitutis Diaboli, à ſeruitute mundi, & à ſeruitute corporis proprij, & perducat ad libertatem regni, vbi non erimus ſicut ſerui, ſed ſicut intimi amici, ſicut chariſſimi filij, & ſicut reges inclyti regali diademate coronati. Vnde ſcribitur: *Ioan. 8. d* Si filius vos liberauit, vere liberi eritis.

Nam ex conſideratione tantæ humilitatis dicebat Propheta: *Pſal. 18.* Bonum mihi, lex oris tui, ſuper millia auri, & argenti. Millia dicit, eo quòd plus excedit, quā verbo exprimi poſſit, quia omnis mundana ſubſtantia, & ſi ſit aurea, eſt tota vana: non ſatiatiua, ſed tranſitoria, multiplici mutationi ſuppoſita, & ad mala omnia finaliter inductiua: ſed lex diuina eſt ſimpliciter vera, quia ab ipſa veritate æterna tradita eſt, & eſt ad vitam perpetuam inductiua. Nam quòd lex ſit vera, Dominus aſſerit, quando dicit: *Ioan. 14. a* Ego ſum veritas, &c. ſi veritas fuit, mentiri non potuit: igitur verum fuit omne quod docuit. Vnde & ipſe dicit Iudæis: *Ioan. 8. f* Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Item quòd diuina lex ſit æterna, Dominus dicit: *Mar. 13. d* Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. *Pſal. 118. n* In æternum Domine permanet verbum tuum: Item quòd lex diuina ducat ad vitam, ipſe dicit: *Ioan. 6. g* Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Et: *Matt. 19. c* Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Sed quis hodie eſt qui obſeruet? O ſumma fatuitas, & cæcitas deteſtanda: quia obſeruantur ad vnguem ſtatuta ciuitatum, ſeruantur leges Imperatorum & Regum, ſeruantur decreta Præſulum, ſeruant ægri præcepta medicorum: ſed non eſt qui legem ſeruet Regis regum, Dei deorum, & Domini

domi-



dominorum. Et ideo quaſi omnes deſcendimus ad infernum, ſed perpauci ſunt, qui vadant in cælum.

## DE SANCTIS SIMONE ET IVDA SERMO.

*Iſa. 60. b* QVI *ſunt iſti, qui, vt nubes, volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Quia priores patres coniugijs vtebantur, & filios generabant, & curis rei familiaris intenti, ſubſtantias poſſidebant, ideo Propheta per Spiritum præuidens Apoſtolos, & eorum ſequaces, ſubſtantias deſerere, coniugia non appetere, filios non generare, nil in terra petere, nihil poſſidere, non eos per terram, velut homines ambulantes, ſed nubes volantes appellat, cum dicit: *Qui ſunt iſti, &c.* In quibus verbis, de duobus, hos glorioſos Apoſtolos, Simonem ſcilicet, & Iudam commendat.

Primo, de altitudine perfectionis euangelicæ, cum dicit: *Qui ſunt iſti, qui, vt nubes, volant.* *Greg. to. 2. homil. 18. in Ezech.* Gregor. Volant enim, qui terram quaſi non tangunt, quia in ipſa nil appetunt.

Secundo, de ſimplicitatis manſuetudine, cum addit: *Et ſicut columbæ ad feneſtras ſuas?* *Greg. ibid.* Gregorius: Ad feneſtras ſuas quaſi columbæ ſunt, qui per manſuetudinis ſpiritum in hoc mundo nil per oculos cōcupiſcunt. Dicit igitur: *Qui ſunt iſti, qui, vt nubes, &c.* & conuenienter ad quæſtionem propoſitam poteſt reſponderi in perſona iſtorum: Iſti ſunt paſtores gregis, conſeruatores legis, ſenatores vrbis, aſſeſſores iudicis.

Primo, iſti ſunt paſtores gregis, quibus commiſſa eſt cura regiminis vniuerſalis: & ideo ad propoſitam quæſtionem, *Qui ſunt iſti?* ipſi de ſe poſſunt præbere reſponſum. *Gene. 46. d* Viri paſtores ſumus: pauerunt enim gregem Domini, exemplo vitæ, verbo doctrinæ, ſubſidijs orationis deuotæ. *Bern. to. 1. ſer. in die S. Petri & Pauli.* Propter quod dicit Bernardus de Apoſtolis loquens: Tales decebat humano generi paſtores, & doctores conſtitui, qui & dulces eſſent, & potentes, & ſapientes: dulces, vt me blande & miſericorditer ſuſciperent: potentes, vt fortiter protegerent: ſapientes, vt per viam ducerent, quæ ducit ad ciuitatem. Quibus contrarij ſunt plerique adeo, vt ſi quæſieris, Qui ſunt iſti? poterit vtique reſponderi illud: *Matt. 7. c* Hi ſunt lupi rapaces, quia de paſtoribus facti ſunt lupi, & de cuſtodibus mercenarij.

Secundo, iſti ſunt conſeruatores legis, adeo vt pro legis defenſione, vſque ad mortem viriliter decertarent. Et ideo competit eis illud: *Iudic. 5. c* Zabulon, & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti. Et ideo ad quæſtionem propoſitam: *Qui ſunt iſti?* poteſt reſpōderi illud: *Apoc. 7. d* Iſti ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Nec mirum, audierant enim Deum dicentem eis: *Luc. 22. c* Vos eſtis, qui permanſiſtis mecū in tribulationibus meis. *Hebr. 11. f* Et Domini roborati exemplo, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij. Propter quod competit eis illud: *Eccli. 44. b* Hi ſunt viri miſericordiæ,* qui iuſtitiæ obliuionem non acceperunt.

*Editio vulgata habet: Quorū pietates nō defuerunt.

Tertio, iſti ſunt Senatores vrbis, quorū Rex Chriſtus, de quibus: *Prou. vlt. c* Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum Senatoribus terræ: quos Rex regum per mundum diſperſit: vt ſicut Sol in radijs apparet, ſicut roſa in odoribus ſentitur, ſicut ignis in ſcintillis ſuis aſpicitur; ſic illorum virtutibus Chriſti potentia cognoſcitur. *Exemplū.* Propter quod cum Abagarus Rex vidiſſet Thaddæum, ſcilicet Iudam, Chriſti diſcipulum ſibi promiſſum, aſſerentem, ille intuitus, cum vidiſſet in eius vultu quendam mirum ſplendorem, mirifice radiantem, adorans Deum, dixit: Vere diſcipulus Chriſti Ieſu filij Dei viui, &c. Et ideo ad quæſtionem propoſitam: *Qui ſunt iſti?* poteſt non incongrue reſponderi illud: *Exo. 32. b* Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Dij, *dico*, ſunt, non natura, ſed gratia, quia natura licet vnus ſit Deus, participatione tamen non prohibetur, eſſe quàmplurimos, ſecundum illud: *Pſal 81. b* Vos autem dij eſtis, & filij excelſi omnes. Iſti ita ſunt igitur, qui populum eduxerunt de terra Aegypti, id eſt, gentes ab idolorum cultura, ad lumen fidei reuocando duxerunt.

Quarto, iſti ſunt aſſeſſores iudicis, ſecundum quòd Dominus in Euangelio repromiſit eis, dicens: *Matt. 19. d* Cum ſederit filius hominis iudicare omnes tribus terræ, ſedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Iſrael. Horum enim proprium fuit apparere in mundo. Et ideo ad quæſtionem propoſitam: *Qui ſunt iſti?* poteſt reſponderi illud: *Apoc. 11. a* Hi duæ oliuæ, & duo candelabra, in conſpectu Dei ſtantes. Stabunt enim, non ad ferendam ſententiam, ſed ad probandam, non ad exhibendam miſericordiam, ſed potius ad iuſtitiam vlciſcendam; & ideo *Pſal. 149. b* gladij ancipites in manibus eorum, ad vindictam in nationibus, & increpationes in populis, &c. Et vt oſtendatur, quòd eorum aſſiſtentia, non ſolum terminatur in vlciſcenda culpa, ſed & in exhibenda gloria, ideo apparent duo quantum ad electos, ſecundum illud Zachariæ: *Zach. 4. d* Hi ſunt duo filij oliuæ ſplendoris, qui aſſiſtunt Dominatori vniuerſæ terræ. Illi ergo ſunt, *Qui, vt nubes, volant.*

Varia lect. Hier. legit, olei, dēpta dict. ſplendoris. Aquila. ſplēdoris LXX. pinguedinis. Editio vulgata legit, olei, vt Hieron. quia in Hebr. eſt vnica vox, quæ oleum & ſplendorem ſignificat.

Omnes enim Apoſtoli poſſunt dici nubes, ſcilicet, quia pluunt verbis, quia coruſcant miraculis, quia tonant iudicijs, quia volant contemplatione mentis.

Primo, pluunt verbis, quia [a] in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, vt aridam terram, corda ſcilicet hominum pluuijs ſalutaribus irrigarent. Propter hoc de eis dicitur: [b] Cribrans aquas de nubibus cæli. Hæc fuit pluuia voluntaria, quam irrigauit Dominus hereditati ſuæ, dum videlicet Simon in Aegyptum, & Thaddæus ad Abagarum Regem Ediſſæ, & vltimo in Perſidem ad prædicandum miſſi ſunt. Vt ſic compleretur illud: [c] Si repletę fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent. Nec mirum: nam, vt dicit Iob, [d] Frumentum deſiderat nubes, quia nubes rore concreſcunt.

Secundo, coruſcant miraculis, vt dicamus quòd quemadmodū à nubibus fiunt coruſcationes ignis; ita ab Apoſtolis miraculorum opera. Ibi coruſcationes fiunt, vapore humido impellente, hic autem per virtutem gratiæ, Domino in omnibus præſidijs conferente. *Pſal 76. d* Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ; vidit, & commota eſt terra. Commota, cum videret in iſtis Apoſtolis ſigna, & mirabilia inconſueta, ſcilicet magos in ſuis præſtigijs ligari, ſerpentes effugari, tigrides manſuetari, mortuos ſuſcitari, & quod plus eſt, filium puellæ, quem ex adulterio conceperat, vnius diei, ad proferendum teſtimonium, vt diaconum infamatum abſolueret, appellari. Et ideo competit eis illud: [a] Imperio ſuo accelerauit niuem, & accelerat coruſcationes emittere iudicij ſui. Propterea aperti ſunt theſauri, & euolauerunt nebulæ, ſicut aues. In magnitudine ſua poſuit nubes, & confracti ſunt lapides grandinis. Et: [b] Si voluerit extendere nubes, quaſi tentorium ſuum, & fulgurare lumine ſuo deſuper, cardines quoque maris operiet.

[a] *Pſal. 28. a* [b] *2. R. 22. a* [c] *Eccli. 11. a* [d] *Iob 37. b*

De his SS. Apoſtolorū geſtis, præſertim vero de infante vnius diei perfecte alloquente Abdias Babyl. Epiſc. li. 6. de Simone & Iuda copioſe pertractat.

Tertio, tonant iudicijs, ſicut prius eſt coruſcatio, quantum ad ſenſum, quàm tonitruum, vt ex fulgore ſonitus ſentiatur, cum tamen ſimul tempore ſint, ſic in Sanctis præcedunt mirabilia, vt ex eis ſignis timeantur iudicia, propter quod: *Pſal. 76. d* Vocem dederunt nubes: etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota. An non maximum tonitruum, cum diceret Iudas: *Iudæ Ep. c* Ecce venit Deus in Sanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes? &c.

[a] *Eccli. 43.* [b] *Iob 36. d*

Quarto

Quarto, volant contemplatione mentis: nam vt le- A
nitate ventorum flatus cito currunt, ſiue ad Auſtrum,
ſiue ad Occaſum, ſic agilitate virtutis, à peccatorum
ponderibus alieni, volant per mentis decurſum, ſiue
in cælum, per contemplationem gloriæ, ſiue in Deũ,
*Iob 37.b* per exceſſum lætitiæ. Et hoc eſt, quod dicitur: Nubes
ſpargunt lumen ſuum, quæ luſtrant per circuitum,
quocũque eas voluntas gubernantis duxerit, ad om-
ne, quod præceperit illis ſuper faciem orbis terrarũ.
Sed quoniam occultæ ſunt contemplationis viȩ, qui-
bus Sancti volant ſuper ſe, & in dulcedine mẽtis ſuȩ:
*Ibidem c.* ideo addit: Numquid noſti ſemitas nubium magnas,
& perfectas ſcientias? Quaſi dicat non: quod illius ſo- B
lius eſt ſcire, qui habet animas ſurſum per contem-
plationem ſuſpendere; & in ſe, quaſi quibuſdã amo-
ris funibus eleuare.

Et ideo notabis, quòd volatus Sanctorum perfici-
tur quattuor pennis, ſcilicet dilectionis, orationis,
cognitionis, & deuotionis.

Primo, indigent ſancti ad volandum penna dile-
ctionis, ſine qua anima inferius, quaſi pondere gra-
uata deprimitur, & cum qua anima ad ſublimia ele-
uatur. Vnde, ſicut auis ſine pennis non poteſt in al-
tum euolare, ſic nec poteſt anima ſine dilectione ad
*Iob 5. a* cælum aſcendere. Propter hoc dicitur: Homo ad C
laborem naſcitur, ſicut auis ad volandum. Grego-
rius: Sancti autem viri, quia tranſeuntia non amant,
non ſolum nulla rerum temporalium pondera tole-
rant; ſed, ſi qua aduerſa conſurgunt, in ipſis ſuis preſ-
ſuris, & languoribus non laborant. Et ideo bene
ſubditur: Et auis ad volandum, quia tanto animus
à laboris afflictione ſe ſubtrahit, quanto ſe per ſpem
ad ſublimia, & ſumma ſuſtulit. An non, quaſi auis
Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot aduerſa ſu-
*Phil. 3.d* ſtinens dicebat: Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Et
*Epheſ. 3. d* ideo eſt hæc penna ſuſtollens, de qua dicit: In chari-
tate radicati, & fundati, vt poſſitis comprehendere D
cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, longitudo,
ſublimitas, & profundum.

Secundo, indigent penna cognitionis, vt videlicet
anima guſtet, & videat, quoniam ſuauis eſt Domi-
nus. Quia ſicut guſtare, proprium eſt amoris, ſic vi-
dere cognitionis. Et hæc eſt penna aquilæ, de qua
*Habac. 1.c* Habacuc: Volabunt, quaſi aquila feſtinans ad come-
dendum. Aquila enim vt irreuerberatis oculis ſolem
in rota conſpicit, & ipſum de remotis contemplatur,
ſic anima irradiata diuino lumine Deum videt, &
omnia infra ſe poſita, viſu contemplationis attingit,
cum nullum præter Deum in ſuis actibus recogno- E
ſcit. Hoc modo volant Sancti, cum Deum non cu-
rioſis aſpectibus, ſed fidelibus contemplantur, ſicut
*Prou. 23.a* dicitur: Faciunt ſibi pennas, vt aquilæ, & volant in
cælum. Quoniam ſummum inter omnia deſideria,
*Iob 23. a* eſt videre Deum. Et ideo dicit Iob: Quis mihi tri-
buat, vt cognoſcam, & inueniam eum, & veniã vſque
ad ſolium eius? hoc eſt ſolium, ad quod Iſaias viſio-
*Iſa. 6.a* ne prophetica volando conſcendit, cum dixit: Vidi
Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.

Tertio, indigent penna deuotionis: nam poſt amo-
rem, & cognitionem, nil reſtat, niſi vt anima ſperan-
do proficiat, & ad Deum ſuum ſe deuotionis iubilo, F
contemplando ſuſtollat. Diuina namque gratia in-
tellectum illuſtrando illuminat, vt poſt influentiam
luminis, mens tota in deſiderium, deuotionis feruo-
ribus incaleſcat. Hæc eſt penna columbæ, de qua:
*Pſal. 54.b* Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, &
requieſcam? volat, id eſt, deſiderio flagrat; ſed re-
quieſcit, dum conſcientiam noſtram deuotione ſere-
nat. Et hinc eſt, quòd ad modum columbæ, anima
iubilando deplorat, quia, quo guſtu mentis ſentit
dulciora, quæ ſperat, eo amarius vitam præteritam in
*Iſa. 38. c* amaritudine recompenſat ſecundũ illud: Meditabor
vt columba. Et poſt: Ecce in pace amaritudo mea
amariſſima. Columba enim pro cantu gemitum ha-
A bet. Et ideo dicitur: Quaſi columbæ meditantes *Iſa. 59.b*
gememus. Sed quidam habent pennas terreſtres:
& tales ſignari poſſunt: Volabant in aere duobus cu- *Num. 11.g*
bitis altitudine ſuper terram.

Quarto, indigent penna orationis: & hæc eſt con-
ſeruatiua, & etiam contemplatiua omnium: quod eſt
vigilanti mente dona datoris cognoſcere, & animum
à curis etiam ſæcularibus ſequeſtrare, vt iam tectum
contemplationis aſcendens, dicat illud: Vigilaui, & *Pſal. 101.b*
factus ſum, ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Paſſer eſt
ille, qui ſagax ad alta virtutum fugit. Vt tuti à la-
queis eſſe poſſint, volant ſolitarij, ſe ſupra ſe ad di-
B uina leuantes, vt dum dilecto ſuo mentis præſentiam
ingerunt, alijs patrocinium miſerationis implorant,
ſecundũ illud, quod ſignatum eſt in Leuitico: Cumq. *Leui. 14. d*
dimiſerit paſſerem volare in agro, orabit pro eo, &
rite mundabitur. Qui ergo has quattuor pennas ha-
bet, ſcilicet dilectionis, cognitionis, deuotionis, &
orationis, recte poterit abſque obſtaculo ad cæleſtia
euolare, ſicut iſti, de quibus dici poteſt illud: Vo- *Iſa. 11. d*
labunt in humeros Philiſthijm per mare, ſimul præ-
dabuntur filios Orientis, quoniam talibus velut dili
gẽtibus Deum, omnia cooperantur in bonum, & etiã
fortitudo Philiſthinorum, & infidelium, vt capiant
C hereditatem, à qua angeli deſertores exciderunt.

DE FESTO

# OMNIVM SANCTORVM

## SERMO I.

BEATI, *qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* *Pſal. 83.b*
Sicut magiſtri librorum
recapitulant in fine ſummatim le-
D ctiones, quas diutius docuerunt,
ſic Eccleſia ſollemnitates Sancto-
rum, de quibus per totum annum
ſollemnizauit, quaſi in fine anni in feſto omnium
Sanctorum epilogat: & ſicut Regina Saba videns ſa-
pientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat,
& habitationem ſeruorum, & ordinem miniſtrorũ,
non habuit vltra ſpiritum, dicens: Concupiſcit, & *Pſal. 83.a*
deficit anima mea in atria Domini: Et in alacritate
cordis clamans, ait: *Beati, qui habitant in domo tua* *Ibid. b.*
*Domine, &c.* Vbi notatur ſollemnis Sanctorum man-
ſio, & iugis gratiarum actio. Quantum ad pri-
E mum, notatur habitandi actus, cum dicitur: *Ha-
bitant:* habitandi locus, cum dicitur: *In domo tua.*
Habitantium fructus, cum dicitur: *Beati.* Quantum
ad ſecundum, quod eſt gratiarum actio, notatur lau-
dis expreſſio, ibi: *laudabunt.* Laudantium recta in-
tentio, cum dicitur; *Te*, & vtriuſque tam laudis, quã
laudantium continuatio, cum dicitur: *in ſæcula ſæ-
culorum.*

Domus igitur hæc, cæleſtis patria eſt, quam deſi-
derare debemus, vt in ea habitemus. Vnam petij à *Pſal. 26.b*
Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Do-
mini omnibus diebus vitæ meæ. Et ſecundum diuer-
F ſos domus huius habitatores, ſunt in ea diuerſæ ha-
bitationes. In domo patris mei manſiones multæ *Ioan. 14.a*
ſunt.

Primo, igitur eſt domus hæc opulenta: Gloria, & *Pſal. 111.a*
diuitiæ in domo eius. Non ſunt illæ diuitiæ tem-
porales, quæ relinquunt inquietudinem in cogitatu,
inſatiabilitatem in appetitu, cæcitatem in intellectu,
ſterilitatem in fructu: ſed ſpirituales, quæ nec poſ-
ſunt amitti, nec auferri, nec reſolui, nec putrefieri,
vel comburi. In iſta domo habitant Patriarchæ,
& opulenti, qui diuitijs temporalibus bene vſi
ſunt. Dixit Pharao de Patriarchis: In optimo lo- *Gen. 47.b*
co fac eos habitare, & trade eis terram Geſſen, quod *Geſſen q.d.*
interpretatur deſiderium: quia licet temporalia poſ-
ſiderent,



ſiderent, tamen cordis intimo deſiderio ferebantur A
ad cæleſtia, quæ ſola ſunt deſiderabilia, & fruuntur
*Matt. 5. a* cæleſti beatitudine: Beati mites, quoniam ipſi poſſi-
debunt terram. Mites ſunt, qui nihil inordinate
amant in luto temporalium, & ideo non inueniunt
animum eorum turbatum: nam aqua pura in ſe eſt
ſerena, ſed admixto luto efficitur turbida. Ab inha-
bitatione huius domus repelluntur auari, quia nulla
opulentia poſſunt ſatiari: auarus enim non impletur
pecunia. Hi ſunt, qui inhabitant domos luteas, qui
terrenum habent fundamentũ, & conſumuntur velut
veſtis à tinea. Domos luteas inhabitant, qui in fæ-
ce terrenorum exultant. Terrenum habent funda- B
**Exemplũ.** mentum, qui eis innituntur per affectum: conſumun
tur velut à tinea, quæ penetrat efficaciter, & tamen
inſenſibiliter. facit enim damnum, ſed non facit
ſonum. Amatores enim temporalium perdunt cor-
dis innocentiam, carnis continentiam, & acceſſu tẽ-
poris, vitam, & gloriam. Sed damnum hoc negli-
gunt: quoniam in terrenis nimis occupati ſunt. Et
*2. Cor. 5. a* vtinam aduerteremus quod dicit Apoſtolus: Sci-
mus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius ha-
bitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo
habemus, domum non manu factam æternam in
cælis. C

Secundo, domus iſta, domus lucida eſt, quia lu-
cerna poſita eſt ſuper candelabrum, vt luceat omni-
*Matt. 5. b* bus, qui in domo ſunt: Ibi enim lux increata diſci-
pulos ſuos illuminat, vt illuc deſiderio pergat qui
*Iſa. 2. a* clare veritatem videre deſiderat. Venite & aſcenda-
mus ad montem Domini, ad domum Dei Iacob, &
docebit nos vias ſuas. In hac domo habitant Pro-
*Exo. 10.f* phetæ: Vbicunque habitabant filij Iſrael, lux erat.
Iſrael vir videns Deum, prophetas ſignificat: quia
*1. Reg. 9. b* qui hodie Propheta Dei, olim appellabatur, Videns.
Ex ſumma enim intentione affectum in Deum ſum-
me vniebant, & in illa vnione illuminabantur per D
irradiationem à primo lumine, in qua irradiatione
auferebatur velamen, vel corpulentia intellectus: vbi
limpidè cognoſcebant, & feruidè deſiderabant, &
*Matt. 5. a* nunc fruuntur beatitudine. Quia dicitur: Beati, qui
eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam. In hac domo non ha-
bitant talpæ, vel capti oculis, qui oculos habent, &
non vident: nihil enim nouerunt de diuinis, ſed tota
eorum ſapientia conſiſtit in fundis, humanis merca-
*Iere. 9.b* tionibus, & culturis: Habitatio tua in medio doli:
in dolo renuerunt ſcire me, dicit Dominus. Vel ſicut
lxx. tranſtulerunt: Vſura ſuper vſuram, & dolus
ſuper dolum. E

Tertio, domus hæc ſecreta eſt, à malis enim non
inuenitur, quia ſolo deſiderio recto introrſum quæ-
*Iob 21. d* ritur: Dicitis enim, vbi eſt domus Principis? Valde
enim ſolitarium, & ſegregatum oportet eum eſſe à
negotijs mundi, & in magno feruore amoris viuere,
*Iob 39. a* qui domum illam vult inuenire: Cui dedi in ſoli-
tudine domum, & tabernacula eius, in terra ſalſugi-
nis. Contemnit multitudinem ciuitatis, quia viuunt,
vt pauci. In hac ergo domo ſecreta, ſunt Apoſtoli,
quibus Dominus reuelauit ſecreta conſilia ſua, ſicut
*Deut. 15. b* amicis: Non deerunt pauperes in terra habitationis
tuæ. Pauperes fuerunt Apoſtoli, qui omnia pro F
Chriſto reliquerunt, vt præberent exemplum imi-
tabile, quia omnia reliquerunt: conſilium irrefraga-
*Matt. 19.c* bile: Si vis eſſe perfectus, &c. Auxilium inſupera-
*Pſal. 39. d* bile, Chriſtum ſcilicet, qui dicit de ſe: Ego autem
mendicus ſum, & pauper: præmium incomparabi-
le, quia regnum cælorum. Falſa enim ſapientia ſæ-
culi, immo vera ſtultitia populi illius, cuius dextera
plena iniquitate, & promptuaria eorum plena, eru-
*Pſ. 143. d* ctantia ex hoc in illud: Beatum dixerunt populum,
cui hæc ſunt, & non beatum, cuius eſt Dominus
Deus eius. Vnde philoſophi beatitudinem fallacem
dicebant, ſiue ponebant in diuitijs. Sed non ſic ſo-
lus & beatus, ſed qui beatitudinem in paupertate
A poſuit, qui pauper natus eſt, vixit, obijt: niſi eſſet ſicut
iſte diues, de quo: Beatus diues, qui poſt aurum *Eccli. 31.a*
non abijt, &c. Quis eſt hic? &c. Quæ enim ma-
iora mirabilia, quàm diuitias reſpuere, quas pluri-
mum procurat diabolus, aufert mundus, ſitit appeti-
tus? In hac domo non habitant ſuperbi diuites:
Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſu- *Pſ. 100. b*
perbiam: ſed habitant cum dæmonibus ab illa eie-
ctis habitatione, pro eorum elatione: Gigantes ge- *Iob 26 a*
munt ſub aquis, & qui habitat cum eis. Elegi abie- *Pſal. 83.d*
ctus eſſe in domo Dei mei magis quàm habitare in
tabernaculis peccatorum.

B Quarto, domus hæc eſt firma, & robuſta, quia fun-
data eſt domus Domini ſupra firmam petram: Vir *Matt. 7. d*
ſapiens ædificauit domum ſuam ſupra firmam pe-
tram, ſcilicet triumphantem Eccleſiam ſuper Chri-
ſtum. Licet enim aliqui lapides, vel paries vnus
ceciderit de illa domo, tamen illa domus quotidie
reparatur, & illi parietes reficiuntur. Domus Dei, *Tob. vlt. b*
quæ eſt in terra Iſrael, quæ incenſa eſt, reædificabi-
tur, ibiq. reuertentur omnes timentes Deum. In
hac domo ſecuri habitant martyres, de quibus legi-
tur: Occidi poſſunt, & flecti nequeunt. Totam enim
fiduciam ſuam in Domino poſuerunt, & ideo ſicut
C mons in Domino perſtiterunt. Qui confidunt in *Pſ. 124. a*
Domino ſicut mons Sion, &c. Propter hoc beatus
Stephanus ſecurus erat contra lapides, Laurentius
contra ignem, Paulus contra gladium, Petrus & An-
dreas contra crucis patibulum, Sebaſtianus contra
ſagittas, ideo fruuntur illa beatitudine. Beati, qui *Matt. 5. a*
perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, &c. Bea-
ti, *dico*, propter iuſtitiam: Si enim pro te Domi-
nus ſanguinem fudit, ſanguinem etiam tuum pro eo
fundere debes: Væ igitur carnalibus, quos Dominus
ſolitarios reliquit ſine gratia, qui non poſſunt hanc
domum inuenire, per quam poſſunt ad ciuitatem
D cæleſtem intrare, vel inhabitare. Errauerunt in ſoli- *Pſ. 106.a*
tudine, in inaquoſo viam ciuitatis habitaculi non
inuenerunt.

Quinto, domus hæc ornata eſt: Sicut ſol oriens
mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies *Eccli. 26. c*
in ornamentum domus eius. Sicut enim eſt ſol or-
namentum cæli & ſtellarum, ſic Dei ſapientia, orna-
mentum eſt domus cæleſtis, & gloriæ Sanctorum.
Varia autem gratiarum dona ſunt, varia ornamenta:
Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas *Prou. 9. a*
ſeptem. Hic ergo habitant Confeſſores, qui varias
habuere virtutes: Iuſti confitebuntur nomini tuo, & *Pſ. 139. b*
E habitabunt recti cum vultu tuo. Quia iuſtitiam co-
luerunt in opere, rectitudinem habuerunt in volun-
tate, & nomen Chriſti confeſſi ſunt ore: & bene di-
cit, *Iuſti*: Iuſtitiam enim lex Naturæ docet, lex
Moyſi præcipit, lex Euangelica conſummat; eius
inchoatio eſt, nemini iniuriam facere; profectus, om-
nes diligere; conſummatio eſt omnibus benefacere,
ſi potes, ſi non potes velle; & quia ſeipſos mortifi-
carunt in pœnitentijs, & lamentis, ideo fruuntur
beatitudine: Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſo- *Matt. 5. a*
labuntur. Luxit autem, quia lugens nos monet, nec
riſiſſe legitur. Ideo: Beati, qui nunc fletis, quoniã *Luc. 6.c*
F ridebitis. Lacrymæ enim ſunt lauatorium in clau-
ſtro animȩ, quibus delemus litteras, quas diabolo de-
dimus, quaſi chirographum, quando peccauimus, &
ideo ſemper flere debemus: & tamen timere debe-
mus, quia beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. Si *Prou. 28. c*
enim aliqui in via coram latronibus ſecuri ſunt, hæc
ſecuritas prouenit, vel ex ignorantia, vel ex inopia,
aut cui quod poſſit auferri deeſt, vel qui poſſit aufer-
ri, abeſſe putatur. Time ergo, vel quòd te inuenis
non timentem: vel fac vt timeas, quòd timere te
inuenis, id eſt oculos aperi, aut pauper eſto. Ab hac
habitatione repelluntur hypocritæ. Scio vbi habitas, *Apoc. 2. d*
vbi ſedes eſt ſatanæ.

Sexto, domus hæc eſt munda, nihil enim inqui-
namenti

namenti ſuſtinere poteſt, & ideo ab ea corruit diabolus, poſt cuius lapſum impolluta eſt: A Nunc Sancte ſanctorum omnium Domine conſerua in æternum impollutam domum iſtam, quæ nuper mundata eſt. *Pſal. 14.a* Ideo habitant in ea Virgines & continentes: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis *Pſal. 23.a* requieſcet in monte ſancto tuo? Innocens manibus, *Pſal. 14.a* & mundo corde. Qui ingreditur ſine macula. Innocentes corde fuerunt virgines, ſine macula in carne vel corde: vel dicit, innocentes corde, ſine macula infamiæ. Et ideo fruuntur hac beatitudine: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: ſine caſtimonia nemo poteſt videre Deum. B Sed væ immundis, & luxurioſis, qui repelluntur ab hac habitatione. Dicet ergo: Rara caſtitas eccleſiaſticis noſtris: vbi nunc habitas in inferno cum Plutone. Facta eſt Babylon magna, habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi. Quia viri ſpirituales, facti ſunt per luxuriam incolæ eius, & ibi cuſtodiuntur, ſicut in carcere ad pœnam æternam. Et, *Magna*, dicit propter multitudinem habitantium, quia iam fere paſſim omnes ad hanc immunditiam conuertuntur & ſpecialiter clerici. *Petrus Damianus.* Vnde Petrus Damiani: Veniet dies, immo nox, quando libido tua C ò clerice vertetur in picem, qua ſe perpetuus ignis in tuis viſceribus inextinguibilem nutriat, & medullas tuas, ſimul & oſſa indeficienti conflagratione depaſcat. Quare enim flammis libidinis æſtuas? qua fronte, qua audacia ſacris altaribus appropinquas? certe, quanto ſanctius eſt miniſterium, tanto mundiorem requirit miniſtrum: electus es, vt doceas officium caſtitatis, non vt fias exemplum alienæ libidinis, &c.

Septimo, domus hæc eſt iucunda, & gaudioſa: quaſi gaudium, & lætitia inuenietur in ea gratiarum actio, & vox laudis. Quod exprimitur in Nehemia: *2. Eſdræ 12.c* Steterunt duo chori laudantium in domo D Domini. Hi ſunt Angeli, & homines beati, vacantes laudibus diuinis. In hac ergo domo habitant Angeli, qui non ceſſant clamare dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus: *Iſa. 12.b* Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. Omnis enim Hierarchia angelica ad Deum laudandum eſt ordinata, & qui amplius laudant, ſublimius remunerantur in cognitione, & amore, vt dicit Commentator ſuper angelicam Hierarchiam. Laudant autem Deum, quantum à creatura eſt poſſibile laudari eũ. Cum enim irreuerberata mentis acie Dei ſapientiam contemplantur, E in ipſum ſuas extendunt intelligentias infatigabiliter, & in gratiarum actiones toti aſſurgunt, & dum admirantur ſupra ſe Deũ, qui eſt vnus in ſubſtantia, trinus in perſonis, in quo eſt ſumma pax, ſumma tranquillitas; ſumma pacis tranquillitate, & plenitudine perfruuntur, ſtudentes vnũ fieri in ſe, quantum poſſunt, propter vnitatem pacis, quam vident ſupra ſe, & ad pacem, & ad tranquillitatem pacis reuocant omnia ſub ſe: *Matt. 5.a* Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Vt ergo eis, qui vitam abiecerunt angelicam, nec faciunt in Eccleſijs ſuis reſidentiam, aut ſi faciunt, propter pecuniam faciunt, horas ſuas non dicunt ex deuotione, F nec Deum laudant. *Iere. 9.g* Viſitabo, dicit Dominus, ſuper omnes, qui attonſi ſunt in comam: quia omnes gentes habent præputium: & vbi eſt illud: *Clement. lib. 3. Tit. 14. de celebr. Miſſ. c. 1. Grani nimirum.* Extra. de celebratione miſſarum diſtricte præcipiendo mandamus, in virtute obedientiæ, vt officium nocturnum, pariter & diurnum, quantum Deus dederit, ſtudioſe celebrent, pariter, & deuote. Vbi dicit apparatus: Qui contra hoc præceptum faciunt, inobedientiam incurrunt. Et Bernardus: Cum pſallis, cor ad ſenſum pſalmi habeas, niſi ad ſublimius rapiatur, & omnium, quæ ibi dicuntur, vel dicendi in tuo choro, vel audiendi in alio, vſque ad vnum iota, ſcias te eſſe debitorem. Iſti ergo cum ſtipendia accipiant, & officium non impleant, iniuſtitiam exercent. Et ideo Domine, nõ habitabit iuxta te malignus, neque *Pſal. 5.a* permanebunt iniuſti ante oculos tuos.

Octauo, domus eſt ſupernaturalis, & ſupermirabilis incolatus. Virgo & mater Maria, quæ ſuper omnes Angelos eſt exaltata, quam Dominus elegit in habitationem ſibi, ſuper omnes habitat eminenter. Elegit eam, & habitare fecit eam in tabernaculo ſuo. Et quia domus hæc, propter habitatorum copiam non anguſtatur: O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei: *Baruc. 3.c* habitatores requirit donec impleatur. Compelle intrare, vt impleatur domus mea. *Luc. 14.e* Ideo licet omnes Sanctorum ſtatus, diſparem habeant claritatem, tamen parem habent iucunditatem, quia gaudium vnius, eſt gaudium alterius. Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te: *Pſal. 86.a* Et iterum: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum: *Pſal. 132.a* omnes enim vnitate charitatis congregati ſunt, & omnes noſtris miſerijs condeſcendunt, & ideo Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſecuti ſunt. *Matt. 5.a* Repelluntur ergo diſcordes, & odia reſeruantes: Nequibant paſtores habitare communiter, Abraham, & Loth, quia rixa facta eſt inter eos. *Geneſ. 13.b* Patent ergo conditiones domus, & habitantium ſtatus, & fructus, cum dicitur: *Beati, qui habitant, &c.*

## DE FESTO OMNIVM SANCTORVM SERMO. II.

*Pſal. 83.b* **B***EATI, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Conſiderans Dauid ſollemnitatẽ ciuium ſupernorũ, ait: *Pſal. 44.a* Eructauit cor meũ verbum bonum: dico ego, &c. *Beati, qui habitant, &c.* Et innuit tria, quę faciunt ad Sanctorum gloriam: quorum Primum eſt, ſtipendium præmiale, & glorioſum ibi. *Beati:* quia dicit Auguſtinus: Vita beata, eſt præmium, cuius promiſſione gaudemus, & ſi gaudemus ſpe de promiſſione, multomagis gaudent Sancti de poſſeſſione. *Deut. 33.d* Vnde: Beatus es tu Iſrael, quis ſimilis tui popule, qui ſaluaris in Domino? Secundum, eſt habitaculum regale, & glorioſum, ibi: *In domo tua,* non in exilio huius miſeriæ, vbi eſt hoſpitium tranſeuntium, ſed in cælo: quia cælum eſt domus quieſcentium, mundus enim hoſpitium breue, & ideo relinquendum. De hac domo dicit: *Pſal. 121.a* Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Vnde multi in hoc mundo noluerunt, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc ſæculo habitant in deſertis. Tertium, eſt officium æternale, & gaudioſum ibi: *In ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Illud eſt officium Sanctorum cantare, exultare, & Deum laudare: *Aug. to. 9. in manuali. m.* Ibi vacatur Dei laudibus, qui eſt omnia in omnibus, Vnde: Benedicam Dominum, in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. *Pſal. 33.a* Semper laudat qui ſemper diligit.

Videamus quibus vijs, & gradibus Sancti aſcenderunt ad iſtam beatitudinem, vt eorum imitando veſtigia, beati eſſe poſſimus.

Primo, videamus de rege Chriſto, qui eſt Rex gloriæ, quia licet omnium virtutum prærogatiuam habeat, tamen appropriate loquendo, beatificatus eſt propter innocentiam: licet enim omnia quæ ſunt hominis ſumpſerit, non tamen ignorantiam, & peccatum. Vnde ipſe ſolus dicit: *Pſal. 25.a* Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum; hanc ſcilicet beatitudinem. *Aug. to. 8. enarrat in Pſal. 100. b* O Deus innocentiæ reſtitutor, & auctor, quis te mitior? quis te innocentior? Si (ſecundum quòd dicit Auguſtinus) innocens eſt qui nec ſibi, nec alij nocet,



nocet, ipſe non ſolum nulli nocuit, ſed omnibus profuit, & tamen paſſus fuit dura verba, duriora verbera, & horrenda mortis ſupplicia, ſicut dicit Bernardus: & tamen fuit agnus ſine macula: & certe quanto manſuetior in illata iniuria, tanto debetur ei altior beatitudinis gloria. Ille enim, qui, ſecundum *Bern. to. 1. ſerm. 2. in Conuer. S. Pauli.* Bernardum, fuit mitiſſimus ſuper omnes homines, magiſterium manſuetudinis ſpecialiter ſibi appropriauit, dicẽs: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, &c. *Matt. 11.d* O ſerpentini filij Adæ: adhuc multi videntur de veneno ſerpentis, qui Adam intoxicauit, habere in cordibus, per rancores; in lingua, per blaſphemias; in manibus, per oppreſſiones: cum tamen, poſtquam facti ſunt Chriſtiani, venenum tale deberent deponere in aqua Baptiſmi. Ergo & ex quo Chriſtianus es, non tantum ore, & verbo, ſed opere, & veritate, te talem eſſe oſtende: &, vt directe imiteris Chriſti manſuetudinem, reſpice in faciem Chriſti tui, & conſidera coronam ſpineam, alaparum iniuriam, virgam arundineam, ſputorum nauſeam, in manibus & pedibus clauorum fixuram, in latere acutiſſimam lanceam, in ore felleam ſpongiam, in aure garrientium contumeliam, in toto corpore flagellorum vulnera, & in ligno Crucis ignominiam, *Luc. 23.e* & pro his omnibus recompenſationem nullam: Pater, inquit, ignoſce illis. Non dicit, vindica. O cor amariſſimum, quod ad tam ſuauiſſimam vocem non dulceſcat, & amaritudinem odij non deponat! Qui igitur vult ad beatitudinem cum Chriſto peruenire, debet ſicut ille ambulauit, &c. Et diſcat eius doctrinam, vt ſit mitis, & manſuetus in affectione, in ſermone & in conuerſatione, quia Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. *Matt. 5.a* Super quo dicit Gloſſa: Mitis eſt, quem nec ira, nec rancor afficit, ſed omnia æquanimiter ſuſtinet, nec turbatur. Ideo dicit: *Eccli. 10.d* Fili in manſuetudine ſerua animam tuam.

Secundo, beatificata eſt cæli Regina per humilitatem obedientiæ, & reuerentiæ. Sicut enim Adam, & Eua per ſuperbiam, & inobedientiam perdiderunt paradiſum terreſtrem, ſic Mater gratiæ, per humilitatem profundiſſimam, acquiſiuit beatitudinem cæleſtem. *Luc. 1.e* Vnde ipſa dixit illud: Reſpexit humilitatẽ ancillæ ſuæ: ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quaſi ſingulariter hanc virtutem proponit. Vnde, quia te Maria humiliaſti vſque ad ancillam; ille, qui depoſuit potentes de ſede, exaltauit te in cæli Reginam. Vnde per humilitatem, ad ſublimitatem aſcenditur, nec eſt via alia præter ipſam. Qui enim aliter vadit, cadit. Ergo deſcende, vt aſcendas: humiliare, vt exalteris. Humilitas igitur exaltat, & magnificat, licet gloria mundi videatur hominem magnificare, ſicut ſtulti dicunt: *Pſal. 143.d* Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt, &c. *Iſa. 3.c* Tamen non eſt appetenda, ſicut dicitur: Populc meus, qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt. Iſtam beatitudinem mundanam non elegit ſibi Maria, ſed meliorem partem elegit, ſcilicet humilitatem. Si igitur beati eſſe volumus, humilitatem Virginis imitemur. *Matt. 5.a* Vnde de hac humilitate dicitur: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorũ: de qua Glo. ſic ait: Non inflati, non ſuperbi. Pauperes ſpiritu ſunt, humiles & timentes Deum, id eſt non habentes inflantem ſpiritum: & hæc eſt melior pars, quam elegit Maria.

Tertio, beatificati ſunt Angeli ſancti per firmitatem adhærentiæ. Sicut enim Lucifer, & ei conſentientes auerſi ſunt, per amorem propriæ excellentiæ à Creatore ſuo, & tanquam viſco hærentes ceciderunt, ſic qui adhærentes Deo, permanſerunt firmiter, & ſtabiles in illa beatitudine facti ſunt. Certum eſt, quòd ſicut qui adhærent labenti labitur, ſic qui ſtanti adhæret ſtabilitur. Vnde dicitur ſuper illud: *Apoc. 6.d* Stellæ de cælo ceciderunt: nullum permittit Deus cadere, qui ei ſeruit vero amore. Cum ergo, A ſicut dicit beatus Auguſtinus, *Aug. to. 5. lib. 12. de Ciu. Dei. c. 1. i. k & ca. 6. eiuſd. li. & to. 8. lib. de cognitione veræ vitæ c. d* beatitudo ſit Deo adhærere, Angeli, qui Deo adhærent, beati ſunt. Ideo dicitur: [a] Beati viri tui, ſcilicet ſtabiles, & viriles per amorem: & beati ſerui tui, quia parati ad tuã laudem, qui ſtant coram te ſemper, per gloriæ confirmationem. O felix glutinum, & bonum vinculum charitatis, quod ſic glutinat Angelos Deo, vt nũquã diſſolui valeant, & diſiungi. [b] Hoc eſt vinculum perfectionis, vt dicit Apoſtolus, quod non ſolum Angelos Deo, ſed & homines vnit, quia eos facit deiformes ſecundum Anſelmum de ſimilitudinibus. *[a] 3. R. 10. b* O charitas, quàm magnum eſt vinculum tuum, quod *[b] Coloſſ. 3.b* B non Angelos Deo, ſed Deum etiam in vnam perſonam, & hominem mirabiliter copulaſti, Deum ad terram traxiſti, ad columnam ligaſti, cruci affixiſti, ſepulcro clauſiſti, tãdem ad inferos attraxiſti! Quis, inquam, fecit hæc omnia, niſi amor ſalutis noſtræ? O grauiores ſaxo, & plumbo, quos tanti amoris vinculum non traxit ſurſum ad Deum, ex quo prius traxit Deum deorſum ad homines. Vnde, qui vult beatificari cum Angelis, oportet vt Deo iungatur per amorem: illi ſoli pertingere ad beatitudines poſſunt, qui caſto amore Deo adhærent. Vnde: *Pſal. 72.d* Mihi adhærere Deo, bonum eſt: quaſi diceret: Adhæ- C reant alij quibuſcunque voluerint, ego Deo adhærebo, qui eſt protector meus in via, & beatificator in patria.

Quarto, beatificati ſunt Patriarchæ per largitatem miſericordiæ: fuerunt miſericordiæ operibus pleni, operiebant nudos, & huiuſmodi. Ideo ſunt de numero eorum, de quibus: *Matt. 5.a* Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur. Et vere miſericordiam conſequuntur, cum Dei miſericordia ſit fons, & noſtra miſericordia ſit riuus, ad proximum deriuatus, cum fons ipſius miſericordiæ prius ſit ad nos. Vnde: *Pſal. 40.a* Beatus vir, qui intelligit ſuper D egenum, & pauperem: egenum dicit, non ſuperabundantem, & diuitem. *Lucæ 14.c* Cum facis prandium, &c. O Deus æterne, ſi miſericordes erunt beati, numquid immiſericordes erunt miſeri? Iudicium ſine miſericordia poſſidebit, qui non facit miſericordiam. Quid dicam de illis, qui deſpiciunt pauperes, abominantur inopes, affligunt humiles, perſequuntur debiles? certe expedit eis, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eorum, & mittantur in profundum maris. *Prou. 14.c* Qui deſpicit proximum ſuum, peccat: qui autẽ miſeretur pauperis, beatus erit. Tales fuerant patres antiqui, qui de ſuis facultatibus pau- E peribus impertiti ſunt. Iſidorus: Hoc tantum habet rerum poſſeſſio præſentium, ſi reficiat vitam miſerorum. Seruando amittimus, largiendo ſeruamus. Vnde verſus: *Solas quas dederis, ſemper habebis opes.*

Quinto, beatificati ſunt Prophetæ propter veritatem intelligentiæ: *Iſa. 53.c* In ore ipſorum non inuentum eſt mendacium, neque dolus in lingua, neque falſitas in verbis, neque duplicitas in locutione. Ideo ante thronum Dei ſunt beatificati, qui pro veritate ſe oppoſuerunt, & potius volebant vitam perdere, quàm veritatem, ſicut patet in Iſaia, Michæa, & F ceteris. Vnde de eis poteſt dici illud: *Eccli. 14.a* Beatus vir, qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo: ſcilicet per falſitatem, & mendacium. O quàm pauci hodie homines inueniuntur de iſtis beatis, quoniam veritas in plateis corruit, & falſitas vbique regnat: roſa aruit, ſpina creuit. O abuſio maxima, cum falſitas nihil valeat, ſicut denarius falſus ad decipiendum! Cur ita appretiatur à Chriſtianis, qui debent eſſe filij veritatis? falſi ſunt in omni venditione, & emptione, & in omni congregatione, & natione. Vnde: *Pſal. 4.a* Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Hoc eſt certe ſignum diuinæ gratiæ reprobatiuum. Vnde ſequitur: *Pſal. 11.a* Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa,

*Pſal. 5.b* loſa, & c. Et perdes omnes, qui loquuntur menda-
cium. Qui ergo vult eſſe beatus, diligat veritatem
cum Prophetis.
Sexto, beati ſunt Apoſtoli, & Euangeliſtæ propter
paupertatem indigentiæ: ipſi enim ſunt primi in bea
*Matt. 5. a* titudinibus. Beati pauperes ſpiritu, & c. Alijs pro-
mittitur beatitudo de futuro, ſed Apoſtolis pauperi-
bus, & Martyribus de præſenti. Iam habent clauem
regni, iam cuſtodiã ianuæ, vt alios poſſint intromit-
tere in æternam beatitudinem, & propter hoc diuites
*Eccli. 31. a* ſunt, licet nihil habeant temporale. Beatus diues, qui
inuentus eſt ſine macula, & c. Bene pauper Chriſti
diues eſt, qui electus ad regnum, & heres regni cæ-
*Iac. 1. a* leſtis eſt. Omne gaudium exiſtimate, & c. Glo. Non
indignemini fratres, ſi mali florent in hoc mundo, &
vos patimini, non eſt enim Chriſtianæ dignitatis in
temporalibus exaltari, ſed potius deprimi. Illi nihil
habent in cælo, vos nihil in mundo: ſpe ergo illius
boni, ad quod tenditis, quidquid in via contigerit,
gaudere debetis. Quid igitur dicemus? quid pre-
tioſius vera paupertate, quæ eſt pretium regni cæle-
*Iac. 2. a* ſtis? Auguſtinus: Venale habeo, & c. Nonne Deus
elegit pauperes in hoc mundo? Non igitur diſpli-
ceat tibi paupertas, qua nihil poteſt diuitius inueni-
ri: quia regnum cęlorum per paupertatem compara-
tur. O chariſſimi, ſi beatitudo, & veræ diuitiæ eſſent
in auro, numquid non eam ſibi Chriſtus retinuiſſet,
& diſcipulis ſuis dediſſet? ſed non ſolum non ha-
buit, ſed etiam contempſit, paupertatem elegit, te-
nuit, & docuit, & diſcipulis ſuis diuitias prohibuit.
Si primo fugiebatur ante Chriſti aduentum, non eſt
mirum, quia neſciebatur pretium eius: ſed poſtquam
Deus in ſuam accepit partem, amplexanda eſt, tan-
quam res pretioſa. Sicut enim vinum infuſione
pigmentorum fit claretum, vel nectar, ſic paupertas
Chriſti amore dulcorata, in quo ſunt omnia aroma-
ta, & qui eſt fons totius dulcedinis, fit potio ſaluber-
rima. Vnde paupertas omnibus Chriſtianis debet
eſſe ſapida. Sed hodie multi eam abhorrent, & ha-
bent palatum affectu cupiditatis felleæ infectum,
*Act. 8. d* qualis fuit ille, cui Petrus dixit: In felle amaritudinis
& obligatione iniquitatis te video eſſe.
Septimo, beatificati ſunt Martyres propter ſtabi-
litatem patientiæ. Ipſi enim, tanquam robuſti mili-
tes ſuſtinuerunt tribulationes, & perſecutiones: cum
eſſent fortes, & bene armati armis fidei, vere vicerũt
regna, acquiſierũt beatitudinem, aperuerunt cælum:
regnum enim cælorum vim patitur, ſicut dicitur:
*Matt. 11. b* & violenti rapiunt illud. Armatura eorum, non ha-
ſta, non gladius, non clypeus, ſed ſola patientia, maxi-
ma virtutum, pugnat, quia inermis armatos ſolet
*Pſal. 75. a* ſæpe vincere viros. Vnde ſicut dicitur: Confregit
potentias, arcum, ſcutum, gladium, & bellum. Pro-
*Iac. 1. b* pterea ſemper habet victoriam & coronam. Beatus
vir, qui ſuffert tentationem, & c. Quia nemo Sancto-
*Iac. 5. b* rum ſine patientia coronatus eſt. Ideo Iacobus mo-
net: Patientes eſtote, & c. Quia beati, qui perſecu-
*Matt. 5. a* tionem patiuntur propter iuſtitiam, & c. Sed heu,
hodie ſunt multi ſicut columna putrida, quæ cito
frangitur, & ad flatum venti cito cadit. Homo im-
patiens eſt, ſicut homo nudus, quem virga vulnerat:
*Hier. to. 5. commen. in c. 5. Eccls.* Fratres armate vos patientia, quia tempus eſt belli,
dum viuimus: in agone certaminis poſiti ſumus,
quia militia eſt vita hominis ſuper terram. Qui er-
go vult vincere, firmiter teneat arma patientiæ.
Octauo, beatificati ſunt Confeſſores, propter ſo-
brietatem abſtinẽtiæ: cibis enim non vacabant, ſicut
bruta animalia, commeſſationibus, & ebrietatibus,
ſed parce viuebant in ieiunijs multis, & abſtinentia.
Os hominis cur paruum. Natura enim docet abſtinentiam, quæ homini dedit
os paruum, præ ceteris animalibus, & c. & ſicut ille
diues epulo, propter ſui voracitatem deſcendit ad
æternam famem, ſic Sancti per ſobrietatem aſcen-
derunt ad gloriæ beatitudinem. Leuium enim pro-
A prium eſt aſcendere, & econuerſo grauium. Apoſto- *Tit. 2. c*
lus: Sobrie, iuſte, & pie viuamus, & c. Beati, qui *Matt. 5. a*
nunc eſuritis, & c.
Nono, beatificati ſunt Virgines propter puritatem
caſtimoniæ: vita enim virginum, & continentium
ſpem habet ſpecialem beatificationis in terra, quia
cælicæ vitæ aſſimilantur: Simile eſt regnum cælorum *Mat. 25. a*
decem virginibus, & c. Vnde: Beati immaculati in *Pſal. 118. a*
via, & c. id eſt in præſenti vita, quæ alijs eſt via ad cæ-
lum, alijs ad patibulum, alijs ad miſeriam, alijs
ad gloriam. Vnde in medio poſiti ſumus, vt imma-
culati poſſimus aſcendere ad cælum, & iniqui proij-
B ciantur ad inferni ſterquilinium. Et certe anima no-
bilis debet abhorrere iſtam maculam, ne in via pol-
luantur pedes affectionis, veſtis corporis, & maxime
Clerici & Religioſi.
Decimo, beatificati ſunt finaliter Pœnitentes per
iuſtitiam: Beati, quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, & c. *Pſal. 31. a*
Et: Beatus, vir cui, non imputauit Dominus pec- *Ibid.*
catum. Et illud: Beati, qui cuſtodiunt iuſtitiam, quia *Pſal. eod. a*
punierunt, vel purgauerunt corda in contritione, os *Pſal. 105. a*
in confeſſione, & oratione, manus in elemoſynarum
largitione.

C

# DE ANIMABVS SERMO.

Ementote vinctorum, tanquam & ipſi *Heb. vlt. a*
vincti. Secundum beatum Gre- *Greg. to. 3. lib. 4. Dial. c. 28.*
gorium: Animæ perfectorum ſta-
tim euolant ad cælum, animæ re-
proborum ſtatim deſcendunt ad
infernum: ſicut enim electos à
die ſui exitus corporis beatitudo
D lætificat, ita credi neceſſe eſt, vt à die exitus ſui, re-
probos ignis exurat. Animabus igitur purgando-
rum defunctorum proſunt ſuffragia. De iſtis, quaſi
in proximo regnaturis, poſt feſtum Sanctorum om-
nium, feliciter regnantium, Eccleſia ſollemnizat
hodie. In verbis propoſitis, iuxta litteram ſumptis,
Apoſtolus nos ſpecialiter hortatur ad compaſſionẽ,
& ſubuentionem vinctorum, propter Euangelium
Chriſti: quo ad intelligentiam ſpiritualem, hortatur
omnes vniuerſaliter Chriſtianos, ad compaſſionem,
& ſuffragia defunctorum carcere purgatorij deten-
torum. Ait ergo, *Mementote, & c.* primo, diſſua-
E dens ingratitudinem obliuionis: ſecundo, perſuadẽs
promptitudinem compaſſionis: tertio, perſuadens
ſollicitudinem prouiſionis.
Proponit nobis igitur defunctos in ſpeculum me-
moriæ, vt recordemur, quales fuerint quantum ad
vnitatem huius peregrinationis: Memento, quoniã
omnes in corpore ſumus: vbi Gloſſa: Vniuerſa vani- *Eccli. 9. a*
tas & afflictio ſpiritus. Secundo, in ſpeculum intel-
ligentiæ, vt contemplemur, quales ſunt, quantum ad
neceſſitatem obligationis, cum addit: *Vinctorum.*
Vinctis compaſſi eſtis rapinam bonorum veſtrorum: *Hebr. 10 g*
cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere me-
F liorem, & manentem ſubſtantiam: Tertio, in ſpecu-
lum prouidentiæ, vt præſtolemur, quia tales erimus
ad identitatem conditionis: cum ſubdit: *Tanquam*
*vincti*, expectantes aduentũ paris conditionis: Vnus *Sap. 7. a*
eſt omnibus introitus ad vitam, & ſimilis exitus: Me- *Eccli. 38. c*
mor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuũ: mihi heri,
& tibi hodie: Mementote ergo recolentes incolatũ
peregrinationis vinctorum, conſiderantes reatum
obligationis, tanquam ſimul & vincti, exſpectantes
aduentum paris conditionis.
Circa primum, proponentes nobis in ſpeculum
memoriæ incolatum peregrinationis, conſideremus
qualiter effloruerunt in ortu, emarcuerunt in tranſi-
tu, exaruerunt in obitu. Ortus enim abominabilis
ducit



A ducit in contemptum ſui: tranſitus miſerabilis in
contemptum mundi: obitus horribilis in contemptũ
peccati. Hoc ſpeculum proponit nobis Bernardus
*Bernar. in Medit. c. 3. to. 2.* dicens: Quid ſuperbis, terra, & cinis? cuius conce-
ptio, culpa: naſci, miſeria: vita, pœna: mori, an-
guſtia.
Primo ergo recordemur in contemptum noſtri
ortum abominabilem. Si enim conſideremus ſe-
men conceptus, alimentum fœtus, periculum partus,
vocem ploratus, ſpurcitiam ortus, cum alijs circun-
ſtantijs, ſatis apparebimus conditione originis tales
*Eccli. 41. a* in oculis noſtris. Propter hoc dicitur: Memento
B quæ ante te fuerint, qualiter generatus ex ſemine vi-
liſſimo, plaſmatus ex limo, creatus ex nihilo. Quid
ergo ſuperbis terra, & cinis? Vnde eſt ergo quòd nõ
aduertimus, quod oculis videmus? nempe, quia
concupiſcentia carnis eſt præſtigiatrix ſenſuum, prę-
tendit enim corpori iuuentutem, ſtabilitatem, ſanita-
tem, pulchritudinem, & fortitudinem. Vnde, &
quaſi vitioſa naturali conſuetudine omnis homo
oſtentat pulchra, occultat vilia & turpia, & ſic con-
cupiſcentia deludens ſenſus ſpirituales, & oculum
rationis, obſcurat bona animæ ſpiritualia. Hæc eſt
facinoroſa concupiſcentia, quæ facit veritati non
*Gal. 3. a* C obedire: O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non
obedire veritati? Homo cum ſit creatura digniſſi-
ma, tamen ſeparata anima, corpus remanet, creatura
*1. Theſ. 4. c* viliſſima. Super illud: Nolumus vos ignorare de
dormientibus, & c. Glo. Auguſtini: Corpus, quod
viuit ex anima, fit, anima diſcedente, exanime: quod
ambulabat, iacet: quod loquebatur, tacet: oculi clauſi
lucem non capiunt, aures nullæ voce pateſcunt,
membrorum officia requieſcunt, non eſt qui moueat
greſſus ad ambulandum, manus ad operandum, ſen-
ſus ad perficiendum. Nonne iſta eſt domus, quam
neſcio quis inuiſibilis inhabitator ornabat? receſſit
D quod cum amore colebatur, remanſit quod cum
horrore videtur.
Secundo, recordemur in contemptum mundi,
*Iob 14. a* tranſitum miſerabilem. Homo enim breui viuens
tempore, repletur multis miſerijs, nunquam enim in
*Thren. 3. c* eodem ſtatu permanet. Memoria memor ero, & ta-
beſcet in me anima mea: Tabeſcere enim eſt, quaſi
mori ſub miſeria vitæ, mortem exſpectare continue.
*Sene. in ep. 55.* Quotidie morimur, quotidie demitur aliqua pars
vitæ: & cum creſcimus, vita decreſcit: Memento
*Eccl. 14. b* quia mors non tardat. De miſerijs huius mundi
*Bernar. in ſer. de Aſc. Dom. to. 1. ſer. 6. b* Bernardus: Mundus eſt, vbi malitiæ plurimum, ſa-
E pientiæ modicum, vbi vitioſa omnia, lubrica, opaca,
obſeſſa laqueis peccatorum, vbi periclitantur ani-
mæ, affliguntur ſpiritus, vbi tantum vanitas eſt, &
afflictio ſpiritus. Sed à conſideratione huius miſe-
riæ nos auertit concupiſcentia mundi ſophiſticatrix
mentium: ſophiſticando enim ſuas viles merces, oc-
cultat onera ſub honoribus, pericula ſub dignitati-
bus, dolores ſub delicijs, languores ſub diuitijs. Vnde
ſic ſunt reſperſa amaritudinibus omnia, quòd dili-
genter examinata, plus habent de triſtabili, quàm de
*4. Reg. 9. f* delectabili. Hoc optime figuratum eſt lib. Regum:
quia ibi dicitur, quòd Iezabel depinxit oculos ſuos
Iezabel q.d. F ſtibio. Iezabel interpretatur fluxus vanus, vel ſter-
quilinium, & ſignat mundum, qui nihil eſt, niſi qui-
dam fluxus vanitatis, & vilitatis: qui tunc ſtibio ocu-
*†Plat. li. de animi immortalitate.* los ſuos pingit, cum dolores, anguſtias, amaritudi-
nes, quaſi pingens coloribus, ſophiſticis delectatio-
nibus ſuperinfundit.
Tertio, recordemur in contemptum peccati, obi-
tum horribilem. †Nam ſecundum Platonem, ſumma
*a Eccl. 7. d* philoſophia, eſt aſſidua mortis meditatio. [a] In omni-
*† Bern. in ſer. de primord. med. & nouiſſ. to. 1.* bus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æter
num non peccabis. † Quod pertractãs Bernardus ait:
Nouiſſima tua ſunt, mors, iudicium, gehenna. Nihil
morte horribilius, nihil iudicio terribilius, nihil
gehenna intolerabilius cogitanti. Ad perfectum
A ergo contemptum peccati, & ſi multis annis vixerit
homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminiſſe
debet tenebroſi temporis, & c. Sed à conſideratio- *Eccl. 11. c*
ne mortis auertit concupiſcentia vitæ, alienatrix mẽ-
tium: †Vna eſt cathena, quæ alligatos omnes nos te- *†Sen. epiſt. 101.*
net: ſcilicet amor vitæ: † Non eſt quòd mors timea-
tur, ſtultius enim nihil eſt ſecundum ipſum, quàm *† Sen. epiſt. 24. & 55.*
timore mortis mori. Eſt tamen cum diligenti diſpo-
ſitione certitudinaliter exſpectanda. † Vnde: Incer *† Sene. epi. 101.*
tum eſt, quo te loco mors excipiet: itaque tu illam
omni loco exſpecta.
Circa ſecũdum principale, proponit nobis in ſpe-
B culum intelligentiæ, reatum obligationis, cum addit:
*Vinctorum.* Attendendum igitur eſt, quòd ſicut vin-
cula duriſſimi carceris auferunt facultatem operan-
di, libertatem ambulandi, poteſtatem libere agendi,
& inferũt neceſſitatem tolerandi: ſic animabus pur-
gandis carcer purgatorij reddit meritum impoſſibi-
le, iugum ineffugabile, debitum inſolubile, incen-
dium intolerabile. Hæc autem quattuor de iſtis vin-
ctis, comprehenduntur vnico verſu pſalmi: Sedentes *Pſ. 106. a*
in tenebris, & c. Tenebræ impediunt operationem,
vincula euaſionem, mendicitas ſolutionem, ferrum
inducit afflictionem.
C Primo igitur attendendum eſt, quòd ſedentes in
tenebris purgatorij, non poſſunt mereri, poſſunt ta-
men per merita iuuari: membra enim vincta, cum
non ſint mortua, ſicca, vel paralitica, poſſunt recipe-
re corporis influentiam, licet non poſſint rependere
adminiſtrationis officium. Hoc autem fit, iuſtitia
Dei benignitatem reſpiciente, quia deceſſerũt in gra
tia, & miſericordia indulgente, quia non poſſunt ſe
iuuare per propria. Ideo Saluator conſulit: Operari *Ioan. 9. a*
oportet dum dies eſt: veniet nox, quando nemo po-
terit operari. O negligentia noſtra: videmus nos
incarcerari, & negligimus operari, vt poſſimus per
D opera liberari. Propter hoc reprehendit nos Sa-
piens: Quodcunque poteſt manus tua, inſtanter ope- *Eccl. 9. c*
rare. Ergo dum tempus habemus, operemur bonũ *Gala. 6. a*
ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei:
Tempus ſeminandi, eſt pręſens vita, in qua currimus.
In hac licet nobis quod volumus operari: cum vero
tranſierit, operandi tempus aufertur. Signanter au-
tem addit: Maxime quo ad domeſticos fidei. Licet
enim ſuffragia omnibus iuſtis indigentibus proſint,
maxime tamen his, pro quibus ſpecialiter fiunt. Si
enim charitas gradus habens, opus informat, & in-
tentio ordinat, certum eſt quòd non fruſtratur in-
E tentio, & deuotio ſatagentis. In perſona horum me-
reri potentium clamat Apoſtolus: Mementote vin- *Coloſ. 4. d*
culorum meorum.
Secundo, attendendum eſt iugum ineffugabile,
propter quod dicuntur vincti. Omnes enim aſtricti
tenentur ex decreto diuinæ iuſtitiæ, donec reddide-
rint nouiſſimum quadrantem. Cuius ratio eſt, quia *Apoc. pe. g*
in ſupernam Hieruſalem nihil inquinatum intrare
poteſt: Impoſſibile eſt animam intrare regnum glo-
riæ, quamdiu habet aliquid purgandum. Hoc fi-
guratum eſt lib. Regum, vbi dicitur: Malleus, & *3. Reg. 6. a*
& ſecuris non ſunt audita in ædificatione templi:
F prius enim quadrabantur & dolabantur lapides & li-
gna in libano, & poſtea collocabantur in templo: ſic
lapides viui neceſſario in hac vita quadrantur, & po-
liuntur merito, vel poſt hanc vitam igne purgatorio,
antequam ſuperædificentur in cælo. Ille igitur ſolus *Pſal. 67. a*
educit vinctos in fortitudine, & poteſt liberare; nos
autem poſſumus procurare, & elemoſynis & oratio-
nibus impetrare. Sancta ergo, & ſalubris eſt cogita- *2. M. 12. g*
tio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.
O mirabilis cęcitas: permittimus, immo procuramus
nos ligari funiculis peccatorum, & per conſequens,
iugo pœnæ, & nolumus ſoluere vincula colli noſtri,
donec facti ſimus impoſſibiles ad ſoluendum. Ideo
clamat Iſaias: Solue vincula colli tui, captiua filia *Iſa. 52. a*
 Sion.

Sion. Præueniamus ergo iſtam neceſſitatem faciendo dignos fructus pœnitentiæ, nec præcludamus nobis libertatem ingreſſus ad regnum. **A**

Tertio, attendendum eſt debitum inſolubile: vnde dicit: *Mendicitate*. Nam manente reatu peccati, & deficiente moneta meriti, non poſſunt ſoluere quod ab eis exigitur, niſi per violentiam ſupplicij. Et dignum eſt, quòd quidam, cum otiantur tempore *Prou. 10.a* vbertatis mundi, egeant tempore neceſſitatis. Qui ſtertit in æſtate, filius confuſionis eſt. O qualis & quanta mendicitas. Mendici ſunt, & tamen mendicare non licet, niſi quòd pro eis mendicans Eccleſia *Iob 19.d* clamat: Miſeremini, miſeremini, &c. licet Grego- **B** *Greg. dial. 4. to. 4. c. 55* rius concedat quòd aliqui ex priuilegio ſpeciali obtinuerunt ſuffragia per ſeipſos: quod eis diſpenſatiue indultum eſt ad procurandum propriam liberationem, & propter noſtram inſtructionem. Quanto igitur mendicitas maior eſt, tanto in ſubueniendo *Aug. to. 4. lib. de cura pro mort. gerenda. c. 3. b. c. d.* pietas virtuoſior debet eſſe. Dicit Auguſtinus: Curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompæ exequiarum, magis ſunt viuorum ſolatia, quàm ſubſidia defunctorum: & tamen ſecundum Auguſtinum ibidem, Tobiam ſepeliendo mortuos, Deum promeruiſſe, teſte Angelo, demonſtratur. Si igitur curam ſepulturis impendis, quæ in quantum huiuſmodi, pa- **C** rum poteſt prodeſſe defunctis, eſt tamen tanti meriti, quantum meritoria eſt illa pietas, illos iuuare, qui iuuare ſe non poſſunt, vt illos expeditos à vinculis, poſtmodum habeamus interceſſores in cælis. ſecun- *Aug. to. 10. ſer. 35. de Verbis Apoſtolis. l* dum enim Auguſtinum: Non eſt negandum, defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis Mediatoris ſacrificium offertur. Hæc eadem ſententia ponitur in Gloſſa.

Quarto, attendendum eſt ſupplicium incomparabile, quod ſignatur in ferro. In perſona horum dixit *2. Pa. vlt. c* Manaſſes: Incuruatus ſum vinculis ferri: Grauior *Aug. to. 4. lib. de vera & falſa pœnit. c. 18. c* eſt purgatorius ignis, quàm quidquid poteſt homo **D** pati in vita iſta. Vnde eſt igitur, quòd tanta pœna in momento non expiat peccatum? [a] quoniã miſericordia ſuperexaltat iudicium: ſi enim ſuppliciũ *[a] Iac. 2. c* ſtatim non purgat omne peccatum, illa pœna eſt parum ſatisfactiua, licet multum ſit acerba, quia magis eſt iuſte inflicta, quàm ſit ſponte aſſumpta. O ſumma peruerſitas: recuſamus facere pœnitentiam, trepidantes timore, vbi non eſt timor: & illa horrenda ſupplicia paruipendimus, in quibus Deus armauit *Pap. 5. d* creaturam ad vltionem inimicorum! Niſi forte aliquis datus ſit in reprobum ſenſum, vt non credat ſe viuere poſt hanc vitam, ſicut quidam ex proprio **E** intellectu, & ex dictatu propriæ rationis, ſe concludunt mortales, tanquam eſſent, conuincunt irrationales. *Tanquam igitur & ipſi vincti, mementote vinctorum*, ne nos veniamus in hunc locum tormento- Exemplũ. rum. Exemplum eſt Machab. dicentium: Nos ergo *2. Macha. 12. b* in omni tempore ſine intermiſſione memores ſumus veſtri in ſacrificijs, quæ offerimus, &c.

# DE SANCTO MARTINO

## SERMO. **F**

*Eccli. 45. d* IN *bonitate & alacritate animæ ſuæ placuit Deo Iſrael*. Loquens Eccleſiaſticus, acta Patrum præcedentium, & ipſorum opera noſtris auribus ingerens, inter Patriarchas, Prophetas, Sacerdotes, & Reges, hoc ad commendationẽ Phinees dixit, vel intulit, cuius conuerſatio teſtimonium magnæ laudis aſſumpſit: & poſt competit beatiſſimo Martino, cuius hodie memoriam celebramus.

In quo commendatur, Primo, vt virtuoſus in innocentiæ venuſtate, cũ dicit: *Bonitate*. Bonitas enim **A** ſubiectum & obiectum virtutis eſt, & ideo ipſi virtuti eſt neceſſaria, vt nihil ſit virtuoſum, niſi in quantũ bonitatem participat. Propter quod dicit Auguſtinus: Virtus eſt bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nemo male vtitur, qua Deus in nobis nõ ſine nobis commendatur. In hac Martinus tantum profecit, vt in omni ſtatu ſemper ad maiora aſcenderet. Nam bonus fuit in ſtatu militari, melior in habitu monachali, ſed optimus in cathedra pontificali.

Secundo, vt gratioſus iuſtitia ſiue lætitia delectante, cum addit: *Et alacritate animæ ſuæ*, id eſt, ſecuri- **B** tate conſcientiæ, qua nihil homini iucundius eſſe poteſt ſecundum illud: Non eſt oblectatio ſuper cor- *Eccli. 30. e* dis gaudium. Vide quanta iucunditas eſt ſemper in bono proficere, & criminis infectione carere, inter hoſtes viuere, & nihil hoſtilitatis habere, &c.

Tertio, vt generoſus amicitia ſiue notitia ſublimante, cum additur: *Placuit Deo Iſrael*: vt ſic merito dicamus de eo illud: Placens Deo factus eſt dilectus, *Sap. 4. b* & viuens inter peccatores, translatus eſt. Dicit igitur: *In bonitate, &c.* cum malum per oppoſitum priuet bonum, quia contrarium malum bono, ſicut di- *Eccli. 33. b* citur in Eccleſiaſtico.

**C** Ideo, vt clareat bonitas virtutis, ac ex ſeipſa ſe nobis amabilem, & deſiderabilem reddat, ordinemus contra ipſam ex oppoſito malum, quatenus oppoſita *Ariſt. to. 7. Proble. ſect. 22. tex. 11.* iuxta ſe poſita, pulchrius eluceſcant; propter quod ſcire debemus, quòd bonitas circuit omnes virtutes, ſicut per oppoſitum malitia, omnia genera vitiorum: & ideo quanto nobilior & perfectior, tanto in pluribus reperitur, & à pluribus indigetur, videlicet in ſubiectione, humilitas reuerentiæ: in compaſſione, pietas conſcientiæ: in conuerſatione, integritas continentiæ: in refectione, ſobrietas temperantiæ: in reſponſione, virilitas ſiue longanimitas patientiæ: in **D** affectione, charitas amicitiæ: in operatione, ſtrenuitas prouidentiæ. Humilitati obuiat malum, quod dicitur faſtuoſitas arrogantiæ: pietati, cupiditas auaritiæ: caſtitati, fœditas petulantiæ: ſobrietati, voracitas gulæ: virilitati, animoſitas iracundiæ: ſtrenuitati, tepiditas negligentiæ. Et ſic patet.

Primo, complectitur bonitatem in ſubiectione, humilitas reuerentiæ. Nam ille perfecte bonùs eſt, qui non timet animo, non tonat verbo, non recalcitrat facto, ſed in omni re ſe ſubijcit propter Deum, ſecũdum illud: Qui bonus eſt, hauriet à Domino gratiã, *Prou. 12. a* ſupple, iuſtificationis. Hæc eſt illa gratia, quæ ſola **E** reſpicit, & cognoſcit humilia, ſola dignificat, & extollit ad ſumma, de qua loquitur Eccleſiaſticus dicens: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & *Eccli. 3. c* coram Deo inuenies gratiam. Hanc humilitatem Martinus verbo, & exemplo firmauit, & contra conſuetudinem Magnatum, non ſolum ſuperioribus ex officio paruit, ſed quod eſt mirabilius, ſubiecto ſibi famulo ſe humilitate ſubiecit. Vnde in Legenda ſua *Sur. to. 6. c. 1. die 11. Nouemb.* dicitur, vno tantum ſeruo, comite, contentus erat, cui verſa vice dominus ſeruiebat, &c. Pudeant igitur, qui in honoribus conſtituti, humilia dedignantur, cum humilitas in homine honor ſit honoris, & di- **F** gnitas dignitatis, vt dicit Bernardus. Propter hoc poterat Martino à Domino dici illud, quod legitur in lib. Regum: Beatus es tu, & bonus in conſpectu meo *1. Reg. 29. c* exitus tuus, & introitus tuus mecum eſt, & non inueni quidquam mali. Sed non places Satrapis, id eſt, ſuperbis. Et ideo huic obſtat malum, quod dicitur faſtuoſitas arrogantiæ, de qua: Qui diligitis Domi- *Pſal. 96. b* num, odite malum, ſupple, ſuperbiæ: quia odibilis coram Deo, & hominibus eſt ſuperbia. *Eccli. 10. a*

Secundo, in compaſſione pietas conſcientię, de qua dicit Sapiens: Noli prohibere bene facere, ſed ſi va- *Prou. 3. c* les, & ipſe benefac. Et ideo ignorantibus, vel forte contemnentibus pietatem dicitur: Indicabo tibi, ho- *Mich. 6. b* mo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique



vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam. **A** *Tob. 7. b* Ex hoc bono commendatus eſt Tobias, qui pauperes vicinos vocauit ad prandium, afflictos conſolabatur eloquio, & mortuis ſollicite ſepulturam exhibebat. Propter quod dictum eſt filio Tobiæ: Filius boni & optimi viri es, bene ſit tibi fili mi. Hanc bonitatem habebat Martinus, qui, vt dicitur, ſtudebat aſſiſtere laborantibus, opem ferre miſeris, alere egenos, veſtire nudos, nihilq. ſibi prçter quotidianum victum re- Exemplũ. ſeruans. Exemplum de paupere, cui dimidiam chlamydem, vel veſtem, ſe nudato, dimiſit. Propter quod ponderator operum, & retributor virtutum dixit: Martinus adhuc cathecumenus hac me veſte conte- **B** *Prou. 11. c* xit. Et ideo recte poteſt dici de eo illud: Benefacit animæ ſuę vir miſericors, qui autem crudelis eſt, propinquos abijcit. Propter quod huic obſtat cupiditas *1. Ti. vlt. b* auaritiæ. Radix omnium malorum, eſt cupiditas: hanc amant & exquirunt, qui non cupiunt regnare *Mich. 3. a* cum Chriſto. De quibus dicitur: Odio habuerunt bonum, & diligunt malum, qui violenter tollunt pelles eorum, deſuper eis carnes eorum, &c.

Tertio, in conuerſatione integritas continentiæ. Et hæc eſt puritas illa, quæ relucet in his, qui diligunt corporis, & animæ venuſtatem. De qua dicit Apo- *1. Cor 7. b* ſtolus: Bonum eſt homini ſi ſic permanſerit, ſicut & **C** ego: ſupple, virgo, & caſtus: cuius proprium eſt non ſolum actum cohibere, ſed appetitum reſtringere. Hanc puritatem habuit Martinus, qui, vt dicitur, integer ab his vitijs fuit, quibus genus hominum implicari ſolet; vt Regis per innocentiam poſſet complacere conſpectui, cuius contubernium diligebat. Ratio- *Sap. 8. c* ne cuius dicere poterat illud: In multitudine videbor bonus: ſcilicet ſublimitate animi continentis; in bello fortis, diuturnitate meriti præualentis. Hæc enim duo ſunt in quolibet continente, ſcilicet ſublimitas animi in aſpernatione deſiderij laſciuiæ, & diuturnitas meriti in conſummatione prælij conſur- **D** *Aug. to. 10. ſer. de tempore. 251.* gentis. Nam, vt dicit Auguſtinus, Inter cetera Chriſtianorum certamina, duriora ſunt prælia caſtitatis, vbi quotidiana pugna, ſed rara victoria. Huic opponitur fœditas petulantiæ, quæ fœdat naturam, exterminat gratiam, deprauat & deordinat conſcientiã, *Matt. 12. c* de qua Dominus dixit: Malus homo, de malo theſauro cordis ſui profert malum. Ex corrupta conſcientia non niſi corrupta opera generantur. Propter hoc malum Deus mundum diluuio peremit: *Geneſ. 6. b* Sicut patet: Vidit Deus quòd cuncta cogitatio cordis humani intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum hominem feciſſe ſuper terram, &c.

Quarto, in refectione ſobrietas. de qua dicitur: *Tob. 12. b* Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere, quia per orationem reficimur ſuauitate contemplationis, & per ieiunium afficimur puritate, & alacritate. Ad deuotionis eleemoſynam faciendam notatur votiua promiſſione retributionis oratio. vnde media inter iſtas ſocias conſtituta volat duabus alis ad cælum, vt tantum nouerit carnalia blandimenta, propter æternas delicias faſtidire. Propter hoc Auguſtinus: Pedes enim noſtri quidam animæ pernices ſunt, fides atque ieiuniũ. Qui cito de humilioribus, ad altiora aſcendunt, cito de terrenis ad cæleſtia gradiuntur. Hæc bonitas in Martino præſtanter refulſit, qui, vt dicitur, peruigil in oratione, faſtidientes artus ſpiritui ſeruire coge- *Ro. 14. d* bat, conſiderans illud Apoſtoli: Bonum eſt homini non comedere carnes, & non bibere vinum, in quo frater tuus offendatur, iudicij temeritate, aut infirmetur ſua fragilitate. Huic bono obſtat voracitas gulæ, quæ hodie regnat in multis, qui in ventris ſaturitate ſuam gloriam poſuerunt. De qua dici- *Rom. 14. d* tur: Malum eſt homini, qui per offendiculum manducat: malum quidem, quia non poſſunt mentales delicias cum carnalibus poſſidere. Secundo, quia ſcandalizat proximum.

**A** Quinto, in reſponſione longanimitas patientiæ, quæ præcipue in aduerſitatibus, & contumelijs comprobatur. De qua: Noli vinci à malo, ſed vince in *Rom. 12. d* bono malum: quaſi diceret: tunc vinceris, cum iraſcendo recalcitras: tunc præuales, cum contumelias obmuteſcendo relaxas. Et ſi ille putet ſuperaſſe, gaudeas in malis ſilentium poſuiſſe, ſecundum illud: His quidem, qui per patientiam boni operis *Rom. 2. b* gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam reddet. Hanc bonitatem Martinus exercuit, qui dure increpatus à principe, nulla fractus aut mutatus iniuria, moderate reſpondens, pa- **B** tientiæ meritum non perdidit, ſed ſeruauit. Et ideo iturus ad Chriſtum, poterat proferre ſecurus illud Ezechiæ: Memento quæſo Domine, & obſecro, *Iſa. 38. a* quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. Sed huic bono obſtat animoſitas iracundiæ, de qua: Semper iurgia quærit malus: Angelus au- *Prou. 17. b* tem crudelis mittetur contra eum. Sequitur: Qui *Ibid.* reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius. Huius culpa oſtenditur maxima, quoniam per ipſam deſtruitur, & vitiatur imago diuina. Vnde Gregorius: Quanta ſit iracundiæ culpa, penſemus, **C** per quam omnis manſuetudo amittitur, ſupernæ imaginis ſimilitudo vitiatur.

Sexto, in affectione charitas amicitiæ: per hanc enim omnis virtus perficitur, de qua dicitur: Ami- *Eccli. 6. b* co fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio argenti & auri, contra bonitatem fidei illius. Hanc bonitatem perfecte oſtendit Martinus, qui inter ſpem amoremq. poſitus, dubitabat pene, quid mallet: quia nec Eccleſiam Chriſti deſerere, nec à Chriſto volebat diutius ſeparari, attendens illud: Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita ter- *Pſal. 36. a* ram: & paſceris in diuitijs eius. Hæc eſt virtutum **D** nutrix, hæc eſt bonorum omniũ conſummatrix. Vnde ſicut ſolis radius terram germinare facit, & alia virtute caloris membra fœcundat corporis; ſic amor diuinus, ſi mentem incenderit, ad innumerabilia opera ſe extendit, vt dicit Auguſtinus. Sed huic bono obſtat peruerſitas inuidiæ, de qua dicitur: Qui per- *Prou. 27. d* uerſi cordis eſt, non inueniet bonum. Nam propriũ eſt inuidiæ, etiam aliorum bonis anxietate torqueri, ſicut amicitiæ per oppoſitum in bonis iucundari. Propter quod: Nequam eſt oculus liuidi, & auertens *Eccli. 14. a* faciem. Et poſt: Oculus malus ad mala, &c.

Septimo, in operatione ſtrenuitas prouidentiæ. **E** Et hic eſt, qui ſemper oculum habet ad præmium dicens illud: Bonum autem facientes, non deficiamus, *Gala. vlt. b* tempore enim ſuo metemus: quaſi diceret: Sicut multiplicatio operum, ſic perceptio præmiorum: illa ſeminantur in via, iſta metuntur in patria. Propter quod dicitur: Bonorum laborum glorioſus eſt *Sap. 3. d* fructus. Hæc bonitas fuit in Martino, † & ideo plenum bonis operibus in cælum Angeli cantando tulerunt, ſicut ſanctus Seuerinus Colonienſis Epiſcopus aſpexit, & audiuit. Hinc Martinus: Et in ſuo tranſitu dæmoni aſtanti reſpondit: Quid hic adſtas cruenta beſtia? nihil in me, funeſte, reperies. Pote- **F** rat igitur illud dicere: [a] Puer eram ingenioſus, id eſt ſtrenuus in operando, & ſortitus ſum animam bonã boni operis meritum continuando. Sed huic obſtat tepiditas negligentiæ, de qua: [b] Multam malitiam docuit otioſitas: Vnde ſeruo pigro flagellum in vltionem ſeruatur. Hoc enim multiplex bonum debemus amplecti, cum odio & fuga mali oppoſiti, ſecundum illud: [c] Odientes malum, adhærentes bono: & quare, certe quia [d] procedent, qui bona fecerũt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.

*† Ex Sur. to. 6. die 11. No. cir. fin. hiſto. & Vit. S. Martini per Seuer. ſulpitium eiuſdem Sancti Diſcip. conſcripta.*

*[a] Sap. 8. d*
*[b] Eccli. 33. d*
*[c] Rom. 12. c*
*[d] Ioan. 5. e*

# DE S. ELISABETH

## SERMO.

[*Iudith 8. a*] [*Hæc Eliſabeth fuit Regis Hungariæ filia, quæ obijt anno Dom. 1231. die 19. Noueb. Ex Legenda Vorag. cap. 164. Ex Sur. to. 6.*]

*HAec erat in omnibus famoſiſſima: timebat enim Deum valde: nec erat, qui loqueretur verbum malum de ea.* Commendatur beata Eliſabeth ſuper perſonam huius viduæ, à perfectione operis. Hæc erat famoſiſſima ex timore cordis. Timebat enim Deum ex teſtimonio oris, nec erat, qui loqueretur de ea verbum malum. B

Quantum ad primum ex tribus acquiritur bona fama: Ex probitate; ſic enim famoſus fuit Rex Dauid, qui interpretatur manufortis: Ex ſapientia; ſic enim famoſus fuit Rex Salomon. Omnes enim deſiderabant audire ſapientiam eius: Ex ſanctitate; ſic famoſus fuit Rex Ioſias. Sed beata Eliſabeth fuit in omnibus his famoſiſſima: famoſa enim fuit ex probitate, quam habuit contra carnem, quam ſubiugauit per cilicium aſperitatis: contra mundum, quem ſubiugauit per eminentiam paupertatis: contra diabolum, quem ſubiugauit per exercitium humilitatis. C [*Iudit. 15. c*] De primo: Confortatum eſt cor tuum, eo quòd caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum alium neſcieris, & ideo manus Domini confortauit te, & eris benedicta in æternum. Maximæ enim fuit auſteritatis. Carnem auſteritate mortificauit: ſpiritum caſtitate. Vouit enim caſtitatem ſiue continentiam in matrimonio, ſi ſuperuiueret marito, † & in iuuentute elegit Beatum Ioannem Euangeliſtam caſtitatis ſuæ cuſtodem. * Vnde cum quidam auunculus ſuus Epiſcopus, vellet ei dare maritum & ipſa renuiſſet; quæſiuit ab ea: Quid feciſſes ſi dediſſem tibi virum vel maritum, & feciſſem te cogi? Reſpondit: Præcidiſſem mihi naſum, & deformaſſem me, ne amplius concupiſcerer. D Quod & nos ad exemplum eius impleamus illud: Quæcunque ſunt pudica, quæcunque ſunt ſancta, quæcunque bonæ famæ, hæc cogitate. Fugiamus ergo eos, de quibus: Quorum viæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum. Vt eruaris à muliere aliena, & c. id eſt, quæ nos alienat à Deo. Et ſecundum Gregoriũ: Hoc eſt vitium, eo quòd ſuperiores, ſiue patres, ſiue prælati, inferiores non corripiunt, ſicut debent, ſimiles Heli, qui filios ſuos, qui dormiebant cum mulieribus, quæ obſeruabant ad oſtium tabernaculi, non corripuit ſeueritate iudicis, aut negligentia patris, dicens: Quare facitis res huiuſcemodi, quas ego audio? Nolite filij mei, nõ enim eſt bona fama, quam ego audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini. E De ſecundo: In omnibus exhibeamus nos, ſicut Dei miniſtros, in omni patientia, in tribulatione, & c. & ſequitur: Per infamiam & bonam famam. Iſta enim miniſtrauit patienter Domino in miniſterio paupertatis. † Cum enim eſſet filia Regis, expulſa fuit à dotalitio ſponſi, poſt mortẽ eius compulſa in paupertate manere vel viuere, in hara porcorum pernoctare, & media nocte veniens ad Fratres Minores, fecit eos cantare: *Te Deum laudamus*, præ gaudio paupertatis inuentæ. F Hæc confundit eos, qui paupertatem vouerũt, & eidem libellum repudij porrigunt. Et nota quòd dicit, per infamiã, & bonam famam: Hodie enim pauperes Christi infamantur, qui bonæ famæ ſunt apud Deum, dũm à malis hominibus blaſphemantur, & eis moleſtiæ & iniuriæ inferuntur, & detractiones. De tertio: Auribus noſtris audiuimus famam eius. Verba ſunt angelorum famam Iob commendantium.

[*Philip 4. b*] [*Prou. 2. c*] [*Greg. to. 3. par. 3. Paſtoral. cura, ad monit. 5. & par. 2. c. 6.*] [*1. Reg 2. e*] [*2. Cor. 6. a*] [*† Catal. SS. lib. 10. c. 79*] [*Iob 28. d*] [*† Id habet Sur. to. 6. die 19. No. cap. 2.*] [** Legenda SS. ex Vor. c. 164.*]

† Cuius humilitas patuit, cũ vetula, cui benefica fuerat, eam in lutum impulit: & ſignum fuit perfectæ humilitatis corde, & habitu minorum, quẽ, vt potuit, aſſumpſit: ſicut ego ipſe audiui ab eius confeſſore, [*† Cat. SS. li. 10. c. 79. & Legẽda ex Vora. c. 164*]

A & ab eius ancilla, quæ fuerat ſecũ nutrita à iuuentute; quæ tantæ auſteritatis erat, quòd nec panem, nec carnes, nec piſces edebat, nec vinum bibebat, & ſuper tabulas ad dormiendum iacebat. Fuit etiam formoſa in ſapientia: ſapiens enim fuit theſauraria, ſcholaſtica, operaria, & c. De primo: Inuenta pretioſa margarita, dedit omnia ſua & comparauit eam: [*Matt. 13. f*] Non de vilibus, hoc eſt, de temporalibus, ſed de lapidibus pretioſis fecit theſaurum ſuum, hoc eſt, de bonis ſpiritualibus, ſcilicet virtutum operibus. † Vnde ab infantia ludebat pro Aue Maria. [*† Vide Sur. quid hac de re dicat to. 6. die 19. Nou. c. 2.*] Regnum mundi cõmutauit in Regnum cæli: Fama nominis eius creſcebat, & per cuncta ora volitabat. B Vnde ad exemplum eius, multæ nobiles egerunt pœnitentiam, & ingreſſæ ſunt religionem. [*Eſther 9. a*] Conſiderauit enim agrum, & emit illum. Bona enim mercatrix bene ſciuit emere, bene ſciuit vendere. [*Prou. vlt. b*] Emit enim cæleſte regnum, quo nihil eſt vilius, cum emitur: nihil eſt charius, cum poſſidetur. Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor: & cum diſceſſerit, gloriabitur. [*Prou. 20. b*] De ſecundo, ſicut enim Salomoni infuſa eſt ſapientia dormiendo, ſic iſti Beatæ in orando, vt impleretur in ea illud: Viciſti famam virtutibus tuis. Et: Dixit Regina Saba regi Salomoni: Maior eſt ſapientia tua, quàm rumor, quem audiui. [*2. Par. 9. a*] [*3. Re. 10. a*] C Legebat enim in libro conſcientiæ, & conferebat cum Domino orationem, & Deus inſpirabat ſibi ſapientiam ſuam in deuotione. Quod ſignatum eſt in iuuene illo ſcholari, pro quo orauit, & oratione infuſa eũ inflammauit, & ſic inflammatus Ordinem Minorum intrauit: in quo diu, & ſancte vixit. [*Catal. Sanctorum lib. 10. c. 79.*] De tertio patet in eius miraculis: infirmos curabat, mortuos ſuſcitabat, vt impleretur in ea illud: Exiuit fama eius in vniuerſam terram illam. [*Matt. 9. c*]

Fuit etiam famoſa pro religione & ſanctitate ſua. Sancta enim fuit per puritatem reſpectu ſui, per pietatem reſpectu proximi, per charitatem reſpectu Dei. D De primo: Velox apud cunctos fama percrebuit: Hæcine eſt illa inter pulchras pulcherrima? [*Ruth. 1. d.*] Pulchra enim fuit in conſcientia & pura. † Cum enim adhuc eſſet quinquennis, ibat ante altare pſalterium aperiendo, genuflexiones faciendo. [*† Ex Vora. in Legẽda SS. c. 164.*] Et ſicut dicitur: Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea: [*Prou. 22. a*] & propter hanc puritatem contraxit diuinam amicitiam: Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum regem. [*Prou. 22. b*] De ſecundo: Fama bona impinguat oſſa. [*Prou. 15. d*] Erat enim plena pinguedine compaſſionis, quæ irrigat ariditatem mentis, E condonat enim faciliter delinquentibus. Nunquam enim, ſicut lego, inuenitur irata, vel turbata, donabat indigentibus, ſeruiebat impotentibus, vlcera & apoſtemata contrectabat proprijs manibus: Eſurientes alebat, nudis veſtimenta præbebat, & mortuis ſepulturam ſollicite exhibebat. [*Tob. 1. d*] † Et hoc patuit in Hoſpitali, quod ipſa conſtruxit, vbi compaſſionem ſuam per opera pietatis oſtendit. [*† Catal. vbi ſupra.*] De tertio: Fama virtutis eius diffundebatur vbique, quia charitas Dei erat diffuſa in eius corde: [*2. Macha. 8. b*] [*Rom. 5. a*] vt ſcilicet ſoli Chriſto per dilectionem adhæreret, omni alio delectabili ab eo remoto. Nam proprium filiũ F anni & dimidij à ſe elongari fecit, duas ancillas, quas à iuuentute habuerat, ab ea eius confeſſor amouit, poſſeſſionibus omnibus renunciauit. Quia dicitur: Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil reputabit eam. [*Canti. 8. b*] Vnde ergo fuit famoſa in ſanctitate? quia puriſſima in conuerſatione, pijſſima in compaſſione, & ardentiſſima in dilectione.

Sequitur de timore cordis: timebat enim Dominũ valde timore caſto, quo mulier caſta timet, & diligit ſponſum; non ſeruili, quo adultera timet eum. Timendus enim eſt Chriſtus, vt pater pijſſimus, magiſter ſapientiſſimus, Dominus iuſtiſſimus: nos autem filij, diſcipuli, ſerui eius. *Pater*, igitur eſt, qui

nos



[*Pſal. 103. c*] nos vult reconciliare: Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe. *Vt magiſter*, quia vult nos docere, & conſilium dare. [*Eccli. 2. d*] Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua. *Vt Dominus*, quia noſtra habet iudicare mala: ſi ergo Dominus, vbi eſt timor meus? [*Iob 31. c*] Quem timorem exprimit Iob: Quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Dominum, & pondus eius ferre non potui.

Sequitur de teſtimonio oris, cum dicitur: *Nec erat, & c.* Non enim loquebatur illa de aliquo verbum malum, quia nouerat, quòd de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddant rationem in die iudicij. B Et Iacobus: Sic loquimini, & ſic facite, ſicut per legem libertatis incipientes iudicari. [*Iac. 2. b*] Non loquebatur enim ei quis verbum malum, quia non ſuſtinebat, ſed interrumpebat: conſueuerat enim dicere: Vbi non eſt Dominus? quaſi diceret: non deficit, quin habeatur ſemper materia loquendi de ipſo. [*Pſal. 62. b*] Vnde per eam obſtructum eſt os loquentium iniqua. Erubeſcant ergo, qui ſedentes in menſa, detrahunt abſentibus, loquentes quod non decet: [*Pſal. 49. d*] Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Non loquebatur de ea aliquis verbũ malum: quia non poterat. [*Eccl. 20. a*] C Eſt tacens non habens ſenſum loquelæ. Et in ſignum puritatis, ei auiculæ ſuo modo locutæ ſunt in ſepultura eius, cantantes mira dulcedine ſupra locum, vbi ſepeliebatur, & exequiæ celebrabantur. Qui enim locutus eſt in aſina, ad corripiendã Prophetæ veſaniam, loqui potuit in auibus, ad manifeſtandam Sanctæ innocentiam: [*2. Pet. 2. c*] Correptionem habuit Balaam ſuæ veſaniæ, ſubiugale mutum animal in hominis voce loquens.

# DE S. CAECILIA

## SERMO.

[*Pſal. 29. c*] *PRæſtitiſti decori meo virtutem.* Diues, & largus Dominus, magna exhibet ſuis militibus munera: vnde confert eis decorem, vt placeant, & virtutem, qua aduerſarios vincant. Iſta enim duo miro modo perficiunt animam, Dei ancillam, & famulam, ſcilicet decor pudicitiæ, & virtus patientiæ: vt per pudicitiam haberet ſe ad bona, ſed per patientiam fortis fieret contra mala. Vnde in verbo præmiſſo ſancta virgo hæc duo tangit, vnum ex E parte Dei: alterum ex parte ſui. Nam primo tangit Dominicam largitatem, ſecundum quòd accipitur in donante. *Præſtitiſti*, inquit. Secundo tangit ſuam vtilitatem, ſiue muneris quantitatem, ſecundum quòd fuit in accipiente, cum addit: *Decori meo virtutem*. Vel aliter poteſt dici, & in idem redit: videlicet, quòd primo notatur liberalitas Domini tribuentis, cum dicitur: *Præſtitiſti*. ſecundo notatur honeſtas & ſanctitas virginis capientis: cum additur: *Decori meo virtutem*. Verum quia virtus eſt decor animæ, virtus comprehendit decorem, & ideo de ſola virtute ſufficit dicere.

Eſt ergo notandum, quòd indigemus multiplici virtute, quam ſcimus fuiſſe in anima ſanctæ Cæciliæ, videlicet, Virtute pœnitentiæ, virtus pœnitentiæ, eſt animæ purgatiua: Virtute patientiæ, virtus patientiæ, eſt virtus in dubijs directiua: Virtute perſeuerantiæ, virtus perſeuerantiæ eſt virtus in bonis continuatiua. Dico, quòd cum beata Cæcilia indigemus virtute pœnitentiæ, quæ eſt animæ purgatiua. † Vnde habetur in eius Legenda, quomodo ſub veſtibus deauratis cilicium ipſa ferebat, & quomodo carnem ieiunijs edomabat, quæ omnia ſunt opera pœnitentiæ. Ipſa enim ſciebat Apoſtolum Petrum dixiſſe: [*2. Pet. 1. b*] Miniſtrate in fide veſtra virtutem, id eſt, fi- [*† Sur. to. 6. die 21. No. ſub initiũ. & Legẽda SS. Vorag.*]

A dei veſtræ addite opera pœnitentiæ: vel ſicut habetis fidem in corde, ſic pœnitentiam habeatis in opere. Quare credere, & non agere, non eſt aſſecutiuũ vitæ. Fides ſine operibus mortua eſt. Vnde fides non operantium, eſt ſicut fides dæmonum, ipſi credunt, & contremiſcunt. [*Iac. 2. c*] Vnde & beata Cęcilia dicebat ad ſuos: Eia milites Chriſti, abijcite opera tenebrarum, & induimini armis lucis, id eſt, peccata abijcite, & per donum pœnitentiæ virtutes induite.

Secundo, opus habemus cum ſancta Cæcilia virtute patientiæ: quia non prodeſt, ſi pœnitentiam agamus, niſi malis occurrentibus reſiſtamus. B Quid valet carnem frænare, & ſuggerenti diabolo conſentire? † Vnde virgo hæc ſancta tantum fuit patientiæ virtute firmata, vt nulla tyrannorum expaueſceret verba, nulla timeret tormenta, vt patet in eius Legenda. [*† Sur. to. 6. die 21. No.*] Sciebat Apoſtolum ſcripſiſſe: Confortamini in Domino, & in patientia virtutis eius, & induite vos armaturã Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. [*Epheſ. 6. b*] Vera Dei virtus, & armatura, eſt ipſa patientia, qua omnia ſuſtinemus aduerſa. Quæ vnquam galea, vel quæ lorica, quæ ſcuta, quantumcũque fortia, ſunt nos protegẽtia, vt patientia? Sæpe occiditur homo ſub galea, ſed nunquã ſub patientia. Prius enim C potuerunt Martyres capi, verberibus cędi, carceribus macerari, & toto corpore diſſipari, quàm eorum patientia infirmari. Nam & ſanctus ille Stephanus, dum lapidibus quateretur, intantum firmabatur, vt pro lapidantibus Dominum precaretur. Vere ergo ſancta Cæcilia, dum ab hoſtibus premeretur, poterat dicere illud: Domine Domine, virtus ſalutis meæ, obumbraſti ſuper caput meum in die belli. [*Pſ. 139. b*] Sed quis eſt hodie hac virtute armatus? abiectus eſt modo clypeus fortium, vt nulla virtus ſit ad agendum, & omnino nulla ad patiendum.

Tertio, cum beata Cæcilia indigemus virtute D ſapientiæ, qua in omnibus dirigamur, doceamur, & Chriſti aduerſarios confundamus. Hæc enim virgo ſacra ſapientia mira reſplenduit, Chriſtum alijs prædicauit, aduerſarios fidei confutauit, multos ad fidem conuertit, ita, vt tradatur à multis, † quòd ſicut habuit aureolam virginitatis, & effuſionis ſanguinis, ſic habuit & prædicationis. [*† Sur. to. 6. die 21. No. Legẽda SS. ex Vorag.*] Nonne ipſa virum conuertit? Nonne cognatum ſuum rationibus multis ad fidem duxit? De hac virtute dicebat Dominus Apoſtolis: Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. [*Luc. vlt. g*] Hæc enim virtus deſuper data fuit ad illuminandum, ad loquendum, E ad docendum, ad teſtificandum. Vnde dictum eſt: Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes. [*Act. 1. b*] Vnde ad ſignandum iſta, in linguis igneis Spiritus ſanctus apparuit: quia diuina ſapientia maxime in linguis ſe manifeſtat. Vnde Dominus dicebat Apoſtolis: Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri. [*Luc. 21. c*] Sed hodie non eſt ſapientia, non diuina ſcientia, ſed regnat quædam griſonica, & malitioſa aſtutia, ad proximum inuoluendum, ad fallendum, & ad confundendum: Sapientes ſunt, vt faciant mala: bene autem facere neſcierunt. [*Iere. 4. e*]

F Quarto, indigemus cum beata Cæcilia, virtute perſeuerantiæ; vt in bono, quod incepimus, non deficiamus. Quid enim valet optima fundamenta ſupponere, parietes altos erigere, ſed tectum non addere? Verum ſancta Cæcilia bonum, quod incepit, vſque ad finem perduxit, & optima morte concluſit, ſicut Legenda oſtendit. Non enim pro Chriſto mori timuit, quæ de eo Prophetam dicentem audiuit: Qui dat laſſo virtutem, & his, qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. [*Iſa. 40. g*] Quis enim timet, qui talem auxiliatorem habet? Vnde Propheta dicit: Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, Domine virtutum: Beatus homo, qui ſperat in te. [*Pſal. 83. d*]

DE

# DE SANCTA KATHARINA

## SERMO.

*Pſal.67.b* PEnna columbæ deargentata, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Quoniam duplex eſt ſtatus iuſtitiæ: quidam peregrinationis in pugna, per exercitium charitatis: quidam fruitionis in gloria, per deſiderium veritatis; ideo ab iſto duplici ſtatu poteſt beatiſſima Katharina non immerito cõmendari: primo à claritate nominis, quia nobilis: rectitudinis euidentia, cum dicit: *Penna columbæ deargentata*, id eſt, diuinis eloquijs eruditæ. Habuit enim in ſancta conuerſatione rectitudinem iuſtitiæ, pulchritudinem ſapientiæ, & dulcedinem eloquentiæ. Quod patuit in diſputatione, quam fecit, in qua quinquaginta philoſophos oratores ſuperauit, & ad fidem Chriſti conuertit. Nec mirum: nam, vt dicit
*Pſal.11.b* Pſal. Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, &c. Secundo, à dignitate muneris, quia mirabilis: beatitudinis affluentia, cum addit: *Et poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Gloſſa: Poſteriora huius columbæ, id eſt, vltima in ſpecie auri ſplendent: quia poſtquam de mundo exijt, ſuper aurum in charitate lucet, qua nunquam excidit. Dicit igitur: *Penna columbæ, &c.*

Nec mirum, ſi columba fuit, quam Spiritus ſanctus edocuit, quæ virentibus folijs martyrij, ad arcam ſummæ theſaurizationis aſcendit. Sed nota, quòd columba habet quinque proprietates: ratione quarum beata Katharina columba dici poteſt. Eſt enim columba humilis in affectu, & per hoc deſignatur ſimplicitas innocentiæ: lugubris in cantu; & per hoc deſignatur aſperitas pœnitentiæ: mutabilis in viſu; & per hoc deſignatur ſagacitas prouidentiæ: celer in volatu; & per hoc deſignatur obſequioſitas obedientiæ: fertilis in effectu, & per hoc deſignatur fœcunditas continentiæ.

Primo, columba eſt humilis in affectu, ſiue conuictu, † felle enim caret, & ideo roſtro non lædit: prædam non accipit, nec vngulis aues diſcerpit, ſicut dicit Philoſophus: & per hoc deſignatur ſimplicitas innocentiæ, quam Katharina virgo corde tenuit, ore docuit, & opere cuſtodiuit. Et ideo commendatur à ſponſo ſuo Chriſto. [a]Vna eſt columba mea, id eſt, non duplicitate animi, ſed ſimplicitate deſiderij, quia virtutibus, & chariſmatibus, leua ſimplicitate perficitur. Et dicit: [b]Vna eſt matri ſuæ, quia per gratiam regenerata fuit, in ſimplicitate electa, & in electionis merito cuſtodita. Hanc ſimplicitatem Chriſtus ſuis diſcipulis commendauit, vt videlicet, neminem ſimplicitate deciperent, nec doloſitate turbarent dicens: [c]Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. In hoc innuit Dominus, quòd debet eſſe in nobis ſagacitas ſerpentina, vt caput cuſtodiamus; & ſimplicitas columbæ, vt nemini noceamus. Sed heu, hodię quidam perdiderunt ſimplicitatem columbæ, & aſſumpſerunt ferocitatem aquilæ, quæ paruas, & magnas aues ſuo ſubſternit dominio per rapinas, & quas non poteſt contingere roſtro, ſaltem
*Soph.3.a* conturbat imperio. De quibus: Principes eius in medio eius quaſi leones rugientes, iudices eius lupi, & c.

*† Ariſt. in li.8.de hiſt. ani. c.3. de victu colũbarum. De felle autem li.2. de hiſ. anim. c.15. fel non iecori, ſed in teſtino eis ineſſe ait.*

*a Cant.6.c*
*b Ibid.*
*c Mat.10.b*

Secundo, eſt lugubris in cantu, gemitum habet pro cantu: & per hoc deſignatur aſperitas pœnitentiæ, quam hæc virgo ab annis puerilibus mundana contemnens, in ſuo corpore Domino conſecrauit, licet quid fleret, non haberet in opere: faſtigium tamẽ regale contempſit, vt Dominum inueniret. Propter
*Iſa.38.c* hoc poterat dicere illud: Sicut pullus hirundinis, ſic
*Ibid. d* clamabo, meditabor vt columba. Sequitur: Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meę.

A Optimum eſt homini, prius flere delicta, quàm ſentire tormenta. Igitur peccator es, melius eſt tibi lacrymas fundere, quàm perire. Ideo dicit Auguſtinus: Tolle vocem coruinam, & habe gemitum columbinum. Si vero peccator non es, iura nihilominus pœnitentis inuadas, nec cum Phariſæis in ſtultitiam ſeducaris, qui conuertunt aſperitatem pœnitentiæ in dulcedinem vitæ: & talibus reſtat gemitus infructuoſus, periculoſus, & doloroſus, quia gemitus infernalis. De quibus: Rugiemus quaſi vrſi omnes, & quaſi columbæ gememus: ibi erit captiuatio deſolantis anguſtiæ, & murmuratio cruciantis conſcien-
B tiæ. Minabantur gementes vt columbæ murmurantes in cordibus ſuis, &c. *Aug.to.10. ſer.de verbis Domini 16.a* *Iſa.59.b* *Nah.2.b*

Tertio, eſt mutabilis in viſu. Nonies enim viſum amittit, & nonies recuperat, vt dicit Gregorius. Et per hoc ſignatur ſagacitas prouidentiæ, quam hæc virgo oſtendit contra triplicis impugnationis inſultum, ſcilicet, contra concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Propter hoc competit ſibi illud: Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima. Et bene dicit, reſidentes iuxta fluenta pleniſſima: vt in aqua vmbram, vel for-
C mam accipitris intuentes, velocius currant, & fugiãt, & cautius declinent periculum. Dicit igitur Philoſophus, quòd tria ſunt genera accipitris perſequentis columbas. Vnum, quod tantum prædatur in terra ſedentes: alterum in aere volantes: ſed tertium in arbore quieſcentes. Omnia tamen hæc, columba, naturali quadam induſtria, deludit genera: nam ſi vidit accipitrem in aere prædantem, fugit ad terram: ſi prædantem in terra, fugit ad arbores: ſi autem prædantem in arbore, in aere eleuatur. Et hoc deſignat triplex genus tentationis diabolicæ, quo accipitres impugnant Chriſtianam animam, ſcilicet, auaritiæ,
D luxuriæ, ſuperbiæ. Propter quod dicit Hieronymus de agmine columbarum: Crebro accipiter vnam ſeparat, quam ſtatim inuadit, & lacerat, & tunc cruore, & carnibus ſatiatur. Sed quoniam Katharina hæc tria prouidentiæ clypeo deuicit, ideo dicitur de ea: Oculi tui columbarum, id eſt, prouiſiones tuæ. Sed quidam amittunt ſagacitatem prouidentiæ, & perdunt timiditatem conſcientiæ. Vnde dicitur: Efficiemini quaſi columba ſeducta, non habens cor. *Cant.5.c* *Ariſt.to.5. li.9.de hiſ. anim.c.36* *Cant.1.c* *Oſeæ 7.c*

Quarto, celer eſt in volatu. Cateruatim enim progreditur, & nidum ſuum intrando frequentat: & per hoc deſignatur obſequioſitas obedientiæ, quã in
E Sanctis admiratur Iſaias: Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi colũbæ ad feneſtras ſuas? Nam diuino imperio ſubditi volant ad feneſtras ſuas, id eſt, ad cuſtodiam ſuorum ſenſuum, vel examinationem ſuorum operum, vel ad mandatorum legalium executionem, ſecundum illud: Auolabunt, quaſi auis ex Ægypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorum, & c. Quod & hæc virgo imitatrix Sanctorum perfecit, dum oculos viſui, manus operi, pedes greſſui ſpontanea obſequioſitate parauit. Propter quod poterat dicere cum Propheta: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Sed qui-
F dam non habent obſequioſitatem obedientiæ, ſed remiſſionem negligentiæ. De qua dicitur: Et erunt in montibus quaſi columbæ conuallium omnes trepidi. *Iſa.60.b* *Oſeæ 11.d* *Pſal.54.b* *Ezech.7.d*

Quinto, eſt fertilis in effectu, frequenter enim in anno pullificat. Et per hoc etiam deſignatur fœcunditas conſcientiæ, quæ maior eſt iucunditate naturæ. Quia, vt dicit Ambroſius, Non matrimonij onus, non dolor partus, & inde numeroſior ſoboles mentis piæ, quæ omnes pro liberis habet, fœcunda ſucceſſionibus, ſterilis orbitatibus, neſcit funera, nouit heredes. Huic ſoli dicitur: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea. Et nota, quòd vocat eam ſororem, quia coheredem habitatione: amicam, quia fer- *Cant.5.a*



uentem dilectione: columbam, quia fertilem operatione: immaculatam, quia fulgentem proceſſione. Merito Katharina dicta eſt columba nidificans in
*Iere.48.d* ſummo ore foraminis, in vulneribus Chriſti. Ibi enim grandeſcunt mentes, ibi nõ honoribus, ſed vir-
*Cant.2.c* tutibus fœcundantur. Ad quod vocatur: Veni columba mea in foraminibus petræ. Dicitur igitur: *Penna columbæ deargentata.*

# DE DEDICATIONE

## SERMO.

*2. Par.7.c* E*Legi locum iſtum mihi in domum ſacrificij.* Iſta fuerunt verba Domini ad Salomonem, poſt fabricationem & dedicationem templi: & poſſunt eſſe verba eiuſdem Domini ad Epiſcopum poſt conſecrationem eccleſiaſtici habitaculi. In quo duo continentur circa Eccleſiam ad honorem Domini dedicatam: ſcilicet appropriatio dominij, cum dicitur: *Elegi locum iſtum mihi.* Et intentio officij, cum ſubditur: *In domum ſacrificij.* Ideo dicitur: *Elegi locum iſtum mihi:* quia Domus in Eccleſiam conſecrata, debet eſſe ab omnibus prophanis ſeparata, & ritui Dominico deputata: & dicitur: *Domum ſacrificij:* quia ibi quotidie immolatur hoſtia vera, ſcilicet corpus filij Dei.

Hæc Domus pro tanta hoſtia immolanda fit ad conditionem quadruplicem, videlicet, ad inſtructionem laicorum, ad perfectionem clericorum, ad vicinam communicationem ſupernorum, & amotionem ſordium vitiorum. Quantum vero ad inſtructionem laicorum, eſt Eccleſia, domus eruditionis pro audienda prædicatione Scripturarum: domus ſpiritualis, pro poſtulanda impetratione gratiarum: domus exultationis, pro obtinenda refectione animarum in celebratione Miſſarum.

Primo ergo quantum ad inſtructionem laicorum, eſt Eccleſia domus eruditionis, pro audienda prædi-
*Eccli.vlt.c* catione Scripturarum: Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ. Verbum eſt diuinæ ſapientiæ ad laicos, qui dicuntur indocti, eo quòd in diuinis eloquijs non ſunt inſtructi. Iſti appropiant ad ſapientiam increatam, quando tam aurium, quàm cordium præbent audientiam ad prædicatorum eloquentiam. Congregantur in domum diſciplinæ, quando adunantur intra parietes Eccleſiæ materialis, vbi in diebus ſollemnibus tractanda ſunt verba Dominicæ doctrinæ. Qui autem vult plene ad diuinam ſapientiam appropinquare, debet, quando ingreditur eccleſiam, omnes curas ſæculi de ſuo pectore relegare, & pedem affectus ab omni immunditia ſeparare, vt ſit intentus in his, quæ dicuntur, & poſſit ad ea totis vi-
*Eccli.4.d* ribus anhelare. Ideo dicitur: Cuſtodi pedem tuum ingrediens in domum Dei, & appropinqua, vt audias. Ille meretur ad legem ſiue veritatem intellectus appropinquare, qui nouit pedem, id eſt puritatem affectus à ſordibus cuſtodire.

Secundo, Eccleſia eſt domus orationis, pro poſtulanda impetratione gratiarum. De qua dicitur:
*Matt.21.a* Domus mea, domus orationis vocabitur. Loquitur Dominus Iudæis de templo, in quo, quia videbat negotia ſæcularia tractari, facto flagello de funiculis, cœpit vendentes eijcere & ementes. Quia Eccleſia eſt locus orationis, & conſecrationis, non venditionis vel mercationis. Ideo ad hanc Domum debent Chriſtiani vna conuenire in diebus ſollemnibus, & feſtiuis pro gratia Dei impetranda, pro culpa di-
A miſſa diluenda, & pro ſocietate Angelorum habenda. Quia præuenerunt principes, id eſt, Angeli pſallentibus coniuncti, id eſt, in charitate confœderati: & etiam pro pace conſeruanda, quia ibi in Dominicis diebus, & ſollemnitatibus, pacis oſcula ſibi inuicem porrigunt Chriſtiani. Quamuis enim quilibet locus habeat Deum præſentẽ, tamen locus in Eccleſiam conſecratus, eſt ad orationem præcipue eligendus: ſcilicet propter memoriam Crucifixi habendam, propter ſocietatem Angelorum acquirendam, & propter pacem hominum conſeruandam. Vnde: Introibo ad domum tuam, adorabo ad templum
B ſanctum tuum in timore tuo. *Pſal.67.c* *Pſal.5.b*

Tertio, eſt Eccleſia domus exultationis, pro obtinenda refectione animarum in celebratione Miſſarum. Ideo: In domum Domini ibimus, id eſt, in Eccleſia cum lætitia conueniemus, quia ibi celebrantur Miſſæ, in quibus fiunt orationes, obſecrationes, poſtulationes, & gratiarum actiones. Et quia ibi conficitur ſacratiſſimum corpus Chriſti, in cibum & alimoniam mentium deuote intendentium ſacramentalem, ſi recipitur: vel ſpiritualem, ſi deuote creditur. Et quamuis in qualibet Miſſa poſſit Corpus Domini ab audiente ſpiritualiter manducari, tamen
C ter in anno, vel ſemel, videlicet in paſcha, ſaltẽ à quolibet Chriſtiano ſacramentaliter ſumi debet, vt ſic corpori Chriſti myſtico, quod eſt ſancta & vniuerſalis Eccleſia, per ſuſceptionem corporis Chriſti veri poſſit incorporari. Et ſi lætanter in domum conuiuij trahit appetitus corporalis, exultanter certe in Eccleſiam Dei ad receptionem corporis Chriſti debet trahere appetitus ſpiritualis, quia in illo cibo vniuntur caro Chriſti glorificata, & anima beatificata: & diuinitas Chriſti tam carni, quàm animæ indiſſolubiliter ſociata. Secundo ad perfectionem Clericorum eſt Eccleſia dedicata, vt ſit Domus im-
D molationis in oblatione holocauſtorum: Domus benedictionis, in adminiſtratione Sacramentorum: Domus decantationis, in frequentatione pſalmorum, hymnorum & canticorum. Iſta enim tria competunt Clericis in diuino cultu deputatis, quia debent ſeipſos in corpore & in anima Deo totaliter immolare, ſacramenta populo miniſtrare, & Deo laudes continuas decantare; vt ſint in ſe quaſi hoſtiæ immolati, ad proximum obligati, & ad Deum ordinati. Eligant abiecti eſſe in domo Dei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum: Quia beati qui ſic inhabitant in præſenti, quantum ad Eccleſiã
E militantem, in ſæcula ſæculorum laudabunt Dominum in futuro, quantum ad Eccleſiam triumphantẽ. *Pſal.121.a* *Corpus Chriſti quot modis ſuſcipiendũ, & quoties.* *Pſal.83.c*

Primo ergo, quantum ad perfectionem Clericorũ, eſt Eccleſia dedicata, vt ſit Domus immolationis in oblatione holocauſtorũ. De qua dicitur: Introibo in Domum tuam, ſcilicet Domini in holocauſtis. Quod fit, quando Clericus ordinatus in Eccleſia, & per veram continentiam Deo dedicat animã & corpus: Holocauſtum enim erat ſacrificium, quod totũ Deo incendebatur. Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea: Quod fit, quando corde puro, & corpore caſto Deo miniſtrans obſequitur. Vota
F ſua reddit Deo, quia votum caſtitatis ordini ſacro annexum eſt. Si enim eſt Clericus ſcholaris, ſeruare tenetur: ſi vero eſt regularis, vel religioſus & perfectus, votum continentię & caſtitatis, votum obedientiæ & humilitatis, & votum indigentiæ ſiue paupertatis debet profitendo labijs diſtinguere, & toto tempore viuendo ſeruare. Hoc enim dicitur in perſona Clerici tranſeuntis ad miniſterium Dei. *Pſal.65.c* *Holocauſtum quid.* *Pſal.65.c*

Secundo, eſt Eccleſia dedicata, vt ſit Domus benedictionis in adminiſtratione Sacramentorum. Vnde pſalmus in perſona Prælatorum dicit: Benediximus vobis, ſcilicet populis, Sacramenta diuina ſiue eccleſiaſtica conferendo de domo Domini. Deus Dominus, qui eis præbuit auctoritatem præſidentiæ, il- *Pſal.117.d*

luxit

luxit nobis conferendo veritatem ſapientiæ. Nam in A Clericis & Prælatis eſt auctoritas ad conferenda Samenta, & veritas lucet in eis ad tradenda documenta. Tertio eſt Eccleſia dedicata, vt ſit domus cantationis *Iſa.38.d* in frequentatione pſalmorum. Iſaias: Domine ſaluũ me fac, & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini, &c. Hic in iſta auctoritate ad exemplum Ezechiæ informantur Clerici, vt hoc debeant poſtulare, ſcilicet vt ſoluantur ab omni iniquitate, & vt in ſuæ vitæ continuitate laudes diuinas in Eccleſia, in qua ſeruiunt, cantent cum iucunditate: & vt torpor & pigritia procul abſcedat *Pſal.94.a* ab eis. Pſal. exhortando eos, dicit: Venite exultemus Domino, &c.

Tertio quantum ad vicinam communicationem ſupernorum, loquitur diuina Scriptura de Domo in Eccleſiam conſecrata quantum ad tria: ſcilicet quantũ ad diuinam attentionem, quantum ad angelicam protectionem, & quantum ad cælicam apertionem. Nam in Eccleſia eſt diuina attentio ad exaudiendum inuocantes: angelica protectio ad cuſtodiendum adorantes: & ſcalæ erectio ſiue cælica apertio ad introducendum in cælum perſeuerantes. Primo igitur in Eccleſia eſt diuina attentio ad exaudiendum inuocantes, cuius figura prçceſſit, quando Dominus dixit Sa- C *3.Reg.9.a* lomoni: Sanctificaui Domũ hanc, quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erũt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Secundo in Eccleſia eſt angelica protectio ad cuſtodiendum *Zach.9.b* adorantes. Vnde dicitur: Circumdabo, id eſt, defendam, animabo, & confortabo fideliter orantes in ea ab aduerſarijs præſeruans, ne inquinentur Domũ meam, id eſt Eccleſiam militantem: Ex his, qui militant mihi, id eſt per Angelos euntes, ſcilicet in cælum, vt orationes noſtras Deo præſentent: & redeuntes ad ipſos oratores in Eccleſia, vt eos ad ſimilia moneant & confortent. Tertio in Eccleſia eſt ſcalæ ere- D *Gen.28.b* ctio ad introducendum in cælum perſeuerantes: Cũ veniſſet Iacob ad quendam locũ, &c. Vbi oſtenditur *Iacob quid.* Eccleſiæ dignitas: quia per Iacob, qui interpretatur luctator, & ſupplantator, intelligitur Chriſtus, qui luctam in cruce cum diabolo fecit, & ipſum viriliter ſupplantauit poſt ſolis occubitum, id eſt, poſt ſuum tranſitum de mundo ad Patrem: Et vellet in eo requieſcere, id eſt, requieſcere apud nos in Sacramento, tulit de lapidibus, qui iacebant, & ſuppoſuit capiti ſuo, quando conſecrari voluit corpus ſuum in altari: Lapides, & dormiuit in eodem loco. Et ſequitur quòd vidit in ſomnis, hoc eſt, videre facit mem- E bra ſua, & fideles per ſpeculum in ænigmate: Scalam ſtantem, id eſt, Sacramenta: Super terram, quia in Eccleſia conferuntur, & cacumen illius attingens cælum, quia per eam eſt aſcenſus animarum de corporibus exutarum, de mundo ad cælum, de miſeria ad gloriam, de periculo ad ſecuritatem, de morte ad æternitatẽ: Angelos quoque Dei aſcendentes, qui animas exutas ad gloriam deducendo: Et deſcendentes per eam, animas adhuc in corpore degentes, de bono in melius promouendo: Et Dominum innixum ſcalæ: quia per Sacramenta Dominus animam Chriſtianam viuentem in carne protegit, & conſeruat, & F exeuntem de carne perficit, & conſeruat interius, dans efficaciam Sacramentis, quibus ſanatur ægrotantis affectus, & exterius dans luculentiã documentis, quibus illuminatur cæcitas intellectus. Et ſic Iacob, id eſt Chriſtus in ſe certus, & alios certificans, *Gen. ibid.* prorupit in vocem, & dixit: Non eſt hic aliud, niſi domus Dei habitantis per ſpiritualem gratiam, & porta cæli recipientis animas ad æternalem gloriam: & ſicut per ea, quæ in hac domo geruntur, animæ intra cæli palatium aggregantur, ne eis dæmones tentationes immittere poſſint; † ſic defunctorũ corpora intra ſepta Eccleſiæ, in ſacris cœmeterijs tumulantur, ne liceat eis facere illuſiones. Quarto, & vltimo de Domo in Eccleſiam conſecrata, loquitur diuina Scriptura, quantum ad abiectionem ſordium, & vitiorum, quia diuina attentio tam ſpecialiter reſpicit conſecratam vel dedicatam Eccleſiam, angelica protectio tam ſollemniter officiatur circa eam, & quia cælica apertio nobis patet per ea, quæ geruntur intra Eccleſiam; merito nec à Clericis, nec à laicis quibuſcunque ſordibus, quibuſcunque vitijs, quibuſcunque maculis debet talis domus inquinari, ſed ritu conformitatis, puritatis, & etiam corporalis ſpecioſitatis debet celebriter coli, & conſeruari. Debet ergo ab iſta domo ad ſacrificandum hoſtiam laudis à B Domino electam, abeſſe contentio ſuperborum, infectio lubricorum, detentio cupidorum. Primo igitur ab iſta domo debet abeſſe contentio ſuperborũ. Vnde Pſal. In perſona boni clerici ad clericum: In *Pſal.54.c* domo Domini ambulauimus cum conſenſu. Non enim placet Deo plenarie ſollemnitas officiorum, quãdo inter clericos eſt contentioſa conuerſatio, ſed quando ambulant cum conſenſu ex communi victu. Vnde: Non habitabit in medio domus meæ, qui fa- *Pſ.110.b* cit ſuperbiam. Sed tunc habitant in domo Dei, quando ſunt conformes ex communis propoſiti intentione, concordes ad honeſtatem vitæ, vnanimes ad ſpecioſitatem gratię, & tunc domum Dei facit, vnius moris in domo, id eſt vnius conſenſus & voluntatis. Secundo ab Eccleſia debet abeſſe infectio lubricorum, quia non poteſt in domo Dei digne miniſtrare, qui non elegerit immaculatus in via Dei ambulare. Ideo dicitur: Domum tuam Domine decet ſanctitudo, id *Pſal.92.b* eſt, munditia caſtitatis & continentiæ. Perambula- *Pſal.100.a* bam in innocentia cordis mei, in medio domus meę: Requiritur enim munditia, & continentia in eis, qui ferunt vaſa Domini, id eſt, qui Sacramenta miniſtrant: quia res ſacras contrectare manibus ſordidis nõ poſſunt, abſque prouocatione Diuinę ſeueritatis, & diſplicentiæ. Tertio debet ab Eccleſia abeſſe detentio cupidorũ: quia non poſſunt digne in domo Dei ambulare, vel habitare, qui propter auaritiam detinent, & ad vſus proprios retinent & conuertunt res oblatas, datas, deputatas, relictas, & delegatas ad fabricationem Eccleſiarum, ad ornationem altariũ, ad emptionem calicum, & breuiter ad decorationẽ eorum omnium, quæ ad Dei cultum pertinent, ſicut in libris Eccleſiaſticis, & in paramentis Sacerdotum, & ceteris ad ſollemnitatem diuini ſacrificij competentibus. Talis erat, qui dicebat: Domi- *Pſal.25b.* ne dilexi decorem domus tuæ, & locum, &c. Non enim diligit decorem domus Dei, qui pulchrius habet mantile in menſa ſiue in diſco, quàm in altari vel in pulpito: qui pulchriorem habet ſcyphum ad recipiendum corporale poculum, quàm habeat calicem ad ſanguinem ſumendum Dominicum: qui ſpecioſiorem & ornatiorem habet cameram ad iacendũ, quàm habeat cappellam ad corpus Dominicum cõficiendum: qui etiam pulchriorem habet & nitidiorem, & etiam ſecretiorem habet pyxidem ad denarios obſeruandum, quàm habeat in altari capſam ad corpus Chriſti detinendum. Qui autem ſe innocentem debite voluerit conſeruare, ad Domum illam tandem poterit peruenire. De qua: O Iſrael quàm *Baruc.3.b* magna eſt Domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius, magnus & non habens finem, excelſus & immenſus! Iſta autem Domus eſt cælum empyrreum, totum clarum & luminoſum, non alia claritate niſi claritate illius ſacratiſſimæ Trinitatis, vbi continue & indeſinenter habitat, & ‖ inacceſſibiliter in Sanctis ſuis refulget, in quo eſt vniuerſitas Spirituum beatorum, felicitas & tranquillitas, ſiue ſecuritas animarum, & corporum glorioſorum, in quo etiam erit immunitas peccatorum, & exterminatio dæmoniorum. Ad quam Domum nos perducat qui ſine fine viuit & regnat, &c.

*Margin:* † Defuncti cur intra ſepta Eccleſię ſepeliantur. ‖ al. inceſſabiliter

*Finis Sermonum B. Bonauenturæ de proprio Sanctorum.*

S. BO-



# S. BONAVENTVRAE
## EX ORDINE MINORVM
## S. R. E. CARDINALIS EP. ALBANENSIS
## EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS
### Sermones de Sanctis totius anni in Genere, ſiue in Communi.

## DE SANCTIS APOSTOLIS
### SERMO PRIMVS.

*Eccli.43.b* SPECIES *cæli, gloria ſtellarum.* Per cælum recte Eccleſia ſancta intelligitur, ratione triplici. Prima, quia ſicut cælum nobis celat diuina magnalia, ſic Eccleſia celat diuina myſteria, & Dominica ſacramenta. Secunda, quia, ſicut cælum eſt natura nobiliſſimum, & forma ſplendidiſſimum, & figura rotundiſſimum; ſic Eccleſia eſt nobiliſſima, ab eminentia vitæ; eſt ſplendidiſſima, ex veritate doctrinæ; eſt tota ſphærica, & rotunda, ex motu obedientiæ. Tertia ratio, quia, ſicut inter cælos eſt ordo, magni, maioris, & maximi, vt quoddam cælum ſit infimũ, quoddam medium, quoddam ſummum, ita tamen, quòd eſt influentia ſuperiorum in imos, & non inferiorum in ſummos. Eſt etiam ponere cælum, quod eſt creatione primum, quod eſt ſitu altiſſimum, & influentia maximum, ſicut eſt cælum empyreum, quod influit in omnia inferiora, & media, & à nullo ipſum recipit influentiam; ſic & in Eccleſia Dei quidam ſunt prælati minimi, vt parochiales Presbyteri; quidam medij, vt Epiſcopi; quidam maximi, vt Patriarchæ: ex quibus Romanus eſt dignitate ſummus, & influentia maximus, quia in eo eſt plenitudo poteſtatis, eo quòd ipſe auctoritatem dat alijs, & omnibus præcipit, & ipſe à nemine recipit, quia cælo primo per omnia eſt ſimilis. Quid autem per ſtellas datur nobis hic intelligi, quæ factæ ſunt in ornamentum cæli, niſi veri, iuſti, & maximi prælati, vt præcipue ſunt Apoſtoli, qui Eccleſiam ornauerunt, & ſanctitate vitæ, & ſplendore doctrinæ, & opere, & verbo? Sic ergo, propoſitum verbum intelligendo, duo maxime in eo notantur: Primum eſt, ipſius Eccleſiæ ſanctæ pulchritudo. Secundum, ipſius pulchritudinis magnitudo. Nam primo, ſanctam Eccleſiam pulchram eſſe, luculenter oſtenditur, cum dicitur: *Species cæli.* Secundo vero, cauſam ipſius pulchritudinis ſubdit, cum dicit: *Gloria ſtellarum.* Et eſt ſenſus: Pulchritudo omnium eccleſiarum eſt doctrina, & ſanctitas prælatorum, ſicut ſtellæ ſunt in ornamentum ſuorum orbium. Sed nota, in ſtellis recte ſignantur ſancti Apoſtoli, prælati primi, & præcipui, & maxime ratione triplici. Nam in ſtellis attenditur; Primo, naturæ nobilitas; Secundo, ſitus ſublimitas; Tertio, figuræ rotunditas. Nam ſtellæ ſunt naturæ puriſſimæ; ſunt ſitu, & loco altiſſimæ; & ſunt figuræ ſphæricæ, & rotundæ. Sic & ſancti Apoſtoli fuerunt puri, per continentiam; fuerunt alti, per A paupertatis excellentiam; & fuerunt ſphærici, & rotundi, per obedientiam.

Dico primo, quòd ſtellæ ſunt natura puræ, eo quòd lucis abundantia ſunt formatæ. Non enim aliud eſt ſtella, quàm lux aggregata. Vnde, quando *Gen.1.d* Deus lucem à tenebris diuiſit; eius naturam puram eſſe monſtrauit. Tunc enim albedo dicitur eſſe pura, quando de nigredine nihil eſt ei permixtum. Et tunc vinum dicitur eſſe purum, quando ab omni aquoſitate eſt ſeparatum. Igitur ſtella, cum ex luce ſit formata, & nihil habeat tenebroſitatis, vel nulla ſit ei admixta, vt in viſu probat experientia; eſt de B ſui natura puriſſima: quamuis, Deo comparata, dicatur impura. Propter quod ſcriptum eſt: Ecce *Iob 25.b* Luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius, quaſi dicat: Stellæ in ſe ſunt mundæ: ſed ſunt immundæ, diuinæ eſſentiæ comparatæ. Sancti ergo Apoſtoli fuerunt ſtellæ puræ per continentiam, & perfectam carnis, & mentis munditiam. Vnde & Dominus dicebat eis: Qui lotus eſt, non *Ioan.13.a* indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus: ſed vos mundi eſtis, propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Sed quis hodie mundus eſt à ſorde? nec infans vnius diei, cuius vita eſt ſuper terram. Quis *Prou.20.b* C poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Quis poteſt facere mundum de immun- *Iob 14.d* do conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es? Nam ad veram continentiam mentis requiritur, non ſolum, vt contineat ab illicito tactu; ſed etiam ab illicito guſtu, & ab illicito viſu, auditu, odoratu, etiam, quod maius eſt, ab illicito cogitatu, ſicut docet doctor eximius Auguſtinus; Sed, proh dolor, quia ma- *Aug. to.4. lib. de Continẽtia poſt initium.* ior in nobis incontinentia inuenitur, quàm in brutis. Nam videmus, quòd aues obſeruant in generando congruitatem temporis, nec vnquam conueniũt, niſi tempore veris: tunc enim aſſociant ſe, & ſimul D nidificant, ſimul ouant, ſimulq. pullificant, conſimul pullos educant: ſed mox, completo generationis officio, à carnalibus ceſſant, nec vſque ad idem generationis tempus ad ſe inuicem appropinquant. Sed, quis hominum illa facit: quis abſtinet ab vxoribus, ſaltem feſtiuis diebus? immo ſunt multi, quibus ad luxuriam non ſufficit tempus omne, ſed ſunt ſicut *Pſal.31.c* equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. O humana laſciuia! O vana, & deteſtanda carnalitas! quanto maior in brutis, quàm in nobis munditia inuenitur! Nam inter piſces continentia coniugalis *Exemplũ.* ſeruatur; & nullum inter piſces adulterium committitur, cum hoc inter homines non ſeruetur; immo

plures

plures ſunt coitus adulterini,& incæſtuoſi, quàm legitimi; plures contra naturam, quàm opere naturali.

Secundo, ſtellæ ſunt ſitu altiſſimæ: & hoc competit eis ex dignitate. Nam triplicem legimus naturam eſſe, ſicut nobilitate,ſic & loco diſtinctam. Prima eſt natura opaca, quæ maxime apparet in terra. Secunda eſt natura perſpicua: quæ in aere ſe oſtendit,& in aqua. Tertia eſt natura luminoſa, quam habent ſidera,corporaq. cæleſtia. Prima, eſt natura obſcura. Secunda, eſt natura luminis receptiua. Tertia,eſt luminis datiua. Prima,de ſui natura eſt infima: ſecunda,in medio eſt collocata: tertia, eſt in B ſummo conſtituta. Cum igitur ſtella ſit lux, vt dictum eſt, aggregata, debet eſſe in ſummo loco locata. Item conſtat, cælum ſitu eſſe altiſſimum: Altitudinem cæli quis dimenſus eſt? Sed ſtellæ in cælo ſunt poſitæ: ergo in ſitu ſunt altiſſimæ,quia in cælo. Minor patet: Fecit Deus duo luminaria,& ſtellas,& poſuit eas in firmamento cæli. Sic etiam ſancti Apoſtoli fuerunt altiſſimi in cælo per altiſſimam paupertatem,& per affectum plantati, & à terra penitus eleuati, non terrena, ſed ſolum amantes cæleſtia. Vnde etiam dicebat Apoſtolus: Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Propter quod etiam intantum deteſtabantur C terrena,vt excuterent puluerem de pedibus ſuis. Ipſi fuerunt primi,qui,relictis omnibus,ſequuti ſunt Dominum. Non enim, vt dicit Bernardus, expeditum,& pauperem Dominum, ſequi poterant onerati. Sed,quis hodie ſequitur in voluntaria paupertate Apoſtolos? Ieremias: A minimo vſque ad maximum,omnes auaritiæ ſtudent. Amos: Auaritiæ ſuper caput omnium. O vanitas vanitatum, o peruerſio naturarum: quod tibi datur pedibus ad calcandum,tu ei non ſolum ſubijcis caput corporeũ, ſed etiam,quod eſt grauiſſimum, ſubijcis animum, rebus omnibus præferendum. Numquid non contra D naturam eſſet,ſi quis cælum terræ ſubmitteret? Hoc enim facere, eſſet ordinem naturæ peruertere, ſi ei locum ſummum dares, quod ex natura infimũ habet,ſeu tenet. Sed longe eſt nobilior, creatura, tua anima,quàm ſit ſubſtantia cæleſtis. Ergo contra naturam peccas, ſi eam per auaritiam terræ ſubmittas. Quæ enim animalia viuentia de rapina ſic inſudant rapinę,& prædæ,vt noſtri tẽporis homines? Nam leo, accepta præda, quieſcit ad tempus: ſed nunquam quieſcit vſurarius: immo ipſum tempus nocturnum, quod ex natura quieti eſt deputatum, conuertit in computum: qui etiam,ſi quieſcat, vſura E vigilat. dicitur de diuite. Vnde Hieronymus ait: Beſtia nunquam habet memoriam prædæ,niſi fame neceſſitatis vrgente. Tunc enim, cum nimium fameſcit,prædam quærit: qua accepta, mox prædandi perdit memoriam. O confuſio humana,vt non prędetur beſtia fera, niſi neceſſitate vitæ vrgente; & prædetur nobiliſſima creatura,ſola libidine auaritiæ inducente.

*Stella quid.* — *Eccli.1.d* — *Gen.1.b* — *Philip.3.d* — *Iere.31.b c* — *Amos 9.a*

Tertio,ſunt ſtellæ figuræ rotundæ,& ideo ad motum aptiſſimæ. Nam decet, nobiliſſima corpora nobiliſſimam habere figuram. Sed ſtellæ ſunt corpora nobiliſſima,quia ex luce formata,quæ eſt inter F omnia corpora nobiliſſima,& omnium corporum vniuerſalis forma: ergo debent habere nobiliſſimam figuram. Sed figurarum nobiliſſima eſt ſphærica figura,cum ſit ſimpliciſſima,conſtans tantum ex vna linea, ſit capaciſſima, formoſiſſima,ſit etiam perfectiſſima,habens in ſe ſenariam perfectionem. Hæc omnia probantur certa experientia. Ergo conſtat, ſtellarum corpora eſſe ſphærica in figura: quare ſunt ad motum aptiſſima. Corpus enim rotundum valde facile eſt ad motum. Sic & ſancti Apoſtoli toti facti ſunt ſphærici: ad obedientiæ meritum aptiſſimi vſque ad terminos mundi. Vnde de eis propriiſſime dicitur illud: Stellæ dederunt lumen

*Baruc.3.d*

A in cuſtodijs ſuis: vocati dixerunt: Ecce adſumus. In quo perfecta monſtratur obedientia: Nam vocati à Domino, mox,relictis omnibus,ſequuti ſunt eum, vt dicitur. Tantæ etiam obedientiæ fuerunt, quòd nullos gladios timuerunt, nullos reges fugerunt,nullorum ſapientiam formidauerunt; ſed,accepto imperio,omnes angulos terræ penetrauerunt. Pſal. Non ſunt loquelæ, &c. Item, In omnem terram exiuit ſonus eorum. Tantæ etiam fuerunt obedientiæ,quòd non ſolum omnia ſua reliquerunt,ſed ſeipſos,& proprias voluntates abnegauerunt. Sciebant enim, Dominum non ſolum dixiſſe: Niſi quis B renũciauerit omnibus,quę poſſidet,non poteſt meus eſſe diſcipulus, ſed inſuper addidiſſe: Qui vult venire poſt me,abneget ſemetipſum,&c. Nam,ſicut dicit Gregorius: Non multũ laborioſum eſt homini relinquere quod habet; ſed valde laborioſum eſt homini,relinquere ſeipſum. Minus quippe eſt, abnegare quod habet; ſed valde multum eſt, abnegare quod eſt. Quantæ ergo obedientiæ fuerunt, qui non ſolum ſua,ſed ſeipſos, & vitam propriam reliquerunt? Sed,quis hodie eſt,qui,non dico ſeipſum, ſed ſua pro Chriſto relinquat? Magis hodie homines obediunt auro,quàm Chriſto. Vnde in Eccleſia C ſte ſcriptum eſt: Pecuniæ obediunt omnia. O confuſio ſumma! O peruerſio deteſtanda! quia maioris ſunt obedientiæ bruta, quàm rationalia, cum tamen illa à ſuo rege nulla accipiant bona,nos autem à Rege noſtro accipimus omnia naturalia, omnia gratuita,& accipere expectamus æterna. Nam apes, quæ à rege eſſe non accipiunt, ſed eligunt ſibi quem volunt, intantum ei obedientes ſunt,vt ad eius imperium exeant, & ſubſiſtant; vadant,& redeant, & caſtra ponant: &, quod maius eſt, quæ eum offenderit, de ſeipſa vltionem ſumit, & aculei proprij vulnere ſe occidit. Quis hominum iſta facit? Quis D eſt,qui obediat ei, à quo eſſe accepit? à quo ſenſus & intellectum ſe habere ſentit? à quo redemptus tanto pretio fuit,& in eſſe conſeruatur,& ipſius ſola gratia ſubſiſtit? Et tamen dicitur: Gratiam fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris: dedit enim pro te animã ſuam. Quid tibi amplius facere potuit? Nam tibi primo bona naturæ tradidit: Secundo bona fortunæ,naturę auxilium,dedit: Tertio,tibi gratiam contulit: Quarto, vt tibi nihil deeſſet, ſeipſum totum impendit. Ergo ei non obediens eris, cui obediunt cæleſtia agmina? obediunt,velint nolint, dæmonia? obediunt omnia cæleſtia corpora? & obediunt E quattuor elementa? & omnia animalia bruta? Ipſe enim dicit: Quia vocaui, & renuiſtis,extendi manũ meam,& neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo,& ſubſannabo, cum vobis,quod timebatis, euenerit. Chriſtus ergo Ieſus det nobis ſic cum Apoſtolis,puros eſſe,ſic paupertatem amare,& obedire in omnibus præceptis ſuis.

*Matt.4.c* — *Pſ.100.a* — *Luc.14.g* — *Mat.16.d* — *Marc.8.d* — *Luc.9.c* — *Greg.hom. 32. tom.3. non procul à princ.* — *Eccls.10.d* — Exemplũ. — *Eccli.29.c* — *Prou.1.c*

# DE SS. APOSTOLIS

## SERMO II.

*Judic.5.c*

STellæ manentes in ordine ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt. Quanta fuerit in Apoſtolis ſanctitudo, quãta auctoritatis Apoſtolicæ celſitudo, quanta etiam operationis ſtrenuæ fortitudo, quis digne dicat? Nam fuerunt mente ſanctiſſimi,quo ad ſeipſos; fuerunt auctoritate celſiſſimi, quo ad ſubditos; & fuerunt opere ſtrenuiſſimi,quo ad aduerſarios. In verbo enim præmiſſo, à tribus his commendantur: Primo, ab eminentia ſanctitatis,in mente. Secundo, à plenitudine poteſtatis, in ordine. Tertio vero, à conſtantia ſtrenuitatis in opere.



opere. Nam animi ſanctitas notatur,cum dicitur: *Stellæ*. Ordinis Apoſtolici dignitas,& poteſtas notatur,cum dicitur: *Manentes in ordine ſuo*. Operationis eorum virilitas ſequitur,cum ſubditur: *Aduerſus Siſaram pugnauerunt*. Dicamus ergo, *Stellæ, &c.* Tria ſecundum exteriorem apparentiam inueniuntur in ſtellis: quæ valde proprie conueniunt Sanctis Apoſtolis. Nam ſecundum apparentiam ſtellę ſunt paruæ,ſunt pulchræ, ſunt maximæ. Sic etiam Apoſtoli fuerunt. Primo, parui, per humilitatem, in mente. Secundo,fuerunt pulchri, per honeſtatem, in corde. Tertio,maximi,per vnitatis vinculum, in vtroque.

*Stella terrã valde in quantitate excedit.*

Dico primo,quòd ſtellæ quo ad apparentiam ſunt valde paruæ, quamuis ſecundum veritatem ſint maximæ,ita,quòd terram excedere credantur in quantitate. Videntur tamen paruæ propter longitudinem viæ,& maximæ diſtantiæ,quæ eſt inter cælum, & terram. Nam ad ſenſum videmus, quòd maxima corpora, immo maximæ ciuitates, & caſtra non videntur magna in multa diſtantia,& cum incipiunt videri,primo videntur paruiſſima. Vnde in hoc apparet,quòd ſtellæ ſunt maximæ, quia, quocunque per mundum vadas,ad orientem, vel occidentem, meridiem,vel ſeptentrionem,aliquæ eædem ſtellæ in vno loco per te viſæ,in alio loco tibi apparent eiuſdem quantitatis,cuius prius,ſimiliter in eadem diſpoſitione,& in eadem parte cæli,in qua prius (nihil omnino mutatæ inde,ſcilicet à loco) ſicut in polo arctico, & in maiori vrſa, quæ circa illum polum vertitur, contingit videre. Nam,quòd viſus in earum quantitate fallatur,ex hoc aperte probatur,quia,cum ſunt in oriente, ſiue in occidente, licet non ſint à nobis magis remotæ,maiores tamen apparent,quàm quando ſuper nos eſſe videntur. Vnde maior videtur Sol, cum oritur, quàm cum proximior circulo meridiei efficitur. Sunt ergo ſtellæ quantitate maximæ, ſed in apparentia valde paruæ. Sic & Apoſtoli,& Apoſtolici viri omnes ſunt Dei gratia,& virtute, & potentia maximi: ſed modo ſunt minimi,quaſi deſpectiſſimi, & quaſi nulli penitus. Vnde legitur: Stellas claudit quaſi ſub ſignaculo. Res,quæ ſub ſigno clauditur,& ſi magna ſit, non videtur. Quid eſt ergo,ſtellas ſub ſignaculo claudere, niſi Apoſtolos ſic humiles fore,vt non videantur aliquid exterius eſſe? Vnde: Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis,& hominibus: & tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus omnium peripſema. Eſt enim peripſema, purgatura pomi, ſiue limatura ferri. Eſt ergo E ſenſus verbi ſic: Sicut pomi purgatura eſt res abiecta, cunctis viliſſima, porcisq. ſeruata; ſic nos cunctis viliſſimi apparemus, quia humiliter viuimus. Luna enim,quando eſt verſus mundum, eſt tota obſcura,& dicitur eſſe nulla: & tunc verſus cælum, tota eſt luminoſa. Et econuerſo, quando verſus mundũ tota eſt luminoſa,tunc verſus cælum eſt obſcura tota. Et,ſecundum quòd magis,vel minus recedit à Sole, ſecundum hoc,de lumine ipſa perdit. Non enim poſſumus in mundo ſimul & in cælo luminoſi eſſe. Vnde Hieronym. Difficile, immo impoſſibile eſt,vt aliquis fruatur bonis præſentibus, & futuris, & hic ventrem,illic mentem repleat,vt de delicijs ad delicias tranſeat,in cælo,& in terra appareat glorioſus. Si ergo glorioſi volumus eſſe, & volumus ſurſum aſcendere,diſcamus nos humiliare. Nam naturale eſt aquæ,quòd, quanto ab alto eximio monte deſcendit, tanto in parte contraria ſurſum tendit. Nam omne,quod mouetur, mouetur à contrario. Vnde,quod ab oriente recedit,neceſſario verſus occidentem accedit. Et, quæ à terra ſe elongat, cælo neceſſario appropinquat: quia terra à cælo ſumme diſtat. Sed vir humilis in imo ſedet, dum ſe viliſſimum credit: ergò,ſi mouetur,neceſſario ſurſum tendit. Propter quod dicitur: Qui ſe humiliat,exal-

*Iob 9.a* — *1.Cor.4.b* — Peripſema quid. — *Hieron. in Reg. Monachorum de laude Religionis. to.9* — *Luc.14.& 18.b*



A tabitur: & qui ſe exaltat, humiliabitur. Superbus enim,cum ſe in ſummo ponit,cum in eodem ſtatu eſſe non poſſit, neceſſario ad infima tranſit. Omnis enim caſus eſt ab alto in imum. Quare, vbi nullus eſt locus altus,nullus poteſt eſſe penitus caſus. Quanto ſitus eſt altior, tanto caſus eſt grauior. Cum ergo humilis in imo ſe ponit, quòd cadere non poſſit, certus exiſtit.

Secundo,ſtellæ ſunt valde pulchræ. Quid enim pulchrius luce? Si enim abſque luce nihil eſt pulchrũ: quia omne,quod eſt obſcurum,nullis humanis oculis eſt peruium,niſi à luce fuerit illuſtratum; reſtat, B lucem talem eſſe pulcherrimam, quæ exiſtit omnis pulchritudinis cauſa: quia, † Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, vt Philoſophus dicit: Sed nihil aliud eſt ſtella, quàm lux in ſuo ordine aggregata: ergo ſtella de ſui natura eſt pulcherrima. Sic & ſancti Apoſtoli fuerunt pulchri, per vitæ honeſtatem: Fuerunt enim ſimiles ſtellæ illi,quæ dicitur Matutina,quæ,ſtellarum pulcherrima,diei eſt nuncia. Vnde & Venus appellatur, & ſtella Diana, eo quòd ſolis prænuncia,tota eſt radioſa. Vnde quilibet Apoſtolus dicere poterat illud: Ego ſtella ſplendida,ego ſtella Matutina. Et de eis,propter hone C ſtatis vitam, ſecundum Fulgentium exponitur illud Eccleſiaſtes: Species cæli, gloria ſtellarum: quia,ſicut ſtellæ ornant cæleſtem naturam, ſic Apoſtoli ornauerunt ſtatum Eccleſiæ. Vnde aſſimilati ſunt à Domino luci: Vos,inquit,eſtis lux mundi. Quia, ſicut lux eſt tota pulchra, pulchrificans ſua præſentia omnia,nec tranſiens per ſordida, fit immunda; ſic ſancti Apoſtoli ſunt lumina radioſa,totius honeſtatis exemplaria,in nullo penitus ſordida, vel corrupta,ſed à ſordibus alios trahentia. Sed quis honeſtatem habet? debet namque honeſtas radicari in corde,& manifeſtari in ore,& opere, vt appareat in D exteriori habitu, & pulchreſcat in viſu. Nemo honeſtum ſe credat, ſi inhoneſta veſtimenta, vel alia corporis indumenta deferat, ſi inhoneſte incedat, ſi inhoneſta audiat, & ſi inhoneſta libenter videat. Nam, ſicut Auguſtinus dicit,* impudicus oculus,impudici cordis eſt nuncius. Et ſic eſt de omnibus ſenſibus cordi obedientibus. [a] Sic, dicit Dominus, luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona,& glorificent Patrem veſtrum,qui in cælis eſt. O quanta mala faciunt mala exempla,& verba inhoneſta! Sic contra, ad bonum incitant bona exempla,& animant bona verba.[b] Nam & Cygni di E cuntur nidos relinquere,& ad loca proxima deuolare,vt audiant homines cantare, & laborare, & caſdẽ cum hominibus melodias formare. Nam multi ſunt ſimiles ſimiæ, quæ tentat omnia facere, quæ videt operari. Vnde & ſe ‖ ſotularibus calciat,& gladio ducto per guttur ſe iugulat, ſi homines hæc facere aduertat, nec humanas nouit inſidias: hæc enim homines in ſe facere diſſimulãt,vt eam decipiant. Nonne equi ſe exaltãt in prœlijs dum vocem tubæ clangentis intelligunt? Nonne pugiles animantur,dum clamoribus partiũ excitantur? Nonne fiunt ad pugnã milites fortiores, & fortius agitant lanceas, ſtrin F guntq. mucrones, dum voce, pariterq. exemplo ſui principis excitantur? Ex his omnibus manifeſtum eſt,quòd tam ad bonum, quàm ad malum plurima valent exempla, & verba. Eſt ergo peccatum grauiſſimum,verbo,vel opere corrumpere proximum; & omnem vitæ honeſtatem vertere in peccatum, & proximi corruptionem.

Tertio, ſecundum apparentiam, ſtellæ ſunt ſibi proximæ,ſicut patet in ſideribus † galaxiæ, quæ, Philoſopho teſte,ſunt multum luminoſæ,& propinquæ. Eſt enim notabile,quòd ſtellæ,quanto ſibi ſunt viciniores, tanto ſunt pulchriores, & maioris luminis expreſſiuæ. Nam,licet ſtellæ per ſe conſideratæ,ſingulæ ſint pulchræ,tamen ex ſua vicinitate,dum ſibi

*† Ariſt.to.1. li.1. Poſte. Analy.tex.5.* — *Apoc.22.c* — *Eccls.43.b* — *Matt.5.b* — ** Aug.to.1. in Regulis, reg.3.cir. med. to.2. de Regula Monachorũ cir.med.* — [a] *Mat 5.b* — [b] Exempl. — ‖ *Sotularis, vel Sotular, eſt calcei genus à ſolea dictum, vt legitur in dictionarijs. Hac voce iuxta quãdã exẽplaria vſus eſt B. Hieron. lib.1. cõtra Iouin. in fin. nũc vero legitur ſoccus. Sũt qui velint lectã eſſe olim ſocculaxis à ſocco.* — *† Ariſt.li.1. Meteor.c.5 & 6. ſũmæ 2. Galaxia eſt circulus albus, quẽ Græci Galaxiã, Latini vero circulum lacteum: γάλα quippe lac ſignificat.*

ſunt proximæ, non ſolum ſunt pulchræ, ſed etiam valde pulchrę, quia fulgor vnius inſufficientiam ſupplet alterius: vnitas autem, & proximitas, auget in eis claritatem, & virtutem. Cuius ratio aſſignatur multis de cauſis. Quia omnis virtus, quanto magis fuerit vnita, tanto potentior eſt in opus. Vnde virtus duorum hominum ſimul vnita leuat lapidem, quem diuiſa non poteſt mouere. Propter quod & Philoſophus dicit quòd animalia parui cordis ſunt animi fortioris propter maiorem virtutem. Sic & ſancti Apoſtoli per fidem fuerunt ſibi proximi, ideo per vnitatem animi fuerunt in virtute efficaciſſimi. Dicitur enim: Numquid coniungere valebis micantes ſtellas Pleiades? quaſi dicat: Ex hoc, quòd ſibi ſunt proximæ, & coniunctæ, magis ſunt virtuoſæ. Sunt enim Pleiades 7. ſtellæ ſibi proximæ, quæ hiemali tempore apparent & quanto aer ſerenior eſt, & fulgidior, tanto magis diſcernuntur. Quarum vna nec ex toto ſe manifeſtat, nec penitus ſe occultat. Ob hanc cauſam de Apoſtolis dicitur, quòd erat illis cor vnum, & anima vna. Nam & omnia, quæ accipiebant, omnibus diuidebant, prout vnicuique opus erat: ita, quòd non erat egens aliquis inter eos, ſed erant illis omnia communia. Sed, vbi hodie vnitas, vbi pax, vbi rerum concordia, & communitas, immo vbi non diſcordia, vbi non guerra, vbi non propria, nullaq. communia? Quæ ciuitas non diuiſa eſt? quę caſtra non ſciſſa? quæ hominum corda non ſunt mortali odio vulnerata? Proh dolor, dolore tabeſco, quia eſt maior vnitas columbarum, maior ſtruthionum, maior gruum, & anſerum, quàm hominum. Nam illa ſimul vadunt, ſimul comedunt, ſimul terrā petunt, ſimul extra ſe erigunt; &, ſi in terra aliquod bellum geritur, mox ad pacem redeunt, & ſocietatem priſtinam non relinquunt. Sed, qui hominum iſta faciunt, & iniuriantibus parcunt, vindictam non potius expetunt? Vtinam attenderemus verbum Apoſtoli: Quia vnum corpus ſumus in Chriſto Ieſu, ſinguli autem alter alterius membra. Numquid vnum membrum ab alio caſu læſum, laborat ſe vindicare, & non potius vniuerſa condonant? Si enim, cum gaudet vnum membrum, congaudent omnia membra; &, ſi patitur vnum membrum, compatiuntur omnia, ſicut docet Apoſtolus. Vnde, ſiquis cum membro non ſentit, ſignum eſt mortis. Propter quod Bernardus ad quendam ſic ait: Si doles, condoleo; ſi non doles, doleo: ſciens longe à ſalute eſſe membrum, quod obſtupuit, & ægrum non ſe ſcientem periculoſius laborare. Chriſtus ergo Ieſus, ſanctorum Apoſtolorum meritis, concedat nobis cordis humilitatem, vitæ honeſtatem, & mentis vnitatem.

*Ariſt. to. 5. li. 3. de partib. anim. to. 30.*
*Iob 38. e*
*Act. 2. f*
*Ro. 12. b*
*1. Cor. 12. c*
*In epiſt. 2. ad Fulconē in litt. f*

# DE SS. APOSTOLIS

## SERMO III.

*Baruc. 3. d*

*Tellæ autē dederūt lumē in cuſtodijs ſuis.* Inter corporalia aliquid inuenire eſt, quod vtique in ſe lucet; ſed eius, illuminare non eſt: & tale corpus vita non eſt. Eſt & aliud corpus, quod in ſe lucet, & alia illuminat, & alia inſuper illuminare facit; ſed non eſt fons, neque principium, ſicut in alabaſtro oſtenditur eſſe ignis. Eſt & aliud corpus, quod lucet, & illuminat, & illuminare facit; & eſt fons, & principium luminis, ſicut eſt corpus Solis. Quamuis ergo magnum ſit in ſe lucere; eſt tamen maius, ſi poſſet alijs lumen dare, & ſuum lumen extra ſe deriuare. Nam, etſi magnum eſt fonti, in ſe aquas habere, maius tamen oſtenditur eſſe, ſi ſic abundet, quòd ſuperfluum faciat, & in partes alias aquam fundat. Eſt enim magnum, plenitudinem fontis habere, ſuæ ſalutis ſufficientem: ſed maximum eſt alijs dare, quod tamen ſit alijs gratiam impetrando. In verbis ergo propoſitis Apoſtoli commendantur maxime. Primo, ex parte propriæ voluntatis, qua fulgebant in mente. Secundo, ex parte commendabilis veritatis, quam diffundebant proximis in ſermone, vt ſanctitas reſpiciat bonum intra; ſermo veritatis bonum extra; quod eſt alijs proficuum. Notatur ergo primo interior ſanctitas, qua fulgebant, cum dicitur: *Stellæ*. Secundo, notatur exterior liberalitas, quam alijs prædicabant, cum dicitur: *Dederunt lumen, &c.* Neceſſarius ordo eſt, vt homo prius faciat, quod poſtea doceat; vt prius bene iuuet, quàm audeat prædicare. Vnde Apoſtolus: Nihil prædicare audeo eorum, quæ per me non effecit Chriſtus. Et: Cœpit Ieſus facere, & docere. Prius enim fecit, & poſtea docuit. Nam Rhetores ab his duobus Oratorem definiunt: Vt ſit vir bonus, quo ad ſeipſum; & ad docendum arte peritus, quo ad proximum. Dicunt enim, quòd auctoritatem docendi perdere meretur, cuius ſermo opere deſtruitur. Tullius: Caput eſt artis docere, quæ facis. Dicamus ergo: *Stellæ, &c.* Eſt autem hic attendendum, quòd, ſi conſiderentur ſtellæ quantum ad permanentiam, ſunt incorruptibiles, ſunt infatigabiles, & ſunt ineclipſabiles. Sic & ſancti Apoſtoli, fuerunt incorruptibiles, per tolerantiam; fuerunt infatigabiles, per conſtantiam; & fuerunt ineclipſabiles, per perſeuerantiam. Vtinam homo haberet patientiam in aduerſis, conſtantiam mentis in proſperis, ſed & perſeuerantiam pariter in illis.

*Rom. 15. d*
*Act. 1. a*

Dicamus ergo, quòd ſtellæ in ſuo eſſe ſunt perpetuæ manentes: eo quòd ſunt incorruptibiles. Nam, vbi cauſa corruptionis non eſt, ibi corruptio eſſe non poteſt. ſed cauſa corruptionis contrarietas eſt, ſicut in elementatis corporibus patet, quæ, quia ſunt ex elementis, & humoribus contrarijs conſtituta, corruptioni neceſſario ſunt ſubiecta: ſed ſtellarum corpora, cum ſint ſimplicia, non ſunt ex contrarijs conſtituta: ergo non ſunt corruptibilia. Cum enim omnis actio ſit à contrario, vt dicit Philoſophus; vbi nulla contrarietas eſt, ibi nulla actio eſſe poteſt. Vbi autem actio non eſt, nec paſſio, nec corruptio eſſe poteſt: quia omnis paſſio ab actione aliqua eſt ſemper. Item cauſa, quare elementa ſint corruptibilia, eſt ipſa materia, quæ contenta non eſt ſua forma; ſed, cum eſt ſub forma elementi vnius, appetit eſſe ſub forma alterius; quærens ſemper formam, in qua quieſcat appetitus ipſius; quam, quia non inuenit, non quieſcit; ſed ſemper circuit, ſi eam inuenire poſſit. Sic auarus, dum ſatiari cupit, diuitias quærit; ſed, cum ab eis ſatiari non poſſit, ſemper circuit, nec quærere deſinit. Cum igitur in ſtellis ſit nobiliſſima formarum corporalium, ſcilicet forma lucis, totum appetitum materiæ ſibi ſatiat, vt ſub forma alia eſſe nolit: quare illa corpora ſunt incorruptibilia per naturam. Sic & ſancti Apoſtoli fuerunt incorruptibiles per veram malorum tolerantiam, habentes fortitudinem, & patientiam mentis. Sciebant enim, Dominum dixiſſe: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Vnde poteſt illud de eis conuenienter exponi: Videbo Cælos tuos, & opera digitorum tuorum; Lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti, id eſt, ſtabilia eſſe voluiſti, ne vlli cederent paſſioni. Quid hic per cælos ſolidos, non poroſos, niſi ſanctos intelligimus Apoſtolos? Quid per ſtellas ſtabiliter fundatas, niſi eorum in tormentis luminoſas tolerantias? Sed interponitur ibi de Luna, quæ ſignatur Eccleſia, à Chriſto vero Sole illuminata. Nec intelligatur vlla noſtra eſſe patientia, ſi non ſit in fide ſolidata. Fuerunt ergo Apoſtoli in nullo poroſi, ſed ſolidiſſimi, ſicut cæli, nulli cedentes penitus paſſioni. Eſt autem triplex genus patientiæ ſecundum Bernardum: Primum eſt, tolerare iniurias patienter: & hoc eſt omnium ſaluandorum. Secundum

*Ariſt. to. 1. lib. de Prædicam. c. 5.*
*Luc. 21. d*
*Pſal. 8. a*
*Bernar. in ſerm. 2. in Conuerſione S. Pauli infra med.*



dum eſt, tolerare libenter, & hoc genus eſt gratia diuina, & in virtute magnorum. Tertium genus eſt, pati gaudenter; & hoc genere patiendi patiebantur Apoſtoli, quia plus gaudebant in aduerſis, quàm gauderent in proſperis. Vnde dicitur: Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij: quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati. Patientia enim ſola eſt omnium virtutum probatiua. Quia dicit Gregorius: Qualis vnuſquiſque apud ſe lateat; illata contumelia probat. Quia quod fornax auro, quod lima ferro, quod tribula frumento; hoc facit tribulatio viro iuſto. Nonne fornax omne adulterinum ſeparat, ſi adſit in auro? Nonne lima rubiginem tollit à ferro? Nonne tribula paleas ſeparat à frumento? Non enim fornax aurum, ſi purum ſit, minuit, vel corrumpit, vel conſumit. Nec lima ferrum inficit; ſed potius pulchrum facit. Nec tribula granum minuit, vel corrumpit. Sic, & tribulatio Sanctos non vaſtat; ſed roborat, & conſolidat, & confortat. Nam inſula, quamuis vndique vallata eſt ab aquis, vndique perfuſa: non tamen ab aquis corrumpitur; ſed amplius ſolidatur. Incus, quanto magis malleis tangitur; tanto ſolidior inuenitur. Numquam enim apparet, quàm grauis ſit aliquis Sanctus; niſi iniurijs, & verberibus fuerit impetitus. Nam de leone inuenitur, quòd in periculis maxime inuenitur glorioſus. Cum enim venatores venire preſentit, nunquam ſe abſcondit: ſed patenter ſe oſtendit, & in medium campum vadit, & hominibus, canibus, iaculis, ſagittis publice ſe opponit, & contra omnes, quid poſſit, oſtendit.

*Act. 5. d*
*Greg. to. 3. Dialog. lib. 1. cap. 5.*
*Exempla.*

Secundo, ſtellæ ſunt infatigabiles: quia quamuis velociſſime moueantur: in ipſa tamen longiſſima via, & dieta, quam faciunt, nulla fatigatione tenentur: quamuis in eorum curſu nulla omnino quies ponatur: ſed ſine omni murmure, & querela, motu non proprio; ſed motu cæli, ſidera mouentur. Sic, & ſancti Apoſtoli fuerunt infatigabiles per mentis conſtantiam; ita vt à Dei ſeruitio non poſſent auerti. Vnde dicebat Apoſtolus: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? an fames? an gladius? Propterea exponitur de eis illud: Stellæ manentes in ordine ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt. Qui, in Apoſtolatu, quē ceperant Apoſtoli, conſtantes, perſiſtentes, & contra Siſaram pugnantes, id eſt, diabolum, tota conſtantia mentis bellum agentes, moueri à bono propoſito nullatenus potuerunt: ſed ſua conſtantia mundum vicerunt. Nam, ſicut dicit Auguſtinus, Inter omnia miracula hoc mirabiliſſimum fuit, quòd viri abiecti, & viliſſimi, diuitijs nullis ſuffulti, omnino & ſæculi honoribus deſtituti, omnem humanam potentiam deiecerunt, omnem mundi ſapientiam deuicerunt, & omnem mundi multitudinem innumerabilem proſtrauerunt. Nam contra eos, omnes commoti ſunt principes, & tyranni; omnes inſurrexerunt philoſophi, & totus mundus intonuit: & tamen ita conſtantes fuerunt, quòd ad fidem Domini omnes conuerterunt, Deo cooperante, & confirmante ſermonem, ſequentibus ſignis. Sed qui hodie ſunt in mundo, qui ſic conſtantes inueniantur in bono? Sunt enim homines noſtri temporis ſimiles vitro, quod omnē colorem ſuſcipit. Similiter Chamelæon beſtiola parua, diuerſa colorū varietate reſperſa; ad omnes colores, quos videt, faciliter variatur. Luna etiam, cum bonis planetis coniuncta, dicitur eſſe bona: ſed mala ſociata, dicitur quòd cum eis ſit noxia. O quanti ſunt hodie, qui omnino ſunt inconſtantes: arundini ſimiles, quæ cedit omni pulſui, ſiue vento. Ecce dicitur de Ioanne Baptiſta: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? quaſi dicat non. Debemus ergo ſimiles eſſe arundineto; quod in figura rei huius, inter aquas ſuperiores, & inferiores vniformiter ſemper mouetur. Sed proh dolor, quia multi ſunt, qui facile mutantur à bono, & valde conſtantes ſunt in malo; non attendentes illud Catonis ſapientiſſimi verbum: *Conſtans, & lenis, vt res expoſtulat, eſto.*

*Rom. 8. g*
*Iudic. 5. c*
*Mar. 16. d*
*Exempla.*
*Luc. 7. d*
*Cato in Paren. 1.*



Tertio, ſtellæ ſunt ineclipſabiles: Sola enim duo ſidera dicuntur eclipſabilia: ſcilicet Sol, & Luna, quamuis in eclipſando, diuerſa ſit cauſa. Nam Luna dum eſt vigeſimaquarta, & in ſumma diſtantia à Sole, ſiue ipſi Soli oppoſita; inter ſe, & Solem poſita terra, cum lumen à ſole habeat, fit obſcura: Sol autem non eclipſatur interpoſitione terræ, ſed Lunæ, in ipſa ſui cum Luna coniunctione: dum ſcilicet coniunguntur in eodem ſigno, in eodem gradu, in eodem minuto, & in eodem ſecundo. Nam omne ſignum in zodiaco habet xxx. gradus: quilibet autem gradus habet ſexaginta minuta; & quodlibet minutum habet ſexaginta ſecunda. Et quia, non omni menſe ſic vniuntur; ideo Sol non quolibet menſe eclipſatur? His ergo duobus ſideribus exceptis, aliæ ſtellæ dicuntur omnes ineclipſabiles. Sancti igitur Apoſtoli fuerūt ſic ineclipſabiles per perſeuerantiam: nam anima eclipſatur, & obſcuritatem patitur; dum inter eam, & Deum peccatum interponitur, iuxta illud: Peccata veſtra diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum: Nam, & nubes ſignificatiua peccati, dum inter nos, & Solem ſe ponit, nobis ipſum Solem abſcondit: & quanto eſt denſior, & obſcurior; tanto vmbra proiecta fit nigrior, & nocti ſimilior. Quia, ergo Apoſtoli ſancti nunquam mortale peccatum, poſt aduentum Spiritus ſancti, commiſerunt; nunquam eclipſati fuerunt: quia nunquam lumen, quod acceperant, amiſerunt. Vnde de eis poteſt exponi illud: Qui docti fuerunt, id eſt, ipſi Apoſtoli, vel ab Apoſtolis docti, fulgebunt, quaſi ſplendor firmamenti. Et qui ad iuſtitiam erudiunt multos, id eſt, ipſi Apoſtoli, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Et eſt ſenſus, quia ſicut ſtellæ perpetualiter nitent, nec eclipſim ſuſtinent; ſic ſancti Apoſtoli nunquam ſunt eclipſati: quia culpa mortali, poſt aduentum Spiritus ſancti, nunquam ſunt obſcurati: ſed in eo, quod perceperunt, ſtabiliter permanſerunt: quamuis capti, quamuis ligati, quamuis carceribus mancipati, quamuis verberibus multis attriti, quamuis aliqui eorum crucifixi ſint: tamen non potuerunt à Chriſto auerti: Fundati enim erant ſupra firmam petram. Dominum enim dixiſſe audierant: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Quid enim prodeſt homini, fundare domum, & parietes erigere; ſi deſinat tectum adiungere, & ſic domum deſinat conſummare? Quid prodeſt aratori, terram ſulcare, & ſemina plurima iacere; ſi iam aucta, & matura negligat colligere? Quid prodeſt vineam plantare, & in palos erigere, & vſque ad maturitatem fructum diligenter excolere, & ſollicite cuſtodire; ſi deſinat eius fructus in fine colligere? Et ſic eſt in omnibus inuenire. Quia laus in fine canitur: quia, cuius finis bonus, ipſum quo totum bonum eſt. Et cuius finis malus eſt, ipſum vtique totum malum eſt. Ob hanc enim cauſam Sapiens dicit: Ne laudaueris hominem in vita ſua. Ambroſius: * Lauda poſt mortem, lauda poſt conſummationem: lauda nauigantis felicitatem; ſed cum peruenerit ad portum: lauda ducis virtutem; ſed cum perductus eſt ad triumphum. Sed quidam non attendentes iſta, bene incipiunt; ſed ante finem deficiunt. In Quadrageſima pœnitentiam incipiunt, quam ſtatim in Paſcha deponunt. Tales ſunt cani ſimiles, qui ſuperflua reijcit, quæ comedit, & comeſturus, iterum ad ea redit. Porcus etiam lotus aquis, ad lutum ſponte redit, & magis lutum, quàm munditiam diligit. Sic igitur patet ex his, quæ tribus ſermonibus ſunt collecta, quòd eſt conſiderare ſtellas, quo ad eſſentiam, quo ad apparentiam, quo ad permanentiam, & quo ad influentiam. Nam quo ad eſſentiam, ſunt puræ, ſunt altæ, ſunt & ſpheri-

Eclipſis qd & quomodo fiat.
*Iſa. 59. a*
*Dan. 12. b*
*Matt. 7. d*
*Mat. 10. c*
** Verba, quæ hoc loco ſub nomine B. Amb. citantur extāt in homil. 2. S. Maximi Epiſ. Taurin. de Natali S. Euſebij Vercell. Epiſc. de quo etiā B. Ambr. ſermo, qui eſt in ord. 15. habetur in tom. 5. ſerm. de Sanctis, cuius initium eſt ſere idem cū homil. vel ſerm. S. Maximi, cū alijs quibuſdā verbis. Serm. B. Maximi recitatur in 2. Nocturno off. confeſſ. Pont. Maximus autē & Ambroſius contemperanei fuerunt.*


ſpheri-

ſphęricæ; & de his dictum eſt in ſermone primo. Quantum ad apparentiam, ſunt paruæ, ſunt pulchræ, & ſunt maximæ; & de his dictum eſt in ſecundo ſermone. Quantum ad permanentiam, ſunt incorruptibiles, ſunt infatigabiles, & ſunt ineclypſabiles, & de his dictum eſt in iſto ſermone. Quarto vero, quantum ad influentiam, ſunt virtuoſæ, ſunt operoſę, ſunt & luminoſæ; & de his non dicam: quia in alijs ſermonibus feſtiuis me plura dixiſſe de his recolo. Illi ergo ſint grates, qui hoc dedit.

# DE SS. APOSTOLIS

## SERMO IV.

Ioan. 15. a *VOS mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Omnem hominem appetere eſſe beatum, ex dictis omnium antiquorum, & appetitu naturæ conſtat ita certum, vt nulli, niſi ſtulto vertatur in dubium. Nam Socrates *Laertius in Socrate in fine, ex Xenophontis auctoritate id aſſerit.* philoſophus inter ceteros philoſophos quaſi primus, dum omnem hominem appetere omne bonum, certa experientia probaret, & ſapienti conſideratione teneret, quòd nemo, niſi ſummi boni participatione, obtinere beatitudinem poſſet; ſimulq. videret, quòd Deus purgatiſſimis mentibus videri poſſet; nec mentes, niſi optimis moribus poſſe mundari, conſpiceret; omnem philoſophiam traxit ad mores, in quibus mundatus, ſummum bonum cernere in ſe poſſet. Mentis enim noſtræ inualida acies, vt do- *Aug. to. 5. de Ciu. Dei lib. 2. c. 2.* ctor eximius Auguſtinus docet, in tam excellenti luce non figitur, niſi per iuſtitiam fidei acuatur, & emundetur. Numquid lippus oculus, vel infirmus ſolem audet in rota conſpicere? Nam noctua & Exemplũ. auium plurima genera, propter debilem virtutem viſiuam, magis, quàm lucem, diligunt tenebras. Si enim oculus debilis ſolem aſpexerit, non inde augmentum luminis accipit; ſed caliginem potius cæcitatis incurrit: & vnde viſus noctuæ excæçatur & infirmatur; inde viſus plurimum delectatur aquilinus. Ergo, ſi volumus ad beatitudinem, quam petimus, peruenire, quæ non eſt aliud, quàm Deum videre; oportet mundos eſſe. Et ideo in verbo præmiſſo Dominus de diſcipulis duo oſtendit. Primo, enim aſſerit eorum puritatem. Secundo, verbi diuini prædicat poteſtatem: vt primum referatur ad Apoſtolorum munditiam: ſecundum vero ad Verbi diuini efficaciam. Primo ergo ſanctos Apoſtolos candidos monſtrat, cum dicit: *Vos mundi eſtis.* Secundo vero munditiæ cauſam explanat, cum addit: *Propter ſermonem, &c.* Diuinus ergo ſermo poteſtate plenus eſt, & ideo mundare omnes, quos voluerit, poteſt. Eſt ergo notandum, quòd triplex eſt munditia hominum, neceſſaria ad viſionem diuinã. Prima eſt, munditia cordis: Secunda eſt, munditia oris: Tertia eſt, munditia operis. Eſt enim cor mundare, nihil immundum, vel innoxium cogitare. Eſt os mundare, nihil turpe dicere. Eſt opus mundare, nihil immundum videre, vel audire, nihil, quàm immundum cogitare, perpetrare, vel tangere.

Dicamus ergo, quòd prima munditia eſt cordis, quaſi aliarum omnium radicalis, ſiue fontalis: Inter omnia enim membra, cor eſt creatione primum, eſt animæ principale domicilium, eſt influentia maximum, & ideo motu continuum: & eſt omnis motus, & vitæ principium: quia nec os aperimus, nec aliquid aliud agimus, niſi hoc ex corde operemur: Impoſſibile eſt enim aliquid eſſe in opere, vel in ore, niſi prius fuerit in corde: vel quale verbum cordis, tale eſt oris, & operis. Numquid, qualis eſt fons, non talis eſt aquarum fluuius? Numquid qualis eſt radix, non tales ſunt rami arboris? Secundum enim virtutem grani, & varietatem virtutis ſeminis; tale eſt illud, quod procedit. Quare, ſi verba noſtra, & opera volumus eſſe munda, Apoſtolorum more, prius mundanda ſunt corda. Dominus loquens Apoſtolis ait: Beati mundo corde; quoniam ipſi *Matt. 5. a* Deum videbunt. Nota, quòd non dicit: Beati mundo ore, vel opere; quia poſſent opera videri munda, cum corda eſſent immunda: ſed non poſſunt eſſe opera immunda, ſi fuerint corda munda. Vnde in Canonica Iacobi dicitur: Emundate manus peccato- *Iac. 4. b* res, & purgate corda veſtra duplices animo: quaſi dicat: Si manus, id eſt, opera vultis eſſe munda; ſtudete prius purificare corda, quæ ſunt fontalia operum noſtrorum principia. Vnde & Propheta orabat: Aſperges me Domine hyſſopo, & mũdabor. Hyſſo- *Pſal. 50. b* pus humilis, & odorifera herba, ſignat cordialem gratiam, qua mundantur omnia exteriora noſtra. Vnde notabiliter dicitur: Super niuem dealbabor: *Ibid.* nix enim non ſolum munda, & alba exterius eſt, ſed etiam in profundo interius, à qua exterior albedo cauſatur: vt per hoc detur intelligi, quia illa munditia dicitur eſſe vera, quæ eſt foris, & intra. Nam, & mens alba, munditia: ex dominante magno frigore caſtitatis in anima generatur omnis vera munditia. Sed qui ſunt hodie, qui cum Apoſtolis habeant corda munda? Vnde in Prouer. Quis glo- *Prou. 20. b* riabitur, mundum ſe habere cor? Valde eſt mirabile, & deteſtabile, quod toto poſſe ſic homines laborant, à turpibus ſollicet lauare corpora, mundare à vermibus capita, mundare à noxijs inteſtina, mundare à ſordibus veſtimenta, quærunt in lectis munda linteamina, munda fercula, munda vina, & munda valde mancipia; & non curant, ſi immunda habeant corda. Quid ſtultius? quid deteſtabilius? quid inordinatius? Vis habere omnia munda; & animam, cælo nobiliorem, non curas eſſe immundam. Sed dicit Iob: Quis poteſt facere mun- *Iob 13. d* dum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es? Ergo, fratres, rogandus eſt Deus, & toto corde inuocandus, vt mundet nos ab immundis cogitationibus: & mundatis cordibus gratia ipſius, omnia valeant eſſe munda. Sed quidam ſimiles ſunt ſepulchris exterius dealbatis, ſed interius omni ſpurcitia plenis, ſcilicet cadaueribus mortuorum. Turpe enim eſſet, nec eſt aliquis, qui ſuſtineret, vt vaſa ſua, in quibus ponit vina, & cibaria, eſſent exterius munda, & interius immunda. Cygnus eſt Exemplũ. auis exterius valde alba in pennis; ſed caro eius ſub pennis eſt valde nigra. Vnde tales arguit Dominus: Væ vobis ſcribæ, & phariſæi, quia mun- *Mat. 23. c* datis quod deforis eſt calicis, &c. Et addit: Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis, & paropſidis, vt illud, quod deforis eſt, fiat mundum.

Secundo, nobis neceſſaria eſt munditia oris. Quomodo enim cum Rege ſtare valet, aut loqui habet, qui immundum os portat? In nullo enim loco prius apparet immunditia, quàm in ore: Immunditia enim oris teſtis eſt immundi cordis. Nã *Ariſt. lib. 1. Periherm. cap. 1.* Philoſophus docet primo Periher. quòd voces ſunt earũ, quæ ſunt in anima, paſſionũ notæ. Et Richardus dicit: Idem omnino eſt verbum cordis, & oris; niſi quod in corde eſt nudum, & in ore veſtitum. Non enim aliud eſt vox, quàm verbi veſtimentum: Et Dominus: Ex abundantia cordis os loquitur. Er- *Luc. 6. g* go, qualia ſunt cordis, talia ſunt verba oris: Non enim credant, ſe habere corda munda, qui verba habent immunda: Non poteſt homo trahere de granario, niſi bladum, quod ibi eſt; nec vinum de dolio, niſi illud, quod ibi continetur. Ergo lingua loquitur de eo, quod in horreo eſt cordis: Qui enim comptus eſt, id eſt, ornatus, & qui libenter de mulieribus loquitur, adulter probatur; quia

nunquam



nunquam melius, quàm per linguam homo cognoſcitur. Numquid non per linguam cognoſcuntur Theutonici? numquid non Gallici? numquid non *Mat. 26. g* Græci? Vnde Petro dictum eſt: Nam & loquela tua manifeſtum te facit. Ergo ſi vis, vt credamus, te habere mundum cor; os habeas foris mundum ſe- *Iob 11. a* cundum quod dicit Iob: Purus eſt ſermo meus, & mundus ſum in conſpectu tuo. Sed de quibuſdam *Pſal. 5. c* habetur in Pſalmis: Sepulchrum patens eſt guttur eorum: Quid enim ſepulchro patenti fœtidius? & quid ore fœtido immundius? Non conſueuerunt homines iuxta illos libenter ſtare, quibus conſueuit os fœtere. Vere quilibet hodie poteſt dicere illud *Iſa. 6. i* Iſaiæ: Væ mihi, quia tacui, id eſt, à bonis ſilui: quia vir pollutis labijs ego ſum, non tacendo tantum bona, ſed loquendo peruerſa: & cauſam huius pollutionis exprimit, cum adiungit: Et in medio populi, qui polluta labia habet, ego habito. Videte quanta mala faciat, habitare cum malis: Nam ideo polluta labia habebat: quia cum hominibus, quorum erant polluta labia, habitabat. Quis cum ſcabioſo iacebit, & ſcabioſus non erit? Quis cum leproſis habitat, & lepram euadere poterit? Morbus enim contagioſus eſt lepra, & habent leproſi ora fœtentia, alios inficientia, & ideo habitant extra caſtra; ne per eos inficiantur, qui ſunt ſani. nam & ouis ſcabioſa à grege eſt amouenda: quia ſua mora totius gregis eſt infectiua. Propter quod ſunt homines declinandi, quorum ora ſunt immunda: quia manus tangens immunda, fit ipſa immunda. Quid ergo faciendũ? vtique os eſt mundandum; ſed ab immunditia oris quis mundabit? Eſt ergo rogandus Deus, vt ipſe, qui mundat Prophetæ labia, mundet & noſtra: nã *Iſa. 6. b* dicit Iſaias: Volauit ad me vnus de Seraphin, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigi labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Non enim per nos poſſumus mundare ora noſtra. Vnde quidam ſanctus Pater dixit de ſe, Triginta annis hoc tantum Deum rogaſſe, vt eum liberaret ab immunditia linguæ, & tamen dicit, quòd non erat dies, in qua per linguam non peccaret.

Tertia munditia, quæ fuit in Apoſtolis, fuit munditia operis: quæ conſiſtit non ſolum in operibus tactus, ſed etiam viſus, auditus, morum, & inceſſus: Tunc enim munda opera facimus, quando munda videmus, munda audimus, munda tangimus, & cum mundis perſonis incedimus. Sed cum horum contrarium facimus, immundi vtique ſumus. Valde turpe eſt, naturæ, & rationi contrarium, vt homo immunditiam diligat, quam bruta declinant. Nam Exemplũ. ciconia, ſi adulteris amplexibus polluatur, nunquam ad virum redit, niſi prius fuerit lota aqua: ſimiliter & leæna, cum miſcetur concupiſcentiæ pardi; non, niſi lota aquis fuerit, ad leonem ire præſumit: Elephas. Item, quod maius eſt, Elephas amator caſtitatis, ſicut raro contingit, cum vxorem cognouit, mirabiliter abſcondens ſe, latebras magnas quærit; nec vnquã ad ſocios redit, niſi prius in flumine ſe lauerit. Item, quod maius exiſtit: Cygnus auis, ſi vxorem cognouerit, nunquam comedet, niſi prius lota fuerit aquis. O humana confuſio, ò deteſtanda peruerſio, vt immunditiam, quam deteſtatur brutum, amplexetur homo. Quis hominum eſt, qui poſt cognitionem, non dico vxoris ſuæ, ſed poſtquam adulteria multa commiſit, ſocios ſuos fugiat, vel ad eos non redeat; nec ad menſam, vbi manducatur, accedat, niſi prius à culpa ſe abluat? immo, quod grauius eſt, non ſolum dominum naturalem fugit, ſed ad cæleſtem ſic accedit. Ergo chariſſimi, mundemus animas noſtras, mundemus & corda noſtra, mundemus & opera noſtra, ſi diſponi volumus ad viſionem di- *Iſa. 1. d* uinam, quæ tantum à Chriſto eſt repromiſſa. Nam ad munditiam operũ inuitamur per Iſaiã: Lauamini, inquit Dominus, mundi eſtote, quieſcite peruerſe agere, diſcite benefacere, iudicate pupillo, defendite viduam, venite & arguite me, ſi vos non miſero ad diuinam viſionem. Vnde ſtatim ibidem ſubiungitur: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, id eſt, guſtando me videbitis: Iuxta illud Pſal- *Pſal. 33. b* mi: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Rogemus ergo, &c.

# DE SS. APOSTOLIS

## SERMO V.

*Luc. 10. d. Mat. 13.* *BEati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Ex duabus ſubſtantijs conſtat homo, ſicut docet Auctor de *Aug. lib. de An. & ſp. qui ſub eius nomine circumfertur to. 3. c. 2. & infra ſparſim. & to. 8. in præfat. in enarrationem ſecundam Pſal. 29.* ſpiritu, & anima, & certa experientia, ſcilicet corpore, & anima. Ob quam cauſam, vt dicitur in eodem libro, factus eſt Deus homo, vt totum hominem in ſe beatificaret, vt ſiue ingrederetur, ſiue egrederetur, paſcua inueniret: Paſcua foris in carne Saluatoris, & paſcua intus in Diuinitate Conditoris: Nam beatitudo animæ eſt in viſione Dei; ſed beatitudo corporalis ſubſtantiæ eſt in viſione corporis Chriſti. Nam ob hanc cauſam dicitur: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Quia ergo Chriſtus Dominus Deus erat, & homo; ideo Apoſtolis ipſum cernentibus recte dicebat: *Beati* *Ioan. 17. a* *oculi, qui vident.* In quo verbo diuina deſcribitur viſio, quantum ad quattuor. Primo, quantum ad viſus inſtrumentum, ſcilicet organum. Secundo, quantum ad videndi actum. Tertio, quantum ad viſus obiectum. Quarto vero, quantum ad viſionis præmium. Prima tria ſtatum reſpiciunt viatoris: Sed quartum reſpicit ſtatum comprehenſoris: Per prima enim tria, meritis ditamur in via. Sed per præmium quarti ſublimamur in Patria. Notatur ergo primo, inſtrumentum viſus, cum dicitur: *Oculi.* Notatur ſecundo, viſionis actus, cum dicitur: *Qui vident.* Tertio, notatur viſionis obiectum, cum dicitur: *Quæ vos videtis.* Notatur etiam quarto loco, viſionis præmium, cum dicitur: *Beati.* Tota ergo intentio verbi propoſiti vertitur circa viſionem Verbi incarnati: Nam ex viſione Chriſti dicebantur Apoſtoli eſſe beati quodam modo in via, perfecte beatificandi in Patria. Eſt ergo notandum, quòd quadrupliciter Deum videre debemus. Primo, in præſepio & fœno. Secundo, in cænaculo. Tertio, in patibulo. Quarto vero, in cælo empyrio. Vt ſic eum videamus, in cænaculo pedes diſcipulorum humiliter lauantem: In fœno miſerabiliter vagientem: In patibulo pœnaliter morientem: & videamus in ſolio eum ſublimiter præſidentem. Nam viſio ſtabuli, exemplum fuit altiſſimæ paupertatis. Viſio cænaculi, fuit exemplum profundiſſimæ humilitatis. Viſio pœnalis ſupplicij, eſt exemplum altiſſimæ charitatis. Sed ſolij viſio eſt exemplum excellentiſſimæ poteſtatis.

Dicamus ergo primo, quòd Chriſtum debemus videre in præſepio miſerabiliter vagientem, in ſignum altiſſimæ paupertatis: Vnde fratres chariſſimi, flectamus oculos cordis noſtri, ad videndum paupertatem Chriſti, qui cum eſſet diues, propter nos *2. Cor. 8. b* egenus factus eſt, vt illius inopia diuites nos eſſemus. O Deus æterne, quid fuit, videre Filium tuũ vnigenitum, regem, & factorem cælorum, & cæleſtium omnium Angelorum, in vna ciuitate non inueniſſe Domum; ſed pro domo elegiſſe ſtabulum iumentorum? Quid etiam fuit, videre Regem omnium, & Deum deorum ipſum, in ſtabulo non habuiſſe locum, niſi breue, vileq. præſepium? Quid deinde fuit, videre Regem ſummum, cuius erat ſtellatum ſolium, & viliter ſuper fœnum poſitum? Quid





videre

videre fuit Deum, vniuerſum mundum continen- A
tem, ſtricta faſciola eſſe ſtrictum, & panniculis vili-
bus eſſe inuolutum? Quid videre fuit gloriam, &
lætitiam Angelorum vtiliter laudantem, ſic comma-
nentem inter bouem, & aſinum? Ergo, ſi huius Re-
gis quæris palatium; tibi oſtenditur ſtabulum. Si
quæris regium veſtimentum, auro, argentoq. textũ;
monſtrantur tibi panniculi pauperum hominum.
Si quæris regalem exercitum, & obſequium famu-
lorum; bouem attende, & aſinum. O paupertas
ſumma, o prædicanda egeſtas, o admirandum, &
pro poſſe imitandum exemplum: ſic videre paupe-
rem regem regum, & lætitiam vagientem. Vnde, & B
Luc. 2. b pastores dicebant: Tranſeamus vſque ad Bethleem,
videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod Do-
minus oſtendit nobis; & ſequitur: Et venerunt fe-
ſtinantes, & inuenerunt Mariam, & infantem poſitũ
Matt. 8. b in præſepio. Vnde & ipſe Dominus de ſe ait: Vul-
pes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius au-
tem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.
Vere nulla animalia, quantumcunque modica, ſunt,
quæ non habeant ſua latibula: Nulla volatilia ſunt
ſine nidis ſuis: Regum terræ loca ſunt ampla val-
de, habentia palatia ſectis lapidibus fabricata, pre-
tioſa valde ſunt veſtimenta, ſtramenta lectorum, de- C
licata, & exquiſita cibaria. Tamen diuina ſapientia,
propter nos eſt bonis omnibus temporalibus deſti-
tuta. Quis hodie propter Chriſtum deſiderat eſſe
pauper? immo quis non anhelat ad diuitias toto
poſſe? O humana auaritia, quæ ſic congregare es
ſollicita, quando non congregant animalia bruta,
non proijciunt terris ſemina, nulla fabricant horrea,
nulla replent cellaria; ſed ſibi labore continuo quæ-
runt eſcam. Ad hanc conſiderationem inuitat nos
Matt. 6. d Dominus dicens: Reſpicite volatilia cæli, quæ non
metunt, neque ſerunt, neque congregant in horrea;
& tamen Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Et de D
veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia
agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent:
Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni
gloria ſua, coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis, & c. Si
enim, ſicut ipſe ibidem docet, nos ſumus maioris
pretij, quàm ſint illa; ſi ipſe illis alimenta, & iſtis
veſtimenta tribuit; quanto fortius dabit nobis? Er-
go congregare, ſignum eſt auaritiæ, & defectus fidei
Chriſtianæ. Sed obijcis: Nonne congregant for-
micæ, & apes, taxi, & mures? Dico, quòd ſic: ſed hoc
faciunt ex neceſſitate naturæ, non ex libidine aua-
ritiæ: Nam apes, & formicæ cum ſint corpore, & vi- E
ribus paruæ; ſi non congregarent in æſtate, cum
eſcas inuenire non poſſent in hieme, deficerent fa-
me. Taxus quidem, & mures congregant ſpicas in
æſtate: quia inuenire non poſſent in hieme, etiam ſi
exire poſſent. Vtinam ſic congregarent homines,
ſicut congregant formicæ, & apes: nulla enim con-
gregat ſibiipſi, ſed communitati: Communiter enim
colligunt, communiter reponunt, communiter co-
medunt, nihil proprium poſſidentes. Quod ſi ho-
mines facerent, ſtatum innocentiæ repræſentarent;
eo quòd non quæ ſibi tantum, ſed quæ communi-
tati eſſent neceſſaria, procurarent. F

Secundo, debemus videre Chriſtum in cænaculo
lauantẽ ſimiliter & miniſtrantem, in ſignũ profundæ
humilitatis. Quis enim vllis exprimat verbis, quanta
humilitas fuerit, quando Dei Patris Filius ad pedes di
ſcipulorum, & piſcatorũ vilium genu flexit, pedes eo-
rũ lauit, linteo, quo præcinctus erat, exterſit, & pedi-
bus eorum oſcula charitatis labijs diuinis impreſſit?
Ioannes 13. a Hoc enim admirans Petrus dixit: Domine tu mihi la
uas pedes? quaſi dicat: Tu Dominus mihi ſeruo, tu
glorioſiſſimus mihi viliſſimo, tu altiſſimus mihi ab-
iectiſſimo, tu potẽtiſſimus mihi debiliſſimo, tu ſapien
tiſſimus mihi ſtultiſſimo, tu optimus mihi malo laua-
uare vis pedes? Non lauabis mihi in æternum.

A Dicitur enim in itinerario Clementis quòd recor-
datus Petrus humilitatis Domini, quomodo de no-
cte per ſingulos circuibat, & eos cooperiebat; la-
crymas continere non poterat: Vnde pannum ſem-
per portabat, quo lacrymas abſtergebat. Ad con-
ſiderationem ergo, & ſequelam tam profundæ hu-
militatis, Dominus Moyſen; & Moyſes nos omnes
inuitauit in exemplum, quando dixit: Vide omnia, Gen. 25. d
& fac ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum
eſt in monte: Mons ille, in quo beneplacitum eſt Pſal. 67. b
Deo inhabitare; mons coagulatus, mons pinguis,
mons omnibus bonis plenus, Filius Dei fuit; qui in
B exemplum perfectæ humilitatis, omnibus datus fuit,
vt vltra homo ſuperbire non poſſet, quando ſic Filius
Dei ſe ſubiecit. Turpe eſt, fœdum eſt, contra ratio-
nem eſt, vt ſeruus ſedeat in alto, vbi rex ſedet in
imo: Et illic membrum viliſſimum alta petat, vbi
caput ſe ad infima declinat: & pedes eleuentur in
aera, vbi caput ambulat ſuper terram. Quis enim
in alicuius curru magni regis ſedeat in alto, ſi rex ſe
det in imo? immo quis eſt, qui rege ſedente in ſo-
lio, ad pedes eius ſe non ponat in imo? Ergo abu-
ſio deteſtanda eſt, ſuperbia eſt; vt ſub humili capite,
membrum viliſſimum eſſe velit ſuperbum. Quòd ſi
C tanta exhibetur ſubiectio regi terreno, morti, & cor-
ruptioni ſuppoſito; quanta eſt exhibenda regi æter- Exemplũ.
no, ſummo, & incommutabili bono? Nam anima- Hiero. lib.
lia, cum coram leone ſunt, ſuo rege, ſtant dimiſſo ca- 3. in Oſea.
pite, nec audent faciem leuare. Ergo, quod brutum ſuper cap.
animal facit ſuo regi, ſiue leoni; non facit animal ra- 21. tom. 5.
tionale Domino ſuo potenti: cuius imperio à nullo
reſiſti poteſt; vel in aliquo obuiari?

Tertio, videre debemus Deũm in patibulo pœna-
liter morientem, in exemplum latiſſimæ charitatis.
Quis eſt homo, qui hodie velit mori pro proximo?
Quis vicinus, qui appetat mori pro vicino? Quis
D propinquus, qui ſuſtineat mori pro propinquo?
Quis germanus pro germano? Quis hodie pater
pro filio, & maxime ingrato, & malo? Ergo fratres
chariſſimi, quanta charitas Chriſti fuit, qui pro ſuo
malo, peſſimo, ingrato, & blaſphemo inimico, nec ſi-
bi in aliquo obligatus; pœnam non ſolum ſuſtinuit,
ſed etiam deſiderauit, in ligno vtique ribaldorum,
& latronum, tormenta? Ad huius ergo conſidera-
tionem charitatis inuitat nos Dominus: O vos om- Thren. 1. d
nes, qui tranſitis per viam; attendite, & videte, ſi eſt
dolor ſimilis, ſicut dolor meus. Et in Iſaia dicitur:
Vidimus eum deſpectum, ac nouiſſimum virorum, Iſai. 53. a
E virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Quis
poſſet vllis exprimere verbis, quantum Saluator in
patiendo doluerit? Primo ergo conſidera, quis eſt
qui patitur: Quia rex magnificus, rex potentiſſi-
mus, rex nobiliſſimus, rex ſapientiſſimus, rex altiſſi-
mus, rex carne tenerrimus, & rex carne ſaniſſimus.
Quia ergo talis erat anima, quæ in illo ſaniſſimo
corpore, perfectiſſime complexionato habitabat; ſe-
parari ab eo per naturam penitus renuebat. Ergo,
dum à corpore ita ſano dolores eam exire faciebant,
vtique ſumme dolebat: Omne enim membrum,
quanto delicatius eſt, & complexione nobilius; tan-
F to plus dolet, ſi patitur. Ergo dum anima Chriſti in
corpore delicatiſſimo, ſummeq. nobiliſſimo, & per-
fectiſſime complexionato, vulnera dura, circa mem-
bra virtuoſa, & tenera ſuſtinebat; ſupra humanum
modum dolebat: & maxime, cum ſe à ſuo cor-
pore amantiſſimo diuidebat. Item, ſi quæcunque
anima à ſuo corpore, quantũcunque infirmo, quan-
tumcunque infecto, quantumcunque miſero, ſe-
nioq. depreſſo, ſine magno dolore ſeparari non po-
teſt; quantum dolorem anima Chriſti ſuſtinuit,
dum à tam nobili corpore ſe diuiſit? Secundo at-
tende, pro quibus patiebatur Chriſtus: Nam pro il-
lis patiebatur, qui eum ceperant, qui eum ligaue-
rant, qui eius oculos, tanquam latronis velauerant,
qui



qui eũ morti accuſauerant, qui eũ flagellauerant, qui A
eũ illuſerant, in eũ conſpuerãt, eius maxillas percuſ-
ſerant, & ipſum ad mortẽ, & ad viliſſimũ genus mor-
tis iudicauerant. Ergo dum ſuam charitatem ad eos
tendebat, & ipſorum ingratitudinem tantam eſſe cer
nebat; quòd eum patrem amantiſſimum, & redem-
ptorem pijſſimum, & defenſorem tutiſſimum occi-
debant; dolores eius animam maxime vulnerabant.
Iſa. 53. b Nam dicitur: Vere languores noſtros ipſe tulit, &
dolores noſtros ipſe portauit. Ecce amoris magni-
tudo: & nos reputauimus eũ, quaſi leproſum, quaſi
percuſſum a Deo, & humiliatum: Ecce amaritudo.
Vnde ſapiens quidam dicit in perſona Chriſti: Ho- B
mo vide, quanta pro te patior; vide pœnas, qui-
bus afficior, vide clauos, quibus confodior, & cum
ſit tantus dolor exterior, interior tamen planctus eſt
grauior, dum ingratum te experior. Tertio licet
attendere, a quibus paſſus eſt: Nam a fratribus, quos
de Aegyptiaca ſeruitute eruerat, pro quibus mare ape
Exo. 14. e ruerat, Pharaonem cum omni exercitu ſuo ſubmer-
ſerat, & ipſos ſicco pede tranſire fecerat; quibus pa-
Exo. 16. a nem de cęlo, & aquam de petra produxerat, flu-
men Iordanem diuiſerat; & pro quibus omnes po-
Exo. 17 b pulos Chananeorum occiderat; pro quibus, & ex qui
bus naturam aſſumpſit; & à poteſtate diaboli ve- C
nerat eripere. Grauiſſima ergo pœna fuit, quam tã-
Pſal. 54. b ta amicitia arguit. Vnde & in pſalmis dicitur: Si ini-
micus meus maledixiſſet mihi; ſuſtinuiſſem vtique:
Et ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſ
ſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo: Tu vero ho-
mo vnanimis, dux meus, & notus meus. Valde enim
dolorem aggrauat, dum ille mala irrogat, qui con-
ſolari debebat. Conclude ergo ex præmiſſis, quan-
ta charitas fuit, quæ eum doloribus tantis ſuppoſuit.
Vnde clamat Greg. O inæſtimabilis dilectio charita
tis, vt ſeruum redimeres, filium tuum tradidiſti!

Quarto, videre debemus Chriſtum in ſupremo D
ſolio ſublimiter conſedentem, in ſignum ampliſſi-
Iſa. 33. a mæ poteſtatis. Vnde dicitur: Regem in decore ſuo
videbunt: Quid enim eſt, Chriſtum in ſuo decore
videre; niſi eum in maieſtatis ſuæ gloria, qua iudi-
turus eſt, cernere? Nam, qui fugiunt modo Chri-
ſti paupertatem, qui contemnunt ipſius humilitatẽ,
qui tantam non diligunt eius charitatem; neceſſe eſt,
vt cadant ſub eius iuſtiſſima poteſtate, quam nemo
Prou. 6. d diuertit pretio, vel prece. Vnde dicitur: Zelus, &
furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquie-
ſcet cuiuſquam precibus, nec recipiet pro redem-
In Epiſtola ptione dona plurima. Bernardus: Veniet dies illa, in E
prima ad qua plus valebunt pura corda, quàm marſupia ple-
Robert. ne- na: quia iudex noſter non falletur verbis, nec vllis
pot. ſuum poterit flecti donis: Nihil etiam valebit ſua potentia
in littera Theſauri, vel aurũ Neroni; vel ſua philoſophia Pla
K. in prin. toni, vel ſua argumenta Ariſtoteli, nihil Rhetorica Ci
ceroni. Quia vt dicit Leo, Tunc non valebunt mu-
nera regum, non valebunt aduocationes iudicum,
non valebunt ſophiſmata logicorum, nec prodeſſe
poterunt præclariſſima eloquia Oratorum, nec in-
Chriſoſt. 5. ſuper verſutiæ verſutorum. Quia, ſicut dicit Chri-
Homil. 5. ſoſt. Iudex noſter non flectetur timore, quia omni-
de pœniten potens eſt: Non falletur ſermone, quia ſapientiſſi- F
tia. ſub finẽ. eſt: Nec corumpi poterit munere, quia iuſtiſſimus
eſt. Et propter hæc Ioannes abbas dicit: Quanti in
illa die elingues, & muti feliciores loquacibus erũt.
Quanti paſtores prophetizantibus præerunt, quanti
ruſtici præferendi ſunt Rhetoribus, & quanti hebe-
tes argumentis præferendi ſunt Ciceroni? Ergo, fra-
tres chariſſimi, ſi volumus hæc mala tanta vitare, &
Chriſti effugere poteſtatẽ; videamus, & imitemur illã
paupertatem, quam oſtendit in ſtabulo: Videamus,
& imitemur illam humilitatem, quam oſtendit in cæ
naculo: Videamus nihilominus illam charitatẽ Chri-
ſti, quam in ligno ſe habere probauit, Ipſo donan-
te, qui cum Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & c.

A

## DE SS. APOSTOLIS

### SERMO VI.

BEati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Do Luc. 10. d
cet Anſelmus in libro de veritate; ꝙ Matth. 13.
ad viſionem veram, quattuor ſunt ne c
ceſſaria: Primum eſt, aperitio oculi. Anſ. Dial.
Secundum eſt, præſentia obiecti: Ter de verita-
tium eſt, remotio obſtaculi: Quartum te to. 3.
vero, illuminatio medij. Nam quodcumque horum
defuerit, oculus videre non poterit. Ex his quattuor
B Dominus, de viſione loquens Apoſtolis, duo po-
nit aperte in littera, dans aperte intelligere alia duo,
quæ non continentur in littera. Nam cum eis ipſe
erat præſens, tamquam viſionis obiectum; quia nul
lum inter eos medium erat; ſed omne remotum im-
pedimentum; quia ipſa vera lux aderat illuminans
medium, & viſus apertus erat ſuper loquentem di-
rigens rectum radium, vel affectum. In littera ergo
propoſita, ſiue verbo, duo tanguntur maxime, eis
ſuperaddito præmio. Nam primo tangitur aperitio
oculi. Secundo præſentia obiecti. Tertio excellentia
præmij. Ita quòd primum, & ſecundum reſpiciunt
C ſtatum viæ, quæ data ſunt homini ad merendum.
Tertium vero reſpicit ſtatum Patriæ, quod datum eſt
homini ad fruendum. Nota ergo primo aperitionem
inſtrumenti, cum dicitur: *Qui vident.* Secundo nota
præſentiam obiecti, cũ dicitur: *Quæ vos videtis.* Ter-
tio nota ſublimitatẽ præmij, cũ præmittitur: *Beati.* Di
gnũ eſt enim, vt qui ea, quæ videnda ſunt in via, in-
tueantur in Patria ſublimiter. Eſt ergo notandum,
quòd cum Sanctis Apoſtolis, noſtræ vitæ ducibus,
quattuor maxime videre debemus. Vnum, quod eſt
ſupra: Alterum, quod eſt intra: Tertium, quod eſt
iuxta: Quartum, quod eſt infra. Nam primo vide
D re debemus ſupra nos Chriſtum, propter diuinita-
tem ſuam nos fortiter adiuuantem. Secundo debe-
mus intra nos videre peccatum, ſiue potius ſtimulum
carnis, ad malum continue inclinantem. Tertio, iux
ta nos videre debemus proximum aliquando delin-
quentem. Quarto infra nos videre debemus mun-
dum ad peccatum allicientem. Debemus ergo primo
Chriſtum attendere nos iuuantem, vt confidamus.
Debemus ſecundo carnis ſtimulum attendere impu-
gnantem, ne forte cadamus. Debemus tertio, proxi-
mum attendere delinquentem, vt ei condoleamus.
Debemus quarto, mundũ cõſpicere falſa promitten-
E tẽ, & vana, & ad delicias inclinantem, vt euitemus.

Dico primo, quòd ſollicite ſupra nos videre debe-
mus Deum adiuuantem, ne in bello cadamus, vel
deſperando deſiſtamus; ſed cum eo pleniſſime nos
vincere confidamus. Quia, vt dicit Apoſtolus ad Ro- Rom. 8. f
man. Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Quis eſt, niſi
ſtultus, qui in bello timeat, ſi regem ſecum inſupe-
rabilem habeat? Fortis eſt diabolus, cum quo certas
vel bellas; ſed fortiſſimus Chriſtus, qui adiuuat.
Vnde etiam Iacob, ſicut dicitur in Geneſi, dum effu- Gen. 28. c
geret fratrem ſuum, valdeq. timeret, vidit in ſom-
nis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen eius
F tangens cælum, & Angelos Dei deſcẽdentes & aſcen
dentes per eam: & Dominum deſuper innixum ſca
læ. Scala, quæ ſtat ſuper terram, & tangit cæleſtem
naturam, eſt pœnitentia, quæ in terra incipit; ſed
ad cælos perducit. Super hanc Angeli aſcendunt,
dum vota noſtra quotidie Deo afferunt; ſed per eam
deſcendunt, dum nobis auxilium ferunt. Sed & ip-
ſum Dominum deſuper vidit innixum, paratum ad
adiuuandum. Vnde Beatus Stephanus dicebat inter
inimicos poſitus: Ecce video cælos apertos, & Ieſum Act. 7. g
ſtantẽ (id eſt pro me pugnantem) ad dextris virtutis
Dei. Ergo quis miles, niſi in corde viliſſimus, ho- Iob. 17. a
ſtem debiliſſimum timeat, cum adiutorem omnipo- Pſal. 26. a
tentem habeat: Vnde Iob: Libera me Domine, & Iob 17. a
pone

[A] pone me iuxta te; & cuius vis manus pugnet contra me. Et propheta: Dominus ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? *Pſal.26.a* Si conſiſtant aduerſum me caſtra, in hoc ego ſperabo. *4.R.19.b* Exemplum de rege Aſſyriorum: qui cum Iudæos inuaderet, & Deum blaſphemaret, in ipſa nocte Angelus Domini occidit centum octogintaquinque millia virorum, & regem ipſum cum paucis fugientem in ſuis curribus, manu filiorum, in templo Neſroch dei ſui occidit. *Iob 9.a* Iob: Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Qui tranſtulit montes, & neſcierunt hi, quos ſubuertit in furore ſuo. Nunquid ſancti Apoſtoli tã dura portaſſent genera tormentorum, niſi Chriſtus [B] Rex eis affuiſſet? Sed tanta virtute, ac dulcedine tenebantur interius, vt contemnerent omne, quod patiebantur exterius. Vas enim aqua plenum, non timet ignis incendium. Vnde narrat Euſebius quòd quidam Chriſtianus temporibus ſuis ductus ad martyrium, omnia læto vultu pertulit genera tormentorum. Carnifices vero omnino fatigati dimiſerunt eum. Cumq. ab eo quærerent, ſi in tanta percuſſione, & laceratione carnium doluiſſet; ait ille: Nihil quaſi dolui. Nam in ipſis tormentis Angelus cum alba aderat, qui inſuper ſudorem de facie extergebat. [C] Ex quo tãtam dulcedinem anima capiebat quòd graue mihi valde fuit, quando me de eculeo deponentes, liberum dimiſiſtis. Et hoc ſciens Beatus Martinus, cum ei ſemel diabolus in via obuiaſſet, & quo iret inquireret, ait: Vado quocunque miſit me Dominus. Cui diabolus: Tibi, quocunque ieris, aduerſabor. *Pſal.117.a* Cui ſanctus: Si Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Captus ergo a latronibus inter alpes, vnus enſem leuauit, vt eum feriret: Quæſiuit a Martino ſi timuiſſet; Cui Sanctus: Nunquam fui ſecurior; quia ſciui Dominum maxime in neceſſitatibus affuturum. Scriptum enim eſt: [D] *Iſa.51.e* Quis tu, vt timeres ab homine mortali, & a filio hominis, qui quaſi fœnum areſcit, & oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos, & fundauit terram: & formidaſti iugiter tota die a facie furoris eius, qui te tribulabat, & parauerat ad perdendum. Vbi nunc eſt furor tribulantis? quaſi dicat: Nullus hoſtis timendus eſt; poſtquàm Deum exercituum adiutorem habes.

Secundo, videre debemus intra nos carnis ſtimulum continue impugnantem, ne forte cadamus. Fundata enim eſt Domus noſtra in arena, & sẽper minatur ruinam: Nec a caſu poteſt eſſe tuta, niſi diligentiſſime fuerit conſeruata. [E] *1.Corinth. 10.c* Vnde Apoſtolus: Qui putat ſe ſtare, videat ne cadat: *Exemplũ.* Facile ruit terris, qui multum ſe in altum extollit. Nec arbor a fulmine tuta erit, ſimiliter nec a ventis; ſi multum exaltata, fortes radices in terra non figit. Et propterea, quamtuncunque homo ſit ſanctus, quantuncunque in altum prouectus, ſi ſe in magna cuſtodia fortem non ſeruauerit, & omnis mali radicem nõ perfecte ſubiecerit; facile ruinæ patebit. *In S.Amb. uitato.1.* Nam & Sanctus Ambroſius, per ciuitatem Mediolanenſem incedens, vidit, dum quidam grauiter ruiſſet; alium quendam illi non compatientem, ſed eius caſum ridentem. [F] Dixit Sanctus: Qui putat ſe ſtare, videat ne cadat. Statimq. ille in præcipitium cadens, coactus eſt flere caſum proprium, qui riſerat alienum. Et ſicut eſt in corporalibus caſibus, ſic eſt in ſpiritualibus. Quis eſt ergo, quantuncunque ſanctus, qui cadere non formidet? Quis, ſi ignẽ in fimbrijs habeat veſtimentorum, combuſtionẽ non timeat? Quomodo homo poterit eſſe abſque timore, ſi haberet ſerpentem in ventre? Sic ſtimulus carnis eſt ſerpens ventris, & flamma mortalis ignis, quo animam noſtram depaſcit. Quis ergo tutus erit? Et propterea dicitur: *Ierem. 2.c* Vide vias tuas in conualle, & ſcito quid feceris, quaſi dicat: Semper, ne cadas, vias tuas attende, & iſtud in conualle, ideſt in humilitate, non in monte, vnde [A] poſſis cadere. Nullus enim cadit, niſi qui in alto conſiſtit. Sed qui in conualle infima domum ponit, ab omni caſu tutus exiſtit.

Tertio, videre debemus iuxta nos proximum noſtrum delinquentem, vt ei condoleamus, & malum cognitum declinemus. Dum enim proximum peccantem attendimus, ſi filij Dei, & membra Chriſti ſumus; compaſſionis gladio perforamur: Vnde de malis & impijs habetur in Pſalmis: Obſcurẽtur oculi eorum, ne videant: *Pſal.68.e* Hoc non dicit Propheta ſanctus, optando, ſed prædicando: eo quòd plures cæci ſunt, proximorũ malis cõpatiendo. Vnde dicitur [B] ad Phil. Videte canes, videte malos operarios, videte cõciſionẽ. *Philip.3.a* Canes dicũtur peccatores, per detractionem linguæ offendentes. Mali autem operarij dicuntur per bonorum omiſſionem. Sed conciſio appellatur, per cordis, & vnitatis lacerationem, & diuiſionem. Vere poſſumus hodie compati, gemere, & dolere, quòd impletũ eſt illud: Videns Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis humani eſſet intenta ad malum omni tempore; pœnituit eum quòd hominem feciſſet in terra. *Gen.6.a* Quando tanta laſciuia, tanta malitia tam crudelis & inteſtina ante diluuium, & poſt fuit, [C] ſicut temporibus noſtris exiſtit? Nam vndique clauſæ ſunt viæ latronibus, maria ſunt obſeſſa prædonibus, & illi hodie laudibus extolluntur, qui maioribus criminibus occupantur, & qui inſidiantur, quaſi leo in abſcõdito in ſpelunca ſua: *Exemplũ.* leo enim in cauerna ſe abſcondit, vt dum animalia eum adeſſe non cogitant, per locum ſecure tranſeant: quod dum ille præſentit, in ſecura, & nihil formidantia ſaltum facit, & ea lacerat, & occidit, & carnes comedit, & ſanguinem bibit, & vniuerſa oſſa comminuit. O quot ſunt hodie in prouincijs, ciuitatibus, caſtris, & villis, qui ad modum leonis, pauperes, & impotentes, [D] ſe iuuare non valentes, inuadunt, capiunt, ſubiciunt tormentis, & dum ab eis auferunt omne, quod poſſunt, eos per conſequens mori compellunt. *Exemplũ.* Exemplum de lupo, & agno, qui ambo ad quendam fluuium occurrentes; lupus in ſummo, & agnus bibebat in imo. *Aeſopus in fabulis lib. 2.fab. 2.* Quem lupus conſpiciens; & eum deuorare volens, cauſam mortis exquirens: Quia non eſt graue maioribus inuenire occaſiones; ait ad agnũ: Quid eſt, quòd mihi tuis pedibus conturbas aquam? Cui agnus tremens plurimum, humili voce valde reſpõdit, ſe aquã in nullo turbare: eo quòd aqua nõ rediret ſurſum, ſed flueret ex natura deorſum. [E] Cui lupus, nec pietate motus, nec tam humili voce, vultuq. tam pio placatus; crudeli voce reſpondit: Tu mihi ſic loqueris maledicta? ſic mihi pater tuus fecit, ſex iam menſibus peractis. Cum enim tu patriſſes, crimen patris obibis. Innocentem enim agnum inuaſit, & occidit, & deuorauit. O quot ſunt in ciuitatibus, & caſtris lupi, qui deuorãt innocẽtes. Multi ſunt ergo, quibus cõpati poſſumus, & debemus, ſi de corpore Chriſti ſumus: quia membrum, quod aliorum membrorum dolores non ſentit, eſt vel paralyticum, vel putridum, vel a corpore præciſum: Caro enim putrida non dolet inciſa. Vnde Apoſtolus dicebat: *2. Cor. 11.* [F] Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Dicitur de Sancto Ambroſio, quòd quando aliquis ei ſuum pecatum dicebat, ſic fortiter compatiendo flebat, quòd illum ad ad lacrymas commouebat. *In uita S. Ambr. to. 1.f*

Quarto, infra nos videre debemus mundum allicientem, nunc delicijs, nunc diuitijs, nunc honoribus demulcentem, & hoc vt fugiamus. Quid enim ſunt corporis deliciæ, quid honores, niſi quædam vanitates, homines ſeducentes, ad infernum trahentes? Si mihi non credis, audi Salomonem dicentem: *Eccl. 2.a* Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conſeui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piſcinas



[A] ſcinas aquarum, vt irrigarem ſiluas lignorum germinantium, poſſedi ſeruos, & ancillas, multamq. familiam habui: Armenta quoque, & magnos greges ouium vltra omnes, qui fuerunt ante me in Hieruſalẽ: Coaceruaui mihi aurũ, & argentũ, & ſubſtantias regum, & prouinciarũ: Feci mihi cãtatores, & cãtatrices, & delicias filiorũ hominũ, ſcyphos, & vrceos in miniſterio ad vina fundẽda, ſupple aurea. Et ſupergreſſus ſum opibus omnes, qui fuerunt ante me in Hieruſalem: ſapientia quoque perſeuerauit mecum. Et omnia, quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin voluptate omni frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ paraue[B]ram. Et hanc ratus ſum partem meam, ſi vterer labore meo. Totam auctoritatem poſui, vt attendatis, quantis iſte mundanis honoribus fulſit, quantis delicijs vſus fuit, & quantis diuitijs abundauit. Nam omnia ſupradicta ſonant diuitias, & honores. Quis vnquam regũ, immo quis hominum tot delicijs, honoribus, & diuitijs abundauit? *3. Reg. 4. & 5.* Si legeris in lib. Regum, & conſideraueris aurum, & argentum, tributum, ſiue munera regum, ſtabula equorum, multitudinẽ militum, varietatẽ in menſis, nouã ædificationẽ domorũ, videbis hunc regem cunctos mortales fere, honoribus, diuitijs & delicijs exceſſiſſe. [C] Et licet ita fuerit; audi quod in auctoritate prædicta ſubiũgitur: Cũque, inquit, vertiſſem me ad vniuerſa opera, quæ fecerunt manus meæ, & labores, in quibus fruſtra ſudaueram; vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem ſpiritus, & nihil permanere ſub ſole. Et addit: Idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuerſa, & cunctã vanitatem, & afflictionem ſpiritus: Ruſus deteſtatus ſum omnẽ induſtriã meã, qua ſub ſole ſtudioſiſſime laboraui, habiturus heredẽ poſt me: quem ignoro, an ſapiens, vel ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis. Et concludit, quòd non eſt quidquam tam vanum. [D] Vnde ceſſaui, renunciauitq; cor meum vltra laborare ſub ſole. Sũt ergo, fratres, fugiendæ deliciæ, ſunt fugiendæ diuitiæ, ſunt & fugiendæ honorũ eminentiæ, quia vanæ: eo quòd tranſeunt vniuerſa. Nullo enim modo eſt amãdum, quod abſque dubio eſt perdendum, & doloris eſt cauſatiuum finaliter. Sic ergo, qui vident ſupra ſe Deum, vident intra ſe carnis ſtimulum, iuxta ſe proximum, infra ſe vanum mundum; ſunt peruenturi ad præmium.

## DE SS. APOSTOLIS
### SERMO VII.

*Matt. 5.a* BEati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Concludit in libro de cõſolatione Boetius: † Et Philoſophus ait: [a] Quod bonum, eſt deſideratur ab omnibus. [b] Nemo enim, Dionyſ. ait, dum aliquid agit, intendit ad malũ; ſed tantum ad bonum, vel ad id, quod æſtimat eſſe bonum; etiam ſi non ſit ſibi bonum. Ergo ſi appetitur ab omnibus bonum; apparet magis, & maxime, quòd & ſummum bonum, quod eſt omnis boni cauſa, & principium. [F] In ipſo autem ſolo Deo, cum ſit ſummum infinitum bonum, iucundiſſimum, & æternum; quieſcit humanum deſideriũ: & in nullo alio fit quietum. Cum ergo beatitudo dicatur continere intra ſe omne bonum, ſicut iam in ſuperioribus eſt oſtenſum; nihil omnino aliud eſt ipſa beatitudo, quàm ſummum bonum: quæ beatitudo eſt bonum, per ſe ab omnibus appetendum. Verum licet bonum non habeatur nec perfecte ametur, nec videatur; nec vnquam videtur, niſi oculus animæ plene mundetur. Ergo, ſi Deum videre volumus, vt beati eſſe poſſimus, prius neceſſe eſt, vt corda mũdemus. Et ideo bene dicitur: *Beati mũdo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* In quibus verbis maxi[A]me tria tanguntur. Nam primo, tangitur dignitas pœnitentiæ, qua in via purgamur. Secundo, tangitur ſublimitas gloriæ, qua Deo perfruimur. Tertio, ponitur redditio cauſæ, qua beati efficimur. Nam primo tãgitur meritum, noſtræ ſalutis præambulum, cum interponitur: *Mundo corde.* Secundo tangitur meritũ, præmio reſponſiuũ, cum præmittitur: *Beati.* Tertio vero tãgitur ipſius præmij ratio, & principiũ, cum in fine adiungitur: *quoniam ipſi Deum videbunt.* Nam per munditiam animæ peruenitur ad viſionem diuinam: & per viſionem Dei habetur ſublimitas præmij. Quia vero de munditia, qua Deum vi[B]demus in via, dictũ eſt in quarto ſermone ſupra: & de viſione diuina in duobus ſermonibus præcedentibus dixi multa; hic de beatitudine ſola narratio eſt facienda. Verum ad dicendorum intelligentiam, eſt notandũ, ꝙ triplex eſt beatitudo. Prima eſt hominũ peccatorũ, ſe delectantiũ in mundanis. Secunda eſt beatitudo hominũ bonorũ, vigilãtiũ in diuinis mãdatis. Tertia vero, & optima, eſt hominum beatorum, ſummis perfruentiũ bonis, & ideo peroptima.

Dico primo, quòd eſt quædam beatitudo in via, quæ eſt hominum peccatorum, & ſumme delectantium ſe in mundanis, & quærentium finem vltimum in eis. [C] Nam laſciui finem ſuum, ſiue beatitudinem ponunt totam in delicijs carnis. Superbi, & alti ponunt beatitudinem in dignitate, & bonorum eminentijs. Sed omnia iſta ſunt vaniſſima, atque ſtultiſsima, quia ſenſui, & rationi contraria. Nam beatitudo, teſte Boetio, eſt ſtatus omnium bonorum, aggregatione perfectus. *Boet. de Conſolat. Philoſophia lib.3.proſa. 2.* Ergo, vbi bonum deeſt, beatitudo vera eſſe non poteſt. Sed, vt de innumeris bonis omittam; in ſupradictis omnibus ſecuritas deeſt, ſine qua nullum bonũ perfectum eſt. Ergo omnis beatitudo talium nulla eſt. Minor probatur per ſyllogiſmum. Nam pereunt diuitiæ, pereunt de[D]liciæ, pereunt dignitates, &, quod maius omnibus eſt, moriuntur habentes honores tales; quod non contingeret, ſi in eis ſtatus beatitudinis præceſſiſſet. *Boet. de Conſolat. Philoſoph. lib.2.pro.5.* Vnde exclamat Boetius, hanc quæſtionem tractans: O præclara hominum beatitudo, quam cum adeptus fueris, ſecurus eſſe deſiſtis. Quomodo deliciæ beatũ faciunt, † quæ ſumptæ, faſtidium pariunt: in ventre putreſcunt, & ſæpe ægritudinis, & cauſa mortis exiſtunt: *† Huic ad ſimile eſt apud B. Greg. magnum, Homil. 36. in Euãg. to.3.* Quomodo laſciuiæ beatum faciunt, quæ triſtitiam tandem inducunt, vires corporis minuunt, & ad mortem diſponunt: Quomodo honores beatum facere poſſunt, qui quanto hominem ad [E] altiora ſuſtollunt, tanto ei maius præcipitium ingerunt? Quanto enim gradus eſt altior; tanto caſus decliuior. Vnde aſcendere non eſt aliud, quàm ſibi præcipitium præparare, & tanto magis, quanto aſcendit ſublimius. Quomodo etiam diuitiæ hominẽ beatũ faciunt, quæ potius eum gladijs prædatorũ exponunt? Sæpe diuites cũ periculo capitis vadũt, vbi pauperes ſecure incedũt. Vnde Boetius: Tu, quoque, qui nunc gladium pertimeſcis, ſi vitæ huius callem vacuus viator intraſſes, corã latrone cantares: *Boetius ibidem lib. 2. proſa.5.*

*† Cantabit vacuus coram latrone viator.* *† Iuuenalis Satyra 10. lib. 3.*

Falſa eſt ergo beatitudo, & vana, quæ haberi po[F]teſt a malis in mundo. Quòd ſi rationibus euidentibus non acquieſcis, audi eximium Prophetarum hanc beatitudinem deſcribentem, & non eſſe beatitudinem, aſſerentem: *Eximius Prophetarũ Dauid. Pſ.143.c* Erue me (inquit) de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis. Ecce oris, operiſq. iniquitas; ſed additur ſtatim humana proſperitas; Primo, quo ad filiorum felicitatem, cum dicitur: Quorum filij, ſicut nouellæ plantationes a iuuentute ſua: Filiæ eorum compoſitæ circumornatæ, vt ſimilitudo templi. Secundo, quo ad bladorum fertilitatem, cum dicitur: Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Tertio, quo ad animalium fæcunditatem, cum dicitur: Oues

Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, A
boues eorum craſſæ. Quarto, quo ad corporum ſa-
nitatem, cum infertur: Non eſt ruina maceriæ,
neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum. Et
concludit: Beatum dixerunt, cui hæc ſunt, non
ipſi. Sed qui ſtulti ſunt, attendentes ſola præſen-
tia, tales prædicant eſſe beatos. Sed numquid eſt
ita, ſancte Propheta? Dic ſententiam tuam, quam
ſcis eſſe veram: Non (inquit) eſt ita, ſed beatus po-
*Pſal. 32. c* pulus, cuius eſt Dominus Deus eius. Quomodo beа
tus eſt homo propter bona ſupradicta, quæ citiſſime
ſunt tranſitura, quæ non ducũt ad vitã; ſed ad damna
*Iob. 21. a* tionem æternam? Sic enim dicit Iob: Quare impij vi B
uunt, ſubleuati ſunt, cõfortatiq. diuitijs? Semen eorũ
permanet cum eis, propinquorum turba, & nepo-
tum in conſpectu eorum. Domus eorum ſecuræ
ſunt, & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper eos. Bos
eorum concepit & non abortiuit: vacca peperit, &
non eſt priuata fœtu ſuo. Egrediuntur, quaſi gre-
ges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſi
ſibus, tenent tympanum, & citharam, & gaudent
ad ſonitum organi. Sed audi finem, & non dicas
eos felices, ſed miſeros: Ducunt (inquit) in bono
dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Eſt
enim omnis talis, arbori ſimilis, quæ multum eſt ele- C
uata, foliorum amœnitate veſtita, fructibus, & flo-
ribus redimita; ſed ventis excuſſa diſcinditur, & ſic-
catur: vel ſecuri præciſa ſubmergitur, & ignis incen
*Exemplũ.* dio præparatur. Nam leo valde glorioſus incedit,
animalium rex exiſtens: ſed dum ad mortem ve-
nit, amaras lacrymas, fundit. Nero imperator, licet
in tantum fuerit felix, vt piſcaretur retibus aureis;
inuaſus vltimo a Romanis, fugiens, dentibus fuſtem
exacuit, quo ſe per ventrem transfodit, & ſic vitam
*In vita S.* finiuit, quem aſſeruerunt eſſe felicem. Beatus Am-
*Ambroſ. 10.* broſius dum de Mediolano Romam iret, in quadam
*6. ex Pauli* villa Tuſciæ apud diuitẽ hoſpitatus eſt. Cumq. ſi- D
*no & Baro* mul ſederent, & Sanctus Ambroſius de ſtatu eius
*ni. Et Ca* quæreret; Ille, ait: Domine, ſemper feliciſſimus fui, &
*tal. 55. lib.* filiios, & familiam multam habui, diuitias innume
*2. cap. 36.* rabiles congregaui, nihil vnquam incommodi ha-
*Et Marul.* bui, vel paſſus fui; ſed omnia ſemper pro voto rece-
*lib. c. 3.* pi. Quod cum Sanctus audiuit, diſcipulos vo-
cauit, equos cito parari fecit, eiſq. dixit: Fugia-
mus filij: quia non eſt Deus in loco iſto; ne nos rui-
na inuoluat. Cumq. fugerent; ſe mox terra ape-
ruit, & illum cum ſuis deglutiuit.

Secunda beatitudo, quæ eſt in vita, eſt hominum
vigilantium in diuinis mandatis, & abſtinentium E
a malis, & promouentium ſe in bonis. Vnde Lucas:
*Luc. 12. e* Beatus ille ſeruus, quem cum uenerit Dominus eius,
inuenerit vigilantem. Ergo, ſi beati eſſe volumus,
neceſſe eſt, vt vigilemus. Sed in quibus? vtique in
duobus, ſcilicet vt a malo ſollicite declinemus; & bo
na ſollicite faciamus: Nam malum dimittere, & bo-
num facere, ſunt duæ partes iuſtitiæ, quibus perue-
nimus ad beatitudinem non ſolum viæ, ſed Patriæ.
*Propheta.* Vnde Propheta tangit hæc duo, cum dicit: Beatus
*Pſal. 1. a* vir, qui non abijt in conſilio impiorum. Ecce ma-
li dimiſſio. Sed in lege Domini fuit voluntas eius.
Ecce boni operatio. Eſt notandum, quòd tria F
verba in deſcriptione mali ponit, ſcilicet abijt, ſtetit,
& ſedit. Plus enim eſt ſtare, quàm abire; & plus
ſedere, quàm ſtare: Nam abire eſt cito tranſire: Sta-
re eſt quadam ſtabilitate manere: ſed ſedere eſt per-
fecte quieſcere. Ergo breuiter dicam: Abire, eſt ma
lis conſilijs ad modicum conſentire. Stare, eſt
malis operibus operam dare. Sed ſedere, eſt pec-
catum in conſuetudinem ducere, vel trahere. Pri
mo ergo conſentire, eſt malum. Secundo ſcilicet
operam dare malo, eſt maius malum. Sed in ma-
lo perſeuerare, & in conſuetudinem trahere, eſt peſ
ſimum; quia fit, vt ratio ſemper prona ſit. Et prima
duorum malorum genera faciliter ſunt corrigenda:
ſed tertium eſt quaſi in naturam verſum; nec niſi
multa difficultate, eſt correctionis ſuſceptiuum:
eſt enim conſuetudo altera natura. Vnde quaſi na-
turale fit, quod diutius inoleuit. Vnde Hieron. di-
cit quòd experientia hoc oſtendit: Non eſt ad diſcen-
dum in tenero, quod eſt poſtea deſerendum: quia
difficulter raditur, rudes cum perceperunt. Poeta:
*Quod noua teſta capit, inueterata ſapit*: Lagena *Ex Horat.*
enim ſemper eundem odorem ſeruat, quem, dum *lib. 1. ep. 2.*
noua eſſet, imbuta eſt. Non faciliter color a panno
mouetur, quo primo tingitur. Minium, ſi bene Exempla.
chartæ imprimitur, vix ita vnquam raditur, quin ſem
per veſtigium aliquod relinquatur. Rubigo, ſi be
ne ferro imprimitur, etiam ſi lima amoueatur; ſæ-
pe ad idem reuertitur. Vnde pullus equinus nun-
quam paſſum deſerit, quem iuuenculus aſſueuit.
Propter quod narrat Greg. hiſtoriam: & habetur in
Glo. ſuper illud Prouerb. Adoleſcens iuxta viam *Prou. 22. a*
ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedit ab ea. Quod
Alexander mores vitiorum, & incæſtuum Pedago-
gi ſui, & puerorum, cum quibus creuit, nunquam *Catal. SS.*
dimittere potuit. Exemplum de Nicolao, de quo *lib. 1. cap. 8.*
dicitur in legenda Sancti Andreæ: Qui in malo in-
ueteratus, licet a peccato carnis ſe ſubtrahere vellet;
non poterat. Quia conſuetudo mala ſemper eum ad
laſciuiam trahebat, ſiue inducebat: cuius pronitatẽ
beatus Andreas ieiunijs, & orationibus pugnans,
vix a Deo obtinuit pro eo, eiq. ad reſiſtendum gra
tiam impetrauit. Ergo ſi beatitudinem viæ obti-
nere cupimus, a malo ante omnia recedamus. Non
ſedeamus, non ſtemus, non ambulemus in conſilio
impiorum: ſed in lege Domini meditemur die,
ac nocte. Quare hoc? vtique vt per legem Domi-
ni diſcamus, quid corde credendum, quid ſperan-
dum, quid amandum, quid etiam meditandum,
quid ore loquendum, quid orandum, quid alijs cõ-
ſulendum, quid opere ſit agendum, quid fugiendũ,
quid Deo, quid ſibi, quid proximo impendendum.
Vnde dicitur in alio Pſal. Beati immaculati in via, *Pſal. 118. a*
quantum ad receſſum a malo. Qui ambulat in le-
ge Domini: quantum ad promotionem in bono.

Tertia beatitudo, eſt hominum beatorum, per-
fruentium bonis ſummis, pacificis, & æternis. Et
hæc beatitudo non eſt vna cum prima: nec tantum
bona cum ſecunda, ſed eſt in ſummis delicijs con-
ſtituta: & ideo ſola perfecta, quia ab omni prorſus
malo remota, & eſt omnibus bonis plena: quia ſe-
rena, quia iucunda, quia ſecura, quia pacifica, quia
æterna. Hæc autem beatitudo ad præſens conſiſtit
in tribus, ſcilicet, Primo, in videndo: Secundo, in
audiendo: Tertio, in guſtando. Nam ſicut hi tres
ſenſus maxime delectantur in corporalibus; ſic & in
ſpiritualibus. Quid enim delectabilius, quàm vi-
dere lumen æternum? quid ſuauius, quàm audi-
re ſummum docentem Magiſtrum? quid dulcius,
quàm panem iſtum cæleſtem, & melliſluum degu-
ſtare? Dico, quòd in illa ſumma beatitudine dele-
ctabile eſt, lumen videre æternum. Numquid hoc
parum? ſi ſic delectat oculum aquilinum inſontem
conſpicere ſolem iſtum; quantum delectabit homi-
nis intellectum, reſpicere ſolem Deum, qui omniũ
factor eſt cælorum, & ſtellarum? Quo viſo, viden
tur omnia ſciuntur, & cognoſcuntur vniuerſa, quæ *Grego. to. 2.*
ad beatitudinẽ ſunt neceſſaria. Gregorius: Quid eſt *lib. 2. in*
quod non videat ibi, qui videntem omnia videt? *Iob. c. 2. &*
Sicut enim obiecta relucent in ſpeculo materiali; ita *lib. 5. Dial.*
omnia obiecta relucent in ſpeculo illo æterno, quod *c. 33.*
eſt ars plena omnium rationum viuentium, ſicut di *Aug. tom.*
cit Aug. Ergo ſi ſic delectat humanum affectum, *9. de tripli*
videre pulchritudinem florum, & roſarum: videre *ci habitacu*
varietatem colorum: videre formoſitatem imaginũ, *lo circa fi-*
& omnium picturarum: videre pulchritudinem facie *nem: ſed*
rum: videre amœnitatem camporum, pariter & pra- *paulo ali-*
torum: videre comas arborum, & venuſtatem aſtro- *ter.*
rum;



rum: quantum delectabit videre pulchritudinem A
omnium ſeculorum Creatoris? Si ſic delectat pul-
chritudo creata, limitata, temporalis, trãſitoria, quid
faciet increata, immenſa, permanens, & æterna?
*Luc. 10. a* Et propterea dicitur: Beati oculi, qui vident, quæ
vos videtis. Eius viſio tam iucunda eſt, quòd ſi quis
in inferno exiſteret, & Deum videret, nullum om-
nino dolorem ſentiret: quia dolorem magnũ maior
delectatio abſorberet. Nã multi etiã in hac vita fuerũt
Sancti, qui propter delectationem illius incommu-
tabilis boni, ita a ſenſibus omnibus fuerunt abſtra-
cti; quòd nihil exterius pro tempore ſentiebant,
etiam actu puniti. Et quid mirum, ſi ſic potens eſt B
delectatio diuina, cum & in hac vita, medicina a-
mara ſic ſæpe abſcondatur ſub mellea materia, vt gu
ſtus non percipiat eam? Secundo, beatitudo non
conſiſtit tantum in videndo; ſed etiam in audien-
do ſummum Magiſtrum. Multum demulcet audi-
tum cantus auicularum, multum melodia hominũ,
plurimum harmonia inſtrumentorum muſicalium.
Ergo quid faciet melodia tantorum Sanctorum, me-
lodia innumerabilium Angelorum, & inſuper me-
lodia æternalium perſonarum? Item ſi ſic poteſt
delectari Platonis muſica; ſi ſic eloquentia Demoſthe
nis: ſi ſic Rhetorica Ciceronis; ſi ſic ſapĩa Salomonis, C
quæ a finibus terræ homines ad ſe traxit; quid erit,
audire diuinam ſapientiam, quæ ſapientiam omni-
bus iſtis dedit? Vnde & in figura dicebat Regina Sa-
ba, quæ venerat a finibus terræ audire ſapientiam Sa
lomonis: Beati viri, & beati ſerui tui, qui ſtant co-
*4. Reg. 10. e* ram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Et ad-
dit: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea
ſuper ſapientia tua: & non credebam narranti-
bus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, &
probaui, quòd media pars mihi non renunciata
fuit. Maior eſt enim ſapientia tua, & opera tua,
quàm rumor, quem audiui. Vere ſicut tunc fuit in D
figura, ita nunc eſt in infinitum maius, & in re ipſa.
Non credunt, qui modo audiunt; ſed cum vide-
bunt, tunc exclamabunt, quòd non eſt, vt au-
dierunt in comparatione eius, quod ipſo aſpectu
videbunt. Si enim tam dulce eſt, Deum audire in
hac vita (vt dicit Propheta: Quàm dulcia faucibus
*Pſal. 118.* meis eloquia tua, ſuper mel ori meo) quid erit, quan
do bonum audietur in ſemetipſo? Si pro tempore,
in quo ſumus, quo in ænigmate de Deo ſentimus,
*Cant. 5. c* Sponſa dicit: Anima mea liquefacta eſt: vt dile-
ctus locutus eſt; quomodo liqueſcet præ amore di-
lecti, cum eum loquentem audiet in ſeipſo? Ter- E
tio, illa beatitudo ſumma non ſolum eſt in audien-
do, & videndo; ſed (quod perfectius eſt) etiam in
guſtando. Sic enim in corporalibus, ſic & in ſpiritua
libus eſt in guſtu ſuo modo delectatio. Nam mel
non multum delectat viſum; ſed delectat valde pa-
latum. Si ergo ſic delectat corporeum guſtum dele-
ctamentum ciborum, & varietas ſaporum, & vino-
rum dulcium; quantum delectat affectum ſummum,
comedere bonum panem illum Deificum omnis ſa-
poris, & dulcedinis contentiuum? Et propterea
*Luc. 14. a* dicitur: Beatus, qui manducat panem in regno
cælorum. Eſt ergo cum ſanctis ſuis Apoſtolis fugi- F
gienda humana beatitudo: eſt amplexanda beati-
tudo chriſtiana: ſed eſt deſideranda beatitudo diui-
na. Rogemus, &c.

## DE SS. APOSTOLIS

### SERMO IIX.

*Io. 14. c* S*I quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.*
Non ſe Deum diligere credat, qui eum
corde ſæpe non cogitat, qui eum ſæpe
ore non laudat, qui opere mandata eius
non ſeruat. Nam, ſicut dicit Greg. Si vnuſquiſque
*Greg. to. 3.* veſtrum requiratur; an Deum diligat, libera voce,
ſecura mente reſpõdet: Diligo. Sed conſtat verum, *hom. 30. in*
quod ipſe dicit: Probatio dilectionis, eſt exhi- *Euang.*
bitio operis. Ergo ſi vere Deum diligas, eſt inqui-
rendum a corde, a lingua, & ab opere. Eſt vtique
primo inquirendum a corde: quia quod cor amat,
ſæpe de eo cogitat: Sepe enim cogitant vani de car
nis delicijs, & ſæpe ſuperbi de eminentijs; ergo &
ſpirituales ſæpe de diuinis. Si enim ſæpe de eo non
cogitas, Deum te vere amare non credas. Item ho-
mo maxime de eo cogitat, quod præ ceteris amat.
Si de mundo magis, quàm de Deo cogitas; mundũ
magis, quàm Deum amas. Secundo, ſi Deum amas,
a lingua requiras. Ex abundantia enim cordis os lo- *Mat. 12. e*
quitur. Quia dicit Rich. & Philoſophus ei conſen-
tit: Idem omnino eſt verbum oris, & cordis. Lin-
gua libenter nominat id, quod cor amat. Ergo qui
plus de mundo fatur, quàm de Deo; magis mundũ,
quàm Deum diligere comprobatur. Tertio, ſi Deũ
diligas, ab opere tuo requiras: Non enim poteſt
ignis eſſe in paleis, & non ardere: Ergo nec ignis di
uinus in corde & opere poteſt vacare. Impoſſibi-
le ergo eſt, vt opeari renuat, & magna non agat, ſi
plenis affectibus Deum amet. Hoc eſt, quod Domi-
nus dicit: *Si quis diligit me, &c.* In quo verbo maxi-
me duo facit. Primo, ſe amandum oſtendit. Se-
cundo, probationem amoris inducit. Oſtenditur
autem primo in Deum dilectio, cum dicit: *Si quis di-*
*ligit me.* Oſtenditur ſecundo dilectionis probatio,
cum in fertur: *ſermonem meum ſeruabit.* Eſt ergo no-
tandum circa diuinam dilectionem (quam maxime
habuerunt Apoſtoli, & habent omnes Apoſtolici vi-
ri) quòd ad eam habendam, quattuor ſunt maxime
neceſſaria, ſiue motiua. Primum ſumitur ex parte
naturæ. Secundum ex mandato Scripturæ. Tertiũ
ex dono gratiæ. Quartum ex promiſſo gloriæ. Nam
naturæ officium eſt, ad amorem inducere. Scri-
pturæ, eſt hoc præcipere. Gratiæ, eſt huic man-
dato (ſi opus eſt) parere. Gloriæ, ſeipſum & nolen-
tes quodam inductu attrahere.

Dico primo, quòd primum motiuum ad amorẽ
diuinum, eſt ipſa natura: nam ſicut patet ex inſtin-
ctu naturæ; diligunt aues, diligunt canes, diligunt
equi, & boues, diligunt & leones, quos ſibi cernũt
benefacientes. Diligunt Pagani, diligunt Iudæi, di-
ligunt Saraceni ſuos benefactores. Vnde hoc? certe
ipſa natura mouente. Ergo homo, qui adeo nobi-
liſſimam naturam accepit, Deum tam beneficũ cur
non amabit? Item cogita, quantum cæcus illum di-
ligeret, qui ſibi redderet viſum! Quantum ſurdus,
qui ſibi redderet auditum! Quantum mutus eum,
qui ſibi repararet affatum! Et ſic ſimiliter, qui pe-
dem truncatum, vel manum, vel forſitan naſum ab-
ſciſum haberet. Ergo quantum amandus eſt, qui
tibi corpus ſanum dedit, & integrum: & inſuper
(quod maximum eſt) tibi contulit animã ad imagi-
nem ſui factam, & cum corpore ad vitam æternam
ordinatam! Item attende, quomodo omnia corpo-
ris membra cordis ſunt amantia; eo quòd ab eo mo
tum recipiant, & vitam. Vnde Galen. dicit, quòd
brachia hoc habent proprium, quòd omnia illa, quæ
amari à corde ſciunt, dulcibus amplexibus capiunt,
& cordi quantum poſſunt aſtringunt: ita quòd dile-
ctum totum cordi imprimerent, ſi valerent. Vngues, Vnguis
qui ſunt ex fumoſitatibus cordis, in tantum cor, a quid.
quo ſuum eſſe capiunt, diligunt; quòd ſtatim cor-
de patiente, liueſcunt, & quandoque nigreſcunt: ita
quòd nunquam cor patitur, quin ſignum in vngui-
bus oſtendatur, ſicut in febri monſtratur. Quomo-
do ergo Deum non amabit, a quo non ſolum acce-
pit eſſe; ſed vita nobiliſſima viuere, nobiliſſima for-
ma ſentire, & (quod eſt maximum) cum Angelis
intelligere? Et propter hæc omnia bona naturæ, di-
citur: In tota anima tua dilige eum, qui te fecit. No *Eccl. 7. e*
tanter dicitur: in tota anima tua: quia ſicut qui par-
tem

tem dat, ex parte amandus eſt; ſic qui totum dat, ex toto eſt diligendus. A Diligimus enim patrem carnalem, ſed ſecundum partem: quia ab eo accepimus partẽ noſtræ ſubſtantiæ. Ergo debemus totaliter diligere Patrem ſpiritualem, ideſt Deum, a quo totum accepimus eſſe noſtrum, tam carnis, quàm animæ, ſicut Mulier illa ſancta dixit in ſua prædicationes; vt ad patiẽdum filios confortaret: Neſcio (inquit) quomodo in vtero meo apparuiſtis: Neque ego ſpiritum, & animam dedi vobis, & ſingulorum membra ipſa compegi; ſed mundi Creator. † Vnde in libro de ſpiritu, & anima: O miſer ego: quantum diligere deberem Deum meum, qui me fecit cum non eram, B & de nihilo fecit me non lapidem, non arborem, non aliquod de animalibus; ſed hominem voluit me eſſe, dedit mihi viuere, ſentire, & intelligere. Et quibuſdam interpoſitis addit: Cum hæc, & multa alia conſidero: dolore pariter, & rubore confundor: dolore, quia animam perdo: rubore, quia patrem tam magnificum non agnoſco. Amemus ergo cum ſanctis Apoſtolis Deum noſtrum, & relinquamus omnia propter ipſum: & in amore noſtro Deus nullum habeat ſocium, quia dicit beatus Aug. † Minus te amat, qui tecum aliquid amat. Itẽ Greg.* Tanto quiſque ab æternis diſiungitur, quanto in inferioribus delectatur. C

*2. Mach. 7. d*

*† Aug. to. 3. lib. de Spiritu & Anima. cap. 7.*

*† Aug. in lib. Soliloquorũ circa mediũ tom. 8.*

**Greg. to. 2. expos. moral. lib. 28.*

Secundo, Deum amandũ non ſolum inducit natura, ſed ipſa Scriptura. † Quæ (ſicut dicitur in libro de doctrina Chriſtiana) nihil aliud præcipit, niſi charitatẽ: & nihil aliud vetat, niſi tepiditatem. Vnde requiſitus Dominus, quod eſſet maximum mãdatum in lege; ait: [a] Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. In his (inquit) duobus mãdatis vniuerſa lex pendet, & D Prophetæ. Sed quid eſt hoc? Numquid non ſunt alia multa mandata Dei? Audiſtis quæſtionem: audite reſponſionem. * Gregorius enim hoc quærit dicens: Cum cuncta ſacra eloquia plena ſint Dominicis præceptis; quid eſt, quòd de ſola dilectione, quaſi de ſingulari mãdato Dominus dicit: Hoc eſt præceptum meum &c. Niſi quia omne mandatum de ſola dilectione eſt, & quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur? Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis; ſi non manſerit in radice charitatis. Et addit: Præcepta ergo Dominica multa ſunt, & vnum. Multa per diuerſitatem operis: & vnum E in radice charitatis. Exemplum eſt in arbore, cuius rami in ſe ſunt diuerſi, & multi, ſed in radice ſunt vniti, a qua accipiunt, vt ſint viui, & fructiferi: quia ſine ea ſunt mortui, & nullis vſibus apti. Niſi igitur ſic & omnia opera noſtra ſint vnum, ſiue radicata in diuina charitate, omnino ſunt nulla: quia nec Deo poſſunt eſſe accepta, niſi fuerint hoc igne excocta. Sunt enim omnia opera noſtra bona, conſiderata in ſe: ſicut poma ſiluatica, vel domeſtica nõ matura; quæ ſunt omnino inutilia, ſi non fuerint igne digeſta, & mediante calore ad maturitatem redacta. Dicit enim Scriptura: Diliges Dominum Deũ F tuum ex toto corde tuo, ideſt in toto intellectu, ſine errore: Ex tota anima tua, ideſt in tota voluntate, ſine contradictione: Tota mente tua, ideſt memoria, ſine obliuione: Et omnibus viribus tuis ideſt totis viſceribus, ſiue affectibus, ſine omiſſione. O quàm felix eſſet, qui ſic Deum amaret, & in nullo de eo erraret, vel falſum de eo ſentiret. In nullo eius voluntati contradiceret, ſed ſe voluntati diuinæ cõformaret: ſemper eũ in memoria haberet, & de ipſo iugi memoria cogitaret, & nihil de pertinentibus ad ſeruitium ipſius omitteret: ſed omnis vires ſuas ad hoc ipſum impenderet. Quis tali felicior? quis ſublimior? quis Deo gratior? Sed vbi

*† Aug. de Doct. chriſtiana. lib. 3. poſt initium to. 3. In loco citato Auguſt. cupiditatẽ nõ tepiditatem habetur, quamuis illa itẽ lectio nõ ſit cõtemnenda.*

*[a] Mat. 22. d*

** Gre. to. 3. hom. in Euang. 27.*

Exemplũ.

*Deut. 6. a*

*Mat. 22. d*

eſt hodie talis, immo quis non contrarium facit? Nonne omnis mundus erroribus plenus exiſtit? Nõne humana voluntas in his deficit? Nonne hodie guloſi plus de delicijs, auari plus de diuitijs, laſciui plus de vanis, ſuperbi pluſquàm De Deo, in honoribus delectantur? Eſt tamen notabile valde, quòd Deum diligendum aſſerit toto corde: Quid eſt enim toto corde diligere, niſi pure, & ſine ſocio amare, ideſt nihil præter eum diligere? Non enim eſt vinum purum, cui admixta eſt aqua: immo virtus vini debilitatur, quanto plus aquæ illi adiungitur. Sic & Deus tanto minus amatur; quanto plus extranei amoris ei aliquod admiſcetur. Nulla enim eſt virtus, quæ ex appoſitione ſui contrarij non minor reddatur, ſicut ex appoſitione ſui ſimilis roboratur. Nam aurum purum, ignis non timet incendium: non ſcinditur malleo, quantuncunque percutiatur; ſed ictibus dilatatur, vt etiam omni formæ ſit aptum. Sed ſi adulterini metalli fuerit ei admixtum; ſemper ſub malleo ſcinditur, nec aliquid ex eo efficitur, quouſque ab eo, quod adulterinum eſt, ſeparatur. Sic non poteſt Deus perfecte amari, niſi ſolus ametur, nec aliquid cum eo extraneum diligatur, quod non propter ipſum ametur.

Tertio, ad diuinum amorem inducit nos ipſa gratia nobis in redẽptione Saluatoris exhibita. De qua dicitur: Gratiam fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam. Non vtique dedit aurum, non argentum, non lapidem pretioſum, non ſeruum, non aliquem Angelorum, ſed ſeipſum. Quis ergo (niſi ſit malus ſeruus) non diligat dominum? Quis tam malus, vt ſe a carcere non amet liberantem? Quis tam ingratus, qui eſt ad mortem infirmus, quòd non amet medicum ſine pretio ſe curantem? Et quis adeo peruerſus, ſi eſt cæcus, qui non amet illuminantem ſe? Nam pulli hirundinum ſuas amant matres, ſe illuminantes. Certe nos eramus diabolico carceri mancipati, eramus penitus cæci, & a vera luce alieni, eramus peccato mortui, & iam quaſi in inferno ſepulti. Quomodo ergo non illum amabimus, qui nos ſua gratia illuminauit, qui a carcere diaboli nos liberauit, & nos a morte culpæ, ſuo ſanguine redimens, vitæ reſtituit? Vnde dicitur: Dilexit nos, & lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. O inaudita dilectio, o magnificus amor, o vera probatio dilectionis; dum pro amore hominis, ſuum ſanguinem fudit, & crudeliſſimæ morti ſe tradidit, nec de concernentibus quidquam omiſit. Si ſic canis dominũ ſuũ amat pro pane modico; ſi ſic equus pro modico hordeo; ſi ſic & aſinus pro pabulo, & fœno; quantum ille a nobis amandus exiſtit, qui carnem ſuam dedit nobis in cibum, ſanguinem in potum, vitam in meritum, & ſe totum in præmium? Nam leo (ſicut in Dominicalibus ſermonibus patet) dum a ſerpente cinctus, & ab eo fortiter aſtrictus eſſet, dum fuiſſet a quodam milite liberatus; ſic illi toto corde adhæſit; vt ab eo, niſi morte, ſeparari nequiuerit. Cur ergo non facit homo rationalis, quod animal brutum facit: & Deo ſuo negabit, quod homini mortali leo impendit?

*Eccl. 29. c*

*Apoc. 1. b*

Exemplũ.

Quarto, ad diligendum Deum mouet gloria, nobis a Deo promiſſa, quæ eſt tanta, tam alta, tam ampla; tantis bonis plena, & innumerabilia per ſæcula permanſura; vt dici queat nulla lingua: immo nec cogitari humana poteſt intelligentia. Vnde Apoſtolus: Quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum. Fertur, quòd fuerunt duo viri religioſi mutuo ſe amantes: Cumq. vnus ad mortem veniret, ab alio adiuratus eſt, vt ad eum poſt mortem rediret. Poſt mortem ergo illi apparuit, & ab eo requiſitus, quomodo illic eſſet, ait: Sicut audiuimus; ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, & mil-

*1. Chor. 2. c*



lies amplius. Quanta eſt ergo ſtultitia noſtra, A illum non amare, qui tanta bona ſuis amatoribus præparauit? Mercatores enim intantum amant aurum, quòd tantum laborem pro eo acquirendo aſſumunt. Vnde pro ipſo acquirendo alpes tranſeunt, fluctibus maris, & ventis validis ſe exponunt, vias periculoſas arripiunt, calores, & frigora non paueſcunt: & tamen ſæpe non inueniunt quod inquirunt, immo dum lucrari putant, e contrario ſæpe perdũt, Quæ ergo amentia, vt pro lucro tam certo, tam immenſo, nullis temporibus vmquam perdendo, non ſolum laborare nolumus; ſed quod abſque labore poſſumus, bonum amare ſcilicet renuimus? Non B enim aliud a nobis Deus requirit, quàm amorem. Ergo ſi ieiunare non potes, ex toto corde ama Deũ: & accipe ſummum regnum. Numquid amare non potes? quomodo diligis aurum, & non potes diligere ſummum bonum? Quis eſt qui Regem Franciæ non amaret, ſi ab eo ſe accipere regnum ſuum ſperaret? Ergo ad Deum amandum inducit natura, mandat Scriptura, impellit gratia, & allicit gloria: ad quam nos perducat Ieſus Chriſtus Dominus noſter.

# DE SS. APOSTOLIS C

## SERMO IX.

*Ioan. 15. c*

*Aug. to. 3. lib. 1. de Doctr. Chriſt. cap. 23.*

*Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Quattuor ex charitate amãda ſunt, vt Auguſtinus docet in lib. de doct. Chriſtiana, ſcilicet Deus, noſtra anima, proximus, & noſtrum corpus. Sed primo, & ſuper omnia amandus eſt Deus: Secundo loco, amanda eſt anima noſtra: Tertio loco, amandus eſt proximus noſter: Quarto loco, a- D mandum eſt corpus noſtrum. Magis enim, quàm corpus noſtrum, amare debemus proximum. Vnde & pro ſalute proximi, ſi neceſſitas ſe offerat, eſt corpus ponendum. Super omnia autem, & propter ſeipſum, debemus Deum diligere, & omnia alia propter ipſum. Eſt tamen hic attendendum, quòd licet corpus ſit ex charitate amãdum: eo quòd ſit ad beatitudinem ordinatum: ſic tamen eſt amandum, ſicut agricola amat frumentum, qui vt fructificare poſſit, non illud in ſcrinio claudit, vel pauſare permittit: ſed terræ ad fructificandum committit: & frigoribus, niuibus, pluuijsq. illud exponit: nec E in area a tribula ei parcit; ſed tamdiu illud percutit, quouſque perfecte ſeparetur a paleis; donec vltimo expoſitum nobis ex eo vtilis fiat panis. Sic etiã nec corpori parcendum eſt, ſed ſic perfecte domandum, donec ab omni peccato fuerit ſeparatũ. Item ſic eſt corpus amandum; ſicut miles diligit clypeum ſuum, quem valde diligit, & manu fortiter ſtringit: ſed contra omnes ictus illum exponit; vt gladius ei parcat. Tertio ſic eſt amandum corpus, ſicut miles diligit equum, quem paſcit, & tergit: ſed ei calcaribus non parcit, nec bellaturus a bello ſubtrahit; ſed contra hoſtes ſtare compellit. Item quar F to eſt corpus ſic amandum, ſicut membrum infirmum, & putridum, cui non parcit gladius: ſed ſicut ſaluti totius corporis expedit; id incidi permittit, quotiens expedire cognoſcit. Ex quibus omnibus aperte colligitur, quòd corpus tunc vere amatur, quando pro honore Dei, pro ſalute animæ ſuæ, & proximi, ei non parcitur; ſed verberibus, & morti exponitur. In verbo ergo præmiſſo nobis charitas Chriſti commendatur. Et primo, commendatur charitatis præceptũ, quantum ad ſuæ gloriæ præconium: Secundo, præcipit nobis ſupernæ dilectionis affectum: Tertio, dilectionis ipſius dat formam, & modum. Et ſic primum facit præceptum venera-

Exemplũ primum.

Exemplũ ſecũdum.

Exemplũ tertium.

Exemplũ quartum.



A bile: Secundum honorabile: Tertium vero commendabile. Notatur enim primo amoris ſingulare præconium, cum dicitur: *Hoc eſt præceptum meum.* Nonne venerabile eſt, & ſingulare præconium, quando hoc præceptum conſtituit, ſingulariter eſſe ſuum? Quære ſupra cauſam in præcedenti ſermone. Secundo præcipit nobis Dominus superni amoris affectum, cum additur: *vt diligatis inuicem.* Tertio dat nobis dilectionis formam, & modum, cum ſubditur: *ſicut dilexi vos.* Tunc enim amor noſter cõmendabilis creditur, cum amantem dominũ imitatur, & eius amoris exẽplo formatur. Dicit er- B go: *Hoc eſt præceptum &c.* Eſt ergo hic notandũ, quòd fraterna dilectio, Primo eſt naturæ rectitudinis oſtẽſiua: Secũdo, eſt legis diuinæ cõpletiua: Tertio, eſt Ieſu Chriſto aſſimilatiua: Quarto eſt infernalis ſupplicij euaſiua, & ſupernaturalis gloriæ inuentiua. Quid iſtis melius, quid vtilius, quid amabilius?

Dico ergo primo, quòd fraterna dilectio eſt habenda: quia eſt naturæ rectitudinis oſtenſiua. Nã tunc eſt natura recta, quando illud facit, ad quod facta eſt, non declinans in partem contrariam. Sed ad hoc factus eſt homo, vt propter Deum proximũ amet, & ſic ipſum ad beatitudinẽ, quaſi ad vltimũ C finem præparet. In cuius ſignum, omnes homines ab vno ſolo homine proceſſerunt (cum omnia alia animalia principium duplex habuerint) vt dum ab vno ſolo principio ſe eſſe viderint, vnitatem inter ſe amarent, & fraternam charitatem exquirerent. Ad hunc enim amorem omnis creatura, tam cæleſtis, quàm terrena nos inuitat ſuo exemplo. Nam, vt dicit Boetius, Omnia iunguntur amore. In corporalibus enim elementatis, vniuntur quattuor elementa; licet in ſe ſint valde contraria. Similiter & in vnum mundũ conueniũt cæleſtia, & terrena, licet in ſe ſint multum difformia, & contraria. Quomodo ergo D mundus exterior ex tam diuerſis compoſitus, ad modicum ſtaret; ſi amor in eo res contrarias non vniret, & vnitatem in eſſe nõ conſeruaret? Ergo, ſi amore vnita ſunt tam diuerſa; quantus amor debet eſſe inter ſimilia? Similitudo enim magna, eſt cauſa magni amoris. Ergo, ſi eſt magna ſimilitudo hominis ad hominem, & ratione vnitatis principij, & ratione præcepti accepti, & ratione ſimilis boni, ad quod ſunt ordinati; conſtat, quòd amore maximo debent inuicem necti. Et ſi animalia a duobus principijs deſcendentia, tanto iunguntur amore; vt ſimul vadant, ſimul quieſcant, ſimul comedant, ſi- E mul dormiant, ſicut patet de columbis, ſtruthionibus, anſeribus, formicis, & apibus; quanto amore debent ſe amare, qui omnes vniti fuerunt in primo homine? Et propterea dicitur: Omne animal diligit ſibi ſimile, ſic & omnis homo proximum ſuũ ſemper amare debet. Sic enim Apoſtoli ſancti hoc fecerunt, qui in mortem ſe pro proximis tradiderunt. Vnde dicebat Sanctus Apoſtolus: Ego autem libentiſſime impendam omnia mea, & ego ipſe ſuperimpendar pro animabus veſtris. Sed quis hodie ita diligit proximum, immo quis hodie proximum non tanto animo odit; vt quod corde gerit, F ſi poteſt in opere ponit? plus ſe diligunt bruta, quàm rationabilia. Si enim (vt dicit Greg.) probatio dilectionis, eſt exhibitio operis; vide, ſi verum eſt hoc quod dico: Nam elephas, ſi aliquando cadit: cum caſum ſuum irrecuperabilem vidit, eo quòd ſurgere de terra non valeat; fortiſſime barrit: Quod dum elephantes audiunt, omnes iuniores, & fortiores ad eum veniunt, & vt ſurgat, adiuuant quantũ poſſunt. Paſſeres, paruæ aues, dum aliquem de ſuis captum conſpiciunt; vndique in vnum conueniunt, & vt captum liberent, laborant vt poſſunt, quem in vinculis paſcunt. Porcorum mos eſt, vt, dum vnus clamat; omnes ad auxilium occurrant. O humana miſeria, o lacrymabilis defectus amoris. Cadit ele-

*Boet. de Cõſolat. Phil. lib. 2. Metro 8.*

*Eccl. 13. c*

*2. Cor. 12. e*

*Greg. to. 3. Hom. in Euang. 30.*

Exemplũ.

elephas, & eſt, qui auxiliū ferat. Capitur paſſer, & eſt qui ſuccurrat. Porcus vociferatur, & inuenitur, qui adiuuat: Sed ſi cadit homo, nō eſt, qui adiuuat, qui in auxilium vadit, ſed ad occidendū ſe inclinat. [Exemplū.] Sunt hodie homines canibus ſimiles, quorum mos eſt; vt, ſi vnus percutitur, ab omnibus alijs laceratur.

Secundo, dilectio fraterna eſt diuinæ legis impletiua. Nonne magnum bonum creditur eſſe, mandato amoris legem implere? Quid hoc melius? Nonne qui hoc facit, ſibi vitam æternam meretur? [*Matt. 19. e*] Sic enim ait Veritas: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Sed ſi quis proximum diligit, omnia mandata Dei cuſtodit. Ergo hoc maximum bonum cuſtodit. Minorem probat Apoſtolus hoc modo: [*Rom. 13. c*] Nemini, inquit, quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis: Qui enim diligit proximum, legē impleuit. Nam non adulterabis, non furaberis, nō occidas, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem proximi tui: & ſi quod eſt aliud mandatum in lege, [*Lucæ 10. e*] in hoc vno verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Et concludit [*Rom. 13. c*] ex præmiſſis Apoſtolus: Plenitudo ergo legis eſt dilectio. Ratio huius argumenti eſt: Qui enim diligit proximum, optat ei bonum, & non malum: ergo eum, quem diligit non occidit, nec contra eum furtum committit, nec contra eum falſum teſtimonium dicit, nec res eius occupat modo indebito, nec furatur, nec concupiſcit, & ſic de alijs. Ergo qui proximum diligit, vniuerſa mandata cuſtodit; & per conſequens legem impleuit. Et propterea beatus Ioannes Apoſtolus, cum ad ſepulchrum viuus adhuc corpore diſcipulorum manibus [*Io. 13. d*] portaretur; ad quamlibet pauſam dicebat: Filioli inuicem diligite. Cumq. illi quærerent, quare illud ſolum diceret; ait: Quia, ſi hoc ſolum fiat, ſufficit ad ſalutem. Turpe eſt, fœdum eſt, non ſeruare hanc legem Chriſti: cum Saraceni legem obſeruant tam fideliter Machometi. Eſt enim abſurdū, & rectæ rationi contrarium; vt legem illam non obſeruamus nos filij; pro qua confirmanda ſunt mortui patres noſtri: Sicut Apoſtoli, Martyres, & multi alij, & (quod maximum eſt) Chriſtus Filius Dei viui. Nam brutorum filij leges, & documenta patrum ſic in omni tempore ſeruant; quod ab eis nullo pacto declinant: ſicut exempla innumerabilia manifeſtāt. Quomodo ergo filij Dei non obſeruāt eius legem; cum animaliū filij ſic ſeruant inuiolabiliter [*Abacu. 1. b*] legem bruti? Sed cōtra eos dicitur Abacuc: Dilacerata eſt lex. Bern. Quotidie proſterni poſſunt leges in plateis: ſed nō ſunt obſeruantes eam, non litigia ſe[*Pſal. 128.*]dantes; ſed iurgia cōmouentes. Vnde Pſal. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: ſed non vt lex tua. Lex enim Domini immaculata, cōuertens animas

Tertio, dilectio fraterna, eſt Chriſto aſſimilatiua, & in eum transformatiua. Chriſtus enim intantum proximum amauit; vt pro eo ſe morti tradidit. Vnde dicitur: Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam, dedi dilectam animā meam in [*Iere. 12. b*] manibus inimicorum. Ergo, qui propter Chriſtum vere diligit proximum, maxime amat Chri[*Ariſt. to. 1. lib. 1. poſter. Analit. c. 2. tex. 5.*]ſtum: Quia propter quod vnum quod quæ tale, & illud magis. Magis enim ſe, quàm medicum diligit: quem ſolum ob cauſam ſuæ ſalutis diligit. Et magis diligit equum, quàm aurum, qui aurum dat propter equum. Ergo ſi quis amat proximum, amat Chriſtum; & Chriſtum amando, Chriſto ſe facit ſimilem. Quia amor eſt vis imitatiua, vis aſſimilatiua, & vis transformatiua. Vnde Hugo: Scio anima mea, quòd amor eſt vita tua: quidquid diligit, ſimilitudinem eius transformat. Talis eſt anima ſine diuino amore, qualis eſt carbo ſine igne; nam carbo ignitus eſt pulcher, & ſplendidus, quia igni ſimillimus: ſed expoliatus, remanet nigerrimus, & tangentes ſe infectiuus. Similiter anima diuino

A amore incenſa, & medullitus penetrata, fit tota ſplendida, & Chriſto ſimillima: ſed anima hoc igne expoliata, tota fit frigida, & nigra, & Deo non ſimilis. Vnde dicitur: Talis eſt anima hominis, qualis eſt dilectio eius, Si terrena diligis, terra es: Si cælum diligis, cælum es: Si autem diligis Deum; non audeo dicere quòd Deus ſis: ſed audi Prophetam, qui ait: Ego dixi, filij Dij eſtis, & filij excelſi [*Pſal. 81.*] omnes. Mira eſt virtus amoris, quæ amantem in amatum conuertit, & hominem Deum facit, non natura, ſed gratia. Quia ſicut dicit Boetius de conſol. Natura vnus eſt Deus: ſed participatione [*Boet. lib. 3. proſa. 20.*] B nihil prohibet eſſe quàmplurimos. Vnde Dominus dixit ad Moyſen: Ecce conſtitui te deum Pharaonis. Sed numquid tibi parum videtur, dum per amorem ſimilis ſis ſummo? Quid hoc nobilius, quid melius? quid fructuoſius? Nam ſecundum Phyloſophū: Id ſemper eſt melius, quod meliori ſi[*Ariſt. to. 1. lib. 3. Top. cap. 2. loco 32. & to. 4. lib. 2. de Cælo tex. 66.*]milius. Numquid non aliqua, de ſui natura, filium de nido abijcit, & non paſcit, quem ſuæ naturæ diſſimilem eſſe cernit: eo quòd reſpicere ſolem in rota non poſſit? Nam & corui paruulos ſuos non paſcūt, donec eos ſimiles ſibi eſſe cernunt: ſed mox cum ad ſui ſimilitudinem nigreſcere incipiunt; cum ſollici[Exempla.]C tudine multa paſcunt. Sciant ergo omnes, qui cum ſanctis Apoſtolis proximum non diligunt, quòd propter hoc Deo ſimiles non exiſtunt: & quòd abijciendi ſunt, velut pullus aquilæ: & ſicut coruorum pulli, a Deo paſci digni non ſunt: & ſibi diſſimiles eſſe inueniuntur: in fine abijciuntur æternaliter ſine fine. Diligamus igitur proximum, & audiamus dicentem Chriſtum: [*Ioa. 15. e*] In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli; ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Ergo vbi talis amor non eſt, ibi Chriſti diſcipulus eſſe non poteſt: quia nec ibi Deus eſt. Vbi enim charitas eſt, & amor, ibi deus eſt: & per conD ſequens omne bonum.

Quarto, dilectio fraterna eſt ſupplicij infernalis declinatiua: & ſummi boni acquiſitiua. Iſta enim duo ſimiliter ſunt tractanda: quia ſicut in elementis, corruptio vnius, eſt generatio alterius; ſic Paradiſi excluſio, eſt inferni acquiſitio. Quia ſicut dicit Auguſtinus, [*Aug. to. 10. De verbis. Apoſt. ſer. 14. poſt initium.*] Omnes erunt in inferno, qui ſuperno non fuerint conſtituti in regno: vtinam ergo attenderent Chriſtiani, & reuoluerent mente fideli, quid perdunt: & per conſequens quid acquirunt, ſi proximum odiunt, & non diligunt. Dic ergo Chriſtiane, quid perdis, ſi proximū odis? NumE quid non a ſummo bono diuideris, & a conſortio beatorum ſeperaberis perpetuò? Quid hoc damnoſius? quid animæ grauius? Si times perdere pecuniam, neceſſario aliquando dimittendam, & times corporalem perdere vitam, aliquando ſiue velis, ſiue nolis perdendam; Cur non times perdere vitam beatam, iocundam, vitam ſecuram, vitam omnibus bonis plenā, nec ad tempus; ſed perpetuò duraturam? Dic mihi, quid acquiris, ſi proximum tuum odis, præter hoc, quòd in hac vita torqueris, & dolore extenderis, dum eum proſperis rebus abūdare cernis; niſi quòd excluſus ab omnibus bonis, F tam temporalibus, quàm æternis; traderis ſummis malis, pœnis maximis, eternaliter duraturis? Tunc dolebis cogentibus pœnis: tunc irrecuperabiliter plorabis: tunc vitam tuam priſtinam blaſphemabis, quòd proximum non amaueris: Sed nihil tunc tibi proderit: vbi locus in perpetuum pœnitentiæ non erit. Attende ergo, & cerne crimen; & nunc proximum dilige, ſi vis mortem æternam fugere, & vitam ſempiternam acquirere. Sic enim Ioannes dicit: [*Io. 1. Can. cap. 3. e*] Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres: Qui enim non diligit, manet in morte, quia hic mortuus eſt morte culpæ, & morietur vltimo morte damnationis æternæ. O odium deteſtandum, quo perditur



perditur ſummum bonum, & acquiritur ſummum malum. Quid ſtultius homine cognoſcente ſua mala, & ea effugere non curante; cum bruta animalia omnia ſollicite quærant remedia, & fugiant ſuæ ſaluti contraria? [*Hoc exemplū de muſtela datum fuit de hirundine in ſerm. 2. de Euāgeliſtis col. 1. d*] Nam muſtela, ſi eius filij fiant excæcati, vel mortui; quærit herbam, cuius virtute eos viuos reſtituat. Ergo muſtela ſuis filijs ſalutem quærit: & tu homo rationalis proximum odis, quo ad perpetua incendia deuoluaris. Laborat beſtiola filios dare luci, & reſtituere vitæ: & tu niteris toto poſſe excludi a luce, nec diſpendium vitæ times? Diligit brutum ſuum remedium, quo fugit ſibi nociuum: & tu contemnis diuinum præceptum, odiens proximum tuum; quo ſolum amato, potes peruenire ad regnum? Diligit brutum vitam ſuam, & tu amorem odis, qui animæ vita exiſtit? Rogemus &c.

# DE SS. APOSTOLIS

## SERMO X.

[*Iob 15. b*] Vos amici eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis. Nihil in hac vita dulcius: nihil ſuauius, vel fructuoſius amicitia bona: nihilq. amicitia mala peius, nihilq. damnoſius; ſi tamen amicitia mala amicitia eſt; cum ſecundū [*Cicero in Lælio. Idem etiā ait Aug. cō tra Acade. lib. 3. longe poſt initiū. to. 1. Et in Epiſt. 154. de vera Amicit. to. 2. & to. 4. lib. vnico de Amicitia in principio, & alibi.*] Tullianam doctrinam, nihil aliud ſit amicitia, quàm humanarum, diuinarumq. rerum, pari cum beniuolentia, & charitate, conſenſus: vt ſit idem velle, & idem nolle in rebus honeſtis. Vnde Boetius docet, quòd amicitia non inter fortunæ bona, ſed inter bona honeſta, & virtuoſa eſt computanda. Si ergo tantum bonum eſt amicitia humana; quantum bonum eſt amicitia diuina? Beati ergo, & pluſquàm beati dici poſſunt, quibus dictum eſt voce Dei: *Vos amici mei eſtis.* In quo verbo notantur maxime duo. Nam primo, deſcribit amicitiam, quantum ad mentis affectum. Secundo, deſcribit eam, quantum ad operationis effectum. Primum reſpicit bonum amoris interius: ſed ſecundum, bonum operationis exterius. Ceterum amicitia cordis, amoris eſt incenſiua: ſed amicitia operis, interioris eſt amicitiæ probatiua. Notatur ergo amicitia primo, quantum ad affectum in corde, cum dicitur: *Vos amici mei eſtis.* Notatur ſecundo, amicitia, quantum ad effectum in opere, cum infertur: *Si feceritis,* &c. quaſi dicat: In hoc probatur amicitia cordis eſſe vera, ſi obſeruatis mandata mea. Sed quid eſt, amicum Dei eſſe, niſi Deum diligere? Vnde & de di[*Ioan. 14. b*]lectione ſimile verbū dicit Dominus: Si diligitis, inquit, me; mandata mea ſeruate: Qui non diligit me, mandata mea non ſeruat. Verum diuina amicitia non eſt nobis concreata: quia nemo ſcit, vtrum [*Eccls. 9. e*] amore, vel odio dignus ſit, Eccleſiaſtes ait. Ideo magis expedit ad inſtructionem noſtram, loqui de humana amicitia, quàm diuina. Eſt ergo notandum, [*1. Cor. 4. b*] quòd amicitiarum genera, communiter loquendo, ſunt tria. Eſt enim amicitia malorum cum malis. [Peripſema quid.] Et eſt amicitia bonorum cum bonis. Et eſt amicitia bonorum cum malis. Prima amicitia eſt ſimpliciter mala. Secunda eſt ſimpliciter bona. Tertia amicitia poteſt eſſe bona, poteſt & eſſe mala.

Dico, quòd amicitia prima eſt malorum cum malis, & eſt ſimpliciter mala: quia malum malo additum, totum fit magis malum. Nam quanto plura fuerint frigida in vnum coniuncta, tanto eſt fortius [Exemplū.] venenum, quod eſt inde generatum. Vnde narratur: Dum quidam latro generaſſet, & de hoc vicini gauderent, quidam ſapientior ceteris dixit: O ſtulti, vnde gaudetis? ſi vnius pati latrocinia non poteratis; quomodo multorum portabitis? Si vnus,

A inquit, ſol ſic terras exurit; quid eſt ſi plures exiſterent? Quare maximum terræ inferunt nocumētum, dum plures planetæ ſic maliuoli conueniunt in aliquod vnum ſignum. Vnde ex hac cauſa præcipit Hippocrates, [*Hippocratis conſiliū.*] homines nō minuere, nec medicinas recipere laxatiuas cum cane. Quia cum canis, ſidus calidiſſimū, vniatur cum Sole, planeta calidiſſimo, & hoc in leone feruidiſſimo; exceſſus caloris generatur in mundo. quare nec minuere tutum, nec medicinas capere, eſt ſecurum. Immo, vt generaliter loquitur; omnis infirmitas aggrauatur; ſi ex cōplexione temporis conſimilis eius virtus fortifica B tur. Verbi gratia: Si infirmitas ex cholera, quæ calida eſt, & ſicca, aduenit in æſtate, quæ ſimiliter eſt calida, & ſicca; infirmitas aggrauatur, dum ſimilis ex ſimili roboratur. Ex quibus exemplis omnibus aperte probatur (ſicut dicit Grego.) [*Greg. to. 2. in Expoſ. moral. lib. 34. in 40. ca. Iob. c. 4.*] quòd malorum amicitia eſt peſſima, plurimumq. nociua: eo quòd ſit fortior virtus vnita, quàm diſperſa. Vnde Rex Dauid Abſolonem fugiēs; dum Achitophel cū eo eſſe audiuit; valde extimuit, & orans ad Dominum, ait: Infatua, Domine quæſo, cōſilium Achitophel, &c. Hęc eſt illa amicitia, de qua dicitur: [*2. Reg. 15. d Luc. 23. b*] Amici facti ſunt Herodes, & Pilatus, qui prius erāt inimiC ci. In quo amici? quia dum vnus alteri Chriſtum miſit, & alter illum alteri illuſum remiſit; ad occidendum Chriſtum eſt vnita malitia, quæ ante diuiſa fuit: Hæc enim fuit amicitia vulpis & corui. [Exemplū.] Dicitur enim, quòd coruus magna amicitia iungitur vulpi; ita quòd cum adiuuet pro viribus cū taxo bellantem. [*Taxus, ſiue Taxo, animal magnitudine vulpis, colore felis, aluearijs infeſtū, Melis nuncupatur, quòd mellis auidiſſimū ſit. Plin. lib. 8. c. 38.*] Quid enim per coruum volatilē, fraudulentum, furtis, & rapinis aſſuetum, melius intelligimus, quàm Pilatum, qui in vſum proprium, oblata pauperibus conuertebat? Vnde de hoc etiam a Iudæis coram Cæſare accuſatus fuit. Quid per D vulpeculam, quæ ſemper ambulat via tortuoſa, & ſemper claudicans in partem dexteram, ſe erigit in ſiniſtram; niſi Herodem intelligimus, qui tortuoſus, & verſipellis exiſtens (ſicut in decollatione Ioānis apparuit) ad bona omnia claudicabat, & ſe ad mala e contrario erigebat? Tales ergo facti ſunt amici, vt Domino Saluatori illuderent, & ſpretum inter ſe deriderent. O quot ſunt hodie tales in mundo, qui cum perficere ſua mala vota non valeant; alios peruerſos aſſociant: vt ſic, quod cupiunt, ad complementum adducant! Contra igitur amicitiā talium bellare debent Clerici orando: Laici reſiE ſtendo: & Poteſtates, principes perſequendo: ne forte ex parua ſcintilla ignis, valida flamma ſurgat, quæ totam ciuitatem incendat. Nam, ſicut dicit Philoſophus, [*Ariſt. to. 4. lib. 1. de Cælo. tex. 33.*] Modicus error in principio, fit magnus in fine. Et ideo amicitia peruerſorum eſt arcenda, dum incipit: ne forte non poſſit arceri, dum robur excreuerit. [Exemplū.] Nam ſerpens omnes prorſus vires amittit; ſi eius caput attriueris: quia totū corpus, pro capite defendendo, exponit.

Secunda eſt amicitia bonorum cum bonis, qualis fuit inter Ieſum, & Apoſtolos: [*Ioa. 15. b*] Iam non dicam uos ſeruos, ſed amicos: quia ſeruus neſcit, quid faF ciat Dominus eius. Et hæc eſt bona amicitia: quia bonorum multorum eſt cauſa promotiua, & cauſſa etiam perfectiua. Nam ſicut malum augetur ex malo; ſic & bonum ex bono. [Exempla.] Bonum ergo bono additum, fit magis bonum, dum potentius reddit continuum. Nam & ſirupus compoſitus ſirupo ſimplici, eſt virtuoſior. Theriaca etiā, [*Theriaca eſt medicamentum notiſſimum ex viperarum carnibus cōſtans cōtra venenum. Ex Plin. lib. 20. c. 24. & lib. 29. c. 4.*] quæ ex multis calidis componitur, contra venenum potentior inuenitur. Planetæ etiam beniuoli, dum in aliquo vno ſigno conueniunt, fortiores ad agendum fiunt, dum virtus vnius fortificatur ex virtute alterius. Stellæ etiā ſibi vicinæ, ſunt amplius ſplendidæ, quàm ſi eſſent in ſe ſingulæ, eo quòd lumen vnius ſuppletur ex lumine alterius. Sic & boni viri, dum ſibi mutuo amicitia coniuncti fiunt; meliores ſingulis erunt, dum ſibi

ſibi ſuas communicant bonitates; mutuo ſe docendo; ſe exemplis mutuis, ſuffragijſq. adiuuando. *Eccls. 4. c* Vnde dicitur: Melius eſt, duos eſſe ſimul, quàm vnum: quia ſi vnus ceciderit, ab alio fulcietur. Et additur ibidem: Funiculus triplex difficile rumpitur: eo quòd trium amicitia ſit firmiſſima: dum *Ecc. 6. b* etiam perfecto numero ſit coniuncta. Et dicitur: Amico fideli nulla eſt comparatio, nec auri digna ponderatio, nec argenti, quæ poſſit reſiſtere contra bonitatem fidei illius. Amicus ſi permanſerit fixus; erit tibi coæqualis, & in domeſticis tuis fidu- *1. Re. 18. a* cialiter aget. Hæc eſt amicitia Dauid, & Ionathæ. De quibus dicitur, quòd Ionathas diligebat eum, ſicut animam ſuam: & ei tradidit omnia ſua veſtimenta, & arma. Lege totam hiſtoriam. Sed *Eccl. 6 b* qui ſunt hodie tales amici? non ſunt amici, ſed ſo- *Boet. de Cõſol. Phil. lib. 3. proſa. 5. in fine.* cij menſæ, qui ſunt amici fortunæ potius, quàm perſonæ. Et ideo deficiente fortuna, & proſperis in aduerſa mutatis; ceſſat amicitia: ſi tamen amicitia, & non fraudulentia potius eſt dicenda. Ceſſante enim cauſa, ceſſat effectus. Et ideo Boetius dicit: Quomodo fortuna facit amicum; ita infortunium facit inimicum.[a] Omni enim tempore diligit, qui amicus eſt, & ſemper in aduerſitatibus comprobatur. Hinc dicitur: Non ergo credas vnquam, amicum tibi fuiſſe, quem vides tibi in aduerſitatibus defeciſſe. Sunt enim multi, cuidam animali, †quod Mygale dicitur, ſimiles: quod tamdiu blande hominibus ſe oſtendit, quouſque cõfidentes ſibi appropinquant: & tunc in eos inſilit, & venenum immittit. Sic enim dicitur:[b] Simulator ore decipit amicũ ſuum. Nam cum blanditur, vt ad tempus placeat, & ab eo aliquid rapiat; non ipſum, ſed dona ſua amat. Sicut meretrix non amat virum, ſed nummum. Vnde narratur parabolice, quòd ſemel vulpes (quæ adulantium morem gerit) ad coruum cum caſeo recente in ore ſuper arborem ſtantem, fameſcens, ac caſeum cupiens, ait: O auium pulcherrima, cantuq. ſuauiſſima, ſonoraq. voce ſupra quàm dici poteſt; exopto te audire cantantem: Tunc coruus adulatione deceptus, ſtricto roſtro ne caſeum perderet, cœpit, vt poterat, voces dare. Tũc illa: Miro modo me reficis. Sed quid faceres; ſi vere cantares! Rogo te, ne me fraudes tãto deſiderio. Tunc ille verum eſſe credens, quod dicebat; dum roſtrũ ad cantandum aperuit, caſeus cecidit, quem vulpes rapuit, & comedit. O quot ſunt hodie, qui falſis blanditijs a ioculatoribus ſpoliantur! Vtinam reſponderent illis, ſicut ioculatori cuidam Philoſophus reſpondit. Numquid (ait) me vendere vis? ſcio quid ſum, quid poſſum, ad quid natus. Nũquid verba tua me poſſunt facere meliorem quàm ſum?

*† Mygale eſt mus araneus, animal mediũ inter murẽ et muſtelam ſpeciẽ habẽs. Pli. lib. 8. c. 57. & lib. 9. c. 19.*
*[a] Prou. 17. c*
*[b] Prou. 11. b*
*Aeſopus in fabulis lib. 2. fab. 11.*

Tertio, amicitia eſt bonorum cum malis, & malorum cum bonis: & hac aliquando mali, bonorum conuertuntur exemplo: & aliquando boni ſeducuntur a malis. Vtrumque enim accidere ſæpe videmus: Nam quòd boni ſæpe conuertant, & ad ſe trahant malos; innumerabilia ſunt exempla Apoſtolorum, aliorumq; Sanctorum, qui conuerterunt ad fidem multitudinem paganorum: nec non quotidie videmus malos conuerti exemplis, & verbis bonorum. Vnde Paulus Apoſt. dicebat: Omnibus omnia factus *1. Cor. 9. c* ſum; vt omnes lucrifaciam. Omnibus ſe conformabat, vt omnes poſſet exemplis, & doctrinis ad ſe trahere. Vnde & Saluator noſter, vt Iudam proditorem ad pietatẽ moueret, & dulcedine verbi malitiã eius frangeret (conſueuerunt enim verba dulcia in- *Mat. 26. c* fringere corda mala) dixit ei: Amice, ad quid veſti? quaſi dicat: Non eſt opus amico, amicum prodere oſculo inimicis. Non tamen omnes ſunt tales, vt Iudas; ſed multi ſunt, qui, dum cum bonis conuerſantur, ad bonum mutantur. Exemplum Hilarionis, qui dum famam Antonij audiuit, ad eum iuit: quem videns, exemplo eius ad meliora

*Surius die 21. Octob. to. 5. ex B. Hier. to. 1. in vita eiuſdem S.*

A ſe mutauit. Lege hiſtoriam. Etiam nihil in rebus eſt magis fixum, quàm quod in ſtellis eſt a Deo plantatum: & tamen in eis inuenitur mutatio, approximatione bonorum. Nam Saturnus eſt planeta, præ *Exemplũ.* cunctis maliuolus: quia omnibus nociuus: nulli proficuus, cum ſit frigidus, & ſiccus, & in ſua complexione mortiferus, vt vult Aſtrologus. Vnde eius color eſt liuidus, ſiue plumbeus, mortis ſignificatiuus: Contingit tamen quoddam mirabile, dignũ imitatione: quia dum circulo Iouis approximat, (quem planetam per omnia beniuolum eſſe conſtat) malitiam eius mutat, & colorem variat; vt fiat colore B argenteus, ſiue clarus, qui erat plumbeus ſimul & liuidus. Ex quibus omnibus manifeſte colligitur, quòd mali, exemplo bonorum, & prædicationibus conuertuntur. Nec minus hoc verum eſſe perpenditur, quòd boni, & maxime viri perfecti, ex malis meliores redduntur. Dato etiam, quòd non reuertantur, dum eos ad ſalutem ducere nituntur: & non tantum non credentes eis; ſed & iniurias reddẽtes; per eos, ſicut aurum in fornace, probantur. Ad hoc enim mali naſci permittuntur; vt boni per eos exerceantur. Vnde relicti ſunt Iebuſæi, pluresq; alij in medio filiorum Iſrael: vt per eos probaren- C tur, vtrum Deum diligerent. Sicut enim Gregorius dicit: Non eſt bonus, qui malos ſuſtinere non poteſt: qui malos non ſuſtinet, ipſe per impatientiam ſibi teſtis eſt, quia bonus non eſt. Sancti boni fructuoſiores fiunt, dum per malos, occaſiones virtutum accipiunt, ſicut Dauid creuit in meritis, ex perſecutione Saulis. Nam ſi Sylueſtris ficus (quæ malos ſignificat, eo quòd non fructificat) plantetur iuxta domeſticam; domeſtica facit eam fructificare. Videmus enim, quòd etiam ſpinæ, quæ in ſe ſunt pungitiuæ, etſi infructuoſæ ſunt in ſe tamen compoſitæ, vineæ ſunt cuſtoditiuæ. Quia dum boni, D malorum vias attendunt; maiori ſe cura cuſtodiunt. Sic ergo patet aliqualiter ex dictis, quòd amicitia bonorum cum malis, & malorum cum bonis, poteſt eſſe vtriſque vtilis. Sed aliquando contingit, quòd eſt nociua illis, & his: & maxime nocet viris imperfectis, qui malis facile corrumpuntur exemplis. Vnde dictum eſt regi Ioſaphat per prophetam: Im- *2. Par. 19. a* pio præbes auxilium, & his, qui oderũt Dominum, amicitia iungeris: & idcirco iram Domini merebaris; ſed bona opera inuenta ſunt in te: eo quòd paraueris cor tuũ, vt quæreres Dominum Deum tuũ. *1. Mac. 8. a* Exemplum de Iuda Machabæo, qui, cum eſſet vir E fortiſſimus, & in bellis victorioſiſſimus, factus Romanorum amicus; ab aduerſarijs eſt occiſus. Vult ergo Deus, vt viri imperfecti, tamquam ad malum proni, fugiant malorum conſortia, & eorum declinent amicitiam. Nam & Mercurius, licet de ſe ſit *Exempla.* planeta beniuolus, fit tamen maliuolus, maliuolo planetæ coniunctus. Similiter Sol, & Luna, cum bonis ſunt boni: cum malis ſunt impij. Nam cum pennæ aquilæ ſunt coniunctæ pennis gallinæ; eas cõſumunt, & deſtruunt. Similiter & chordæ de inteſtinis luporum factæ, cum chordis factis de inteſtinis ouium poſitæ; earum ſunt corroſiuæ. Quia mali, F quando cum bonis moram trahunt; ſæpe eos corrũpunt, & ad malum adducunt. Contingit autem (occaſionaliter & per accidens) quòd mali bonis admixti fiunt ex malis peſſimi. Quia, dum bonis non credunt, nec bona monita capiunt; maxime Deum *Exemplũ.* offendunt, & ex bono mortem capiunt. Nam & vulpes, amygdala, quæ de ſui natura ſunt ſana, ſi comedat; ex cibo ſaniſſimo morti ſe damnat. Multi ſunt homines, qui de medicina, quæ de ſe eſt ſana, & curatiua morbi; periculum mortis incurrunt. Vnde narrat beatus Gregorius, * quòd quidam monachus factus erat adeo peruerſus, & malus; quòd nullas admonitiones, vel verba ſalutis audire volebat; ſed omnes ſanas admonitiones ſpernebat,

*Greg. to. 2 in Ezechi. lib. 1. ho. 9. circa medium. & to. 3. hom. 38. in Euang. & to. 2. expoſit moral. lib. 30. in cap. Iob c. 29.*
** Greg. to. 3. hom. in Euang. 19. & hom. 38. ſub finem.*



bat, & admonentes blaſphemijs impetebat. Et quòd A numquam bonus eſſet, ſæpe iurabat, & ſic ex bono ſæpe peior fiebat. Vnde ad mortem deductus, videns draconem contra ſe ſtantem, eius mortem expectantem, clamabat: Recedite, recedite: quia draconi ad deuorandum datus ſum: & iam pro magna parte ab eo abſorptus ſum. Vt quid propter vos moras patior? Sic igitur fratres, amicitiam habeamus cum bonis: quia nobis imperfectis non expedit, amicitiam habere cum malis. Rogemus ergo, &c.

## DE SS. EVANGELISTIS

### SERMO I. in ordine autem XI.

*Pſal. 84. b* AVdiam, *quid loquatur in me Dominus Deus*. Eximius doctor Auguſtinus dicit, hoc ſenſiſſe Platonem: quòd Deus ſit cauſa omnium naturarum, vel creaturarum: ſit lumen omnium rationum, & ſit finis omnium actionum: vt ſine eo nulla creatura ſubſiſtat, nulla ſcientia inſtruat, & nullus rerum vſus expediat. B Nam hoc eſt noſter intellectus ſine diuino lumi- C ne; id eſt carnis oculus ſine luce. Nam ſicut carnis oculus, licet de ſui natura habeat facultatem videndi, numquam tamen aſſequitur beneficium *Auguſt. to. 3. lib. de Spiritu & anima cap. 12.* viſionis; niſi auxilio lucis, ſiue radiorum ſolis (vt Auctor de ſpiritu & anima dicit) ſic, nec oculus ſpiritualis, quamuis de ſui natura ſit intelligere natus; numquam tamen intelligit, niſi adiutus ſit lumine veri ſolis. Vnde Propheta: Domine, in lumine tuo *Pſal. 35. b* videbimus lumen. Non ergo potuiſſent Euangeliſtæ, nec quicumque Doctores Eccleſiæ, qui ſcripſerunt de Deo; ſcripſiſſe, niſi illuſtrati hoc lumine, † *† Ioan. 1. a* quod illuminat omnem hominem, ſiue docentem, D ſiue ſcribentem, ſiue meditantem. Dicat ergo quicumque Apoſtolus, ſiue Euangeliſta: dicat omnis ſcriba, & quicũque docet in ſancta Eccleſia. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus*. In quo verbo, ſubtiliter indagato, notantur tria. Primum eſt humilitas reuerentis obſequij, quo homo ad diuinas irradiationes ſe præparat. Secundum eſt ſublimitas ſupernaturalis imperij, quo faciendum aliquid eſſe mandat. Tertium eſt familiaritas eloquij, quo Deus intus illuminat. Primum eſt ad auditum carnis externum. Secundum, ad bonum mentis ſupernum. Tertium vero ad auditum cordis inter- E num. Notatur igitur primo, humilitas reuerentis obſequij cum dicitur: *Audiam*. Audire enim eſt actus reuerentiæ. Secundo, notatur ſublimitas imperij diuini, cum infertur: *quid loquatur in me Dominus Deus*. Et tertio notatur familiaritas interioris eloquij, cum dicitur: *in me*. Nobiliſſimum genus loquendi eſt, quando non exterioribus ſignis, ſiue corporalibus ſonis Deus alloquitur animam: ſed intus tantum irradiat ſuper ipſam, ſine vllo medio docens ipſam, ſicut docuit Ioannem Euangeliſtam, & omnes plures alios, qui docuerunt in Eccleſia. Ipſi enim, quod a Deo audiebant interius, ſcribe- F bant, & loquebantur exterius. Dicat igitur vnuſquiſque talium: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus*. Vt ergo deuote audire poſſimus diuinam locutionem, quid Deus nobis loquatur; aliquid de ea dicamus. Eſt ergo notandum ad præſens, quòd Primo, Deus loquitur, vt Rex potentiſſimus, in iubendo. Secundo, vt Magiſter prudentiſſimus, in docendo. Tertio, vt Amicus dulciſſimus, in conſolando. Quarto, vt Iudex æquiſſimus, in examinando. Eſt ergo primum, diuinum imperium, quo ligamur. Secundum, diuinum magiſterium, quo docemur. Tertium, diuina amicitia, qua conſolamur. Et eſt quartum, diuinum iudicium, quo terremur.

Dico igitur primò, quòd Deus loquitur, vt Rex potentiſſimus, dans imperium, quo ligamur. Vnde dicitur de præceptis Decalogi: Locutus eſt Domi- *Exo. 20. a* nus cunctos ſermones hos. Communiter ponuntur decem præcepta Decalogi: tria, quæ pertinent ad Deum; & ſeptem, quæ pertinent ad proximum. Vide litteram, & expone populo illa præcepta: tenentur illa ſcire, quia in eorum obſeruatione eſt vita. Vnde iuueni quærenti: Quid faciam, vt habeam vi- *Mat. 19. b* tam æternam? Dominus reſpondit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Nemo enim excuſabilis eſt, ſi ea non ſeruat: quia omne, quod præcipitur, facile eſt amanti. Amanti enim (vt ait Bernar.) nihil eſt difficile. Quis vmquam tantum laborat ad amandum Deum, vel ad obſeruandum eius mandata; quantum laborat miles ad pugnandum, dux ad regendum, mercator ad acquirendum, & agricola ad laborandum? Vnde dicitur in prima Canonica Ioannis: Et mandata eius grauia non ſunt. Numquid graue eſt, Deum tantum benefactorem tuum, tam parum amare? Vnde ipſe dicit: Mandatum, quod ego præcipio tibi, non ſuper te eſt: non procul poſitum, nec in cælo ſitum, vt poſſis dicere: Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, vt deferat illud ad nos: & audiamus, & compleamus? Nec trans mare poſitum, vt cauſeris, & dicas: Quis e nobis transfretare poterit mare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſſimus audire, & facere quod præceptũ *Deut 30 c* eſt? Sed iuxta eſt valde ſermo in ore tuo, vt facias illum. Ergo ſecundum hoc, nullus eſt excuſabilis. Quia ſicut dicit Auguſtinus, poteſt homo dicere: Non poſſum ieiunare, non poſſum ad Sanctum Iacobum ire, non poſſum res meas pauperibus dare, & in monaſterio Deo ſeruire, non poſſum a carnibus, & a vino abſtinere: ſed numquam poteſt dicere: non poſſum amare. Quid facilius, quid dulcius, quid poſſibilius, quàm amare, & maxime ſummum bonum, ſibi tam beneficum? Item attende, quid te Dominus mandat facere. Numquid ſibi vtile? non, inquam: ſed tibi. Præcipiunt reges, & principes ſeruis grandia, non ſuis, ſed dominis vtilia: ſed multi ſunt, qui adimplent: Præcipit Deus Factor, omniumq. Redemptor, & mandat; ſed non ſibi, ſed ſeruis vtilia: & non eſt, qui obediat. Audi Auguſtinum dicentem: Nihil Deus iubet, quod ſibi prodeſt: ſed illi, cui iubet. Ideo verus eſt Dominus, qui iubet, non quod ſibi prodeſt; ſed quo ſeruus indiget. Pſal. Dixi Domino; Deus meus es tu: quo- *Pſal. 15. a* niam bonorum meorum non eges. Quæ nequitia, quæ peruerſitas eſt: quia leo rugit, & omne animal greſſum figit, expectans imperium ſui regis: & ſummus Rex ſummam vtilitatem ſeruo mandat; & non eſt, qui obediat.

*Bern. ſerm. de conuerſ. ad Clericos c. 30. to. 1. B. Et ſerm. in Feſto S. Mariæ Magdal. in fi. tom. 1. Et ſerm. 1. in Ramis pal. circa med. tom. 1.*
*Ioa. p. Can. c. 5. a*
*Aug. to. 10. in ſerm. de tẽpore ſer. 59. circa initium.*
*Aug. to. 3. in ſentent. in principio.*

Secundo, loquitur Deus, vt Doctor prudentiſſimus, Dans magiſterium, quo de ſalute inſtruimur. Nam dicitur quòd Dominus turbis multa loquutus eſt in parabolis: Cumq. Apoſtoli quærerent, quare in parabolis loqueretur; dixit eis: Quoniam da- *Mat. 13. b* tum eſt vobis, noſſe myſterium regni Dei: ceteris autem in parabolis. Sequitur quomodo eis exponebat parabolam, quomodo non eſſet ſeminandum ſecus viam, per vanam intelligentiam: nec ſupra petroſa, per cordis duritiam: nec inter ſpinas, per rerum opulentiam: ſed in terram optime diſpoſitã, aquis gratiæ irriguam; & vomere, per deuotionem, ſciſſam. Numquid non ſtultus iudicaretur ab omnibus, qui iuxta viam ſemina iaceret, vbi homines tota die tranſirent, & ſemina pedibus conculcarent? tales ſunt, qui dum per Scripturas non attendunt: ſed ſiquid boni faciunt; coram hominibus ponunt: & ſic omne bonum, quod faciunt, totaliter perdunt. Gregorius: Deprædari ergo deſiderat, qui theſaurum publice in via portat. Nonne apes mella ſua reponunt ſtudioſiſſime infra tecta? Nonne formicæ grana colle-

*Greg. in Homil. 10. ſuper Euã. tom. 3.*

collecta in ſubterranea condunt loca? Ergo opera noſtra (iuxta mentem beati Gregorij) ſic ſunt facienda; vt etſi opus ad diuinam legem fiat in publico; tamen intentio maneat in occulto: vt inde homo appetat placere ſoli Deo. Item non eſt ſeminandum ſupra petroſa; per cordis duritiam: quia cor durũ male habebit in nouiſſimo, ſicut dicitur in Eccleſiaſtico. Eſt autem cor durum, ſecundum Bern. quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec precibus inclinatur. Tale enim ſic durum, a compaſſione remotum eſt: ſicut terra ſine aqua, quæ nullis fructibus apta eſt. Vnde filia Caleph, quæ ſignat animam; petijt a patre terram irriguam plorãs, quòd ei dediſſet aridam. Nulla omnino eſt planta, quæ, ſubtracta aqua, non fiat arida protinus. Vnde & Propheta plorans dicebat: Anima mea, ſicut terra ſine aqua, tibi. Item non eſt ſeminandum inter ſpinas: quia ſpinæ ſemen comprimunt, & creſcere non permittunt. Sed quid ſunt hæ ſpinæ, Chriſto docente, niſi noſtræ diuitiæ, quibus homo vulneratur in corde, & continue pungitur earum amore? Vnde diuites ſæpe bona, quæ faciunt, perdunt: quia plus nummum, quàm Deum diligunt. Vnde Dominus loquens de diuite ait: Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitẽ intrare in regnũ C Dei. Hieronymus: Impoſſibile eſt vt fruatur quis præſentibus bonis, & æternis: quòd hic ventrẽ, illic mentem impleat; quòd de delicijs ad delicias tranſeat: & quòd in cælo & in terra appareat glorioſus. Quid ergo diues miſericordiã exquirit, qua ſeipſum decipit? Vel oportet diuitias omnino amare, vel cælum ſe ammittere: Niſi dicat illud, quod dicit veritas, falſum eſſe: Facite ergo vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Seminate diuitias; pauperibus date: quia hoc eſt in bonam terram ſeminare. Numquam ſemen perditur, dum terræ committitur, D ſed potius multiplicatur. Numquam mercatores lucrarẽtur, ſi clauſæ eorũ diuitiæ ſcrinijs tenerẽtur. Ille vſurarius lucratur plura, qui cõmodat plurima. Eleemoſynas enim dare, eſt cõmodare, nõ perdere. Et eſt vtiliter ſeminare, & nõ ſemina abijcere.

*Greg. Paſt. cura. to. 2. admon. 36.* — *Eccli. 3. e* — *Bern. lib. 1. de cõſider. cap. 2. idẽ etiam in sẽ ſu ſerm. de nimia præſentis uitæ.* — *Pſal. 142. b* — *Marc. 10. b* — *Hieron. in Reg. Monachorum de Laude Relig. to. 9.*

Tertio loquitur Deus, vt amicus dulciſſimus, præbens ſolatium animæ, quo conſolatur. Ipſe enim dicit: Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eius. Solitudo eſt locus inhabitabilis, & a paucis penetrabilis: & ſignificat ſolatium mentis noſtræ, ad quod acceſſus eſt valde paucis: & hoc niſi auxilio diuinæ virtutis. Quid eſt ergo animam in ſolitudi- E nem ducere; niſi eam ab exterioribus omnibus, & mundanis extrahere, eam ad ſeipſam reducere, vt diuinam poſſet audire vocem, dulciter alloquentẽ? Vnde Auguſtinus dicebat de ſeipſo: Introducis me Domine, inquit, in ſolitudinem, & dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, ſi illa non eſt vita æterna; neſcio quid aliud ſit vita beata. Vnde & Sponſa dicit in Canticis: Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus loquutus eſt. Sonet, inquit, vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Et Bernardus ibidem: † Si dilectus loquitur mihi: o dulcis allocutio dilecti ad dilectum, ſponſi ad ſpon- F ſam, amici ad amicum, Domini ad ancillam, Saluatoris ad animam, ſed paucis valde, conceſſa; & paucis valde, experta. Sed quare hoc? quia non poſſunt eſſe ſimul in eadem anima duo contraria. Sunt enim inter ſe contraria, ſpirituales, & carnales deliciæ: & in eodem nequeunt eſſe ſimul, Beato Gregorio hoc atteſtante. Quia ergo omnes quaſi carnalibus delicijs delectamur; ideo a diuinis excludimur. Vnde de hoc beatus dicit Bernardus: Delicata eſt diuina conſolatio, nec datur admittentibus alienam. Numquam ſimul eſſe poſſumus nigri, & albi: numquam boni, & mali; numquam ſani, & infirmi: numquam ſobrij, & guloſi, & bibuli. Er- A go nec ſimul eſſe poſſumus Chriſti, & mundi: ſerui Dei, & diaboli. Vnde Dominus dicit: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire (ſupple) contrarijs. Apoſtolus: Quæ conuentio Chriſti ad Belial? lucis ad tenebras? templi Dei & Idoli? Ergo in his exẽplis manifeſte colligitur, quòd ideo Deum loquentem interius non percipimus, nec eius verba animam delectent: nec percipimus, nec videmus: quia carnales, & mundanas delectationes admittimus. Non enim ſimul habitat lupus cum oue, gallina cum vulpe, columba cum accipitre, & leo cum coruo.

*Oſee 2. c* — *Cant. 2. b* — *Bern. to. 1. ſer. 62. ſup. Canti.* — *Ber. in Declam. ſiue de contemptu mundi multo poſt med. ſuper illud: Ecce nos reliquimus, &c. tom. 1.* — *Matt. 6. e* — *2. Cor. 6. c* — Exemplũ.

Quarto, loquitur Deus, vt iudex æquiſſimus, cũ B iudicio deterremur. Quid enim ſtultius, quàm non timere iudicem potentiſſimum, omnia punire valentem; iudicem ſapientiſſimum, omnia ſubtiliter exquirentem, omniaq. videntem; & iudicem rectiſſimum, omnia male punire volentem, & cuncta acriter punientem, & vnicuique ſecundũ opera ſua reddentẽ? Pſal. Semel loquutus eſt Deus: Duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt: & tibi Domine miſericordia, quia tu reddis vnicuique iuxta opera ſua. Semel dicit, quia tantum ſemel iudicabit: & ſententia, quã tunc dabit, in æternum durabit: quia nec eam in æternum reuocabit. Iob: Semel loquitur Deus, & C id ipſum non repetet. Et poteſtas Dei ideo ponitur: quia contra malos ea vtitur: ſed miſericordia propter electos ponitur, vt & his & illis ſecundũ opera reddatur. Quis ergo nõ timeat? Vnde Hieronymus: Siue bibam, ſiue comedam, ſiue vigilem, ſiue dormiam, ſiue ſtem, ſiue vadam, ſiue aliquid aliud faciam; ſemper videtur mihi, vt vocem terribilem audiam: Surgite mortui, venite ad iudicium. O vox altiſſima cunctis mortalibus tremebunda; quæ cæli lumina obſcurabit, mare ſiccabit, mortuos ſuſcitabit: quam mundus omnes pauebit, & infernus timebit: quia cõcutiet vniuerſa, ſuperiora & media. D Vnde dicitur: Terræmotus factus eſt magnus, & ſol factus eſt niger, tamquam ſaccus cilicinus: luna tota facta eſt, ſicut ſanguis: ſtellæ ceciderunt ſuper terram. Et cælum receſſit, ſicut liber inuolutus: & omnis mons, & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt: Et reges terræ; & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis ſeruus, & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris, & dicunt montibus, & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronũ, & ab Agni ira: quoniam venit dies magnus ipſius iræ: & quis poterit ſtare? Et Malachias: Quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis ſtabit ad viden- E dum eum? Ipſe enim, quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Nam ſicut ignis in conflatorio, totum metallum penetrat, nec eſt aliquid quod non attingat: Et ſicut cardo, quæ eſt herba fullonis, omnẽ pannum, & quantumcumque modicum in panno attingit, nec aliquid intactum relinquit; ſic in illo iudicio, nihil erit ab homine cogitatum, vel dictum, vel etiam factum, quod non fiat omnibus manifeſtum, & non ſit ſufficienter punitum. Dicit enim Chryſoſt. Audient Chriſtum, ſic omnibus exprobrantem: Ego propter vos homo factus ſum, propter vos alligatus, deluſus, cæſus, crucifixus: vbi tanta- F rum iniuriarũ mearum fructus? Ecce ſanguis meus, quem pro vobis dedi: vbi eſt ſeruitus veſtra, quam pro pretio ſanguinis mihi dediſtis? Ego ſuper gloriam meam vos habui, cum eſſem Deus: & vos me omnibus rebus viliorem feciſtis; & viliſſima terræ amplius dilexiſtis, quàm me. Quid miſeri ad hoc poſſunt dicere, quid poterunt reſpondere? Ergo exemplo Euangeliſtarum, & Apoſtolorum, & Doctorum, audienda ſunt reuerenter verba Dei, & vlterius in charta cordis ſcribenda: ne vllo tempore a memoria deleantur. Rogemus ergo Dominum, &c.

*Pſal. 61. b* — *Iob 33. b* — *Apo. 6. c* — *Malac. 3. a* — *Chryſ. to. 2. hom. 49. in cap. 24. Mat.*

DE



# DE SS. EVANGELISTIS A

## SERMO II. in ordine autem XII.

*Pſal. 67. b*

*Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa.* Diuinum verbũ, frequentius prædicatum, eſt valde virtuoſum; ſi ei adſiſtat verbum increatum, propter nos creatum, ſiue incarnatum. Nam præter verbum increatum, fruſtra impẽditur verbum creatum prædicatum. Gregorius: In maliuola lingua prædica- B toris, ſi intus non adſit gratia Saluatoris, quæ dirigat verba mẽtis, fruſtra exterius impenditur omnis prędicatio veritatis. Et ponitur in exemplum Cain, quem Dominus volentem occidere fratrem, prohibuit, & præmium promiſit: pœnã, ſi occideret, adiunxit. Nec tamen aliquid valuit: quia eum interius diuina gratia non adiuuit. Diuinum ergo verbum exterius prædicatum, vt valeat eſſe virtuoſum, indiget, vt non ſit in ore tantum; ſed verbo increato in corde coniunctum, cuius gratia valeat eſſe virtuoſum. Bene ergo dicitur: *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa*. Quia omnis virtus, quæ eſt in verbo prædicato; eſt a verbo propter nos C creato, ſiue incarnato. In Verbo autem prædicto ad honorem Euangeliſtarum, diuinum verbum exterius prædicatum, ſed tamen gratiæ diuinæ coniunctum, tria facit. Primo eſſe oſtenditur authenticũ, ſiue firmum. Secundo, oſtenditur eſſe bonum, & ſanctum. Tertio, oſtenditur eſſe efficax, & virtuoſum. Nam primo eſſe monſtratur authenticũ, propter diuinam auctoritatem, qua non fallimur. Secundo, oſtenditur eſſe bonum & ſanctum propter eius efficaciam in anima, quam quotidie experimur. Sed tertio oſtenditur eſſe virtuoſum, propter ipſius operantis ſubtilitatem, quam in ſingulis D contemplamur. Diuinum ergo verbum monſtratur, Primo authenticum, cum dicitur: *Dominus dabit verbum*. Secundo oſtenditur eſſe bonum, cum additur: *Euangelizantibus*. Non enim eſt aliud Euangelizare, quàm bona verba nunciare. Tertio oſtenditur efficax, & virtuoſum, dicitur enim, *virtute multa*. Circa hoc verbum eſt notandum, quòd quandoque reſpicit intellectum, ſub ratione veri animam illuſtrantis: quandoque affectum, ſub ratione boni animã inflammantis: & quandoque effectum, ſub ratione operis actum exterius confortantis. Eſt ergo Dei verbum frequentius prædicatum, E Primo, mentis illuminatiuum: Secundo, affectus inflammatiuum: Tertio, effectus adiutiuum, ſiue firmatiuum: Quarto, eſt ad gloriam æternam inductiuum. Quid ergo melius, quid animæ dulcius, quid homni fructuoſius, quàm vt verbum Dei prædicabile audiamus deuote?

*Greg. to. 3. hom. in Euang. 30.* — Sub finem.

Dico ergo, quòd verbum Dei frequentius prædicatum, eſt animæ illuminatiuum, dum docet, quid faciendum, quid fugiendum, quid reſpuendum, quid amandum, quid odiendum ſit: quid vnicuique prohibendum ſit. Quid enim eſt anima nõ ſic F illuminata? quid eſt anima, ſi ſit cæca? quid eſt anima ſcientia deſtituta? certe talis eſt, vt tabula raſa, in qua nulla omnino eſt pictura. Tantum bonum probatur eſſe prudentia, vt omnino nulla ſint bruta, quantumcumque parua, ſiue vilia; quæ non tradant ſuis filijs documenta, ſuæ naturæ conueniẽtia. Nonne cerua ducit filios ad ſaxorum prærupta, & docet eos ſaltare, & ſeipſos abſcondere? Nonne elephas docet filios ſuos, in noua luna ad fluuium ire, & in aquis ſollicite ſe lauare? & ſic eſt in omnibus inuenire. Item vide, quantum bonũ ſit, lumen videre: & quantum malum eſſe cæcum. Nam ſi hirundo cæcos inuenit filios, eos dum inutiles eſſe cernit, ſi ſic cæci permanſerint, herbam quærit, & A inuenta, eos ad lucem reducit. Ergo cæcitatem mentis homo non vitabit; ſi brutum ſic fugit cæcitatem carnis. Tanto enim eſt peior cæcitas mentis, quàm corporis; quanto anima corpus excedit, & longe magis: eo quòd cæcitas carnis nos a recta via non excludit, nec impedit: ſed potius auxilium tribuit. Sed cæcitas mentis viam præcludit; dum homo, qua via eundum ſit, non aduertit. Vnde orabat Propheta: Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus: præualui aduerſus eum. Quod ſi non credis, audi Prophetam dicentem: Lucerna pedibus meis. B Lucerna enim eſt vas æneum, & rotũdum formatũ; olei, lychni, & ignis contentiuum. Vnde etiam Dominus dicit: Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio: ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Vnde diuinum verbum carbunculo, lapidi pretioſo, eſt ſimillimum: eo quòd tenebrarum nocturnalium eſt fugatiuum.

Exempla. — *Pſ. 12. a* — *Pſal. 12. a* — *Matt. 5. b*

Secundo, diuinum verbum eſt affectus inflammatiuum. Sed numquid hoc parum eſt? Quid enim eſt anima non inflammata? Certe qualis eſt carbo igne expoliatus. Ergo verbum Dei eſt attente audiẽdum, cum ſit affectus animæ incẽſiuum: Nam dici- C tur de Helia quòd ſurrexit ſicut ignis, & verbum eius ſicut facula ardebat. Miro modo verbum diuinum inflammat, non ſolum audientem, ſed etiam loquentẽ. Vnde dicitur: Factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum tota die, & dixi: Non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine ipſius. Et factum eſt verbũ Domini in ore meo, quaſi ignis æſtuans, & quaſi clauſus in oſſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens. Ad litteram enim propter mala, quæ Hieremias propter Dei verbum, ſuſtinuerat, ipſum non vltra loqui propoſuerat: ſed verbum in corde eius ſic ardebat, quòd ipſum tene- D re non poterat. Eſt enim verbum Dei cuidam lapidi pretioſo ſimillimum: qui manum ſe ſtringentem adurit. Non poteſt ignis in ſinu eſſe, & non ardere; & ea, quæ tangit, non comburere. Sic & verbum diuinum, quos tangit, includit, & calefacit intima cordis. Et ideo loqui de Deo eſt optimum: quia deuotionis cauſa eſt: ſed loqui de mundo peſſimũ eſt: quia eſt ad malũ inductiuũ. Vnde dicitur in prima canonica Ioannis: Qui de mundo eſt, de mundo loquitur. In hoc enim manifeſti ſunt filij Dei, & filij Diaboli: Quia filij Dei loquuntur de Deo; & filij diaboli loquuntur de mundo. Vnde iterum ibidem E dicitur: Qui de terra eſt, de terra loquitur.

*Eccl. 48. a* — *Iere. 20. e* — *1. Ioã. 4. a* — *Ioan. 3. d*

Tertio, diuinum verbum eſt effectus adiutiuum, ſiue firmatiuum. Miro enim modo verbum Dei firmat in bono: ſicut & corrumpunt bonos mores colloquia praua. Pſal. Verbo Dñi cæli firmati ſunt. Cæli ſunt viri iuſti, Euangeliſtę, vel Apoſtoli, qui ſunt cæli alti, per paupertatem voluntariam: Cæli puri, per continentiam: Cæli pulchri per ſapientiam: Cæli ſphærici, per obedientiã. Qui verbo Dñi firmãtur, dum per verbum bonis operibus ſolidantur. Et quid mirum, ſi ſic fructificat, & animat diuinum verbum; quando ſic animat humanum? Nonne pu- F giles animantur, dum clamoribus hominum excitantur? Nonne fiunt ad pugnam milites fortiores, & fortius agitãt lanceas, ſtrictoſq. tenẽt mucrones, dũ voce clamantis principis animantur? immo, quod magis eſt mirabile, equi in prælijs gaudẽt, & ſaliunt, dum vocem tubæ clangentis intelligunt: Boues etiã iugum leuius ferunt, bubulcũ cantantem audiunt.

*1. Cor. 15. d* — *Pſal. 32. a*

Quarto, diuinum verbum eſt ad gloriam inductiuum. Non enim ſolum intellectum dirigit, affectum incendit, & opus perficit: ſed quod conſummatum eſt, complet, dum ad ſupernam gloriam introducit. Vnde cum Dominus mira de manducatione corporis ſui prædicaret; & propter põdus verbi multi retro abirent; ipſe conuerſus ad Apoſtolos ait:

*Ioan. 6. g*

A ait: Numquid vos vultis abire? Cui Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, ideſt verba ad vitam æternam inducentia. Vnde & ipſe Dominus ibidem: Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt. In infinitum enim magis eſt potens verbum Dei, quàm verbũ hominis. Sed ſæpe verbum hominis ſublimat hominem in mundo: Ergo multo fortius verbum Dei poteſt hominẽ *Matth.7.d* ſublimare in cælo. Vnde dicitur: Qui audit verba mea, & facit ea; ſimilis eſt viro, qui ædificat domũ ſuam ſupra petram. Venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam; & non cecidit: Fundata enim erat ſuper firmam petram. Firma pe- B *Ioan.15.a* tra eſt Chriſtus, qui eſt vita æterna. Vnde ipſe dicit: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum; & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Vnde & latroni di- *Luc.23.f* xit: Hodie mecum eris in paradiſo, quaſi dicat: Eris mecum: quia ego ſum & vita, & paradiſus. Ad hãc vitam ipſe nos perducat, qui cum Patre, &c.

# DE VNO MARTYRE

## SERMO I. in ordine autem XIII.

*Pſal. 20. a* *Magna eſt gloria eius in Salutari tuo.* Glorioſi ſunt Martyres Chriſti, non ſolum in hac vita; ſed etiam in futura vita, vbi ſolum eſt vera vita: & ideo in præmiſſo verbo, a duobus commendatur maxime hic Martyr: Primo, ab excellentia ſanctitatis, qua apparuit glorioſus in merito. Secundo, ab eminentia dignitatis, qua nunc eſt glorioſus in præmio. Primum reſpicit gloriam meritorum in via: Secundum reſpicit gloriam præmiorum in Patria. Notatur ergo primo gloria meriti, qua fulſit in via, cum dicitur: *Magna eſt gloria eius in Salutari tuo.* Secundo notatur gloria præmij, qua nunc ſplendet in Patria, cum dicitur: *Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.* Eſt ergo hic totalis ſermo fiendus de gloria, quæ tam eſt in via, quàm in Patria. Et ideo eſt notandum, quòd triplex eſt gloria. Prima temporalis, ſiue carnalis. Secunda ſpiritualis. Tertia æternalis. Prima eſt vana; & ideo fugienda. Secunda bona eſt, & ſancta; ideo tenenda. Tertia eſt optima, & perfecta; & ideo appetenda.

Dico, quòd prima gloria eſt temporalis, carnalis, & mundana; & eſt mala, quia peccati cauſatiua. Vn- *Pſal.51.a* de dicitur: Quid gloriaris in malitia, ideſt in mala gloria? vnde poſt multa mala, quæ enumerat; ſubdit mala pœnæ ſequentia ad illam gloriã dicẽs: Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Hæc autem mala gloria inuenitur in quadruplici differentia. Nam quidam gloriantur in alta potentia. Quidam in profunda ſapientia. Quidam in rerum opulentia. Et quidam in exteriori apparentia. Dico primo, quòd ſunt quidam, quorũ gloria eſt in ſublimi potentia: qua ſibi ſubijciunt omnia, theſauros, homines, & iumenta. Et de hoc ha- *Iudith.1.a* betur exemplum Iudith, vbi dicitur, quòd Arphaxat Rex Medorum ſubiugauerat multas gentes imperio ſuo; & ædificauit ciuitatem potentiſſimam. Et ſequitur: Et gloriabatur, quaſi potens in potentia exercitus ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum. Et attende quomodo domum ſuam fundauerat in arena: & ſuper ventum poſuerat potentiam ſuam; quæ non ſuſtinent ſuper ſe poſita, ſed omnia talia ſunt ruinæ patentia. Quia ſtatim, ſicut ibidem ſequitur, a Nabuchodonoſor eſt in bello deuictus, gloriam ſimul perdens, & regnum. Vbi enim eſt vana potentia Cæſaris, qui Primus ſolum imperium

A obtinuit; a quo omnes Imperatores appellati ſunt Cæſares: quẽ Romani tãdẽ gladijs interfecerũt? Vbi nunc eſt vana potentia Neronis, qui fugatus a Romanis fuſtem dentibus acuit, quo ſeipſum per ventrem transfixit? Vbi nunc eſt ampla Alexandri potentia, qui ſibi orbem totũ ſubiecit, & duodecim annis tantum regnauit: & vltimo veneno interijt? Valde glorioſus leo incedit: ſed dum ſuam vanam potentiam non aduertit, in foueam ſæpe ruit; de qua cum exire non poſſit, ſubmittit collũ cathenis. Ergo in potentia nullo modo eſt gloriandum: ſed ſemper de caſu timendum. Vnde Iere. Non glorietur fortis *Iere.9.g* B in fortitudine ſua. Secundo, ſunt quidam qui gloriantur in ſapientia: quæ tamen non eſt ſua: quia ab alio accepta. Omnis enim ſapientia a Domino Deo eſt: & cum eo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Sed *Eccl. 1. b* nonne ſtultum eſt, & rationi contrarium, gloriari de dono alterius contra dantem? Propter quòd Ier. *Iere.9.d* dicit: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua. Apo- *1.Cor. 4. b* ſtolus: Quid habes, quod non accepiſti? quid gloriaris, quaſi non acceperis? Anſelm. de caſu diaboli *Anſelm. to. 3. cap.1.d* dicit: qui, ſcilicet diabolus, hoc ipſum de ſe non habet, de quo magis videtur: quomodo homo a ſe aliquid habet; cum minus de eo, quàm de omnibus C alijs intellectualibus videatur? Si enim quod magis *Ariſt. 2. Top. cap.4. loco 35.* videtur ineſſe, & nõ ineſt; quomodo de quo minus? Vbi enim eſt ſapientia Socratis, qui princeps Philoſophorum fuit? Nonne captus, damnatus, & veneno interijt? Magnus philoſophus Seneca fuit, magiſter Neronis, qui hoc in munus ab Imperatore accepit; quòd eum mortem eligere coegit: & ideo Seneca dictus fuit, quia ſeipſum necauit, dum mortẽ, qua moreretur, elegit. Quis Achitophel, qui conſiliariorum Dauid ſapientior fuit? de quo 2. Reg. & *2.Reg.17.6* tamen laqueo ſe ſuſpendit. Ergo non eſt curanda ſapientia huius mundi. Tertio, ſunt quidam, qui D gloriantur in rerum opulentia: In multitutine diui- *Pſal. 48. a* tiarum ſuarum gloriantur. Sed hoc eſt vaniſſimum. Quid enim profuit diuiti epuloni (de quo in Luca) *Luc.16.f* quòd tot diuitias habuit; niſi quòd ad inferna deſcendit? Quid profuit Neroni, quòd retibus argenteis piſcabatur, niſi quòd apud inferos demergebatur? (Vt dicit Seneca tragœdus) in auro liquefacto, *Seneca tragædus.* & feruido pænas luit: in liquefactis metallis, quæ in mundo dilexit: nunc verſatur in balneis, & ſic a quodam apud inferos viſus eſt. Quid profuit Salo- *Reg.3. 10. B. & ſequentibus.* moni, quòd aurum velut auricalchum: & argẽtum, quaſi plumbum congregauit: cum omnia filio tam E ſtulto dimiſit, qui omnia perdidit? Propterea dicitur: Non glorietur diues in diuitijs ſuis: ſed in hoc *Iere.9. g* glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me: quia ego ſum Dominus. Quarto, ſunt quidam, qui gloriantur in exteriori apparentia, ſicut in nobilitate, & claritate generis. Oſeas: Gloria eorũ a partu, & ab *Oſee.9.c* vtero, & a conceptu. Sed vtinam attenderent, quòd ab vno Deo ſunt: ab vno homine deſcendimus: vno *Laertius in vita Socratis.* modo cõcipimur: ſimili modo naſcimur: & conſimili modo morimur. Nihil aliud eſt nobilitas humana, quàm quædam hominũ fama: & quædam in exterioribus vita honorabilis. Numquid mentior? F Nonne videmus homines prius viles, & pauperes, poſtmodum diuites fieri milites vt ditentur: poſtea filij militis coheredes? Quid enim eis nobilitatis additur, cũ enſis eis traditur? Numquid non Saul boues; & Dauid oues cuſtodiebãt, quando ad Regnũ electi ſunt? Item quidam gloriantur in pulchritudine, ſiue in veſtitu corporis: ſed per capillos capi- *2.Re. 18. e* tis Abſolon ſuſpenſus interijt, in quibus maxime gloriabatur, vel gloria eius fuit. Vnde dicitur: In ve- *Eccl. 11. b* ſtitu ne glorieris. Numquid pulchritudo veſtis eſt tua pulchritudo? Nihil per veſtem fit tibi, niſi vt celetur turpitudo tua; qua tibi non detrahitur turpitudo tua, nec additur pulchritudo. Poteſt enim fieri, ut plumbum credatur argẽtum eſſe: & auricalchum

putetur



A putetur aurum eſſe: ſed tamen plumbum, ſemper eſt plumbum; & auricalchũ non deſinit eſſe auricalchũ. Notandum ergo ad omnia ſupradicta, quòd hæc mundana gloria eſt, Primo, vilis, & fœtida: Secundo, eſt fragilis, & vana: Tertio, eſt caduca, & falſa. Quarto, gloria mundana eſt miſera, & ignominioſa. Primo dico, quòd hæc gloria mundana, eſt vilis, ſiue fœtida: quia non eſt in Deo, nec cum Deo. Vn- *Mac.2.d* de Mach. dicitur: Gloria viri peccatoris, ſtercus, & vermis eſt. Hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuerſus eſt in terram ſuam, & cogitatio eius perijt. Quid ſtercore fœtidius, & quid verme vi- B lius? Secũdo, hęc mũdana gloria eſt fragilis, & vana, ſimilis fumo, qui in principio videtur aliquid: ſed quanto plus aſcẽdit, tanto plus deficit, donec penitus *Exempla.* euaneſcat. Quid rore pulchrius, & pruina quid albius? ſed dũ pulchri ſunt, tacti ſolis radio euaneſcũt. Vnde etiã mundana gloria flori eſt cõparata, qui cum valde pulcher, & odoriferus ſit; ad modicũ ventum fit peſtilens, & euaneſcit, & odorẽ, & pulchritudi- *Iſa. 40. b* nem perdit. Et de hoc habetur: Omnis caro fœnum, *Iob.13.d* & omnis gloria eius tamquam flos agri. Iob: Homo natus de muliere, breui viuens tempore, &c. vſq; permanet. Expone hic per ſingula verba, licet etiã C ſint in alijs ſermonibus diligenter expoſita. Tertio, gloria mundana eſt caduca, & falſa: quia quod promittit homini, non tribuit. Et tunc maxime deficit, quãdo ſumme egens homo exiſtit: quando homo indigeret auxilio, ſicut in morte: ſed tunc maxime *Pſal.48.d* inuenit ſe mundana gloria derelictum. Pſal. Ne timueris, cum diues factus fuerit homo; & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: Quoniam cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. Malus amicus eſt, qui in vita exiſtit, & in morte deficit. Quarto, mundana gloria eſt mi- *Oſee. 4. b* ſera, & ignominioſa. Nam dicitur: Gloriam eorum D *Philip.3.d* in ignominiam commutabo. Et Apoſtolus ad Philip. Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis: nũc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti; quorũ Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Non eſt bonus cibus, qui generat ventri dolorem: nec bona gloria, quæ cedit, animæ ad confuſionem.

Secũdo, eſt alia gloria, quæ dicitur ſpiritualis, quę non eſt hominis exterioris. Et hæc conſiſtit in quattuor. Primo, in conſcientiæ puritate. Secundo, in recta animi voluntate. Tertio, in mentis & corporis integritate. Quarto, in cognoſcendo propriam vili- E tatem. Dico quòd gloria ſpiritualis primo conſiſtit in conſcientiæ puritate. Nam pulchrum eſt aurum, cum eſt purum. Nonne lux glorioſa eſt, cum a tenebris ſeparata eſt? Sic & anima eſt multa lætitia, & gloria plena, cũ eſt ab omni culpa diuiſa, nullo malo *2.Cor. 1. c* permixta: ſed eſt luminoſa, pura, & pulchra. Vnde dicitur: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Secundo, gloria ſpiritualis conſiſtit in recta animi voluntate. Cum enim cor ſit omnium mẽbrorum primum, & motus, & vitæ ceteris membris impreſſiuum; ſi cor fuerit rectum, nihil erit in corpore tortuoſum. Sic eſt ex parte animæ: cũ volun- F tas, quæ in regno animæ dominatur, ſi ipſa fuerit recta; recta erunt & cetera membra, & ideo digna *Pſal.35.b* gloria. Pſal. Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde: Tertio, gloria ſpiritualis conſiſtit in mentis, & corporis integritate. magnam enim gloriam, & inauditam lætitiam generat vtriuſque hominis mũditia. Inter omnes enim colores principalis eſt albedo, & omnium colorum pulchritudo: Vnde nullus color bene pingit, niſi ei *Iſai. 35. d* albus color ſubſternatur. Vnde dicitur: Gloria Li- *Libanus quid.* bani data eſt. Libanus candidatum interpretatur; & ſignat mentis, & carnis munditiam, in qua magna conſiſtit hominis gloria. Quarto, gloria ſpiritualis conſiſtit in cognoſcendo propriam vilitatem: vt ſci-

A licet homo cogitet, de qua materia generatus, quo cibo in ventre nutritus, cum qua veſte natus, quibus malis expoſitus, ad quem finem ex neceſſitate ſit vẽturus. Vnde ex hac conſideratione Propheta dicebat: Gloriam meam in puluerem deducam. Vnde 2. *Pſal.7.a* Reg. Cum Rex Dauid ex hac humili cõſideratione, *2. Reg.6. a* gloria ſe ſpoliaſſet coram arca Domini, & pſalleret; deſpexit eum ex ſuperbia vxor ſua, dixitq; ad eum: Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi vnus ex ſcurris. Cui Rex humilis ait: Viuit Dominus, quia ludam coram eo, qui ele- B git me, pluſquam patrem tuum: & ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum: & ero humilis in oculis meis: & coram ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo.

Tertio, & vltimo eſt gloria, quæ dicitur æternalis: & eſt gloria illa, quæ eſt omnium deſideriorum finis. Et in quattuor proprie conſiſtit: Primo, in læta ſocietate Sanctorum: Secundo, in plena omnium bonorum ſatietate: Tertio, in aperta bonorum omnium propalatione: Quarto, in Dei ſuauiſſima viſione. Primo dico, quòd gloria illa, quæ dicitur æternalis, conſiſtit in læta Sanctorum ſocietate. Et C quid dulcius eſſe poteſt, quàm eſſe conſortem Sanctorum tantorum cum Chriſto regnantium? O mira ſocietas, & prædulcis ex ſocietate ſuauitas; videre tot Sanctorum millia, qui omnes ſunt Reges, & purpura veſtiti, diademate coronati, ſuper Solem hunc luminoſi, omnibus bonis pleni, & Deo ſimillimi. Vnde dicitur in Pſal. Exultabunt Sancti in glo- *Pſal.149.a* ria. Et quid mirum? Miro modo gaudent auiculæ ſimul iunctæ. Nam & columbæ gaudent, & grues ſi a ſocietate errauerint, quando conſocias ſuas inuenerint. Gaudent mirabiliter homines, cum ſint ſecuri cum amicis. Ergo quantum eſt gaudium: im- D mo nec vlla lingua narrandum, tantam videre multitudinem amicorum, perfecta charitate ſe amantiũ, & bonum omnium, ſicut ſuum, optantium? Secundo, gloria æternalis conſiſtit in plena omnium bonorum ſatietate. In hac enim vita ſemper ſcientijs perfici volumus, & numquam quod cupimus, obtinemus: quin quantumcumque intelligendo diſcamus, vel proficiamus, ſemper ſupereſt, quod quæramus. Vnde quidam Philoſophus, cũ ad mortem veniſſet; dixit ſe ſolum de morte dolere: quia tunc incipiebat diſcere. Alius Philoſophus requiſitus, vbi eſſet terminus ſcientiæ; Vbi, inquit, & vitæ. Item tantæ ca- E pacitatis voluntas humana exiſtit; vt omnibus bonis ſatiari non poſſit. Vnde totus mundus Alexandro nõ ſuffecit. Nec Neroni regnum ſuum vmquam potuit eſſe ſufficiens, quod poſſedit. Ergo quanta eſt gloria illa, quæ ſic intellectum conſummat, & affectũ ſatiat, vt nihil, quàm quod poſſidet, quærat, ſed omnino contentus exiſtat? Pſal. Satiabor, cum ap- *Pſal.16.d* paruerit gloria tua. Tertia gloria æternalis conſiſtit in omniũ bonorum reuelatione: quia nihil ibi homini occultabitur. Vnde debet eſſe lætus, cum nihil ei occultetur, ſaltem, ſi debeat eſſe beatus: ſed ei omnia in publico exponuntur. Bonum enim deſi- F deratum, viſum lætificat: ſed diu expectatum, valde affligit animam, & corpus: aliquando ſanum, facit ægrum. Exemplum de Amon filio Dauid, qui propter Thamar deſiderium ægrotauit: quia eius cõcubitu frui non potuit. Similiter & Rex Achab æ- *2.Reg 13.b* grotauit: quia ei Naboth vineam dare renuit. Lege *3.Re.21.a* eius hiſtorias, ſi eas mente neſcias. Ergo non altiſſimam gloriam illam iudicas, vbi omne deſiderium erit ad libitum cupienti expoſitum? Et propterea dicebat Apoſtolus: Non ſunt condignæ paſſiones hu- *Rom. 8.c* ius temporis ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Non delectat pictura quantũcumq. pulchra, quàmdiu fuerit velata: ſed ſolum poſtquam fuerit reuelata. Secũdo, gloria æternalis cõſiſtit in aperta

viſione,

viſione. Omnia alia mundi bona, omniaq. cæleſtia non ſufficerent nobis data, & nobis expoſita, niſi videamus diuinam eſſentiam. Vnde quidam Philoſophus platonicus dicit: Tam delicata eſt diuina viſio, tanto amore digniſſima; vt quidquid homo poſſideat, illa non habita, non facit hominem beatum, ſed miſerum. Ergo ſumme beati erimus: *Iſai.40.a* quia Deum in ſeipſo videbimus. Iſaias: Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro, quòd os Domini locutum eſt. Fugiamus ergo gloriam temporalem, & amplexemur nunc gloriam ſpiritualem; vt tandem veniamus ad gloriam æternalem. Quam concedat ipſe nobis, &c.

# DE VNO MARTYRE

## SERMO II. et in ordine XIV.

*Pſal.8.a* *1.Reg.2.f* *GLoria & honore coronaſti eum Domine:* Scribitur 1. Reg. quòd Dominus dixit ad Hely ſacerdotem: Quare magis honoraſti filios tuos, quàm me? Locutus ſum enim, vt domus tua miniſtraret coram me vſque in ſempiternum: Nunc autem abſit hoc a me; ſed quicũque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem me contemnunt, ignobiles erunt. Quia hic ſanctus Martyr quoadusque vixit, Deum honorauit; ideo iuxta quod Dominus Hely promiſit, ipſum Deus glorioſum effecit. Qui vnquam Reges, qui principes, qui barones, aut nobiles, ſic a mundo honorantur, vt Martyres? immo vt Martyrum crura? Maior longe honor exhibetur Stephano, ſiue Laurentio; quàm Alexandro, ſiue Apoſtati Iuliano. Bene ergo dictũ eſt: *Gloria & honore &c.* Tria verbũ prædictũ notabiliter ponit. Quia Deus Martyrẽ glorificauit, quantũ ad ſeipſum: honorauit, quãtum ad proximum: ſed coronauit, quantũ ad præmium ſiue regnũ. Vnde primum reſpicit propriũ bonum interius: Secundũ, proximi deuotionẽ exterius: Tertium, gloriæ bonum ſuperius. Notatur ergo primo bonum interius, quo fulſit in animo, cum dicitur: *1.Cor.1.c* *Gloria*. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Notatur ſecundo bonum exterius, quo venerabilis factus eſt proximo, cum additur: *Et honore*. Magnus honor, quando tota Eccleſia ipſum extollit laudibus, & officijs veneratur. Notatur tertio bonum ſuperius, quo incedit coronatus in regno, cum ſubditur: *Coronaſti eum*. Verum, quia de gloria in ſuperiori ſermone abundantiſſime dictum eſt, & honor ſanctitatis patẽs eſt omnibus: *Heſter.6.b* Quia ſicut dicitur Heſter; Sic honorabitur, quẽcumque Rex voluerit honorare; nunc de ſola coronatione dicendum eſt, quæ intra ſe honorẽ, & gloriã continet, vt ſequẽs proceſſus oſtẽdit. Eſt ergo notandũ, quòd hũc Martyrẽ Dominus coronauit hic: Primo, ipſum æternaliter eligendo: Secundo, ipſum perſonaliter redimẽdo: Tertio, ipſum fortiter defendẽdo: Quarto, ipſum fideliter cõſummando. Primũ fuit opus immẽſiſſimæ bonitatis. Secundũ fuit opus ardentiſſimæ charitatis. Tertium fuit opus altiſſimæ poteſtatis. Quartũ fuit opus inæſtimabilis largitatis.

Dico igitur primo, quòd Deus hunc Martyrem coronauit, ante ſæcula eum eligendo, ex ſua immenſiſſima bonitate. Quæ enim bonitas maior excogitari poteſt; quàm hominem (nullo merito præcedente) ad ſummum bonum participandum eligere? Magna hodie bonitas reputatur, ſi aliquis Dominus retribuit pro meritis: & ſic remunerat eum, qui meruit. Ergo quanta eſt bonitas illa, quæ abſque vllis meritis omnino, ad ſummũ bonum ordinauit hominem? Vnde de hac coronatione poteſt accipi illud *Iſa.62.a* Iſaiæ: Eris corona gloriæ in manu Domini. Ideo dicit in manu Domini: quia ſolius Dei bonitas eſt, vt A nullis præcedentibus meritis, ad tantam coronã homo electus ſit. O quantum tenentur Deum laudare, Deum amare, Deum prædicare, qui ad hoc vocati ſunt; vt Deum agnoſcant; vt Chriſtiani fiant, & cum Saracenis, & alijs multis in errore non permaneant. Sed væ talibus, ſi Deum cognoſcunt; ſed non vt Deum honorant. De talibus dicitur ad Rom. Cum cognouiſſent Deum; non ſicut Deum glorificauerunt, & gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratũ eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt. *Rom.1.d* Et Eccl. Qui addit ſcientiam, addit dolorẽ: *Eccli.1.d* B quia quãto plura ſcimus, Deum melius nouerimus, & tanto magis ei obligati ſumus; & non ſeruientes ei, magis puniendi ſumus. Vnde non ſeruientes Deo Chriſtiani, plus quàm Saraceni, & Pagani, puniendi ſunt. Vnde exemplum de beato Macario legimus: *Ex Catal. ſanctorum lib.2.c.35. nõ de Macario Aegyptio, ſed Alexandrino.* Qui cum in deſerto caput mortui inueniſſet; quæſiuit quis fuiſſet: Cui miraculoſe reſpondit: Paganus fui, idolorum ſacerdos. Cumq. quæreret, vbi eſſet; ait: in inferno. Cumq. quæreret: Sũt aliqui ibi te profundiores? Ait: Sub nobis adhuc ſunt Iudæi, & ſub Iudæis Chriſtiani mali: qui cum Deum cognouiſſent, ei tamen ſeruire noluerunt. C Nec eſt hoc mirandum: quia ſupponamus, *Ex Luca cap.12.f* gratia exempli, quòd aliqui duo ſint vnius domini ſerui, ſed ei non ſeruiant: tamen vnus eorum dominum ſuum eum eſſe ſciat; alter vero neſciat. Requiſitus ergo primus a domino, quare ei non ſeruiat; dicit: Scio te eſſe dominum meum, ſed nolo tibi ſubeſſe, nec volo tibi ſeruire. Alter vero requiſitus, quare non ſeruiat; ait: Si te dominum meum eſſe crederem, vtique tibi ſeruirem: ſed ideo tibi nõ ſeruio, quia illud ignoro. Quis iſtorum magis offendit? Nonne primus, qui cognoſcit, & contemnit? Ergo fratres non ſimus ingrati Deo, ad hoc electi, D vt ſimus Chriſtiani: quod maximum donum eſt.

Secundo, Deus coronauit hunc Martyrem Sanctum, ipſum perſonaliter redimendo. Nam corona a Deo nobis parata, erat peccatis exigentibus perdita, nullis vnquam mundanis meritis reparanda. Vnde plorabat Hieremias dicens: *Tren.5.b* Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis, quia peccauimus. Quia ergo perdideramus, nec noſtris operibus reinuenire poteramus, venit Saluator, & ardentiſſima charitate coronam reparauit lapſam, dum pro nobis ſpineam coronam portauit. Exijt enim, ſpineã coronam portans, ſicut dicitur: *Ioan.19.a* O corona veneranda, o E corona totis affectibus amplexanda; qua noſtra corona perdita, eſt reperta. Vnde ad hãc lacrymabilibus oculis intuendã, imitamur in Canticis: Exite filie Hieruſalẽ, & videte regem Salomonẽ in diademate, quo coronauit eum mater ſua. *Cant.3.d* Quis fuit iſte Solomon, Rex pacificus, niſi Chriſtus? Quæ eſt hæc mater ſua, niſi Synagoga? Nam ex Iudæis ſecundũ carnem eſt. Hæc ergo coronauit eum, dum coronã ſpineam illi impoſuit. Videamus ergo hunc regem ſpinis coronatũ, & ipſius ad nos conſideremus affectum. Quis enim tam durus, vt ſi videat Redemptorem ſuum tam pium; non diligat? Sed plorans F Bern. dicit: O duri, & inſenſati filij Adæ, quos non emollit tãta benignitas, tamq. ingens flãma amoris!

Tertio, coronauit Dominus hunc Martyrem, ipſum in tentationibus, & periculis adiuuando. Nam Sanctus Hieronymus dicit: *Hiero.in.4. Epiſt.8.cir. med. de Virginitate ſeruanda.* In ſtadio ſumus, continue pugnamus. Aduerſarijs totus mundus plenus eſt, & nos debiles ſumus: Nec tamen, niſi cum victoria, coronari debemus. Vnde Apoſtolus: Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Et eſt legitime certare, hoſti non cedere: bellum non tantum incipere, non tantum mediare, ſed plenam victoriam obtinere. *2.Tim.2.a* Vnde in Apoc. dicitur: *Apoc.3.c* Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quid faciendum? Vtique ad eum eſt recurrendũ, ab eoq. contra



contra hoſtem tam validum, eſt auxilium poſtulandum. Ipſe enim, niſi nos iuuare vellet ad pugnandum, & in bello fortiter perſiſtendum; nos non inuitaret, nec præmium pugnandi promitteret. Sed *Apoc.2.c* audi quid dicit: Eſto fidelis vſque ad mortẽ; & dabo tibi coronã vitæ. Corona victorijs maximis datur. *Greg. to.2. expoſitio moral. lib. 31. c.14.* Si delectat (ſecundũ Greg.) magnitudo præmiorũ; non deterreat certamen laborũ. Nõne gaudẽs laborat agricola ſub ſpe fructuũ? Quantũ laborãt foſſores metallorũ, antequam poſſint venire ad aurũ? *Exempla.* Quantũ mulieres ſe exercitant circa linum, antequã habeant pannum? &c. Quis vmquã mercator diues eſſe poterit, ſi non aliquando laborauit? Poeta:

*Abſque labore graui vix munera magna dabuntur:*
*Gratus enim plenus vtilitate labor.*

*2.Timoth. vlt. b* Et propterea Apoſtolus, cum ſe dicat præ cæteris Apoſtolis laboraſſe; concludit, dicens: De reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Et dicit: corona iuſtitiæ ſcilicet, Dei, nõ ſua: quia ex iuſtitia eſt certãti a Deo promiſſa: & quia ex iuſtis laboribus acquiſita.

Quarto coronauit Dominus hunc Martyrem, ipſum feliciter conſummando, & in gloriam ſuam aſſumendo. Nemo enim illuc ingreditur, niſi ibi coronetur; & niſi regnum perpetuum ei tradatur. Vnde Dominus dicit Sponſæ in Canticis: *Cant.3.d* Veni de libano ſoror mea Sponſa; veni, coronaberis. Vbi ergo ſunt, qui quærunt ditari? Vbi ſunt, qui quęrunt nobiles fieri? Vbi ſunt, qui quærunt pulchri videri? Vbi ſunt, qui volunt purpura indui? Vbi ſunt, qui volunt reges fieri? Veniant ad Chriſtum, & accipiãt regnum, & diadema perpetuum. Nam per coronam, cum ſit figura ſphærica; gloria æterna demonſtratur. Sed quære de hoc latius in ſermone ſequenti. Rogemus ergo Dominum, &c.

# DE VNO MARTYRE

## SERMO III. & in ordine XV.

*2.Timoth. 2.a* *NOn coronabitur niſi qui legitime certauerit.* Nemo pugnans coronari dignus eſt; ſi victoriam pugnando non obtineat. Currentibus enim non datur brauium, niſi poſt curſum. Conſueuerũt Domicelli vſque ad cingulum ſublimari militiæ; qui prius fortiter ſteterunt in acie. Nec militi non pugnanti datur donatiuum. Nam olim, cum Romani mũdo dominabantur, milites veterani, qui diu pugnauerunt, tradebantur quieti, & reddebatur eis pręmium pro labore. Hoc ergo attendẽs Apoſtolus obſeruari in militia ſpirituali dicit: *Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit.* Eſt ergo ſenſus, ſecundum intentionem Apoſtoli: Ille, qui legitime certauerit, coronabitur. Et ſecundum hanc intelligentiam, ad commendationẽ huius Sancti, duo poſſunt hic notari. Primum eſt ſtatus pugnæ. Secundum eſt ſtatus victoriæ. Nam oſtenditur primo pugna, qua apparuit virtuoſus in merito. Secundo, monſtratur victoria, qua nunc eſt triumphator in præmio. Notatur ergo pugna, qua meruit, cum ait: *Qui legitime certauerit.* Notatur victoria, qua coronatus incedit, cum addit: *Non coronabitur.* Eſt ergo primum de pugna videre aliquid, quæ eſt præambula ad victoriam. Notandum ergo, quòd Primo, legitime certare, eſt mundum perfecte contemnere: Secundo, legitime pugnare, eſt diabolo perfecte reſiſtere: Tertio, legitime pugnare, eſt ſeipſum perfecte domare, & carnẽ cogere, & ſpiritui ſubijcere. Nam in primo certamine vincitur auaritia, per amorem altiſſimæ paupertatis. In ſecundo certamine ſubiugatur ſuperbia, per appetitũ propriæ vilitatis. In tertio certamine ſubiugatur laſciuia, per appetitum caſtitatis.

A Dico primo, quòd legitime certare, eſt mundo perfecte abrenunciare, & nihil in mundo vanum amare. Vnde præcipitur in Ioan. *1.Ioan.2.c* Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Quare hoc? Quia ſic dicitur: *Iacob.4.a* Qui vult amicus eſſe huius ſæculi; inimicus Dei conſtituitur. Amicitia enim huius mũdi inimica eſt Deo. Reuera magnum certamen, & forte: omnia quæ videmus, & quibus indigemus ad vitam, contemnere: Sed ideo eſt hoc certamen nobis a Deo datum; vt pugnando vincamus, & vincendo coronemur. Gaudẽt enim Patres, quòd fortiter pugnant Filij: vt de hoc poſſint fieri B nominati. Vnde & de quodã Cæſare dicitur: quòd ſemper noua bella cupiebat, vt quantus eſſet, cunctis pateſceret. Ergo ſi bellandum eſſe indicabant, propter vanam gloriam, & coronam cito tranſituram; quid eſt faciendum Sanctis, pro vera gloria, & corona perpetuo duratura? Certe bellandum eſt contra mũdum, & vitium auaritiæ ſubiugandum, & paupertatis altiſſimæ donum amplexandum. Vnde de hoc certamine poteſt accipi illud: *Apoc.10.c* Certamen forte dedit illi, vt vinceret. Quis dedit? An Dominus dedit Martyri huic, quẽ ſtatuit hic honorari? Nam etſi forte certamen ſit, tamẽ facile ſuperatur. Sed quid C Philoſophi fecerint ex puris naturalibus, aduertamus; qui in tantũ, mundũ contempſerunt, vt fugerẽt homines, fugerẽt ciuitates, & fugerẽt amœnitates: & loca deſerta ſibi eligerẽt, vt philoſophari poſſent. Ergo non debent facere Chriſtiani, propter veram ſapientiã, gloriamq. diuinã, quod illi fecerunt propter ſapientiam vanam, & famã, gloriamq. mundanã?

Secundo, legitime bellare, eſt hoſti fortiter reſiſtere, eiq. nec ad modicum cedere: ſed cum ſolo gladio iugulare. Vnde 1. Reg. legitur de Dauid, *1.Re.19 a* quòd cucurrit ad locum certaminis; & ſequitur ibi, quomodo Goliam (qui diabolum figurat) non in D arcu, aut gladio ſtrauit; ſed in nomine Domini ipſum inuaſit, & in lapide, & funda, ideſt in Saluatore; qui ſignatur in lapide, hoſtem inuaſit, & perſequentem deiecit. Opus eſt valde nobis fortiter cum hoc hoſte ſic potente, ſic callido, ſic pleno aſtutia, ſic continue inuadente, nec vmquam ceſſante, non dormiente, ſed omni tempore vigilante, non comedente, ſed omni tempore ieiunante, confligere. Vnde in prima Petri: *1.Petri 5.b* Aduerſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; cui reſiſtite fortes in fide. Itẽ Iacobus: *Iacob.4.b* Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis. Ibidẽ; Appropinquate E Deo, & appropinquabit vobis. Idem eſt ſenſus vtriuſque auctoritatis, quòd bellandum eſt, ſed de Deo, non de proprijs viribus confidendum. Nam canis, quando ſolus exiſtit, lupum fugit: præſente domino, & confortante, lupum inuadit, deijcit, & occidit. Non eſt nimis timendus hoſtis, qui (vt Damaſcenus dicit) non poteſt vincere niſi volentẽ.

Tertio, legitime bellare, eſt carnem, domeſticũ hoſtem, domare, & ſpiritui eam ſubijcere. Magnum certamen, mũdum contemnere: maius diabolo tam forti reſiſtere: ſed maximum eſt ſeipſum vincere, & contra ſe dimicare. Poeta:

F *Crede mihi, eſt maius, virtute domare ſeipſum:*
*Quàm more Samſonis ſternere mille viros.*

Facile ſuperamus frigus exterius, & calorem, quem foris patimur, ſed calorem interius incendentem, & noſtra corpora depaſcentem, non niſi multis remedijs ſuperamus, ſicut patet in febricitantibus. Facile curatur vulnus, ſi ſit in ſola carne exterius, ſed ſi pulmo, vel aliquod vitale membrum interius laceratur, vix, aut numquam curatur. Ergo grauius eſt nobis hunc hoſtem familiarem ſubijcere, quàm cum alijs certamen inire. Quid eſt ergo faciendum? Subtrahenda eſt ei annona, & continue facienda eſt ei diſciplina. *Exemplũ.* Nam quando Rex aliquam ciuitatem obſederit; primo victualia, & aquam ab eis

eis tollit: & ſic eos obedire ſibi compellit. Equus bene frænatus, & cingulis bene ſtrictus, & fortiter calcaribus punctus, cogitur obedire ſeſſori. Vnde *Eccli. 4. d* ſecundum illam litteram dicitur: Vſque ad mortem certa pro iuſtitia. Et eſt ſenſus: Non timeas amore iuſtitiæ teipſum domare: quia melius eſt morte vitam finire, quàm iuſtitiam Dei deſerere. Qui ergo ſic certat in via, completa pugna, peruenit ad coronam. Nam poſt laborem ſequitur requies. Vnde *Apoc. 14. c* dicitur: Amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcāt à laboribus ſuis. Et eſt notandum, quòd in corona eſt attendere tria. Primo, pretioſitatem. Secundo, ſpecioſitatē. Tertio vero, interminabilitatē; vt ſic accipiatur pretioſitas ex parte materiæ. Specioſitas ex parte formæ: et interminabilitas ex parte figuræ. In quibus tres notātur dotes animæ, ſcilicet viſio, dilectio, & tentio. Vt ſpecioſitas reſpōdeat viſioni: pretioſitas dilectioni: & interminabilitas tentioni. Eſt ergo coronatus hic Sāctus corona pretioſa. Conſueuerunt enim coronæ fieri de auro, quod inter metalla eſt maxime pretioſum: charitatis ſignificatiuum, & donum pretioſiſſimum omnium donorum. Vnde *Eccli. 45. a* dicitur: Corona aurea ſuper caput eius. Tales enim coronæ, vt ſint magis pretioſæ, gemmis pre- *Pſal. 20. a* tioſis inueniuntur ornatæ. Pſalm. Poſuiſti Domine ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo. In quibus omnibus notatur pretioſitas gloriæ: quæ erit in amoris coſummatione: vt non ſit vltra aliquid addere: quia erunt ibi ſummæ diuitiæ, & tantæ deliciæ, *Prou. 14. c* vt officio nequeant dici linguæ. Vnde dicitur: Coronæ ſapientum, id eſt Sanctorum, deliciæ eorum. Secundo, eſt coronatus hic Sanctus corona ſpecioſa. Quid enim illa corona fulgentius? quid enim gemmis fulgentibus inuenitur pulchrius? Igitur ſpecioſa eſt corona, quæ eſt ex auro, gemmiſq. cōpoſita; ſignificans illam pulchritudinem ſummā, quam videt anima beata. Vnde anima quælibet ſancta di- *Iſa. 61. d* cit illud: Indumento iuſtitiæ circūdedit me, & tamquam ſpecioſam coronauit me corona. Tertio, coronatus eſt hic Sanctus corona infinita interminabi- *Ariſt. to. 4. lib. 8. Phyſi cor. tex. 76* litate duratura. Sphæra enim (vt docet Philoſophus, & probatur per experientiam) nullo termino eſt finita: quia non apparet vbi incipiat, nec vbi finiatur: poſtquam eius capita ſunt concluſa, & in circulum *Ariſt. to. 4. lib. 2. de Cælo. tex. 1* ſunt redacta. Vnde aliqui Philoſophi (quamuis ſtulte) crediderunt, cælum eſſe æternum: quia figura rotundum. In circulo enim etſi dum ſit principium videatur, & finis; poſtquam tamen factus eſt, tunc amodo fine, & principio carebit: quia vbi incipiat, aut vbi finiatur, aſſignari non poteſt. Cum ergo corona in rotūdum ſit formata, eſt figurarum pulcherrima, eſt figurarum ſimpliciſſima: quia vna linea tantum contenta ſit; eſt figurarum capaciſſima: nullis angulis coarctata: ſimul etiam eſt figurarum perfectiſſima; quia continet in ſe perfectionem ſenariam, ſicut probat ipſa experientia. Recte æternalis vitæ carentis principio, & fine, eſt ſignificatiua. Vn- *1. Petri 5. a* de dicitur 1. Petri: Paſcite, qui in vobis eſt, gregem, & percipietis immarceſcibilē, id eſt, interminabilem gloriæ coronam. Quod enim non marceſcit, & non corrumpitur; æternum eſſe conuincitur. Ad hanc ergo coronā, materia pretioſam, forma ſpecioſam, & figura æternā; perducat nos Chriſtus Filius Dei, &c.

## DE VNO MARTYRE

### SERMO IV. & in ordine XVI.

*Galat. 6. d* *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Omnis homo naturaliter appetit beatitudinem, ſed multi errant in ea. Nam quidam eam ponunt in ſublimitate potentiæ. Et tales vel laborant præeſſe, vel præſidentibus adhærere. Quidam etiam eam ponunt in

A veritate ſcientiæ: Quidam in generis claritate: Quidam in corporis ſpecioſitate, & voluptate: Quidam in gulæ auiditate: Quidam vero in diuitiarum copioſitate. Iſta ergo omnia attendens ſapiens Apoſtolus, & hic Martyr ſanctus, cuius hodie feſtum celebramus, refugit cum malis gloriari; & elegit gloriari cum bonis. In verbo ergo præmiſſo, ad Martyris honorem aſſumpto, maxime notanda ſunt duo. Nam docet nos, Primo, quid in mundo ſit reſpuendum: Secundo, quid eſt hominibus appetendum, ſcilicet pro Saluatore opprobriū. Omne enim bonū, vel eſt in declinatione mali, vel in profectu boni. Nā B malum declinamus, cum gloriam humanam refugimus. Sed in bono proficimus, dum per viam Crucifixi incedimus. Notatur ergo primo, quid ſit nobis fugiendum, cum dicit: *Mihi autem abſit gloriari*. Notatur ſecundo, quid ſit eligendū, cum dicitur: *In Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Sed quia, quòd fugiendum ſit de humana gloria, ſermone primo de vno Martyre, dixi ſupra; nunc ſolum reſtat dicere de Crucis ignominia. Eſt ergo hic notandum, quòd *Crucis brachia.* in Cruce ſunt quattuor brachia: duo recta, & duo tranſuerſalia: quattuor virtutes, quibus Crux ſpiritualiter fertur ſignificatiua. Non enim electi omnes C crucem materialem aſcendunt, ſed ſpiritualem crucem omnes in ſe ſuſcipiunt. Crux enim materialis poteſt eſſe communis bonis, & malis: cum etiam Dominus crucifixus fuerit cū latronibus: Sed Crux Spiritualis non conuenit niſi ſpiritualibus, & bonis. Quanti enim peſſimi fuerunt in cruce ſuſpenſi? Quanti flagitioſi cum Sanctis fuerunt ſimili pœna puniti? Simul in eodem ponuntur igne lignum, & aurum; lignum exuritur, ſed aurum purgatur. Sub eadem tribula granum collocatur, & palea. Sed palea comminuitur, frumenta purgantur. Sub eodem D ſole ponitur materia ſolubilis, vt cæra, & coagulabilis, vt lutum: & eodem radio cæra ſoluitur, quo lutum inſpiſſatur. Vnde dicit Auguſtinus: Manet diſ- *Auguſt. to. 5. lib. 1. de Ciuit. Dei. cap. 8.* ſimilitudo paſſorum in ſimilitudine paſſionum. Nec ſub eodem tormento eſt idē, virtus, & vitium. Nam ſicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat: & ſub eadem tribula paleæ minuuntur, frumenta purgantur; ita vna & eadem vis irruens bonos probat, purgat, & eliquat: malos damnat, vaſtat, & exterminat, atque indurat. Ergo magis laudatur Crux ſpiritualis, quæ non poteſt cōpetere, niſi bonis, quàm materialis, quæ eſt vtriſque communis. Notandum *Crucis virtutes brachijs reſpōdentes.* E ergo, quòd ſunt quattuor virtutes Crucis, brachijs correſpondentes. Nam primo, in brachio dextro notatur temperantia, quæ eſt declinatio proſperorum. Secundo in brachio ſiniſtro notatur patientia, quæ eſt tolerantia aduerſorum. Tertio in brachio ſupremo notatur miſericordia, quæ eſt releuatio miſerorum. Sed quarto, in brachio infimo notatur humilitas vera, quæ eſt reuerentia ſuperiorum.

Dico primo, quòd ad Crucē ſpiritualem ferendā, tamquam brachium dextrum; neceſſaria eſt temperantia, quæ eſt declinatio proſperorum. Temperantia enim cōtemnit proſpera; & eſt virtutū omnium F modificatiua, ſine qua vitium eſt omnis virtus politica. Hæc eſt enim virtus, ſine qua omnis virtus eſt ſine modo: quaſi equus ſine fræno, & aſinus ſine chamo. Vnde Deus creauit omnia in modo, nec aliquid voluit eſſe ſine modo. Numquam enim fecit vnum cōtrariorum, quin fecerit alterum: vt ſic vnum eſſet alterius frænum. Ob hanc cauſam diuerſa ſunt anni tempora: vt fiat quædam temporis contemperantia. Si enim ſemper æſtas eſſet, calor immoderatus omnia exureret. Et ſi hiems ſemper eſſet, frigus terram ſtringens, nihil naſci permitteret. Ob hanc etiam cauſam dies ſucceſſit nocti, & nox diei. Conſidera etiam in te ipſo: quia cerebro frigidiſſimo, cor fontem caloris, ſuppoſuit Deus. Et pulmonem, quo tamquam quodam flabello, cordis incendium temperauit.



uit. In maiori etiam mundo, motum cæli obuiatio- A ne planetarum frænauit: & eius incendium ex motu generatum, aquis ſuperioribus temperauit. Di- *Lunæ frigiditas quanta ſit.* cunt etiam Sapientes mundi, quòd luna eſt tanti frigoris cauſatiua; quòd omni menſe hiemem terræ adduceret; ſi calor Solis eius efficaciam nō frænaret. Eſt ergo intemperantia, ſiue ſit in gula, ſiue in luxuria; non ſolum contra prohibitionem diuinam: ſed etiam peccatum contra naturam. Et hoc ideo, quia ipſius naturæ eſt debilitatiua, ſicut patet in multis luxuriantibus, & nimiū comedentibus; quorum vita eſt Chriſti cruci contraria, in qua omnia fuerunt amara: cum iſti ſolum quærunt ſuauia. Vn- *Philip. 3. d* de illud: Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Chriſti; quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt. Quid turpius, quid irrationabilius; quàm habere corpus ex fœtida materia generatum, ex fœtida materia nutritum, & ex fœtida materia ſemper plenum, ad deuorandum *Exemplū.* vermibus in fine præparatum, nihil vmquam de ſe producens, niſi fœtidum? Nam & Rex quidam Philoſophum ad cœnam inuitauit: Cumq. cœnaret Philoſophus iuxta Regem ſedens, ſpuere volens, & loca omnia tapetibus ſericis plena videret, C ſimulq. attenderet, quòd barba Regis, ſiue mentum totum ex pinguedine eſſet vnctum; ſuper eius mentum ſputum proiecit. Cumq. ipſum eius famuli occidere vellent; Rex prohibuit, & quare fecerit, inquiſiuit. Cui ille: Cum vndique circa me cernerem, vbi in locum magis vilem ſputum eijcere poſſem; nullum locum ſic fœtidum, nec ſic vilem vidi, ſicut illum, in quem ſputum eieci. Tunc Rex gulæ vilitatem conſiderauit, & viro ſapienti pepercit.

Secundo, ad crucem ſpiritualem ferendum tamquam brachium ſiniſtrum; eſt neceſſaria tolerantia aduerſariorum: vt qui per temperantiam con- D temnit mundi proſpera; per tolerantiam portet, & toleret aduerſa; vt, ſicut non eſt eleuatus in pro- *Exempla.* ſperis; ita nullis frangatur aduerſis. Virtus nobiliſſima eſt tolerantia, quæ inter erectos fluctus, & procellas vndarum, ac fortes flaturas ventorum, nauem tutò ducit ad portum: Bona nauis fortibus aſſeribus fabricata, & in altiſſimo mari, & feruido poſita; nihil timet in fluctibus, niſi terram. Quia ſicut verus patiens non ſolum tribulationes non fugit, ſed etiam appetit; ſic ſola terrena fugit, tamquam currentem nauem impedire ſuis tumoribus poſſint; vt ſic in tribulationibus huius maris forti- E ter perſiſtat. Probatum eſt certo experimēto, quòd nauis fortius, & velocius ſaltat in mari turbato, quàm in mari quieto: quia plus homo in tribulationibus proficit, quàm dum conſolatus exiſtit. *Exemplū.* Nam arbor nucis, dum ſuis fructibus ſpoliatur, quanto fortius pertica verberata fuerit; tanto ſequen- *Exemplū.* ti anno plures fructus adducit. Quidam autem nimium delicati ſunt, ſimiles oliuæ, quæ in collectione fructuum non vult, vt nux, verberari: ſed manu vult fructus ſuos leuiter colligi. Quā ſi verberari cœperis, vel feceris; ſequēti anno à fructu ceſſat. Eſt ergo, vt Apoſtolus dicit, neceſſaria patientia, & exemplo Domini contemnenda omnis gloria mundi, & ignominia appetenda. Vnde dicitur: *Heb. 12. a* Deponentes omne pondus, & circumſtans peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in Auctorem fidei, & conſummatorem Dominum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Turpe eſt, vt miles de bello exeat ſanus; ſi Rex vulneratus incedit, & maxime ſi pro milite bellum agat. *Bern. to. 1. ſer. 61. ſup. Cantica.* Bernardus: Bonus miles ſuas plagas non ſentit, dum benigni ducis vulnera intuetur. Vnde ſequitur in auctoritate præmiſſa: Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit aduerſus ſeipſum contradictionem; vt non



A deficiatis animis veſtris. Quis miles deficit in bello, vbi Regem ſuum viderit pro ſe vulneratum? Numquid pro ſe eſt vulneratus Ieſus? Nam, ſicut dicit Iſaias, Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquita- *Iſa. 53. b* tes noſtras, & attritus eſt propter ſcelera noſtra. Item & Dominus poſuit ſuper eum omnium noſtrū iniquitates. Vnde Bernardus: Quid feciſti amantiſſime Domine; quid commiſiſti Saluator bone: vt ſic iudicareris? quæ cauſa tua, quæ noxa tua? Ego ſum tui cauſa doloris, ego culpa tuæ occiſionis, ego paſſionis tuæ liuor, & tui cruciatus labor. Ad hoc ergo ponūtur imagines Saluatoris: vt dum B anguſtiaris, dum premeris, dum tentatione pulſaris, aſpicias Chriſtum in ligno pro te pendentem. Apes enim, quantumcumque ſagittatæ, reſumunt *Exemplū.* vires, dum viderint ſuum regem. Ergo non faciet homo, quòd apeculas viderit facere?

Tertio, ad crucem ſpiritualem ferendam, pro brachio ſupremo, accipienda eſt pietas orphanorum, viduarum, & omnium miſerorum. Vnde leo, fortiſſima beſtia, prædæ auida, vnguibus, & *Exempl.* dentibus armata, homini non ſæua eſt, ſed pia. Vnde ſi hominem obuium habet in deſerto, non ſolum eum non lædit; ſed eum deducit, & viam il- C li oſtendit, niſi fame nimia laborauerit. Vide ergo quàm crudelis eſt homo, animal manſuetum natura; cum non parcit ei, cui ſæuiſſima parcit fera. Nam etiam crudeliſſima lupa beſtia infantem, quem *Exemplū.* miſera femina proijcit, ipſa recolligit, & lac ei tribuit. Crudelitas contra naturam eſt hominis, ſicut ad ſenſum patet. Non enim natura, ſicut ceteris animalibus, homini vngues acutos dedit ad dilaniandum, nec dentes ferratos ad dilacerandum, nec cornua ad pectendum, nec aculeum ad feriendum. Ergo, dum omnis crudelitatis arma ab eo ſubtraxit; eum debere eſſe manſuetum natura per- D docuit. Sed arma, quæ natura negauit, homo multo peiora, & magis mortifera, ſuo ingenio adinuenit: & crudeliora bella, quàm omnia bruta, gerit. Recordemur ergo crucis Chriſti, ſimus manſueti, & pij: vt poſſimus eſſe filij matris Dei: quę eſt Mater totius bonitatis, & pietatis, & Regina miſericordiæ digna eſt appellari. Vnde dicitur: Sta- *Ioan. 19. e* bat iuxta crucem Mater eius: ſtabat, inquam, dolendo, ſtabat compatiendo, ſtabat & commoriendo, doloris & paſſionis transfoſſa gladio. Cum ergo ipſa ſit Mater totius miſericordiæ: ſoli crudeles ad eius thronum non habent accedere: quia nec ab ea E merentur audiri. Quomodo miſericordiam audes petere, qui eam proximis noluiſti exhibere? Scias, quòd vera eſt ſententia, quam Iacobus profert in Epiſtola: Iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui *Iac. 2. c* non facit miſericordiam.

Quarto, ad crucem ſpiritualem ferendam, pro brachio infimo terræ infixo, eſt accipienda humilitas, quæ eſt reſpectu ſuperioris. Quandocumque ſupra te agitaris, tumore erigeris; crucis Domini recorderis: Quis tumor, qui non cadit: quis mons, qui non ruit, ſi Dominum crucifixū attendas? Nullus miles eſt adeo ſuperbus, & arrogans; vt ſupra F Regem ſedem ſuam collocare præſumat. Ergo, quod non audet quis facere regi terreno, citiſſime morituro, tu facis Regi ſummo æternaliter duraturo? Et propterea Apoſtolus: Hoc enim ſentite in vo- *Philip. 2. a* bis, quod & in Chriſto Ieſu; qui cum in forma Dei eſſet, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem; mortem autem crucis. Vbi dicit Au- *Aug. to. 10. de verb. Domini. in Euang. Ioan. ſer. 41.* guſtinus: Ecce habes humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum. Quid ergo homo intumeſcis, quid morticina pellis, extenderis, quid ſanies fœtida inflaris? Princeps tuus humilis, & tu ſuperbus? Caput eſt humile, & membrum ſuperbum erit? Monſtrum eſt contra naturam, ſi cælum terrę ſubijcias, & ſub pedibus caput ponas. Rogemus.

# DE VNO MARTYRE

## SERMO V. & in ordine XVII.

*Prou. vlt. c* F*Ortitudo, & decor, indumentum eius*: Quanta fuerit fortitudo Sanctorum, quis poterit explanare vllis verbis? Ergo, ſi iuxta meritum fortitudinis recipiant à Deo mercedẽ; quis præmij eorum altitudinem poteſt ad plenum mente cogitare? Maiori donati ſunt præmio, quàm quis lingua carnis exprimat. Ideo in verbo præmiſſo notantur hic duo. Primo, ſtatus pugnæ, B quo diabolo reſtitit. Secundo, ſtatus coronæ, qua coronari promeruit. Nam primo, per pugnam, qualis eſſet, apparuit. Secundo, per victoriam, vel coronam, quo præmio dignus eſſet, innotuit. In pugna fuit à Deo probatus: ſed poſt victoriam à Deo coronatus. Notatur ergo primo, ſtatus pugnæ, cum dicitur: *Fortitudo & decor, indumentum eius*. Notatur ſecundo, ſtatus præmij, & coronæ, cum additur: *Et ridebit in die nouiſſimo*. Dicit ergo, *Fortitudo*, &c. Eſt ergo notandum, quòd contra tres aduerſarios pugnamus, & triplici indigemus fortitudine. Nam impugnat nos mundus: impugnat C nos diabolus: & impugnat nos proprium corpus. Mundus per vana attrahit: Diabolus per alta ſeducit: Sed corpus per delectabilia allicit. Indigemus fortitudine, mundi diuitias contemnente: Indigemus & fortitudine, honores reſpuente: Indigemus & fortitudine, delectabilia fugiente. Dicamus ergo, quòd hic Sanctus Martyr, Primo, fortis apparuit contra mundum, dum voluntaria paupertate omnia reliquit. Secundo, fortior apparuit contra diabolum, dum ſuperbos honores vera humilitate non ſolum non appetijt; ſed contempſit. Tertio, fortiſſimus apparuit contra ſeipſum, dum ardentiſſime D in mortem ſeipſum dedit.

Dico primo, quòd noſter Martyr fortis apparuit, dum voluntaria paupertate mundum omnem cum flore contempſit. O quàm felices, qui eligunt cum Chriſto pauperes eſſe, præter victum ſolum, & ve- *1. Tim. 6. b* ſtitum, nihil aliud appetentes. Vnde Apoſtolus: Habentes alimenta (non delectamenta) & quibus tegamur (non quibus ornemur) his contenti ſimus. *Prou. vlt. c* Vnde de Martyre noſtro poteſt dici illud Prouerbiorum: Manum ſuam miſit ad fortia. Miſit, dixit, quia congreſſus hominis eſt contra mundum. Et dicit pluraliter, fortia: quia plura ſunt relinquenda, E quæ ſunt difficilia. Fortitudinis igitur eſt, diuitias, & omnia vana relinquere, & filios abdicare, & vxorem relinquere: quamuis conſentientem. Vnde in *2. Mach. 12. g* figura noſtri Martyris dicitur de Iuda: Vir fortiſſimus Iudas, collatione facta, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum. In quo notatur, quòd fortiſſimus fuit, dum argentum tantum contempſit, & pro mortuis illud obtulit. Sed quidam econtrario paupertatẽ effugiunt: diuitias toto animo quærunt: nec attendunt, quòd tunc ſunt maxime vacui, quando ſe credunt plenos: ſed vacui ſunt Dei donis, pleni pec F catis: pleni in arca, vacui in conſcientia: acquirunt peccata, & perdunt animam: quærunt aurum, & *Exemplũ.* acquirunt infernum. Nam Luna, quando verſus terram dicitur eſſe plena; tunc verſus cælum eſt vacua. Et quando verſus terram dicitur eſſe vacua, vel nulla; tunc verſus cælum dicitur eſſe tota plena. Et valde rationabile: quia quanto plus à Sole recedit, tanto verſus terram plena exiſtit, & plus vacua verſus cælum. Et econtrario, quanto plus Soli appropinquat, tanto verſus terram ſe euacuat, & verſus cælum fortitudinem ſuam augmentat: ita quòd Soli tunc eſt perfecte coniuncta: & quamuis ex parte terræ ſit nulla; ex parte tamen cæli ſit tota plena.

A Sic & vir Sanctus, dum nihil habet in mundo, eſt diues in cælo. Hiero. dicit: In mundo diuitem, & in cælo eſſe, non eſt poſſibile. *Hieron. in Regula monachorum c. de laude Religionis tom. 9.* Vnde dicitur: Nolite vobis theſaurizare theſauros in terra, vel in mundo, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur: ſed theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, & *Mat. 6. c* vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vnde etiam Glo. ſuper Cantica Canticorum, loquens de Chriſtianis dicit: Non eſt perfectionis Chriſtianæ in temporalibus exaltari, ſed potius deprimi: mali enim nihil habent in cælo: & boni nihil habẽt in mundo: B ſed ſæpe gratia illius boni, ad quod mendici anhelant, quidquid in via contingat, gaudent. Vnde Auguſtinus de Ciuit. Dei: Satellites voluptatum diuitias appetunt, pauperes eſſe nolunt, honoribus inhiant. Sed noſter Martyr rex eſſe noluit: honores declinabat, & omnia mala ſuſtinebat.

Secundo, Martyr noſter poſtquam fortis apparuit contra mundum, apparuit fortior contra diabolum: Iſta enim duo ordinate ſe habent; vt prius quis contemnat mundum, quàm contra diabolum ſumat bellum. Vnde Gregorius: Qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos ſpiritus *Greg. to. 3. hom. 32. in Euang. in principio.* C ſumimus. Nudi autem cum nudo in hoc mundo luctari debemus: quoniam ſi veſtitus quiſquam cum nudo luctatur, citius ad terram deijcitur: quia habet vnde teneatur. Quid (inquit) ſunt terrena, niſi quædam corporis indumenta? Ergo (inquit) qui contra diabolum ad certamen properat, veſtimenta prius abijciat, ne ſuccumbat: nullas rerum labentium delectationes requirat, ne vnde ad votum tegitur, inde ad caſum teneatur. Mundo ſic contempto, & humilitatis fundamento ſic accepto, ſecure congredimur cum hoſte maligno. Vnde ſecundum Hieronymum: Non eſt timendus hoſtis, qui non D poteſt deijcere niſi volentẽ. Vnde in figura Martyris noſtri, dicitur in Sapien. Et fortis in bello: Hu- *Sap. 8. c* milis enim expugnauit inſurgentes hoſtes. Quis hunc hoſtem vmquam timeat, ſi veram humilitatem teneat? Nam cum beatus Antonius omnes inimici laqueos videret coram ſe in terra expanſos; dixit ad Dominum: Domine quis poteſt euadere iſtos laqueos? & facta eſt vox ad eum dicens: Humilis. Et ratio eſt (ſicut Auguſtinus docet) quia humilitas *Aug. to. 5. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 13.* hominem Deo perfecte ſubijcit, Deum ſibi auxiliatorem facit, quo hoſtis ignea tela contemnit. Nam & leo gallum (& maxime ſi ſit albus) expaueſcit, & E fugit virtute cuiuſdam lapidis, quem in ſe habet gal- *Exempla.* lus. Quid per leonem intelligimus rugientem, & homines deuorare volentem; niſi dæmonem? Quid per gallum ſe alis proprijs verberantem, & ſæpe cantantem; niſi humilem hominem, ſe verberibus affligentem, & Deum continue laudantem, & intra ſe viuum lapidem continentem? Hunc humilem hominem diabolus ſuperbus ſic timet; vt nec ei approximare audeat, dum per humilitatem Virginis, & per humilitatem ſuæ beatiſſimæ prolis nouit ſe deiectum. Semper enim puer timet flagel- *Exempl.* lum, & canis baculum, quo aliquando ſe meminit F verberatum.

Tertio, beatus hic Martyr non ſolum fuit fortis *† Boet. de Cõſol. Philoſoph. lib. 3. proſa. 5. in fine.* contra mundum, aut fortior contra diabolum; ſed fuit fortiſſimus contra ſeipſũ. Militi enim exiſtẽti in forti caſtro, facile eſt extrinſecum hoſtem abijcere: ſed valde difficile eſt ſibi, interiorem hoſtem ſupe- *Iudic. 16. A* rare. † Vnde Boetius dicit quòd nulla ſit peior pe- *Prou. 31. b* ſtis, quàm familiaris inimicus. Nam & Samſon, **Greg. to. 2. lib. 21. expoſit. moral. in c. 31. Iob & to. 3. homil. 13. in Euang.* qui mundum (vt Nazaræus) contempſit, & omnes hoſtes deiecit, carnis fuit paſſione ſuperatus. Dicit enim Philoſophus quòd difficillimum eſt hanc paſſionem vincere, conſentaneam naturæ. Vnde de viro Sancto dicitur: Accinxit fortitudine lumbos ſuos. Vnde Gregorius: * Lũbos præcingere, eſt carnis luxu-



luxuriam per carnis continentiã coarctare. Vnde di- A *Cant. 3. c* citur in figura viri Sancti: Lectulũ Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſrael omnes tenẽtes gladios, & ad bella doctiſſimi. Et licet ſit difficile cõtinere; fortius tamen eſt adhuc exẽplo Martyris pro Chriſto animã ponere, & vitã contemnere: quam omnis homo per naturam appetit conſeruare. *Cant. 8. b* Vnde iterum dicitur: Fortis eſt vt mors dilectio. Immo eſt morte fortior, dum mortem ſuperat contemnendo. Et licet hoc ſit opus fortiſſimi; habet tamen in naturis exemplum. Nam Diogenes philoſophus, dum ſe mori videret, in nullo dolens, dixit, ſeipſum febre ipſam mortem ſuperare. Apes mori B appetunt pro ſuo Rege. Nam mortuo rege: nolentes ſe ſeparari ab eo, ſtant morientes fame. Ergo ſi ſic faciunt pro Rege apes, à quo nec eſſe accipiunt, nec per eum viuunt, nec ſentiunt; quid hominibus faciendum eſt pro ſummo Rege, à quo ſunt facti, per quem ſunt redempti, & pro eis liberandis in mortem ſe dedit? Qui ergo ſic fortis erit ſuperando mundum, vincendo diabolum, ſubiugando ſeipſum; accipiet regnum decoris, & diadema regni de manu Domini, & ſic ridebit in die nouiſſimo, quando cum Domino erit in Paradiſo. Quid eſt aliud *Luc. 6. c* Paradiſus, quàm hians riſus? Vnde dicitur: Beati C qui nunc fletis, quia ridebitis. Et econuerſo: Væ vobis, qui nunc ridetis, quia plorabitis. Non eſt poſſibile ridere hic, & in futuro. Et ideo eſt neceſſe vt hic fleat, qui vult cum Domino ridere. Ad hunc riſum perducat nos Dominus noſter, &c.

# DE PLVRIB. SS. MART.

## SERMO I. in ordine XIIX.

S*Ancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſ-* D *Heb. 11. f* *ſiones*. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. *Iac. 1. c* Cuius dicti ratio eſt: quia omnis cauſa quanto plus præeſt alijs; tanto amplius influit. Vnde ſcribitur in libro de cauſis, quòd omnis cauſa primaria eſt magis influens in cauſatum, quàm cauſa ſecunda. Exemplum accipe in Pontifice ſummo, in Archiepiſcopo, in Epiſcopo, in Archidiacono, in ſimplici Presbytero. Exemplum aliud in cælo empyreo, cryſtallino, & ſidereo. Item eſt aliud exemplum in ramis, in arbore, ſtipite, & radice: quia in E his omnibus poſteriora a prioribus recipiunt: im- *† Comm. in lib. de ſex princip. de forma & actione.* mo omnia poſteriora à primaria cauſa ſunt. † Quidquid enim eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Itẽ quãto aliquid eſt in natura magis in actu, magis eſt influit. Vnde videmus ad ſenſum, quòd actu calidum calefacit, & actu luminoſum illuminat; ita quod *Ariſt. in Topicis.* maius magis, & maximum maxime. Quare neceſſarium eſt ponendum, quòd à cauſa ſimpliciter prima eſt omne donum. Cum ergo fides ſit altiſſimum donum, omnium donorum à Deo principium; ideo eſſe maximum eſt ponendum. Propter quod etiam eſt donum maxime virtuoſum. In verbo ergo præ- F miſſo ſubtiliter indagato fides deſcribitur. Primo, vt donum virtuoſum: Secundo, vt donum operoſum: Tertio vero, vt donum glorioſum. Primo, quia virtuoſum deijcit aduerſarium. Secundo, quia operoſum agit bonum. Tertio, quia victorioſum, ſiue glorioſum obtinet regnum. Deſcribitur ergo primo, vt virtuoſum deijciens ſibi contrarium, cum dicitur: *Sancti per fidem vicerunt regna*. Secundo, deſcribitur vt bonum operoſum, agens bonum ſibi cõmodum, cum additur: *Operati ſunt iuſtitiã*, ideſt bona opera. Tertio, deſcribitur vt donum victorioſum, cum ſubditur: *adepti ſunt repromiſſiones*. Vnde dicitur: *Sancti per fidem*, Vt ergo ea ſic ad vnũ



A reducam, quia hæc omnia fiunt in fide; de ſola fide agendum eſt in ſermone. Eſt ergo hic notandum, quòd communi, & vſitata deſcriptione, Fides eſt, Primo, intellectus illuminatiua: Secundo, eſt affectus purgatiua: Tertio vero, eſt effectus fortificatiua. Quid iſtis melius, quid animæ fructuoſius? Omnes enim animæ potentiæ vel ſpectant ad cognitiuam, vel operatiuam. Ergo dum fidei opus eſt illuminare intellectum, inflammare, vel purgare affectum, & fortificare effectum; eius eſt perficere totum animæ ædificium.

Dicamus ergo, quòd fides eſt animæ illuminatiua, B quantum ad potentiam cognitiuam. Eſt enim fides, diuinus radius animę illuminatiuus: Ipſa enim fides diſponit ad lumen ſummæ veritatis; eo quòd animã ſummæ veritati facit adhærere ſtabiliter. Nam certum eſt, quòd quandocumque aliqua virtus, quæ influit ab aliquo agente, & quietè non figitur in recipiente; caret ſua operatione naturali, & ſuo debito fine. Exemplum accipe in radio ſolis deſcendente ſuper aquam currentem, non quieſcentem, ſicut patet in flumine, in quo quia radius non figitur quietè; actio eius caret debito fine, qui eſt aquam illam calefacere, calefactam rarefacere, & ſubtilia- C re, & ex ea vapores ſubtiles attrahere, & in vaporem vertere, & ſurſum eleuare. Ex quo conſtat manifeſtum eſſe, quòd quies rei diſponit ad illuminationem. Vnde Philoſophus dicit quòd homo fit ſa- *Ariſtotel. to. 4. lib. 7. Phyſicorum tex. 20.* piens, & intelligens, anima dum quieſcit. Cum ergo fides animam in Deo ſtabilitet, & eam in ipſo quietet; diſponit ad æternam illuminationem per conſequens. Et hæc eſt ratio, quare hæretici ſunt totaliter cæci, nec à Deo merentur illuminari: quia nihil ſtabiliter credunt. Numquam in aliqua fide quieſcunt, ſed nunc vnum, nunc aliud credunt, & ſe ab vno oppoſito ad aliud vertunt. Item quan- D do aliquod agens plus inuenit in aliquo obiecto de ſimilitudine ſua, tanto agit in ipſo maiori efficacia. Exemplum hoc accipe ſic: Plus enim participat de *Exemplũ.* natura luciditatis tabula deaurata, quàm argentea, & plus argentata, quàm dealbata: & plus dealbata, quàm quæ eſt lignea leuigata. Solaris ergo lux deſcendens ſuper omnes eodem tempore, æqualiter illis omnibus expoſitis, maiorem generat ſplendorem ſuper deauratam, quàm ſuper aliquam aliam, propter maiorem ſimilitudinem, quam habet ad ipſam. Et idem iudicium eſt de omnibus alijs. Cum ergo lux fidei maxime aſſimiletur primæ luci, ad E ſuſceptionem illius ſummi luminis, maxime intel- *Exemplũ.* lectum diſponit. Exemplum horum habetur ad ſenſum: Nam lux ſolaris, dum ſuper omnia corpora deſcendit; in illo corpore efficacius agit, & maius lumen in id imprimit, vbi plus de ſua ſimilitudine inuenit. Nam ſplendorem maiorem generat ſuper aquam, quàm generet ſuper terram: & maiorem in aëre, quàm ſuper aquam. Ad idem eſt ipſa ratio: quia ſemper meditatur ſuper finales perfectiones; ſecundum quod exigunt præambulæ diſpoſitiones. Et de hoc habetur exemplum in arte, & natura: In arte eſt exemplum in medicina pręparatiua, & digeſtiua, & medicina purgatiua: Nam F quanto melior, & artificialior præceſſerit præparatio, tanto perfectior, & laudabilior inducitur purgatio. Item hoc ipſum in natura apparet: quia quanto in corpore generando, præcedit nobilior materiæ præparatio; tanto ſit formæ nobilioris inductio: quia in humano corpore præcedit nobilior elementorum complexio, quàm in bruto: et in bruto nobilior, quàm in planta: ſecundum quod eſt nobilior forma inducenda. Ergo maximum eſt, quòd quanto in perfectibili aliquo præcedit nobilior præparatio; tanto nobilior datur ei perfectio. Cum ergo fides nobiliſſima præparet animam ad illuminationem, diſpoſitione nobiliſſima; ex eo patet, quòd

A facit de Deo credere omnia ſumma bona, ſcilicet quòd eſt potentiſſimus, quòd eſt ſapientiſſimus, quòd eſt ſumme bonus, & ſic de alijs. Vnde dicitur, quòd dum quidam cæcus clamaret ad Dominum; tunc Dominus dixit ei: Quid vis vt faciam tibi? Cui ille: Domine, vt videam. Cui Dominus: Reſpice: Fides tua te ſaluum fecit, ideſt illuminauit. Ob hanc vtique cauſam Apoſtolus dicit, quòd fides eſt argumentum: Eſt (inquit) fides ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Conſtat enim quòd argumentum eſt mentis illuminatiuum; quia dubium vertit in certum. Eſt ergo argumentum, ratio rei dubiæ faciens fidem ſecundum Philoſophum. B Exemplum de hoc habetur in hiſtoria ſcholaſtica tempore Nicæni concilij. Multi enim tunc conuenerant Philoſophi, vt fidem impugnarent: Inter quos vnus erat, quem nemo fidelium Epiſcoporum concludere poterat; ſed argumenta omnia facillime diſſoluebat. Tunc quidã † Epiſcopus ſimplex contra eum commotus, audientiam petijt; quem cum alij ſurrexiſſe vidiſſent, & valde ſimplicem eum eſſe cognoſcerent; timere cœperunt, quòd aliquid ſtultum diceret: Sed propter ſanctitatem eius eximiam, non auſi eum prohibere fuerunt. C Tunc ille ait: Dic mihi Philoſophe, Chriſtus nõ docuit nos dialecticam: ſed eſt fides vera, quam nos docuit; quia credimus vnum Deum verùm eſſe, & in Ieſum Chriſtum filium eius, vnicum Dominum noſtrum; & ſic totum ſymbolum. Dic mihi ſi ſic eſſe credis. Tunc ille, dum ex ore eius fidem audiuit, ſtatim illuminatus eſt, & credidit, & aſtantibus ait: Quàmdiu verba audiui, verba pro verbis reddidi: ſed quando diuina virtus acceſſit, reſpondere non potui: ſed fide illuminatus aſſenſi. Exemplum de quinquaginta Philoſophis illis, quos ſancta Katarina in verbo fidei conuertit. Lege hiſtoriam, vt exemplum narres.

*Luc.18.g* — *Heb.11.a* — *Ariſt.to.2. in Rhetor. ad Alexãd. cap. 13.* — *†Spyridion Epiſcopus ex Niceph. lib.8. c.15. & 42. Et Martyrol. Rom. 14. Dec.* — *Surius to. 6. in vita S. Katarinæ cir. med. die 25. Nouemb.*

D Secundo, fides eſt animæ purgatiua, quantum ad potentiam amatiuam. Cuius ratio talis eſt: Nam omnis virtus, quæ in ſuum ſuſceptibile efficaciter agit; quidquid ſibi in illo contrarium inuenit, totum ab eo excludit. Exemplum de igne, qui dum agit in aërem; humiditatem in eo conſumit, & ſiccitatem, qualitatem illi contrariam, introducit. Ignis etiam, dum in ferrum agit; rubiginem, & omnem frigiditatem tollit ab eo, & illud ſimile ſibi facit. Lux etiam, dum in aërem agit, primo ab eo tenebras ſibi contrarias tollit, & ſic in illum ſimilitudinem ſuam introducit. E Sic & fides formata, ſi animę adueniat, ab omni peccati ſcoria ſibi contraria, & ab omnibus erroribus eam purgat, & principio primo eam aſſimilat. Anima enim eſt Deo ſimilis per naturam; nec fit ei diſſimilis, niſi per culpam. Sed quia per fidem culpa excluditur; ſimilitudo ei reſtituitur. Et propterea dicitur: Fide purificans corda eorum. Nam ob hanc cauſam fides dicitur ſimilis eſſe calori ſolis: quia ſicut illius calore, in vere reuiuiſcũt omnia terræ naſcentia; ſic per fidem reuiuiſcunt animæ mortuæ. Vnde dicit Apoſtolus, quòd iuſtus ex fide viuit: Eſt enim fides, ſicut aurora, quæ aërem a tenebris purgat, diem inchoat, & F ſolem adeſſe monſtrat. Vnde baptiſmus dicitur fidei ſacramentum, & eſt peccatorum omnium purgamentum, & ad ſtatum innocentiæ reſtitutiuum, & omne, quod tangit, ſubito facit eſſe ſanctum. Narrat enim Auguſtinus, quòd quædam matrona cancrum patiebatur in mamilla, morbum mortalem: & nulla (ſecundum Hippocratem) medicina curabilem: immo ſi quis vult ex ea diutius viuere; dimittendus eſt ſoli naturæ ſine omni medicamine. Cumq. illa deſperata eſſet a medicis; ad auxilium diuinum ſe contulit, & ad fontes, vbi baptizantur cathecumeni, properauit: & ab vno, cum de fonte exijt, ſignari ſe fecit; quam dum baptizatus ſignauit, curata mox fuit. Si ergo tantæ virtutis eſt ſacramentum fidei; quantæ virtutis eſt fidei donum?

*Act.15.c* — *Rom.1.b* — *Aug.to.5. lib. de Ciuitate Dei. 22. cap.8.*

Tertio, fides eſt effectus fortificatiua. Nam quanto amplius vigor fundamentatæ virtutis redundat in aliud; tanto illud robuſtius eſſe facit. Exemplum de virtute cordis: quæ virtus eſt omnium membrorum radix, ſiue fundamentum. Quare? Quia communiter plus virtus redundat in brachio dextro, quàm ſiniſtro. Fortius eſt dextrum brachium, & ad pugnandum eſt magis aptum, ſicut & patet ad ſenſum. Ex qua cauſa (vt dicit Philoſophus) leo primum dextrum pedem mouet in ambulando. Et B mulier, quæ prægnans eſt maſculo, ſubito vocata, plus mouet pedem dextrum, quàm ſiniſtrum. Sed conſtat, quòd fides fundamentalis virtus eſt omniũ virtutum prima. Vnde & Apoſtolus dicit, quòd eſt ſubſtantia. Quia ſicut ſubſtantia eſt accidentium omnium fundamentum; ſic & fides virtutum omnium, & donorum. Vnde fides aſſimilatur cuidam gẽmæ, quæ dicitur †Alectoria, quæ in vẽtriculis gallinaceorũ inuenitur: cuius maxima magnitudo eſt, ad quantitatem fabæ: Cuius (ſecundum Magiſtros) virtus eſt, hominem in certamine inſuperabilem reddere. Facit enim hominem conſtantem, & in C bello victorem. Quid enim fortius, quàm mundum contemnere? ſed mundum fides cõtemnit, Gen. 15. ſicut legitur de Abraham ad Heb. 11. quòd fide patriam dereliquit. Et ibidem de Moyſe dicitur: Fide Moyſes ſe negauit filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis vitæ habere iucunditatem. Item quid fortius diabolo? Non eſt enim poteſtas ſuper terram, quæ poſſit ei comparari: Et tamen fide vincitur, ſecundum illud Petri: * Aduerſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; cui reſiſtite fortes in fide. Et quantum ad hoc, fides D eſt ſimilis cuidã gemmæ, ‖ Chryſolithus, appellatæ; quæ lucet vt aurũ, & ad modũ ignis ſcintillas emittit. Quæ gemma in auro poſita, & in ſiniſtro latere portata (vt aiunt) eſt dæmonũ fugatiua, & omnis timoris nocturni expulſiua. Sic fides vera, tota eſt aurea, & ad modum ignis inflammatiua, & ideo portata, & omnibus ſiniſtris rebus oppoſita; dæmonũ omnium, & periculorum eſt repulſiua. Item quid fortius, quàm ſubiugare ſeipſum? ſed nonne hoc facit fides? Nonne Sancti, ſicut dicitur ad Hebræos, in fide non ſolum obturauerunt ora leonum; extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gla- E dij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum; ſed etiam alij extenti ſunt non ſuſcipiẽtes redemptionem: alij ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: & cetera, quæ ibi ſequuntur? Nobiliſſima virtus, & amplexanda totis viſceribus, aut affectibus; quæ ſic intellectum illuminat, ſic animam purgat, ſic etiam affectum fortificat: dum mundum contemnit, diabolo reſiſtit, & ſeipſum deuincit. Sed quid de illis, qui habent fidem Dei, ſed informem; quæ in peccatoribus, & dæmonibus inueni- F tur: quia eos triplex inconueniens ſequitur? Primum, quia ordinantur ad finem eundem cum dæmonibus: nam conſtat, quando aliquod vnum ineſt duobus, ineſt eis ſecundum aliquam diſpoſitionem communem; ſicut patet de identitate nutrimenti in animalibus, & plantis. Ergo ſi fides informis ineſt peccatoribus, & dæmonibus; hoc erit per aliquam diſpoſitionem communem. Sed quæ ſunt conſimilis diſpoſitionis, ordinantur ad conſimilem finem. Sic etiam patet in membris omnibus: nam quæ conſimilis diſpoſitionis inueniuntur, ad vnum finem ordinantur: quia quæ habent eandem diſpoſitionem in lineamentis vegetatiuæ, ſenſitiuę, & rationalis; ordinantur ad finem eundẽ, ſcilicet ad animam

*Ariſt.to.5. lib.2. de Hiſtor. animal. cap.1.* — *Heb. 11. a* — *† Plin. lib 37. c.10. Nat. hiſt. Solinus in Polyhiſtore, ſiue in Collectan. rerũ memorabil. Iſidorus lib.16. Etymol. c 13. & Albertus magnus idẽ dicũt de Alectoria, ſiue Alectorij ſpecie cryſtallina, magnitudine, ac virtute, opinionẽ veterũ recitãtes.* — *‖ De Chryſolithi colore, ac virtute loquitur Albertus in lib. de Lapidibus: nec non Camillus Leonardus in ſpeculo lapidũ; & Bartholom. Anglicus lib.16. cap.29. ex Dioſcor.* — ** 1. Pet. vlt. b* — *Heb. 11. f*

mam



A mam rationalem. Ergo, ſi homo malus, & diabolus habẽt eandem diſpoſitionem in fide; ad eundem finem ordinantur, ſcilicet ad æternam damnationem. Secundum inconueniens eſt, quia magis reprehenſibilis eſt homo in hac parte, quam dæmon: Nam omne illud eſt reprehenſibile, quod non habet, quod debet habere, eo tempore, quo debet habere. Non eſt autem dignum reprehenſione, ſi non habet quod non debet, vel eo tempore, quo non debet habere. Exemplum de catulo, qui etſi ante nonum diem viſum non habeat; non tamen dicitur cæcus, cum prius habere non debeat. Similiter & infantulus non eſt reprehenſione dignus, ſi B non cum dentibus naſcatur: quia tunc temporis a natura eos habere prohibetur. Sed tam catulus, quàm infantulus reprehenſione digni eſſent; ſi iam dicta non haberent eo tempore, quo habere deberent. Exemplum in arboribus, quæ ſi ſine fructu ſint in Ianuario; non merentur ex hoc dici infructuoſæ; ſi tamen habeant, cum habere teneantur. Sed homo eſt in tempore, quo fidem debet habere per dilectionẽ operãtem: Dæmon autem non eſt in tempore, quo talem fidẽ habere poſſit. Ergo homo in hac parte reprehenſibilior eſt dæmone. Tertiũ in- C conueniens eſt: quia fides informis timorem Dei, & non amorem habet annexum: nam timor ad hoc diſponit, vt homo non accedat, ſed refugiat ab eo, quod timet, ſicut ouis naturaliter fugit lupum, quem timet. Ergo qui fidem informem habet, cum Deum timeat, & non amet; a Deo refugit, quantum poteſt: ſed dum ab eo refugit, ad aliud accedit, ſicut lapis, quia ſurſum aſcendit; neceſſario deorſum deſcendit. Ergo dum omnis talis recedit a Dei gloria, neceſſario accedit ad infernalem damnationem. Rogemus.

## DE PLVRIB. SS. MART. D

### SERMO II. in ordine XIX.

*Matt. 5. a.* — *2. Tim. 2. a*

BEati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Secundum Apoſtolũ: Non coronabitur niſi qui legitime certauerit. Nam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ſic & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Ergo, ſi omnes coronari, & conſolari cupimus; nec coronari poſſumus, niſi valẽter certemus: E Et cum a Domino patiamur; reſtat vt non ſolum paſſiones patienter ſuſtineamus, ſed quòd eas etiam appetamus. Nam bonus ſcholaris amat vigilias, & quaſuis afflictiones, vt ſapiens fiat. Nauta, quamuis ei ſit periculum; nihilominus tamen amat naufragium, propter lucrum. Quis vmquam abſque labore diues eſſe poterit? Quis vmquam abſque labore dolia vino, & horrea frumentis impleuit? Quis vmquam abſque labore militauit? Militia enim eſt vita hominis ſuper terram. Et iterum: Sicut auis ad volandum; ſic homo naſcitur ad laborandum. Vnde & a fletu incipit, & per fletum tranſit, & in fletibus vitam finit. F Verum paſſiones noſtræ, non ſunt meritoriæ, niſi ſint voluntariæ: immo inuoluntariæ, quantumcumque magnæ, omni præmio ſunt indignæ: quia vt voluntariæ ſunt, dignæ æterno præmio; ſic inuoluntariæ, ſunt indignæ tali præmio. In verbo ergo præmiſſo ſancti Martyres deſcribuntur, quantum ad tria. Primo, quantum ad pœnam. Secundo, quantum ad cauſam. Tertio, quantum ad victoriam. Nam pœna probat: cauſa ordinat: victoria coronat. Primo ergo Martyres deſcribuntur, quantum ad pœnam temporalem, cum dicitur: *perſecutionem patiuntur*. Secundo, quantum ad cauſam, martyrium ordinantem, & meritorium facientem, cum in fine ponitur: *propter iuſtitiam*. Ter-

Naufragiũ pro nauigãdi periculo.

*Iob 7. d*



A tio vero, quantum ad victoriam æternaliter coronantem, cum dicitur: *beati*. Dico ergo primo, quòd notatur hic pugna, ſiue pœna Martyrũ probatiua: ſcilicet quia tactum eſt ſupra, quòd ſola pœna non eſt meritoria, niſi adſit voluntas, & cauſa; ideo primá duo ſunt ſimul tractanda. Eſt ergo notandum, quòd voluntas, quæ pœnæ eſt perfectiua, ſi adſit cum hoc cauſa iuſta; triplici circunſtantia debet eſſe veſtita. Nam primo, debet eſſe recta. Secundo, debet eſſe prompta. Tertio, debet eſſe firma. Nam agens, ſiue patens, non agit, ſiue patitur virtuoſſe, niſi habeat rectitudinem in inten- B tione: promptitudinem in affectione: fortitudinẽ in proſecutione: vt ſit rectitudo reſpectu cauſæ: prõptitudo reſpectu pœnæ: & fortitudo reſpectu pugnę.

Dico, quòd requiritur ante omnia, voluntatis rectitudo reſpectu cauſæ, vt homo propter iuſtam cauſam ſuſtineat malum pœnæ. Vnde dicitur: Hæc eſt gratia, ſi propter [a] iuſtitiã Dei, ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſte. Quæ enim [b] gratia (inquit) ſi peccãtes, & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefaciẽtes, patienter ſuſtinetis; hæc eſt gratia apud Deum. Et propterea dicitur in eadem epiſtola: Nemo veſtrum patiatur, vt homicida, aut fur: Si autẽ vt Chriſtia- C nus, non erubeſcat. Ille autem Chriſtianus patitur, qui propter iuſtam cauſam patitur: ſeu qui iuſtam cauſam ſequitur. Nam ibidem dicitur: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Vnde in perſona cuiuſlibet patiẽtis poteſt dici illud Iob: Hæc paſſæ ſunt abſque iniquitate manus meę; cum mundas habeam preces ad Deum. Eſt tamen hic notandum, quod ſi cauſa ſit iniuſta; poteſt tamen fieri iuſta de volũtate accedẽte, & faciente de neceſſitate virtutem. Sicut patet in latrone, qui cum iuſtam cauſam habuerit patiendi; quod fuerat neceſſarium, fecerat volun- D tarium, dum credidit in Chriſtum, & patibulum mutauit in meritum. Nam omnes pœnitentes habent iuſtam cauſam patiendi: ſed iuſta eſt voluntas pœnitendi, dum punire ſe volunt: quia Deum offenderunt. Ad patiendum ergo meritorie, non ſufficit ſola pœna, nec ſufficit ſola cauſa, niſi adſit & voluntas recta, quæ etiam malã cauſam vertit in bonam: & tormentum, martyrium eſſe facit. Manaſſes autem rex Iuda propter innumerabilia peccata ſua captus eſt, & vſque ad mortem deductus: ſed dum ad Deum redijt, de malo pœnituit, Deum rogauit; exaudiri meruit, & regno ſuo reſtitutus fuit. Achab, E qui, ſuper reges Iſrael omnes, Deum offenderat; Heliam Prophetam contra ſe audiuit, timuit, ſacco ſe induit, demiſſo vultu ambulauit, & dum ſe humiliauit; Deus ſententiam, quam contra eum dixerat, permutauit. Dicit enim Ambroſius: Nouit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum. Nihil enim aliud eſt pœnitentia, quàm voluntaria pœna pro peccatis aſſumpta.

*1. Pet. 2. 2. c* — *[a] al. conuenientiam.* — *[b] al. gloria.* — *1. Pet. 4. d* — *1. Pet. 2. d* — *Iob 16. d*

Patientis requiſita.

*4. Reg. 21. b* — *2. Paralip. 32. a* — *1. Reg. 21. b* — *Ambroſ. to. 3. lib. 2. in cap. 2. Lucæ.*

Secundo, requiritur voluntatis promptitudo reſpectu pœnæ; vt homo cum gaudio patiatur; non cum murmure oris, vel cum triſtitia cordis. Vnde ad Coloſſen. Apoſtolus: Ego Paulus gaudeo in paſ- F ſionibus pro vobis, & adimpleo, quæ deſunt paſſionũ Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Exemplum notabile accipe in Eleazaro, qui glorioſam mortem magis elegit, quàm odibilem vitam: & volũtate præibat ad ſupplicium, & prius voluit duriſſima morte plecti, quàm ſolum ſe ſimulare, carnes porcinas comedere. Lege hiſtoriam, & eam deuote narra. Quid tu o Chriſtiane times pati, cum te Rex tuus præceſſerit ad paſſionem? Turpe eſt, & valde alienum; immo contra naturam, & certum experimentum eſt: vt ſub capite dolente membrum non doleat, & ſub capite vulnerato membrum non ſentiat, & ſub capite moriente membrũ vita non careat. Quis miles de bello

*Coloſſ. 1. d* — *2. Mach. 6. e*



exire

exire præſumpſerit, & non voluerit voluntarie pati, ſi Rex ſuus ad mortem fuerit vulneratus? Nam & apeculæ carne tam paucæ, ſanguine nullo, ſed prudentia maximæ, cum ſuum eſſe, viuere, vel ſentire non habeant a rege, quē ſibi eligunt ſponte; pro ipſo tamen mori ſunt paratæ, & ipſo moriente permittunt ſe mori fame: quem ſi offendunt, vindictā de ſeipſis ſumunt, & vulnere proprio ſe concidunt. Quid ergo debet facere homo, qui a ſuo Rege eſſe, viuere, ſentire, & intelligere habet, a quo nō ſolū eſt, ſed tam dura morte redemptus eſt? Hoc enim attendentes Apoſtoli, *Act. 5. g* milites ſtrenui Regis noſtri, ibant gaudentes a conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Et *Iacob. 1. b* dicit Iacobus: Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.

Tertio, ad patiendum requiritur voluntatis fortitudo, reſpectu pugnæ: vt nullo modo deſeratur virtus patientiæ a patiente. Nam purum aurum ab *†Hirron. li. 3. in Amoſ. ſup. cap. 7. to 5. Plin. lib. 37. Natur. Hiſtor. cap. 4.* omni ſcoria ſeparatum, quantumcumque ſit in igne excoctum; nec auget valorem ſuum, nec minuit pondus ſuum: ſed fit amplius fulgidum. † Adamas enim (vt dicitur) non caleſcit igne, vel rumpitur: nulla materia ſculpitur, vel figuratur. Sæpe inuenti ſunt vrſi, qui de fortitudine ſua confiſi, non ſolum bella non fugiunt; ſed ſignis expetunt, quibus poſſunt. Sic & vir fortiſſimus Iudas, qui ſimilis *2. Mach. 11. c* factus eſt leoniin operibus ſuis, ſicut dicitur: Numquam fugit, numquam fugam hoſtibus dedit, donec bellando vitam fortiter finiuit. Exemplum *2. Mach. 7. d* Macha. de ſeptem fratribus, matreq. fortiſſima, quæ non ſolum mortem filiorum in patientia tulit; ſed appetijt, & ſuis monitis quantum potuit animauit. Vnde Apoſtolus patientes confortans, dicit *Heb. 10. f* ad Hebræos: Recordamini priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum. Et addit: Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem: Patientia *2. Cor. 4. c* enim neceſſaria eſt. Vnde iterum Apoſtolus: In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: humiliamur, & non confundimur: deijcimur, ſed non perimus. Sed diligenter hic notandum, quòd hanc patientiam, & fortitudinem dat impreſſa memoria Dominicæ paſſionis. Vnde dicitur *1. Pet. 4. a* a Petro: Chriſto in carne paſſo, & vos eadē cogitatione armamini. Propter quod ipſe dicit in Cant. *Cant. 8. b* Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio tua, & dura vt infernus æmulatio. Sed proh dolor, & dolore tabeſco: quia non eſt hodie, qui velit pro Domino pati: non dico fracturam, non mutilationem membrorum, non diruptionem oſſium, vel ſuffoſſionem coſtarum: ſed nec modicum verbum, immo nec ſignum eis contrarium. Dicunt enim illud Iob: *Iob 6. b* Quæ eſt fortitudo mea, vt ſuſtineam; aut quis finis meus, vt patienter agam? nec fortitudo lapidum fortitudo mea. Væ ergo mundo miſero: quia filij eius, & amatores, ſunt valde potentes ad malum; ſed debiliſſimi ſunt ad bonum. *Sap. 6. b* Sed attende quod dicitur: Potentes, inquit, potenter tormenta patientur. Exemplum *Luc. 16. f* de diuite epulone, qui dicebat: Crucior in hac flamma. O vere, & toto poſſe plangenda felicitas, quæ cum ſit breuis, & momentanea: æterna tamen compenſanda cum pœna. Patiamur ergo exemplo Martyrum voluntate prompta, recta, & firma: quia qui ſic ſuſtinent pœnam, ad æternam ducendi ſunt gloriam. Vnde dicitur: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiā*. Quis enim nō totis affectibus appetit eſſe beatus? Sed quid eſt beatitudo, niſi bonorum omnium plenitudo? Ergo, dum beatitudo obtinetur, omnes appetitus humani complentur: vt nihil aliud appetatur. Sed quid hoc melius, quid cogitari poteſt ſublimius, quid poſſideri po- A teſt animæ dulcius? Ergo iuxta beatum Gregorium: *Greg. to. 2. expoſi. mor. lib. 31. cap. 14.* Si delectat mentem magnitudo præmiorum, non deterreat certamen laborum. Nam qui ambulare in vinea Domini nolunt, præmio digni non ſunt: ſed potius ſupplicijs ſempiternis. Et quàm ſit durum, quàm formidandum, ab omnibus bonis excludi, & malis omnibus ſine fine demergi, qui poteſt, exprimat. Sed magis rogandum eſt, vt Deus nos eripiat, & ad bona ſempiterna perducat; qui per omnia ſæcula benedictus viuit, & regnat. Amen.

B

## DE PLVRIB. SS. MART.

### SERMO III. in ordine XX.

*Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* *2. Cor. 1. a* Sic reſpondent ſancti Martyres tacitæ quæſtioni: Poſſet enim quis quærere: Quomodo poteſtis tot mala portare? Peccatores enim (vt dicit Bernardus) vident noſtras afflictiones, ſed non vident noſtras internas conſolationes, quæ valde C multum excedunt paſſiones. Et ideo ſancti Martyres reſpondent tacitæ quæſtioni, & dicunt: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ſic & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*. In verbo iſto duo oſtenduntur. Primo, malum paſſionis externæ, quo temporaliter affliguntur. Secundo, bonum conſolationis internæ, quo dulciter conſolantur. Primum carnis eſt afflictiuum: Secundum autem eſt animæ affectiuum. Notatur ergo primo afflictio exterior, qua mala purgantur. Et notatur ſecundo interna refectio, qua gratiæ cumulantur. Primum notatur, cum dicitur: *Sicut abundāt paſſiones Chriſti*. ſed ſecundum D notatur, *ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*. Sed iſta, ſcilicet afflictio, & conſolatio, ſimul in vnum ſunt tractanda: quia contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. *Ariſt. to. 7. Problem. Sect. 22. tex. 11.* Eſt ergo hic notandum, quòd ideo præſentis temporis malum non eſt fugiendum; ſed patienter ferendum: quia ſemper ad corporis ſupplicium ſequitur mentis gaudium; ſi quis conſiderat primum: Sunt autem paſſiones voluntariæ triplici præmio dignæ. Nam ſunt dignæ, Primo, ſuperno auxilio: Secundo, ſunt dignæ ſuperno ſolatio: Tertio, ſunt dignæ ſupernali conſortio, ſiue potius ſummo bono. Vt ſic patiens adiuuetur exte- E rius, cōſoletur interius, & in fine coronetur ſuperius.

Dico, quòd paſſiones iſtæ ſi ſunt voluntariæ; ſunt dignæ ſuperno auxilio: Eſt enim dignum, & iuſtum, & rationi conſentaneum; vt qui propter Chriſtum patitur, ſentiat Chriſti auxilium. Quis vnquam ſperauit in Deo, & non eſt adiutus ab eo? Nam elephantes, dum inter ſe pugnant, ſuos adiutores *Exemplū.* mirabiliter amant: quos ſi vulnerari contingat, eos in medio ſui ponunt, & pro viribus defendunt, quantum poſſunt. Nullum eſt etiam animalium genus tam ferum, quòd illos non adiuuet, qui ſibi in auxilium ſunt. Mahumeti, Saraceni, & Iudæi F hoc obſeruant: non autem falſi, & peſſimi Chriſtiani. Nam & apes, quando apes alterius aluearij inuadunt; ſi ſibi aliquas fauentes inueniunt, eas non ſolum non lædunt; ſed protegunt, & defendunt. Quis enim, ſic diabolo ſimilis, ſuos propugnatores non diligit? Ergo ponere neceſſarium eſt, nec eſt in dubium deducendum, quòd ſummum bonum eos amat, qui pro ſe bellant. Sed non amaret, ſi eos in afflictionibus non adiuuaret, cum ſibi non deſit iuuandi potentia, & ſapientia. Ergo manifeſtum eſt, quòd dum pro Chriſto bellamus, quòd ab ipſo, quantum neceſſe eſt, adiuuemur. Vnde dicitur: *1. Pet. vlt. 6* Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum



cum paſſos ipſe perficiet, conſummabit, ſolidabitq. A Propter quod dicitur: *Heb. 2. d* In eo autem, qui paſſus eſt, & tentatus, poteſt & ei, qui patitur, auxiliari. *Pſal. 90. d* Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et certum eſt, quòd adeo eſt potens; vt nemo ſuorum militum debeat dubitare. Dominus mihi *Pſal. 117. a* adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos. *Pſal. 26. a* Et in alio loco: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? vſque ibi: Si conſiſtāt aduerſum me caſtra, &c. Quis, niſi ſtultus debeat timere, auxiliante Deo omnipotente? *†Aug. to. 5. de Ciuita. Dei lib. 22. cap. 6.* Si ſic militem confortat in bellis præſentia regis, dum eius vocem B audit confortantem, quid præſentia facit omnipotentis? Nam & ob hanc cauſam (vt dicit Auguſtinus.) † Martyres poterant capi, poterant verberari, **Surius to. 1. die 17. Ianuarij.* poterant Deo permittente occidi: ſed non poterant vinci. Exemplum in beato Antonio Eremita, qui vſque ad mortem a dæmonibus verberatus; dum adeſſe ſentiret Ieſum, ait: * Vbi eras Domine Ieſu? At ille: Hic eram, Antoni, ſed volui certamen tuum videre. Et quia fideliter certaſti, te faciam per totum mundū nominari. Nam & piſces minores, qui fugiunt ‖ Crocodilum, qui ſignificat diabolum inuaſorem hominum; confugiunt ad Cetum; qui ſignat C Chriſtum, vbi reportant defenſionis auxilium.

*‖Crocodilus ē animal quadrupes, tā in terra, quàm in aqua viuēs, ſoli Ægypto, & ijs regionibus, quæ Nilo alluuntur, cognitum; figura lacertæ non admodū diſſimile, incredibili magnitudine, vnguibus armatū. Cic. lib. 2. de Nat. Deor. Et Plin. lib. 5. cap. 27.*

Secundo, paſſiones iſtæ patienter portatæ, ſunt dignæ interno ſolatio. Numquam Deus, cum ſit ſumme bonus, dulcis, & rectus, dum hominem affligit exterius, non conſolatur interius. Nam & omnis bonus medicus medicinam amatam guſtanti palliat ſub aliquo dulci; vt ſic ab ægro poſſit ſumi. Vnde Apoſtolus: *2. Cor. 7. a* Repletus conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione mea. Nam cum veniſſemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro mea: ſed omnem tribulationem paſſi ſumus, foris pugnæ, intus timores: ſed qui conſolabatur D humiles; conſolatus eſt & nos. Vnde & Propheta dicit *Pſal. 93. d* ad Deum: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animā meam. *Iob 6. b* Ob quam cauſam & Iob dicebat: Quis mihi dat, vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus. Et hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore, non parcat? Vnde fuit quidam ſanctus Pater, qui omni anno conſueuerat infirmari, & ex hoc multum gaudebat, & Deum laudabat: cumq. vno anno non fuiſſet ſubito infirmatus; *Surius to. 1. die 3. Februar. non procul ab init.* cœpit fortiter flere, & dicere: Nunc video, quia Dominus oblitus eſt mei, &c. Cum mi- E lites ad beatum Blaſium veniſſent capiendum; ille ait: Iam nunc video, quia Dominus non eſt oblitus mei. Sentiebant enim Sancti interius ſe conſolari, dum eos contingeret foris affligi. *Pſal. 10. a* Nam iuxta Prophetæ ſententiam: Dum ſuperbit impius, inceditur pauper: quia in patiente, virtus cum perfectum habeat opus; per flagella exterius appoſita excitatur, & excitata anima conſolatur, & pati pro Domino delectatur. Nam omne contrariū ad præſentiam ſui contrarij concitatur, & fortius operatur: *Exempla naturalia.* Nam videmus ad ſenſum, quòd aqua ſuperfuſa calce, ſtatim inardeſcit, & ignem feruere facit. ſed ex ſuperfuſo oleo non ferueſcit: quia oleum igni contrarium non exiſtit. Item aqua calida in frigido loco fuſa, citius coagulatur, quàm frigida: quia ad præſentiā caloris frigus fortius agit. *Ignis aqua aſperſus cur validior.* Ignis etiam, ſi aſperſus fuerit aqua, fortius incaleſcit. Quare cum ferrum in ignem ponitur, aqua ignem aſpergit: quia cum ſuum contrarium ſentit, ferrum fortius incaleſcit. *Sol cur magis in mari, quam in terra emittat calorē.* Ob hanc cauſam ſol maiorem calorem in mari generat, quàm in terra: quia aqua magis, quàm terra eſt ſibi contraria. Ex his igitur manifeſte apparet, quòd patientia eſt virtus nobiliſſima, dum ſupplicia contraria ſibi adeſſe præſentit, & contra ea fortius inualeſcit. Eſt enim (ſecundum Gre- A gorium) opus patientiæ, *Greg. to. 1. hom. in Euāg. 35. circa mediū.* omnia mala æquanimiter ferre, & contra inferentem nullo dolore moueri.

Tertio, temporales pœnæ patienter portatæ, ſunt dignæ ſuperno præmio. Eſt enim dignum, & eſt iuſtum, & rationi conſonum; vt corona detur illi, qui non potuit paſſionibus ſuperari. Nam victoribus coronæ redduntur: ſed nulls magis victor, quàm qui nullo bello ſuperari poteſt, ſed quanto fortius impugnatur, tanto virilior inuenitur. Ergo talis a iuſtiſſimo Rege coronari meretur. Et propterea dicitur in Apocalypſi: *Apoc. 2. c* Nihil horum timeas, quæ paſſurus es: ſed ſemper eſto fidelis vſque ad mortem, B & dabo tibi coronā vitæ. Quis vnquam clypeum, gladium, arcum conſtanter tenuit, qui finaliter coronatus non fuit? Numquam Veritas poterit mentiri. Ergo, ſi coronam victoribus promittit; neceſſe eſt, vt omnis legitime pugnans, coronam pro mercede recipiat. Vnde Dominus Diſcipulis ait: *Luc. 22. c* Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo. Sic ergo Sancti pœnis non poterant ſuperari: quia maior erat conſolatio interior, quàm eſſet pœna exterior. Et naturale eſt, C quòd ſemper quod eſt minus, maiori virtute ſuperatur. Vnde ſi modicū aquæ, quamuis igni contrariæ, in magnum ignem proijciatur, non ſolum ignis non extinguitur; ſed in maiorem flammam erigitur. Sicut etiam aurum non corrumpitur igne: eo quòd non habet in ſe conſumptionis principium. Sic nec vir Sanctus a pœna vincitur: eo quòd non habeat in ſe peccatum criminale, quòd eſt in homine omnis corruptionis principium. † Nam & Salamandra *Ariſtot. de Hiſt. animaliū lib. 5. cap. 19. parte 5. & Plin. li. 10. cap. 67. Naturalis Hiſto.* in igne viuit, neque ab igne conſumptionem accipit, quia in ſe habet, quòd vel ignem extinguit, vel igni perfecte reſiſtit. Vnde eſt, quòd li- D gamina ex pelle Salamandræ confecta, & lapidibus impoſita, omni tempore quamuis ardentia, permanent incombuſta. Vnde corigiæ ſi fuerint de corio Salamādræ, quando ſunt vetuſtæ, in ignem proiectæ, non conſumuntur ab igne, ſed reparantur in ſtatum priſtinum, quaſi nouum. *Idē refert Aug. de Ciuitate Dei lib. 21. c. 4. in princ.* Sic & per omnia ſancti Martyres virtute patientiæ, ignem exteriorem extinguūt, vel ardere non poſſunt, in quo perfectionem renouationis accipiunt. Et ideo bene dicunt: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*. Ad hanc Martyrum conſolationem veram perducat nos Dei ſa- E pientia, &c.

## DE PLVRIB. SS. MART.

### SERMO IV. in ordine XXI.

*Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* *Rom. 8. d* Multa in ſeipſis conſiderata, ſunt valde magna: quæ alijs comparata, ſunt parua, ſiue minima. Nam terra eſt elementum mo- F le magnum, in ſe conſideratum, cum dicatur in libro de proprietatibus elementorum, & experientia eſt probatum, ſicut in ſermonibus Dominicalibus *Sermo. 4. de Domini Natiuit.* eſt oſtenſum, quòd terra in circuitu eſt xxiiij. millium milliarium: quæ ſi cælo comparetur, dicitur ſicut punctum. Magnum videtur lumen candelæ, in ſe acceptū, dum ſic illuminat totam domū: ſed ad lumen ipſius ſolis comparatum, quaſi dicitur nullum. *Exempl.* Vnde candela, quæ in ſolis abſentia ſic eſt luminoſa, ad ſolem tracta, videtur eſſe extincta; quia nullius ſui luminis eſt oſtenſiua. Stellæ etiam in ſe conſideratæ, valde ſunt luminoſæ, eo quòd ſunt ex luce formatæ: tamen a lumine Solis abſorbentur, & quaſi nullæ nobis apparent in die.

Multa

Multa ſunt flumina, quæ in ſe ſunt valde magna: vt Padus, Rhodanus, Nilus: & talia mari comparata, ſunt quaſi nulla. Vnde dum ad mare veniunt, perdunt nomen. Cum ergo ita in omnibus ſit inuenire; ſi creatura poteſt tantum creaturam excedere, cum tamen vtraque ſit finitæ eſſentiæ, & limitatæ potentiæ; quid erit creatum immenſiſſimo ſummo bono comparatum? Et omnis pœna eſt res creata, & limitibus coarctata: ſed gloria eſt res increata, & ſumma: ergo nil eſt, pœna illi gloriæ comparata. Sunt enim pœnæ illæ in ſe valde magnæ, ſunt acerbæ, dum animam exire cogunt a corpore: ſed ſunt nullæ, æternæ damnatorum pœnæ comparatæ. Et ideo non ſunt condignæ, quamuis valeant dici dignæ, æternæ gloriæ comparatæ. Quid enim eſt punctus ad lineam? quid centrum ad circumferentiam? quid vna aquæ gutta ad omnem Oceani aquam? Ergo quid eſt omnis temporalis pœna gloriæ illi ſummæ comparata? Bene ergo loquentes de ſe Martyres noſtri dicũt: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, &c.* In quo vtique verbo deſcribũtur, quantum ad duo. Primo, quantum ad ſtatum altiſſimi meriti, quo in mundo temporaliter ſunt paſſi. Secundo, quo ad ſtatum ſempiternalis præmij, quo nunc in cælo æternaliter ſunt coronati. Eſt enim primum, pœnæ inflictæ modicitas; quam ſuſtinuerunt in pugna. Sed ſecundum, eſt gloriæ iam perceptæ ſublimitas, quam poſſident in corona. Primo ergo notatur modicitas pœnæ, cum dicitur: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis.* Secundo, notatur ſublimitas gloriæ, cum infertur: *ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Dicamus ergo omnia ſimul tractantes, quòd hæ temporales pœnæ a ſanctis Martyribus portatæ, quamuis remuneratione ſint dignæ; non tamen ſunt condignæ, illi ſummæ gloriæ comparatæ, triplici ratione. Primo, quia ſunt debitæ, ex parte noſtri. Secundo, quia ſunt gratuitæ, ex parte Dei. Tertio, quia ſunt modicæ, ex parte ſui.

Dico, quòd pœnæ non ſunt condignæ, quia ſunt debitæ ex parte noſtri. Condignitas enim ex vtraque parte, æqualem ponit dignitatem: Non enim eſt condignitas in pœnis noſtris gloriæ comparatis. Quare? Quia in peccatis naſcimur, in peccatis viuimus: quare pœnis, & afflictionibus digni ſumus. *Gen.42.d* Vnde dicitur: Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, ideſt Chriſtum. Qui dicit in Pſalmis: *Pſal.21.c* Narrabo nomen tuũ fratribus meis. *Iac.3.a* Quis enim eſt qui nõ peccet? Iacobus: In multis enim offendimus omnes. *Rom.3.c* Rom. Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei. *Iudith 8.f* Vnde dicebat ſancta illa Iudith: Non vlciſcamur nos pro his, qui patimur: ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa minora eſſe ſupplicia; quibus quaſi verberibus Domini corripimur, ad emendationem, non ad perditionem veniſſe credamus. Numquid non bruta filios ſuos corrigunt, ſi offendunt? Quis homo, niſi ſtultitiam ſapiat, qui filium male agentem non corrigat? Sed certum eſt ex iam dictis, quòd omnes peccatores ſumus. Ergo & iuſte pati debemus. Non enim pœnæ noſtræ condignæ ſunt æterna gloria. Numquid ſeruus, qui laborare tenetur in vinea Domini, ex labore mercedem expectat? Numquid qui reddit debitum, ex hoc expectat præmiũ? Numquid qui crimen commiſit, vt membrum aliud ſit perdere dignus, expectat præmium, dum ei fuerit amputatum? Ergo nõ bonitatis eſt noſtræ, ſed diuinæ bonitatis, ſi pœnas remunerat, quas iuſte ſcit nobis eſſe inflictas. *Non ſunt ergo condignæ paſſiones huius temporis:* ſed hoc eſt ex Dei bonitate, qui dat nobis patienter, & charitatiue portare, vt poſſit in nobis ſua dona remunerare. O bonitas ſumma, o pietas inaudita, quæ nobis dat, quòd ipſa remunerat!

Secundo, non ſunt condignæ: quia gratuitæ ex parte Dei. Nam quòd pœnæ ſint meritoriæ, iam dictum eſt; ſed quòd ſint præmio dignæ, hoc ſolum eſt bonitatis ſummæ. *Philip.1.d* Vnde dicitur: Nobis datum eſt per Chriſtum, non ſolum vt in eum credamus; ſed vt pro ipſo patiamur. Quis pati poſſet, niſi a Deo donum acciperet patiendi? Ipſe enim pati donat, ipſe ad patiendum adiuuat, ipſe coronat. Nullum enim amat, quem non corripit. *Apoc.3.d* Vnde dicitur: Ego quos amo, arguo, & caſtigo. *Tob.12.c* Eccleſiaſticus dicit: Quia acceptus eras Deo; neceſſe fuit vt tentatio probaret te. Numquid non probant Campſores aurum, aut argentum, aut quodcumque metallum? *Campſor eſt qui campſoriam artem ſiue de cambijs exercet.* Numquid non vaſa figuli probat fornax? Numquid non rex probat ſuos milites, vtrum ſint veri, & fideles? Sicut ergo fornax probat aurum, lima ferrum, tribula frumentum, campſor denarium; ſic Deus probat tribulationibus iuſtum virum. Exemplum in Iob: qui licet iuſtus eſſet; multis tamen attritus eſt pœnis. *Heb.12.b* Vnde dicitur: Flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Et ideo Apoſtolus ibidem concludit: Si extra diſciplinam eſtis; non eſtis filij, ſed adulteri. Quid per diuerſa vagamur, & diuerticula ſalutis exquirimus? Aut enim patimur; & filij ſumus: aut ſi non patimur, cum adulteris deputabimur. *2.Tim.3.d* Timoth. Omnes, qui volunt pie viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur. Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Ergo Rege patiente, miles quieſcit ſub arbore? ergo Rege per ſuam paſſionem intrante in ſuam gloriam, miles abſque pœna intrabit in gloriã alienam? Quomodo coronam habebit qui pugnare contempſit? Quomodo bellator præmium intrabit, & regi ſe præſentabit, qui in bello non fuit, nec Regi pugnanti, & vulnerato aſtitit, nec eum defendit: ſed inter manus eum vulneratum dereliquit, & fugit? Exemplum de Iacobo, & Ioanne quærentibus regnum. Quibus ipſe ait: *Matt.20.* Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Gloſſa ibidem dicit: Sciebat enim Dominus, quòd paſſionem eius poterant imitari: ſed hoc dicit, vt ipſo interrogante, & ipſis reſpondentibus, audiamus omnes, quòd nullus cum Chriſto regnare poteſt; niſi qui paſſionem eius fuerit imitatus. Quis vmquam amicorũ Dei per viam conſolationis aſcendit? *Iudith.8.* Iudith: Memores eſſe debemus, quomodo Abraham, pater noſter probatus eſt, & per multas tribulationes probatus, amicus Dei factus eſt: ſic Iſaac, ſic Iacob, &c. ergo nos peccatores alio modo intrabimus?

Tertio, paſſiones noſtræ nõ ſunt condignæ: quia ſunt permodicæ ex parte ſui, eo quòd ſunt tranſitoriæ, affligentes modico tempore. Nam ſicut habetur in Legenda ſancti Andreæ: *Surius to.6. die 30. Nou.* Omnes enim paſſiones aut ſunt leues, & portari poſſunt: aut graues, & cito animam eijciunt. Quare ſi pœnæ ſunt tremendæ; illæ vtique ſunt formidandæ, quæ ſunt durabiles ſine fine. Hæ autem pœnæ ſunt paruæ, quia tranſitoriæ, & ad momentum durabiles. *Sap.3.a* Sapientia: Si coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt. Et addit: In paucis vexati, in multis vero bene diſponentur. *2.Cor.4.d* Corinth. Id quod in præſenti eſt momentaneũ, & leue tribulationis noſtræ, &c. In quo verbo oſtẽdit, quòd pœnæ noſtræ ſunt incommenſurabiles gloriæ: tum quia leues, tum quia breues, tum quia partiales. Sed gloria hæc eſt magna, quia æterna, & immenſa. *1.Pet.1.b* Et hoc eſt, quod dicitur à Petro: Modicũ oportet nunc contriſtari in varijs tentationibus; vt probatio fidei veſtræ multo pretioſior ſit auro, quod per ignẽ probatur. *Iſa.54.b* Vnde dicitur animæ afflictæ: Ad punctũ, & in modico dereliqui te, & in miſerationibus congregabo te: in momento indignationis abſcondi faciem meam parumper a te, & in miſericordia ſempiterna miſeratus ſum tui. Exemplum de



de beato Anaſtaſio, quem cum vellent cum reſtibus ſuffocare; ille conſiderans pœnam tam leuem, & tam velociter tranſeuntem, ait ad carnifices: Ego pro Chriſti amore a vobis membratim concidi optaueram. Verumtamen, ſi huiuſmodi, quem vos minamini, obitus me commanet; gratias Deo meo inexhauſtas replico, quòd me ſuorum Martyrum participem gloriæ dignatus eſt facere tam paruo ſupplicio. Et beata Agata dicebat: Sicut frumentum non poteſt poni in horreum, niſi eius theca fuerit fortiter cõculcata in paleis; ſic niſi per miſerias corpus meum fortiter a carnificibus attrectetur, non poteſt anima mea in Regnum intrare cum palma martyrij. Beatus Ignatius deſiderabat non ſolum beſtijs ad deuorandum tradi; ſed carnem pectinibus ferreis diſcerpi, coſtas nudari, & radi, & omnia oſſa comminui: tantum vt Chriſtum his ſupplicijs poſſet adipiſci. Sciebat enim verum eſſe, quod beatus Andreas in ſua paſſione protulerat dicens: Tanto Regi meo ero acceptior, quanto pro eius amore fuero permanens in tormentis confeſſor. Sic enim Deus eſt promptior ad miſerandum, quàm ad condemnandum. *1.Cor.3.b* Et iuxta Apoſtolum, vnuſquiſque iuxta laborem ſuum eſt mercedem recepturus. *Deut.25.a* Sicut iuxta menſuram peccati eſt plagarum modus; ſic multo fortius, quanto labor in pœnis maior, tanto & merces ſublimior. Ad hanc glorioſam mercedem perducat nos Deus, &c.

## DE PLVRIB. SS. MART.

### SERMO V. in ordine XXII.

*Sap.3.a* *IVſti autem in perpetuum viuent.* Quantum bonum ſit vita, quis exprimat lingua carnis? Nam vita eſt tantum bonum; quòd quamuis cælum ſit corpus nobiliſſimum, ex luce formatum, ſitu altiſſimum, & influentia maximum (quia omnis generationis quodã modo cauſa, & principium eſt) tamen eo eſt nobilius quodcumque viuum, inquantum viuum. *Ariſt. Aug. to.1. lib.2. de Libero Arbit. & to.5. lib.7. de Ciuit. Dei. cap.3.* Vnde tam Philoſophus, quàm doctor eximimius Auguſtinus, hac ſententia pari mente concordant: quòd omnis ſubſtantia viuens eſt ſublimior, & nobilior omni ſubſtantia non viuente. Nam vitæ nobilitas ex ipſo appetitu naturæ probatur: cum omnia viuentia, vt conſeruare poſſint vitam; omnia refugiũt vitæ contraria, & appetunt vitæ conſeruatiua, ſicut patere poteſt ad ſenſum diſcurrenti per ſingula. Vnde enim tanta cura humana? ad quid tot cibariorum genera? ad quid vina tam optima? ad quid plurima veſtimenta? ad quid tot medicamentorum genera; niſi vt conſeruari valeat vita? Magnum bonum eſt vita, pro qua ſeruanda, tanta cura eſt naturę. Et ſi tam nobilis eſt vita ima; quàm nobilis eſt vita ſumma? Sed ſi ſic amatur vita miſerijs plena; quid eſt vita, omnia continens in ſe bona, & nulla penitus mala? Si eſt ſic vita terrena, quæ cito deſtruitur; quid eſt vita beata perpetuo duratura? Ergo ſi ad hanc vitam venire volumus, non vltra mori timeamus, ſed iuſti eſſe laboremus. Et ideo dictum eſt: *Iuſti autem in perpetuum viuent.* In quo verbo ad Martyrum honorem aſſumpto, notantur maxime duo. Primo, ſtatus Martyrũ militantium, & laborantiũ nunc in pugna: Secundo Iuſtorũ triumphantium, & gloriantium iam in corona. Primus ſtatus eſt cumulatiuus meritorum, quibus ſplenduerunt in via. Secundus ſtatus eſt ſuſceptiuus præmiorum, quibus gloriantur in Patria. Notatur ergo primo ſtatus meriti, quo ſunt iuſtitiam operati, cum dicitur: *Iuſti.* Secundo notatur ſtatus præmij, quo ſunt in gloria coronati, cum dicitur: *In perpetuum viuent.* Eſt ergo circa iuſtitiam hic notandum, quòd quadruplex eſt iuſtitia, quam operari debemus: ſicut ſancti Martyres eam operati ſunt. Nam primo, eſt iuſtitia, per quam redimus ad Deum celeriter. Secundo, eſt iuſtitia, per quam exercemur humiliter. Tertio, eſt iuſtitia, qua nos punimus veraciter. Quarto, eſt iuſtitia, qua ſeruimus perſeueranter. Prima iuſtitia eſt ad Deum redeuntium. Secunda eſt virorum humilium. Tertia eſt veraciter pœnitentium. Quarta eſt in bono proficientium.

Dico igitur, quòd primo eſt iuſtitia, per quam redimus ad Deum celeriter. Nemo eſt, qui non peccet; & humanum eſt peccare, ſed diabolicum eſt ſic ſtare in eo. Et ideo, ſi peccamus, ad Deum redire ſtudeamus. *Eccli.14.c* Sic enim dicitur in Eccleſ. Ante obitũ operare iuſtitiam: quia non eſt apud inferos inuenire cibum, quaſi dicat: Nunc de peccato pœnitere, nunc confiteri, nunc eleemoſynas dare ſtudeamus: quia nulla iſta poſſunt eſſe poſt mortem; nec tunc eſt cibum inuenire, quo tuam famem valeas reparare. *Eccl. ibid.* Vnde dicitur in eodem, vbi ſupra: Ante mortem bene fac amico tuo, & ſecundum vires diſpergas pauperi. Quàm turpe, & indecens eſt, quòd leo de ſua præda faciat eleemoſynam: & homo manum ſtringat per duritiam: cum tamen teneatur ex debito facere eleemoſynam. Non ſunt noſtra ſuperflua, fratres; ſed ſunt pauperibus danda, & tamquã ſua reddenda: & ideo appellatur iuſtitia: eo quòd reddit pauperibus ſua debita. O quàm felices, qui pro hac iuſtitia facienda, tradunt omnem pecuniã! *Prou.11.a* Dicitur enim in Prouerb. Nõ proderũt diuitiæ in die vltionis: iuſtitia vero liberabit a morte. *Tob.4.b* Vnde dicitur in Tobia: Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Quare? quia ſi ita facis, vt dicitur; non auertetur a te facies Domini. *Ibidem.* Et addit modum dandi: Quantum enim poteris, eſto miſericors. Si multũ tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum, etiam libẽter impertiri ſtude. *Ibidem.* Et addit huius iuſtitiæ cauſam: Præmium, inquit, bonum tibi theſaurizas in die natiuitatis: quia ab omni peccato eleemoſyna, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras, &c. *In epiſtola ad Robertũ nepotem ſuũ littera K. in principio.* Bernar. Veniet dies illa, in qua plus valebunt opera iuſta, quàm marſupia plena. Quid profuit epuloni ſua pecunia? quid veſtimenta purpurea? quid ſplendida fercula, cum nullam vellet facere eleemoſynam? Nam ſicut hic fuit abſque miſericordia, ſic totus ardebit in flamma. Scias ergo, quòd qui diuerſa vina habuit, guttam aquæ habere non potuit. O quanto conſultius, & melius feciſſet, ſi Lazarum pauiſſet, cuius auxilio euaſiſſet pœnas æternas! *Luc.16.c* Hoc enim eſt conſilium Domini: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Secunda eſt iuſtitia, quæ eſt Deo ſeruire humiliter. *Matt.3.d* Vnde Dominus dat nobis exemplũ humilitatis in Matth. Sic decet nos adimplere omnem iuſtitiã; id eſt humilitatem. Omnem, dicit, quia eſt primum genus humilitatis, ſicut Gloſſa tangit; quo homo ſe ſubijcit maiori. Eſt ſecundũ genus humilitatis, quo homo ſe ſubijcit æquali. Et eſt tertium genus humilitatis, quo ſe homo ſubijcit minori: ſicut Chriſtus Ioanni, cũ ab eo voluit baptizari. In his enim tribus perfecta humilitas, & per cõſequens perfecta iuſtitia monſtratur. Nam primũ reſpectu ſuperioris redditur ex neceſſitate. Secundum, quod eſt reſpectu paris, redditur ex congruitate. Sed tertiũ, quod eſt reſpectu inferioris, redditur ex ſuperabundanti bonitate. O quàm meritorium; o quàm laude dignũ, ſe ſubijcere homini omni propter Deum! Nam quia ſancti Martyres hoc fecerunt; apud Deum ſublimati ſunt. *Luc.14.b & 18.c* Omnis enim, qui ſe humiliat, exaltabitur: & ſemper iuxta modũ inclinationis, eſt modus exaltationis. *Exemplũ.* Aqua enim quanto ex alto deſcendit, tanto ex par-

ex parte oppoſita aſcẽdit. Arbor quanto profundius A *Exempla.* radices in terram figit, tanto amplius erigitur ſurſum. Vnde cucurbita, quæ radices modicas terræ infigit; cito deficit, & areſcit. Sic ſuperbi, quia radices in humili ſitu non ponunt, citiſſime ruunt. Nõ enim eſt tutum, ſed valde ſtultũ ſuper arenæ fundamentum, altum ponere vel eleuare palatiũ: quia *Boet. lib. 2. de Conſol. Philoſoph. metro 4.* ruit ad modicũ Aquilonis impulſum. Vnde Boetius docet ſuper humile ſaxum domum collocandã: non ſuper montem altum, vbi fortium ventorum patiatur impulſum. Fiunt enim ſæpe fulgura in montibus, quando quietæ ſunt valles. Quare ſuperbi ſimiles ſunt fumo, qui aſcendendo non proficit, ſed B *Pſal. 36. d* ſtatim euaneſcit. Pſalmus: Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum, ſicut cedros Libani: & tranſiui, & ecce non erat: & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.

Tertia eſt iuſtitia, quæ eſt pœnitere veraciter. Iuſtum eſt enim, vt qui peccat, pœnitentiam agat, plangat, & gemendo, ſe puniat; vt Deo ſatisfaciat. *Exemplũ.* Nam & lupus, dum de nocte ad caulam vadit; vt a canibus ſentiri non poſſit; cõtra ventum vadit, ſeu incedit, & plane valde vadit: Sed ſi caſu pedem ad lapidem percuſſerit, & ſtrepitum fecerit; tamquam qui offenderit, in ſeipſum tamquam ſce- C leris vltor inſurgit: & pedem, qui in culpa fuit, fortiter dente ſtringit. Ergo ſi ſic ſe beſtia punit, quæ neminem, niſi ſeipſam offendit, quid debet facere homo, qui diuina mandata confregit, proximum læſit, & ſeipſum peccando corrupit? Eſt ergo pœnitendum veraciter, cum peccamus. Vnde *Matt. 5. c* dicitur: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, &c. Illi in ſolis exterioribus pœnitentiam oſtendebãt: ſed cor- *Mat. 23. c* da hypocriſi, & malitia plena erant. Vnde Dominus aſſimilat eos ſepulchris exterius dealbatis, ſed immunditia intus plenis. Vere enim homo, & non D ficte debet ſe pro peccato punire, medici more, qui ægroto nõ parcit, vt ſanari poſſit. Nam vt exemplis *Hieron. ſuper c. 2. Michææ lib. 1. tom. 5.* vtar Hieronymi, Putridæ carnes cauterio curantur & ferro: & venena ſerpentina curantur antidoto. Sicut enim clauus clauo repellitur; ſic maiori dolor dolore curatur. Tunc enim medicus miſeretur, quando non parcit ægritudini, vt curetur. Tunc enim crudelis eſſet, ſi parceret: quia eum tunc occideret, & non curaret. Ille ergo ſibi parcit, qui vere iuſtitiam de ſe facit: & qui ſecundum morbi quantitatem, curatiuam medicinam, & ſanatiuam appo- *1. Cor. 11. g* nit. Nam ſicut Apoſtolus dicit, Si noſmetipſos iu- E dicaremus, non vtique iudicaremur.

Quarta iuſtitia eſt, qua Deo ſeruimus perſeueranter. Nihil enim valet pœnitentiam inchoare, & eam vſque ad medium trahere, ſi non adſit perſe- *Exemplũ.* uerare: Nam & leopardus, quando poſt beſtiam currere incipit, ſi mox eam non arripiat; greſſum figit, & non perſeueranter poſt eam vadit, & tunc laborem aſſumptum, & beſtiam ſimul perdit. Quid valet domum fundare, parietes fortes & groſſos erigere, ſi remaneant ſine culmine? Requirit ergo iuſtitia, vt perſeueremus in pœnitentia, nec vlla frangamur prorſus iniuria. Vnde vir Sanctus dicit in F *Mich. 7. b* perſona omnium talium: Iram Domini portabo (quia peccaui ei) donec iudicat cauſam meam: & fiat iudicium meum, & ducat me in lucem, vt videam iuſtitiam eius. Sed nota hic diligenter: quia à iuſtitia, qua redimus ad Deum velociter, alieni ſunt mundi potentes: a iuſtitia, qua ſeruimus humiliter, alieni ſunt præſumentes: & a iuſtitia, qua nos punimus veraciter, alieni ſunt multi iudices, & rectores: ſed a iuſtitia, qua nos Deo ſeruimus perſeueranter, alieni ſunt omnes ad vomitum reuertentes. Dico igitur, quòd a iuſtitia, qua conuertimur ad Deum velociter, alieni ſunt mundi potentes: quia non ſolum ad pœnitẽtiam non veniunt; ſed venientes deſpiciunt, & contemnunt. Si autem nunc tales A attenderent, quid in inferno dicturi ſunt, quando *Sap. 5. a* ſuper ſe viderint, quos deriſerunt. Vnde Sapiens: Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtãtia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum: At illi videntes, turbabuntur timore horribili, dicentes intra ſe pœnitentiam agentes: Ij ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, &c. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, &c. Et concludent contra ſeipſos concluſionem irreuocabilem, dicentes: Ergo nos errauimus a via veritatis, & ſol B intelligentiæ non eſt ortus nobis. Lege totam hi- *Sap. 5. a* ſtoriam in Sapientia, quia ſupra modum prædicabilis eſt, & pulchra, & ad pœnitentiam inductiua. Secundo, a iuſtitia, qua Deo ſeruimus humiliter, alieni ſunt præſumentes, qui nolunt eſſe humiles; ſed ſolum quæ alta ſunt appetentes. Tales enim dicunt ſe miſeros, cum faciunt pœnitentiam. Nec at- *Ezec. 3. f* tendũt quod dicitur: Si cõuerterit ſe iuſtus a iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem; ponam offendiculum corã eo, & non erunt in memoria iuſtitiæ eius, quas fecit. Tertio, a iuſtitia, qua nos punimus veraciter, deficiunt hodie multi rectores, qui nec in ſe iuſti- C tiam agunt, nec ſubditos iuſte puniunt. Vnde eis di- *Sap. 6. a* citur: Audite Reges, & intelligite: diſcite iudices finiũ terræ, &c. Data eſt enim vobis poteſtas ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniã, cum eſſetis miniſtri regis eius, non recte iudicaſtis legem iuſtitiæ: & ideo cito apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: ſed potentes potenter tormenta patientur. Lege totam auctoritatem, quia valde prædicabilis eſt, & pulchra, & timoris eſt incuſſiua. Talibus D *Iſa. 5. b* enim dicitur: Væ qui iuſtificant impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferunt ab eo. Item con- *Iſa. 1. e* tra hos dicitur: Quomodo facta eſt meretrix fidelis ciuitas: iuſtitia habitabit in ea; nunc autem homicidæ Principes tui infideles, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, &c. Vide ibidem. Quarto, a iuſtitia, qua bona agimus perſeueranter, alieni ſunt ad vomitum reuertentes, & a bono ca- *Amoſ. 6. b* dentes. Talibus dicitur: Conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructus iuſtitiæ in abſinthium. Sic ergo patet ſtatus meriti, quo Sancti operati ſunt iuſtitiam in via, &c.

E Secundo principaliter vocatur ſtatus præmij, quo ſunt in gloria coronati, cum dicitur: *In perpetuum viuent.* Eſt ergo breuiter notandum, quòd eſt vita *Gen. 2. b* naturæ, de qua dicitur in Geneſi: Inſpirauit in faciẽ eius ſpiraculũ vitę, & factus eſt homo in animam viuentem. Item eſt vita, qua dicitur, culpæ, de qua *Rom. 8. b* dicitur illud: Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Item eſt vita gratiæ, de qua dicit Apoſtolus: *Galat. 2. d* Viuo ego, iam non ego; ſed viuit in me Chriſtus. Item vltimo eſt vita gloriæ, de qua hic agitur: et hæc ſola eſt vita vera. Prima eſt vita illuminans. Secũda eſt vita delectans. Tertia eſt vita quietãs. Quarta eſt F vita æternaliter durans. Quis hanc vitã non appetat? quis ad eam totis affectibus non aſpiret? Quid enim hac melius? quid delectabilius? quid durabilius? Nã illa vita eſt mentis illuminatiua ad cognitionẽ ſublimiſſimæ veritatis: Eſt cordis delectatiua, propter experientiã ſummæ ſuauitatis: Eſt ſumme ſatiatiua, propter copiam vbertatis, & in bonis ſublimibus copioſitatem: Eſt tempore perpetuo duratiua, propter abſentiam defectibilitatis, vel propter præſentiã æternitatis. Dico, quòd illa ſumma, & beata vita, quæ eſt data Martyribus, eſt animæ illuminatiua, conferens certam, & veram ſcientiã: eo quòd ve- *Coloſſ. 2. a* ritatis diuinæ, ſiue ſapiẽtiæ Dei eſt oſtenſiua. Quid enim ſublimius, quid dulcius, quàm illum vere cognoſcere, in quo ſunt omnes theſauri ſapiẽtię? immò, quàm



quàm videre, & corde tenere Dei ſapientiam? Nam A *Ariſt. 10. Metaph. c. 1.* conſtat, & docetur in Metaphyſica, quòd omnes homines naturaliter ſcire deſiderant: ob quam cauſam ſenſus amamus, quia per eos multa diſcimus: quia non ſunt in intellectu, quæ prius non fuerunt in ſenſu. Vnde ob amorem terrenæ ſciẽtiæ Demoſthenes, qui perijt, cum centum & ſeptem annorum eſſet; non velle ſe libenter mori dixit: quia ſe tunc incipe- *Platonis & Socratis Ætas.* re diſcere aſſeruit. Plato in lxxxj. annis, quibus vixit, a lectione nunquam ceſſauit. Socrates in nonaginta nouem annis ſic doctrinis intendit, quòd etiam in agone diſputauit. Magnum igitur bonũ eſt, ſcientia, pro qua ſic anxia eſt cura humana. Et ſi talis eſt B iſta ſcientia creata; qualis eſt ſapientia increata, cui hæc comparata, eſt penitus nulla: & quod hæc eſt, totum eſt ab illa? Magnum ergo eſt bonum, quia ſummum, illa vita, qua diuina ſapientia eſt cognita. Nam quòd hoc faciat Dominus, in Ioanne do- *Ioan. 17. a* cet dicens: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Secundo, illa vita eſt animæ valde delectatiua: Nihil enim eſt aliud delectatio, quàm conuenientis cũ conuenienti coniunctio. Quare oculus delectatur in aſpectu colorum: olfactus in perceptione odoris: guſtus in perceptione ſaporis? quia conuenit cum C illis, & tanto magis, quanto vnum conuenit cum altero magis: quia magis delectantur ſenſus in medijs, quàm in extremis: eo quòd nimia obiectorum excellentia ſenſus corrumpit, vt Philoſophus dicit. Cum enim anima in illa beata vita ſuo conuenientiſſimo, & deſideratiſſimo ſit coniuncta; tota a delectationibus eſt abſorpta. Quid eſt illud ſumme delectabile coniunctum animæ? vtique Ieſus Chri- *Coloſſ. 3. a* ſtus. Vnde Apoſtolus: Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra; tunc & vos apparebitis cum illo in gloria. Tertio illa beata vita eſt animæ quietiua, & pacificatiua: quia eſt omnis appetitus terminatiua. D Tantæ enim capacitatis eſt anima, ſicut probat ipſa experientia, vt nulla re terrena, immo nec vlla creatura poſſit eſſe plena: quare ſolo ſummo bono poſſit eſſe beata, quia eo ſolo perficitur ſuus appetitus. *Pſal. 15. b* Vnde Propheta dicebat: Notas mihi feciſti vias vitę, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes *Pſal. 16. d* in dextera tua vſque in finẽ. Et alio loco: Satiabor, cum apparuerit gloria tua: apud te eſt fons vitæ. Quarto illa vita eſt duratione æterna: Quis enim tam valentur quæreret omnia ſupradicta, ſi eſſent aliquando peritura, niſi quòd doloris pariter, & timoris eſſent poſſidentibus cauſatiua? Poeta: E

*Boet. de Cõſolat. Philoſoph. lib. 2. proſa 4. in principio.* *Nam venit ex ſola proſperitate timor*, vel *dolor*.

Vnde Boetius dicit quòd infeliciſſimum genus fortunæ eſt, fuiſſe felicẽ: quia dum felicitatis, facti miſeri, recordantur, multo dolore afficiũtur. Eſt ergo, vt nihil ad beatitudinẽ deſit, illa vita æterna. Vnde *Mat. 25. d* dicitur: Ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti vero in vitam æternam. Ab hac vita ſeparati erunt in perpetuum mali: boni vero erunt bonis omnibus per contrarium immerſi. Rogemus ergo, &c.

## DE VNO S. CONFESS. F

### SERMO I. in ordine XXIIV.

*Iac. 1. b* B*Eatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Si vita Chriſtiana, ſecundum Hieronymũ, eſt tota Martyrum pugna, & bellum; nulli vertitur in dubium, quin vita omnium Sanctorum, etiam Confeſſorum, ſemper habuerit cum ho- *Hieron. ad Euſtochiũ. epiſt. 22. in fine tom. 1.* ſte conflictum. Quid eſt omnium Sanctorum conuerſatio, niſi militia, & tentatio? Vnde Hieronym. ad Euſtochium ait: Quis ſine certamine coronatus eſt? Reſpice ad Abel, & omnes iuſtos: quis Sanctus A bellum cum hoſte non habuit? Solus, inquit, Salomon fuit, qui in delicijs vixit: & ideo forſitan cor- *Heb. 12. b* ruit. Quem diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnẽ filium, quẽ recipit. Nonne ergo, inquit, melius militi eſt breui tempore dimicare, periculum ferre, arma portare, & laſſeſcere ſub lorica, vt poſtea victor gaudeat, quàm in impatiẽtia horæ vnius *Hieron. Ibidem paulopoſt.* ſemper care ſeruire diabolo? Et addit: Reſpice Iacob quanta pro Rachel habenda ſuſtinuit vxore! cui tamen dies pauci videbantur ob magnitudinẽ amoris. Nihil enim amanti Deum, eſt difficile. Quia ergo hic Sanctus toto corde Deum amabat; ideo B tentamenta dæmonis ſuſtinebat, & munus beatitudinis attendebat. Vnde bene dicitur de eo: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem.* In quo verbo deſcribitur duplex perfectio: prima eſt perfectio viæ, ſecunda Patriæ. Nam perfectio viæ militem Chriſti probat: ſed perfectio Patriæ militem Chriſti probatum coronat. Prima perfectio conſiſtit in pugna: Secunda eſt ab omni pugna ſecura. Notatur primo ſtatus pugnæ, cum dicitur: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem.* Notatur ſecundo ſtatus Patriæ, cum dicitur: *quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Eſt igitur notandum, quòd vir dicit virilitatem, & *Vir à virtute.* C a virtute nomen accipit: eo quòd ad modum virtutis, nullis vmquam ſuperatur aduerſis. Dictus eſt autem hic Sanctus, vir, triplici ratione: Primo, per rectam ordinationem ad Deum: Secundo, per rectam ordinationem ad ſeipſum: Tertio vero, per rectam ordinationem ad proximum.

Dico primo, quòd fuit vir per rectam ordinationem ad Deum: Et hoc quadrupliciter: Primo, reſpectu altiſſimæ Maieſtatis, per humilem reuerentiam: Secundo, reſpectu ſummæ poteſtatis, per deuotam obedientiam: Tertio, reſpectu ſummæ & amabilis bonitatis, per veram amicitiam: D Quarto, reſpectu venerabilis veritatis, per puram cõfidentiã. Dico, quòd hic Sanctus fuit vir, reſpectu altiſſimæ Maieſtatis, per humilem reuerentiam. Si reuerentur homines terrenum regem, & mortalem, vtique ex neceſſitate naturæ moriturum, quanto ille eſt reuerendus, qui eſt omnium regum Dominus, & numquam eſt moriturus? Si hunc Regem ſumme Angeli venerantur, & orant; quid mortalibus *Apoc. 4. b* faciendum ſit, inſinuant. Vnde dicitur quòd Animalia quattuor, & Angeli, & xxiiij. Seniores prociderunt in facies ſuas, & adorauerunt Dominũ. Similiter de Moyſe, qui fuit vir humilis valde, dicitur E quòd erat vir magnus coram populo. Talibus enim viris ſic humilibus, & deuotis ſua beneficia Deus impendit. Vnde & Moyſi dixit: Oſtendam tibi omne bonum. Et Dauid humilem depoſtfœtantes accepit pro Saul ſuperbo, & eum regem inſtituit. Dixerat enim de eo ad Samuel: Inueni virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. *Exemplũ.* Si falco præde auis aquilam regem auium intantum expaueſcit, quòd non audet prædari ea die, qua eam in aëre ſentit; quanta ad Maieſtatem diuinam creatricem cunctorũ exiſtentium, eſt ab omnibus exhibenda reuerentia? Sed quidam ſunt, qui verecun- F dantur hodie ad Eccleſiam ire, ibi adorare: qui tamen, adueniente die iudicij, velint, nolint, cogentur Deum adorare; quamuis tunc eis inutile ſit: *Pſal. 71. b* Adorabunt eum omnes reges terræ, & omnes gentes ſeruient ei. Secundo, fuit vir, reſpectu altiſſimæ poteſtatis, per deuotam obedientiã. Vnde de eo po- *Prou. 21. d* teſt dici illud Prouerb. Vir obediens loquetur victorias. Si enim Chriſtus filius Dei vnicus, vſque ad mortẽ imperio Patris obediuit, quis vmquam Deo obedire contempſerit? Si ſic ciuitates obediunt poteſtatibus, ſic Prouinciæ Ducibus: ſi ſic regimina ſuis regibus, ſi ſic grues, & anſeres ſui agminis ductoribus, ſi ſic pupilli ſuis parentibus; quid eſt, quòd ſoli Deo, Regi ſummo, nõ obedimus? Si Deo ſic obe diunt

diunt cæleſtia corpora, ſi elementa, ſi omnia viuen A
tia, ſi cæleſtia agmina; quid eſt, quòd homo ſolus,
propter quem factus eſt mundus, & Deus eſt huma-
natus; adeo incedit aduerſus Deum, nec ei obedire
*Prou.1.c* dignatur? Et ipſe ideo dicit eis: Quia vocaui, & re-
nuiſtis; extendi manũ meam, & non fuit qui aſpi-
ceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & incre-
pationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu
veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis quod ti-
mebatis euenerit. Quatuor in hac auctoritate po-
nit, quibus nos intendit ad ſe trahere: Nam voca-
tio fit per exteriorem vocationem. Manus extenſio
per beneficiorum largitionem. Conſilium reſpicit B
internam inſpirationem. Sed increpatio fit per fla-
gellorum immiſſionem. Qui ergo ad Deum nul-
lo modo conuertitur, digne a Deo irridetur, &
petens miſericordiam non auditur. Tertio fuit vir
amabiliſſimæ veritatis, per veram cordis amicitiam.
Exempla. Amãt animalia, & ſunt ſuis benefactoribus valde fi-
deles, ſicut leonum, canum, equorum, probant
multa exempla. Igitur ſolus homo rationalis, cui plus
præ ceteris datum fuit a Deo, amicus non erit; nec
fidem ei ſeruabit, qui cauſa beneficiorum eius fuit?
*Prou.28.c* Vnde de hoc facto noſtro poteſt dici illud: Vir fide-
lis multum laudabitur. Multum, ideo dicit, quia vix C
*Mat.24.d* inuenitur aliquis eſſe fidelis. Vnde dicitur: Quis
putas eſt fidelis ſeruus, & prudens? Attende homo,
attende quanta ſit fidelitas omnium corporum ſupe-
riorũ ad facienda officia ſua. Quanta fidelitas aqua-
rum ad irrigandam terram, quanta fidelitas terræ
ad ſemina mittenda, & germina producenda? Quid
Deo, infidelius exiſtit, quàm creatura rationalis: cui
*Tren.3.c* cunctis eſſe fidelior debuit ex acceptis: ſed beatus
vir, qui portat iugum Domini ab adoleſcentia ſua.
ſicut habetur in Tren. Quarto, iſte Sanctus fuit vir,
reſpectu reuerentiſſimæ veritatis, per certam confi-
*Iere.27.a* denriam. Sciebat enim ſcriptum eſſe: Beatus vir, D
qui confidit in Domino: Et maledictus vir, qui con-
fidit in homine. Quare? Quia ſolus Deus verax eſt:
*Num.23.c* omnis autem homo mendax. Vnde dicitur: Non eſt
Deus vt homo, vt mentiatur, nec vt filius homi-
nis, vt mutetur. Dixit ergo & non faciet? loquutus
eſt, & non implebitur? Ergo ſi in verace, & non in
mendace cõfidendum eſt; in Deo tantum, & non in
homine ſperandũ eſt. Item eſt alia ratio: Non enim
eſt homini confidendum in vano, ſed tantum in ſo-
lido. Numquid non ſtultus tranſiens profundum
flumen, habes lapideum pontem, vellet ſuper pon-
tem vitreum tranſire? Nonne ſtultus eſt, qui poſi- E
tus in periculo, confidit in baculo arundineo, to-
taliter interius perforato? Sed homo eſt fragilior vi-
tro, & vanior baculo perforato: ergo non eſt confi-
dendum in eo. Quod ſi mihi non credis, audi Pro-
*Pſal.38.b* phetam: Vniuerſa vanitas, omnis homo viuens. Vni-
uerſa vanitas, ideo dicit: quia vanitas omnis in ho-
mine exiſtit; magis, quàm in alijs rebus. Cum autem
omnia præter Deum ſint vana, iuuare ſe non valen-
tia; quomodo aliud ſuſtentabit, quod in ſe vanum
exiſtit, & ſe ſuſtentare non poteſt? Nam domus, vel
arbor, dum cadit, aliam cadentem ſuſtentabit? &
non potius dum vana alteri incutitur, grauior caſus F
efficitur? Numquid non tota die videmus homines
ruere, & morte deficere? Ergo non eſt vllo modo
ſpes ponenda in homine; ſed in ſolo ſtabili Creato-
*Pſ.117.b* re. Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in
*Pſ.145.a* principibus. Et in alio loco: Nolite cõfidere in prin
cipibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.
Sic ergo Sanctus iſte fuit vir per rectam ordinatio-
nem ad Deum.

Secundo, fuit vir, ſecundum rectum ordinem ad
ſeipſum. Et hoc quadrupliciter. Primo, per veram
innocentiam, quam ſeruauit. Secundo, per veram
continentiam, qua gulam frænauit. Tertio, per vir-
ginalem munditiam, qua omnem illicitum actum

vitauit. Quarto vero, per ſpiritualem lætitiam, qua
Domino iubilauit. Dico quòd fuit vir per veram *Pſal.23.a*
vtriuſque hominis innocentiam, quam ſeruauit, vt
eſſet innocens manibus, & mundo corde: qui non
accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo
proximo ſuo. In his tribus conſiſtit vera innocentia,
ſcilicet: Si ſunt munda opera: Si munda ſunt corda:
Si munda ſunt verba. Quia ergo iſte Sanctus fuit
ſic innocens, ideo totus pulcher fuit. Et ſignatus
fuit in Iob: de quo dicitur, quòd fuit vir ſimplex, *Iob 1.a*
rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. Et de
Abſalom dicitur quòd in omni Iſrael non erat vir *2.Reg.14.f*
pulchrior illo: quia a planta pedis vſque ad verticem
non erat in eo vlla macula. Sed quis hodie talis? quis
non turpis, & fœdus? Sed vere adimpletum eſt il-
lud Iſaiæ contra illud, quod de Abſalom dictum eſt
ſupra: A planta pedis vſque ad verticem non eſt vl- *Iſa.1.b*
la ſanitas in eo; ideſt, vlla virilitas ad ſeruandam
innocentiam baptiſmalem. Vnde dicitur quòd
non eſt vir. Seruant hirundines loca ſua munda, & Exemplũ.
apes, & docent pullos eijcere de nidis ſtercora, &
fugiunt omnia immunda, & fœtida: & non curat
homo fœdare ſuam innocentiam, & maculare vitã?
Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non *Pſal.13.a*
eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Se-
cundo, fuit vir per continentiam. Turpe eſt, vt ho-
mo amet gulam, per quam de paradiſo eiectus eſt.
Scriptum eſt enim: Cum viro religioſo tracta de iu- *Eccli.37.d*
ſtitia. De qua iuſtitia? De ea, quæ eſt gulæ puni-
tiua: ſubtrahens ſuperflua, tradens ei omnia ne-
ceſſaria: Vocabit Dominus Deus exercituum in die *Iſa.22.c*
illa ad fletum, & ad planctum, ad caluitiũ, & ad cin
gulum ſacci: & ecce gaudiũ, & lætitia occidere vitu-
los, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere
vinum. Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinũ, &
viri fortes ad ſectandum ebrietatẽ. O quanta mala
ebrietatem ſequuntur, dum ratio ſubuertitur, dum
ſecreta omnia reuelantur, dum omnia turpia com-
mittuntur, dum rixæ, & ſæpe homicidia generan-
tur! Vnde dicitur: Cui iræ, cui rixæ, cui foueæ, cui *Prou.23.d*
ſine cauſa vulnera, cui ſuffoſſio oculorum? nonne
his, qui morantur in vino, & ſtudent calicibus epo-
tandis? Non ergo, &c. Nam non multi ſunt anni,
cum eſſet in Roma ſeruus in aula cuiuſdam militis;
dum, cum multis alijs probaret, quis plures biberet
calices: ſeptem (vt ferebant qui aderant) calices po
tauit: Cumq. nocte cum porco amplexatus iacuiſſet
in ſtabulo; ſequenti die, cum vellet redire ad pro-
pria, & cum eſſet in via, oculi eius a capite volaue-
runt. Eſt ergo turpe, & reprehenſione dignum, vt
non abſtineat humana gula; vbi manent bruta ieiu-
na. Nam lupus eſt animal valde guloſum, & tamdiu Exemplũ.
famem portat: & ſi nimiũ eſurit, terram manducat.
Sed homo non poteſt portare famem: & fameſcens,
non eſt contentus pane, ſed diuerſa fercula vult ha-
bere. Nullum eſt animal ita guloſum, quod non ſit
contentum vno ferculo carnium, nec tamen cocta-
rum: ſed homo, cui donauit natura os paruum, ap-
petit ferculum, & ferculum. Tertio, fuit vir per vir-
ginalem pudicitiam. Nulla maior virilitas, quàm ſi
homo concupiſcentias carnales vincat, & continue
frænum carni ponat. In cuius figura Actuum: Cum *Act.1.b*
diſcipuli intuerentur Dominum in cælum aſcenden-
tem; duo viri ſteterunt iuxta illos in veſtibus albis.
Quid per veſtimenta alba, niſi continentiæ figuran-
tur? color albus, virginalis munditiæ eſt ſignificati-
uus. Quia, ſicut nullus color picturis apponitur,
cui non albedo ſubſternatur; ſic nulla virtus habe-
tur omnino, cui non ſaltem coniugalis continentia
ſupponitur. Vnde Gregorius dicit quòd neque ca- *Greg. to.3. hom.13. in Euang.*
ſtitas eſt magna ſine opere bono, nec bonum opus
eſt aliquid ſine caſtitate. Opus carnis eſt actus par-
ticulæ ſenſualis: & ideo magis ad beſtias, quàm ad
homines pertinet. Sicut dicit Bernar. Turpe eſt, &
contra



contra rationem, vt magis actus carnis vigeat in ho- A
*Thren.4.a* minibus, quàm in brutis. Sed mutatus eſt color op-
timus, & obſcuratum eſt aurum: quia abſque com-
paratione maior eſt hodie luxuria hominum, quàm
brutorum. Nam bruta, præter aliqua pauca, habent
ad luxuriam certa tempora, extra quæ numquam
ſunt luxuriantia: immo inter piſces nulla ſunt vm-
quam adulterina connubia. Sed homini ad peccan-
dum nulla ſufficiunt tempora: nec contentus eſt
ſua, niſi inueniat extranea ſcorta. O humana miſe-
ria; quando non poſſunt ad tempus homines ſerua-
re, quod temporibus omnibus ſeruant volucres, &
apes, nullis alienis vmquam aliquo tempore ſe com- B
miſcentes, ſed omni tempore continentes. Quarto,
fuit vir propter verã cordis lætitiam: Dicitur enim
*Prou.14.b* quòd ex riſu cognoſcitur vir. Nam riſus exterior, eſt
hominum ſtultorum, vane ſe diſſoluentium. Sed
lætitia ſpiritualis interior, eſt hominum perfectorũ,
*Eccl.30.c* de ſolo ſummo bono gaudentium. Non eſt cenſus
ſuper cenſum ſalutis corporis, non eſt oblectamen-
tum ſuper cordis gaudium. Sed mali ſolum gau-
dent in vanis, nec delectantur in bonis. Quibus Do
*Luc.6.d* minus dicit: Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis.
*Prou.14.b* Hic eſt riſus, qui dolore miſcetur: & extrema gau-
*Iob 21.a. & b* dij luctus occupat. Vnde quærit Iob: Quare impij C
viuunt, ſubleuati ſunt, confortatiq. diuitijs? Semen
eorum, &c. Et ſequitur: Tenent tympanum, &
citharam, & gaudent ad ſonitum organi. Sed num-
quid impune? Audi quod ſequitur: Ducũt in bonis
dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.

Tertio, hic Sanctus fuit vir per rectam ordina-
tionem ad proximum. Et hoc quadrupliciter: Pri-
mo, per veram animi compaſſionem: Secundo, per
rectam inſtructionem: Tertio, per malorum tole-
rantiam: Quarto, per deuotam ad Deum oratio-
nem. Dico, quòd fuit vir per veram ad proximum
cordis compaſſionem. Nonne omnia membra cor- D
poris noſtri mutuo compatiuntur ſibi? Sed maior
debet eſſe compaſſio, vbi eſt maior vnio. Sed maior
eſt vnio membri ſpiritualis ad ſpirituale, quàm
carnalis ad carnale; ergo & maior compaſſio de-
bet eſſe inter ſe. Sed nos ſumus membra ſpiritualia
Chriſti; ergo debet homo magis compati fratri ſuo,
ſiue proximo, quàm membrum corporis naturalis
compatiatur membro naturali. Vnde & vir iſte San
*Iob 30.d* ctus dicebat: Flebam quondam ſuper eum, qui af-
flictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.
*Prou.11.c* Et alibi dicitur: Benefacit animæ ſuę vir miſericors.
Et quid mirum eſt in homine compaſſio; quando E
inuenitur pietas, & miſericordia in animalibus
de rapina viuentibus? Nam vt de multis omittam:
Exemplũ. Falco, auis regia, viuens continue de rapina, filium,
quem aquila de nido proijcit, clementia multa col-
ligit, & in nido ſuo cum filijs ſuis reponit, & tam-
quam proprium eum nutrit. Secundo, fuit vir per
*Eccli.37.c* proximorum eruditionem. Nam ſicut dicitur: Vir
peritus multos erudiuit. Docent enim animalia pul
los ſuos nunc volare, nunc dimicare, nunc ſaltare,
nunc hoſtium inſidias declinare. Ergo non docebit
homo proximum ſuum, amicum ſuum, & dilectũ
fratrem ſuum, ſecum ad eandem gloriam ordina- F
tum? Docent ergo Sancti, arguunt, prædicant, &
increpant, vt eos ad viam Dei conuertant. Vnde &
*Iob 6.d* Iob ſuos amicos arguens dicebat: Quare detraxiſtis
ſermonibus veritatis, & ad increpandum verba com
ponitis, & ſubuertere nitimini amicum veſtrum?
Tertio fuit vir per malorum ſuperationem. Hoc
enim inter omnia ſolum probat Sanctos, an ſint vi-
ri. Non enim agnoſcitur vir ſapiens, niſi in conſilio,
nec vir fidelis niſi in commiſſo, nec vir fortis niſi in
bello. Nam quilibet, qualis intus exiſtit, exterius
*Prou.16.d* bellum probat. Vnde dicitur: Melior eſt patiens vi-
ro forti. Quare? quia vir fortis ſæpe turbatur: ſed
patiens, etiamſi cædatur, vulneretur, aut occida-



tur; numquam tamen a mentis tranquillitate defle-
ctitur. Sicut cælum, quantumcumque inferiora tur-
bentur; ipſum tamen cum omni tranquillitate mo-
uetur. Aër etiam ſi ventis fortibus agitetur, radius
tamen, qui in eo eſt, non mouetur. Et ob hanc cau-
ſam de Moyſe dicitur, quòd erat vir mitiſſimus ſu-
per omnes Orientales: Contra quem cum popu-
lus murmuraret, & ſe ſæpe in ſeditionem erigeret;
a ſua tamen pace non recedebat Moyſes: ſed tam-
quam pater pro eis orabat, & diuinam iram placa-
bat. Nam & agnus adeo eſt benignus, quòd ſi ſit
vellere ſpoliatus, ſiue ligatus, & ad macellum de-
portatus; in nullo omnino commotus, placido vul-
tu reſpicit ſuum occiſorem. Et ideo Chriſtus non
abſque valde rationabili cauſa appellatus eſt Agnus.

Quarto, fuit vir per deuotam orationem ad Deũ.
Nam iſtud quartum ad omnia ſupradicta eſt neceſ-
ſarium: quia, cum nihil poſſimus, niſi per Deum,
cuius in omnibus eſt auxilium implorandum; ideo
continue eſt orandum. Vnde dicebat Apoſtolus:
Volo viros vtique orare. Quid enim eſt, quod ſan *1.Tim.2.c*
cti Confeſſores ſuis orationibus non obtinuerunt?
Nam dum tempore quodam nõ plueret, & quidam
cuidam ſancto Patri de perditione fructuum con-
quereretur; ille ait: Quare non oratis? Venite ergo,
& pariter oremus. Qui ſtatim, vt genua terræ in-
fixit, Deus eum exaudiuit, & abundanter terræ plu-
uiam dedit. Exemplum lege quòd Helias erat ho- *3.Reg.xlt.c*
mo ſimilis nobis paſſibilis, & orauit, & non pluit
annis tribus, & menſibus ſex: & rurſum orauit, &
cælum dedit pluuiam. Rogemus ergo Dominũ, &c. *Iac.5.d*

## DE VNO S. CONFESS.

### SERMO II. & in ordine XXIV.

QVi ſe humiliat, exaltabitur. Si quis non *Luc.18.c*
mente, & corpore cæcus velit ani-
mo diligenti penſare, & res omnes
conſilio prudenti inſpicere; in om-
nibus rebus aperte videbit, quòd nul
la res incremẽtũ naturaliter accipit,
quæ prius a paruitate non cœperit. Nam in his, quæ
certa ſunt, manifeſte videmus, quòd omnes ædifican
tes, fundamentum ſub terris incipiunt: & ſcripto-
res prius litteras diſcunt, poſtea componũt. † Vide- † Hoc ſecũdum Philoſophos, qui cor primũ generari aſſerunt: Medici enim Iecur generationis primũ eſſe docent.
mus etiam, quòd natura dum corpus humanũ com-
ponit, a corde, membro modico, incipit. Sicut ergo
eſt in artibus, & in naturalibus, ſic eſt inuenire in E
moribus, vt qui vult eſſe magnus, prius neceſſe ha-
bet vt ſit paruus. Quomodo ergo eriges altum ædi-
ficium, ſi ei non poſueris humile fundamentum?
Quomodo arbor multum aſcendere poterit; ſi radi-
ces in terra profunde non fixerit? Eſt enim certiſſi-
mum, experientia certa probatum, quòd quanto
aliquid plus ab imo ſurgere incipit; tanto amplius
in altum ſe erigit. Nam omne, quod mouetur, a
contrario in contrarium, Philoſopho teſte, & ſenſu
probante, mouetur. Vnde quod mouetur a ſurſum,
neceſſario mouetur deorſum: & quod mouetur deor
ſum, mouetur neceſſario ſurſum. Vnde receſſus ab F
vno contrariorum locorum, non eſt aliud, quàm
acceſſus ad alterum: nec poteſt vmquam inueniri
contrarium. Sed per humilitatem homo ſituatur
inferius: Ergo dum ab hoc ſitu receditur, neceſſe
eſt, vt aſcendat ſuperius: & tanto altius, quanto hic
ſedet inferius. Vnde aqua, quanto in ſuo motu ab
alto deſcendit, tanto ex parte oppoſita ſurſum ten-
dit, ſicut certa nobis experientia oſtendit. Item, ſi-
cut quanto quis a loco ſublimiori cadit, tanto for-
tius ima petit; ſic econtrario, quanto quis ab infe-
riori loco moueri incipit, tanto vehementius ſur-
ſum tendit. Ergo qui appetit exaltari, laboret humi-
liari; quia tanto exaltabitur amplius, quanto vixe-
Hh rit.

rit in terra humilius. Quoniam omnino nullũ augmentabile eſt, quod poſſit aſcendere, ſi a ſui ipſius paruitate non cœperit. Vnde ad commendationem huius venerabilis Confeſſoris, quem ſic humilitas exaltauit; verbum ſupradictum accipitur, cum dicitur: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. In quo verbo certo, veroq. (quia ab ore Veritatis prolato) de hoc venerabili Sancto dicuntur maxime duo. Nam primo deſcribitur ſtatus vilificationis ipſius in via, quo ſeipſum contempſit. Secundo ſtatus ſublimationis eius in Patria, quo Deus eum honorauit. Primus ſtatus, quo humiliter vixit in Eccleſia militanti, fuit ad cumulum operum bonorum. Secundus ſtatus, B quem iam Deo donante obtinuit in Eccleſia triumphante, fuit ad cumulum gaudiorum. Notatur ergo primo ſtatus vilitatis in mundo, cum dicitur: *Qui ſe humiliat*. Secundo notatur ſtatus ſuæ ſublimitatis in Regno, cum additur: *Exaltabitur*. Vt ergo ſimul totum tractemus, quia eadem omnino eſt via, qua ab vno oppoſitorum receditur, & qua ad alterum acceditur; Eſt hic notãdum, Primo, quòd humilitas eſt animæ illuminatiua: Secundo, eſt malorum omnium eradicatiua: Tertio, eſt operationis fortificatiua: eo quòd diuini auxilij ſit acquiſitiua: Quarto, eſt bonorum cuſtoditiua: Quinto, eſt C mentis conſolatiua: Sexto, eſt in fine exaltatiua.

Dico, quòd humilitas eſt animę illuminatiua: quia diſponit animam ad diuinam refulgentiam. Modo conſtat ad ſenſum, quòd quantum corpus in ordine vniuerſi, eſt magis infimum; tanto fit in ipſo, & circa ipſum maior aggregatio cæleſtium radiorum. Vnde terra eſt omnium corporum infima: ideo radiorum ſolarium eſt ſuſceptiua magis, propter quod maxime eſt fœcunda. Sic in moribus eſt: quia humilitas facit hominem ſitu infimum; ideo in eo maxime fit diuinorum radiorum aggregatio: ſed vbi D radij vniuntur, lumen maximum, & incendium generatur. Ergo vera humilitas, dum in obſequium Chriſti intellectum captiuat; ipſum ad diuinum lumen, & incendium præparat. Duarum cauſarum contrariarum, & immediatarum, ſi vna ad aliquem vnum effectum diſponit, ad effectum altera illi con-

Exemplũ. trarium diſponit. Exemplum accipe de humoribus, in quibus exceſſiua qualitas eſt: quia ponit diſtemperantiam, & febrilem malitiam: & ideo medicus, humorum æqualitate adepta, ponit temperantiam ſanatiuam, quæ eſt illi febri contraria. Sed quia humilitas, & ſuperbia ſunt immediate contraria; ergo cum ſuperbia ſit animæ excæcatiua; humilitas erit illuminatiua. *Prou.11.a* Vnde dicitur: Vbi humilitas, ibi ſapientia. Ptolemæus philoſophus dicit: Inter ſapientes ille eſt ſapiẽtior, qui eſt humilior. Bernardus: *Bern. to.2. lib.2. de Cõſiderat.* Bonus fundus humilitas, qua veritas inquiritur, claritas acquiritur, irradiationes Sapientiæ percipiuntur. Dicitur in vitis Patrum quòd quidam frater dubitans de quodam verbo Scripturarum, ſeptuagintaocto hebdomadas ieiunauit, vt Deus ei veritatem reuelaret. Qui cum in nullo proficeret, ſurrexit, vt ad alium fratrem iret, a quo de verbo quæreret. Tunc Angelus ei apparuit dicens: Septuagintaocto hebdomadæ, quas ieiunaſti, non te fecerunt proximum Deo: ſed poſtquam te humiliaſti, vt ad alium ires: Quare miſſus ſum te docere.

Secundo, humilitas eſt omnium malorum eradicatiua. Nam in omni genere rerum eſt ponere vnũ principium in illo genere ſummum. Exemplum de ſole in lucendo, & de igne in calefaciendo, & c. Sed ſuperbia inter omnia vitia eſt principium, & ideo inter vitia eſt ſummum, & potiſſimum: Sed humilitas omnino hanc exterminat; ergo per conſequens omnia alia peccata condemnat: quia, capite truncato, omnia membra contabeſcunt. Numquid ſtabit, eius fundamento præciſo? Numquid fluet riuulus, fonte deſiccato? Numquid fluuius, mari abſorpto?

A Nũquid virebit ramuſculus, pede arboris deſiccato? Numquid ſtabit in arbore radius, ſole remoto? Ergo nec vllum vitiũ ſtare poterit, ſi ſuperbia virtute humilitatis fuerit detruncata. Exemplum, & auctoritas de hoc habetur in primo Regũ: Vbi Dauid humilis contra Goliam pugnauit, eumq. deiecit: quo *1.Reg.17.d* deiecto (quia caput ſuperborũ erat) omnes in fugam cõuerſi ſunt. Nam & ſanctus Antonius, dum omnes laqueos in terra videret, & ſuſpirans diceret: Domine, quis poterit iſtos effugere? Audiuit Antonius: Humilitas. Cum enim diabolus ſit ſuperbiſſimus; & propter hoc ſit de cælo eiectus; a nulla re ſic vincitur, ſicut a virtute, quæ ſuperbiæ immediate opponitur. Numquid ignis melius, quàm per aquam extinguitur? Numquid frigus melius, quàm per calorem expellitur? Contraria contrarijs curantur. Et ideo virgo humillima, Domina noſtra, omne robur dæmonum euacuauit, dum Holofernem iugulauit. *Iudith 12.* Lege Iudith, & Eſther hiſtoriam; vbi iſta in figura *Eſther.14. & ſequen.* ſunt narrata.

Tertio, humilitas eſt omnis noſtræ virtutis, & operationis fortificatiua, & omnis ſpiritualis roboris augmentatiua. Cuius ratio duplex eſt: Vna, quia ponit omnes vires noſtras, ac operationes ſuper ſolidum fundamentum. Non enim ſtatuit homo ſedere in alto, vbi eſt ventorum impulſio; ſed in imo, in ſolido ſaxo. Nullus enim cadit, niſi qui in alto exiſtit, & tanto grauius, quanto altius ſedet. Ergo, cum humilitas in loco infimo ſedem ponit; hominem in eſſe ſtabilitat, & omnibus operibus eius robur donat. Secunda ratio eſt, quia facit hominem Deo recte ſubiacere. Et regula eſt probata, quòd quanto alicuius agentis influentia rectius tendit in ſuum obiectum; in illo imprimit efficaciæ maioris effectum: Vnde lapis, qui directe ſuper aliquid cadit, fortior fit caſus, quàm ſi caderet a latere, aut ſiniſtris, aut dextris. Cum ergo humilitas recte Deo ſubijciat; ad maius diuinum auxilium mentes parat. Vnde Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat *Iac. 4. b* gratiam. Et tanto maiorem, quanto inuenerit mentem humiliorem. Et propter hoc dicit Petrus: Humiliamini *1.Pet.5.e* ſub potenti manu Dei, quaſi dicat: Si humilis fuerit, Deum auxiliatorem habebit, quo fortis erit, nihilq. timebit. Cuſtodiens paruulos Dominus; *Pſal.114.a* humiliatus ſum, & liberauit me. Quis decipi timeat, ſi ſecum habeat omnia ſcientem? Quis violentari, ſi ſecum habeat omnipotentem?

Quarto, humilitas eſt bonorum omnium cuſtoditiua, & conſeruatiua. Quia dicit Gregorius: Qui *Greg. to.1. Explanat. 3. Pſalmi pænitent.* ſine humilitate virtutes congregat, quaſi puluerem in ventum portat. Parum aurum diligit, qui illud latronibus exponit. Nec multum argentum amat, qui in publico illud portat. Vere deprædari deſiderat, qui theſaurum, ſi habeat, non occultat: maxime ſi cum latronibus vadit. Sic & ſpiritualem theſaurum non amat, ſi iſtum ab humanis oculis non occultat. Sed humilitas eſt virtus bona celans, apparere non amans: quare virtus recta eſt, quæ omnia bona conſeruat, ne per vanam gloriam euaneſcant. Si formica nouit ſub terra ſua grana celare, *Exempla.* F ſi apes ſua mella nouerunt abſcondere; nonne homo probat ſe ſtultum eſſe, qui theſaurum nobiliſſimum, quo emitur Regnum cælorum, negligit occultare, & pro vanis laudibus non curat illum amittere? Ergo bona eſt virtus, humilitas, quæ omnia bona acquiſita conſeruat. Inutilis, & pœnoſa theſauri acquiſitio, ſi non adſit conſeruatio. Humilitas ergo omnia bona cuſtodit, quia ea euaporari non ſinit. Nam quanto aliquid ſuæ propriæ virtuti remotius eſt; tanto magis eſt euaporatiuum: & quanto vicinius eſt, tanto magis illius virtutis eſt conſeruatiuum. *Exempl.* Exemplum de vino, quod citius virtutem perdit, ſi clauſum in vaſe non ſteterit, ſed euaporari poterit. Similiter aromata, ſi teneãtur aperta,

perdunt



perdunt virtutem, & efficaciam. Similiter ignis cito extinguitur, niſi cineribus cooperiatur. Ergo homo cito omnia bona perdit, niſi ea ſub humilitatis cinere cooperiat: ſic enim per humanam laudem euaneſcere poſſent. Item humilitas omnia bona cuſtodit, quia omnia, quæ facit, Deo aſcribit: Et dum virtutem a principiato ad principium reducit, vel redire facit; ipſam facit fortiorem: Nam omnis virtus, quando a principiato recedit ad ſua principia; reuertetur a principijs ad principiata cum maiori efficacia. *Exemplũ.* Exemplum de ſpiritu animali, & calore naturali, quæ in ſomno redeunt a membris, quæ ſunt principiata, ad emunctoria, quæ ſunt principia: ſoluto ſomno, redeunt fortiora ad membra. Exemplum eſt etiam in fabri prunis, quibus aſperſis modica aqua, virtute eorum interius refrænata, & ad ſua principia interiora reducta; fortius poſtea egreditur extra. Hæc eſt ratio etiam, quare ſcriptores ante ſe tenent ſpecula, quibus ſe reſpiciunt: quia viſiua virtus, quæ ex aſpectu ſcripturæ continue fatigatur; dum per aſpectum ſpeculum ad ſuum fontem reuertitur, ad videndum fortius reparatur. Vnde omnia flumina, quæ a mari recipiunt aquam, dum eam in mare refundunt, ſemper renouando accipiunt. Hæc ergo omnia intendens Dauid, ſeipſum condemnabat, deſpici volebat, & dicebat vxori ſuæ, quæ eum nudatum coram arca Domini viderat: *2.Reg.6.d* Ludam, & vilior fiam, pluſquam factus ſum: & ero humilis in oculis meis. Reuera enim Saul, qui aliquando optimus fuit, in ſuperbia elatus euanuit: & Dauid, quia humilis erat, ſemper ad maiora prouexit.

Quinto, humilitas eſt ſui poſſeſſoris conſolatiua. Vnde dicitur: *Iudith 8. b* Expectemus humiles conſolationem eius. Et: *2.Cor.1. a* Qui conſolatur humiles, conſolatus eſt & nos. Ratio huius eſt: Quia, ſi vnum oppoſitorum fuerit afflictionis cauſatiuum, reliquum erit conſolationis inductiuum: & quanto ſuo cõtrario fortius opponitur, tanto per ipſum amplior cõſolatio introducitur. *Exemplũ.* Exemplum eſt in morbo, & medicina illi morbo oppoſita. Quia ſicut morbus eſt cauſa afflictionis; ita medicina conſolationis: & tanto magis, quanto opponitur perfectius morbo. Sed ſuperbia eſt in nobis cauſa omnis afflictionis: quia primus Parens per eam corruit, & nos omnes in afflictionẽ induxit; Ergo humilitas eſt cauſa omnis cõſolationis. Item quantumcumque per aliquod nociuum alicuius natura læditur; tunc ſuus actus primus nobiliſſimus ei aufertur, & non niſi per illius nociui E oppoſitionem, illi reſtituitur. Exemplum de oculo, vel alio membro læſo, & de medicina illi membro, vel læſioni oppoſita, reſtituente oculo viſum, & pedibus greſſum. Sed humana natura fuit vulnerata per ſuperbiam, & perdidit nobiliſſimum ſuum actum, ſcilicet diuinæ deguſtationis dulcedinem, ſiue internam cõſolationem: ergo per humilitatem reperit ipſam perditam delectationem.

*Luc. 1. e* Sexto, humilitas eſt ſui ſubiecti exaltatiua: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Quis vmquam in cælum aſcendit, niſi qui fuit humilis? *Auguſt. tom. 10. de Verbis Domini. ſer. 38. in Euãg. Ioan. in fine.* Auguſtinus: Arborem non videris, quæ radicem in infimo figit, vt ſurſum tendere poſſit. Nam qui ſine humilitatis radice altitudinem petit, non proficit, ſed deſcendit. Bonus fundus humilitas, in quo omne ædificium ſpirituale conſtructum, creſcit in templum ſanctum in Domino. Per humilitatem ergo, inquam, aſcende ad ſublimitatem: quia hæc eſt via, & non eſt alia præter eam: immo ſi aliter ſurſum tendit, cadit prius quàm aſcendat. Ratio eſt ad hoc: quare contrarij ſunt motus, quare terra mouetur deorſum, ſed ignis ſurſum: quia terra eſt grauis; ſed ignis eſt leuis. Sed conſtat, quòd ſuperbia hominem deijcit, ſicut in Lucifero, & in primo Parente patuit: Ergo humilitas per contrarium, hominem



A ſurſum vehit. Item, quanto aliquid plus participat de forma rei, tanto & plus occupat de loco eius: ſed forma Chriſti capitis noſtri, humilitas ipſius fuit, & loco eius eſt in cordibus bonis; Ergo quanto plus homo habet de humilitate, tanto plus habet de Chriſti ſublimitate. Aqua enim de montibus, ſiue de tumore montium fluit ad valles. Vnde ſuper librum vegetabilium dicit Commentator quòd omnes agri in conuexis decliuium collium poſiti, ſunt macilenti, & ſicci: eo quòd humor, & pinguedo fluunt ad conualles: propter quod frumentum, & omne legumen habens granorum ſoliditatem & B humiditatem, melius innaſcitur: quia ſicut terra iuuat, ſic ſemina iuuantur. Vnde oportet eorum bonitates ad magnum venire augmentum propter circulare auxilium. Exemplum accipe de corpore hominis, quod primo alterat cibum, quem recipit, dum illum tranſmutat, & aſſimilat membris: ſed vltimo ipſum alteratur a cibis. Sic ſimiliter & ſemina ſe habent ad agrum, & etiam ſemina virtutum ad cor humanum: dum homo prius per ea alteratur, ipſe ſe per ea exercitans, ad maiora ſemper bona diſponit. Et quia hoc fit maxime per humilitatem, quæ facit hominem vallem, & ſupernæ influen-C tiæ capacem; Ideo humilitas vera eſt ſubiecti exaltatiua, & c.

## DE VNO S. CONFESS.

### SERMO III. in ordine XXV.

QVanto maior es, humilia te in omnibus. *Eccl. 3. c* Fortiſſima quæſtio eſt, & difficilis ad ſoluendum; quæ ſit ratio, quòd cũ Deus ſit altiſſimus, & ſuper omnia ſublimiſſimus; quòd non ei approximamus aſcendendo, ſed potius D deſcendendo: non ſuperbiendo, ſed potius deijciendo? Videtur autem (vt Auguſtinus dicit) eſſe contrarium: *Aug. to. 5. de Ciu. Dei lib.14.c.13.* Nam cum cælum ſitu ſit altum; non proximior eſt ei, qui in altiſſimum montem aſcendit, quàm ille, qui in profundiſſimam vallem deſcendit. Quis vmquam in arborem altam, quis in domum eleuatam, quis in turrim altiſſimam aſcendit, ſe inclinando, & non ſe potius eleuando? Nam ad hoc fiunt ſcalæ in turribus, vt per gradus ad ſummum perueniamus. Videtur enim quòd magis debemus proximare Deo, nos eleuando, quàm deijciendo. E Sed contrarium eſt Pſalmus, vbi dicitur: Accedet homo ad cor altũ, & exaltabitur Deus. *Pſal.63.b* Mira res: quia quanto plus te eleuas, tanto plus a Deo diſtas. Sed attẽde, quòd in rebus creatis, quæ ſitum habẽt in loco, & inter ſe diſtant; ſicut ab eis loco diſtamus, ſic & loco earũ, ſi volumus, proximamus, & per locales gradus ad eas aſcẽdimus. Nulla enim res creata inferior infra cęli circumferentiam adæquate eſt cõcluſa: licet intra eã ſit in certa proportione, & finita contenta, quæ vtique menſurata eſt, & finita: quia ſi cælum infinitum eſſet, vtique menſurari non poſſet, ſicut Philoſophus dicit. *Ariſtotel. tom.4. lib. 3. de Cælo. tex. 19.* Cum inter creata, F diſtantia ſit finita, dum partes medias pertranſimus; illi cælo approximamus: immo cum montem aſcendimus, cælo proximiores ſumus. Exemplum de illis, qui ædificauerunt turrim Babel, vt in cælum aſcenderent: *Gen. 11. a* Sed nota, quòd non ſic Deo approximamus. Deus enim eſt immenſus, & infinitus, nullo loco concluſus: ſed eſt vbique totus, vt ſine eo omnino nullus ſit locus: ergo nec loco ab eo diſtamus. Nec ei (vt dicit † Auguſtinus) loco, ſed actionibus approximamus; *† Aug. to. 10 de Verb. Apoſto. ſer. 2. & to. 8. Enarrat. in Pſal. 144. non procul ab initio.* quod non facimus nos exaltando, ſed ei nos potius ſubijciendo. Nam, cum ipſe a nobis diſtet in infinitum (cum infinitum pertranſiri non poſſit, vt dicit Philoſophus) ideo ſic ei non approximamus. *Ariſt. Ibid.* Nos ergo per nos non poſſu-



mus

imus accedere ad Deum: ſed ipſius eſt ad nos inclinare, & nos ad ſe leuare, cum ſit potentiæ infinitæ: Cum ergo humilitas nos Deo perfecte ſubijciat; Deum ad nos inclinat, cuius gratia nos exaltat.

*Aug. to. 5. lib. 14. de Ciuita. Dei cap. 13.*

Vnde Auguſtinus: Eſt aliquid humilitatis, quod miro modo ſurſum faciat cor: et eſt aliquid elationis, quod deorſum faciat cor. Contrarium (vt ait) videtur, vt humilitas ſit ſurſum, elatio deorſum: ſed non eſt contrarium: Nam, quia Deum ſublimiſſimum conſtat eſſe; ideo humilitas exaltat, quia facit, vt homo perfecte Deo ſe ſubijciat. Hæc Auguſtinus.

*Bern. to. 1. ſerm. 54. ſup. Cãtic.*

Propter hoc Bernardus dicit: In veritate nihil comperi melius eſſe ad gratiam promerendam, B ad gratiam conſeruandã, ad gratiam augmentandã; quàm ſi omni tempore inueniaris, non altum ſapere, ſed timere, ideſt, humilis eſſe. Cum ergo per noſtram magnitudinem non poſſimus Deo approximare, ſed ſola humilitate, vt eſt dictum a Sapiẽte: *Quanto maior es, humilia te in omnibus*; Ideoq. Sanctus iſte hoc conſiderans, viam totius humilitatis elegit, & mundi ſapientiam a ſe eiecit. In verbo ergo præmiſſo, quod dici poteſt cuilibet Sancto; notantur principaliter duo: Vnum ex parte Sancti: Alterum ex parte Dei. Ex parte Sancti notatur humilitas, qua Deo perfecte ſe ſubdidit: Sed ex par C te Dei notatur benignitas, qua Sancto gratiam contulit. Primo Sapiens ad humilitatem nos inuitat, cum ait: *Quanto maior es, humilia te in omnibus*. Secundo fructum humilitatis explanat, cum addit: *& inuenies gratiam coram Domino*. Circa ergo humilitatem hic vertitur ſermo: Et quia ad humilitatem inducit, necnon humilitatem nobis diligendam relinquit; igitur notandum, quòd triplex eſt humilitas. Prima eſt humilitas cordis: Secunda eſt humilitas oris: Tertia eſt humilitas operis. Primam inducit vera cordis contritio: Secundam vera oris D confeſſio: Tertiam perfecta operis ſatisfactio.

Dico primo, quòd prima humilitas eſt cordis, quæ in vera cordis contritione conſiſtit. Humilitas enim cordis aliarum humilitatum radix exiſtit, ſicut cor eſt omnium membrorum radicale fundamẽtum. Quare ſi cor vere humile erit; homo humilitate oris & operis non carebit: quia cauſa rei neceſſaria ſi ponatur, neceſſario ponitur eius effectus. Non enim eſt poſſibile ignẽ ponere; quin eum ponas calefacere, & lucere pariter. Nec eſt poſſibile ſolẽ in noſtro hemiſphærio exiſtere; & de ſe radios in terram non diſpergere. Et ſic in omnibus eſt inuenire. E Cum ergo humilitas cordis ſit neceſſaria cauſa humilitatis oris, & operis; eſt impoſſibile, vt cor ſit humile, & non eius humilitas in opere appareat, & ore. Et ad deſtructionem conſequentis: quem vides arrogantem in ore, & ſuperbum in opere; ſcias non eſſe humilem in corde. Cum enim dies ſit neceſſarius effectus ſolis; neceſſario cõcluditur: Si dies non eſt, Sol non eſt ſuper terram. Sic & neceſſario ſequitur: Qui non habet humilitatem oris & operis; non habet humilitatem cordis. Studendum eſt ergo ante omnia, vt humilitatem cordis habeamus; & ſic in omnibus alijs humiles eſſe poſſimus: & per F

*Pſal. 50. d*

cõſequens diuinam gratiam acquiramus. Cor contritum & humiliatũ, Deus, non deſpicies. Cor contritum, & humiliatum dicit: quia ad veram humilitatem requiritur contritio cordis, vt homo vere doleat: quia Deum offendit Creatorem potentiſſimum, Redemptorem pijſſimum, & Patrem prouidentiſſimum. Intantum verecundatur accipiter, ſi auem non arripit, ad quam miſſus volauit; quòd vix illa die ad manum redit. Ergo homo, auis cæleſtis, non dolebit, ſi Deum offendit, & non facit quod debuit.

Secunda humilitas eſt oris, quæ in vera peccatoris confeſſione conſiſtit. Magna certe humilitas, quando homo propter Dei honorem non timet A quæcumque turpia confiteri. Et de hoc habetur:

*Eccl. 4. a*

Humilia presbytero animã tuam: Tunc enim presbytero humiliat, quando illi omnia mala ſua manifeſtat: Et illa humilitas neceſſaria eſt ad ſalutem: Nam peccatum eſt vulnus animæ, ſacerdos eſt medicus ſpiritualis: Sed videmus in rebus ſenſibilibus, quòd qui vulnus corporis celat, medicũ non aduocat, aut medicinam nõ poſtulat: & ideo mortẽ ſibi adiudicat, & ſui eſt homicida. Sed ſapiens æger, dum vulnus habet, medicum petit, & vulnus curandum illi exponit, vt ſalutem accipere poſſit.

*Boet. de Cõſol. 1. proſa 4. lib. 1. 2.*

Vnde Boetius: Si opera medicantis exſpectas; neceſſe B eſt, vt vulnus detegas tuum. Confitere peccatum tuum, nec abſcondas.

*Prou. 28. b*

Vnde, qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigitur a Domino. Summa ſtultitia perpetuo vituperio confundenda; tantam habere curam de vulneribus carnis, & aduocare medicos corporis pro modica cauſa doloris; & non curare de vulnere mentis, nec medicum aduocare ſalutis. Quis vmquam ſic ſtultus, vt per vnum annum teneat vulnus carnis, vel menſem, vel diem; qui non vocet medicum, petat antidotum, & ſpondeat præmium? Heu heu, quia peccauimus, Deum offendimus, animã letaliter vulnerauimus: & nec in tota C vita medicum poſtulamus: immo vix in morte, de propria morte, & ſalute curamus. Nec eſt mirum, hominibus raro confitentibus, ſi confiteri non curant, & ſeipſos negligunt: Quia (ſicut dicit Bernardus) exemplum videmus; vetuſto vulnere, & neglecto, callus obducitur: Putridæ enim carnes non dolent. Vnde tales homines, qui raro confitentur, putreſcunt, dum in malis ipſa mala non ſentiunt: ſed ad omnia mala, quaſi inſenſibiles ſunt: Et ideo medicinam curatiuam non quærunt.

*Bern. to. 3. lib. 1. de cõſiderat. ad Eugen. Põt. Max. in princip.*

Vnde Bernardus ſcribens ad Eugenium Papam, qui ſublimatus D erat ad Sedem Apoſtolicam, ait ei: Si doles, condoleo: ſi non doles, doleo: tamen ſcias longe a ſalute eſſe membrũ, quod obſtupuit; & ægrum non ſentientem periculoſius laborare. Vnde Propheta

*Pſal. 38. a*

dicebat: Humiliatus ſum nimis, & ſilui a bonis, & dolor meus renouatus eſt, quaſi dicat: Quia a bonis ſilui, ideſt, confiteri nolui; ideo Deus in pœna me humiliauit, & dolorem ſuper me innouauit: Quod maxime facit, cum hominem ad infernum ducit.

*Eſter. 14. a*

Tertia humilitas eſt operis, quæ in ſatisfactione vera conſiſtit: Hinc dicitur quòd Eſther corpus ſuum humiliauit. Quid enim ſuit, corpus humi- E liare; niſi in cilicio, vigilijs, & ieiunijs arctare, & ſic

*Pſal. 34. c*

diuinam iram placare? Propter quod Propheta dicebat: Humiliabã in ieiunio animam meam. Nota hic exempla innumera Patrũ: quàm continue orabant, quàm aſſidue vigilabãt, quàm forti ieiunio carnem domabant, & ſeruire ſpiritui vim inferebant! Nam quidam ſanctus Pater, cum eſſet fortis valde corpore; ſex annis continue orans ſtabat, non dormiens, non ſedens, non pauſans, modicum panis & aquæ poſt veſperas corpori donans; & tunc ſic faciens, fortitudinem corporis non amiſit: Immo, dum ſemel quattuor latrones ad eius res furandas cerneret, F ipſe eos accepit, & ligauit, & ſuper collum, vbi ſancti Patres conuenerant, portauit, & ante eos poſuit. Sanctus Macarius requiſitus de vita, dixit, ſe viginti annis numquam ſatiatum pane, nec aqua, nec ſomno. Ergo in delicijs damnationis filij iacẽt, & dormiunt in lectis amplis, numquã orant, numquam ieiunant.

*Mich. 7. b*

Et hæc eſt via (teſte Veritate) quæ ducit ad mortem: Quia non lata, & ſpatioſa: ſed arcta, & ſtricta eſt via, quæ ducit ad vitam: quare voſipſos decipitis. Attendite, quis Sanctorum per delicias trãſiuit ad vitam æternam? Numquid meliores eſtis Petro, qui eſt pro Chriſto crucifixus? Numquid meliores Paulo, qui totiens verberatus, lapidatus, paupertate attritus, vltimo capite eſt priuatus? Diſcurrite per omnes Sanctos; nullum inuenietis



nietis per aliam viam veniſſe ad Patriam. Ergo vos A ſoli eritis exceptæ actionis, vt trãſeatis ad gloriam abſque pœnis? Recolite Lazari pauperis, & mendici, ac vulneribus, pleni tranſeuntis ad requiem: Et econuerſo diuitis purpurati, ſplendide quotidie comedentis, & deinde ad infernum deducti; qui non in flamma minimam habere guttam aquæ poterat.

*Luc. 16. b*

*Aug. to. 10. ſerm. 3. de plurib. Martyr. ſed 47. in ord. qui ſermo etiã B. Leoni tribuitur. Aug. ibidẽ & tom. 5. lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 27.*

Ergo fratres, ſi volumus gaudere cum Sanctis; ſuſtineamus mala mundi cum eis, ſicut Auguſtinus dicit: quia qui eos non inquantum potuerit, voluerit imitari; ad eorum beatitudinem nõ poterit peruenire. Ad hæc enim, vt dicit Auguſtinus, feſta celebramus, vt dum quid fecerint attendimus, imi- B tari pro poſſe ſtudeamus. Nam pueris diſcere volentibus, traduntur figuræ exemplares, ſecundum quas apices alios facere ſtudent. Rogemus ergo Dominum, &c.

## DE VNO S. CONFESS.

### SERMO IV. in ordine XXVI.

*Luc. 1. e*

DE*poſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles*. Si quis diligenter legit antiquorũ hiſtorias, & curſus Regum, C & Principum, ſimiliter & regnorũ; aperte inuenit verum eſſe, quod verbum præmiſſum continet. Nam ſi ad tempus ſuperbi videntur florere: & homines humiles viles eſſe; ſemper tamen in fine illi deijciuntur, & iſti econtrario exaltantur. Nam quid factum eſt de regno illo Aſſyriorum, quod vltra mille annos monarchiam tenuit Orientis, nonne ad nihilum eſt redactũ. Nam & Babylonia, vt dicit † Hieronymus, caput ipſius regni fuit: quæ tantæ fortitudinis fuit, & magnitudinis; vt vix ab audientibus credi D poſſet: Erat enim (vt Hieron. ait) ipſa ciuitas diſpoſita in quadrum, habens in circuitu ſexaginta milliaria, quindecim in quolibet fronte. Muri fuſi bitumine, habebant quinquaginta cubitos in altitudine; atque circa murum ampliſſima foſſa, in quam per circuitum fluuius decurrebat: & cum tanta eſſet, vna tamen noctium fuit capta, & cum rege ſuo ſuperbiſſimo velut ſcintilla ignis perijt. Vbi eſt regnum Perſarum, quod multis annis, centum vigintiſeptem Prouincijs imperauit? Nõne * Cyrus, nobiliſſimus Rex eius, a quadam Regina Maſſagetarum Thomyri captus, & in capite diminutus; caput eius E in vtrem ſanguinis miſit, dicens ei improperando: Satia te ſanguine, quem ſitiſti? Vbi eſt nunc Regnũ Græcorum, quod mille ducentis annis durauit? Nonne ‖ Alexander Rex eius, poſtquam vniuerſa ſibi ſubiecit, veneno interijt? Quid factum eſt de Friderico Imperatore Romanorum, qui, ſicut ferrũ perdit quodcumque metallum; ſic perdidit omne regnum; vt non eſſet inuenire in mũdo angulum, qui eius non perſenſiſſet gladium? Nonne quaſi ad nihilum eſt redactũ, vt vix Roma ad duo milliaria teneat imperiũ? Nonne Cæſar, qui Monarcha ſolus fuit, & imperium tenuit, a Romanis totus perfora- F tus, puerorum ſtylus erat? Et ſic quære per ſingulos, & inuenies omnes ſuperbos in fine turpiter corruiſſe: econtra viros humiles exaltatos a Deo fuiſſe. Nam Deus Saul ſuperbiſſimũ de regno deiecit, & Dauid humilem exaltauit: Et, vt innumera omittã, conſidera quis vmquam Regum, quis Imperatorum ſublimium ſic a mundo honoratur; vt piſcator Petrus, & Ioannes ruſticus, & Matthæus Theolonarius: immo, vt verum fatear, nobiliſſimi Reges Petrum adorant, Iacobum viſitant, & ad eorum oſſa, ſeu reliquias ſe inclinant. Veriſſimum ergo verbum eſt; cum ſit Reginæ virginum (immo omniũ Sanctorum, & Angelorum) quæ portare meruit

*Luc. 1. e*

Dei Verbum dicentis: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles*. In quo verbo notantur principaliter duo. Primum eſt depreſſio perſonarum ſublimium, quæ per ſuperbiam tumuerunt. Secundum eſt erectio perſonarum humilium, quæ ſe propter Deũ deiecerunt. Primi ſunt mali; & ideo fugiendi. Secundi ſunt boni; & ideo imitandi. De primis dicitur: *Depoſuit potentes*. De ſecundis adiungitur: *Et exaltauit humiles*. Sed quia nunc nobis eſt ſermo de Sanctis, omiſſis primis, dicamus aliquid de ſecundis: quia cum de vno agitur, per conſequens de quolibet aliquid tangitur. Cum enim humilitas, & ſuperbia contrarientur ſibi, dum humilitas exaltanda oſtẽditur; ſuperbia deteſtãda relinquitur. Quidquid enim dicitur a medicis in laudem ſanitatis, redundat in vituperium ægritudinis. Verum, quia in commendationem humilitatis multa dicta ſunt ſupra, ideo hic videamus, quæ ſunt ad humilitatem inducentia: quæ ſunt maxime tria. Primum eſt, conſideratio Dei: Secundum eſt, conſideratio ſui: Tertium eſt, conſideratio proximi: Vt ſic conſideretur bonum ſupra, bonum intra, & bonum infra.

Primum eſt, conſideratio Dei, quæ erit ſub triplici ratione. Primo, ſub conſideratione Factoris: Secundo, ſub conſideratione Redemptoris: Tertio, ſub conſideratione Vltoris: Vt; ſcilicet conſideratio prima ſit de Dei omnipotẽtia: Conſideratio ſecũda ſit de Dei miſericordia: Conſideratio vero tertia ſit de Dei iuſtitia. Dicamus ergo primo, quòd ſi vis humilis fieri; conſidera Dei potentiã, quæ nos fecit:

*Pſal. 99. a*

Quia ipſe fecit nos, & nõ ipſi nos, vt Pſalmus dicit: Nos oues paſcuæ eius. Hæc eſt enim pro omnibus

*Iſa. 65. d*

nobis confeſſio. Nunc (inquit) Domine, pater noſter es tu: nos vero lutũ. Tu factor noſter: nos opera manuum tuarum. Omnes ergo nos, ſi lutum ſumus, neceſſario habemus nos humiliare: quia nihil in nobis eſt, ex quo ſuperbire poſſimus.

*1. Cor. 4. a*

Apoſtolus: Quid (inquit) habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti; quid gloriaris, quaſi non acceperis? In ſolo ergo Deo eſt præ omnibus gloriandum: & nobis non reſtat, nec aliquid ſupereſt, niſi quòd ſimus humiles, diuinæq. potentiæ ſemper laudatores. Vnde

*1. Pet. 5. b*

dicitur: Humiliamini ſub potenti manu Dei. Cuius rationẽ Auguſtinus aſſignat ſuper Geneſim dicens: Ipſi omnia bona noſtra ſunt tribuenda, qui vocat, qui præcipit, qui viam veritatis oſtendit, qui vt velimus inuitat, & vires implendi ea, quæ præcipit, ſumminiſtrat. Sed non eſt hodie, qui recogitet iſta: non eſt, qui de bonis acceptis laudet donantẽ po-

*Deut. 32. a*

tentiam. Sed ſunt multi, qui dicunt illud: Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.

*Pſal. 11. a*

Qui dixerunt: Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra a nobis ſunt: quis noſter Dominus eſt? Secundo, ſi volumus humiliari; conſideremus diuinam miſericordiam, quæ nos redemit. Nam de

*Iſa. 53. b*

ipſo Redempore dicitur: Nos reputauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum a Deo, & humiliatũ. Vnde nec reputauimus eum. Ergo fratres chariſſimi, ſi Dominus Saluator noſter ſic eſt humiliatus propter ſalutem noſtram; quis hominũ audet plus

*Aug. to. 10. ſerm. 41. in Euang. Ioan.*

contra eum ſuperbire? Auguſtinus: Si bene ſe humiliauit Dei poteſtas; ſuperbire quomodo audebit humana infirmitas? Conſtat non eſſe iuſtum, non eſſe vſitatum; ſed rationi contrarium, & a iuſtitia alienum: vt ſit ſeruus ſupra Dominum, & diſcipulus ſupra Magiſtrum, viliſſimus ſupra Deum. Ergo, vbi ſe Deus inclinauit; quis hominem ſe erigere audebit? Vnde & Apoſtolus hoc conſiderare docet,

*Philip. 2. a*

cum dicit: Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo: humiliauit ſemetipsũ, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Si ergo Dominus,

nus, & Rex noſter humiliauit ſe vſque ad carnis noſtræ ſuſceptionem, vſque ad diaboli tentationem, vſque ad irriſionem, vſque ad corporis flagellationem, vſque ad conſpuitionẽ, vſque ad coronæ ſpineæ coronationem, vſque ad viliſſimæ mortis tolerationem; quis de cetero audeat ſuperbire? Bernardus: Quid intumeſcis o pellis morticina? quid extenderis o tabies fœtida? quid inflaris o caro miſera? princeps tuus eſt humilis, & tu membrum inflaris? Camelus genua flectit, dum a ſuo domino onus accipit, a quo nihil accepit, ſed nec expectat in fine aliquod laboris munuſculum: & tu vilis non te humiliabis ei, a quo accepiſti eſſe, viuere, ſentire, & intelligere, & totum mundum in poſſeſſionem? Tertio, ſi humiles volumus fieri; attendamus diuinam iuſtitiam, qua malos affligit: Nam cum iuſtitiæ tempus aduenerit, ſic ſeuerus erit, quod nullis precibus, nullisq. donis poterit inclinari. Nonne pro vno motu cordis, nobiliſſimos Angelos de cælo eiecit? Nonne pro modico cibo primos parentes de paradiſo eiecit? Ergo qui maioribus non pepercit, quomodo & vilioribus parcet membris? Et propterea dicitur: Humilia valde ſpiritum tuum. [*Eccli.7.b*] Nam ſicut Iſidorus dicit: Humilitas caſum non nouit. Quare? Quia, vt ſupra dixi, nullus cadit, niſi ab alto: quare, cum humilis ſituetur tantum in imo; nõ eſt, a quo cadere poſſit, locus. Dicebat enim quidam ſanctus Pater, quòd talem cogitationem deberet homo facere, qualem facit ille, qui eſt in carcere, expectans continue iudicem, qui eum veniat punire, & occidere: ſemper enim videtur ſibi, quòd præco clamet, campanam pulſet, quòd vocetur, vt exeat, vt collum extendat, vt ictum mortis accipiat: numquam talis riſibus vacat: numquid ſolatia poſtulat? numquid de peccatis non quidem raro, ſed continue plorat, & diuinum auxilium totis affectibus implorare non ceſſat? Ergo & nos noſtrum iudicem cogitemus citiſſime affuturum: quia forte, dum loqueris, morieris: [*Iſa.6. c*] Quid homo ſuperbis? Hodie es, & cras forte non eris: Hodie viuis, & cras morieris. Eſto (inquit) paruulus in oculis tuis, vt in Dei oculis magnus ſis. Quia tanto es apud Deum pretioſior, quanto es ante oculos tuos deſpectior. Sic ergo patet cauſa motiua, quæ ſumitur ex parte Dei.

Secunda cauſa humilitatis ſumitur ex parte noſtri. Nam ſi humiles eſſe volumus, noſipſos vlterius conſiderare debemus, vnde venimus, vbi ſumus, & quo ibimus. [*Bern. to.1. ſer. de primord. med. & nouiſſi.*] Bernardus: Conſidera vnde venis, & erubeſce: vbi ſis, & ingemiſce: quo vadis, & cõtremiſce. Vnde dicitur: Humiliatio tua in medio tui; [*Mich. 6. d*] quaſi dicat: Quid per diuerſa vagaris? quid diuerſa inquiris? apud te habes, vnde te humilies. Cogita ergo de qua materia generatus ſis, de quo abominabili cibo nutritus ſis, cum quali veſte ſis natus, quibus curis expoſitus, ad quem finem neceſſario ſis venturus, & mirum erit, ſi ſuperbire audebis. Nam etiam Bernardus, adhuc ita ait: O mira vanitas, o mira fatuitas cordis noſtri, cuius elationem non perfecte dirimere, nec ceruicoſos poteſt domare tanta humilitatis materia, quin adhuc ſuperbiat vilis cinis! [*Eccl. 10. a*] Quid (inquit Eccleſiaſticus) ſuperbis terra, & cinis? Vtinam exemplum pauonis attenderet homo, & ſua humilitate ſuam ſuperbiam coarctaret: [Exemplũ.] Nam pauo, dum caudam erigit oculatam; plurimum gloriatur in ea: quia reuera eſt valde pulchra, intantum vt homo ſe ea ornet, & ſibi inde faciat ſertum: dum autem ad pedes, quos turpes habet, oculos flectit; verecundia ductus ſuæ turpitudinis, mox caudam deponit, & totam deſtruit, quam erexit. Sic homo, cum de quocumque bono ſuperbit; ſi oculos ſuos ad vilia ſua deflexerit; ad humilitatem facillime ſe inclinabit. ‖ Bernardus: [*‖ Bern. to.1. ſerm. in feria 4. hebdomadæ pœnoſæ.*] In ſordibus generamur, in tenebris confouemur,

A maters noſtras plurimum oneramus, in doloribus parturimur, & in noſtro exitu ventres more vipereo laceramus: Nudi naſcimur, membris omnibus impotentes, mundo exponimur, & a ploratu vitam incipimus, & cum ploratu vitam finimus. Vnde ergo corpus hominis gloriatur cum ſit ſaccus ſtercorum, cibus vermium, & materia puluerum fœtidorum? Numquid es cæcus o homo, nec vides, quia ſentinam fœtoris ad naſum ſemper fers? Quare non attendis, quòd arbores, ſiue herbæ de ſe producunt odores; tu de te nihil producis niſi fœtores? Illæ producunt fructus viſu pulcherrimos: tu vero B lendes, & pediculos, & lumbricos? Ergo iuxta dictum Propheticum: Humiliatio tua in medio tui. [*Mich.6.c*] Sic eſt ex parte naturæ: ſed quid eſſet ex parte culpæ; ſi diuinas offenſiones vellemus attendere? Vnde dicebat Daniel: Humiles ſumus in vniuerſa terra, Domine, propter peccata noſtra. [*Dan. 3. d*] Si ſe humiliant beſtiæ, dum dominos ſuos offendunt; & donec ſatisfecerunt, eleuare oculos non præſumunt; quid ſit hominibus faciendum, ipſo facto beſtiæ oſtendunt. Exemplum de hoc accipe leonis ſancti Hieronymi; [*In vita B. Hieronymi, quæ in fine operũ ipſius habetur to. 9.*] quod in eius Legenda narratur: quod hic propter breuitatem omittam.

C Tertia cauſa ad humilitatem motiua accipitur ex parte proximi. Melius enim homo ſua mala, quàm proximi mala nouit: Et ideo ſi omnes attenderent, inuenirent copioſam materiam humilitatis: Nam de malo proprio certus eſt homo, ſed poteſt ſemper dubitare de alieno: quia poteſt eſſe, quòd quem ſtatim vidiſti peccantem, mox habuerit gratiam expiantem. Et propterea dicitur ad Philippenſes: [*Philip.2. a*] In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes. Bernardus: [*Bern. to.1. ſerm. 37. ſup. Cãtic.*] In anima non eſt timenda quantacumque humiliatio: ſed eſt horrenda, in totumq. pauenda nimis præſumpta erectio. Et concludit ex hoc diD cens: Noli ergo o homo te cõparare maioribus, noli minori, non alicui, noli vel vni. Sed diceret aliquis apud ſe: Quomodo poſſum cum conſcientia cogitare (ſi me videam innocentem, neminem offendentem) quòd ego ſim peior, quàm ille, quem ego video facere omnia mala mũdi? Sed habeas ad hoc conſiderationẽ, & ſancti Franciſci reſponſionẽ. [Exemplum inſigne de humilitate.] Fuit enim quidam Pater in extaſi raptus, cum quamdam ſedem altiſſimam vidiſſet in cælo, quam audiuit humili ſeruari Franciſco: volens, poſtquam ad ſe redijt, probare; quæſiuit ab eo, quid de ſe ſentiret. Cumq. vir humillimus ſe maximum omnium E peccatorum aſſereret; Ille ait: Cum qua conſcientia potes hoc dicere, cum ſint innumeri homines, qui peiora faciunt, quàm tu facias? Ad quem vir Sanctus ait: Ego puto, quòd nullus ſit in mundo ita peccator, qui non eſſet melior, & operaretur melius, ſi Dei dona, & gratiam accepiſſet, quam ego habeo a Deo. Reuera conſideratio nobiliſſima: non debet homo conſiderare, ſi vult humilis eſſe; ille fur eſt, & latro, fornicator, & homicida: ſed ego non facio talia. Sed debet dicere: Si ille accepiſſet gratiã, quam ego accepi, melior me fuiſſet. Item ſit alia reſponſio: Si Dominus me deſeruiſſet, ſicut illum F deſeruit; illo peiora feciſſem. Auguſtinus: Non eſt peccatum, quod faciat vnus homo, quod non faceret alter homo, ſi deeſſet auctor, a quo factus eſt homo. Vnde dicit in libro Confeſſionum quòd tantum, vel plus tenetur Deum laudare, Deoq. ſeruire, qui numquam peccauit, quàm qui omnia mala fecit, quem & Dominus per gratiam liberauit. Exemplũ exponit de medico, & duobus hominibus, [Exemplũ.] quorũ vnum medicus non permitteret infirmari, alterũ infirmari permitteret, ſed curaret: Dicit enim quòd maius eſt beneficium primi, quàm ſecundi. Et propter hæc omnia dicit Bernardus: [*Bern. to.1. ſerm. ſup. Cantic. 40.*] Si videris fratrẽ tuum peccantem, excuſa actũ, ſi potes: ſi non potes, excuſa intentionẽ dicens: Non mala intentione hoc fecit.



fecit. Si vero & hoc non potes, quia ibi nulla bona intentio eſſe poteſt; dicas: Grauiſſima fuit tentatio, quid feciſſem ſi in me irruiſſet? Simus ergo humiles fratres: quia per ſolam humilitatem ius nobis acquirimus apud Deum. Bernardus: Apud Deum, fratres, ius habere non poſſumus, quoniam in multis eum offendimus: ſed nec eum fallere poſſumus, quia ipſe nouit abſcondita cordis noſtri: nec ei reſiſtere poſſumus viribus, cum ſit potentiſſimus. Quid ergo nobis reſtat, niſi ad humilitatem confugere? & quod in alijs minus habemus, de ipſa ſupplere debemus, &c.

# DE VNO S. CONFESS.

## SERMO V. & in ordine XXVII.

[*Iac.vlt. d*] ORate pro inuicem, vt ſaluemini. Vltimum Sanctorũ refugium oratio eſt: In campo enim certaminis militamus, ſine pugna eſſe non poſſumus: fortiſſimum, & ſagaciſſimum hoſtem habemus. Qui (vt Gregorius [*Greg. to.2. expoſit. moral. lib.24. in 33. cap. Iob.*] dicit) illos ſolum impugnare negligit, quos quieto fœnore ſe poſſidere ſentit. More enim leonis in Sanctos deſæuit, contra eos fortiſſime rugit, vt quem deuoret, ſollicite quærit. Non enim comedit, neque bibit, nullo vmquam tempore dormit: ſed ſemper ſuſpirat ad prædam. Cum ergo ipſe ſit fortiſſimus, & nos infirmi; Ipſe ſagaciſſimus, nos ignari; Ipſe ſolertiſſimus, nos negligentes, & pigri; neceſſe haberemus ſuccumbere, ſi nobis auxilium diuinum non adeſſet. Vt ergo diuinum auxilium imploremus; neceſſe eſt nobis, vt oremus. Et propterea Apoſtolus, frater Domini dictus; eo quòd fuit ei ſimillimus; in verbo præmiſſo notabiliter duo facit. Primo, inuitat ad mutuum charitatis officium, quo plurimum indigemus in via. Secundo, ſui dicti cauſam aſſignat, & fructum, quem conſequitur in Patria. Primum reſpicit ſtatum pugnæ, quam continue experimur: ſed ſecundum reſpicit ſtatum gloriæ, & coronæ, qua Deo in cælo perfruimur. Inuitat ergo primo nos ad orationem mutuam, cum dicit: *Orate pro inuicem*. Secundo, aſſignat rationem, & cauſam, cum additur: *vt ſaluemini*. Ad hoc enim pro inuicem orare debemus, vt ſalutem conſequamur. Sed nota, ad hoc quòd oratio Deo ſit grata, quadruplici conditione debet eſſe veſtita. Nã primo, debet eſſe deuota: Secundo, debet eſſe ſecreta: Tertio, debet eſſe importuna: Quarto debet eſſe continua. Vt ſic ſit deuota, quantum ad ſeipſum: ſit ſecreta, quantum ad laudis impulſum: ſit importuna, propter inſtantem actum: & ſit continua per affectum. Nam ſi ceſſet aliquando actus, numquam debet tamen ceſſare affectus.

Dicamus ergo, quòd oratio debet eſſe deuota, vt ſit tota ignea, ſit lacrymis perfuſa, & ad modum aquæ bulliẽtis feruida. Oratio ſic facta nullã poteſt a Deo pati repulſam: quia ſicut dicit Bernardus, Oratio Deum vngit; ſed lacryma pungit. Exemplum huius orationis nobis in cruce Dominus tradidit. [*Heb.5. b*] Vnde ad Hebræos: In diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationesq. ad Deum, qui poſſet illum a morte ſaluum facere, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Si ergo Dei filius plorauit, quis amplius orare audeat ſiccis oculis? Nam & de eodem iam paſſioni [*Luc.22.e*] proximo dicitur quòd factus in agonia, prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Cogita, o anima Chriſtiana, qualis debeat eſſe oratio tua; quàm calida, quàm deuota: cum tam feruens fuerit oratio Saluatoris, quòd eum in ſudorẽ adduxit! Quis vmquam ſic orauit! Qui autem deuote cum lacrymis orat,

A impetrat omne quod poſtulat: Dauid orans largiter fleuit, veniam a Domino impetrauit. [*1.Reg.1. d*] Nonne Petrus, poſtquam Chriſtum negauit, dum amare fleuit; veniam negationis accepit? [*Luc.22.g*] Nonne Magdalena, quæ peccatis omnibus plena fuit, veniam ſibi pro peccatis, & gratiam obtinuit, poſtquam lacrymas fudit? [*Luc.7.g*] Nonne Ezechias, Rex Iuda, oratione, & lacrymis ſententiam diuinam mutauit; [*Iſa.38.b*] mortem ſibi prophetice nunciatam euaſit, vitæ longitudinem meruit, & regreſſum ſolis in ſignum accepit? Quid eſt ergo, quod oratio deuota non poſſit? Nonne, vt habetur, Helias orando cælum clauB ſit, & iterum ipſum orando aperuit. [*3.Reg. vlt. a Iac. 5. d*] Nam quidam quodam tempore dixit gemens cuidam ſeni: Affligimur, Pater, propter ſiccitatem: quia nõ pluit: Cui ſenex dixit: Credo, quòd non deuote oratis: Et ſi vis ſcire, quia ſic eſt, venite oremus pariter. Cumq. manus ad cælum tetendit, continuo pluit. Nota exemplum de Tobia: [*Tob.3.a. et ſequẽtibus.*] qui cum lacrymis Deum orans, meruit exaudiri. Item dicitur de Beato Arſenio, [*Sur. to.4. die 19. Iulij circa fin. vitæ.*] qui omni tempore vitæ ſuæ etiam ſedens, ad opus manuum ſuarum pãnum tenebat in ſinu, propter lacrymas ab eius oculis defluentes: Vnde dum iam mortuus eſſet Arſenius, Paſtor de eo dixit: BeaC tus es, Arſeni, qui te in hac vita fleuiſti, vt non fleres in alia. Impoſſibile eſt enim nobis hic ridere, & ibi non flere. Vnde Dominus: [*Luc.6.d*] Beati qui lugetis, quia ridebitis: & væ vobis qui ridetis, quia flebitis. Vnde Macarius dicebat fratribus: Producant oculi veſtri lacrymas, antequam illuc veniamus, vbi lacrymæ noſtræ noſtra corpora comburunt. Quanto quiſque ſanctior eſt, & ſancto deſiderio plenior; tanto eſt in orando eius fletus vberior.

Secundo, oratio debet eſſe ſecreta, vt non quærat orans laudem humanam, ſed tantum diuinam. In cuius exemplum, vt habetur, Dominus, relicta [*Luc.9.d*] D turba, aſcendit in montem ſolus orare: Dominus enim (vt Gregorius dicit) [*Greg. to.3. lib. 1. dial. cap. 9.*] dum aliquid tacitus faciebat; quid nobis faciendum eſſet, oſtendebat. Quia omnis eius actio, eſt noſtra inſtructio: Hæc eſt enim doctrina, quam tradidit Apoſtolis: [*Mat.6. a*] Cum oratis, non eritis ſicut Hypocritæ triſtes, qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Exemplum Tobiæ, [*Tob. 3. a*] qui orare E volẽs, iuit in ſuperius cubiculũ domus ſuæ, vt videri nõ poſſet. Superbia enim, & humanæ gloriæ appetitus, meritum tollit orationis, & hominem cadere facit. Nam & quidam fuit Sanctus, qui ob meritum orationis ad tantum culmen gratiæ peruenit, quòd de cælo mittebatur ſibi quotidie panis, quo reficiebatur paululum poſt orationem: ſemper enim dum orationem compleuerat, cellam intrabat, & panem ſibi albiſſimum, & ſapidiſſimum paratum inueniebat, quem deuote comedebat. Poſtquam autem mentem ſuperbia inuaſit, vt donum Dei, ſuis appropriaret meritis; mox permiſſione diuina, pulF ſare eum cogitationibus immundis diabolus cœpit: Cumq. ſibi orare non ſaperet, & circa iam carnalia animum volueret, & poſt orationem cellam intrauit; panem inuenit paratũ, ſed totum ſordidum, & infectum, quaſi a ſerpentibus eſſet corroſus: Cumq. hoc ſignum pluries inueniſſet, compunctus corde non eſt; ſed deſperans, cella dimiſſa, ad mundum redibat. Cumq. ad quoddam monaſterium appropinquaſſet, illi eius aduentum præſcientes, ei tamquam ſanctiſſimo Patri omnes obuiam proceſſerunt: erat enim famoſiſſimus apud omnes: Quem cum, quãto melius poterant, refeciſſent; verbum admonitionis poſtularunt ab eo: Cumq. optime prædicaſſet, ad ſe reuerſus fuit; & ait: Quod alios doces, teipſum non doces?

doces? Diuina ergo gratia tactus, valefaciens fratribus, ad cellam redijt: & tamdiu plorauit, quouſque a Deo miſericordiam impetrauit. A

Tertio, oratio debet eſſe importuna, vt ipſa nimia importunitas, quod petit accipiat: Nam & ipſe Dominus docet multis exemplis ſic importune eſſe orandum. *Luc. 11. a* Vnde: Cum diſcipuli Domino dicerent: Doce nos orare: Et cum illos Dominicam orationem docuiſſet; addidit ibi: Quis veſtrum amicum habebit, & ibit ad illũ in media nocte dicẽs: Amice cõmoda mihi tres panes; vſque ibi: Et ſi ille perſeuerauerit pulſans: dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens eo quòd amicus eius ſit; propter tamen im B probitatem eius ſurget, & dabit ei quotquot habet neceſſarios? *Luc. 11. b* Et concludit: Et vos petite, quia accipietis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. In quorum occultatione verborũ importunitatem valere oſtẽdit. Vnde exemplum aliud ponit dicens, *Luc. 18. a* quòd erat iudex quidam, qui Deum non timebat, & hominẽ non reuerebatur: Cumq. quædam vidua ab eo peteret, vt eam vindicaret de aduerſario ſuo, & illi non attenderet: dum mulier non ceſſaret, ſed inceſſanter eum affligeret; ille intra ſe ait: Etſi Deum non timeo, & hominem non reuereor: quia tamen mihi moleſta eſt mulier, C vindicabo eam. Et concludit dicens: Si hoc fecit iudex iniquitatis, Dominus non exaudiet ſeruos ſuos clamãtes ad ſe? quaſi dicat: Certum eſt quòd exaudiet. Quia ſicut dicit Gregorius: Qui nos ad petendum inuitat, vtique dare deſiderat: ſi enim dare non vellet, quomodo ſic inſtanter ad petendum inuitaret? Apud nos enim prouerbium eſt quòd importunus vincit auarum; & ſi auarum, qui non libenter dat; quanto fortius Deum, qui ad petendũ inuitat? *Mat. 15. c Mar. 7. c. d & 11. c* Exemplum de Chananæa, cui petenti miſericordiam Dominus non reſpondebat: Sed quia petere non ceſſauit, ſed importune inſtitit; omne D quod voluit, impetrauit. Ad hoc membrum poſſet reduci quod in fine, Chananææ reſponſum eſt; ſcilicet, vt orans non hæſitet in fide, ſed fideliter credat, ſeq. ſperet accepturum: quia Dominus docuit ita eſſe orandum: *Mar. 11. c Iac. 1. a* Quidquid poſtulaueritis, credentes accipietis, & fiet vobis a Patre meo. Et: Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: qui autem hęſitat, ſimilis eſt fluctui maris, &c.

Quarto, oratio debet eſſe continua: vt ſicut numquam deficit pugna; ſic numquam ceſſemus petere miſericordiam: Numquam miles exiſtens in pugna, deponit arma ante obtentam victoriam. E Sed arma noſtra ſunt orationes, quibus contra aduerſarium pugnamus, & diuinum auxilium impetramus. Ergo, antequam vincamus, ceſſare ab orando non debemus. Verum ante mortem nulla certa eſt victoria, quia ſemper reſtat pugna: ergo ab oratione non eſt ceſſandum ante mortem. Vnde dicit *Theſſ. 5. c* Apoſtolus: Sine intermiſſione orate. Et Dominus *Luc. 6. b* in noſtrum exemplum pernoctabat in orationibus. *1. Reg. 12. d* Vnde & filij Iſrael dicebant Samueli: Non ceſſes pro nobis ad Deum orare. Sed forte dices: quomodo poſſum ſemper orare? Numquid non neceſſe eſt manducare? numquid non neceſſe eſt laborare? F numquid non opus habemus dormire? Sed attende ſecundum Auguſtinum quòd non deſinit vmquam orare, qui nõ deſinit benefacere. Plus eſt enim orare corde, & opere; quàm ore. Non ergo orare deſinit, qui benefacere non deſiſtit. Vnde vir Sanctus, ſiue ſit operans, ſiue manducans, ſiue dormiens, cum iſta omnia propter Deum faciat, vt ſeruire Deo melius valeat, vtique ſemper orat. Ad hoc enim dormit, vt poſtea melius in ſeruitio Dei vigilare poſſit: Ad hoc manducat, vt Deo ſeruiat, vt pondus pœnitentiæ portare valeat: Sine his enim, cum ſint de neceſſitate naturæ, non poſſumus Deo ſeruire. Ergo ſemper eſt orandum, quia ſemper bene-

*Aug. to. 10. hom. 4. ait: Vere nouit recte viuere, qui recte nouit orare.*

A faciendum, & Deo ſemper ſeruiendum. Sed hic eſt notandum, quòd ſi volumus orare; debemus nos prius præparare, omnia exteriora dimittere, & ad intimum animi reducere, ibiq. oculos cordis ad Deum dirigere, & nihil aliud, quàm de Deo cogitare. Vnde dicitur: *Eccli. 18. e* Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe ſicut homo, qui tentat Deũ. Eſt ergo purganda anima orantis a tribus. Primo, a mentis elatione: Secundo, a carnis delectatione: Tertio, ab exteriori occupatione. Numquam enim poterit oratio Deo eſſe grata, ſi oranti affuerit elatio mentis, ſi delectatio carnis, ſi cogitatio rei tem- B poralis, & familiaris. Dico quòd antequam ad orationem accedas, purganda eſt anima ab omni elatione mentis per veram humilitatem cordis. *Luc. 18. b* Si enim Deus ſuperbis reſiſtit, quomodo eos orantes exaudit? Vnde exemplum ponitur de duobus hominibus, qui aſcendebant in templum, vt orarent: vnus Phariſæus; alter Publicanus. Phariſæus ſuperbus; Publicanus humilis, qui longe ſtabat, pectus percutiebat, oculos non leuabat, & miſericordiam poſtulabat. Sed econuerſo Phariſæus quantum poterat, corpore approximabat, corde ſuperbo orabat, in oratione ſua bona iactabat, & proximum con- C temnebat. Phariſæus igitur peccator receſſit; vbi Publicanus omne quod petijt, impetrauit. Quia, ſicut dicit Auguſtinus, Facile meretur veniam, qui ex reuerentia ſe ſubtrahit ab altari. *Eccli. 35. d* Oratio humiliantis ſe, nubes penetrat, & donec appropinquet, non conſolabitur: & non recedit, donec aſpiciat Altiſſimus: & ideo Dominus non elongabit. *Pſal. 101. c* Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum. Habet neſcio quid latentis virtutis vox dulcis, & humilis; ita vt iratorum impetus frangat, & ad manſuetudinem ducat. *Eccli. 6. a* Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. *Prou. 15. a* Et iterum: Reſponſio D mollis frangit iram. Secundo, anima eſt purganda ab omni delectatione carnis: Numquam enim bene orat, qui carnalia cogitat, ſiue quem caro delectat: vnde nec impetrat a Deo quod poſtulat. *Iſa. 1. d* Cũ multiplicaueritis orationes veſtras, non exaudiam: Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine. In ſanguine, carnalem delectationem intellige. Vnde etiam orabat Propheta: *Pſal. 50. c* Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ. *Exemplũ.* Exemplum de hoc accipe de Iudith, *Iudith 12. a* vbi dicitur quòd Iudith primo ſe lauabat in fonte aquæ, & ſic aſcendebat adorare Deum. *Exempla.* Ciconia poſtquam fuerit adulterata, ſiue carne fœdata; E ad virũ non audet redire, niſi prius fuerit lota aqua. Similiter nec Leæna ad Leonem: Quomodo anima a carnalitate non lota ad Deum accedere erit auſa? Exemplum habere poteris in Eſther orante, ſi eius hiſtoriam volueris legere. *Eſther 14. & ſequen.* Tertio, purganda eſt anima ab omni tumultu rei familiaris. Vnde dicitur in libro de Spiritu & anima quòd anima debet ſe retrahere ab omnibus ſenſibus corporis, tamquam impingentibus, & perſtrepentibus, & redire ad ſe mentis acies. *Aug. to. 3. lib. de Spiritu & anima. cap. 2.* Nam ſicut nubes interpoſita inter nos & ſolem, non ſinit ſolares radios ad nos deſcendere; ſic tumultus cogitationum, diuinos radios ſub- F trahit ab aſpectu animæ, ſine quibus anima non poteſt ſollicite orare. Vnde dicitur de talibus: *Threñ. 3. e* Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio. Quantumcumque enim quis oculos ad cælum leuet, numquã radij viſuales ad Solem peruenient, ſi in medio ſpatio fuerit interpoſita nubes. Vnde quidam ſanctus Pater dicebat: *Exemplũ.* Sicut impoſſibile eſt, vt videat in aqua turbida quis faciem ſuam; ſic anima niſi fuerit purgata a cogitationibus vanis, Deum bene orare, vel contemplari non poterit. Nam videmus in aqua non mota, ſed bene quieta: vbi ſicut in ſpeculo videt homo faciem ſuam, &c.

DE



# DE PLVR. SS. CONFESS. A

## SERMO I. in ordine XXIIX.

*1. Cor. 1. a* IN *omnibus diuites facti eſtis in illo.* Tria diuitiarũ genera eſſe clamat omnis Scriptura diuina. Nam quædam ſunt diuitiæ æternales: Quædã ſunt diuitiæ ſpirituales: quædam ſunt diuitiæ temporales. Nam diuitiæ æternales ſunt diuitiæ glorioſæ: *Pſal. 111. a* Gloria, & diuitiæ in domo eius. Diuitiæ ſpirituales ſunt diuitiæ gratioſæ. Et de his dicitur in Themate; quæ non ſunt B aliud, quàm diuinæ virtutes, & gratiæ, quibus repletur anima Sanctorum. De his dicitur per contrarium: *Luc. 12. c* Sicut eſt ille, qui theſaurizat, & non eſt in Deum diues; talis eſt omnis, qui diuitijs ſpiritualibus carens, poſſidet ſolum diuitias temporales. De primis duobus generibus diuitiarum, quibus ſunt diuites viri ſancti; Thema aſſumptum eſt. In quibus deſcribitur ſtatus, & vita Sanctorum. Primo, ex parte largientis: Secundo, ex parte gratiæ ſanctitatis: Tertio vero, ex parte copioſitatis donorum innumerorum. Nam Sancti ex donantis potentia facti ſunt famoſi, & ex donorum copia facti ſunt C fructuoſi. Notatur autem primo diuina auctoritas, vel poteſtas, cum dicitur: *In illo*, ideſt in Deo. Qui ſicut Sanctis naturam; ita contulit & gratiam. Secundo, notatur animæ ſanctitas, cum interponitur: *diuites facti eſtis*. Tertio vero donorum copioſitas, ſiue vniuerſalitas, cũ præmittitur: *In omnibus*. Adeo enim diuites fuerunt; vt (ſicut ibidem dicit Apoſtolus) nihil deeſſet eis in omni gloria, vel in vlla gratia. Tertium vero genus, ſunt diuitiæ temporales, & ſunt diuitiæ oneroſæ. Vnde dicitur in Pſalmo: *Pſal. 61. b* Diuitiæ ſi affluunt, nolite cor apponere. Sancti ergo ſunt, qui nunc poſſident diuitias æternales, & D habuerunt diuitias ſpirituales in via, & contempſerunt omnino diuitias temporales. Et hoc triplici ratione. Primo, quia vanæ & inefficaces: Secundo, quia nociuæ & inutiles: Tertio, quia ſunt infirmæ & debiles, ſiue potius impotentes.

Dico quòd ideo Sancti diuitias temporales contempſerunt: quia ſunt penitus falſæ, vanæ, & inefficaces, quia illud non faciunt, ad quod ſunt. Philoſophus enim in Meteorologicis docet, quòd omne, quod non facit, ad quod erit, deſinit eſſe, quod eſt. *Ariſt. to. 4. lib. 4. Meteorol. cap. vltimo.* Lux enim, ſi non luceret; quia ad hoc eſt, lux eſſe deſineret. Similiter ignis, ſi non calefaceret, E ignis eſſe ceſſaret. Ergo, ſi diuitiæ non illud, propter quod requiruntur, efficiunt, tamquam quæ nihil ſunt, a ſapientibus contemnendæ ſunt. Stultus enim eſſe probatur, qui vtitur aliquo ad aliquid, cuius virtus eſt ad oppoſitum. Nonne ſtultus medicus eſſet, qui patienti dyſenteriam, aliquod laxatiuum, & non ad reſtringendum materiam daret? Nonne ſtultus eſſet, qui ſitim vellet extinguere, & ſal manducaret, cuius eſt ſitim incendere, & non extinguere? Ergo & a ſimili, ſtultus eſt, qui volens animæ capacitatem implere, & ſitim habendi extinguere; ſi non deſinat cõgregare, cum hoc ſitim non F auferat, ſed magis augeat, & ſemper maiorem inducat. Poeta:

*Dyſenteria eſt inteſtinorũ exulceratio. Cic. Gallo lib. 7. Plin. lib. 22. c. 25.*

†*Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.*

*†Iuuenalis lib. 5. Satyra 14.*

*Eccli. 5. b* Vnde dicitur. Auarus non impletur pecunia. Cuius dicti ad præſens duplex eſt ratio: Vna ſumitur ex parte pecuniæ: alia ex parte animæ. Eſt ergo ratio prima, quare pecunia non ſatiat animam: quia eſt res vana. Si enim de homine dicitur, quòd *Pſal. 38. b* vniuerſa vanitas omnis homo viuens, propter quem pecunia facta eſt, quanto magis ipſa pecunia vanitas eſt? *Eccls. 1. a* Iterum ſi omnia vanitas, Salomone teſte; ergo & pecunia vanitas eſt. Sed conſtat, quòd vanum non replet locum. Vnde vmbra, quæ eſt va- A na, nullius loci eſt repletiua. Ergo ex pecunia tota vana non poteſt repleri anima. Quare anima, congregata quantacumque pecunia, ſemper remanet vacua: & cum nihil vacuum patiatur natura; tunc ſemper homo attrahit, nec repleri poteſt, & numquam congregare deſinit, donec viuit. *Ariſt. to. 7. Problemat. ſect. 9. q. 9.* Alia ratio eſt ex parte animæ; cum ſit (quemadmodum dictũ eſt) capacitatis infinitæ, ſolo ſummo bono repleri poſſibilis. Nulla eſt enim commenſuratio finiti ad infinitum. *Ariſt. to. 4. lib. 1. de Cælo. tex. 64. & tex. 52. & 3. Phyſic. tex. 15.* Quare ſi anima eſt capacitate infinita; omnis autem mundi pecunia eſt finita; impoſſibile eſt, vt repleatur ex ea: immo ſi multiplicaretur ſem B per pecunia, adhuc tamen ſemper eſſet finita; ſemper anima remaneret vacua. Etiam poſſet dici, quòd appetitus hominis ſe habet ad diuitias, ſicut inteſtinum ventris ad cibariorum delicias: Nam ſtomachus eſt talis naturæ, quòd ſi pauca recipit, ſe reſtringit, & paucis contentus fit: ſed quanto plura cibaria accipit, tanto amplius ſe extendit, & ad alia recipienda capacior ſemper fit. Vnde & ad litteram videmus, quòd magis in ſuis paucis contenti ſunt pauperes; quàm in ſuis multis diuites ſunt. Vnde Salomon vanitatem diuitiarum aſſignat, maxime a duobus: primo, ex parte poſſeſſoris; ſecundo ex C parte heredis. De primo enim dicitur: *Eccls. 5. c* Vbi multæ ſunt opes, multi ſunt qui comedunt eas. Et quid prodeſt poſſeſſori (inquit) niſi quòd cernit diuitias oculis ſuis? Ita enim ſua frumenta comedũt comites; ſicut & milites, ſicut & populares. Ergo quid vltra pauperem habet diues; niſi quòd diuitias oculis ſuis videt, quas oculis ſuis manducare videt ab alijs? Quanto enim diuitiæ ſunt plures, tanto diuites neceſſario pluribus comeſtoribus indigent: Et ſic ſuum poſſeſſorem faciunt magis indigẽtem, dum ad cuſtodiendum ſupellectile pluribus indigere neceſſe eſt eos, qui plurima poſſident. Ex quibus D apparet, quòd diuitiæ non faciunt hominem ſufficientem, ſed potius indigentem. Secunda ratio Salomonis ſumitur ex parte heredis. Nam relinquunt quidam ſuas pecunias viro iuſto, quidam viro ſtulto, quidam vero viro extraneo. Dico ergo, quòd aliquis eſt, qui præter propoſitum laborans in vanum, reliquit quod lucratus fuerit, viro iuſto. *Eccls. 2. d* Peccatori dedit Deus afflictionem, & curam ſuperfluã. Et addit: Et vt aggreget, & tradat ei, qui placuit Deo. Sed hoc, inquit, vanitas, & caſſa ſollicitudo mentis. Item vanum eſt, eo quòd relinquit aliquando viro ſtulto. Vnde iterum: *Eccls. 2. c* Deteſtatus ſum om- E nem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſime laboraui, habiturus heredẽ poſt me, quem ignoro; vtrum ſapiens, vel ſtultus futurus ſit: & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui, & ſollicitus fui. & eſt quidquam tam vanum? Item vanum eſt, quòd viro extraneo relinquit. Vnde dicitur: *Eccls. 6. d* Vir, cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ eius ex omnibus, quæ deſiderat; nec tribuit ei poteſtatem, vt comedat ex eo: ſed homo extraneus vorabit illud. Et hoc vanitas, & magna miſeria eſt. Et addit: Vnus eſt, & tamen non habet filiũ, non fratrem, & tamen labo- F rare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meã bonis? Et hoc vanitas eſt, & afflictio peſſima.

Secundo, diuitiæ non ſolum ſunt vanæ, & inefficaces: ſed etiam ſunt nociuæ & inutiles, vt Boetius: *Boetius de Cõſol. Philoſoph. lib. 2. proſa. 5.* Diuitiæ enim poſſeſſoribus ſuis ſæpe nocuerunt, cum timore ſeruantur, & cum dolore perduntur. O quot ſunt, quibus, quia diuites ſunt, ponuntur inſidiæ, capiuntur, ligantur, tormentis exponũtur, & occiduntur; vt ab eis quod lucrati ſunt auferatur. Vnde dicitur: *Eccls. 5. b* Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & ſaturitas diuitis non ſinit eum dormire. Et addit: Eſt & alia infirmitas peſſima ſub ſole: Diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui, pereunt

*† Ptiſana ē hordei cremor uel ſuccus, ſiue aqua, Plin. l. 18. c. 7. & li. 22. c. 25.*
*‖ Theriaca ex uiperina carne fit. Plin. lib. 20. cap. 24. & lib. 29. c. 4.*
*Eccl. 11. a*

eunt enim in afflictione peſſima: Filium generauit, qui in ſumma egeſtate erit, &c. Ex effectu eius, qui diuitias conſequitur, probantur diuitiæ eſſe inutiles, & nociuæ. Nam quòd vinum febricitanti noceat, † ptiſana vero conferat: quòd venenum hominem perimat, & quòd ‖ theriaca venenum expellat; quomodo ſcitur, niſi per effectum, qui iſta conſequitur? Ergo ex effectibus conſequentibus, quales ſint, diuitiæ, cognoſcuntur. Audi Apoſtolum: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli: & deſideria multa, & nociua, quæ mergūt in interitum, & in perditionem. Quid iſtis peius? Si de peccato agitur, audi Eccleſiaſticū: Si fueris diues, non eris immunis a peccato: Exemplum de Saul, qui antequam veniret ad regnum, non erat vir in Iſrael melior eo: ſed ditatus nō erat forte peior eo. Bernardus: Quis Dauid ſanctior? quis Salomone ſapientior? & tamen ſuccedentibus proſperis, vnus ex toto deſipuit: quia ſecundum Boetium, Magis timenda eſt fortuna proſpera, quàm aduerſa. Nonne dicitur: Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno? Quales ergo ſunt diuitiæ, quàm inutiles, & quàm nociuæ, & quàm totis affectibus fugiendæ; cum animam periculis multis exponant, gratiam auferant, peccatorem conſtituant, & vltimo ad inferna deducant?

*Boet. lib. 2. de Cōſolat. proſa 8.*
*Luc. 16. e*

Tertio diuitiæ ſunt infirmæ, & impotentes, nullos ſuos iuuando poſſeſſores ad vires habendas: Cuius debilitatis ratio ex hoc patet: Quandocumque enim aliquod agit ad aliqua operanda, ipſum oportet aliqua multa habere; quæ poſſent fieri ab alio æque per pauca; illa multa ipſi agenti primo ſunt vana: immo ſemper natura operatur per pauciora, quantum poteſt, vt Philoſophi docent. Ergo cum videamus, quòd qui vult temporalem neceſſitatem excludere, oportet eum diuitias innumerabiles congregare, nec ſufficiunt paucæ; certum eſt, eas valde debiles eſſe: maxime cū multæ non poſſint neceſſitatē excludere. Quòd autem multitudo in rebus ſingulis ſit ſignum debilitatis, multis probatur exemplis. Exemplum ergo primum accipe in natura: Nam videmus multa reptilia corpore exigua, multipedia, & vermes breues, & culices, in quibus propterea multi ſunt pedes, quia omnino valde ſunt debiles. Quare, ſi cum debilitate pauci eſſent pedes, corpora ſuſtētare non poſſent: & ſic greſſum, & per conſequens vitam perderent. Sapiens ergo natura, quia talibus crura proportionabilia dare nō poteſt; debilitatem multitudine pedum ſuppleuit. Nam videmus, vbi pedes validi ſunt, & fortes; inueniuntur pauciores eſſe. Vnde hæc eſt cauſa, quare plures culex quàm elephas habet pedes, cum hoc ſit animal exiguum, hoc autem maximum. Item in rebus artificialibus videmus, quòd quanto panni ſunt minoris virtutis ad fomentū naturalis caloris; tanto neceſſe eſt, vt ex eis homo induat plures. Item quanto nauem trahētes ſunt debiliores; tanto neceſſe eſt eos eſſe plures: vt quod non poteſt debilitas paucorum, multitudo ſuppleat. Ex hac enim cauſa eſt, quòd plura ſunt mineralia, quàm vegetabilia: & plura vegetabilia, quàm ſenſibilia, & plura ſenſibilia, quàm rationalia: quia quāto ſunt plura, tanto ignobiliora, & tanto debiliora, & minus valentia. Quare plus eſt de argento, quàm de auro: plus de plumbo, quàm de argento: & plures quercus, quàm cedri: & plures viles lapides, quàm pretioſi: & plures homines viles, quàm nobiles: & plures ſunt ſtulti homines, quàm ſapientes: & plures ſunt milites, quàm barones: & barones plures, quàm reges: & plures ſimplices Presbyteri, quàm Epiſcopi: & plures Epiſcopi, quàm Archiepiſcopi: & ſummus Pontifex tantum vnus: quia plenitudo poteſtatis eſt in eo. Ex his exemplis certiſſimum eſt, quòd diuitiæ ideo quærūtur plures (paucis enim cōtenti non ſunt

Notandum de ſummo Pontifice.

A homines) quia ſunt debiles, quod promittunt efficere non valentes: Nam promittunt ſuum poſſeſſorem beatum, & faciunt totum contrarium, dum auferunt regnum ſupernum, & ducunt ad infernale ſupplicium. Ob hanc cauſam Dominus dicit: Facilius eſt camelum tranſire per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum. Quia ſicut camelus non poteſt portam, quæ acus dicitur, intrare, niſi onus deponat; ſic homo in regnum Cælorum intrare non poteſt, niſi deſinat diues eſſe. Iſtis conſiderationibus, & multis alijs, Sancti diuitias cōtempſerunt vanas, & hoc propter Deum: quē contempſe- B runt multi homines propter mundum. Quid mirum ſi contempſerint Chriſtiani, quòd contempſerūt Pagani? Dicit enim Seneca quòd nemo dignus Deo eſt, qui diuitias non contemnit. Bernardus: Magna abuſio, & penitus nimis magna; vt diues eſſe velit vermiculus vilis: propter quem tam pauper voluit eſſe Dominus maieſtatis. Quærat, inquit, Paganus diuitias, cum ſine Deo exiſtat: quærat & diuitias Iudæus, qui eas in promiſſionem accepit: Sed qua frōte Chriſtianus diuitias quærit, poſtquam Chriſtus pauperes beatos eſſe prædicabat? Multi enim Romanorum fuerunt Conſules, qui propter C amorem ſuæ ciuitatis nihil omnino accipiētes, adeo in morte inuenti ſunt pauperes, vt non haberent, vnde exequias funeri facere potuiſſent. Sunt & in Iudæa & in Æthiopia populi (vt hiſtoriæ narrant) qui nihil penitus congregant, ſed de his, quæ ſponte terra gignit, ſimpliciter viuunt, ſicut omnes homines ante diluuium faciebant. Quæ ergo eſt hæc tanta auaritia, quæ Chriſtianos inuaſit; vt eis non ſeminare ſufficiat, non colligere, niſi inſuper vſuris varijs, & mercationibus infinitis quibuſcumque peccatis congregēt peritura? Seneca: In obſeſſa via diuiti nulla pax eſt, qui vero pauper eſt, nullam ca- D lumniam timet, nullas formidat lites, nullas timet alias paſſiones. Et ideo inquit: Paupertas eſt donum Dei a paucis cognitum. Gregorius: Quid in hac vita laborioſius, quàm terrenis deſiderijs æſtuare? quid quietius, quàm nihil præter Deum in hac vita appetere? Ad Patriam (inquit) liberius incedimus, ſi in via onere caremus. Nam qui onus diuitiarum abſtulerit, ad currendum citius ſe expediuit. Rogemus ergo, &c.

*Mar. 19. c*
*Seneca epiſto. 18.*
*Bern. to. 1. ſerm. 3. de Reſurrect. Domini.*
*Seneca epiſto. 14.*

# DE PLVR. SS. CONFESS.

## E SERMO II. in ordine XXIX.

CHaritas benigna eſt. Virtus charitatis quàm ſit nobiliſſima, quantis præconijs honorāda, quantis laudibus prædicanda; nulla poteſt exprimi carnea lingua. Nam Apoſtolica teſte ſententia: Si quis lingua vtatur angelica, ſi prophetica, ſi omnium rerum ſcientia, ſi fide faciente miracula, ſi pauperibus diſtribuat omnia, & ſi in mortem dederit carnem ſuam; fruſtra omnia ſunt, ſi charitate non ſunt formata. So- F la enim hæc virtus (ſecundum * Auguſtinum) piorū virorum eſt, & ſanctorum; cum ceteræ virtutes bonis, & malis cōmunes ſint. Magna enim virtus eſt fides, ſed dæmones credunt, & contremiſcunt. Magna virtus eſt ſpes, quam in magnis peccatoribus videmus. Quid prudentia nobilius iudicamus? ſed (teſte Domino) maior eſt in filijs tenebrarum, quàm lucis: maior in ſerpentibus, quàm in nobis. Quid temperantia melius dici poteſt, quæ ſiue reſpectu gulæ, ſiue luxuriæ, maior quàm ſit in Chriſtianis, inuenta eſt in paganis? Multæ enim fuerunt mulieres paganæ (vt teſtantur hiſtoriæ) quæ prius, quàm corrumpi, voluerunt occidi. Quid fortitudine? quid patientia poteſt eſſe melius? quam quaſi in ſum-

*1. Cor. 13. b*
*1. Cor. 13. b*
** Aug. to. 3. in ſentent. ex S. Aug. collect. ſentent.*
*Iac. 2. c*
*Mat. 6. e*



in ſummo poſſederunt Philoſophi. Magna virtus, & ardua paupertas exiſtit, quæ in multis tam Philoſophis, & Paganis reſplenduit. Sola enim charitas eſt, quæ nullo modo conuenit, niſi ſolummodo viris iuſtis: eo quòd deformari nō poſſit. Numquam ignis poteſt infrigidari; quamuis poſſet extingui: Sic & charitas poteſt quidem per peccatum auferri, ſed numquam informis fieri: et ad modum vitri poteſt quidem totaliter frangi, non autem plicari. Quia igitur hæc virtus proprie Sanctorum eſt, & per eius operationes & actus maxime cognoſcuntur: Ex fructibus enim eorum cognoſcetis eos. Ideo præmiſſum verbum ad Sanctorum gloriam eſt aſſumptum. In quo deſcribitur iſta virtus Sanctorum eſſe, maxime quantum ad duo: Primo, quantum ad habitum, qui conſiſtit in corde: Secundo, quantum ad actum, quo fulgent in opere. Primo, per habitum Sancti ſunt facti iuſti quo ad ſeipſos: Secundo, per actum facti ſunt luminoſi, quo ad fratres, & proximos. Notatur ergo primo habitus mētem ſanctificans, cum dicitur: *Charitas*. Notatur ſecundo actus, quem charitas inſpirauit, cum infertur: *Benigna eſt*, ideſt, hominem benignum facit. Licet enim quælibet virtus vnum ſpecialem actum habeat, quem eliciat (ſicut fides credere: ſpes ſperare: charitas diligere, vel amare) tamen charitas omnes actus virtutum imperat, quamuis eos non eliciat; ſicut Apoſtolus dogmatizat dicēs: Charitas omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, &c. Nam ſicut eſſe benignum charitas imperat; ſic ipſa benignitas probabiliter charitatem adeſſe denūciat. Sed defectus benignitatis, ex neceſſitate concludit, quòd animæ charitas non aſſiſtit, &c. Dicamus ergo: Charitas benigna eſt. Licet charitatis nō ſint certa experimenta, niſi per reuelationem diuinam; ſunt tamen aliqua probabilia ſigna, quibus ad credendum inducimur, quòd charitatem habeamus. Primum eſt conſcientia munda. Secundum eſt patientia firma. Tertium eſt compaſſio fraterna. Quartum eſt communicatio libera.

Exempla.
*Matt. 7. b*
*1. Cor. 13. b*

Dico, quòd primum ſignum quòd charitatem habeamus, eſt interior conſcientia, ſi inueniatur munda, nullis delictis mortalibus fœda, non cogitans turpia, non amans mundana; ſed ſolum diuina: nō gaudens ad mala; ſed ad omnia bona. Vnde Apoſtolus dicit: Charitas non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate: cōgaudet autem veritati, ideſt, non poteſt eſſe, vt ſi charitas ſit in anima, vt anima ſit fœda, vt ſit frigida ad diuina, & calida ad humana: cum charitas (ad modum materialis ignis) virtus ſit purgatiua: Calefactiua: Et maturatiua. Vnde etiam Dominus loquēs de charitate dicit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat? Ergo ſi charitas eſt ignis, ipſa habet purgare: quia ignis eſt aëris purgatiuus, & in ferro eſt omnis rubiginis cōſumptiuus. Si ergo conſciētia eſt peccati rubigine plena; certum eſt, quòd ab igne charitatis eſt vacua. Item ignis omnia, quæ ſibi approximantur, calefacit: quia omne frigus a rebus expellit, ſicut experientia certa oſtendit. Ergo vbi charitatis ignis non requieſcit, frigus etiam non deſinit. Ergo, ſi ad diuina, & ſpiritualia bona te feruentem, & calidum inuenies: & econtra ad terrena frigidū reperies; ſignum eſt charitatis in te exiſtentis. Si autem frigidus es ad diuina, & calidus ad terrena; ſcias, quòd charitas non ardet in anima tua. Item ignis eſt crudorum maturatiuus. Vnde videmus, quòd poma cruda, & immatura in igne decocta fiūt ſapida, & dulcia: eo quòd a virtute ignea omnis eius acerbitas ſit conſumpta, & ſaporoſitas ſit introducta. Ergo ſi tu inueneris in te maturas affectiones, dulces, & ſaporoſas de Deo cogitationes; probabile valde eſt, quòd a diuino igne hæc habes. Si autem econtrario cogitationes de mundo tibi ſunt

*1. Cor. 13. b*
*Luc. 12. f*

A dulces, & ſapidæ: & de Deo ſunt crudę; crede mihi, & ſcias certiſſime, quòd diuino non ardes hoc igne. Notandum tamen, quòd in omnibus iſtis argumentis, ſiue argumentandi modis, ſemper probabile eſt aſſertiuum: ſed neceſſarium eſt negatiuum. Vbi ergo Apoſtolus dicit: Charitas non agit perperam, ideſt, peruerſe: non eſt ambitioſa: Si ergo ita dicam: Iſte non agit perperam, non eſt ambitioſus; ergo charitatem habet: hoc tantum eſt probabile aſſertiuum, non autem neceſſarium: quia tunc poſſet homo pro certo ſcire, ſi eſſet in charitate. Si autem ſic dicam: Iſte ambitioſus eſt, & peruerſe agit: B ergo charitatem non habet; argumentum non eſt probabile tantum, ſed eſt neceſſarium. Vnde & ſcire certitudinaliter non poſſumus, quòd in charitate ſumus; eo quòd, non quia bona facimus, charitatem habemus: certitudinaliter tamen ſcire poſſumus, quòd in charitate non ſumus, dum mala charitati contraria facimus; eo quòd quia facimus mala, mali ſumus.

*1. Cor. 13. b*

Secundum ſignum, quòd charitatem habeamus, eſt patientia firma. Charitas enim ſic hominem in aduerſis firmat, & ad modum lapidis quadri ſtabilitat; vt nullis omnino moueatur aduerſis: ſed ex C eis potius creſcit, ſicut in aſperſione aquæ ignis potius inualeſcit: et omne contrarium ad præſentiam ſui contrarij vigoreſcit. Nam & charitas dicitur ſimilis eſſe bitumini, quod eſt terra adeo conglutinoſa, & tantæ tenacitatis; vt ea, quæ vnit, nec igne, nec aqua, nec ferro diſſolui ab inuicem poſſint. Vnde vir Sanctus hoc bitumine Deo vnitus, nō ſolum mundi mala non fugit: ſed etiam appetit. O quot fuerunt Sancti, qui pro Chriſto voluerunt occidi, & mortem quæſierunt mente fideli; quamuis a Deo ad aliud eſſent ordinati. Nonne venerabilis vir Franciſcus mare trāſiuit, Soldanum adijt, & fidem con- D ſtantiſſime prædicauit, quāuis ad alia reſeruatus fuerit? Hoc ergo bitumine Chriſto coniunctus Apoſtolus dicebat: Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an nuditas? an periculum? an gladius? Et addit: Certus ſum, quòd neque mors, neque vita, nec Angeli, nec principatus, neque inſtantia mala, neque futura, ſcilicet mala, neque fortitudo, nec altitudo quorumcumque Principum, neque alia creatura poterit nos ſeparare a charitate Chriſti, quæ eſt tantæ tolerationis. Ideo certe amor omnia grauia, leuia; & amara, dulcia facit; Nihil enim eſt amanti difficile, E vt Bernardus dicit: Charitas enim eſt ſimilis virtuti conuerſiuæ, quæ eſt in oliua, & vite. Nam virtus illa conuerſiua humorem vitis, & oliuæ, qui amarus eſt in radice, vertit in multā dulcedinem, ſicut probat experientia: quia coquit vitis vuas, & oliuæ baccas maturas: eſt enim ſimilis quadrigæ, cuius naturæ eſt, quòd maius pondus equi pertrahunt cum quadriga, quàm poſſint facere ſine ea. Amor enim facit pœnas contemnere, & ipſam mortem appetere: immo facit quaſi non ſentire. Vnde ſimilis eſt mandragoræ, cuius cortex in vino decoctus, bibentem ad omnes dolores inſenſibilem reddit. Vnde F ad potandum illis dari conſueuit, quorum corpora ſunt ſecāda. * Dicit enim Dionyſius, quòd hæc herba decocta in vino, & fortiter ſic potata, hominem dormire facit, vt vulnera ſentire non poſſit. Et propterea in Cant. 8. dicitur quòd aquæ multæ, ideſt tribulationes variæ, non potuerūt extinguere charitatem: immo non ſolum nō extinguunt; ſed eam intendunt: quia videmus, quòd ſolares radij maiorē calorem generant in aqua, quàm in terra: quia cum aqua magis ſit calori cōtraria, quàm ſit terra; dum maius contrarium in aqua inueniunt; fortius ad victoriam radij contrarij exardeſcunt: quia (vt ſupra iam dixi) omne contrarium fortius inſurgit, dum ſuum contrarium adeſſe perſentit. Sic & charitas, dum

Exempl.
*Rom. 8. f*
*Bern. to. 1. ſer. de Cōuerſio. ad Clericos c. 30. & ſer. in feſto S. Mariæ Magdalenæ in fine, & ſer. in Ramis Palm. circa med.*
** Mandragoræ virtus ex Dionyſio Scriptore Medico, qui a Varr. lib. 1. de re Ruſt. nominatur: & a Pli. lib. 12. 13. & 21. de herbis ſcripſiſſe memoratur. Hæc itē ex Dioſcoride lib. 4. c. 73. & lib. 6. c. 16.*

dum pœnas extinguentes, vel ad malum allicientes A
adeſſe perſentit, ad reſiſtendum eis ſe recolligit to-
tam, & maiores ex hoc aſſumit vires. Et hoc dicere
Pſal. 9. d Propheta voluit, cum ait: Dum ſuperbit impius, in-
cenditur pauper.

Tertium ſignum, quòd homo habeat charitatem,
eſt compaſſio fraterna: Nobilius eſt enim corpus ſpi
rituale, quàm materiale; ergo maior debet eſſe
vnio membrorum ſpiritualiũ, quàm materialiũ: Sed
membrorum corporalium tanta eſt vnio (teſte Apo
1.Cor.12.b ſtolo) quòd ſi patitur vnũ membrum, cõpatiuntur
omnia membra, & gaudenti congaudent: & eſt im-
poſſibile aliter eſſe; Ergo ſi maior eſt vnio membro- B
rum ſpiritualium, impoſſibile eſt membrum pati,
quòd non ſit compaſſio aliorum membrorum. Er-
go ſi fratri, vel proximo patienti te inuenies compa-
ti; probabile ſignum eſt, quòd habeas charitatem:
& ſis corporis Chriſti membrum. Si autem proxi-
mo patienti te non inueneris poſſe compati; non di-
co tibi probabili, ſed argumento infallibili ſcias tibi
concludi, quòd non es membrum corporis Chriſti:
quia impoſſibile eſt, ſi homo alterum vere amat,
quòd ei dolenti non pleno corde condoleat, & ſe
cum afflicto affligat. Et ſi hoc facit amor carnalis;
quid amor ſpiritualis faciet, ſi intus affuerit? Num- C
quam in corde poterit eſſe ignis, & non ardebit.
Prouerbium eſt quòd amor, & tuſſis celari non
poſſunt. Quare concluditur vlterius, quòd ſi proxi-
mo vere compateris, eius neceſſitatibus pro viribus
ſubuenis. Quod ſi non facis, ſcias quòd charitatis
ignis in te funditus eſt extinctus. Non enim eſt poſ-
ſibile; vt ignis in lignis ardeat, & non calefaciat.
1.Ioan.3.d Et propterea dicitur: Qui viderit fratrem ſuum ne-
ceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo;
quomodo charitas Dei manet in eo? quaſi dicat: im-
poſſibile eſt ita eſſe. Ergo fratres mei, probetis ha-
bere vos hanc charitatem corde compatiendo, & D
opere toto poſſe ſubueniendo: quia diligendus eſt
proximus, non ſolum corde, & ore; ſed etiam ope-
re: quòd ſi poſſibilitas operis non adſit, ſufficit com
paſſio cordis cum conſolatione ſermonis. Turpe eſt,
vt maiora ſigna amoris inueniantur in brutis, etiam
ad bruta extranei generis, quàm in hominibus, qui
ſunt omnes eiuſdem generis, ab vno omnes prin-
cipio: cum bruta omnia habuerint principia, ſci-
Exempl. licet feminam & maſculum. Nam cornices, quæ
ſunt aues, præter hoc quòd ad parentes ſunt mi-
ro modo clementes: quia in ſenectute proprijs
pennis eos fouent; ſunt etiam circa ciconias valde E
diligentes. Nam cum ciconiæ partes has derelin-
quunt, vt ad partes calidas tranſeant; eas cornices
in domibus ſuis cum magna ſedulitate ſuſcipiunt:
& quando in itinere ſunt aues, quæ ciconijs ſunt
infeſtæ, cornices eas turmatim aſſociant, & contra
infeſtas aues fortiſſimè pugnant: ita vt pro eis vul-
neribus, & morti ſe exponant: Qui homines tantæ
hoſpitalitatis ſunt, ſicut cornices? & ſic proximos
diligant, vt ſe pro eis in vulnera tradant, & mor-
Exempla. tem? O humana miſeria, & plorabilis defectus
amoris: quia ſi cadit elephas, tunc eſt qui ex ſocijs
auxilium ferat: Capitur paſſer, & ſunt alij paſſeres, F
qui ſuccurrant: Porcus vociferatur, & pro poſſe alij
adiuuant. Sed homo ſi ruat, non eſt qui ad auxi-
lium manum mittat, vel extendat.

Quartum ſignum, quòd homo habeat charitatẽ,
eſt cõmunicatio libera, vt homo ſe, & ſua cõmuni-
1.Cor.13.b cet proximo. Quia ſic dicitur: Charitas non quærit
quæ ſua ſunt, ſed tantum quæ Ieſu Chriſti. Exem-
Act.2.a plum de Diſcipulis, quibus erant omnia communia,
& nemo quidquam proprium poſſidebat, ſed erant
illis omnia communia. Ciconiæ ſimul vadunt, ſi-
mul terram petunt, ſimul comedunt, & quieſcunt.
Apes ſimul exeunt, ſimul ſurgunt, & ſimul cibum
communem accipiunt. Turpe igitur valde eſt, quòd

A homo non communicet proximo, cum brutum cõ-
municet bruto; & maior, quàm inter rationabilia,
amor appareat inter bruta. Teneamus ergo chari- 1. Ioan. 4.
tatem: quia vbi eſt charitas, ibi Deus eſt: & qui b. c
charitatem habet, in Deo manet, & Deus in eo.
Quod Bernardus exponens ſic ait: Si Deus chari- Bern. to. 1.
tas eſt, nihil melius charitate: ſi quis manet in cha- ſer. 26. ſup.
ritate, & per conſequens in Deo manet; nihil chari- Cantic.
tate ſecurius. Si vero Deus in eo manet; nihil chari-
tate iucundius. Verum eſt ergo, quod dicit Apo-
ſtolus: Charitas patiens eſt, benigna eſt, non 1.Cor.13.b
æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non
B eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irrita-
tur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniqui-
tate, congaudet autem veritati: omnia ſuſtinet, &
omnia ſuffert: charitas numquam excidit. Qui er-
go charitatem Dei habet, charitatem proximi ha-
bet: quòd ſi charitatem proximi non habet, nec Dei
charitatem habet. Quia ad deſtructionem conſe-
quentis, ſequitur deſtructio antecedentis. Roge-
mus, &c.

## DE VNO S. DOCTORE

### SERMO I. in ordine XXX.

REfulſit ſol in clypeos aureos, & reſplen- 1. Mac. 6. e
duerunt montes ab eis. Auguſtinus Aug. to. 1.
dicit quòd ordo de neceſſitate requi lib. 1. Muſi-
rit primum, & vltimum: Et quia ca cap. 12.
(vt ait) non poteſt perueniri ad vl-
timum, niſi per medium; conclu-
dit, quòd neceſſario omnis ordo requirit primum,
medium, & poſtremum. Vnde in Angelis triplex Dionyſ. lib.
eſt Hierarchia, ſcilicet prima, vel ſuprema: media, de Cal. Hie
& infima: ita quòd eſt influentia ſupremæ in me- rarch. c. 3.
D diam, & mediæ in infimam: et ima per mediam, &
media per ſupremam purgetur, illuminetur, & per-
ficiatur: ſicut dicit Dionyſius. Similiter videmus &
hunc ordinem in cælis, quod primũ eſt empyreum,
medium eſt aqueum, tertium & infimum eſt ſide-
reum. Et primum influit in medium, & medium
in poſtremum. Cum ergo Eccleſia a Deo ſit ordi-
nata, neceſſe eſt vt habeat in ſe iſta tria. Quia in Dionyſ. lib.
Eccleſia Dei quidam ſunt primi, & primates ſunt de Eccl. Hie
appellati. Quidam medij, vt Epiſcopi. Quidam in- rarch. c. 8.
fimi, vt omnes alij minores Prælati, ſicut Sacerdo-
tes Parochiales. Vel aliter: Quidam ſunt tantum
E Doctores, & hi ſunt ſupremi. Quidam tantum au-
dientes, & hi ſunt infimi. Quidam ſimul audientes,
& docentes, & hi ſunt medij: qui ea, quæ audiunt
a ſummis, more Lunæ refundunt. Nam Luna lu-
men, quod a Sole recipit, reddit terris. Iſti ergo
tres ordines, docentium ſcilicet, & audientiũ, & me-
dio modo ſe habentium, notantur in themate. Nam
tantum docentes aſſimilantur Soli, & Stellis: tan-
tum audientes aſſimilantur montibus altis, ad reci-
piendum lumen diſpoſitis: qui licet ſint infimi re-
ſpectu docentium; ſunt tamen montes alti, in com-
paratione vallium, ideſt, nihil colligere valentium.
F Nam montes prius ſuſcipiunt radios ſolares, quàm
colles depreſſi, & valles: Audientes ſimul, & docen
tes ſimiles ſunt ſcutis aureis, quæ lumen, quod a
Sole accipiunt, terris oppoſitis ſibi reddunt. Et di-
cuntur notanter clypei: quia ſicut pro defenſione
corporis exponuntur clypei in bello ictibus; ſic iſti
debent ſe exponere pro vtilitate animæ proximi, &
pro defenſione fidei, & ſi neceſſe fuerit, propterea
mori. Vt ergo ſermonem reducamus ad hunc Do-
ctorem eximium, cuius hodie feſtum colimus; Hic,
quantum ad tria, in præmiſſo verbo deſcribitur:
Primo, quantum ad eius eximiam ſanctitatem, qua
intus exarſit: Secundo, quantum ad luminoſiſſimã
veritatem, qua vt ſidus emicuit: Tertio, quantum
ad do-



ad doctrinæ vtilitatem, qua mundo profecit. No- A
tatur ergo primo eius ſanctiſſima vita, qua Deo ſer-
uiuit, cum dicitur *Sol*: Secundo, notatur eius ad-
miranda doctrina, qua claruit, cum dicitur: *refulſit
in clypeos aureos*: Tertio, eius doctrinæ efficacia,
qua profecit, cum ſubditur: *Et reſplenduerunt mon-
tes ab eis*. Verum, quia iſta omnia in Sole tantum
poſſunt notari; ideo de ipſo Sole fiat hic ſermo. Eſt
ergo notandum quòd circa Solem nobis conſideran
da ſunt quinque: Primo, ipſius eſſentia: Secundo,
eius forma: Tertio, ipſius figura: Quarto, motus,
& natura: Quinto, eius influentia. Nam ſecundum
eſſentiam eſt corpus altiſſimum. Secũdum formam B
eſt corpus venuſtiſſimum. Secundum figuram eſt
corpus rotundiſſimum. Secundum motum, ſiue na
turam eſt corpus velociſſimum. Secundum influen
tiam eſt corpus virtuoſiſſimum. Sic & Doctor no-
ſter eximius fuit altiſſimus per eximiam ſanctitatem.
Fuit ſpecioſiſſimus per ſcientiæ claritatem. Fuit ro-
tundiſſimus per arctiſſimam paupertatem. Fuit ve-
lociſſimus per obedientiæ humilitatem. Fuit vir-
tuoſiſſimus per miraculorum efficacitatem.

Dico, quòd corpus Solis ſecundum ſuam naturã,
& eſſentiam conſideratum, eſt corpus altum, cor-
pus ſolidum, & ideo non poroſum; corpus in fir- C
mamento locatum, & ideo nobiliſſimum. Quid
enim cælo ſublimius? quid inter corpora inanima-
Eccli.1.d ta cælo dignius? Vnde dicitur: Altitudinem cæli
quis dimenſus eſt? Hoc & ipſa experientia probat,
& viæ longitudo, quæ corpora tam grandia ſic a no-
bis cælat; vt nobis videantur permodica. Sed ea
hic non pono: quia in Dominicalibus ſermonibus
me recolo dixiſſe, & poſuiſſe de huiuſmodi. Suffi-
ciat igitur dicere ſecũdum Scripturæ teſtimonium,
quia fidelibus eſt certiſſimum, quòd cælum eſt al-
tiſſimum, & in ſummo locatum: ſicut patet ad ſen-
ſum. Sed Sol in cælo eſt ſituatus, ergo eſt corpus ſi- D
Gen. 1. b tu altum. Minor probatur per Geneſim: vbi dici-
tur quòd Deus fecit duo luminaria magna, ſcili-
cet Solem, & Lunam, & poſuit ea in firma-
mento cæli. Vnde quæ ſint hæc luminaria, docet
Pſ.135.a dicens: Qui fecit luminaria magna, Solem in pote-
ſtatem diei, & Lunam in poteſtatem noctis. Sic &
beatus hic Doctor, Fuit ad modum cæli altus, per
vitæ eminentiam: Fuit ſolidus, per veram patientiã:
Fuit non poroſus per humanam gloriam: Et fuit in
firmamento poſitus per fidei conſtantiam. Omnia
iſta poſſunt hic diſcuti: Sed ſufficiat dicere, quòd
fuit altus per vitæ ſanctitatem, qua conuerſabatur in E
cælis, non carne, ſed mente. Erat enim de illis, qui
Philip.3.d cum Apoſtolo dicere poterant: Noſtra conuerſatio
Eccli.24.a in cælis eſt. Vnde dicere poterat illud: Ego in altiſ-
ſimis habito. Sed quis hodie conuerſatur in cælis?
Quis hodie eſt, qui non totus inhæreat terris? Vere
terreni ſumus: quia non cæleſtia, ſed terreſtria co-
gitamus: non de Deo, ſed de mundo loquimur:
Pſ.118.d non pro Deo, ſed pro mundo operamur. Adhæſit
Pſal.43.d enim pauimento anima noſtra, & conglutinatus eſt
in terra venter noſter. Qui enim de mundo eſt, de
1.Ioan.4.a mũdo loquitur. Et quia non cæleſtes, ſed terreni ſu
mus; ideo ſumus illis ſtellis ſimiles, quæ de cælo ca- F
dunt in terram. Nam & illæ impreſſiones, quæ di-
cuntur vulgariter ſtellæ cadentes, ideo cadunt; quia
verè ſtellæ non ſunt, nec in firmamento locatæ ſunt.
Et ſic forte illi homines, qui in terrã ruunt, nũquam
in Deo, ſiue in cælo vere firmati fuerũt: quia qui ve-
re inhæreret, non tam faciliter caderet. Nam vide-
mus, quòd arbores, quæ fortes radices ponunt in ter
ra, non facile ventis euellũtur: ſed illæ potius ven-
tis cadunt, quæ radices debiles terræ infigunt. Ergo
multo fortius non facile caderent, qui per amorem
verum Deo inhærerent.

Secundo, Sol eſt forma ſpecioſiſſimus: Nam il-
lud dicitur eſſe pulcherrimũ, quod nihil habet tur-



A pitudinis admixtum: ſicut illud dicitur eſſe albiſſi-
mum, quod non eſt nigredine permixtum. At luci
ſola tenebra eſt oppoſita: Igitur illud eſt lucidiſſi-
mum, & per conſequens ſpecioſiſſimũ, quod nihil
habet tenebroſitatis admixtum. Sed Deus (ſicut Gen. 1. a
habetur) diuiſit lucem a tenebris: Ergo dum lucem
a ſuo contrario ſeparauit, puriſſimam, ac pulcher-
rimam eam fecit. At corpus Solis eſt fons lucis, ſi-
cut ipſum nomen ad ſenſum oſtendit: Nam ideo ip-
ſa Scriptura ipſum Solem appellat, eo quod ſolus
luceat, & cuncta illuminet, & pulchra faciat: non
enim eſt aliud dies, quàm Sol ſuper terrã lucens. Sol
B ergo, dum lucẽ in ſummo corporũ obtinet, pulcher- † Damaſc.
rimus omnium corporũ eſt. Item vt † Damaſc. dicit: c. 7. lib. 2.
Tolle Solem a rebus, quid ſunt omnia niſi tenebra? fidei ortho-
ergo omnis pulchritudinis oſtenſiua cauſa eſt Solis doxa.
præſentia.* Sed propter vnumquodque tale, & illud * Ariſt. to. 1.
magis: Ergo ſi omnia ſunt pulchra, & apparent pro- lib. 1. Po-
pter ſolis præſentiam, & virtutem manifeſtatiuam; ſter. Ana-
multo fortius eſt in ſe pulcherrima Solis rota. Vnde lyt. tex. 5.
dicitur: Dulce lumen, & delectabile eſt oculis, vi- Eccli. 11. c
dere Solem. Nam & ſi oculus noſter non audeat So
lem reſpicere in rota; cauſa eſt, debilitas in virtute
viſiua; ſicut videmus ad ſenſum, quòd oculus lip-
C pus, vel infirmus, refugit lumen Solis, nec poteſt ſu-
ſtinere ſplendorem aëris. Sed vbi deficit noſter ocu
lus, ibi ſupra modum delectatur oculus aquilinus;
in quo etiam aquila eſt filiorum ſuorum probatiua,
ſicut dixi ſupra. Sic & hic Doctor egregius, totus
fuit ſpecioſus per ſapientiæ veritatem. Miro enim
modo ſapientia facit hominem ſpecioſum, & Deo,
& hominibus; dum per eam fit homo circumſpe-
ctus in corde, modeſtus in ore, & honeſtus totus
in opere, & corpore. Nam videmus ad ſenſum,
quòd illi, qui erant valde diſſoluti, dum ſcientias
inferiores audiunt; miro modo in moribus ſe com-
D ponunt, dum ad Leges, vel Decretales, vel Theolo-
giã tranſeũt. Vnde Doctori noſtro totaliter pulchro
poteſt dici illud: Totus pulcher es dilecte mi. Hic Cant. 1. c
ſignatus fuit in Abſalone, de quo dicitur quòd a 2. Reg. 14. f
planta pedis vſque ad verticem non fuit in eo vlla
macula: Sic & iſte Doctor erat pulcher in corde, ſi-
ue in affectu erat pulcher, exterius in affatu, grauis
in inceſſu, honeſtus in viſu, & ſimiliter in auditu,
temperatus in habitu, & in cibo ſimiliter & in po-
tu. Sed quis hodie ſpecioſus? quis in verbo? quis in
viſu & auditu eſt honeſtus? quis in veſtitu, cibo, &
potu ſobrius? Vere Sol hodie obſcuratus eſt, & non
E lucet: non eſt pulcher, ſed totus eſt niger factus.
Sicut enim in Apocalypſi docet Ioannes, & Ioel di- Apoc. 6. c
cit, Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen Ioel 2. c
ſuum: Stellæ cadent de cælo. Accipe per Solem in-
tellectum: per Lunam voluntatem: & per Stellas
accipe affectiones, vel operationes, & expone.

Tertio, Sol eſt figura rotundiſſimus. Nam con-
ſtat firmamentum (in quo corpus Solis eſt poſitum,
& cuius motu ducitur) moueri ſphæricè, ſicut ad ſen
ſum probant illæ Stellæ, quas circa polum arcticum
moueri conſpicimus. Verum Sol, ſicut ceteræ Stel- Ariſt. to. 4.
læ (Philoſopho hoc probante, & ad inconuenien- lib. 2. de Cæ
F tia plurima inducentè) non mouetur motu proprio, lo tex. 44.
ſed potius motu orbis ſui. Ergo cũ ſuus orbis ſphæ-
ricè moueatur: quia in ortu firmamenti deducitur
ad Meridiem, & hinc ad Occidentem; reſtat quòd
Sol ſphæricè moueatur. Sed motus (vt dicit Philo-
ſophus) atteſtatur figurã: ergo habet ſphæricam fi-
guram. Item nobiliſſimo, ſpecioſiſſimo, & ſimpli-
ciſſimo corpori, nobiliſſima, ſpecioſiſſima, & ſim-
pliciſſima figura debetur: ergo cum corpus Solis ſit
tale, Sol ſphæricæ figuræ exiſtit. Et ſatis claret, vbi Eccl. 1. a
ſic dicitur: Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuũ
reuertitur; gyrat per Meridiẽ, & flectitur ad Aqui-
lonem, luſtrans vniuerſa per circuitum. Ecce quòd
circularem habet motum. Sic & hic venerabilis San

*Ariſt. to.4. lib.3 de Cælo tex. 69.* ctus totus fuit ſphæricus, & rotundus per altiſſimam A paupertatem. Nam corpus ſphæricum, ſi moueatur ſuper planum (teſte Philoſopho) non tangit planum niſi in puncto, eo toto alio corpore eleuato: Sic & vir Sanctus terram non niſi in puncto tetigit, quãdo ſolam ab eo neceſſitatem accepit: ſic totus ab ea alienatus extitit, dum omnia ſuperflua dereliquit. *Philip.3. b* Vnde poterat dicere cum Apoſtolo: Omnia arbitratus ſum, vt ſtercora. Ipſe etiam dicere poterat cum *Mat.19. d* Apoſtolis: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Sed quis eſt hodie talis? Quis eſt, qui relinquat omnia, aut ſaltem ſuperflua relinquat? Quis non potius diſperſa congregat? Recte hodie Sol B ſub terra latet: & vmbra terræ, quam proijcit, hunc mundum miſerum obſcurauit: vt Sol verus videri *Pſal.57.b* non poſſit. Supercecidit ignis, & non viderunt Solem. Quis hic ignis, qui conſumit omnia, & numquam dicit, ſufficit, & Solem nobis abſcondit; niſi amor cupiditatis? Nam dum Luna inter nos, & Solem intercidit; Solem a nobis abſcondit, & ad nos radios ſolares venire non ſinit: ſed noctem mundo inducit, ſicut factum eſt temporibus noſtris, dum Sol obſcuritatem incurrit. Quid Luna, per ſui ſtatus continuam mutationem ſignat; niſi mundialem machinam, ſiue mundanam pecuniam; C quæ voluitur mutatione continua; & ab vna perſona tranſit ad aliã; quæ ab aſpectu noſtro, Solis eſt ablatiua? Si enim modicum puluis ſic oculum lædit; vt Solem intueri non poſſit: quomodo auarus, qui habet tot domos, tot agros, tot nummos in oculis; verum Solem videre poterit? Vnde contra auaritiã *Iob 3. a* poteſt exponi illud: Obtenebrantur Stellæ caligine eius, ſcilicet auaritia. Expectet lucem, & non videat: nec ortum ſurgentis auroræ. Quid intelligimus per ſidera cælum ornantia, niſi Sanctorum exempla? Quid per auroram lucem ſolarem præuenientem, niſi præuenientem gratiam? Sed auaritia D non attendit Sanctorum exempla, & fugiens gratam veri Solis præſentiam, non ſinit videri lucem diuinam; ſed excæcat animam, & totam facit tenebroſam interius.

Quarto, Sol eſt velociſſimus motu: Nam currit in vna die totum cæli ſpatium: quamuis non in die, ſed in anno tamen redeat ad eundem punctum Zodiaci. Velociter enim currit, nec exemplum in his naturalibus poni poteſt: cum nec illi comparari poſſit ſagitta egrediens a balliſta, nec nauis cur- *Eſther 2.d* rens ad vela pleniſſima. Vnde dicitur: Magna eſt terra, & excelſum eſt cælum, & velox eſt occurſus E Solis: Conuertit enim gyrum cæli in locum ſuum in vna die. Sic & iſte Sanctus fuit velociſſimus per obedientiæ humilitatem: Virtutes enim iſtæ duæ ſunt valde cognatæ: quia opus humilitatis eſt obedire: nec vmquam aliquis vere obedit, niſi vere ſit humilis: Ergo hic Sanctus venerabilis, ſic diuinis mandatis obediuit perfecte; quòd numquam in partem contrariam declinauit. Vnde poterat dicere il- *1.Reg.3. b* lud Samuelis: Loquere Domine, quia audit ſer- *Ioſue 1. d* uus tuus. Nam & dicitur: Stetit Sol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei: & nõ fuit ante, & poſtea tam longa dies, obediente Do- F mino voci hominis. Ergo ſi Sol contra motum ſuũ ſic Deo obediuit; quid ſit homini faciendum, patenter oſtendit. Sed quis hodie obedit, immo quis nõ *Iſa. 38. b* reſiſtit? Nam & dicitur quòd Sol redijt retro, ſignificans multos, qui non vadunt, ſed redeunt: non currunt, ſed retrocedunt, dum ire credũtur. Quid enim eſt retrocedere, niſi Deo non obedire? diuina mandata fugere? & ad vomitum ſicut canis re- Exempl. dire? Tales etiam ſunt ſimiles leoni, qui comeſta eijcit, & iterum ea comedit: quod etiam canes fa- *3.Pet. 2. d* cere certum eſt. Iuxta illud: Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.

Quinto, Sol eſt influentia maximus, cum ſubſtan A tia primi mobilis ſit dominatiua, directiua, aëris purgatiua, ſiue luminis commendatiua, frigidorum corporum inflammatiua, grauium leuiatiua, & mineralium generatiua, quæ Sancto noſtro omnia poſſunt eſſe conuenientia. Sed hic accipiamus ſolũ illam influentiam, qua influxit per exempla mirifica, per docuẽta altiſſima, per diuina miracula. Nam de iſtis tribus poteſt exponi illud: Sol in aſpectu *Eccli.43.a* annuncians in exitu: hoc quo ad documenta. Vas admirabile, opus excelſi: quantum ad exempla. In Meridiano exurit terram: quantum ad miracula, quæ ſunt valde incenſiua. Et in aſpectu ardoris eius B quis poterit ſuſtinere? Hoc quantũ ad dicta omnia. Vnde ſubdit: Tripliciter Sol exurens montes, & radios igneos exufflãs. Nam in Legendis ſunt quærenda vitæ exempla, quærenda ſunt documenta, quærẽdaq. miracula, & narrãda. Rogemus ergo, &c.

# DE VNO S. DOCTORE

## SERMO II. in ordine XXXI.

*Mat. 11.d* DIſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Naturale eſt, & ad ſenſum C manifeſtum, quòd omnes aquæ fluunt ad valles: Sic ſpiritualiter omnes ſcientiæ fluunt ad humiles. Et intantum eſt verum de aquis, quòd ſi aqua fluat per aliquod planum, & obuiet ei aliquod concauum; ſtatim in illud incurrit: nec vltra pertranſit, donec illius vacuitatem repleuerit. Na- *Ariſt. to.7. problemat. ſect.9. q.9.* tura enim aliquid vacuum non ſinit eſſe: nec ſine loco locatum eſſe permittit. Cum igitur vir humilis ſe totum euacuet, dum nihil ſe eſſe reputat; diuina largitas, ſua gratia & ſcientia eum replet. Magis enim eſt Creatricis eſſentiæ proprium, nihil relin- D quere vacuum, quàm ſit naturæ creatæ: Ergo ſi hæc creatura nihil eſſe vacuum ſinit; multo fortius hoc facit Natura creaturarum. Nam etiam videmus ad Exemplũ. ſenſum, quòd ſolares radij dum ad ſpeculum concauum veniunt, ſe multiplicando, & coarctando tantum ſplendorem, & calorem ibi efficiunt; quòd illi oppoſitam ſtupam incendunt. Sic & diuinæ gratiæ, & ſcientiæ dum ad humile cor perueniunt, totum igneum, & ſplendidum reddunt. Econtra corpus ſolidum, & opacum radio ſolari non peruium, dum opponitur aduenienti reſiſtit, ipſum in ſuo profundo non recipit: ſed in ſola eius ſuperficie radius E ſe diffundit. Sic lumen ſcientiæ, ſe oblatum arrogantibus, & ſuperbis, non penetrat ad intima cordis: ſed tantum ſuperficialiter in eis exiſtit; vt ſint tantum ſapientes ſecundum humanam apparẽtiam, non ſecundum veram exiſtentiam. Nam & talibus (vt dicit Philoſophus) magis operæpretium eſt videri eſſe ſapientes, quàm eſſe, & non videri. Ob Exemplũ. quam cauſam Didymus ille Philoſophus Alexandro Magno quærenti, quomodo ſapiens eſſe poſſet; talia ei reſponſa mandauit: Deus præſto eſt dare tibi ſapientiam: ſed non habes vbi teneas eam, cum ſuperbia plenus ſis. Vas enim vini liquore plenum nõ F recipit alterum, niſi ille prius fuerit effuſus. Sed vas vacuum ſuſcipit intra ſuum cõcauum quidquid fuerit illi infuſum. Et propter hæc omnia dicit Hugo: *Hugo.* fundamentum ſcientiæ eſt humilitas. Ad quam tria ſpectare videntur: vt nullam ſcripturam vilem habeas, vt a nullo homine diſcere erubeſcas; &, cum ſcientiam adeptus fueris, alios non contemnas. In verbo enim veritatis præmiſſo, & ad honorem huius Doctoris aſſumpto, & in nomine eius dicto, maxime notantur duo. Nam primo ad diuinam Sapientiam nos inuitat. Secundo viam, qua ad eam perueniendum eſt, manifeſtat. Neceſſe eſt enim, quòd quid vult donum ſcientiæ cum Doctore hoc percipere, non ignoret principium viæ: quia igno-

ratis



ratis principijs, artem ignorare neceſſe eſt, ſicut Phi A loſophus docet. Sic nec ad veræ ſcientiæ brauium peruenitur, ſi via, qua ad eam peruenitur, ignoratur. Et ideo Doctor eximius hoc aduertens, Primo, inuitat nos ad ſapientiam, qua anima informatur, cum dicitur: *Diſcite*. Secundo oſtendit Sapientiæ viam, qua ad eam citius peruenitur, cum addit: *quia mitis ſum, & humilis corde*. Nec videatur mirabile, quòd humilitas cum ſit habitus affectiuus, ſit mentis illuminatiuus: quia hoc non facit per ſe illuminando, ſed potius tumorem euacuando, & ſic viam lucis præparando. Ob quam cauſam dicitur: *Prou.11.a* Vbi humilitas, ibi ſapientia. Sed quia de humilita- B te iam multa dixi ſupra; nunc dicendum reſtat de ſola ſcientia, quæ eſt ſuo modo animæ perfectiua. *Ariſt. to.3. lib. 2. Moral. Nicomachior. cap. 6.* Scientia enim & virtutibus, vt dicit Philoſophus, perficitur anima. Dicit ergo hic Doctor: *Diſcite a me*. Diſcite, inquam, primo cauſam ſcientiæ, propter quam. Diſcite, ſecundo ſcientiæ formam, ſecundum quam. Diſcite tertio ſcientiæ materiam, circa quam. Nam circa addiſcendi materiam, illa tria ſunt ſollicite addiſcenda, & attendenda: Primo, cauſa, qua debemus nos ad diſcendũ moueri. Secundo, forma, ſecundum quam debemus regulari. Tertio, materia, circa quam debemus negotiari. C

### *Articulus primus.*

DIco, quòd primo omnium debemus videre cauſam, propter quam ad ſcientiam moueri debemus. Non igitur cauſa vana, non lucratiua: ſed cauſa animæ perfectiua nos debet principaliter ad ſcientiam mouere. Et talis cauſa eſt triplex: Prima, vt recedamus a malo: Secunda, vt proficiamus in bono: Tertia vero, vt locemur in optimo. Vt receſſus a malo ſit incipientium: profectus in bono ſit proficientium, ſiue laborantium: ſed ſtatus in optimo D ſit peruenientium.

Dico, ſi bene diſcere volumus, primo neceſſe habemus vt recedamus a malo: Non enim poteſt quis inchoare bonum, niſi prius deſerat malum. Omnis enim homo eſt bonus, vel malus: ſunt enim immediate contraria. Ergo nullus poteſt eſſe bonus, niſi deſinat eſſe malus; ſicut nullus vmquam poterit eſſe ſanus, niſi prius deſinat eſſe infirmus. Nam teſte Gregorio: Qui volunt in agro ſeminare, prius ſtudeant ex eo herbas noxias remouere. Nullus enim, niſi ſtultus, ſeminat inter ſpinas; ſed in terra nouo aratro ſæpius ſciſſa, & ſic ſeminibus apta. Sic eſt E & in anima, quia non eſt apta ſuſcipere Dei dona, niſi deſerat mala, & per dolorem fiat trita, & diſpo- *Prou.17. c* ſita diuinam accipere gratiam. Vnde † Ambroſius: *† Ambroſ. to.1. lib.2. de Abel & Cain. c.4. & to. 2. in Præfat. in Pſal.1. Dauid.* Egreſſus vitij, virtutis operatur ingreſſum. Vnde dicitur: Qui euitat diſcere, incidet in malum. Ergo econtrario ſenſu, qui ſtudet diſcere, ſciet vitare mala: non enim poteſt vitari malum, niſi cognitum. Numquid non auis laqueum declinaret, ſi eum cognoſceret? Ideo enim bruta declinant ſua nociua, quia de eis habent naturalem ſcientiam. Eſt ergo ſufficiens ſcientia ad cognoſcenda peccata, ad ſalutem neceſſaria: eo quòd vitari non poſſint, niſi co- F gnita: & non vitata obligant nos ad pœnam: quam *‖ Bern. to.1. ſerm. 36. ſup. Cãtic.* pœnam non minuit ignorantia: quæ licet excuſet a tanto, non tamen a toto. Et propterea ‖ Bernardus *1.Cor.8. a* exponens illud Apoſtoli: Scientia inflat, charitas ædificat; dicit, quòd iſta duo, charitas, & ſcientia ſunt ad ſalutem neceſſaria: eo quòd ſcientia ſine charitate inflat, & charitas ſine ſcientia errat. Multi enim fuerunt viri ſanctiſſimi, qui propter defectũ *Pauperes Lugdunenſes in Prateolo lib.14. c.13.* ſcientiæ facti ſunt hæretici. Exemplum de pauperibus de Lugduno, qui fuerunt prius boni, & ab Eccleſia dilecti: dum tamen ex ſimplicitate hæreſim prædicare cœpiſſent, corrigi renuerunt, & ſe in ſuis hæreſibus confirmauerunt. Vnde hoc fuit, niſi ex



A ignorantia mali? Quare Dominus poſt reſurrectionem aperuit Diſcipulis ſenſum, vt intelligerent Scripturas, vt & ipſi mala vitanda cognoſcerẽt, & ignorantes de ipſo inſtruerent: Vnde dixit Dominus ip- *Mat. 10. b* ſis Diſcipulis: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Nonne ſerpens mala vitat, dum ſe a veneno mortifero, quo ægrotat, eſu her- Exempla. bæ amariſſimæ purgat, & pellem veterẽ abijciens, totum ſe renouat? Nonne ſerpens mala vitat, dum pro defenſione capitis (ſine quo non viuit) totum corpus exponit? Nonne ſerpens mala vitat, dum in- *Pſal.57.a* cantatoris vocem declinat, & ne eos audiat, aures B obturat? Turpe enim eſt, vt non faciant homines, quod faciunt tanta cura ſerpentes, ſibi noxia declinantes.

Secundo, non ſolum diſcere debemus, vt recedamus a malo; ſed vt etiam proficiamus in bono. Non enim ſufficit abſtinere a malo, niſi fiat, quod bonum eſt. Sed quomodo bonum facies, ſi bonum ignoras? Quomodo etiam bonum ſcies, ſi ſcientia cares? Numquid eris albus abſque albedine? Numquid ſanus abſque ſanitate? Ergo nec ſciens abſque ſcientia potes eſſe. Sed quia neceſſarium eſt ſcire bonum; conſtat quòd talium bonorum ſcientia ne- C ceſſaria eſt ad ſalutem. Neceſſarium ergo eſt ad ſalutem, cognoſcere peccata capitalia, vt euitentur: cognoſcere diuina mandata, vt obſeruentur: & ſcire fidei documenta, vt non erremus. Vnde animalia bruta cognoſcunt ſua remedia, & cognoſcunt ſibi ſalutaria, & ſalutifera cibaria. Nam formica vi- Exempla. get tanta prudentia, vt ſciat diſtinguere inter grana, & grana: quia derelinquens ordeacea, eligit frumentina. Apes etiam ſciunt diſtinguere inter flores, & flores, & de bonis ſciunt eligere meliores. Et homo creaturarum digniſſima non cognoſcit ſua antidota; cuius anima ſola eſt capax veræ ſcientiæ. Ob hanc D cauſam Apoſtolus Timotheum ad ſtudium litterarum inuitat, vt quæ iam didicit, in eis perſeueret: Tu, inquit, permane in his, quæ didiciſti, & quæ cre- *2.Tim.3.d* dita ſunt tibi, ſciens a quo didiceris. Et ne putet aliquis in vanis ſtudendum eſſe; addit: Ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſsũt inſtruere ad ſalutem. Omnis (inquit) Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Eſt ergo ſtudendum (ſecundum doctrinam Apoſtoli) in litteris ſacris, & diuinis præceptis: vt cognoſca- E mus quæ facienda ſunt, & quæ vitanda; vt ſciamus peccata, cognoſcamus remedia: & ſciamus mala, & quæ bona in futuro ſunt parata. Non autem ſtudendum nobis eſt in vanis rebus, & mundanis, non in Poetarũ fabulis, non in ſcientijs lucratiuis, non in legibus Iuſtinianis, & ſimilibus. Sed completum eſt hodie illud Apoſtoli: Erit (inquit) tempus, cum *2.Tim.4. a* ſanam doctrinam non ſuſtinebunt homines: ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus; & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Hoc maxime de hæreticis verum eſt, qui docent fabulas, narrant pla- F centia ſecundum audientium deſideria, & more piſcatorum ponunt hamum mortis ſub apparentia eſcæ dulcis. Nam & auceps ſub voce dulcis modulationis cor perforat auis, & ſub eſca, & paleis occultat auibus retia mortis. Sic & hæretici ſub facie pallida feralia gerunt corda, & ſub voce modula occultant ſuæ doctrinæ venena, non attendentes doctrinam Chriſti, ſed potius Manichæi. Vnde contra omnes tales Propheta dicit: Narrauerunt mihi *Pſal. 118. l* iniqui fabulationes: ſed non vt lex tua. Non talis hic Doctor, &c.

Tertio, non ſolum diſcere debet homo, quomodo recedat a malo, & creſcat in bono; ſed etiam, vt ſtabiliatur in optimo, ideſt, firmetur in ſummo bo-

 no.

no. In hac vita (ſicut dicit beatus Bernardus) non eſt vera ſcientia, ſed opinio nutans, & dubia. Et ideo laborandum eſſet, vt ad eum noſtra mens veniret, quem dum cerneret, omnia certa ratione co- *Baruch. 3. b* gnoſceret. Vnde ad hoc inuitamur. Diſce (inquit) vbi ſit ſapientia, vbi ſit virtus, vbi ſit prudẽtia, vbi ſit intellectus; vt ſcias ſimul vbi ſit longiturnitas vitæ, & victus; vbi ſit lumen oculorum, & pax. Quis inuenit locum (inquit) eius? Et quis intrauit in theſauros eius? Quàm pauci ſunt hodie, qui inueniant *Baruch in eodẽ cap. c* hanc ſapientiam. Sed ſicut dicitur in eodem: Exquiſierunt ſapientiam, quæ de terra eſt, & ideo terrena amant: & de terra tota die tractant, & ſolum terrenis vacant. Sed qui mente Deo adhærent, veram ſcientiam ab eo & certam percipiunt, qua ſe in optimis ſituabunt. Quàm ſtulti ſunt, qui ponunt domum ſuam non in ſolido, ſed ponunt eam in vento: & dum eã fundare poſſent in petra, collocant in *Exempl.* arena. Dicitur de columba, quòd numquam eſt ſecura, niſi quãdo ſedet in foramine petræ. Sic nec nos (niſi ſimus auibus ſtultiores) numquam ſecuri eſſe debemus, niſi quando in foraminibus veræ petræ vulnerum, ſcilicet Ieſu Chriſti, quieſcere poſſumus. Nam & capreæ in altiſſimis montibus, petris, & rupibus habitant, vt ab hoſtibus tutæ viuant. Sic ergo patet cauſa, propter quam debemus ad diſcendum moueri.

*Articulus ſecundus.*

SEd ſequitur de forma, ſecundum quam debemus in addiſcendo regulari. Eſt autem hæc forma triplex. Prima eſt, vt audiamus humiliter. Secunda, vt cogitemus viuaciter. Tertia, vt experiamur efficaciter. Nemo enim bene diſcit, ſi Doctoris verba non reuerenter audit, ſi audita non ſæpe ruminat, & ſi cogitata experimento non probat.

Dico, quòd verba Dei ab ipſis Doctoribus ſanctæ Eccleſiæ audienda ſunt reuerenter. Quis enim militum regis terreni, cum omni reuerentia, non dico regem, ſed etiam nuncium, quamuis vilem, non deuotus accipiat, & verba eius, ſiue litteras ſibi directas non videt, & obedit, ſiue audit? Nam ſi non audiret, ſed contẽneret, filius mortis eſſet, & tantæ pœnæ ſubiaceret, quaſi regem perſonaliter contempſiſſet. Eſt enim prouerbiũ quòd non tantum quis debet canem reſpicere, ſed cuius ſit canis aduertere. *2. Reg. 10. a* Exemplũ de rege Dauid, qui cum ad filium regis, filiorum Ammon, patre mortuo, ad eum ſuper patris interitu conſolandum, nuncios miſiſſet; & ille eos turpiter deriſiſſet; grauiter tulit, & eos deuaſtari præcepit. Lege hiſtoriam. Nam etiam brutorum filij parentum doctrinam non tantum audiunt, ſed quod docent, efficiunt. Ergo ſi ſic eſt inter bruta: ſi ſic homo audit vocẽ terreni regis; quomodo vox ſummi, & immortalis Regis ſit audienda attende. *Hiere. 35. c* Vnde Dominus dixit ad Hieremiam eiuſdem querimoniam ponens: Vade, & dic viris Iuda: Numquid non obedietis verbis meis? præualuerunt ſermones Ionadab filij Rechab, quos præceperat filijs ſuis, vt non biberent vinum: & non biberunt vſque in diem hunc: quia obediebant præcepto patris ſui. Ego autem locutus ſum ad vos, & non obediſtis mihi. Audiamus ergo reuerenter verba Domini, ac nunciorum eius; vt eſſe poſſimus ſapientes. Vnde *Eccli. 8. b* dicitur: Non deſpicias narrationem Presbyterorum *Eccli. 6. e* ſapientum, ſed diſce ab eis ſapientiam. Idem: Si accõmodaueris aurem tuam reuerenter, tunc ſapiens eris. Sed quidam ſunt qui audire ſapientes renuunt, prædicatores fugiunt, admonitiones contemnunt, *Hieron. in epiſt. 103. ad Paulinũ in principio tom. 3.* nec antiquorum exempla attendunt, qui vſque ad canos ſapientiam quæſierunt. Audi quid de his Hieronymus in prologo ſuper Bibliam ad Paulinum, de omnibus diuinæ hiſtoriæ libris dicat: Legimus

A quoſdam luſtraſſe Prouincias, nouos adiſſe populos, maria, monteſq. tranſiſſe: vt eos, quos ex libris nouerant, coram quoque viderent. Quis inter philoſophos Pythagora nobilior? quis Platone famoſior, & ſapientior? & tamen (vt ipſe ait) Pythagoras Memphiticos vates: Plato vero Ægyptum, & ipſam Italiam laborioſiſſime peragrauit: Et qui Athenis magiſter erat, diſcipulus factus eſt, malens aliena verecunde diſcere, quàm ſua impudenter ingerere. *Idẽ refert Ioan. Chryſoſt. in hom. 1. ſup. 1. cap. Ioan. to. 3. Valeri⁹ Maximus li. 8. c. 7. de Platone, idem refert Laertius, & alij.*

Secunda forma addiſcendi eſt meditari viuaciter. Fruſtra quidem verbum auditur, niſi mente teneatur, ſæpius ruminetur, & viuaci intelligentia cogi- B tetur. Quid enim ſcholari valet, ſi ad ſcholas primus omnium vadat, & magiſtri verba aure percipiat, ſi nihil ex auditis retineat? Quid valet naturæ ſecreta exquirere, ſubtilia multa more philoſophico inuenire; ſed nihil ex inuentis memoriæ commendare? Quid valeret aurum quærere, & plumbum inuenire; ſi, dum in via eſſet, obliuiſci contingeret? Sic etiam non valet ad prædicationem ire, & ex auditis nihil penitus retinere. Vnde in lege Moyſi animalia illa immunda erant, quæ non ruminabant. *Leuit. 2. a Deut. 14. a* Quid enim eſt ſpiritualiter ruminare; niſi diuina verba, & conſilia, & præcepta mente reuoluere, & C ſic obliuioni non tradere? Sed quid erit vngulas fiſſas habere, niſi pro male geſtis corda ſciſſa portare: vt ſic eſſent corda per contritionem diuiſa, & per ruminationem diuinorum verborum deuota? Plus enim delectatur ouis ruminando, quod carpſit; quàm carpendo, quod inuenit. Ergo ſi ignores iſta, o mulierum pulcherrima, o omnium creaturarum digniſſima, videlicet rationalis creatura; vade iuxta *Cant. 1. c* Salomonis ſententiam & doctrinam, poſt gregum *Prou. 6. a* veſtigia, & diſce a brutis ſapientiam. Sic: Vade ad formicam o piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam. O ſi conſideraret homo formicam tam D exiguam carne, quàm ex oſſibus nullam; quàm ſit prudentiſſima aceruos ſibi faciendo; quàm prudentiſſima ſit grana in cibum ſibi quærendo; quàm prudentiſſima ſit inter grana non ordeacea, ſed frumentina potius eligendo, & colligẽdo; quàm ſit prudentiſſima in ea, quæ colligit, conſeruando; numquid non ſtupebit, immo admirationem incurret? Ergo ſi verbum prædicationis cibus eſt mentis: quia (vt *Deut. 8. a* dicitur) Non in ſolo pane viuit homo; ſed in om- *Matt. 4. a* ni verbo, quod procedit de ore Dei; quomodo dum in prædicationem vadis, more formicæ meliora non eligis, & in memoria ad perpetuam dulcedi- E nem non reponis? Turpe enim eſt, vt maior prudentia ſit in brutis, quàm in prudentiſſimo animali, quod vltra bruta rationem accepit. Et, vt dicitur, *Iob 12. b* Interroga iumenta, & docebunt te: volatilia cæli, & indicabunt tibi, & narrabunt piſces maris. Quis enim ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerat? Hic poſſent poni innumerabilia exempla de prudentia animalium, volatilium, piſcium, & greſſibilium.

Tertia forma addiſcendi eſt, experiri veraciter, & efficaciter. Quid enim prodeſſet domum ædificare; & numquam eam inhabitare? Quid valeret F cibos multos, & diuitias congregare; & numquam ex eis ſumere? Ergo non valet, ſi verbum audias, & corde retineas, ſi iuxta verbũ operari deſiſtas. Nam operari eſt finis eorum, quæ homo audit, & conſeruat viuacitate mentis; immo, ſicut omne eſt vanum, quod non aſſequitur finem ſuum; cum omne opus ſit ex fine laudandum, ſic vanum eſt diſcere, vanum eſt memoriæ commendare, ſi deſit & facere. Quare non eſt laudanda felicitas nauigantis, quamdiu inter fluctus maris incedit; ſed ſolum dum ad portum peruenіet. Nec laudandus eſt dux bellorum, quantumcũque ſibi proſpere ſuccedat, quamdiu aliquid reſtat; niſi prius victoriam plenam obtineat. Ergo nec multum laudandi ſunt homines,

qui



qui ſolum prædicationes audiunt, & ſecundum audita non faciunt. Non enim ſufficit, ſi tantum ſpeculatiuam habeat ſcientiam, niſi habeat experientiã, quia experientia facit artem. Et propterea Saluator noſter, cum eſſet medicus animarum omnium; noſtras voluntates voluit experiri, an poſſet compati more boni medici, qui cum infirmis dicitur infir- *Heb. 5. c* mari. Vnde dicitur: Didicit ex his, quæ paſſus eſt, *Iac. 1. d* obedientiam. Et ideo dicitur nobis: Eſtote factores verbi Dei, & non auditores tantum, fallentes voſ- *Mat. 23. a* metipſos. Vnde: Dicunt, & non faciunt. Non talis *Rom. 15. d* erat Apoſtolus, qui dicebat: Nihil audeo loqui eorum, quæ per me non effecit Chriſtus. Et quid mirum de viris Sanctis; cum hoc fuerit in Philoſophis? Nam Tullius dicit quòd prius eſt artis facere, quæ ipſe doces.

*Articulus tertius.*

TErtio (viſa cauſa, propter quam debemus ad diſcendum moueri, & addita forma, ſecundum quam debemus ad diſcendũ regulari, & dirigi.) ponenda eſt materia, circa quam debemus negotiari. Eſt autem materia ſecũdum tria, quæ debemus addiſcere. Nam primo debemus addiſcere timorem reuerentiæ: Secundo, amorem beneuolentiæ: Tertio, rigorem iuſtitiæ. Vt ſic homo diſcat timorem reuerentiæ circa Deum, & amorem beneuolentiæ circa proximum, & rigorem iuſtitiæ in ſeipſum.

Dico ergo primo, quòd homo debet diſcere timorem reuerẽtiæ circa Deum: Nam timere Deum, omnis boni eſt fundamentum: quia per eum homo dimittit peccatum, & incipit agere bonũ, & aſpirat ad optimum, & impeditur ne recidiuet in malũ: Per *Prou. 15. d* timorem Domini recedet omnis a malo. Si non in *Eccli. 27. a* timore Domini habueris te conſtanter, conuertetur cito domus tua. Quis enim peccator non timet iudicem omnia cognoſcentem, & vniuerſa ſubtiliter *Hiere. 10. f* exquirentem, & omnia mala punientẽ? Quis non *Exempla.* timebit te o Rex gentium? Si ſic timet gallina pro filijs miluum, ſi ſic columba niſum, ſi ſic falco, auis regia, aquilam auium reginam; vt præſente eo non audeat exire ad prædam; quantùm eſt timenda, & reuerenda illa ſumma potentia, cui nulla poteſt reſiſtere creatura? Et propterea Dominus dicit ad *Deut. 4. b* Moyſen: Congrega ad me omnem populum, vt audiat ſermones meos, & diſcat timere me omni *Pſal. 32. b* tempore. Vnde Pſalmus: Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inha- *Mala. 4. a* bitantes orbem. Nam ſicut dicitur: Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ. Nam & reges mundi, & principes multũ amant milites, quos vident circa ſe reuerentes, & reuerenter ſuis imperijs obſequentes: ſed diſperdunt, & opprimunt contrarium facientes.

Secundo, diſcere debemus amorem benueolen- *Theſſ. 4. c* tiæ circa proximum: vt ſcribit Apoſtolus: Ipſi enim vos a Deo didiciſtis, vt diligatis inuicem. Certe hoc docet, & prædicat omnis ſcriptura: & hoc etiam docet ipſa natura. Quid enim aſpide ſerpente crudelius? & tamen ſic ſuum comparem diligit, vt abſque eo vix viuere poſſit. Vnde ſi quis eorum aliquem occidere vult, alter eorum miro modo perſequitur occiſorem, & illum vbicumque inuenit, inuadit eum, & mori pro compari paruipẽdit. Quid enim mundus eſſet, qui tam diuerſa in vnũ vnit; ſi amor creaturarum non eſſet? Quis enim complete enarret columbarũ, ſtruthionũ, gruum, & anſerum amorem ſimul incedentium, ſimul quieſcentium? Ergo ſi ita eſt in auibus, ſi ita in ſerpentibus; quid in hominibus, qui ſunt ab vno Deo quodam modo ſpãliter; qui ſunt ab vno ſolo homine orti, & ad vnam beatitudinem ordinati; qui de ipſa dilectione mutua ad fratrem, aut proximum, diuinum acce-

A perant præceptum? Amemus igitur nos fratres, non ſolum lingua, ſed & ſermone: & non tantum corde, ſed etiam opere. Quia, vt Gregorius dicit, Probatio dilectionis exhibitio eſt operis. *Greg. to. 3. homil. 30. in Euang.*

Tertio, diſcere debemus rigorem iuſtitię in noſipſos. Vnde & Propheta dicebat: Confitebor tibi *Pſal. 118. a* in directione cordis, in eo quòd didici iudicia iuſtitiæ tuæ, ideſt didici me corrigere. Nam & leo cau- *Exempl.* da ſe ferit: lupus acerrimo dente pedem offendentem ſtringit: gallus ſe alis percutit, nec canere præſumit, antequã ſe percuſſerit: quia reuera nullus ad cantum æternum valebit peruenire, qui ſe hic non B afflixerit. Hæc omnia ſancti Doctores fecerunt, ſicut eorumdem nobis ſcripta oſtendunt. Vnde ipſe Doctor gentium nobis dicebat: Caſtigo corpus *1. Cor. 9. d* meum, & in ſeruitutem redigo: ne cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Exemplum ſancti Hieronymi, quomodo carnem ſuam attriuit in orationibus, & ieiunijs, & vigilijs. Lege eius Legendã. *Ipſemet Hieron. in epiſt. 22. de cuſtod. Virgin. ad Euſtochiũ, poſt initiũ to. 1. Idem refertur in eius vita, quæ ſcripta eſt in limine operũ ipſius.*

# DE VNA S. VIRGINE

## SERMO I. in ordine XXXII.

C VEni de Libano, veni: coronaberis. *Cant. 4. c* Vix eſt ſeruus tam malus, ſicq. peruerſus, qui ad Dominũ ſuum vocatus, renuat venire. Nam & catuli a dominis verberati, redeunt mox vocati: redeunt ad manus dominorum & accipitres: redeunt & falcones, quamuis ſint aues valde crudeles, de ſola rapina viuentes. Quæ eſt ergo ingratitudo noſtra, quæ eſt arrogantia noſtra, quæ eſt ſtultitia noſtra, cum vocati a Domino, non ad corporalem, & periturum cibum, nec ad ſupplicium, ſed ad æternum regnum, vocantem non at- D tendimus, non audimus, ſed contemnimus: quem terra tremit, mare audit, & infernus expaueſcit? Hæc Virgo non talis fuit, ſed fuit Virgo ſancta, Virgo pudica, Virgo mente & corpore præfulgida: ſed a Chriſto vocata, primo ſeruiuit in gratia, & ſecundo vocata ad gloriam, acceſſit obediens ad coronam. Bene ergo dicitur ei: *Veni de Libano*, &c. In quo verbo commendabilis redditur: & quantum ad ſtatum viæ, quo militauit in ſæculo; & quantum ad ſtatum Patriæ, quo triumphat in cælo. Nam ſtatus primus reſpicit viæ meritũ, quo fuit gratia adornata: Sed ſtatus ſecũdus reſpicit Patriæ præmium, quo E nunc eſt gloria coronata. Commendatur ergo primo a merito, quo claruit luculenter in via, cum dicitur: *Veni de Libano*. Secundo, commẽdatur a pręmio, quo ſublimata, claret in Patria, cum additur: *veni: coronaberis*. Dicit ergo Dominus, & Saluator noſter: *Veni de Libano*. Libanus candidatio interpretatur, qua ſtatus meriti deſignatur: eo quòd in candore munditia hominis vtriuſque accipitur. Eſt ergo notandum, quòd triplex eſt candor, ſiue munditia, quo aliquis candeſcit: Nam primo, eſt candor, quo quis ſplendet in mente: Secundo, eſt candor, quo quis fulget in carne: Tertio, eſt can- F dor, quo quis lucet in opere: vel in exteriori conuerſatione. Nam tunc eſt homo vere mundus, & candidus, quando eſt candidum corpus, & eſt candidus animus, eſt & candidum opus.

Dicamus ergo: Ad veram munditiam, primo requiritur candor in mente: Dicitur autem candida anima, quando nulla culpa eſt deturpata, nec vlla immunda fœdata cogitatione. Et hæc mũditia mentis omnes alias munditias antecedit, tamquam aliarum omnium fundamentalis, & radicalis: Nulla enim eſt pulchritudo in arbore, quæ non venit a radice: Nihil pretioſitatis in lumine, quod non deſcendit a ſole. Ergo nihil eſt pretioſitatis, & pulchritudinis in corpore; vel ſermone, nec in opere;





quod

quod non deſcendit a fonte, ſcilicet corde, a quo (A) membra omnia, & moueri habent, & viuere, ſicut habet ramuſculus a radice. Numquam poteſt homo eſſe vere mundus exterius, ſi immundus fuerit interius: quia immunditia exterior immunditiæ interioris apertiſſimum eſt ſignum. Quia ſicut dicit *Aug. to. 2. epiſt. 109. in Regul. Monachar. & to. 1. in Regula 3. cap. 21.* Auguſtinus, Impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius. Similiter & impudica verba, & impudica opera, & immunda eſſe probant corda immunda. Hoc ergo attendens hæc Virgo ſancta, volens candida eſſe in carne, & opere, ſtuduit prius eſſe candida in mente, ne fruſtra laboraret inter cetera, cordiali munditia derelicta. Vnde de ea poteſt con- (B) uenienter accipi illud *Sap. 7. d*: Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Lux enim nihil habet immunditiæ admixtum: immo intantum eſt pulchra, vt non fiat immũda tranſiens etiã per immunda: ſic, & Virgines plures, etſi potuerũt ad lupanaria duci; non tamen potuerunt fœdari. Sed quis hodie habet hanc munditiam cordis? Quis poteſt dicere *Prou. 20. b*: Mundum eſt cor meum? Si fœda ſunt hominum corda, tunc fœdæ ſunt & hominum conſcientiæ. Similes ſunt homines noſtri temporis Leænæ, quæ eſt animal adeo luxurioſum, & fœdum; vt ſemper aſpiret ad coitum: quare ſibi leo non ſufficit, ſed (C) miſcet ſe pardis. Vnde dicitur *Tit. 1. d*: Omnia munda mundis: & infidelibus nihil mundum, ſed coinquinata eſt eorum mens, & conſcientia.

Secundo requiritur candor in carne: Candor enim, ſiue munditia carnis, pendet ex mũditia mentis: cum corpus numquam coinquinari poſſit, niſi de conſenſu mentis. Vnde ſancta Lucia dicebat: Si me inuitam violari feceris: caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. Et ideo de hac ſancta Virgine N. poteſt exponi illud *Cant. 4. c*: Pulchriores ſunt oculi tui vino: & dentes tui lacte candidiores. Quid per oculos, (D) quibus vniuerſa videmus; niſi potentia cognitiua ſignatur? Quid per dentes, quibus cibum accipimus, diuidimus, & maſticamus; niſi potentia affectiua, quibus omnia ruminamus? Quid per lac cãdidum; niſi corpus virgineum? Quid enim eſt lac, niſi ſanguis bis coctus in vbere *Leuit. 17. d*? Et conſtat, quòd vita carnis maxime in ſanguine conſiſtit. Quare in lacte accipitur corpus, & proprie in eius candore candor venuſtatis virgineæ. Eſt etiam notabile, quòd lac eſt candidum non ſolum exterius, ſed etiam per totum interius: quia non eſt perfecta munditia, quæ eſt in ſola carne; niſi ſit & in mente. Vnde Philoſophus (E) dicit quòd non dicitur continens omnis qui ſe ab immunditia abſtinet: ſed ſi continet, & hoc ipſo gaudet. Nulla enim virtus (loquendo proprie) exiſtit in corpore, ſed intus in mente, & tunc redundat in carnem. Vnde virginitas, virtus habitus eſt animæ, redundans foris in carne. Sed quis hodie virgo exiſtit? Quis carnem ſuam virginitate cuſtodit? Quæ bruta, quantumcumque laſciua, ſicut homines, ſunt immunda? Numquid tantæ continentiæ ſunt homines, vt ſunt elephantes? Valde luxurioſi ſunt equi, & canes: ſed magis homines: cum tamen eis præceptum ſit *Pſal. 31. c*: Nolite fieri ſicut equus, (F) & mulus, quibus non eſt intellectus. Et notabiliter dicitur, intellectus: quia animalia intellectu carent: & tamen ſenſibilia de ſui natura ſunt totaliter ad laſciuiam proni: ſed intellectualia, quæ ſunt a ſenſibilibus eleuata; ſunt ad finem alium ordinata. Sed eſt hodie natura mutata, & variata; ſunt opera peruerſa; dum natura rationalis Deo mente ſimilis, plus vacat luxuriæ, quàm brutalis. Nam videmus, quòd bruta ſolum in vere coeunt: ſed homines omni tempore, ita quòd nec feſta cuſtodiunt. Bruta coeunt ad generationem, vnde ſuam valeant conſeruare ſpeciem: Homo communiter ad ſolam delectationem carnis: vnde nec ceſſat a muliere prægnante; cum multa ſint animalia, quæ poſt con- (A) ceptum fœtum abſtinent a femina. Bruta etiam in actu carnali modum naturæ non mutant, ſed ſeruant, præter pauca; ſed homines naturæ modum ſæpius mutant, & cum vxoribus non ſeruant: ſicut etiam fuit ante diluuiũ, quando propter hoc, mundo diluuium eſt inductum. Vnde ſcribitur *Gen. 6. b*: Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram. Videns ergo Dominus, quòd cuncta cogitatio cordis humani intenta eſſet ad malum omni tempore; dixit ad Noe: Finis vniuerſæ carnis venit coram me: & repleta eſt terra iniquitate, & ego diſperdam eos cum terra. Et ecce ſi ſic modo eſt, vt tunc erat: er- (B) go non reſtat, niſi vt finis mundi veniat, & omnis rapiat ad infernum. Nam & Dominus ipſe prædixit dicens *Mat. 24. c*: Sicut fuit in diebus Noë; ſic erit in aduentu filij hominis. Nam ſicut illi tempore Noë nõ credebãt; ſed eum fabricantẽ arcam deridebant; ſic nec vos creditis hunc mundum finiendum, donec pœna doceat, quod conſciẽtia nunc ſcire recuſat. Cum enim (vt ait Apoſtolus *1. Theſſ. 5. a*) dixerint, pax, & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, & non effugient. Sæpe enim auis capitur laqueo, piſcis hamo: quia dum ſecurus vterque vadit, paratum ſibi periculum non aduertit. Vnde dicitur *Eccls. 9. c*: Sicut piſces (C) capiuntur hamo, & aues laqueo; ſic homines capiuntur in tempore malo.

Tertio requiritur, vt ſit candor in opere: Sic enim perfecta eſt noſtra munditia, quando non ſolum munda ſunt corda, ſed etiam verba, & opera. Debet enim munditia mentis reſplendere in viſu, in auditu, & in tactu, in inceſſu, & in habitu, & effectu. Non enim poteſt eſſe, vt, vbi ſunt vera munda corda, quòd verba, & opera ſint immunda; quia immunditia verborum, vel operum, ſignum certiſſimum eſt immunditiæ cordis. Vnde (D) mulier quædam ſancta dicit in vitis Patrum quòd nõ eſt vera caſtitas apud homines ſæculares: eo quòd ſunt omnium ſenſuum corruptores ſuorum. Hæc ergo Virgo ſancta candorem, quem gerebat in corde, portauit & in opere, & in omni ſua conuerſatione. Sciebat enim ſcriptum eſſe *Eccls 9. b*: Omni tempore ſint veſtimenta tua candida. Et illud quod de Domino Saluatore habetur *Mar. 9. a*: Veſtimenta eius candida fuerunt ſicut nix. Quid per veſtimenta candida, niſi opera munda? Sicut veſtibus calefimus exterius; ſic operibus inflammamur interius. Item ſicut veſtimentis contra iniurias aëris tegimur; (E) ſic contra diabolum bonis operibus defenſamur. Item ſicut veſtibus homo exterius adornatur; ſic bonis operibus & ſanctis totus homo luminoſus efficitur. Ergo in hac Virgine ſancta veſtimenta candida, fuerunt ipſa opera luminoſa. Sciebat enim a Domino eſſe præceptum *Mat. 5. b*: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona. Vnde de ea poteſt dici illud, quod dicitur de Vxore Agni *Epheſ. 5. d*: quæ eſt Dei Eccleſia, non habens maculam, neque rugam. Datum eſt (inquit Ioannes *Apoc. 18. c*) ei, vt cooperiat ſe byſſo candido, & ſplendenti. Byſſus candidus, & ſplendens, eſt opus ex toto luminoſum, (F) & pulchrum. Sed quis eſt hodie, cuius opera ſint vndique ſplendida, & candida, & non ſordida, & immunda? Sunt enim hodie homines porcis ſimiles, qui ſemper lutoſa quærunt, & diligunt lutum, & tota die in luto ſe voluũt: nec eius fœtorem ſentiunt, quem odorem delectabilem eſſe credunt. Fugiunt aues fœtida; amant odorifera: ſed luxurioſi diuinæ imaginis obliti, ſolo fœtore luxuriȩ ſunt contenti. O rabies deteſtanda, o freneſis inaudita: vt humana ſcientia ſit cæca, & non ſentiat ſibi fœtida, & nociua: cum in his non deficiat formicarum prudentia, nec multorum brutorum induſtria. Sequitur, *Coronaberis*. In quo notatur ſublimitas præmij, qua eſt præmiata in Patria. Nam corona eſt res pretioſa ex parte materiæ, & eſt res ſpecioſa ex parte for-



(A) formæ, & eſt æternitatis ſignificatiua ex parte figuræ. Et ſic vita illa beata eſt ſumme pretioſa, propter ſummum bonum: Et ſumme ſpecioſa, propter ſummum pulchrum: Et eſt æterna, propter ſumme immenſum. Sed de his quære in ſermonibus de Martyribus ſupra, & infra.

# DE VNA S. VIRGINE
## SERMO II. in ordine XXXIIV.

*Sap. 4. a* IN *perpetuum coronata triumphat*. Dignum eſt, & iuſtitiæ conſonum, vt qui fortiter pugnat, & hoſtem ſup- (B) peditat; coronam triumphalem accipiat. Vnde dum tales coronantur, ceteri ad victoriam animantur. Vnde antiquitus victores bellorum coronati coram omnibus incedebant: & ſic ad bellandum omnes fortiter animabantur. Dum enim de capta præda aliquid canibus datur, contingit, vt ad beſtias capiendas amplius concitentur. Multi ad bellandum milites animantur; quando munus eis proponitur. Vnde cum Magnus Alexander magna dona militibus dabat, intantum eos ad prœlia animabat, quòd nulla pericula ſubire titubabant, & fortiſſime dimica- (C) bant. Sic Virgines ſacræ quamuis debiles corpore; tanta pollebant fortitudine animæ, dum reſpicerent ad mercedem; vt gladijs, ſiue ignibus ſuperari non poſſent. Et ideo de vna earum bene dicitur verbum propoſitum: *In perpetuum coronata triumphat*. In quo verbo cõmendabilis oſtenditur a duobus: Primo, ex parte aduerſarij, quem deuicit. Secundo, ex parte præmij, quod accepit. Vt ſic oſtendatur eius victoria triumphalis, qua hoſtem deiecit in via: Et inſuper oſtenditur eius gloria æternalis, qua coronata eſt in gloria. Notatur ergo primo victoriæ adeptio, quam de hoſte obtinuit, cũ dicitur: *Trium-* (D) *phat*. Secundo notatur præmij aſſecutio, quod accepit, cum additur: *In perpetuum coronata*. Verum, vt ſimul tractemus totum meritum, & præmium breuiter; eſt notandũ, quòd hæc Virgo ſancta quadruplici corona coronata exiſtit, correſpondente gratia, quam poſſedit in via. Nam primo, coronata fuit corona luminoſa, propter ſplendorem Sapientiæ, qua refulſit. Secundo, coronatã fuit corona ſpecioſa, propter pulchritudinem carnalis munditiæ, quam ſeruauit. Tertio, coronata fuit corona pretioſa, propter pretioſum donum patientiæ, quo (E) pugnauit, & vicit. Quarto, coronata fuit corona gloriæ, propter virtutem pœnitẽtiæ, quam portauit.

Dico, quòd hæc ſancta Virgo fuit a Deo coronata corona luminoſa, ſiue radioſa, propter radium Sapientiæ, qua refulſit. Innumerabiliter vtique ſapientia ſplenduit, dum viam pœnitentiæ virtutis elegit, dum ſuam virginitatem Chriſto ſeruauit, dum coram iudicibus ſic ſapienter reſpondit, dum pro Chriſto mori non timuit: ſed magis optauit. Vſa eſt enim prudentia paruuli cuiuſdã piſcis, qui Echinus appellatur a multis *De Echino piſce, vide Plin. lib. 9. Natur. hiſto. c. 31.*; qui dum tempeſtatem maris futuram præſentit, calculo ſe capit, & pon- (F) dere ſic in maris fundo ſe ſtabilitat, vt a fluctibus moueri non poſſit. Sic & hæc ſancta Virgo, dum in tempeſtuoſo mundi mari degeret, ſapientia piſcis pollens, lapidem ſcilicet arripuit, cuius ſtabilita domo, dono virtutis inter fluctus remaneret immobilis. Nam ſapiens manet in ſua ſapientia, ſicut Sol *Eccli. 27. b*: ſed ſtultus, ſicut Luna mutatur. Exemplum huius ſapientiæ accipe in ſancta Katarina, Barbara, Cæcilia, Agnete, Anaſtaſia, & Agata: quæ tanta ſapientia refulſerunt, quòd omnes iudices, & mundi ſapientes verbis ſuæ ſapientiæ confuderunt. Propter hanc ergo ſapientiam tota hæc Virgo ſancta a Deo eſt coronata corona radioſa, ex ſtellis fulgentibus fabricata. Vnde de ea poteſt exponi illud *Apoc. 12. a*: Signum (A) magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, propter refulgentiam ſapientiæ, & veritatis, ſiue propter incendium charitatis: & luna ſub pedibus eius, propter contemptum terrenorum: et in capite eius corona ſtellarum duodecim, propter altitudinem dignitatis. Non enim coronantur, niſi perſonæ altiſſimæ in dignitate, vt reges, & reginæ. In numero duodecim ſtellarum, quem numerum aſſerunt ſapientes eſſe perfectum, ex duobus ſenarijs aggregatum, iuxta numerum duodecim Apoſtolorum, intellige perfectionem, & abundantiam præmiorum. Sed quis eſt hodie, qui obtineat coronam (B) hanc radioſam? Sic patet, quòd hæc corona radioſa redditur ſapientiæ. Ergo qui in hac vita ſapiens non eſt iuxta Domini ſententiam, ad coronam hanc peruenire non poteſt. Sed hodie nõ habetur ſapientia vera, ſed vana: non cæleſtis, ſed terrena: non diuina, ſed humana: non ſerpẽtina, ſed vulpina, & fraudulenta; quæ non eſt dicenda ſapientia, ſed aſtutia, & malitia: Vnde ſapientes ſunt, vt faciant mala: bene autem facere neſciunt *Rom. 1. c*. Stultus enim factus eſt omnis homo a ſapientia ſua *Hiere. 10. b*: Quis eſt hodie ſapiens, niſi ad malum cogitandum, & ad malum loquendum, & malum contra proximum loquẽdum, (C) & operandum? Vtinam haberemus ſapientiam ſerpentinã, qua ſerpens vtramque claudit aurem, ne vocem audiat aduerſarij incantantis *Pſal. 57. a*: & per arctum foramen ingrediens veterem pellem deponit, & nouam aſſumit: & pro ſuo capite defendendo totum corpus morti exponit. *Quomodo ſerpens exuat ſenectutem, vide Ariſtotelem de hiſtor. animal. lib. 8. c. 17. par. 5.* Nos ergo debemus aures cordis noſtri claudere, ne ſuggeſtiones diabolicas audiamus: & per arctum foramen pœnitẽtiæ incedere, vt vitam peccatorum veterem abijciamus, & nouã vitam virtutum induamus, & pro Chriſto noſtro capite ſatagere, vt pro ipſius honore nos, & omnia noſtra ponamus. Sed quis hodie iſta facit? Sed ad- (D) huc hodie regnat in mundo vulpina ſapientia. Vulpis enim ſemper tortuoſe incedit, ne eius via a canibus deprehendi valeat: ſed & in dextram claudicat partem, & in ſiniſtra ſe eleuat: & gallinis inſidiari non ceſſat. Sic & hominum vita, vel via tota eſt tortuoſa, & malitijs tota plena: claudicat ad omnia bona, & ſe erigit ad omnia mala: & contra proximum tota die eſt inſidioſa.

Secundo, coronata fuit corona ſpecioſa, propter pulchritudinem virginalis pudicitiæ, quam ſeruauit. O quàm ſpecioſa fuit, dum carnis immunditiam declinauit, dum luxuriæ fœtores abhorruit, & dum (E) ſuam carnem a corruptione ſeruauit! Nihil turpius, vel fœtidius, quàm porcorum more, naſum in luto tenere. Si apes ſe cuſtodiunt virgines; quid noſtræ debent facere mulieres? Si Virgines multæ Romanæ, quamuis Paganæ, virginitatem ſuam Idolis dedicarũt; quid Virgines pro Chriſto facere deberent, oſtenditur. Nam ſicut albedo omnium colorum eſt fundamentum, ſicut oſtenditur in arte pictorum; ſic munditia bonorum omnium eſt fundamentum. Vnde Gregorius exponens illud verbum Domini *Luc. 12. e*: Sint lumbi veſtri præcincti, &c. Sic ait *Greg. hom. 13. in Euang. to. 3.*: Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per con- (F) tinentiam coarctamus: & lucernas ardentes in manibus portamus, cum per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus: quia nimirum nec caſtitas aliquid eſt ſine bono opere, nec bonũ opus penitus aliquid eſt ſine caſtitate. Hoc enim attento, hæc Virgo ſancta ſtuduit per omnia eſſe caſta, & pulchra, & munda, abſque macula: vt poſſet attingere ad coronam fulgidam ex auro ſibi præparatã. Nihil enim inter omnia metalla auro pulchrius: immo nulla omnino pictura ſine auro eſt pulchra, quia aurum eſt omniũ colorum pulchritudo. Item nihil eſt auro ſolidius, & quaſi nihil eſt eo ponderoſius, vt dicit Philoſophus *Ariſt. Phyſic. li. 4. tex. 85. par. 4.*: Omne corpus, quanto eſt ſolidius, tanto eſt compactius, & minus poroſum: & ideo

& ideo ponderoſius. Et dicit, quòd hæc regula ſo- A lum fallit in plumbo, & ferro: Nam cum ferrum ſit magis ſolidum, quàm plumbum; eſt tamen minus ponderoſum: ſicut vtrumque patet ad ſenſum. Dignū ergo fuit, vt hæc Virgo ſancta, propter pulchritudinem, & munditiā ſuæ carnis, necnon & integritatem ſuam, coronā de auro fulgido, & incorrupto ſuſciperet loco mercedis. Vnde poteſt ei cōuenire illud: Corona aurea ſuper caput eius, ſupple mittitur. Sed quis ad hanc hodie meretur coronam peruenire? Quis hodie mundus a ſorde? Quis munditiam carnis ſeruat? Quis non more beſtiarū, ſcilicet canum, & equorum luxuriæ vacat? Ergo ſi corona aurea ſpecioſa redditur caſtis, & nitidis; nullus immundus hanc obtinebit. Vnde dicitur: Foris canes impudici. Et Apoſtolus: Fornicatores, & adulteri regnum Dei non poſſidebunt. Sed anima, quæ vixit caſte, poterit dicere illud: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me veſtimento ſalutis, ſcilicet charitate: & indumento iuſtitiæ circumdedit me, ideſt caſtitate, per quam homo, qui peccauit, iuſte ſe punit. Et tamquam ſponſam decorauit me corona, ideſt ſpecioſitate. Nihil enim pulchrius forma rotunda, quæ ſplendet maxime in corona. Conſueuerunt enim puellæ tempore æſtatis, dum ſuas coronas conſtruunt ad bellandum, eas gemmis paruulis, & auro, & argento, binis ſertis & corigijs pretioſis ornare.

*Ferrum eſt minus ponderoſum, quàm plumbum.* — *Eccl. 45. a* — *Apoc. vlt. c* — *Epheſ. 5. b* — *Iſa. 61. d*

Tertio, fuit coronata corona pretioſa ex lapidibus pretioſis, & caris formata, propter fortitudinē patientiæ, quam in pugna ſeruauit. † Lapis enim aliquis pretioſus tantam ſoliditatem habent, & fortiter ſibi partes inhærent; vt nec ferro diuidātur, nec igne rumpantur. Vnde per coronam lapideam pretioſam, eſt ſignata patientia, quæ pretioſior eſt omni gemma, & ſolidior omni petra; licet nullum sit genus lapidis, quod aliqua arte frangi non poſſit: Vnde * adamas ſanguine hircino frangitur; & etiam, ſi inter plumbum collocetur, & malleo feriatur. Sic nec patientia vera exuritur, nec ferro rumpitur, nec aliquibus irruentibus ſuperatur, nec ipſa morte vincitur: ſed ad modum auri puriſſimi numquam ſub malleo frangitur, numquam ſcinditur: ſed tantummodo dilatatur. Nam inſulæ eſt ſimillima, quæ aqua vndique percuſſa non diſſoluitur, ſed amplius ſolidatur. Nam & ad modum vrſi ictibus impinguatur: quia hæc Virgo ſancta, ſic in tētatione pinguis, & bellis fortiſſima, & ſolidiſſima fuit, ideo coronam lapideam, & pretioſam accepit. Poſuiſti, Domine, in capite eius coronam de lapide pretioſo. Sed quis eſt hodie, qui iniurijs etiam leuibus non turbetur, qui non ſtatim ad modicum ſignum ſcandalizetur? Qui non portat ferrum, non portabit ictum. Sunt etiam homines hodierni de natura oleæ, quæ nullo modo vult percuti: immo ſi eam percuſſeris, nullum fructum in ſequenti anno portabit. Quidam habent naturam vrſi, qui volunt ſe de omnibus vindicare. Vnde ſi poſt aliquem currit, & alius eum percuſſerit; ſtatim primum dimittit, & alium inuadit. Quidam etiam naturam habēt apis, quæ pro ſe vindicanda vitam ſuam exponit. Sæpe tamen vindicare ſe volenti accidit, ſicut cani, qui lapidem ſibi proiectum dentibus rapit, & dum lapidem lædere quærit, ſibi potius dentem lædit. Prouerbium apud nos certum eſt: Qui male iniurias ſuas vindicat, dum vindictam quærit, in peius incidit: quia iniurias accipit, quas iniurias primis addit. Qui ergo tales ſunt, ad coronam pretioſorū lapidum non attingunt. Scriptū eſt: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Non enim poteſt triticum in horreum poni, niſi prius in paleis fuerit fortiter tribulatum: ſimiliter nec in doleis vinum, niſi in pila fuerit fortiter conculcatum: non redolet vnguentum; niſi fortiter fuerit agitatum. Ergo nec tu intrabis in Regnum cælorum, niſi prius hic preſſus fueris per tormenta. Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit.

*† Hiero. de adamante hoc dicit in lib. 3. in Amos ſuper cap. 7. to. 5.* — ** Aug. de Ciuit. Dei lib. 21. c. 4. in princ. to. 5. Hiero. ibid. & alia multa, & Plin. Natur. hiſtor. lib. 37. cap. 4.* — *Pſal. 20. a* — Exempl. — *Luc. 21. e* — *Tim. 2. a*

Quarto, coronata fuit hæc Virgo ſancta, & glorioſa, propter caſtitatem, & humilitatem, quam in via portauit. Dignum eſt enim, vt qui ſe in via propter Chriſtum humiliat, vt in Patria coronam glorioſam accipiat, & tanto glorioſiorem, quanto ſe habere potuit viliorem. Secūdum enim menſuram humilitatis in mundo, menſura præmij reſpondet in cælo, vel in regno. Qui enim ſe humiliat, exaltabitur; B & qui magis ſe humiliat, eo maxime exaltabitur, vt aqua; quæ quanto ab altiori monte in vallem magis profundam deſcenderit, tanto magis in montem illi oppoſitum ſurſum tendit: Sic etiam nullus mons eſt, vt conſtat, qui apud ſe vallem non habeat. Sic omnino neceſſarium exiſtit, vt iuxta profunditatem vallis, altitudo ſit ſui montis. Cōtrariorum enim contraria eſt natura. Quare ſicut aliquis, quanto plus aſcendit, tanto dum cadit, profundius ima petit; Sic econtrario, quanto quis amplius deſcendit, tanto amplius ſurſum tendit. Sic ergo ſecundum menſuram temporalis gloriæ, eſt menſura C temporalis ruinæ, ſicut de Lucifero dicitur; qui quanto altius aſcendere voluit, tanto profundius eſt dimerſus. Sic iuxta menſurā vilitatis pœnitētiæ, eſt menſura gloriæ. Exemplum de beatiſſima Virgine Maria, quæ ſumme humilis fuit: ideo ſumme exaltari promeruit. Vnde dicitur: Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit; tantum date ei tormentum, & luctum. Ergo a contrario ſenſu licet inferre: quantum ſe humiliauit hic; tanto glorioſior ſit corona mercedis. Vnde de hac Virgine humili dicitur: Spiritus Domini ſuper me: eo quòd vnxerit me. Ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer D contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiā, & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro: vt conſolarer omnes lugentes, vt ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Et addit in ſequenti capitulo loquens de Virgine: Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Nec mirum, quia, vt dicitur, ipſe ponit humiles in ſolio, & mœrentes erigit in ſoſpitate. Sed quis hodie venit ad coronam hanc glorioſam, immo quis non peruenit ad E confuſionem æternam? Si enim omnes quærimus ſublimari, neceſſe habemus humiliari: & tanto amplius, quanto plus aſcendimus, iuxta regulas, quas ſupra poſuimus. Ergo, chariſſimi, ſi volumus cum hac Virgine corona gloriæ ſublimari; ſtudeamus cum ea humiliari, & vilitate pœnitentiæ opprimi. Quid enim igne pulchrius? ſed non apparet eius pulchritudo, quàmdiu operitur cinere: ſed amotis cineribus, ſtatim lucet. Quid auro fulgidius? ſed non apparet, quàmdiu in terra latet. Quid enim Margarita candidius? ſed quàmdiu latet in occulto non apparet. Quid arbore folijs, & floribus adornata F & fructibus, poteſt cogitari venuſtius? ſed eius pulchritudo non apparet, quàmdiu in radice latet, vnde omnis pulchritudo procedit. Sic etiam non apparet Sanctorum gloria, quàmdiu ſub cinere pœnitentiæ latent in via. Sed cum virtus ſolis æterni ducet eos ad publicum, & tradiderit eis regnum ab æterno præparatum; tunc quales fuerint, omnibus apparebit, &c.

*Luc. 14. c, & 18. c* — *Apoc. 18. b* — *Iſa. 61. a*

DE



# DE VNA S. VIRGINE

## SERMO III. in ordine XXXIV.

*Apoc. 19. a*

*Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe.* Cōmune eſt apud omnes homines, vt gaudeant, & ſollemnizēt in nuptijs: cantent, & vacent conuiuijs propter amorem ſponſi, & ſponſæ in vnam carnem coniunctorum. Et apud nos prouerbiū certum eſt quòd in nuptijs agnoſcuntur amici. Non enim amicus cre- B di debet, qui in nuptijs amici non gaudet: vel in morte non dolet. Sed ſi ſic gaudēdum eſt in nuptijs perituris; qualiter gaudendum eſt in nuptijs æternaliter permanſuris? Et ſi ſic amici gaudent, dum mortalis ſponſa mortali traditur ſponſo; quantum tunc gaudendum eſt, dum mortalis ſponſa traditur Deo ſponſo incorruptibili, & æterno? Ergo gaudeamus mente, & exultemus opere, & demus gloriam Deo ore: quia venerunt nuptiæ Agni, & huius ſanctæ Virginis. Nam & in verbo præmiſſo notantur maxime duo. Primum eſt ſublimitas præmij, quod ſuſcepit in Patria. Secundum eſt ſollemnitas feſti, quo ſol- C lēnizat Eccleſia. Primum reſpicit Eccleſiam triumphantem, ad quam gaudens intrauit: Secundum vero, Eccleſiam militantem, a qua ſe hodie abſentauit. Primum notatur, cum dicitur: *Venerunt nuptiæ Agni*. Secundum, cum dicitur: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo*. De hoc ſecundo tantum hic dicēdum eſt: quia in ſermone quodam, in Dominica poſt Epiphaniam de nuptijs recolo me dixiſſe. Ergo primo notandum, quòd tria verba hic notabiliter ponit: *Gaudeamus: & exultemus, & demus gloriam Deo:* quia in hac tanta ſollēnitate tribus modis nobis gaudere conuenit, videlicet, Primo, D corde: Secundo, ore: Tertio, opere. Tunc enim perfectum eſt gaudium, ſi cor interius iubilet, ſi os Deū laudet, & ſi opus iſtis teſtimonium reddat. Quamuis ergo tria ſint verba; ſententia tamen eſt vna inuitans ad gaudia. Et ideo eſt notandum, quòd triplex eſt gaudium, ſcilicet primum, quo lætamur in corde: Secundo, quo lætamur in ore: Tertium, quo lætamur in opere. Nam gaudium cordis eſt, Deum gaudendo amare: Gaudium oris eſt, Deum gaudendo laudare: Gaudium vero operis eſt, Deo gaudendo ſeruire.

Dico, quòd primum gaudiū, quo in hac die ſan- E cta gaudere debemus; eſt gaudiū cordis: quod nihil aliud exiſtit, quàm Deum amare cum lætitia mentis. Vnde Dominus volens Apoſtolos ad amorem inducere; poſt multa dulcia verba, quæ eis dixerat, ſic ait ad eos: Hæc locutus ſum vobis, vt gaudium veſtrum plenum ſit, ideſt, vt amor veſter ad profectum veniat: toto corde, & tota mente, omniq. virtute Deum diligatis. Hoc enim gaudium cordis ſumme eſt pretioſum, ſummeq. iocundum. Vnde dicitur: Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis: & non eſt oblectamentum ſuper gaudium cordis. Nam cordis gaudium eſt pro fundamento po- F nendum omnium gaudiorum: quia ſicut cor a natura eſt membrum primum, & ante omnia membra productum, & omnis motus aliorum membrorum, & vitæ principium; ſic cordis gaudium eſt fontale principium omnium gaudiorum: quia ſicut corde bene exiſtente, omnibus alijs membris eſt bene: & eo male habente, ceteris membris eſt male; ſic exiſtente puro, & ſancto hoc gaudio cordis; purum, & ſanctum erit gaudium oris, & operis: quia ſecundū Apoſtolum, qualis radix, tales & rami. Non enim poteſt aqua riuuli eſſe pura, ſi fuerit in fonte corrupta. Nec ex corrupta paſta, placenta fieri poterit non infecta. Neceſſe eſt enim materiatum eſſe cor- A ruptum, ſi fuerit ex corrupta materia generatum. Vnde videmus, quòd ſi aliquis humor in corpore corrumpitur, toti corpori putredo inducitur; ſi ei medicamine citius non occurratur. Ergo fratres, ſi volumus exteriora gaudia non eſſe infecta, ſed Deo placita; laboremus quantum poſſumus, vt gaudia cordis ſint munda. Sed quis eſt hodie, qui intus in corde non gaudeat vane? Quis eſt, qui immundis cogitationibus non potius gaudeat, quàm mundis, & puris? Sed quia fratres vane gaudemus, ideo vane ridemus, vane incedimus, & finaliter ad vana redimus. Vnde: Riſus dolore miſcebitur, & extre- B ma gaudij luctus occupat.

*Iſa. 15. b* — *Eccli. 30. c* — *Rom. 11. c* — *Prou. 14. b*

Secundum gaudium, quo gaudere debemus, eſt gaudium oris: quod nihil eſſe conſtat, quàm Deum gaudendo laudare. Et de hoc gaudio plane dicitur in Pſalmo: Repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. Tunc enim vere gaudemus ore, dum pro bonis naturæ, quibus in eſſe ſubſiſtimus; pro bonis fortunæ, quibus in eſſe ſeruamur; pro bonis gratiæ, qua ſpiritualiter viuimus; & pro bonis gloriæ, quæ aliquando nos habere credimus, Deum pleno ore laudamus. Quid enim melius hoc gaudio? Quid, inquam, melius, quàm quòd in cor- C de geramus, quòd ore promamus, & calamo exprimamus, Deo gratias? Hoc enim nec aliquid breuius dici, nec audiri leuius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt. Si ſic attente laudat Deum auicula parua laudula, ſcilicet, ab officio ſic dicta, vel vocata; quid debet facere anima, creatura rationalis, creaturarum omnium domina? Omnis autem creatura ſuo modo diuinis laudibus eſt intenta. Solus tamen homo Deum non laudat, ſed potius beneficiorum immemor, ipſum blaſphemat. Audi mirabile. Non eſt, qui in regno ſuo aliquem regem terrenum audeat blaſphemare: Non eſt qui contra D principem aliquem, vel ciuitatis cuiuſcumque rectorem audeat maledictionis verbū proferre, quin capiatur, ligetur, verberetur, & morti ſæpe tradatur. Sed a ribaldis, & luſoribus tota die Diuina potentia blaſphematur: ſed nemo eſt, qui capiat tales, qui quodam modo diuino zelo accenſus, vindictam exquirat: cum tamen omnes tales digni ſint morte. Gaudendo ergo, laudemus Deum in hac ſacra Virgine a Deo exaltata, diuinam largitatem in ea laudibus extollamus. Nam & mos eſt apud omnes, vt in nuptijs inſtrumenta portentur, & cantibus dulcibus conuiuæ lætentur. Cur ergo non iubilabimus, cum E nuptiàs Agni, & Sponſæ aduenisſe cernamus?

*Pſal. 125. a*

Tertium gaudium, quo gaudere debemus, eſt gaudium operis: quod non aliud cōſtat eſſe, quàm gaudendo Deo ſeruire. † Non enim fortis dicitur (vt dicit Philoſophus) qui mala ſuſtinet; ſed qui ſuſtinet, & hoc ipſo gaudet. Vnde etiam viri ſancti non ſolum mala eis inflicta patienter ferebant; ſed hoc ipſo valde gaudebant. Vnde de Apoſtolis dicitur: Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu concilij: quoniam digni ſunt habiti pro nomine Ieſu contumeliam pati. Et Apoſtolus de ſeipſo dicit: Gaudeo in tribulationibus meis pro vobis. Ad hoc etiam F exhortatur nos Apoſtolus Iacobus in Canonica ſua. Omne (inquit) gaudium exiſtimate fratres chariſſimi, cum in tentationes varias incideritis. Gaudeamus ergo fratres corde, gaudeamus ore, gaudeamus & opere. Nam ſicut domus perfecta non poteſt dici, niſi fundamento iam erecto, tecti fiat additio; ſic non eſt perfectum gaudium, quod exiſtens in ſolo corde, non redundat in opere. Numquid poteſt ignis in ſtipula latere, & non foris in flammam prodire? Nam & canis, dum viam leporis inuenit, mirabiliter gaudet in corde, & hoc ipſum manifeſtat in corpore, & in voce, & pariter in opere: quia poſt inuenta veſtigia, maxime incipit currere. Sic & hæc Virgo ſancta, gaudium, quod de Deo gerebat in cor-

*† Ariſt. to. 3. lib. 2. Moral. Nicomach. c. 3.* — *Act. 5. c* — *Coloſſ. 1. d* — *Iac. 1. a*

in corde, promebat ore, & explicabat opere. Quære de hoc in eius Legenda: & apta ad propoſitum gaudia.

## DE VNA S. VIRGINE

### SERMO IV. in ordine XXXV.

*Pſal.44.c* AVdi filia, & vide: & inclina aurem tuam. Iuxta philoſophicam doctrinam, & quod manifeſtum eſt, †Omnes homines naturaliter ſcire deſiderant: & non tantum iſta, vel alia; ſed appetunt ſcire omnia tam cæleſtia, quàm terrena. Vnde Dominus, cum vocatus a quodam cæco, diceret: Quid vis vt faciam tibi? Ille ait: Domine, vt videam. Non dixit hoc, vel hoc tantum: ſed vt videam, videre appetunt omnes per naturam. Propter quod docet Philoſophus, quòd hæc eſt cauſa quare ſenſus noſtros amamus: quia per eos quaſi omnia diſcimus eo quòd ex multis memorijs vnum experimentum accipiatur; & ex multis experimentis vnum vniuerſale colligatur, quod eſt principium artis, & ſcientiæ. Et addit Philoſophus, quòd ideo ſenſum viſus amamus præ cunctis; quia per ipſum plura, quàm per alia diſcimus. Iſti enim duo ſenſus, ſcilicet viſus, & auditus, ſunt, per quos multa accipimus. Dominus ergo volens hanc ſanctam Virginem erudire, ideo eam ad hoc maxime inuitat per hos duos ſenſus dicens: *Audi filia, & vide, &c.* In quo vtique verbo eam & nos in ea inuitat ad duo: Primo, ad ſui diſcipulatus humilitatem, vt eius doctrinam, & diſciplinam imitemur. Secundo, ad intellectus viuacitatem; vt quidquid in Chriſti doctrina latet, contemplemur. Nam in auditu notatur reuerentia, qua reuerenter diuina audita auſcultamus: Sed in viſu notatur diligentia, qua diuinis rebus exquirendis intendimus. Primo ergo inuitat Dominus ad verborum ſuorũ reuerentiã, quando dicit: *Audi filia*. Secundo, inuitat ad eorumdem diligentiam, cum ſubdit: *Et vide*, ideſt diligenter attende. Sed quia de viſu, ideſt quid videre debeamus, ſupra ſatis abunde in duobus ſermonibus de Apoſtolis dictũ eſt; Hic de ſolo auditu dicendum eſt. Eſt ergo hic notandum, quòd cum ſancta Virgine debemus audire Chriſtum: Primo erudientem, vt prudentiſſimum Conſulem: Secundo Chriſtum præcipientẽ, vt potentiſſimum Ducem: Tertio Chriſtum exhortantem, vt ſanctiſſimum Præſulem: Quarto Chriſtum conſolantem, vt benigniſſimum Patrem: Quinto ipſum redarguentem, vt æquiſſimũ Iudicem. Eſt ergo hic notãdũ, quòd cum ſancta Virgine quinque debemus audire, vt ſic Verbum Domini nos docentis audiat anima manſuete, vt intelligat. Verbum præcipientis audiat ſtudioſe, vt faciat. Verbum exhortans audiat affectuoſe, vt non pereat. Verbum conſolationis audiat ſollicite, vt pulſanti aperiat. Sed verbum correptionis audiat tremebunde, vt pœnitentiã agat. Niſi enim hæc Virgo ſancta hæc verba Domini ſic audijſſet (vt ex eius vita apparet) ad palmam victoriæ non veniſſet.

*† Ariſtotel. Methaphy. lib.1.cap.1. parte 7.*
*Luc.18.g*
*Ariſt. ibidẽ & paulo inferius cap. eodem.*
*Ariſtotel. ibidem.*
*De SS. Apoſtolis ſerm. 5. & 6.*

Dico ergo, quòd primo audire debemus Chriſtum nos erudientem, & hoc manſuete, tamquam prudentiſſimum Conſulem. Conſueuerũt homines libenter audire, quos vident ſibi prudenter conſulere vtilia, & bene ſe docere: *Coloſſ.2.a* At Chriſtus eſt diuina Sapientia, in qua omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei ſunt abſconditi. Ergo omne, quod docet, eſt conſilium firmum, & eſt audienti proficuum: ergo eſt pacifice audiendum. Vnde ipſe per Moyſen *Deut.32.a* clamat: Audite cæli (hoc eſt cæleſtes viri, quæ loquor) & audiat terra (id eſt corda terrenis infixa) verba oris mei. Ad terram loquitur de doctrina ſua, quam manſuete docet eſſe audiendam, cum addit A idem: Concreſcat vt pluuia doctrina mea, quaſi dicat: Fiat in vobis doctrina mea, ſicut pluuia in terra, quæ a terra recepta, eam mollificat, & eam impinguat, & ad fructificãdum eam præparat. Sic & Domini noſtri doctrina manſuete audita, ideſt in terra cordis noſtri ſuſcepta, remouet ab ea cordis duritiem: impinguat eam, dum eam facit eſſe deuotam: & ad fructum præparat eam, dum eam ducit ad pœnitentiam. Et propterea in Dei perſona dicitur ad hominem: Audi fili mi verba mea, & ea quaſi fundamentum in corde tuo conſtrue. *Tob.4.a* Et: Audi Iſrael verba, ſiue mandata vitæ. *Baruc.3.e* Vitæ verba ſunt doctrina Chriſti: B eo quòd ad vitam ſunt inductiua. Vnde ipſe dicit: Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt: *Ioan. 6.g* eo quòd ſpirituales homines faciunt, & ad vitam æternam obſeruata perducunt. Sed ſunt hodie multi, qui doctrinam Chriſti nolunt audire; ſed prædicatores fugiunt, & ſacerdotes non conſulunt, & ſic vt bene agant, intelligere nolunt. O ſumma dementia, & ratio totaliter cæca: nolle audire Patris benigniſſimi monita, quibus peruenitur ad vitam, & ſine quibus peruenitur ad damnationem æternam. Audiebant Romani olim ſuorum Conſulum monita, & obſeruabant eorum decreta. C Tenẽt medici ad litteram Hippocratis dicta: Conſeruabant antiqui Romani edicta Iuſtiniani, & iuriſconſulta: Imitãtur dialectici Ariſtotelis argumenta: Sed non eſt, qui audiat, & conſeruet incommutabilis Dei ſapientiæ verba, & quæ nequeunt eſſe falſa, nec dubia, nec ſuſpecta, nec vmquam fallentia: ſed ſunt vera, & ſtabilia, & ſunt firma, & æterna. Cælum (inquit Dominus) & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt, nec peribunt. *Mat.24.c* *Mar.13.d* Vnde Apoſtolus, arguens a minori ſic ait: *Heb.2.a* Abundãtius oportet nos ſeruare ea, quæ audiuimus, ne forte pereffluamus. Si enim (inquit) qui per Ange- D los dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? Et ideo ibidem dicit: Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine omni miſeratione, duobus, vel tribus teſtibus moritur: Quanto magis putatis maiora mœreri ſupplicia, qui filium Dei, ideſt verba filij Dei conculcabit, & ſanguinem teſtamenti, quo confirmatum eſt teſtamentum nouũ, pollutum duxerit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Vide, quàm graue, & damnabile eſt doctrinam Dei non audire: cum a ſuis parentibus diſcant E animalia bruta, nec vmquam recedant a parentum doctrina, ſicut in ceruis, & elephantibus, & alijs animalibus ſunt exempla: immo, quod maius eſt, ab hominibus diſcunt bruta: ſicut videmus, quòd canes diſcunt ſedere, & coram dominis candelam tenere. Et picæ diſcunt verba humana formare: et elephantes regem cognoſcere, eumq. adorare. Quomodo ergo non faciunt homines in Chriſti doctrina, quod in doctrinis hominum, repugnante natura, inueniuntur facere bruta?

Secundo, audire debemus Chriſtum præcipientem, & hoc ſtudioſiſſime, ſicut potentiſſimum Du- F cem. Quis eſt in regno Franciæ, qui reſpuat verba Regis, & qui eius præcepta contemnat, qui vltionis gladio non ſuccumbat? Si ſic graue eſt, contemnere regis terreni mãdata; quàm graue eſt tunc contemnere Chriſti mandata? Si ſic graue eſt, contemnere Chriſti doctrinam; quàm graue eſt contemnere Chriſti mandata? Plus eſt enim mandare, quàm docere: quia illud eſt Magiſtrorum, hoc autem Dominorũ. Nam obediunt ſuis magiſtris leones: obediunt ſuis bubulcis boues: & obediunt ſuis dominis canes. Vnde vocati veniunt, repulſi recedunt, miſſi ad beſtiam currunt, omne quod capiunt, domino ſuo cuſtodiunt. Turpe eſt, & deteſtanda res, vt dum videmus grues, apes, & anſeres, & homines infide-



les ſuis regibus obedire; & quòd nos fideles A Regi potentiſſimo, & immortali omnino non obediamus: ſed eius præcepta pedibus conculcamus. *Prou.1.c* Audi quid dicatur: Fili mi, ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te; vt audiat ſapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam. Quid eſt enim prudentiam agnoſcere, niſi mandatis Dei credere, & ea ſeruare? *Prou.4.c* Vnde in Prouerbijs: Fili auſculta ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam, nec recedant ab oculis tuis. Cuſtodi (inquit) ea in medio cordis tui: quia vita ſunt inuenientibus ea. Vnde dicere deberet vnuſquiſque noſtrum illud, quod *1.Reg.3.a* Samuel dixit a Domino vocatus: Loquere (inquit) Domine: quia audit ſeruus tuus. O quàm felices eſſemus, ſi ſic obediẽtes eſſemus. Quàm ſancte viueremus, quàm ſecure moreremur, & quàm iocunde *Deut.4.a* ad Patriam migraremus! Nunc Iſrael audi præcepta mea, quæ doceo te, vt faciens ea, viuas, & ingrediens poſſideas terram, quam Dominus Patrum veſtrorum daturus eſt vobis. Sed conqueritur Domi- *Pſal.17.d* nus per Prophetam dicens: Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. *Iſa.1.a* Cognouit bos Poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Populus autem meus non cognouit me. Quid eſt Deum non cognoſcere, niſi mandata eius nolle ſeruare?

Tertio, audire debemus Chriſtum exhortantem nos, & hoc affectuoſe, tamquam ſanctiſſimum Præ- *Iſa.1.e* ſulem: Ipſe enim dixit: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Miro modo animabantur Martyres ad bellum, quos verbis & exemplis Præſules animabant. Quis enim non animetur ad pugnandum, attendens ſummum Pontificem Chriſtum nos animare verbis, & animare exemplis, & inſuper animare auxilijs? Nonne valde animatus eſt Stephanus primus Martyr, dum ad auxiliandum *Act.7.g* Chriſtum paratum aſpexit? Ecce, inquit, video cælos apertos, & Ieſum ſtantem, & pro me pugnantem, meq. adiuuantem. Exhortatio enim maiorum, miro modo valet in bono, & nocet in malo. Et quid mirum, cum falcones ſic animantur clamoribus? *Exempla.* Miro modo canes animoſi fiunt, cum ſuos dominos confortantes aduertunt. Boues facilius iugum ferunt, dum bubulcos ſe confortare audiunt, & maxime cantando hoc faciunt: eo quòd melodiam libenter audiunt. Valde gaudent equi in prælijs, dum vocem tubæ audiunt exhortantis. Miro modo pugiles animantur, cum clamoribus excitantur. Fiunt ad pugnam milites proniores, & fortius agitant lanceas, ſtrictoſq. mucrones, dum voce clamantis prin- *1.Mac.2.b* cipis animantur. Exemplum de Mathathia, quomodo exhortatorijs verbis ad moriendum pro defen- *2.Mach. 2.b* ſione legis filios animauit. Et de Iuda Machabęo in verbis ſuis, quomodo omnes animabat ad pugnam, vt eſſent parati: & non ſolum homines, ſed & be- *Exemplũ.* ſtias penetrarent. Nam & apes, quantumcumque fatigatæ fuerint in volando, mirabiliter mox confortantur, viſo ſuo rege. Ergo quis non animabitur, dum a Rege omnium regum fuerit cõfortatus?

Quarto, audire debemus Chriſtum nos conſolantem, & hoc ſollicite, tamquam benigniſſimum pa- *Pſal.84.b* trem. Vnde Propheta dicebat: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacẽ in plebem ſuam. Mira dulcedo, & inæſtimabilis delectatio, & admirabilis animæ pacificatio; dum Deus in ſuis intimis alloquitur animam: & fit quædam delectabilis vnio animæ cum diuina eſſentia. Nihil enim eſt delectatio, quàm amantis cum ſuo *Exempla.* amato coniunctio. Si ſic delectantur cerui, dum audiunt cantum; ſi ſic apes, dum audiũt cymbalũ; ſi ſic cigni, dum audiũt aliquem dulcem ſonum; quantũ putas delectari animã, diuinum audire colloquium, *Apoc.3.d* & dulce ipſius experiri conuiuium? Vnde: Ecce ego A ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meã, & aperuerit mihi ianuam; ego intrabo ad eum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. O ſumma delectatio, cœnare cum ſummo bono, in quo eſt omnis dulcedo in infinitum: pluſquam lingua dicere poterit, vel cogitatio cordis attingat! Quid enim melle dulcius? ſed in infinitum magis eſt animæ Deus dulcis. Tantæ enim dulcedinis eſt Deus, vt nullis pœnis anima grauetur, dum diuina dulcedo animæ eſt præſens, ſicut in ſanctis Martyribus apparet, qui gladios contempſerunt, & ignes: eo quòd delectatio, quam interius ſentiebant, pœnam omnem ex- B trinſecus ſuperabat. Tantæ enim dulcedinis eſt clara Dei viſio, & dulcis eius fruitio; quòd ſi homo Deum videret, pœnam in inferno non ſentiret.

Quinto autem audire debemus Chriſtum corripientem nos, & hoc verecunde, & tremebunde, tamquam ſeueriſſimum iudicem. Vnde Adam primus parens ait: Audiui vocem tuam in paradiſo, & timui. *Gen.3.c* Quis enim non timeat iudicem potentiſſimum, omnia potentem, & nullum formidantem, nec vllius perſonam accipientem? Quis non timeat iudicem ſapientiſſimum, omnia cognoſcentem, & exquirentem, & examinantem? Quis non timeat C iudicem iuſtiſſimum, nulli omnino parcentem, ſed pœnam omnibus, vt dignum eſt, inferentem? Ergo nullum formidabit: quia omnipotens eſt. Nullius fallacijs decipi poteſt: quia omniſciens eſt. Nullius mercibus corrumpi poteſt: quia iuſtiſſimus eſt. Vis ſcire, quia omnipotens eſt? Si fortitudo quæritur, *Iob 9.c* robuſtiſſimus eſt. Et ibidem: Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Qui tranſtulit montes, & neſcierunt hi, quos ſubuertit in furore ſuo. Qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur. Qui præcipit Soli, & non oritur: & Stellas claudit, quaſi ſub ſignaculo. Qui extendit cælos ſolus, & D graditur ſuper fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora auſtri. Qui facit magna, & incomprehenſibilia: quorum non eſt numerus. Et addit: Si repẽte interroget, quis reſpon- *Ibidem.b* debit ei? vel quis dicere poteſt: Cur ita facis? Deus, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curuantur, qui portant orbem. Vis ſcire, quia ſcit omnia? audi Iob eodem capitulo dicentem: Sapiens corde *Ibid. a* eſt, & ſi voluero contendere cum eo; non potero ei reſpondere vnũ pro mille. Et ibidem: Qui etiam *Ibid. b* ſi habuero quippiam iuſtũ, non reſpondebo, ſed meũ iudicẽ deprecabor. Vis audire, quia ſeueriſſimus eſt? E audi Iob in eodẽ cap. In turbine conteret me, & mul- *Iob ibid. b* tiplicabit vulnera mea etiam abſque cauſa. Non cõcedit requieſcere ſpiritũ meum, & implet me amaritudinibus. Et ibidem: Si quæritur (inquit) æquitas iudicij; nemo audebit teſtimonium reddere, & ſi me iuſtificare voluero; os meum condemnabit me: & ſi innocentem me oſtendero; prauum me comprobabit. Lege totum capitulum. Et finaliter 12. capitulum Sapientię: vbi de hac materia ſunt mul- *Sap.12.b* ta, & pulchra, quæ timoris ſunt incuſſiua. Et dicas cum Iob in eodem capitulo: Verebar omnia opera *Iob 9.d* mea, ſciens, quòd nõ parceres delinquẽti. Rogemus.

F

## DE VNA S. VIRG. ET MAR.

### SERMO V. in ordine XXXVI.

*Pſal.44.a* DIffuſa eſt gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternũ. Quis, quantacumque ſcientia pollet, etiam ſi linguam eruditam poſſideat, digne laudare valeat, quàm Deus in nobili prærogatiua electã hanc, & dilectã ſibi Virginẽ gratia decorãte in via, & gloria conſummante in Patria ſtatuerit? Omnis enim humana perfectio, vel reſpicit ſtatũ viæ, in quo merita cumulantur; vel ſtatum Patriæ, in quo præmia condonantur;

tur. Dignum eſt enim, quòd qui legitime bellat, A coronam poſt triumphū accipiat. Nam ante triumphum nemo laudandus, & nemo coronandus eſt. Non eſt enim laudanda nauigantis felicitas donec nauim in littore ſtatuat, & portum trāquillitatis obtineat: quia quàmdiu hinc inde a ventis flantibus mare ſaltat, & inter tumentes flūctus ambulat; incertum eſt, ad quem finem perueniat. Similiter nec miles laudandus eſt, quàmdiu de bello aliquid reſtat: quia ſicut vincere poteſt; ſic & perdere ſimiliter poteſt. Hanc ergo ſanctā Virginem, ſimiliter & Martyrem, quæ iam nauem ſuam collocauit in littore, & plenam victoriam reportauit ab hoſte; in B verbo præmiſſo a duobus legimus commendatam a ſancto Propheta; Primo, ab eloquentia virtuoſa, qua refulſit in merito: Secundo, ab excellentia glorioſa, qua ſplendet in præmio. Primum enim reſpicit vitam mortalem, in qua cum hoſte pugnauit. Secundum reſpicit vitam immortalem, in qua de hoſte triumphum accepit. Primum eſt, meritoria cauſa: Secundum eſt, merces, ſiue præmium. Primum notatur, cum dicitur: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis*. Secundum notatur, cum dicitur: *Propterea benedixit te Deus in æternum*. Dicit ergo Propheta: *Diffuſa eſt gratia*. Non enim ſolum habuit gratiam C oris; ſed etiam cordis. Et require in eius Legenda, quantum fuerit Deo grata. Vt ergo nos poſſimus habere diuinam gratiam, tria ſunt attendenda; Primū, quis ſit ad eam perueniendi modus: Secundum, quis ſit eius effectus, & vſus: Tertium vero, quis ſit eius fructus.

Eſt ergo notandum primo, & videndum de modo, quo habenda ſit gratia. Nota igitur, quòd ad gratiam poſſidendam, & conſeruandam, quattuor ſunt neceſſaria. Primo, vt ſit cor mundum, & purum: Secundo, quòd ſit profundum: Tertio, quòd D ſit latum, & amplum: Quarto, quòd etiam ſit clauſum; Vt ſic primo ſit purum per munditiam caſtitatis in carne: Secundo ſit profundum per infimum humilitatis in mente: Tertio ſit latum per effectum charitatis in opere: Quarto ſit clauſum per conſeruationem taciturnitatis in ore; vt ſit caſtitas contra fœtorem luxuriæ: ſit humilitas contra tumorem ſuperbiæ; ſit charitas contra liuorem inuidiæ; ſit taciturnitas contra nimietatem eloquentiæ. Dico, quòd ante omnia cor debet eſſe purum per munditiam caſtitatis in corpore, contra fœtorem luxuriæ. *1. Pet. 1. c* Et de hoc exponitur illud; Succingite lumbos mentis veſtræ; ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam. Nullus poteſt ſperare, accepturum ſe gratiam; niſi mentis, & corporis perfecte teneat ſuccinctos, *Luc. 12. e* & ſtrictos lumbos. Vnde dicitur: Sint lumbi veſtri *Greg. to. 3. hom. 13. in Euang.* præcincti, &c. Quod exponens Gregorius ait: Lumbos enim præcingimus, dum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Quis non fugiat luxuriam, cum animalia deteſtentur adulterina connubia? *Exempla.* propter quod leo punit adulterantem leænam cum pardo: Et ciconia maſculus feminam. Et etiam deteſtantur turpitudinem, & fœtorem luxuriæ; vt elephas poſt coitum cum vxore, numquam ad ſocios ire præſumit, niſi prius aquis ſe lauerit. Et ſi faciunt bruta; quid tunc facere debent rationalia? Et, ſi ſic eſt cum vxore propria; quid tunc ſi coëat cum aliena? Sed heu, quia facti ſunt hodie Chriſtiani, non ſolū vt Pagani, ſed equi amatores, & emiſſarij in feminas; *Iere. 5. c* vt vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniet. Et addit Propheta: Numquid non hos viſitabo, dicit Dominus, & in gente tali non vlciſcetur anima mea? Secundo, debet cor eſſe profundum per infimum humilitatis, contra tumorem ſuperbiæ. Ad valles enim currunt aquæ, & in montibus altis non inueniuntur aquæ; quia cum interius ſint cauernoſæ propter naturā vacuitatis, quam natura non admittit; aquas a mari attrahunt, & ſic fon- A tes foras erumpunt, & flumina magna faciunt. Sic & vir humilis, dum ſe vacuum credit, diuinam gratiam ad ſe trahit; & tanto amplius, quanto ſe humiliat profundius. Sic ſuperbus: quāto magis aſcendit, tanto fortius inde ruit. Vnde enim Saul ſuperbiſſimus cecidit, illuc Dauid humilis aſcendere meruit; & tanto magis, quanto magis ſe humiliauit: Vnde dicitur in Cantico Dominæ noſtræ: Reſpexit *Luc. 1. e* Dominus humilitatē ancillæ ſuæ. Et iterum: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Et quid mirū, quòd ita ſit, cum dicat Apoſtolus quòd Do- *Iac. 4. b* minus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiā? B Quomodo aſcēdere poterit, cum Omnipotens contradicit? Numquid gallina audet ſe ibi erigere, vbi ſcit vulpem eſſe? Numquid agnus ſe ibi erigit, vbi *Exempla.* lupus ei reſiſtit? Quis in regno Franciæ caput audeat erigere, vel erigi in ſublime, rege ſibi reſiſtente? Ergo ſuperbus aſcendet, & non potius ruet, qui Omnipotētem contra ſe habet? Vnde ipſe ad ſuperbum loquitur per Abdiam prophetam: Superbia cordis *Abdiæ 1. a* tui extulit te habitantem in ſciſſuris petræ: qui dicis in corde, quis detrahet me deorſum? Sed ſi exaltatus fueris, & inter ſidera poſueris nidum tuum; inde detrahā te, dicit Dominus. Tertio debet cor eſſe C latum per effectum charitatis in opere, contra liuorem inuidiæ. Numquid ignis in ſtipula poteſt eſſe, & non ardere, vel fumum non facere? Numquid poteſt ignis eſſe, & corpus propinquum non calefacere? Numquid non carbo ignitus carbones extinctos accendit, quos iuxta ſe inuenit? Nonne candela accenſa incendit extinctam, ſi illi fuerit applicata? Sed charitas ignis eſt: ergo quomodo in anima poterit eſſe, & proximus non accendere? Quid autem eſt proximum inflammare, niſi eum per beneficia ad amandum mouere? Vnde Apoſtolus: Si *Rom. 12. d* D eſurierit inimicus tuus, ciba illum: & ſi ſitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius, ideſt inflammabis eum ad amandum te. Nam, vt dicitur, qui viderit fra- *1. Ioan. 3. d* trem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in illo? Propter hæc omnia dicitur: Si diligitis eos, qui vos *Luc. 6. e* diligunt; quæ vobis eſt gratia? Nam & peccatores diligentes ſe diligūt. Et ſi benefacitis his, qui vobis benefaciunt; quæ vobis eſt gratia? Siquidem peccatores hoc faciunt. Ergo omnibus benefaciēdum eſt. Quarto, debet cor eſſe clauſum per obſeruantiam E taciturnitatis in ore, contra vitium linguæ. Vnde dicitur: Audi tacens; & pro reuerentia accedet tibi *Eccli. 32. b* bona gratia. Nam ibidem: Sapiens in verbis ſeipſum amabilem reddit: ſed gratia fautorum effundi tur. Debet ergo homo (ſecundum beatum Iacobū) *Iac. 1. c* velox eſſe ad audiendum, & tardus ad iram, & tardus ad loquendum: quia taciturnitas diſponit ad gratiam, & loquacitas ad iram. Ob quam cauſam magiſtra noſtra natura poſuit linguā inter duo clauſtra; ne faciliter proſiliret in verba. Multum monachi proficiunt, qui clauſtra cuſtodiunt: ſed cito deficiunt, qui ſæpius foras vadunt. Quare lingua no- F ſtra ſeruanda eſt intra clauſtra, ne in vana verba leuiter prorumpat: quia, vt ait Propheta, Vir linguo- *Pſal. 139. b* ſus non dirigetur in terra. Sic ergo patet modus, per quem venimus ad gratiam, & in nobis ipſam augmentamus. Reſtat quis eius vſus ſit.

Nota ergo, quòd vſus gratiæ conſiſtit in quattuor: Primo, in honorando diuinam Maieſtatem, per reuerentiam honorantem: Secundo, in refrænando propriam voluntatem, per temperantiam cohibentem: Tertio, in releuando proximi paupertatem, per miſericordiam ſubuenientem: Quarto, in tolerando mundanam aduerſitatem, per patientiam tolerantem. Dico primo, quòd primus vſus gratiæ eſt in honorando diuinam Maieſtatem, per reuerentiam adorantem, & vſque ad pedes ſe humiliantem.



tem. Si tantam reuerētiam exhibent Præſules ſum- A mo Pontifici: Si tantam milites ſuo Regi, ſiue barones Imperatori; vt pro magno habeant, ſi eorum pedibus poſſunt aduolui; Quanta eſt reuerētia exhibenda ſummo Domino, vniuerſa ſcienti, & omnia gubernanti, & ſingula diſponenti? Vnde dicitur: *Heb. 12. b* Habemus gratiam, per quam ſeruiamus placentes Deo cum metu, & reuerentia. Quis vmquā ad Domini thronum ſic reuerenter acceſſit, & non quod petijt, impetrauit? Exemplum de Publicano, qui reuerenter acceſſit, & iuſtificationem, & veniam reportauit. Sed econtra Phariſæus, qui irreuerenter acceſſit, nihil a Deo obtinuit, ſed potius culpam B *Heb. 4. f* auxit. *Exempl.* Vnde dicitur: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiā inueniamus in auxilio opportuno. Si *Hieron. lib. 3. in Oſeā. ſuper c. 11. tom. 5.* enim tantam reuerentiam exhibent animalia ſuo regi, ſcilicet leoni; quòd ad eius rugitum timeant, gradum figant, expectent cum tremore, quid iubeat: nec circulum, quem cauda deſignat, pertranſire præſumant; Quid omnium animalium, immo omnium creaturarum faciēdum eſt Creatori? Nam & apes ſic ſuum regem honorant, vt ad eius iuſſum alueolum exire non præſumant: & ad eius imperium caſtra ponūt, quem fatigatum in humeris por C tant; ita vt ad eius obſequium vniuerſæ ſe offerant, quem ſumme diligunt, & honorant. O ingratitudo magna, ſuperbia humana, digna vt aliquando confundatur: nam animalia bruta leonem in reuerentia habent, & metu; quem tyrannum crudeliſſimum ad ſe deuoranda præſentiunt: Et apes ſuo regi ſic ſeruiunt, a quo nihil accipiunt, & tamen ſeruitia multa præſtant, dum eum regem faciunt. Et homo creatura digniſſima, a Deo formata, & omnibus rebus mundi præpoſita, pretioſo ſanguine redempta, & de morte ad vitā reducta; renuit ſuo Regi ſeruire. Vnde ipſe de hoc cōqueritur dicens: Ego D *Ioan. 8. f* honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. *Mala. 1. b* Et: Si ego Pater veſter, vbi eſt honor meus? Secundus gratiæ vſus eſt in refrænando propriam voluntatem, per temperantiam conſtringentem. Turpe eſt, & rationi contrariū, vt vbi ſe refrænat brutalis natura, quæ tota in laſciuiam prona eſt, vt ſine fræno viuat rationalis creatura, quæ ſenſualitatis, & carnis eſt domina, & non ancilla. Nam elephas cum vxore propria, quando in duobus annis quinque diebus luxuriæ vacat; tunc valde ſe occultat, vt videri non valeat: quæ poſtquam conceperit, ad eam vlterius non accedit: immo per tres annos ceſſat, poſt- E quam conceperit. Sed quis hominum iſta facit? immo non dico cum vxore, ſed quis abſtinet a fornicatione? nam multi Pagani etiam ab vxoribus ſe conſeruarunt, dum fœtorem luxuriæ attenderunt. Vnde Tullius nobiliſſimus Philoſophus, Dum vxori ſimul, & philoſophiæ non poſſet incumbere, libellum repudij dedit ei: Cumq. a quodam ſuo amico ad ſecundas nuptias rogaretur, ait: Non ſufficio, amice, philoſophiæ, & vxori intēdere. Et ideo notandū eſt hic, quod Areolus philoſophus in quodam ſuo libro dicit de nuptijs: Quærit enim an vir ſapiens debeat ducere vxorem, ſi ſit pulchra, ſi F ſit caſta, ſi bene morigerata, ſi ex honeſtis parentibus nata, &c. quæ in muliere ſunt commendanda: & ait: Raro iſta omnia conueniunt in aliqua, quæ etſi conueniant; a ſapiente tamen vxor ducenda non eſt. Et rationē aſſignat, quare: Vxores (inquit) quærunt pretioſas veſtes, ſupellectilem variam, aurum, & gemmas, & obſequentes ancillas: Et tamen (vt ipſe addit) tota nocte proponunt marito ſuo tales quæſtiones garrulas: Talis (inquit) ornatior me hodie proceſſit ad publicum. Talis ab hominibus honoratur, & ego in contemptu feminarum, quaſi ancilla deſpicior. Tu etiam (ait viro) talem inſpexiſti vicinam: dic mihi: quid loqueba- A ris cum ancilla? De foro etiam veniens: quid mihi, inquit, portaſti? Et ſic fit, quòd nec amicum, nec ſodalem habere poſſumus: quia vxor alterius amorem ſuum odium ſuſpicatur aliarū. Et adhuc aliam cauſam reddit, quare vxor non ſit ducēda: eo quòd nulla ſit vxoris electio; ſed qualiſcumque fuerit, eſt ſupportāda; ſi ſcilicet iracunda, ſi fatua, ſi ſuperba, ſi penitus deformata, &c. Et addit: Equus, bos, aſinus, beſtia, & ſeruus prius videntur, & probantur, quàm a quocumque emantur: ſola vxor homini occultatur, ne forte antea diſpliceat, quàm ducatur. Ex quibus omnibus manifeſte conclu- B dit, quòd a ſapiente non ſit vxor ducenda. Ergo ſi cum vxore tam grauis ſit cohabitatio, & pericu loſa; qualis tunc erit cum aliqua aliena? Et propter hæc omnia bene frænanda eſt luxuria, & in manibus fræna tenenda. Vnde & dicebat Apoſtolus: Cumq. placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris *Gal. 1. b* meæ, & vocauit per gratiam ſuam; continue non acquieui carni, & ſanguini. Sed quis eſt hodie talis, qui elephanti ſit ſimilis? Quis non canibus ſimilis, & equis? Vtinā equis eſſemus ſimiles, qui cum matribus, & ſororibus ſuis non libenter vadunt in grege: eo quòd nolunt cum eis concumbere: nec ab C eis videri volunt. Exemplum de equo Philoſophus *Ariſt. 9. de Nat. Animal. c. 47.* narrat, qui dum facie cooperta ſuper matrem aſcenderet; tandem cum matrem cognoſceret, ruptis vinculis fugit, & per quamdam rupem ſe præcipitauit; & ſic in mortem ſe dedit. Tertius vſus eſt in releuando fraternam neceſſitatem, per miſericordiā ſubleuantem. Vnde dicit Apoſtolus: Vnuſquiſque, pro- *1. Pet. 4. b* ut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes. Turpe eſt, vt miſericordiam, quam exhibent ſibi bruta, non exhibeat homo, animal manſuetum a natura. Nam videmus quòd paſſeres, paruæ aues, non ſolum proprios, ſed alienos nutriunt filios, ca- D ſu quocumque a matribus derelictos. Et ſi paſſer cadat in laqueum; omnes vndique concurrunt, & ſubſidium omne, quod poſſunt, impendūt, ipſumq. in vinculis paſcunt. O crudelitas humana, O corda dura, tigridis lacte nutrita: vnde vobis tanta crudelitas? Conſtat, quòd Deus crudelitatem prohibet, & miſericordiam docet: immo omnia eius opera prima, media, ſiue infima, ad miſericordiam mouent. Naturalia etiam ſuprema, ſiue media, ſiue infima, clamant miſericordiam; dum cæleſtia corpora, dum terrena, dum quattuor elementa tot nobis impendunt beneficia. Ergo tantum in hominibus E tanta crudelitas eſt; vt mutuo ſe non paſcant, neque ſubueniant, mutuis vulneribus dum intra ſe crudelius, quàm animalia bruta, pugnant. Quartus vſus gratiæ eſt tolerando humanam aduerſitatem, per patientiam ſupportantem. Vnde: Hæc eſt (inquit) *1. Pet. 2. c* gratia, ſi propter iuſtitiam Dei ſuſtinet, quis triſtitias patiens, iniuſteq. Quæ eſt (inquit) gratia, ſi peccantes colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefacientes ſuſtinetis patienter, hæc eſt gratia apud Deum. Non eſt tamen negandum, ſed firmiter confitendū, quòd etiam peccatores, & de peccato dolentes, & pro peccato ſe punientes, inueniunt gratiam apud F Deum: quia ſi ſic non eſſet, ſacramentum pœnitentiæ nullum eſſet: nec latro ille miſericordiam inueniſſet, qui a Deo audire meruit: Hodie mecum eris *Luc. 23. e* in paradiſo. Sed non eſt tanta gratia, ſi patienter ſuſtineat ille, qui peccauit; ſicut illius eſt, qui pati non meruit: & ſic de alijs paribus. Debemus ergo mala omnia ſuſtinere corde tranquillo, vt nullis frangamur aduerſis: ſed flantibus ventis, & marinis impellentibus vndis, nauem noſtram iactis anchoris tamdiu inconcuſſam ſeruemus, donec per- *Idem ſup. in ſerm. de vna Virg. 2. & in ordi. 33.* uenire contingat ad portū. Nam & ipſe piſciculus paruus, Echinus, dum tempeſtatem præſentit, calculum in ore capit, quo quaſi anchora inter fluctus ſe regit, vt ſic perire nō poſſit. Nos ergo piſcis exem plo,

plo, dum procellis tentationum atterimur; Chriſtum lapidem recipiamus, vt eius auxilio euadamus periculum, & clamando, ſiue ipſum orando ad portum æternæ gloriæ perueniamus. Nam & merguli, dum præſentiunt tempeſtatem adeſſe, quam docente natura cognoſcunt; ad terram clamando confugiũt. Sic ergo patet, quis gratiæ modus: quis quoque eius ſit vſus. Reſtat videre, quis eius fructus.

Eſt ergo notãdum, quòd eſt quadruplex eius fructus: Nam gratia primo animam impinguat, ſiue interius delectat propter nitorem conſcientiæ. Secundo, vitam exterius pulchrificat, per honeſtatem vitæ. Tertio, a malo liberat, finiendo ſtatum præſentis miſeriæ. Quarto, in bono confirmat, per excellentiam gloriæ.

Dico primo, quòd gratia animam interius delectat, dum eam viuificat, & a culpa expurgat. Sicut enim lux purgat a tenebris aërem, & ipſum ſubtiliat, dum vapores in ipſo conſummit; ſic & gratia purgat mentem, dum vapores peccatorũ in ea conſumendo repellit. Gratia enim ſimilis eſt igni, cuius virtus eſt purgatiua, & a metallo rubiginis expulſiua. Vnde quod ignis auro, quod lima ferro, quod tribula grano; hoc facit gratia viro iuſto, dum eum purgat iuſtificãdo ab omni peccato. Vnde Apoſtolus per gratiam expurgatus, & intus in conſcien-
*2.Cor.1.c* tia factus totus luminoſus, dicebat: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ: quoniam in ſimplicitate noſtra, & non in ſapientia carnali; ſed in Dei gratia conuerſati ſumus in hoc mundo.

Secundò, gratia totam vitam noſtram pulchrificat, & colorat, per honeſtatem morum, & vitæ. Non poteſt eſſe, ſi homo ſit pulcher interius, quin ſit pulcher exterius: quia exterior pulchritudo ab interiori cauſatur. Sicut, poſita cauſa, ponitur conſequenter & effectus, vt poſito ſole, ponitur lumen eius: & poſito igne, ponitur calor eius; Sic poſita pulchritudine mentis, ponitur conſequenter pulchritudo oris, & operis. Qui igitur eſt pulcher interius in affectu, pulcher eſt & exterius in aſpectu, pulcher in inceſſu, pulcher in auditu, pulcher totus & honeſtus in tactu, pulcher totus & honeſtus in habitu, & veſtitu. Vnde per omnia talis eſt homo gratia adornatus, qualis eſt calor ignis, qui foris & intus eſt igni ſimillimus. Vnde dicitur de mu-
*Eſther.2.c* liere gratioſa: Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine: omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur. Et ideo propter hanc pulchritudinem tam exteriorem, quàm interiorem de ani-
*Cant.4.c* ma gratioſa dicitur: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Nix enim eſt tota alba, quia non ſolum exterius; ſed etiam eſt alba per totum interius: ſic & anima plena gratia, quia intus & extra eſt alba; ideo dicitur pulchra.

Tertio, gratia ab omni malo nos liberat, dum finit dolores, & mala præſentis vitæ, ſiue miſeriæ, quod maxime fit in morte. Tũc enim gratia in anima inualeſcit, dum vitam miſeram fine concludit: & omnem culpam, quæ eſſe poteſt cauſa mortis, in anima ipſa conſumit: ita quòd etiam ſæpe maculas veniales abſtergit. Ob hanc itaque cauſam dicit
*Rom.7.d* Apoſtolus: O infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et addit: Gratia Dei per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. O quantum deberemus gratiam hanc amare, per quam a malis omnibus liberamur totius vitæ præſentis, quæ ſunt quaſi innumerabiles dolores, ſcilicet paupertates, varias tentationes, infelicitates, febres inſuper & mortem. Amant enim animalia ſuos amatores, ſiue adiutores, & ſuos benefactores, ſuoſq. liberatores.
Exemplũ. Vnde panthera, crudeliſſima fera, quamuis pulcherrima, quia tota oculata, & albis oculis ſuperpicta; cum catuli ſui in quamdam foueam cecidiſſent, de qua exire non poterant: ſed quidam homo A caſu ibi tranſiens, illos liberauerit, dilectione illa comperta, & beneficio non ingrata, illi quantum potuit arridebat, & læta cauda grates referebat: ita quòd per totum deſertum aſſociauit, & a feris defendit, & viam illi oſtendit. Ergo non amabimus gratiam, immo gratiæ largitorem, cuius gratia a culpis purgamur, & ad bona omnia illuſtramur, & a malis pœnarum omnium liberamur.

Quarto, diuina gratia nos in bono confirmat, dum nos perducit ad excellentiam gloriæ, & ad lumen claritatis æternæ. O quando hoc erit, vt beati intremus ad Regnum, vbi ſumma lux in ſeipſo vi-
B detur, vbi vere ſummũ bonum toto corde amatur, tenetur, & ſtringitur: vbi manducatur quidquid deſideratur, vt nihil aliud appetatur, vbi eſt viſio clariſſima, deguſtatio dulciſſima, pax ſecuriſſima, requies opulentiſſima, & abſque omni malo lætitia ſempiterna. Vnde nihil eſt omnino aliud gloria, quàm gratia conſummata, & in ſuo ſummo conſtituta, vt creſcere non poſſit. Vnde & Apoſtolus di-
cebat: Stipendia peccati mors eſt: gratia autem Dei *Rom.6.d*
vita æterna. Ad hanc perducat nos Chriſtus ſummi Regis Filius, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit per infinita ſæculorum ſæcula. Amen. Bene er-
C go dictum eſt: *Diffuſa eſt gratia, &c.* In quo eſt commendata eloquentia virtuoſa, in qua refulſit in merito. Sequitur.

*Propterea benedixit te Deus in æternum.* In quo notatur excellentia glorioſa, quę nunc ſplendet in præmio. Dignum enim eſt, & rationi conſonum, vt quæ glorioſe vixit in via, glorioſe regnet in Patria. Et quæ in vita per gratiam facta eſt munda, ſit ſem-
per in Patria benedicta. Vnde dicitur: Qui diligit *Prou.12.b*
cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum, Regem ſummæ gloriæ: Non regem vtique qualemcumque, ſed Regem beneuolentiæ,
D & Regem vniuerſa ſcientem, & Regem omnipotentem, & Regem omnia diſponentem. Propter quod huic Virgini ſanctæ dicitur: *Propterea benedixit te Deus in æternum.* Benedixit, inquam, non benedi-
ctione tãtum temporali, de qua dicitur: Ecce odor *Gen.27.e*
filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus: Nec tantum benedictione ſpirituali, de qua Abrahã
dictum eſt: In ſemine tuo benedicentur omnes tri- *Gen.12.a*
bus terræ: ſed etiam benedictione ſempiternali:
de qua dicitur: Terra ſæpe ſuperuenientem imbrem *Heb.6.b*
bibens (hoc eſt in via per lacrymarum gratiam) & generat herbam bonam operationum ſanctarum
E illis, a quibus colitur: accipit a Deo benedictionem, ſupple in Patria, per gratiam conſummatam. Terra enim iſta, hæc ſancta Virgo fuit, quæ dicitur terra: quia fuit ad modum terræ, infima per humilitatem, fuit ſole illuſtrata per fidem, fuit ſolis ardore excocta per charitatem, fuit arida per caſtitatem, fuit fœcunda per operationis ſtrenuitatem, fuit firma per patientiæ firmitatem. Et ideo poteſt de ea illud
accipi Pſalmiſtæ: Benedixiſti Domine terram tuam. *Pſal.84.a*
Vnde hæc fuit Abygail, cui benedixit Dauid. Bene- *1.Reg.25.f*
dictum eloquium tuum; hoc quantum ad benedictionem viæ: & benedicta tu; hoc quantum ad be-
F nedictonem gloriæ. Vnde hæc fuit illa Iudith ſan-
cta, cui dicitur: Benedixit te Dominus in virtute *Iudith 3.c*
ſua, qui per te ad nihilum redegit inimicos noſtros. vt non deficiat laus tua in ore hominum. Laudemus ergo eam, vt ipſa laudata aſſiſtat pro nobis apud Diuinam clementiam, reddens eam nobis placatam, adiuuante nos & cum ea Matre
Dei ſanctiſſima, quæ omnium Virginum eſt
Regina, immo etiam totius mundi Do
mina: cuius ſupplicatio pia non
poteſt apud Dominum
eſſe caſſa.
Amen.

DE



# DE BEATA SEMPERQ. VIRGINE MARIA SERMO I.

*Gen.15.b* *SVſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes, &c.* Virgo Regia, ex Dauidica ſtirpe nata, a Deo ab æterno prædeſtinata, & creaturis ceteris prælecta: a Patriarchis præfigurata, a Prophetis prænunciata, ab Angelo ſalutata, & ab Apoſtolis prædicata, omni laude digniſſima, plus quàm valeat dici vlla lingua, ita vt omne,
B quod dici poterat de ea, quæ Dei Mater eſt facta, minus ſit ſemper. Vnde ad ipſius excellentiam deſignandam, quamuis deficiant cunctæ figuræ, cunctæ ſcripturæ, & cunctæ pariter creaturæ: Cælum tamen, cum ſit ſitu altiſſimum: Qualitate præfulgidum: Natura puriſſimum: Figura rotundum: Et influentia permaximum, ipſius eſt maxime ſignum: & ideo ſatis congrue verbum propoſitum eſt aſſumptum, quod a Deo cuilibet noſtrum poteſt ſub metaphora eſſe dictum: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, &c.* In quo vtique verbo ſubtili mente diſcuſſo, Regia Dei Virgo triplici commendatur præconio, me-
C moriæ perpetuæ commendando. Nam deſcribitur verbo, vt admirabilis animæ intuenti: vt ſic ſit admirabilis propter ipſius altiſſimam poteſtatem: vt venerabilis animæ intuenti propter ipſius eximiam ſanctitatem: vt ineffabilis homini eloquenti, propter diuinorum omnium vbertatem. Igitur primo probatur eſſe admirabilis potentiæ cognitiuæ, propter prærogatiuam dominij, cum dicitur: *Suſpice*, ideſt, magnitudinem eius admirare. Secundo, probatur eſſe venerabilis potentiæ amatiuæ, propter excellentiam meriti, cum adiungitur: *cælum*, quia omnis ſanctitatis eſt ſignatiuum. Tertio, oſtenditur in-
D effabilis potentiæ narratiuæ, propter multitudinem donorum Dei, cum additur: *numera ſtellas, ſi potes,* quaſi dicat: Hoc diuinũ cælum tantis eſt donis adornatum; vt numerato, ad numerandum ſemper reſtat. Verum quia eius alta ſublimitas, ipſius eximia ſanctitas, donorum eius varietas, & vbertas poteſt accipi ex ſolo cælo; ideo de nomine cæli ſolo hic tenẽdus eſt ſermo: & quia in ſermonibus de feſtiuitatibus eius, multa dixi de proprietatibus cæli, & Virgini adaptaui; nunc alia via procedendum eſt.
Cælorum numerus varius. Eſt igitur hic notandum, quòd licet multis modis fiat diſtinctio cælorum: aliquando x. vel ix. ali-
E quando viij. vel vij. a pluribus eſſe dicuntur: ab ijs tamen, qui magis ſunt famoſi, & diuinis litteris nominati, quinque cæli eſſe dicuntur. Nam primũ cælum eſt aëreum, ſecundum ſui ſuperiorem partem puriſſimum. Secundum cælum eſt igneum calidiſſimum. Tertium eſt cælum ſidereum ſolidiſſimum. Quartum eſt cælum aqueum frigidiſſimum. Quintum vero eſt cælum empyreum luminoſiſſimum. Domina ergo noſtra fuit cælum aëreum, per vtriuſque hominis puritatem omnimodam: fuit cælum igneum, per ardentiſſimam charitatem: fuit cælum ſidereum, per patientiæ firmitatem, & gra-
F tiarum olim copioſitatem: fuit cælum aqueum, per frigidiſſimam caſtitatem: fuit cælum empyreum, per totius ſapientiæ claritatem.

Dicimus ergo, quòd primum cælum dicitur aëreum, quod præ ceteris eſt nobis propinquum in ſuperiori parte ſui puriſſimum, nullis vaporibus, vel exhalationibus perturbatum: & nulli eſt extraneæ naturæ permixtum: quod ſic ab antiquis Philoſo-
Olympus mõs, eiuſq. qualitas, & altitudo. phis eſt probatum. Mons olympus eſt mons altiſſimus vltra medium ſpatium aëris in altum proiectus, in quem, vt inde aliqui poſſent conſiderare de aſtris, aſcendebant: ſed quia ibi erat tanta aëris puritas, quòd natura ferre nõ poterat; ſpõgias ad nares ferebant aqua plenas, ex quibus groſſum aërem attrahe-



A bant: Cumq. illuc aſcenderunt, digito in pulueribus ibi ſcribebant, quas litteras ſequenti anno inueniebant intactas, cum montem denuo aſcendebant: quod eſſe nequaquam potuiſſet, ſi ibi vllus ventus vel aquarum inundatio fuiſſet. Ex quibus omnibus manifeſte colligitur, quòd aëreum cælum eſt illa parte puriſſimum, nulliſq. vaporibus eſt infectum:
de hoc itaque cælo accipitur illud: Conſiderate vo- *Mat.6.d*
latilia cæli, quæ non ſerunt, nec metunt, nec congregant in horrea: & tamen Pater cæleſtis paſcit illa: conſtat enim certiſſime, quòd in alio cælo aues non ſunt, quàm in aëre. Fuit igitur Virgo Regia
B cælum aëreum, per omnimodam vtriuſque hominis puritatem: vnde ipſa fuit figurata in illa ſtella
clariſſima, quæ in cælo aëreo generata, Magos du- *Mat.2.b*
xit ad Chriſtum: quia Domina noſtra tota, ad modum illius ſtellæ, fuit puriſſima, omni carens penitus macula, tam in corpore, quàm in anima: vn-
de ipſi ſoli conuenit illud: Tota pulchra es amica *Cant.4.c*
mea, & macula non eſt in te. Non ſolum ait: pulchra es, in quo notat eam omnem pulchritudinem habuiſſe hominis: Sed addit: & macula non eſt in te: in quo notat eam nullam maculã admiſiſſe, vt ſic fuerit ſumme pulchra per omnis boni præſentiam:
C & fuerit abſque macula per omnis mali, & culpæ
abſentiam. Et hoc eſt, quod dicit Anſelmus: Dece- *Anſel. li. de*
bat, vt illius hominis conceptus de matre puriſſima *Concep. Vir*
fieret ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intel- *ginali, &*
ligi. Quid poteſt de ea dici ſublimius? quid glorio- *peccato ori-*
ſius? hæc enim intantum Deo proxima fuit, tantaq. *gin. cap. 18.*
ſanctitate reſplenduit, & ſic in ſummo bonorum omnium culmen obtinuit; vt creatura aliqua, non vnita Verbo, capax maioris boni non ſit. Nam ſi maioris boni creatura aliqua capax fuiſſet; quod Anſelmus dicit, verũ non fuiſſet, ſcilicet quòd Virgo beata tanta puritate fulſiſſet, qua maior ſub Deo
D intelligi nequiret, vt haberemus aliquid tam excellentiſſimæ puritatis. Sed hodie impletum eſt illud:
Cæli non ſunt mundi in cõſpectu eius. Sumus enim *Iob 15.b*
ſimiles cælo aëreo, ſecundum partem hanc inferiorem, in qua generantur tonitrua, & coruſcationes; fulgura, & grandines, niues, & pluuia. Quid eſt enim cælum tonare, niſi potentes contra pauperes verba pompoſa proferre? Quid coruſcationibus timorem ingerere, & fulminibus quoſque ferire, niſi verbis, & factis minores arctare? Quid grandinibus terram percutere, niſi tempeſtates cordium, & diſcordias ſeminare? Quid ningere, niſi malis
E exemplis calida corda facere frigeſcere? Quid eſt impetuoſe pluere, & terras cultas diſſipare, niſi ad guerras, & odia, pacifica, corda mouere, & corda bene gratia culta ſubuertere?

Secundum cælum dicitur igneum, quod eſt ſumme calidum, ſumme actualiſſimum; ita quòd iuxta ſe eſt inflammatiuum, & omnis fœditatis ab aëre ſibi proximo abſtractiuum. Ignis enim, cum in rem ſibi proximam agit; quod quidem eſt ſibi contrarium, ab ea expellit: ſicut patet in lignis viridibus, & metallis: deinde in eam ſuum calorem immittit, & eam inflammando diſſoluit, & dum vſque ad rei
F intima ſe immergit; omnem ſcoriam in ea conſumit. Vnde videmus, quòd locus, vbi ſit ignis continuus, magis eſt ſanus, quàm alius locus: quia per
ignem expurgatur. De hoc igitur cælo habetur, vbi *4.Reg.5.d*
Helias ad quinquagenarium principem ait: Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret
te, &c. Et: Ignis Dei deſcendit de cælo, & tactas *Iob 1.e*
oues, pueroſq. conſumpſit. Fuit ergo beata Virgo cælum igneum, propter ardentiſſimam charitatem. Sicut enim ignis eſt in ſummo calidus, & in vltimo,
ideſt in quarto gradu; ſic Domina noſtra fuit chari- *†Antiph. 2.*
tate in ſummo ardentiſſima †, quæ nec primam ſimi- *ad Laudes*
lem viſa eſt, nec habere ſequentem. Vnde Hugo di- *Matut. in*
xit, quòd in ea amor Spiritus ſancti ſingulariter ar- *Nati. Dom.*

debat: ideo in carne eius mirabilia faciebat. Et dicit ſingulariter: quia nulla poſtea creatura, ita per amorem exardeſcet: quæ amantiſſimum filium ſuũ, & vnicum, quem Mulier plus ſeipſa amauit, nobis dedit, & pro nobis obtulit. Quia igitur tota ardens fuit; omnes ſe amantes, eamq. tangentes incendit: vnde dici poteſt ſimilis cuidam lapidi pretioſo, qui manus ſe tangentis adurit. Eſt etiam ſimilis carboni inflammato, quem quanto plus ſtrinxeris; tanto amplius tibi manum vrit. O quàm felices, qui huic igni cæleſti approximant, vt eius incendium ad ſe trahant. Si vis ſcire, an hunc recte habeas ignẽ, audi; Hoc facit diuinus hic ignis in animo, quod nullus ignis facit in ferro: Nam ferrum igne non tactum eſt frigidum, eſt durum, eſt rubiginoſum, non pulchrum: ſed dum ferro aduenit ignis, ipſum vtique calefacit, ipſum in molliciem vertit, & ſi eius actio eſt fortis; ipſum totaliter liquefacit, & eius rubiginem ex toto conſumit, ac in ſuam pulchritudinẽ ipſum vertit, ſicut ipſe ſenſus oſtendit. Tu ergo, qui habes cor non carneum, ſed ferreum, nimis vtique durũ; an hoc igne tangeris, & affectu caleſcis, & cõpaſſione molleſcis, & omnis peccati rubigine ſpoliaris, & igneus totus efficeris, & totus amore lique-

*Cant. 5. b*

ſcis, vt illud dicere poſſis: Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt? Vnde ſi te inuenis frigidum ad operandum, durum ad compatiendum, & ſordidum ad peccandum; ſcias a te eſſe remotum hunc diuinum ignem, & hoc diuinum incendium,

*Greg. to. 3. hom. 30. in Euang.*

quod cælum igneum eſt dictum: nam ſecundum Gregorium, Amor Dei numquam eſt otioſus: operatur enim magna, ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt.

Tertium cælum dicitur ſidereũ, quod etiã appellatum eſt firmamentũ: non quòd ſit immotũ, cum moueri probetur ad ſenſum, per motum ſtellarum in eo fixarum: ſed ideo potius, quia inter aquas ſuperiores, & inferiores, quas diuidit, vniformiter ſemper incedit: ita quòd aquis inferioribus perturbatis, ventiſq. permotis, cælum tamen nullatenus

*Gen. 1. a*

a ſua parte recedit. De hoc cælo habetur: Fiat (inquit Deus) firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis: & ſequitur: Et vocauit Deus firmamentum cælum. Hoc etiam cælum, vt eſſet vſquequaque perfectum, & per omnia ſpecioſum, ac virtute permaximum; tantis ſtellis præfulgidis eſt adornatum; vt ſoli Deo ſit notus numerus earum.

*Pſal. 146. a*

Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientię eius non eſt numerus. Vnde hoc probatur:

*Supra ibid.*

Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Domina autem fuit cælum firmamentum, vniformiter ſemper motum, per patientiæ firmitatem: & cælum ſtelliferũ, per omnium donorum, & gratiarum Dei copioſitatem. Sicut enim cælum non eſt vllo modo poroſum, ſed ſolidum; ſic Dei Mater pia nullo modo fuit poroſa, vel vacua; ſed ſolida: quia omni gratia fuit plena. Cuius admirabilis patientia, & ſoliditas non poroſa tunc maxime claruit, quando prædulcem Filium ſuũ mori conſpexit. Nam licet in ea aquæ inferiores, ideſt vires ſenſitiuæ, vel ſenſibiles fortiſſime fuerint concuſſæ ventis in ſui Filij paſſione; ſuperiores tamen a ſua non fuerunt pace permotæ. Et licet ſentina nauis, ideſt pars ſenſibilis, repleta tunc fuerit aquis maris; pars tamen ſuperior nauis ſemper ventis proſperis nauigauit. Vnde ipſa eſt illa petra, ſuper quam domus fundata, & firmata, quam etſi flumina, ventiq. percutiant; tamen inter flumina illa

*Pſal. 124. a*

immobilis perſeuerat. Mons Sion non commouebitur in æternum. Vnde ei potuit dicere Chriſtus illud Matthæi: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meã: quia in paſſione Dominica tota deficiente Eccleſia primitiuorum in fide, ſola Domina no-

Exempl.

ſtra firma in fide permanſit, vt petra. Fuit ergo ſi- A milis adamanti †, cuius tanta eſt fortitudo, vt ſanguine ſolo rumpatur hircino. Quia Maria, Regia Virgo numquam niſi Chriſti ſanguine recenter effuſo, potuit eſſe turbata: quia nullo fuit alio tempore perturbata. Si enim iuxta Philoſophorum ſententiam non cadit perturbatio in ſapientem virum; quanto magis Domina omnium ſapientiſſima numquam perturbationem mẽtis eſt paſſa? Seneca: Non perturbabit bonum virum, quidquid ei acciderit: ſciet enim accidere hoc ex lege diuina, ex qua cuncta dependent. Sed nota, quòd hoc cælum, quod dictũ eſt firmamentum, ſtellis eſt innumeris adorna- B tum: quia Domina noſtra omnibus diuinis gratijs fuit plena, in nullo dono alicui ſancto conceſſo penitus diminuta: quia non ſolum fuit plena; ſed ſuperplena, ſicut dicit Anſelmus. Vnde bene dictum eſt in themate: *Numera ſtellas, ſi potes*, quaſi dicat Dominæ noſtræ gratiæ ſunt innumeræ, ſoli Deo notæ.

*† Aug. de Ciuit. Dei lib. 21. c. 4. in principio tom. 5.*

*Hieron. in lib. 3. in Amos ſuper cap. 7. to. 5. & alia multa dicit de adamante.*

*Senec. epiſto. 76.*

*Gen. 1. b*

Vnde de ea poteſt exponi illud: Fecit Deus duo luminaria magna, & ſtellas: & poſuit eas in firmamẽto cæli. Duo magna luminaria, magis mundo famoſa, & eccleſiæ illuminatiua, quæ fuerunt in mundi Regina; fuerunt virginitas ſimiliter & humilitas: e quibus ad eam inclinata eſt diuina Maieſtas, vt quę C in ſe erat humillima, fieret ſublimiſſima omnibus gratijs Dei plena. Vnde ipſa eſt tantum illa benedicta, de qua dicit Propheta: Benedixiſti Domine terram tuam: quia ſicut in terra fit concurſus, & multiplicatio omnium radiorum cæleſtium; ſic in Domina noſtra omnia dona iuncta ſunt gratiarum. Vnde docetur in ſciẽtia perſpectiua, quòd omne corpus perſpicuum luminoſum in quolibet puncto ſui dirigit vnam lineam radioſam in centrum, vt eſt ibi probatum; quòd quanto vna linea alterius eſt vicinior; tanto eſt potentior ad ſuum effectum imprimendum in centrum. Quare, cum terra ſit cæli D centrum, ſiue medium; & ſit ſicut punctum comparata ad cælum; tanta fit in ea multiplicatio radiorum; quòd cum ſit elemẽtum frigidum, & ſiccum: & ſic generationi non aptum; fit tamen ſumme fœcundum, virtute cæleſtium radiorum. Sic & in Dei noſtri Matre tantus concurſus factus eſt gratiarum, vt ſupra naturam facta ſit fœcundiſſima, & Dei ſimul mater, & filia.

*Pſal. 84. a*

Quartum cælum eſt aqueum: quia eſt effectu frigidiſſimum, & caloris ſiderei temperatiuum, ſecundum omnem doctrinam Sanctorum. De hoc autem cælo dicitur in Daniele in Cantico trium puerorũ: E Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt Domino. Et Pſalmus: Aquæ, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini.

*Dan. 3. e*

*Pſal. 184. a*

Hoc cælum Domina noſtra fuit, per eminentiſſimam caſtitatem, non ſolum carnis, ſed & mentis, & omnium ſenſuum corporis. Intantum friguit, & calor omnis noxius in ea extinctus fuit; quòd numquam illum carnalem motum mentis habuit, vel carnis: immo a nemine concupiſci potuit: quia eius intuitus ita virtuoſus erat; quòd in alijs libidinem extinguebat: ideo ipſa dicta eſt Stella Maris: quia ſicut ſtella eſt omnino incorrupta; ſic Virgo hæc Regia non ſolum in ſe fuit F caſtiſſima, ſed & caſtitatis in alijs cauſatiua. Vnde ſimilis fuit illi lapidi pretioſo, qui nullo poteſt igne calefieri, vel incendi. Vnde in Luna eſt ſignata in Scriptura; quæ magnæ frigiditatis in rebus eſt cauſatiua. Nam, ſicut aſſerũt ſapiẽtes, tantæ frigiditatis eſt; vt omni menſe pruinã terris induceret; niſi eius frigus ſolis caliditas temperaret. Stella etiã Saturni intantũ eſt frigidiſſima; quòd caloris ſolis eſt frænatiua. Eſt etiam ſignata in lilio, quod eſt flos albus, odoriferus, in ſe natura frigidus, & aliorum infrigidatiuus. Ego (ipſa inquit) flos campi, & liliũ conualliũ: ſed quis hodie caſtus? Quis gloriabitur, mundum ſe habere cor? Nemo mundus a ſorde, &c.

*Cant. 2. b*

*Prou. 20. b*

Quintum cælum eſt cælum empyreum, quod eſt creatio-



creatione purum, ſitu altiſſimum, omnium contentiuum, nulli motui ſubiectum: ſed ſumme quietum, & per totum vniformiter luminoſum. Et de hoc cælo intelligitur illud: In principio creauit Deus cælum, & terram.

*Gen. 1. a*

Nam cum ſecunda die factum fuerit firmamentum, & cælum aqueum; ante omnem diem factum eſt cælum empyreũ cum materia quattuor elementorum, & innumera multitudine Angelorum. Hoc cælum fuit Domina noſtra, per totius Sapientiæ veritatẽ: vnde de ea dicit Bernardus: Maria totam diuinæ penetrauit Sapientiæ abyſſum, vt quantum, ſine perſonali vnione creaturæ, cõditio patitur, illi luci inacceſſibili videretur immerſa. Ex B quo arguitur, quòd in pura creatura non potuit maior eſſe Sapiẽtia.

*Bern. to. 1. in ſerm. de B. Virgine ſup. verba Apocalyp.*

Ob hoc enim dicitur maris ſtella: quia eſt nauigantiũ directiua: vel dicitur etiã Luna: quia a Sole tota eſt illuminata, & accepti luminis refuſiua. Ergo, qui vult habere vtriuſque hominis puritatem, feruentiſſimã charitatem, patientiæ firmitatem, corporis, & animæ caſtitatẽ, & veri luminis claritatẽ; aduocet hanc Dei Matrem. Vnde Bernardus: In periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs Mariã inuoca, Mariam cogita: nõ recedat ab ore tuo, nec a corde; & vt impetres orationis eius ſuffragium, non deſeras conuerſationis exemplum. Rogemus. C

*Epilogus.*

*Bern. ſer. 2. ſup. Miſſus eſt. to. 1.*

# DE BEATA SEMPERQ. VIRGINE MARIA SERMO II.

*Luc. 1. e*

*Ariſt. to. 4. lib. 1. de Cælo tex. 4.*

A*ve gratia plena Dominus tecum*. Perfecto (teſte Philoſopho) nulla poſſibilis eſt fieri additio. Non enim perfectum eſt, cui aliquid adijci poteſt: quomodo enim dici poteſt domus perfecta, quàmdiu reſtat aliquid faciendum in ea. Cum ergo Dei perfecta ſint D opera; neceſſe eſt dicere, quòd omne genus creaturę, quantumcũque vile, habeat ſuum eſſe: dum tamen habeat, quod ipſam decet habere; vt nihil omnino ei ſit addere, vel ab eo detrahere: immo ſi ei aliquid adderes, genus rei mutares: quia ſi omni generi aliquid addi poſſet; nihil perfectũ a Deo factum eſſet. quare nec ſumme perfectus opifex ex opere apparet.

*Ariſt. to. 4. lib. 1. de Cælo tex. 4.*

Nam Philoſophus & Auguſtinus docent, vniuerſum adeo eſſe perfectum; vt in nullo ſit penitus diminutum, nec poſſit additamentum ei fieri vllum: non quia non poſſet Omnipotens addere, cum ſit infinitæ potentiæ: ſed quia creatura non poteſt E vltra capere, quæ eo ipſo quòd creatura eſt, a Deo creata eſt in numero, pondere, & menſura. Vnde in lib. de Anima dicitur quòd omnium natura con-

*Ariſt. lib. 6. Phyſic. tex. 91. tom. 4.*

ſtãtium terminus eſt: & ratio magnitudinis & augmẽti. Si enim creatura ſemper maioris boni, quàm habet, capax eſſet: numquam ſtatum in aſcendendo haberet: & ſic numquam perfecta eſſet: quia ad maius bonum omni tempore aſpiraret. Vt ergo opera diuina in ſuis generibus eſſent perfecta; creaturis omnibus eſt certa præfixa menſura, quam tranſgredi non eſt poſſibile in natura. Vnde videmus, quòd plantæ, & alia animalia rectam habent in creſcendo F menſuram. Cum igitur in qualibet creatura hoc ſit; rationalis tamen natura omnium naturarum digniſſima eſt, eo quòd ſit ad beatitudinem ordinata: & inter omnium creaturarum genera ſumme perfecta: propter quam cetera ſunt facta, vt habetur in phy-

*Ariſt. lib. 2. Phyſic. tex. 24. tom. 4.*

ſica, & omnis atteſtatur Scriptura diuina. Sed notandum eſt, quòd ad perfectum cuiuſlibet generis creaturæ requiritur, vt varientur indiuidua, vt ſe habeant in omnibus, tamquam excedentia, & exceſſa: quia ſi omnia eſſent æqualia, fruſtra eſſent omnia. Si enim eſſet Sol in natura omnia cæli ſidera; vbi Luna, vbi cetera luminaria, & efficacia tam diuerſa? Si omnes homines eſſent reges; vbi ſeruiẽ-



A tes, & quibus imperarent? Nullus ergo rex eſſet, ſi omnes homines eſſent æquales. Item ſi in corpore noſtro omnia membra oculus eſſent; vbi eſſet auditus, vbi olfactus? vbi tactus? & ſi hoc; vbi corpus? Si ergo omnia membra eſſent oculus; nullum eſſet humanum corpus. Differunt ergo humani generis indiuidua, vt eſſe poſſint omnia, non ſolum eſſe inter ſe differentia, & gradus ſuſcipere in natura; ſed etiam in gratia: & cetera ſingula Dei dona: ita tamen quòd in vno aliquo conueniãt omnia, quæ per partes in ceteris ſunt diuiſa. Vnde ſecundum Philoſophum, ille eſt optimus equus, qui omnia illa ha- B bet, quæ illi generi ſunt competentia. Vnde dicit, quòd ſi optimus equus melior eſt optimo aſino; equus ſimpliciter aſino eſt melior.

*Ariſt. to. 3. Moral. Nicomachior. lib. 2. c. 6.*

Cum igitur ſummum indiuiduum in humana natura ſit mundi regina, in qua omnia ſimul conueniunt Dei dona, quæ per partes ſunt alijs Sanctis diſtributa, ideo ipſa inter puras creaturas eſt in ſummo creaturæ perfecta, & in nullo penitus diminuta. Vnde Hieronymus: Ceteris Sanctis per partes data eſt gratia: ſed in Maria totam ſe infudit gratiæ plenitudo. Ex auctoritatibus in ſuperiori ſermone iam dictis Anſelmi, & Bernardi patet aperte, quòd tanta fuit in C ea gratia, tantaq. ſapientia; vt in creatura non vnita diuinitati maior non poſſit intelligi.

*Hieron. in ſerm. de Aſſumpt. Beatæ Mariæ, paulopoſt initiũ epiſto. 10. to. 9.*

Quid magis potuit percipere creatura, quàm Deum habere filiũ ſibi ſubiectum? Nonne hoc admirabiliſſimum, valdeq. ſtupendum infra creaturas vix contentum? Vnde Bernardus: Mirare vtrumlibet, & elige quod amplius mireris: ſiue Filij benigniſſimam dignationem, ſiue Matris excellentiſſimam dignitatem. Vtrinque, inquit, ſtupor; vtrinque miraculum. Et quòd Deus feminæ obtemperet, humilitas ſine exemplo: & quòd Deo femina principetur, ſublimitas ſine ſocio.

*Bern. to. 1. hom. 1. ſup. Miſſus eſt.*

Vnde & in alio loco dicit: Mariam D in cælo ſuper omnia exaltatã, & in throno Dei quodam modo collocatam, Angeli omnes, & Sancti laudibus honorant digniſſimis. Propter hanc ergo perfectionem ſummam, dicitur: *Aue gratia plena*.

*Bern. to. 1. ſer. 1. in Aſſump. Beatæ Mariæ Virginis.*

In quibus verbis eſt ſumma eius perfectio deſignata: Nam ſumma perfectio in duobus conſiſtit, ſcilicet in amotione omnis mali, & in plenitudine omnis boni: nec præſentia omnis boni abſque carentia omnis mali poteſt facere plene beatum. Vt igitur nihil in Domina noſtra perfectionis deeſſet, deſcribitur Primo, per omnis mali abſentiam, cum dicitur: *Aue*. quod eſt dicere: ſine væ. Secundo deſcribitur per E omnis boni præſentiam, cum infertur: *gratia plena*. Tunc enim vas dicitur eſſe plenum, quando in eo nihil manet vacuũ, ſed foras ſpargitur quidquid illi fuerit ſuperfluum. Dicamus igitur: *Aue gratia plena*. Eſt igitur hic notandum, quòd licet Domina noſtra fuerit omni gratia plena, & ſuperfuſa; quadruplicem tamen habuit gratiam ſpecialiter: Nam primo, plena fuit Domina gratia præueniente in ſua ſanctificatione, gratia præſeruatiua contra turpitudinem culpæ. Secundo, gratia fœcundante in filij Dei conceptione, gratia fœcundatiua propter conceptum integritatis virgineæ. Tertio, gratia decorante in ſua cõuerſatione, gratia decoratiua prop- F ter pulchritudinem vitæ. Quarto, gratia conſummante in ſua glorificatione, & vlterius gratia completiua, propter eminentiam gloriæ tam in anima, quàm in corpore.

Dico primo, quòd *Domina noſtra fuit plena gratia præueniente in ſua ſanctificatione, gratia ſcilicet præſeruatiua contra fœditatẽ originalis culpæ, quam contraxiſſet ex corruptione naturæ; niſi ſpeciali gratia præuenta, præſeruataq. fuiſſet. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipſa mater eius Virgo. Credendum eſt enim, quòd nouo ſanctificationis genere in eius cõceptionis primordio Spiritus ſanctus eam a peccato originali (nõ

**Beatã Virginẽ in peccato originali fuiſſe conceptam cum B. Bernardo, cũ S. Thoma, & cũ alijs beatus Bonauẽtura in lib. 3. ſent. diſt. 3. ar. 1. q. 1. & 2. omnino tuetur.* Hinc ſerm.* *hunc B. Bonauentura non eſſe, omnino fatendum eſt; cũ ipſe multis alijs in locis opinionẽ in li. 3. Sent. affirmatam, omnino & cõſtanter defendat.*

Sed quid si postea retractauit.

* Hæc marginalis annotatiuncula omnino falsa est, nam hic sermo a nullo reiicitur nec a Cardinali Bellarmino in libro de scriptoribus Ecclesi. in Bonauentura. et ipse S.ᶜ Doctor sermone 3. sequenti ut proprium partum agnoscit, ipsam que citat post initium dicens: nunc superest solum de eius plenitudine sermonem hunc contexere, quia de gratia dictum est in superiori sermone. in hoc sermone secundo, ut legenti patet, agit de Gratia virginis; non est ergo negandum hunc esse Bonauenturæ sermonem, sed priorem sententiam libri sententiarum pro suggestu retractare.

 quod

quod infuit, ſed quod infuiſſet) redemit, atque ſingulari gratia præſeruauit. Et de hoc poteſt exponi [Eccli. 26. c] illud: Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta, & pudorata. Mulier ſancta, & pudica fuit Virgo Maria, quę non ſolum habuit gratiam cunctis communem; ſed ſuper hanc habuit gratiam ſanctificantẽ, vt non ſolum in conuerſatione, ſed etiam fuerit Sancta in [Bern. to. 2. epiſt. 174.] ventre. Bernardus: Fuit profecto Domini Mater ante ſancta, quàm nata. Puto, inquit, quòd tanta gratia ſanctificationis in eam deſcenderit, quòd non ſolum eius ſanctificauit ortum; ſed deinceps ab omni peccato ſeruauit immunem. In quo Ieremiam prophetam, Ioannem Baptiſtam, & omnes ſanctificatos in ventre præceſſit: quia nulli vmquam [Aug. to. 7. lib. de Natu. & gratia cap. 36.] peccato obnoxia fuit. Auguſtinus: Cum de peccatis agitur, nullam de Matre Domini volo habere quæſtionem: qua ſola excepta, ſi omnes Sancti ſimul, & omnes Sanctæ iungentur in vnũ, nihil aliud [1. Ioan. 1. c] reſpondere poſſent, niſi quod dicitur: Si dixerimus, quòd peccatum nõ habemus, vere noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Vnde ipſa ſola de [Iob 27. b] omnibus potuit vere dicere illud: Non reprehendit me cor meum in omni vita mea. In hoc dono, fratres, eam imitari non poſſumus: quia ſicut in peccato concipimur, ita & naſcimur: ſed in hoc conſiderare debemus, quòd iſte, qui tam mundum præſeruauit Virginis vterum, non fœdum, ſed mundũ [Pſal. 92. b] requirit habitaculum. Domum tuam Domine decet ſanctitudo. Domus Dei eſt noſter animus, qui debet eſſe per omnia mundus, & ſanctus, ne nobis [Mat. 21. b] illud dicatur: Domus mea, domus orationis eſt: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Quis eſt tam ruſticalis, qui non mundaret domum ſuam, ſi ſciret Regem Romanorum ad ſe in domum eſſe ven- [Exemplũ.] turum? Valde enim turpe eſt, quòd apes tam paruę carne, & ſanguine quaſi nullæ, ab omni ſuas domunculas mundant ſorde; nec vllum ſine morte poſſunt pati fœtorem. Et homo creaturarũ omnium dominus, non verecundatur fieri totus fœtidus, cum ta- [Exempla.] men inhabitator eius ſit Deus. Nam & paſſeres, & hirundines paruæ aues omnes fęces de ſuis nidis eijciunt, & filios eijcere inſtruunt. Sed quidam noſtrũ ſunt ſcabronibus ſimiles, qui odorifera fugiunt, & in fæcibus bouinis ſe totaliter inuoluunt. Vnde de [Ioel 1. d] eis poteſt illud dici: Putruerũt iumenta in ſtercore ſuo: homines dicuntur iumenta, dum, rationali relicta natura, fiunt ſimiles brutis; propter quod Pſal- [Pſal. 48. d] mus: Homo cũ in honore eſſet, non intellexit, &c.

Secundo, Domina noſtra fuit plena gratia fœcundante in filij ſui conceptione: vnde ei ab Angelo di- [Luc. 1. c] ctum eſt: Ne timeas Maria: inueniſti enim gratiam apud Dominũ, ecce concipies, & paries filium, &c. O quàm magnum, quàm altum præconium, quanta vtique laude dignum; quòd ſimul, & ſemel Dei eſſet Mater, & Filia, & Ancilla: Virgo, & fœcunda. Quis vmquam audiuit tale quid? quis vidit huic ſimile? Verum propter hanc gratiam facta eſt Deo intima, & amiciſſima ſuper omnem creaturam. Vnde de Eſther dictum eſt in figura, quæ interpretatur præparata: & huius Virginis fuit perſona ſignatiua: [Eſther 2. c] Introducta eſt Eſther, inquit, ad cubiculum regis, & adamauit eam rex ſuper omnes mulieres, habuitq. miſericordiam, & gratiam coram eo, & poſuit diadema regis in capite eius. Quid hoc ſublimius? quid glorioſius? mundi totius Domina facta [Apoc. 12. a] eſt, & Regina: hæc eſt enim, vt dicitur, Mulier illa amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius: corona [Bern. ſerm. de B. Virgine ſup. verba Apocal.] ſtellarum duodecim. Vnde Bernardus dicit de ea: Quàm familiaris es Chriſto o Domina, quàm illi proxima, quantam gratiam apud eum inueniſti: vt maneret in te, & tu in ipſo: veſtis eum, & tu veſtiris ab ipſo: veſtis eum ſubſtantia carnis, ſed ille te veſtit gloria ſuæ Maieſtatis! In hac tam ſublimi gratia, ſi non ſit Domina imitanda; eſt tamen om- [A] ni hora benedicenda, & prædicanda, & laudanda, & in noſtrum auxiliũ inuocanda. In omnibus preſſuris reſpice ſtellam maris, voca & clama Mariam: quia ipſa eſt, quæ dat in mari viam, & inter fluctus firmiſſimã ſemitam. Ipſa eſt enim anchora, qua nauis in mari firmatur: & eſt nauis, qua homo a tentationum fluctibus liberatur. Ille ſolus ab eius abſtineat laudibus, qui eam in tribulatione inuocans, non fuerit exauditus.

Tertio, Domina noſtra fuit plena gratia decorante in omni ſua conuerſatione. Vnde in figura ipſius dicitur: Erat formoſa valde, & incredibili pulchri- [Eſther. 2. c] [B] tudine, omniumq. oculis gratioſa, & amabilis videbatur. Hæc eſt illa Rebecca (de qua dicitur) puel- [Gen. 24. b] la decora nimis, Virgoq. pulcherrima, & incognita viro. Vnde ei dicitur: Tota pulchra es amica mea. [Cant. 4. c] tota, dicit: quia in carne, & in mente pulcherrima fuit; vt numquam ſibi ſimilis fuerit. Vnde Bernardus ſuper illo Verbo: Tota pulchra es, ait: Facie quidem pulcherrima, mente integerrima, & ſpiritu ſanctiſſima. Hieronymus: Si diligenter inſpicias, nihil eſt omnino virtutis, nihilq. ſpecioſitatis, nihil candoris, & gloriæ, quod non ex ea reſplendeat. Erat enim multis candidata meritorum virtutibus, [C] & dealbata niue candidius: ſimplicitatem columbinam in omnibus repræſentans. Ex hac enim multa pulchritudine vitæ, virtutẽ habuit adamantis: quia [Exemplũ.] ſicut adamas ad ſe ferrum trahit; ſic Virgo ſancta ad ſe deduxit de ſupernis verbum Dei. Vnde Ber- [Bern. to. 1. hom. 2. ſup. Miſſus eſt.] nardus: Virgo regia, gemmis ornata virtutum, geminoq. mentis, & corporis candore præfulgida, & decore, ſpecie ſua, & pulchritudine in cæleſtibus cognita: cælorum ciuium in ſe prouocauit affectum, & aſpectum: ita vt Regis animum ad ſe inclinaret, cæleſtem nuncium ad ſe de ſupernis educeret. In hac igitur tantæ conuerſationis gratia, etſi eam ex [D] toto imitari non poſſumus; debemus tamen eam ſequi, quantum valemus: vt cum ea habere laboremus mentis & corporis caſtitatem, mentis humilitatem, Dei & proximi charitatem, in aduerſis patientiæ firmitatem, & perſeuerantiæ in bonis longanimitatem. Nam & Bernardus dicit: Si vis in aduerſis eius impetrare ſuffragium; vide ne deſeras ipſius conuerſationis exemplum. Sed multi ſunt ſimiles porcis: potius inueniri volunt in luto, quàm in domo; & potius in loco fœtido, & lutoſo, quàm in floribus, & odoribus plenis locis.

Quarto, Domina noſtra habuit gratiam conſum- [E] mantem in ſua corporis, & animæ glorificatione. Nihil eſt enim aliud gloria, quàm gratia conſummata. Vnde de hoc poteſt exponi illud: Mulier gratio- [Prou. 11. b] ſa inueniet gloriam. & licet ſit omnibus hoc cõmune; Domina tamen noſtra, &c. omnes creaturas præceſſit in gratia, ſic & præcedet in gloria. Quare neceſſe eſt, vt qui vult a Deo gratiam impetrare, ad hanc mediatricem accedat deuotiſſimo corde: quia cum ſit Regina totius miſericordiæ, nihil omnino habens in regno iuſtitiæ, nihil petenti poterit denegare. Nam, vt Bernardus ait, A peccato- [Bern. ſerm. de Natiuitate Beatæ Mariæ.] re rogata oſtendit Filio pectus, & vbera: Filius au- [F] tem Patri latus, & vulnera: quare nulla poteſt eſſe repulſa, vbi tot concurrũt charitatis inſignia. Vnde ait Apoſtolus: Accedamus cum fiducia ad thronum [Eſther 10. b] gratiæ eius. Nam & ipſa ait: In me omnis gratia [Eccli. 24. c] vitæ & veritatis; in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ergo ad me omnes, qui concupiſcitis me, & a generationibus meis adimplemini. Bernardus: [Bern. to. 1. ſer. de Beata Virgine ſup. verba Apocalyp.] Quando miſereri non poterit Mater omnipotentiæ? quando miſereri noluerit Regina miſericordiæ? cur ad Mariam fugere trepidat humana fragilitas? reuolue totam ſeriem Scripturarum, & ſiquid aſperum, ſiquid durum inueneris in Maria; deinceps ſuſpectam eam habeas, & ad eam accedere verearis. Tota, inquit, eſt dulcis, tota ſuauis, tota miſeri-



cors, omnibus offerens lac, & lanam. Rogemus [A] ergo, & cetera.

## DE BEATA SEMPERQ. VIRG. MARIA SERMO III.

[Luc. 1. c] AVe gratia plena. Mos inoleuit antiquitus, & vſque ad noſtrã ætatem, vel ad noſtra tempora ſucceſſiue deductus, & eſt ipſa conſuetudine approbatus, & quaſi in naturam conuerſus; vt illos oris officio ſalutemus, quibus bonum appetimus. Angelus ergo ſan- [B] ctus de cælo veniens, dum ad clauſam Virginem intrat, eam approbato iam more ſalutat. Et in verbo præmiſſo duo denunciat. Primo enim ſuum, quem habet ad Virginem, monſtrat affectum. Secundo vero, in Virgine monſtrat gratiæ complementum. Primum facit, eam officioſiſſime ſalutando. Sed ſecundum adiungit, eam plenam gratia prædicando. Primum fuit in Angelo annunciante indicium eximietatis. Secundum vero in Virgine admirante fuit ſignum inſigniſſimæ dignitatis. Primo ergo præmittit ſalutationem, cum ait: *Aue*. Secundo vero donorum plenitudinem præoſtendit, cum dicit: *gra-* [C] *tia plena*. Verum, quia in ſermonibus de ipſa ſalutatione eius ſatis videtur dictum eſſe; Nunc ſupereſt ſolum de eius plenitudine ſermonem hunc contexere: quia de gratia dictum eſt in ſuperiori ſermone. Eſt ergo notandum quantum ad præſens ſufficit, quòd diſtinguitur plenitudo tripliciter: ſcilicet Primo, plenitudo ſufficientiæ ſiue gratiæ neceſſariæ: Secundo, plenitudo excellentiæ prærogatiuæ virgineæ: Tertio, plenitudo redundantiæ, ſiue ſupereffluentiæ diuinæ potentiæ. Dico, quòd prima plenitudo ſufficiẽtiæ, ſiue gratiæ ad ſalutem neceſſariæ, eſt cõmuniter omnium ſaluãdorum: quia ſine hac [D] plenitudine diuinorum donorum, nullus vmquam hominum ad regnum potuit peruenire cælorum. [Act. 2. a] Vnde ſcriptum eſt: Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, &c. Eſt tamen ſciendum, quòd plenitudo hæc eam habentibus non eſt æqualis: ſed minus, & ma- [1. Cor. 12. a] gis eſſe cernitur in diuerſis. Vnde Apoſtolus: Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Dominus. Et iterum: Vnicuique datur gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Quia tamen ſine hac plenitudine non eſt ſalus; ſeipſum homo diligenter ſcrutetur, ne vacuus ab ea inueniatur. Vis autem ſcire, ſi hanc plenitudinem habeas, & ſi Dei gratia ple- [E] nus exiſtas? Nota pleni proprietates, quas inferius annotaui: de quibus, vt memini, in ſermonibus mortuorum aliqua dixi. Nam quod eſt plenum aliquo refrigeratiuo, ſi in igne ponatur, nullo modo [Exempl.] exuritur; ſed integrum conſeruatur. Et eſt exemplum de vaſe metallino, vel terreo: quæ ſi aqua impleantur, ab igne in nullo læduntur: ſed vacua ad ignem ſi ponantur, corrumpuntur. Ergo, cum gratia ſit animæ refrigeratiua, nulla tribulatione rumpitur anima, quæ eſt gratia Dei plena: ergo ſi rumperis, Dei gratia plenus non exiſtis. Item quod ple- [F] num eſt, ſtabile eſt, & firmum; nec facile mouetur a vẽto percuſſum: immo vbi mouetur vas vacuum, immobile permanet, quod eſt plenum. Ergo ſi te in tentationibus non inuenis eſſe firmum; ſcias te eſſe vacuum, & non plenum. Item vas plenum ab eo, quo eſt repletum, in nulla ſui parte eſt ſeparatum: ſed in omni puncto ſui eſt illi coniunctum; & cum eo interius contiguum habet contactũ: qualitercũque applicetur exterius, a ſuo contactu numquam interius recedit: ergo ſi tu propter cogitationem exteriorum, deuotionẽ perdis interiorum bonorum; ſcias te eſſe vacuum, & non plenum. Item omne continens & contentum in figura ſunt conformia. Exemplum de nube, quæ cum nullius ſit [A] determinatæ figuræ; illius nubis figuram induit, cui immediate ſe vnit. Vnde & Philoſophus omnia [Ariſt. to. 4. lib. 2. de Cælo tex. 30.] elementa probat eſſe ſphæricæ figurę: quia cum primum continens ſit cælum ſphæricum; neceſſe eſt illud eſſe rotundum, quod ſibi eſt immediate coniunctum: quia aliter eſſet ibi ponere vacuum, quod eſſet naturæ contrarium. Quale igitur eſt continens primum, tale eſt primum contentum: & per conſequens tale ſecundum, tertium, quartum, quintum, & ſic vſque ad vltimum.† Igitur ſi tu Spiritu ſancto plenus exiſtis forma & regula, ſcilicet nullo modo [† Hoc loco aliquid deſiderari videtur, quia locutio eſt manca.] recedit. Item omne plenum per omne foramen [B] ſuum emittit foras de eo, quo eſt repletum, nec aliquid poteſt emittere ab illo extraneum: ergo ſi Deo es plenus; de nullo alio, quàm de eo aliquid loqui potes: quòd ſi aliter, plenus Deo nõ es. Item quod aliquo eſt plenum, quotienſcumque ad terram fuerit inclinatum, aliquid emittit de eo, quo fuerat plenũ ante: Ergo cum tu terrenis inclinaris; Deo euacuaris, etiam ſi non ſentis. Item quod eſt aliquo liquore plenum, non poteſt alium recipere liquorem: vnde vas aqua plenum, non poteſt recipere vinum, niſi illa primo fuerit effuſa. Similiter & cor Deo plenum, reſpuit omne mundanum: quod [C] ſi aliquid admittit, Deo plenum vtique non exiſtit. Item vas ſolido corpore plenum non ſonat percuſſum, ſicut patet in dolio, quod cõtinet in ſe vinum: ſed ſonat plurimum, ſi fuerit vacuum, ſicut patet ad ſenſum. Sic & cor Deo plenum, non murmurat, quantumcumque percuſſum: ergo ſi in malo murmuras, neceſſe eſt vt Deo vacuum te eſſe concedas. Sed diligenter attende, quòd quidam non appetunt plenitudinem gratiæ: ſed potius plenitudinem pecuniæ: cum tamen dicatur quòd auarus [Eccls. 5. b] non implebitur pecunia. Nonne igitur ſtultum eſt, eo velle repleri, quo repleri eſt impoſſibile? Sed [D] quæ ratio, quare non poteſt homo impleri pecunia, cum ſit res ſolida? Quid enim ſolidius auro, quid compactius? Sed oculo rationis attende, quæ dico: certo enim tenemus experimẽto, quòd omne, quod natum eſt aliquod totum capere in ſeipſo; non poteſt repleri aliquo minus illo. Exemplũ de vaſe tres modios capiente, de quo certum eſt, ipſum vno, vel duobus non poſſe repleri. At cor humanum eſt capax Dei boni, videlicet infiniti: ergo nullo modo bono finito poteſt repleri. Item cor, quod non habet habitatorem Deum, omnino eſt vacuum: cum ad Deum continendum ſit ordinatum: & quia [E] natura non patitur vacuum eſſe aliquid; cor per naturam ſuæ natiuitatis ſemper, vt repleri poſſit, ali- [Ariſt. to. 7. problemat. ſect. 9. q. 9.] quid attrahit: cum ex eis attractis ſatiari non poſſit; ab attrahendo non deſiſtit. Quare auarus vſque ad mortem congregare non deſinit: quia numquam plenitudinẽ aſſequitur, quam intendit. Nota etiam hic, quòd omne vacuũ illud maxime attrahit, quod ſibi conforme exiſtit: quare magnes in præſentia omnium metallorum nullum ex eis attrahit niſi ferrum. Sic & carnales attrahunt ſibi laſciuiam, ſuperbi ſublimia, auari vero temporalia. & ſicut terra defoſſa, vt eſt in puteis, ex omni parte oris ſibi aërem attrahit; ſic auari & [F] grifonici, quia ſuperuacui: quare diuina gratia vacui, per fas & per nefas congregare non ceſſant. Sed nota hic auarorum ſtultitiam, dum non ceſſant congregare pecuniam: quia omnino faciunt contra naturã. Nam omne vacuum, ſi naturaliter agit; ſolum illud attrahit, vnde repleri poſſit. Vnde ſi contra vas vacuum eſſent aliquæ creaturæ corporeæ, non attraheret, niſi corporeas: quia eius vacuitas nõ poſſet impleri per alias: quare ſi illas attraheret, quibus repleri non poſſet, fruſtra ageret: cum tamen natura nihil penitus agat fruſtra. ergo ſumma eſt hominis amentia, & omnino contra naturam operans ſemper fruſtra, dum repleri volens, non attrahit niſi vana. Sed vtinam conſi-

conſideraret, quòd quando res attrahens plus debito attrahit, & pluſquàm ſibi neceſſe ſit; vnde viuere diutius credidit, inde perit. Exemplum de candela, ſiue de lychno in lampade, quæ dum de humore pluſquàm ſibi neceſſe ſit, attrahunt; extinctionem ſuæ lucis incurrunt. Nam & terra, quando de aqua pluſquàm ſibi neceſſe ſit, accipit; fit omnino inutilis, & ſemina in ſe iactata corrumpit. Et ſic etiam pereunt noſtra corpora, quando pluſquàm vitæ neceſſe ſit, attrahūt ſibi vana. O fatuitas ſumma, vt deficiat nobiliſſima creatura, vana attrahendo, non ſolida bona: vbi non illa deficiunt, quæ penitus carent vita: nec etiam deficiunt ipſa bruta, cum nec terræ committant ſemina, nec congregent quidquam in horrea.

*Exemplū.*

Secūda plenitudo gratiæ eſt plenitudo ſupereminentiæ: qua aliquid dicitur ceteris ſupereminere: & hæc plenitudo fuit in beatiſſima Dei Matre, quæ omnia dona, quæ alij Sancti acceperunt in parte, ipſa omnino habuit in plenitudine. Nam, ſicut in capite ſunt omnes ſenſus: ſed in alijs partibus corporis tantum eſt ſenſus tactus; ſic Domina noſtra omnia habuit Dei dona, quæ in Sanctis alijs ſunt diuiſa, ſicut oſtenſum eſt in primis duobus ſermonibus ſupra. Vnde dicitur: In plenitudine Sanctorum detentio mea. Et eſt ſenſus: totum teneo in plenitudine, quod alij Sancti tenent in parte. Hieronymus: ceteris per partes datur gratia: ſed in Mariam tota ſe infudit plenitudo gratiæ. In hac plenitudine eam imitari non poſſumus, ſed laborare debemus, vt accipiamus partem, quam poſſimus; ne vacui bonis apud Deum inueniamur. Nam quādo terra erat inanis, & vacua, nullis fructibus plena; fuiſſe legitur tenebroſam: & tenebræ erant ſuper faciē abyſſi. Et Gregorius dicit: Si non poſſum ex meſſe multos manipulos ferre; numquid ad aream debeo vacuus redire? Nam ſi multos ferre non poſſum; feram duos, vel vnum: quia etſi Redemptor noſter labores penſet in retributione; tamen vires penſat cum pondere.

*Eccl. 24. b*

*Hieron. in epiſt. 10. de Aſſumptione B. Mariæ paulopoſt initiū to. 9.*

*Gen. 1. a*

Tertia plenitudo eſt plenitudo redundantiæ, ſiue ſupereffluentiæ, quando aliquid ſic dicitur eſſe plenum, vt effundat circa ſe locum. Nam & fluuius, quando ſuas ripas impleuerit, ſi adhuc aqua excreſcit, in omnia loca ſe vicina diffundit, & de ſua ſuperabundātia locis vicinis impendit: quod in Nilo, fluuio Ægypti, ſemper fieri conſueuit ſemel in anno: cum aqua ei ab eo impendatur, non de cælo. Fluuius etiā quilibet, poſtquā ſuum locum impleuerit; ad loca remotiſſima fluit ex abundantia, quam accipit. Flumina nutriūt hortos, & plantas rigare non deſinunt, & vſque ad mare fluxu continuo ſe diffundunt: vt aqua gratiarum illuc redeat, vnde venit. Hæc autem gratia abundātiæ redundantis in Saluatore noſtro, Dei filio, Ieſu Chriſto, primo & principaliter fuit. Vnde de eo dicitur: De plenitudine eius omnes accepimus. Item: Plenum gratiæ, & veritatis. Ipſe enim eſt lux, qua illuſtramur ad verum: & ignis, quo inflammamur ad bonum: poteſt tamen impetratorie, & meritorie appropriari Dominæ noſtræ hoc donum gratiæ, propter quod dicitur eſſe ſimilis Lunæ, cuius eſt accipere lumen, & terris refundere. Radix etiam humorem abundantem, quem accipit, toti arbori illum diſtribuit. Sic & virtus nutrimentalis, cibum, quem accipit, membris vniuerſis diſtribuit: & ideo de Domina noſtra dicit Bernardus: De plenitudine eius accipiant vniuerſi: æger curationē, captiuus redemptionē, triſtis conſolationē, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, Filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam. Ad hanc igitur accedamus, hanc honoremus, hanc in noſtrum auxilium inuocemus, quæ tanti apud Dominum eſt meriti; vt non poſſit repulſam pati, cum ſit digna in omnibus exaudiri. In cuius figura Rex Salomon matri aduenienti aſſurrexit, & thronum matris iuxta ſuum poni fecit, eiq. dixit: Pete mater mea: non enim fas eſt, vt auertam faciem meam. Iulianus Imperator a fide apoſtatans, habitum Monachi proijciens, quem habebat, vt dæmones ſibi obedientes haberet: nam Necromantiam, vel Magicam artem exercebat; crucem Chriſti vndique deſtruebat: Cumq. contra Perſas ad bellū iret, & dæmones ſibi victoriā promitterent, omniſq. Dei Eccleſia cōtra eum oraret; talem viſionem Baſilius vidit: Cum enim apud Cæſaream Epiſcopus eſſet, ſibi videbatur quòd Domina noſtra in eccleſiam maiorem deſcenderet cum multitudine Angelorū: in qua eccleſia quidam miles, nomine Mercurius, iacebat mortuus, & in eadem eccleſia arma ſua repoſita erant: quem Iulianus pro fide occiderat. Domina autem ad exercitum aſtantem dicebat: Quis me de Iuliano apoſtata vindicabit, qui me, & filium meum blaſphemare non ceſſat? Tunc tacētibus cunctis, illa ait: Vocate mihi Mercurium. Cumq. ille aduenisset; Illa eum ſuis armis aſſumptis ad exercitum ire iuſſit, & vt Iulianum occideret, imperauit. Tunc euigilans Baſilius, eccleſiam intrauit, & in tumulo corpus Mercurij non inuenit, nec arma ibidem pendentia vidit. Secundo vero mane veniens, & corpus eius & arma inuenit: tunc viſionem veram eſſe credidit, & poſt paucos dies quidam de exercitu venit, qui eum a quodam milite interfectum narrauit: quiſquis ille fuiſſet, ſciri non potuit. Fertur autem, quòd dum flueret eius ſanguis, ipſe de proprio ſuo ſanguine manum impleuit, & contra cælum proijciens ait: Viciſti Galilæe, viciſti. appellabat autem Dominum Galilæum. Rogemus ergo, &c.

*Ioan. 1. b*

*Bern. to. 1. ſer. de Beata Virgine ſup. verba Apocalyp.*

*3. Reg. 2. c*

*Hanc de Iuliani apoſtatæ morte viſionē ſub alijs nominibus conſcriptā vide in Niceph. hiſt. Eccleſiaſt. lib. 10. c. 35.*

# DE ANGELIS

## SERMO I.

*Miſit Dominus Angelum ſuum, & liberauit me de manu Herodis, &c.* Naturale eſt, vt homines ibi libenter habitent, vbi concepti, vbi nati ſunt, & nutriti: propter quam cauſam multi ex impulſu naturæ plus appetunt eſſe in viliſſimo rure, quàm in nobiliſſima ciuitate. Vnde dicitur de ciconia, vermibus, & ſerpentibus infeſta, ac humanæ ſocietatis amica; quòd nidum ſuum primum numquam deſerit, ſi coacta non fuerit. Sed quando, hyeme cogente, recedit, nidum terra replet, & nidi virgulas, atque ſpinas cum luto conglutinat, ne ventus eas eijciat, vel diſſoluat. In reditu vero ſuo in vere eumdem locum occupat, & contra alias nidum occupare volentes acriter certat, vel pugnat. Vide ergo quanta ſit Angelorum charitas, qui in cælo empyreo creati, tamquam in loco ſibi conuenienti, & apto diuinæ contemplationi, pro diuina obedientia, & charitate ad proximum habitant nobiſcum in terra, in loco obſcuriſſimo, cælo empyreo, comparato: & licet diuina contemplatione non careant: quia Deum vbique contemplantur; tamen illius loci amœnitate priuantur, & in terra Deum contemplantur, quæ corpori congrua eſſe probatur, ſicut ex diuina ordinatione oſtenditur. Sunt ergo a nobis Angeli valde diligendi, valde honorandi, & valde prædicandi: ne ipſorum beneficijs videamur ingrati. Hoc igitur attendens Apoſtolus Petrus ait: *Miſit Dominus Angelum ſuum, &c.* In quo verbo tria notat Apoſtolus. Primo, mittentis Dei auctoritatem. Quid enim Deo ſublimius? Secundo, miſſi nuncij dignitatem. Quid Dei nuncio dignius? Tertio, ipſius miſſionis vtilitatem. Quid a carcere liberari vtilius? Mittit Dominus: mittitur Angelus: & liberatur captiuus. Notatur

*Act. 12. b.*

*Exempl.*



tatur ergo Primo diuina ſublimitas, ſiue auctoritas, cum dicitur: *Miſit Dominus.* Secundo vero notatur Angeli dignitas, cum infertur: *Angelum ſuum.* Tertio vero notatur miſſionis vtilitas, cum adiungitur: *& liberauit me de manu Herodis.* Vt ergo omnia ſimul tractemus, & ſub paucis membris multa, & quaſi innumera Angelorum beneficia conſtringamus; dicamus, quòd quattuor ſunt beneficia Angelorum, ad quæ poſſunt reduci alia, quæ nobis ab ipſis conferuntur. Nota ergo, quòd in via ſunt nobis quattuor neceſſaria, ſi volumus peruenire ad Patriam. Nam primo indigemus ſcientia illuſtrante, propter potentiam cognitiuā: Secundo indigemus gratia inflammante, propter potētiam affectiuam: Tertio indigemus fortitudine roborante, propter potentiam operatiuam: Quarto indigemus victoria conſummante, vt perueniamus ad Patriam. Videte ergo beneficia Angelorum. Nam primo per eos inſtruimur in accipienda ſcientia: Secundo eorum precibus adiuuamur, in impetranda gratia: Tertio per eos roboramur, in facienda iuſtitia: Quarto per eos defendimur, in obtinēda victoria.

Dico, quòd primum, quo indigemus, eſt ſalutaris ſcientia, qua noſtra perficitur cognitiua. quid enim eſt homo abſque ſcientia? eſt enim ſimilis Lunæ, quando in nullo eſt illuminata, ſed eſt tota opaca, & obſcura: & dicitur eſſe nulla. Eſt etiam anima abſque ſcientia, ſicut domus, quæ clauſa eſt vndique, nullo lumine illuſtrata: quæ nullo vſui, niſi incendio eſt apta. Nullum enim eſt animal, quod ſi fuerit cæcum, & lumine ex toto priuatum, quod non ſit inutile ad ſuum officium exercēdum. Quod hirundo dum induſtria naturali cognoſcit; filios ad lucem ſucco cuiuſdam herbæ reducit (vt dicit Philoſophus) ſi eos cæcari contigerit: quod & muſtela ſimiliter facit. Animal enim cæcum ſolum aptum eſt ad molendum, vel vt comedatur idoneum. Vnde capones impinguandi a quibuſdam cæcantur, vt amplius, & citius impinguentur: & iumentum, dum piſtrino ad molendum ponitur, in oculis velatur: vt circa molam facilius reuoluatur. Vnde omnes qui carent hac ſalutari ſcientia, vel more caponum fiunt diaboli eſca: vel more animalium tota die voluuntur circa molam, ideſt circa mundi inutilem curam. Valde ergo honorandi ſunt Angeli, qui ſunt noſtri magiſtri, in obtinēda ſcientia. Vnde officium Angelorum (ſecundum Dionyſium) eſt illuminare, purgare, & perficere: quod vtique faciunt, non animas informando (quod conuenit ſoli Deo) ſed exterius exercitando more Doctoris optimi, & nobiliſſimi. Vnde Angelus dixit: Miſſus ſum, vt docerem te: quia vir deſideriorum es: Et hoc ſignatum eſſe dicitur: Vade, accipe librum de manu Angeli. Quid eſt enim librū accipere de manu Angeli; niſi per eū inſtrui, & doceri? Vnde dicitur: Accepiſtis legē in diſpoſitione Angelorū. Et dicitur: Lex ordinata eſt per Angelos in manu Mediatoris. Si ergo omnes homines (vt docet Philoſophus) ſcire deſiderāt; nec ſcire poſſumus, niſi doceamur; quantum illos amare debemus, a quibus continue non in vanis, ſed in ſalutiferis edocemur? Quis adeo malus eſſet, qui, ſi cæcus eſſet, illum non amaret, qui ſibi lumen redderet? Sed omnes naſcimur cæci, & omni ſcientia nudi, ſecundum intentionem Philoſophi: & quod maius eſt, certi experimento. ergo quantum venerari debemus ſanctos Dei Angelos, a quibus inſtruamur?

*Ariſt. to. 5. li. 6. Hiſtor. Animal. c. 5. & to. 6. lib. 4. de Generat. Animal. cap. 6.*

*Dionyſ. lib. de Cæl. Hierarch. c. 3.*

*Dan. 9. f*

*Apoc. 10. c*

*Act. 7. g*

*Gal. 3. c*

*Ariſt. to. 7. lib. 1. Metaph. tex. 1.*

*Ariſt. to. 3. lib. 6. Ethic. Nicomach. tex. 30.*

Secundo indigemus gratia inflammante, vt perficiatur in nobis potentia amatiua. Nam, vt habetur in libro de Anima, Anima perficitur virtutibus, & ſcientia. Nam tolle gratiam virtutum ab anima: quid eſt niſi mortua, carens vita? Sicut enim anima eſt corporis vita; ſic animæ vita eſt gratia. Et ideo gratia non habita, anima dicitur mortua: quia priuata eſt vita, non quantum ad eſſe primum; ſed quo ad eſſe ſecundum; quo ordinatur ad Deum. Gratia enim Dei ſimilis eſt Soli inflammanti, & omnia incendēti: Sol enim omnia inflammat, quæ ſub eo ſunt: tolle Solem a rebus, & omnia frigore contabeſcent. Nam ſi Sol non eſſet, Luna omni menſe hyemem terris adduceret, & ſic omnia deperirent. Vnde terra non Soli oppoſita, vel a Sole reſpecta, eſt omnino infructuoſa, vt probat ipſa experientia. Sic etiam eſt de gratia, qua non habita, frigida intantum ſunt omnia; vt omnis operatio omnino ſit perdita, quia Deo non grata: immo cordis noſtri terra eſt omnino infructuoſa. Vnde anima ſine dono gratiæ eſt ſicut carbo ſpoliatus igne, & ſicut lucerna ſine lumine, & ſicut nox Sole carens. Si ergo mortui, abſque fructu, & ſine gratia ſumus; ſequitur quòd Angelos reuereri debemus, quorum interceſſionibus gratiam impetramus. Vnde ſcribitur: Reſpondens Angelus Domino dixit: Vſquequo Domine exercituum non miſereberis Ieruſalem? & ſequitur, quòd reſpondit Dominus Angelo verba bona, verba conſolatoria. Quid enim reſpōdere fecit hæc, niſi, quia ad preces Angeli deprecantis per gratiam reconciliatus eſt illis? Vnde in figura dicitur quòd Angelus alius venit, & ſtetit ante altare, &c.

*Zach. 1. c*

*Apoc. 8. b*

Tertio indigemus operatione bona, vt perficiatur noſtra operatiua. Quid enim valet ſciētiam habere operandi? Quid valet habere gratiam ad operandū, niſi adſit operatio bona, quæ appellatur iuſtitia, eo quòd totius vitæ ſit completiua? Nam, ſi in operatione bona ad operandum non adſit potentia, mortua eſt anima. Nam conſtat, quòd iuſtus ex fide viuit: nec minus conſtat, quòd fides ſine operibus mortua eſt. Ergo ſi ex fide animæ vita ēſt, & fides ſine operatione mortua eſt; abſque operatione bona non poteſt eſſe animæ vita. Ita charitas eſt vita animæ. Hugo: Scio, anima mea, quia amor eſt vita tua: ſed vbi operatio non eſt, amor non eſt: ergo nec ibi vita animæ (ſcilicet gratia) eſſe poteſt. Minorem probat Gregorius dicens: Amor Dei numquam eſt otioſus: operatur enim magna, ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt. Quomodo poteſt planta viuere, & nullos fructus facere? Numquid viuente radice, deficiet humor bonus in arbore? Quid eſt animal, quod vita non careat; ſi ea, quæ ſunt naturæ ſuæ, non agat? ergo & homo mortuus eſt, & non viuit; ſi quæ ſalutis ſuæ ſunt, prætermittit: Reuereri ergo debemus Angelos, per quos ad bona opera prouocamur, & adiuuamur. Nonne coadiutores noſtri ſunt Angeli, vt iuſte poſſimus operari? Ecce ego mitto Angelum meum, &c. Duo facit: quia præcedit ad opus auxiliando, & cuſtodit impedimentum remouendo. Angelis ſuis Deus mandauit de te, &c. Exemplum de Angelo, qui apparuit beato Antonio propter tædium vacanti ocio: qui accipiens coram eo folia palmarum, cœpit operari vaſculum: cumq. aliquantulum feciſſet, genu flectebat, & orabat, & ad opus iterato ſurgebat. Cumq. ſic diu feciſſet; dixit ad Antonium: Sic fac, & ſaluaberis.

*Iac. 2. d*

*Greg. to. 3. hom. 30. in Euang.*

*Exo. 23. c*

*Pſal. 90. c*

Quarto indigemus contra hoſtes victoria cōſummante in gratia, & perducente ad gloriam. Quid enim valeret volenti Romam ire, ſi vſque ad portam iret, nec intus introiret? Quid prodeſt ſcutum tota die tenere, fortiter hoſtem inuadere, vtraque manu pugnare; ſi nudum obtenta victoria, proiecto clypeo, contingat te fugere? Non ergo valet ſcientia, non prodeſt gratia, non adiuuant opera bona; ſi non ſit in fine victoria, quæ eſt omnium malorum finitiua, & omnium collectiua bonorum: ſola enim perſeuerantia coronatur, & omnis laus in fine canitur. Non enim (vt ait Apoſtolus) coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Quid enim eſt legitime certare, niſi finem operi ſuo dare, & in bono perſeuerare?

*2. Tim. 2. c*

rare? Prius enim eſt moriendum, quàm diabolo cedendum, vel fugiendum. *Exempla.* Exemplum de Iuda Machabæo, qui priuſquam fugeret, voluit interire. Nã & leo ſi ſe videri credit, numquam hoſtes fugit: ſed ſe videndum in medio campo omnibus iaculis exponit; prius volens mori, quàm fugere. Si igitur tantum bonum eſt victoria; quantam illis debemus reuerentiam, qui noſtram pugnam faciunt, nec iuuare nos ceſſant, niſi victoria prius obtineatur. Ipſi ſunt propugnatores noſtri, qui pro nobis adhuc viuentibus bellant, qui in morte nos iuuant, qui nos poſt mortem aſſociant, qui nos Domino repræſentant, & noſtros defectus coram eo ſuis orationibus velant. *Epheſ. 6. b* Nam dicitur: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem; ſupple tantum: ſed aduerſus, &c. Sed ab his per Angelos liberamur. *Exo. 14. d* Vnde in figura dicitur: Tollens ſe Angelus Domini, qui præcedebat caſtra, &c. & poſtea quomodo omnes in mari merſi ſunt, filijs Iſrael liberatis. *Apoc. 12. b* Factum eſt prœlium, & cetera.

## DE ANGELIS
### SERMO II.

*Matt. 18. b* ANgeli eorum ſemper vidẽt faciem Patris. Magna eſt (vt dicit Hieronymus) dignitas animarum: quia quilibet habet Angelum ſuum ad cuſtodiam delegatum. *Hieron. in lib. 3. in Matth. ſup cap. 18. ante medium to. 6. & in Dialogo de orig. Animarum in fine tom. 9.* Quis enim in tot malis, in tantis periculis, tantiſq. diaboli tentamentis, tot mundi periculis, & fallacibus blandimentis, & carnis tam innumeris incendijs poſſet eſſe ſecurus; ſi non eſſet cuſtos Angelus? Nam Angeli ſunt ex natura potentes; & ideo ipſorum miniſterium eſt beneficum; & ex diſpenſatione diuinã ſunt nobis præſentes. & ideo eſt miniſterium ipſorum continuum, ſemper tamen diuinæ contemplationi coniunctum. Et ideo in verbo præmiſſo, quantum ad duo, Angeli deſcribuntur. Primo, quantum ad vim miniſtratiuam, qua nobis ſeruiunt, humanæ indigentiæ conſulendo. Secundo, quantum ad vim contemplatiuam, qua Deo ſemper aſſiſtunt, fontem diuini luminis contemplando. Primum reſpicit humanam neceſſitatem: Secundum vero Angelorum felicitatem: Primum eſt officium charitatis, ſed ſecundum eſt opus dignitatis. Notatur ergo primo virtus adminiſtratiua, cum dicitur: *Angeli eorum*. Notatur ſecundo virtus contemplatiua, cum additur: *ſemper vident faciem Patris*. Sed quia in ſuperioribus ſermonibus multa, immo quaſi omnia de miniſterio Angelorum dicta ſunt; Nunc de contemplatione videamus. Eſt ergo notandũ, quòd ad viſionem beatam quattuor requirũtur; videlicet Primo, vt ſit aperta: Secundo, vt ſit iocunda: Tertio, vt ſit plena: Quarto, vt ſit æterna. Quodcumque enim iſtorum deficeret, viſio beata eſſe nõ poſſet. Cum enim (ſecundum Bernardum) beatitudo ſit omnium bonorum plenitudo; *Boet. de Cõſolat. Philoſophica li. 3. proſa 2.* Et ſecundum Boetium, ſit ſtatus bonorũ omnium aggregatione perfectus; ſi aperta viſio ſummi boni non eſſet clara ſerenitas, & viſioni iocunditas, & iocunditati non iungeretur ſatietas, & ſatietati non iungeretur æternitas; non eſſet ibi bonorum omnium plenitudo: ergo nec vera beatitudo. Vt ergo nihil deſit beatitudini Angelorum; Primo vident Dominum viſione apertiſſima: Secundo viſione clariſſima: Tertio viſione pleniſſima. Et nihilominus tertio vident viſione ſecuriſſima.

Dico primo, quòd Angeli vident Deum viſione ſereniſſima, nullo ænigmate obumbrata, vel nullo medio conuelata. Si enim non ſic viderent, beati non eſſent: quia adhuc Deum videre in ſeipſo appeterent: quia Angeli appetitus terminatus non eſſet; ergo nec omnis boni plenitudinem attingeret:

A Sicut enim Apoſtolis in terra adhuc viuẽtibus Chriſtus dixit: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. *Luc. 10 e* Et dicitur: Abraham exultauit, vt videret diem meũ: *Ioan. 8 g* vidit, & gauiſus eſt. Quanto magis illi dicendi ſunt beati, qui non Chriſtum in forma tantum humana; ſed eum conſpiciunt in diuina? Nunc enim (ait Apoſtolus) videmus per ſpeculum in ænigmate: *1. Cor. 13. c* tunc autem facie ad faciem. O felix viſio, o deſiderata contemplatio, illam ſummam eſſentiam cernere in ſeipſa, quæ omnis eſſe cauſa exiſtit: & illam potentiam, quæ de nihilo tam magna produxit: & illam ſapientiam, quæ tam multa, tam pulchra, tanta varietate diſtinxit: B & illam bonitatem beneuolã, quæ vniuerſa perſiſtere facit! Quid hoc melius? quid ſublimius? Vnde Auguſtinus de viſione hac refert Platonem Philoſophum quædam dixiſſe: *Aug. to. 5. lib. 10. de Ciuita. Dei cap. 18.* Tam, inquit, delicata eſt viſio diuina, tantoq. amore digniſſima; vt quidquid haberi poſſit, illa non habita, non faciat hominem beatum; ſed miſerum. Vadant ergo miſeri homines laſciui, filij diaboli, & tota die vana conſpiciant, politas mulierum facies aduertant, & auro cupidorũ incendantur, & ab illa viſione excellentiſſima ſe excludãt, vt in futuro non Deum, ſed dæmones videant: non gloriam inueniant, C ſed perpetuas pœnas luant. Quæ enim eſt cauſa, quòd in ſenſibus nos ſuperant bruta? *Exempla.* Certe nos capræ præcedunt in viſu: Lupi nos ſuperant in olfactu: & araneæ, vt videtur, in tactu. Et quare creatura ſummæ nobilitatis in ſenſibus ſuperaris a brutis? vt ſcias, quia tua bona non externa, ſed interna: non terrena, ſed ſuperna: non cum brutis in terra, ſed cum Angelis in cælo quærenda. In ſenſibus ergo te ſuperant bruta: quia facta ſunt ad ſola ſenſibilibus bona: tu autem in ſenſibus deficis, vt per hoc docearis; vt ad bona rationis, quæ ſunt animæ intima, reuertaris. Qui ergo Deum videre deſiderat, D ab exterioribus omnibus oculos auertat, & ad ſe redeat: nec in vanis beatitudinem ſuam ipſius quærat. Auerte oculos meos, &c. *Pſal. 118. e*

Secundo, Angeli vident Deum viſione iocunda. Quid enim valeret Deum videre, nec de viſione gaudere? Immo quomodo poſſet ſummum delectabile videri, & in eo non delectari? *Exempla.* Si pulchritudo pantheræ ſic attrahit animalia ad ſe videndum; ſi ſic delectat aſpectus hortorum; ſi ſic ſuauitas liliorum, roſarum, & violarum; ſi ſic amœnitas agrorum florẽtium; ſi ſic pulchritudo ſtellarum; Quantum credis delectat cernere ſummum bonum, pulchritudinem E omnium ſæculorum, & pulchritudinis omnis principium? Dulce lumen, & delectabilẽ eſt oculis videre Solem. Et ſi ſic delectat creatum hunc reſpicere Solem; quid delectationis putas illis eſſe, qui Creantem intuentur Solem? Dicitur enim de aquila, quòd tunc habet delectationem ſuam; quando Solem conſpicit in rota: ergo quid eſt videre ſummam eſſentiam omnibus delectationibus plenam? non enim abſque ſumma delectatione poteſt cerni diuina eſſentia. Vnde dicitur: Videntes exultabitis lætitia inenarrabili: *1. Pet. 1. b* quia ad eam exprimẽdam deficit omnis lingua. Si enim F ſic delectat guſtum eſus carnium quadrupedum, auium, piſcium, & ſaporum: ſi ſic contactus carnalium rerum; Quid eſt deguſtare ſummum bonũ, in quo eſt plenitudo omnium delectationum, pluſquam dicere ſufficiamus in infinitum? Deficiunt enim omnes linguæ a narratione eius, propter magnitudinem eſſe ipſius. Nam tam magna, tam ampla, tam ſumma eſt illa dulcedo; vt eam non exprimat vllus ſermo. Vnde Apoſtolus ſemel illuc raptus, *2. Cor. 12. a* vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui: Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te. *Iſa. 64. a* Quàm magna multitudo dulcedinis, &c. *Pſal. 30. c* Bernardus: *Bern.* Semel te guſtaui mi bone Ieſu, ſemel te guſtaui: & vtinam millies mori poſſem,

vt ite-



vt iterum te guſtarem. Vtinam haberemus deſiderium Prophetæ dicentis: *Pſal 41. a* Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes, &c. Sitiuit, &c. Sicut ceruus numquam eſt ita laſſus, quin a guſtu aquæ & tranſitu reparetur; ſic nulla homini tribulatio grauis eſſet, qui illius ſummi boni modicam ſtillulã deguſtaret. Pereant ergo filij Belial, quos ſolum nunc vana delectant: vt a delectatione perpetuo ſe excludant. *Pſal. 26. d* Nos ergo, qui credimus videre bona Domini in terra viuentium; fugiamus hunc vanum guſtum, vanum aſpectum, vanum auditum, vanum olfactum, & omnem delectabilem ſenſum. *Iob 33. d* Nam in Iob dicitur: Videbitis faciem eius in iubilo. Eſt autem iubilus, quædam indicibilis lætitia (vt Gregorius dicit) mentis, *Greg. to. 2. li. 8. expoſit. Moral. in cap. 8. Iob. cap. 31.* quæ non poteſt lingua exprimi, nec ex toto videri. Exemplum de cane leporario, qui dum inuenit veſtigia leporis, tantam lætitiam concipit, vt a quibuſdam vocibus imperfectis abſtinere non poſſit.

Tertio, Angeli vident Deum viſione plenaria. Si enim, vt tactum eſt, illud bonum plenum non eſſet, ita quòd in vllo bono omnino deficeret; ſummum non eſſet: nec Angelicum appetitum ex toto perficeret, cum ſemper maius bonum appetere poſſet. Neceſſe eſt ergo, vt illud ſit pleniſſimum bonum, vt maius excogitari non poſſit. Vnde Dominus dixit ad Moyſen: *Exo. 33. d.* Ego oſtendam tibi omne bonum, ideſt perfectum bonum. Et quid eſt perfectũ bonum, niſi bonum conſummatum, cui non poteſt fieri additamentum? *1. Cor. 2. c* Vnde Apoſtolus: Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ Deus præparauit ijs, qui diligunt illum: quaſi dicat: Tam ampla, tam alta, tam innumera ſunt illa bona; vt omnem excedant humanum intuitum, humanum auditum, & omnem animi cogitatum. Quare concludere licet, quòd illud bonum tantum eſt, quo maius eſſe non poteſt. *Pſal. 35. b* Inebriabuntur ab vbertate domus meæ, &c. Et ibidem: Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

## DE ANGELIS
### SERMO III.

*Pſ. 103. a* QVi facit Angelos ſuos ſpiritus. Quantum illi milites natura ſublimes, virtute potentes, diuinis reuelationibus ſapientes, pietate clementes, veloces: quos Scriptura omnes aſſiſtere Domino docet; quis verbis exprimere poteſt? Ipſe ſolus eos perſpicere nouit, qui eos condidit, tam ſublimes effecit, & ſuos Angelos, id eſt nuncios eſſe conſtituit. Et ideo valde congrue dictum eſt: *Qui facit Angelos ſuos*. Eſt vero ſenſus: ille, qui cuncta creauit, qui vniuerſa perfecit, vt voluit; ille milites ſuos, qui ex natura ſpiritus ſunt, ex nobilitate naturæ, fecit nuncios ex adminiſtratione. *Heb. 1. d.* Vnde Apoſtolus ad Hebræos: Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſteriũ miſſi, propter eos, qui hereditatem capient ſalutis. Videte ergo fratres, ne recedat a corde, ne recedat ab ore, ne recedat ab opere, quantum Deum noſtrum debeamus amare: quia non ſolum condidit mundum, & totum nobis dedit in vſum, ſed & Angelos tradidit in miniſterium: & tandem ſeipſum in pretium. In verbo autem præmiſſo ſubtiliter explanato ſancti Angeli deſcribuntur, quantum ad tria. Primo, ex parte auctoritatis diuinæ. Secundo, ex parte generoſitatis naturæ. Tertio vero ex parte gratiæ, ſiue adminiſtrationis commiſſæ. Nam ex diuina auctoritate nobis ſunt venerabiles: Ex naturæ ſublimitate nobis ſunt admirabiles: Sed ex officij ſui charitate & humilitate ſimul & pietate, nobis ſunt diligibiles. Notatur ergo primo circa Angelos diuina auctoritas, cum dicitur: *Qui facit*. Notatur ſecũdo Angelicæ naturę

A ſublimitas, cum additur: *ſpiritus*. Hæc ſunt in creatura ſua ex natura accepta: Exigebat enim perfectio vniuerſa, vt ſicut quædam natura, ſiue creatura eſt ſimul corporalis, & ſpiritualis, & quædam pure corporalis; ita eſſet quædam natura tantum ſpiritualis. Nam quarta doctrina eſſe non potuit, vt eſſet aliqua creatura, quæ nec corporalis eſſet, nec ſpiritualis. Tertio vero notatur mentis Angelicæ charitas, ſiue humilitas, cũ infertur: *Angelos ſuos*, ideſt nuncios, nõ quòd compellãtur: ſed voluntarie obſequuntur, diuina reuerentia, & fraterna charitate deuicti. Dicamus ergo: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*. B Vt ergo iſta omnia ſimul tractemus; Sciẽdum eſt, quòd Angeli a Deo creati ſunt natura nobiliſſimi principes: Sũt diuini culminis adoratores: Sunt diuini operis prædicatores. Nam primo, admirantur, & laudant diuinam Sapientiam ſimul & prouidentiam, qua omnia diſponuntur, & variantur. Secundo, venerantur, & adorant diuinam Omnipotentiam, qua omnia producuntur. Tertio loquuntur, & prædicant diuinam beneuolentiam, qua homines redimuntur.

Dico primo, quòd ſancti Angeli admirantur, & laudant diuinam Sapientiam ſimul, & prouidentiã, C qua omnia diſtinguuntur, & diſponuntur. Dum enim conſiderant rerum omnium varietates, mutationes, ſucceſſiones, & diſpoſitiones; diuinam prouidentiam, quæ omnium talium eſt prima cauſa, admirantur, & laudãt. Vnde Dominus ad Iob: *Iob 38. a* Vbi eras, cum me laudarent aſtra matutina? Stellæ matutinæ, quæ maxime apparent fulgidæ, ſunt poteſtates Angelicæ, quarum eſt Deum continue laudare, ex tanta operũ diuerſitate, & admiratione: vt de mutatione circa ſe facta non ploret, ſed potius admiratione Angelica Deum laudet. Nam & Pſalmus: *Pſ. 148. a* Laudent eum omnes Angeli eius. & ſequitur: D quia ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Statuit ea in æternũ, & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, & non præteribit. In quo verbo diuina notatur prouidentia, formans, & diſponens omnia. Quis enim, niſi amens, non admiretur, & ex hoc Deum laudet? Ipſa ſupercæleſtia agmina ſunt tãta varietate diſtincta; vt quidã ex Angelis ſint ſemper diuinis aſpectibus aſſiſtentes: qui ſunt de ſuperiori Hierarchia. Quidam ſunt præſidentes, & alijs imperãtes: ſicut qui ſunt de media Hierarchia. Quidam ſunt obedientes, & iuſſa complentes: ſicut qui ſunt de infima Hierarchia. Quis nõ miretur, & E Deum laudet, dum tantam videt doctrinam cælorum, orbium, & ſtellarum; non ſolum in ſpecie, & claritate; ſed etiam in virtute differentium? Quis non miretur, & Deum laudet, dum videt tantam diuerſitatem hominum, moribus, & vita differentium: in quibus omnibus tanta eſt diuerſitas facierum, in modico, vel in nullo ſimilium? Quis non miretur, & Deum laudet, dum conſpicit in mundo tam modico tantam diuerſitatem terrarum, tantam diuerſitatem montium, collium, & vallium, tantam varietatem prouinciarum, caſtrorum, ciuitatum, & villarum, linguarum, & morum, tantam F varietatem ſaporum, odorum, & florum? Quis nõ miretur, & Deum laudet, dum conſpicit tantam varietatem lapidum, ac omnium metallorum? Quis non miretur, & laudet Deum, dum tantam cernit diuerſitatem fructuum, & granorum? Quis non miretur, & laudet Deum, dum cernit tantam diuerſitatem animalium, volatilium, greſſibilium, & natatilium: tantam diuerſitatem pilorum, virtutum, & naturarum? Attende ergo homo: quia omnia iſta pro te facta ſunt: & tibi in iudicio obijcienda ſunt. "A te gratiæ pro tantis bonis requirẽdæ ſunt: in quibus ſi defeceris, grauiter punieris." *Hieron. in epiſt. 20. de cereo Paſcali circa finem to. 9.* Si enim omnia animalia currunt, vt videant pantheram, quia tota varia eſt, albis maculis ſuperpicta; quis non debeat

admi-

admirari tantam circa nos diuinam prouidentiam, tam ſapienter diſponentem, tam multa? Quare non attenditis, quomodo dies ſuccedat nocti: & nox pari modo diei? Si enim dies ſemper eſſet, Sol vniuerſa exureret: Si vero nox ſemper eſſet, frigus vniuerſa vaſtaret. Diſpoſuit ergo diuina prouidentia, vt mutatio ſibi ſuccederet, vt ſe mutuis alternationibus temperarent. Conſimili modo & ſuccedit hyemi ver: æſtas veri: & autumnus æſtati. Item in minori mundo pueritia ſuccedit infantiæ: adoleſcentia pueritiæ: ſenectus adoleſcentiæ: & ſic eſt in alijs rebus inuenire. Ergo cum ſanctis Angelis admiremur, & laudemus tantam diuinam prouidentiam, & tantam in rebus ſapientiam, donec veniamus ad Patriam, vbi eſt pro omnibus admiratio magna, & laus perpetua. Vnde: *Iſa. 40. b* Tunc videbis, quanta ſit in rebus diuina prouidentia, & afflues (admirabili ſcientia) & mirabitur cor tuum circa ſingula Dei opera. *Pſal. 150. a* Et adimplebitur illud Pſalmi: Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius, ideſt ſecundum quòd apparuerit magnus in operibus ſuis. Nam ſecundum quòd ipſe magnus eſt; laudari a nemine ſufficienter poteſt.

Secundo, ſancti Angeli venerantur, & adorant diuinam Omnipotentiam, qua producta ſunt omnia. Quid enim eſt adorare, niſi ex diuinæ potentiæ conſideratione ſeipſum deijcere, & reſilire in propriam paruitatem? Deum ergo adorant, dum altitudinem potentiæ ſuæ conſiderant, quam etſi in ſe comprehendere non poſſunt; in omnibus tamen venerantur, & colunt. *Apoc. 7. c* Vnde dicitur in Apocalypſi: Omnes Angeli ſtabant in circuitu Throni, &c. & ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt Deum. *Pſal. 96. b* Et Pſalmus: Adorate eum omnes Angeli eius. Sic & nos Omnipotentiam eius exemplo Angelico reuereri, & adorare debemus: quam pro nobis manifeſtauit in creatione, dum de nihilo vniuerſa tam magna, tam pulchra, tam multa, & tam vtilia ſola voluntate produxit. Tam enim excellens opus eſt creare; quòd nulli Philoſophi potuerunt credere, aliquid de nihilo poſſe fieri: vnde coacti ſunt plura principia ponere, & maxime ipſam materiam, quam dicunt ingenitam eſſe. *Boet. lib. 5. proſa 1. de Cõſolat. Philoſoph.* Vnde Boetius: Communis omnium ſententia eſt, cuius nullus vmquam veterũ contradixit, ex nihilo nihil poſſe fieri. Tam enim altum eſt opus de nihilo operari; quòd ſi omnis potentia creata, tam Angelica, quàm humana, cæleſtis pariter & terrena in vnum eſſet conflata, non poſſet ex nihilo minimam creaturã producere. Ergo non eſt ille adorandus, qui corpora cæleſtia tam clara, quàm alta: tam pulchra, quàm multa: tantis virtutibus plena: & ipſam rationalem creaturam ex nihilo, ſuo verbo produxit? Exemplum hoc accipiamus Magorum, *Mat. 2. b* quos venientes ad Chriſtum adorandũ, non retardauit longitudo viarum, non aſperitas temporũ, non magnitudo regalium expenſarum: ſed venientes, & intrantes domũ, inuenerũt puerum cum Maria matre eius: & procidentes adorauerũt eum: & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, &c. Nota ordinem, quomodo debeas Deum adorare. Nam venerunt, prociderunt, adorauerunt, & obtulerunt. *Hieron. lib. 3. in Oſeam ſup. cap. 21. tom. 5.* Quia ad Deum veniendum eſt deuotione: procidendum eſt toto corde: adorandum eſt corde, & ore: ſed offerendum eſt ei aliquid opere. Quomodo non adorabis, & timebis Omnipotentem; quando ſic timent animalia ſuum regem? Nonne ad leonis rugitum omne animal figit greſſum, vt nec audeat tranſire circulum, quem leo cauda deſcripſerit? Nonne grues ſuum regem venerantur, & colunt, ad cuius imperium terram petunt, & de terra ſe erigunt? Quid dicam de apibus, quæ ſuum regem venerantur, adeo, vt omnes ad ſuum ſeruitium ſe offerant, & ſi eum offendant, de ſeipſis vltionem expetant; & vulnere proprij aculei ſe occidant? Quod, inquam, regnum Barbarorum, & aliarum nationum in veneratione non habeat regem ſuum? ſolus Rex regum, & Dominus dominantium contemnitur a populo ſuo: nec ei debitus honor impenditur. Sed veniet dies illa, quando, velint nolint, adorabunt eum: ſed miſericordiã inuenire non poterunt. *Prou. 6. d* Vnde dicitur: Zelus, & furor viri, ideſt Chriſti, non parcet in die nouiſſimo: nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima.

Tertio, Angeli loquuntur, & prædicant diuinam miſericordiam, qua homines redimuntur. Et hoc plane habetur: *Luc. 2. b* vbi, nato Domino, paſtoribus vigilantibus Angelus apparuit dicens: Ecce euangelizo vobis gaudium magnũ, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Si Chriſtus Deus natus eſt, vt nos (chariſſimi fratres) non Angelos, liberaret: & Angeli non redempti, ob charitatem noſtram, ſic Regem natum prædicant, atque gaudent; *Luc. 2. b* ita vt Gloria in excelſis Deo cantarẽt; quid homo redemptus, Deo reconciliatus, ab hoſte peſſimo liberatus facere debet? *Philip. 4. a* Gaudete, inquit Apoſtolus, in Domino ſemper: iterum dico, gaudete: quia Dominus prope eſt. Si ſic gaudendum, atque iterum gaudẽdum eſt ex Domini expectatione; quantum gaudendum eſt ex ſua redemptione? O quàm graue peccatum, & quàm deteſtandum, & quàm acriter perſequendum; non prædicare, non amare tam grande beneficium, quod Angeli tripudiant, cæli exultant: elementa cuncta, & infernalia vlulant, & deplorant. Bernardus: O duri, o inſenſati filij Adam, quos nõ emollit tanta benignitas Saluatoris, tam ingens flamma amoris. Quare filij perditionis non attenditis fœnum, non conſideratis tam ſtrictum præſepium, nõ Deum panniculis inuolutum, poſitum in medio animalium? Bos, & aſinus Deum adorant: ſtella prædicant, cæli admirantur, & laudant: omniſq. Scriptura ipſum veniſſe denũciat: & ſolus homo, propter quẽ venerat, non laudat, non prædicat, ſed perſequitur veniẽtem. *Mat. 2. a. b* Exemplũ de Herode cum principibus ſacerdotum, qui eum quærebant ad mortem. *Iſa. 1. a* Vnde ipſe conqueritur per Iſaiam: Cognouit bos poſſeſſorem ſuũ, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autẽ nõ cognouit me, & Populus meus non intellexit. Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me.

# DE ANGELIS

## SERMO IV.

*Pſal. 90. c* *ANgelis ſuis Deus mãdauit de te: vt cuſtodiãt te in omnibus vijs tuis.* Admirabilis, & ſtupẽda, & laudum præconijs prædicanda circa nos Altiſſimi bonitas, & amabilis plurimum Angelorum, militumq. cæleſtium charitas ſimul, & pietas; & plangenda non parum noſtra tam multa neceſſitas. Hæc enim tria in auctoritate præmiſſa, ſunt notata. Nam primo, notatur circa nos diuina diligentia procedens ex ſuperadmirabili bonitate. Notatur ſecundo, Angelorum ſanctorum cuſtodia, procedens ex intima charitate. Notatur tertio, humana indigentia veniens ex naturæ infirmitate. Nam diuina diligentia, quam bonitas ſumma facit, notatur, cum dicitur: *Angelis ſuis Deus mandauit de te*. Angelica cura, quam charitas ſumma gignit, notatur, cum additur: *vt cuſtodiant te*. Sed noſtra indigentia, quam naturæ neceſſitas introducit, cum additur: *in omnibus vijs tuis*. Quæ enim ſunt viæ meæ, niſi in peccato culpæ originalis concipi, in doloribus naſci, in gemitibus conuerſari, & neceſſario mori? Iſta ſunt, pro quibus orabat Propheta Dauid, dicens: *Pſal. 24. c* De neceſſitatibus



tibus meis erue me. Vt ergo omnia iſta ſimul tractemus; ſcire debemus, quòd licet ex bonitate Dei permaxime omnibus hominibus Angelorum adſit cuſtodia; Quattuor tamen genera hominum ſunt, quibus maxime ſancti Angeli aſſiſtunt: Nam recte conuerſantium, Quidam ſunt vigilantes: Quidam ſunt orantes: Quidam ſunt laborãtes: Quidam ſunt ſuſtinentes. Nam quidam vigilant ex prudentia: Quidam orant ex reuerentia: Quidam laborant ex obediẽtia: Et quidam omnia mala portant ex mentis conſtantia. Aſſiſtunt ſancti Angeli ex conſideratione vigilantibus: Item deuote ſupplicãtibus: Item prompte obedientibus: Item viriliter mala portantibus.

Dico primo, quòd Angeli aſſiſtunt vigilantibus ex conſideratione: Vult enim Deus nos ſollicite vigilare, vigilijs carnem atterere, & propriç ſaluti intendere. Nam inter grues quædam ſemper vigiles ſunt, & ſollicite caſtra cuſtodiunt. *Ariſt. lib. 9. Hiſt. animal. c. 10. tom. 5.* Vnde Philoſophus dicit, quòd vnum pedem tenent in terra, alterum vero tenent ſuſpenſum a terra, in quo lapillum tenentes, eius caſu, ſi dormierint, excitentur. Valde enim turpe eſt, & rationi contrarium; vt brutum volatile pro ſua ſalute vigiliam teneat: & rationale animal dormiat, nec pericula ſua aduertat. *Exempla.* Nam & leo, ſi cogente natura dormiat, ſemper tamen oculi vigilant: eo quòd eos dormiendo non claudat: lepuſculus etiam quando dormit, numquam oculos claudit. In quibus omnibus ſic docemur, vt ſemper quaſi vigiles ſimus, *Cant. 5. a* Iuxta illud: Ego dormio, & cor meũ vigilat. Vnde Dominus exemplo vtens Patrisfamilias, *Mat. 24. d* dicit: Si ſciret Paterfamilias, quando fur venturus eſſet, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam: ideoq. & vos eſtote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Quis enim eſt, qui in carcere eſſet, & iudicem ſemper expectaret, vt eum tortori traderet; ſomno vacaret, & non fletibus potius intenderet? Vnde beatus Arſenius dixit, quantum vigilandum eſſet: quòd ſcilicet Monacho ſufficeret, ſi vna hora dormiret. Væ igitur illis miſeris, qui tota nocte dormiunt, vt in die vanitatibus intendant. Quid enim de tempore accepto a Deo ad pœnitẽtiam pro animæ ſalute intendunt? Si enim ſic tempus expendunt mercatores pro temporalibus lucris, ſi ſic ſcholares pro temporalibus ſcientijs lucratiuis, ſi ſic mulieres in filijs fuſo contortis; Quid facere deberent homines pro diuinis chariſmatibus obtinẽdis, quibus in cælo obtineant regnum pacis? Sed attendendum eſt, quòd ſicut ſancti Angeli aſſiſtunt vigilantibus; ſic reſiſtunt deſidiæ vacantibus. Exemplum de Angelo, *Num. 22. d. e. & ſeq.* qui reſtitit Balaam in via, qui ab aſina didicit, & correptus eſt. Lege Hiſtoriam, & prædica eam: quia ſatis eſt pulchra.

Secundo, aſſiſtunt Angeli orantibus ex deuotione. *Tob. 12. c* Vnde Angelus: Quando orabas tu, & Sara vxor tua, ego obtuli orationem tuam coram Domino; & ſequitur; Ego ſum Raphael Angelus, &c. Multa enim eſt virtus orationis, quæ Deum lenit, Angelos ad ſe trahit, & dæmones deijcit, & affligit. Narrat enim Hiſtoria Scholaſtica, quòd tempore, quo Iulianus apoſtata ad bellum procedebat in Perſiam, ſibi dæmonem parentem in Occidentem miſit, vt ſcire poſſet, quid in partibus Occidentalibus ageretur: Dæmon igitur iter arripuit, qui Monachum, ſiue Religioſum plurimũ orantem in via inuenit: Cumq. per decem dies ab orando non ceſſaret, & diuina virtute orationis, vltra tranſire non poſſet; ad Iulianum redijt: & quare tranſire non potuerit, indicauit. Nam & Sanctus Pater vidit, quòd cum Fratres orabant, dæmones extra cellam fugiebant: ſed dum ab oratione ceſſabant, mox ad eos in cellam redibant. Si ergo vis Angelum tibi ſemper aſſiſtere, non ceſſes ſemper orare. Quis eſt enim, ſi multis malis preſſus, & ab aduerſario potente obſeſſus; qui nuncium regis ſibi auxiliantem, & eum ab omnibus periculis defendentem, non rogaret inſtanter, vt ſtaret, & a ſe non recederet, & cordis affectu, & oris affatu, & oculorum nutu, & manu complicata ad manum, immo certe ſi cuncta membra corporis linguas haberent, omnia Angelum precarentur vt ſtaret? ergo continue eſt orandum. Nam & ſicut Angelus aſſiſtit orantibus, & humilibus; ſic reſiſtit ſuperbientibus. *Act. 12. a. & d* Exemplum de Herode, qui indutus veſte regia (ſicut legitur in Hiſtoria Scholaſtica) ex auro argentoq. contexta, tanto fulgore repercuſſa ſolaribus radijs, refulgebat: quem, cum populus aſtaret, aliquid in ſe diuinũ habere, credebat: & ideo ipſi, quaſi Deus eſſet, vocibus acclamabant. Cumq. tantis applauſibus exultaret, nec diuinas laudes reſpueret, tunc ab Angelo eſt percuſſus morte: tunc fertur dixiſſe ad populum: Quem tantis fauoribus prædicatis, ecce deus veſter morior.

Tertio, aſſiſtunt Angeli obedientibus, & laborantibus in continua actione. Nec mirum: nam videmus, quòd nuncij alicuius regis, ſi fideles ſunt, vere regi multum aſſiſtunt, & fauent illis; qui bene obediunt in palatijs regis, continue laborant in regalibus agris. Ergo, ſi ſic faciũt nuncij ſæculares; quanto magis hoc faciunt Angelicæ poteſtates? *3. Reg. 19. b* Vnde ſcribitur quòd Angelus tetigit Heliam, qui feſſus erat: laborauerat enim, & confortauit eum dicens: Surge, comede, &c. *Act. 12. a* Et dicitur, quòd Petrus erat vinctus cathenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, &c. Quis ergo, ſi non ſtultus ſit, non debeat laborare, vt poſſit tam fortes auxiliatores habere? Stultiſſimum eſt, non obedire potentiſſimo Regi, ſola non ſibi, ſed nobis vtilia imperanti: cum membra etiam corporis noſtri ſic obediant cordi, & animalia bruta leoni. Nam de coruis dicitur, quòd poſtquam bellauerint inter ſe pugna forti; victus per omnia obedit victori. Simus ergo obedientes in diuinis operibus laborantes, ſi Angelos volumus habere aſſiſtentes. Nam non laborantibus, non obedientibus, ſed voluptatibus, & delicijs vacantibus reſiſtunt Angeli: *Pſal. 34. a* Fiat via illorum tenebræ, & lubricum: & Angelus Domini perſequẽs eos. Exemplum eſt de ſene luxurioſo, & vacante a bono opere: *Dan. 13. f* cui Daniel ait: Ecce Angelus Domini, accepta ſentẽtia, ſcindet te mediũ, &c. *Gen. 19. e* Exemplum de Angelis, qui Sodomam ſubuerterunt: eo quòd vacantes ocio, luxuriæ intendebãt.

Quarto, aſſiſtunt Angeli patienter ſe agentibus in tribulatione. Quis enim tot mala, quæ caro ſuggerit, mundus ingerit, & dæmon impingit, portare poſſet, ſi Angeli non iuuarent? Quis etiam audeat deſperare, & non viriliter agere, cum tam ſtrenuos milites noſcat ſibi aſſiſtere? *Tob. 5. d* Vnde dicebat Tobias vxori ſuæ: Noli flere: credo enim, quòd Angelus Dei bonus comitetur ei. Exemplum de hoc habemus: *4. Reg. a* Vbi Ezechias cum alijs patienter tribulationẽ ſuſtinentibus, Angelus Domini in ipſa nocte percuſſit in caſtris Aſſyriorũ octuagintaquinque millia hominum pugnatorum. *Dan. 6. f* Item dicitur: Miſit Deus Angelum ſuum, & concluſit ora leonum. Lege Hiſtoriam & narra: *Dan. 3. a* nam & ibidem dicitur, quòd Angelus Domini deſcendit in fornacem, & fecit medium fornacis, quaſi roris flantem. Omnes iſtæ Hiſtoriæ narrandæ ſunt: quia valde ſunt pulchræ, & Angelicæ aſſiſtentiæ probatiuæ. Sed attendendum, quòd ſicut aſſiſtunt patientibus; ſic reſiſtunt vane de ſe gloriantibus. *2. Reg. 23. a* Exemplum: Dicitur enim quòd cum Dauid populum numerari fecerit; Angelus Domini ex populo octuaginta millia interfecit, *& cetera*.

# DE DEDIC. ECCLESIAE

## SERMO I. in ordine.

[*3. Reg. 9. a*] SAnctificaui domum hãc, quam ædificaſti: vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum. Verba ſunt Domini ad Salomonẽ: & videntur ſatis competere hodiernæ ſollemnitati, in qua dedicationem templi celebramus. In verbis autem propoſitis duo notantur. Primum eſt, templi dedicatio, cum dicitur: *Sanctificaui domum hanc, quam ædificaſti*. Secundũ eſt, dedicationis ratio, B cum dicitur: *vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum*. Circa primum notandum, quòd eſt triplex domus Dei, & triplex eſt ſanctificatio correſpondens. Prima eſt materialis: Secunda eſt ſpiritualis: Tertia eſt cæleſtis.

De prima domo, ſcilicet materiali dicitur: [*Ioan. 2. c*] Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Et dicitur templũ materiale Domus Dei: quia Deus [*Pſal. 5. b*] in eo colitur, & adoratur. Vnde in Pſalmo: Adorabo ad templum ſanctum tuum. Sanctificatur autem domus in dedicatione. Vnde quando Moyſes [*Num. 7. a*] dedicauit templum, & altare, dicitur quòd ſancti- C ficauit illud: Dicitur autem Eccleſia in dedicatione ſanctificari propter tria. Prima ratio eſt, quia ſanctis operibus mancipatur, ſcilicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, diuinæ laudis dedicationi, & veri ſacrificij oblationi. Hoc eſt, [*Iſa. 56. c*] quod dicit Iſaias: Lætificabo eos in domo orationis meæ, holocauſta eorum placebunt mihi ſuper altari meo; & domus mea domus orationis vocabitur. [*Mat. 21. b*] Idem habetur: Sed heu, multis hodie poſſet dici illud, quod ſubditur in Matthæo: Vos autem feciſtis illam ſpelũcam latronum. Illis autem videlicet, qui D non veniunt ad Eccleſiam propter laudes decantandas, ſed potius propter burſas implendas: ſicut latro latet in ſpelunca, vt ſpoliet tranſeuntes. Ideo di- [*Hiere. 7. b*] citur: Numquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomen tuum? quaſi dicat ſic. Si autem quod in Eccleſia accipiunt, in bonis vſibus expenderent, hoc eſſet tolerabile: Sed timen- [*2. Mac. 6. a*] dum eſt, ne poſſit dici illud, quod dicitur: Templum luxuria, & comeſationibus erat plenum, & ſcortantium cum meretricibus. Ideo conqueritur [*Hiere. 9. c*] Dominus: Quid eſt, inquit, quòd dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa? Iſti quæſtioni ſatis fa E [*Ezec. 16. f*] cile eſt reſpondere: & reſpondet Dominus: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, abundantia, & ocium. Secunda ratio, quare domus dicitur ſanctificari in dedicatione: quia tunc ſanctorum Angelorum cuſtodiæ [*Zach. 9. b*] deputatur. Vnde: Circumdabo domum meam ex his, qui militãt mihi, ideſt ſanctis Angelis, qui ſunt [*Iob 25. a*] milites mei: de quibus militibus dicitur: Numquid eſt numerus militum eius? Iſti enim milites domum iſtam cuſtodiũt: quia aſtant orantibus. Vnde in Pſal- [*Pſal. 67. c*] mo: Præuenerunt principes, ideſt Angeli, coniuncti pſallẽtibus, in medio iuuencularum tympaniſtriarũ, F ideſt animarum ſanctarum in choro, & tympano laudes decantantium. Ideo etiam dicit Apoſtolus [*1. Cor. 11. a*] quòd mulier orans debet velare caput ſuum propter Angelos: Valet enim reuerentia ipſis aſtantibus exhiberi, & glorioſi Angelici ſpiritus nobis adeſſe credendi ſunt, cum diuinis mancipamur obſequijs, vel officijs, ideſt cum Eccleſiam ingreſſi, vel lectionibus ſacris aurem accõmodamus, Pſalmodiæ operam damus, vel orationibus incumbimus, vel Miſſarum ſollemnia celebramus. Non dubitare licet, quòd vbi Dominici corporis, & ſanguinis myſteria geruntur; ſupernorum ciuium adeſſe conuentus, [*Mat. 28. a*] qui monumentum, in quo venerabile corpus poſi- [*Mar. 16. a*] tum fuerat, & iam reſurgendo abſceſſerat, tam ſe- A dulis excubijs ſeruauerunt. Debet igitur eis abſtan- [*Luc. 24. a*] tibus reuerentia exhiberi. Quod eſt contra illos, qui [*Ioan. 20. c*] non venerunt orare, ſed potius garrulare in Eccleſia: & maxime mulieres: cum tamen dicat Apoſtolus: Mulieres in Eccleſia taceant. Turpe eſt enim mulie- [*1. Cor. 14. g*] rem loqui in Eccleſia. Tertia ratio, quare ſanctificari dicitur Eccleſia in dedicatione, eſt: quia tunc precioſis Sanctorum reliquijs adornatur. In cuius figura dicitur quòd in dedicatione templi Salomon, & [*3. Reg. 8. g*] vniuerſus Iſrael arcam Domini poſuerunt in templo, loco videlicet reliquiarum. De his omnibus ſimul dicit beatus Bernardus: Quis enim Eccleſiæ [*Bern. to. 1. ſerm. 4. de Dedic. Eccleſiæ.*] B parietes ſanctos dicere vereatur, quos manus ſacratæ Pontificum tantis ſanctificauere myſterijs? Ex tunc quoque, & deinceps inibi lectionum reſultare frequentia, Sanctorum orationum deuota murmurare ſuſurria, ſanctarum Reliquiarum honorari beata præſentia, ſanctorum Spirituum indefeſſa noſcitur cuſtodia vigilare. Propter igitur iſtas tres rationes dicitur Eccleſia in dedicatione ſanctificari: & ſic apparet, quæ ſit prima domus, & quomodo ſanctificetur, ſcilicet in dedicatione.

Secunda domus eſt ſpiritualis, ſcilicet anima fidelis. De iſta domo dicitur: Chriſtus eſt tamquam [*Heb. 3. b*] C filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos. Iſta autem domus ſanctificanda eſt, & dedicanda: quia ſecundum quòd dicitur in Pſalmo: Domum tuam [*Pſal. 92. b*] decet ſanctitudo Domine. Et: Templum Dei [*1. Cor. 3. d*] ſanctum eſt, quod eſtis vos. Ad dedicationem autem iſtius templi ſpiritualis, ſiue ſanctificationem, quattuor ſunt temporaliter neceſſaria, ſicut in dedicatione templi materialis quattuor fiunt, ſcilicet Aſperſio, Signatio, Inunctio, Illuminatio. Aſpergitur enim aqua, ſignatur cruce: quia fiunt cruces in parietibus: inungitur oleo, illuminatur lumine D candelarum. Sic etiam debet fieri in ſanctificatione templi ſpiritualis. Primo enim debet aſpergi aqua compunctionis, aſperſorio humilitatis. De hoc aſperſorio dicitur in Pſalmo: Aſperges me Do- [*Pſal. 50. b*] mine hyſſopo, & c. Hyſſopus eſt herba humilis, & pectoris purgatoria, & ſignat recte humilitatẽ. Iſto aſperſorio debet aſpergi conſcientia, aqua compunctionis. Hæc eſt illa aqua, de qua dicitur: Effun- [*Ezec. 36. c*] dam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis veſtris. Hæc eſt illa aqua [*Num. 19. c*] expiationis, ſine qua non poterat immundus mundari, ſicut habetur. Ad iſtam mundationem horta- [*Iſa. 1. d*] E tur nos Dominus per Iſaiã: Lauamini, mundi eſtote, auferte malũ cogitationũ, & c. Et Pſalmus: La- [*Pſal. 6. a*] uabo (inquit) per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Sed, heu, hodie multi ſunt, qui hac aqua nolunt aſpergi: ſed potius in aqua volunt immergi: in aqua ſcilicet carnalium voluptatũ, vel deliciarũ. Talibus in figura Pharaonis dicit Dominus: Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, [*Ezec. 29. c*] draco magne, qui cubas in medio fluminum: & ſequitur ibidem: Beſtijs terræ, & volatilibus cæli dedi te ad deuorandũ. Hæc eſt illa aqua, ſuper quam meretrix ſedet, ſicut dicitur: Vere enim ſuper aquam [*Apoc. 17. a*] F deliciarum ſedet meretrix, ideſt peccatum luxuriæ: quia nutritur in delicijs. Vnde dicit Bernardus quòd [*Bern. to. 1. de Cõuerſione ad Clericos cap. 30.*] periclitatur caſtitas in delicijs: hoc autem figuratum fuit, † vbi dicitur quòd lumbare ſuum computruit in aquis. Per lumbare enim, quod eſt circa [*† Iere. 13. a*] lumbos, caſtitas deſignatur, quæ bene computreſcit in aquis deliciarũ carnalium. Hæc eſt illa aqua peſſima, per quam multos hodie diabolus trahit a bono propoſito, ſicut legitur quòd ſerpens miſit [*Apoc. 12. d*] poſt mulierem, aquam, tamquam flumen, vt faceret eam trahi a flumine: quando enim anima peperit aliquod bonum opus, ideſt ſancte, & bene viuere inchoauit, tunc ſerpens immittit tentationes carnis, aquam, ſcilicet deliciarum carnalium, reducendo ad memoriam præteritas delicias: vt ſic





trahatur a bono, ſcilicet inchoato, & inoluatur ite- A rum in flumine deliciarum. Qui in iſtis vult immergi, non dedicat domum ſuam Domino, ſed potius [*Iob 40. c*] diabolo. De diabolo enim dicitur: Sub vmbra dormiuit in ſecreto calami, in locis humentibus. Iſtis igitur aquis non debet aſpergi domus iſta, ſed potius aquis compunctionis. Secundo, debet ſignari cruce pœnitentiæ, & mortificationis carnis. De [*Ezec. 9. a*] iſta ſignatione dicitur: Dictum eſt viro, qui indutus erat lineis, ideſt Chriſto, qui indutus eſt membris puriſſimis, de carne videlicet Virginis: Signa thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium, ſuper eos, qui aſperſi ſunt iam aqua compun- B ctionis. Signa thau, ideſt ſignum crucis: Ad litteram enim hæc figura thau in Hebræo habet modum crucis: & ideo recte ſignat Crucem, ſicut dicitur in Gloſſa. O quàm bonum eſt iſto ſigno ſignari! Hoc eſt ſignum, quod inter ſeruos Dei, & ſeruos diaboli [*Galat. 5. d*] diſtinguit: quia ſicut dicitur: Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concu- [*Apoc. 7. a*] piſcentijs. Vnde de illo ſigno dicitur: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoaduſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Hoc eſt etiam illud ſignũ, quod dæmones fugat, & deijcit. [*Greg. to. 3. lib. 3. dialog. cap. 7.*] Vnde legimus in dialogo beati Gregorij, quòd dæ- C mones dixerunt de Iudęo ſigno crucis munito: Væ, væ, vas vacuum & ſignatũ: vacuum ſcilicet gratia, [*Pſal. 85. d*] ſed ſignatũ. Ideo dicebat Dauid: Fac, inquit, mecũ ſignum in bono, vt videant qui oderũt me & confundantur. Hoc eſt etiam ſignum, quod ab æterna [*Ezec. 9. c*] morte liberat. Omnem, ſuper quem videritis ſignũ thau, ideſt ſignum crucis pœnitentiæ, ne occidatis. [*Exo. 12. d*] hoc figuratum fuit vbi dicitur: Erit vobis ſanguis, ideſt memoria ſanguinis, ſiue imitatio paſſionis Chriſti, ſignum eſt in ædibus noſtris. & per illud ſignũ, ſicut dicitur ibidẽ, liberati fuerũt ab exterminatore. Sed licet hoc ſignum ita ſit vtile, hodie tamen D pauci ſunt, qui iſto ſigno ſignari velint: immo potius iſtud ſignum vehementer abhorrent. De qui- [*Pſal. 64. b*] bus dicitur in Pſalmo: Timebunt, qui habitant [**Ariſt. to. 3. Moral. Nicomachior. lib. 2. c. 6. & lib. 2. Moral. Eudemior. c. 5.*] terminos, ideſt homines vitioſi, qui habitant in terminis, ideſt in vitijs: virtus enim conſiſtit in medio, ſicut dicit *Philoſophus; ſed vitiũ in extremitatibus comprobatur. Qui igitur habitabũt iſtos terminos, timebunt a ſignis tuis Domine Ieſu: quæ ſigna ſunt humilitas, paupertas, & pœnalitas. De quibus ſignis dicitur: Hoc vobis ſignum: Inuenietis infan- [*Luc. 2. b*] tulum, ecce humilitas: pannis inuolutum, ecce paupertas: & poſitum in præſepio, ecce pœnalitas. Per E præſepium enim, in quo eſt locus arctus, arctitudo pœnitentiæ, & pœnalitas intelligitur: inter ea vere bone Ieſu, poſitus es tu, & Crux tua in ſignum tibi: [*Luc. 2. e*] hodie a multis contradicitur, ſicut dicit Simeon. Signa enim omnino contraria ſuſcipiunt: ſignum, ſcilicet ſuperbiæ in apparatu veſtium, contra Chriſti humilitatem, & paupertatem. De iſto ſigno di- [*Eſther 14. c*] citur: Tu ſcis Domine, quòd abominor ſignum ſuperbiæ. Signum etiam voluptatis, & laſciuiæ contra Chriſti pœnalitatem. De quo dicunt miſeri pecca- [*Sap. 2. b*] tores: Coronemus nos roſis antequam marceſcant; vino, & pretioſis vnguẽtibus impleamus nos, & non F pertranſeat nos flos temporis. nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra. & ſequitur: vbique relinquamus ſigna lætitiæ. De iſto etiam ſi- [*Ezec. 16. c*] gno dicitur: Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ. Vere qui iſtis ſignis ſunt ſignati, non dedicant domum ſuam Chriſto, ſed potius antichriſto. Tales enim portãt karacterem Antichriſti, ſiue beſtiæ in frõte, ideſt in corde, & in manu, ideſt [*Apoc. 14. b*] in operatione, ſicut dicitur. A talibus quæretur in iudicio, cuius eſt imago, & ſuperſcriptio? & non poterunt reſpondere, niſi Cæſaris, ideſt diaboli. & [*Mat. 22. b*] tunc præcipiet Dominus: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Iſto igitur A ſigno non debet ſignari domus Dei ſpiritualis, ſed ſigno Crucis, ideſt pœnitentiæ. Iſto ſigno ſignatus erat Apoſtolus, qui dicebat: Stigmata Domini Ieſu [*Gal. 6. d*] in corpore meo porto. Gloſſa Stigmata, ideſt ſigna militiæ, quæ me probant eſſe militem eius, ſcilicet tribulationes. Tertio debet inungi oleo lætitiæ ſpiritualis, ſicut etiam ad litteram inũgitur domus Dei materialis oleo materiali. Iſta inunctione inunctus fuit excellenter Chriſtus. Vnde in Pſalmo: Vnxit [*Pſal. 44. b*] te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. De iſto oleo dicitur alibi: Vt exhilaret faciem in oleo. Sed aduertendum [*Pſal. 103. b*] eſt, quòd ſicut videmus ad litteram in dedicatione B domus materialis, quòd vnctio ponitur ſuper Cruces; ſic vnctio iſta diuina lætitiæ, videlicet ſpiritualis, ponenda eſt ſuper crucem pœnitentiæ. In tribulationibus enim immittitur ſpecialiter diuina conſolatio, ſecundum illud Pſalmi: Secundum multitudinem doloris in corde meo, conſolatio tua læ- [*Pſal. 93. d*] tificauit animam meam. Iſtam enim vnctionẽ non merentur accipere, qui crucem pœnitentiæ recuſant [*Bern. to. 1. ſerm. 6. de Aſcenſ. Domini circa med.*] portare. Vnde Bernardus in ſermone de Aſcenſione: Præoccupatos ſęcularibus deſiderijs animos delectatio ſancta declinat: nec miſceri poterunt vera vanis, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma C imis: vt pariter quæ in cælo ſunt, ſapias, & quæ ſunt ſuper terram. hoc eſt quod dicit alibi: Delicata eſt [*Bern. to. 2. in Declamationib. ſub finem.*] diuina conſolatio, non datur admittentibus alienã. Et iterum: Vbi crapulam ructantis inter pocula ſenſerit Chriſtus; ſua vina, quæ ſuper mel, & fauum dulciora ſunt, propinare non dignatur: vbi ciborũ curioſa diuerſitas, vbi diuitis ſupellectilis, diſcolor varietas oculos ſimul paſcit, & ventrem; panis cæleſtis ieiunam deſerit mentem. Qui igitur vult vnctionem iſtam recipere, neceſſe eſt, quòd prius ſciat crucem pœnitentiæ portare: nec tamen omnes, qui crucem portant, iſtam vnctionem percipiunt. Di- D ſtinguit enim Bernardus inter portantes crucem pœ- [*Bern. to. 1. ſerm. 6. de Aſcenſ. Domini.*] nitentiæ in quodam ſermone de Aſcenſione, ſic dicens: Aduertere potes in omnibus fere religioſis cõgregationibus viros repletos eſſe conſolatione, ſuperabundantes gaudio, iocundos ſemper, & hilares, feruẽtes ſpiritu, & c. quibus amabilis diſciplina, dulce ieiunium, breues vigiliæ, labor delectabilis manuum, & vniuerſa denique huius ſanctæ conuerſationis auſteritas refrigerium videatur. Cõtra ſane inuenire eſt homines puſillanimes, deficientes ſub onere, virga, & calcaribus indigentes: quorũ remiſſa lætitia, puſillanimis triſtitia eſt: quorum rara, & E breuis compunctio, & c. & enumerat ibi multa mala de ipſis, & poſtea ſubiungit: Nonne tibi vita horum inferno penitus appropinquare videtur? ſocij plane ſunt tribulationis, ſed non cõſolationis. Patet ergo, quòd non omnes portantes crucẽ pœnitentiæ percipiunt vnctionem ſpiritualis lætitiæ; ſed illi ſoli in angaria portant crucem, ſicut ille, de quo dicitur quòd angariauerũt eum, vt tolleret crucem Ieſu. [*Mat. 27. d*] Quæ autem ſit iſta vnctio, dicit Apoſtolus: Qui [*2. Cor. 1. c*] vnxit nos, & qui ſignauit nos, & dedit nobis pignus ſpiritus gloriæ, ideſt arrham de poſſidẽda vita æterna. Differt enim pignus, & arrha: Arrha enim eſt pars F pretij, pignus non. Arrha ergo eſt quædam prægustatio æternę beatitudinis imperfecta: hic enim modicum prægustatur, ſed in futuro pleno calice bibitur. In Pſalmo: Et torrente voluptatis tuæ potaſti [*Pſal. 35. b*] eos. Hæc ergo vnctio eſt quædam prægustatio futuræ dulcedinis æternæ, propter quam Sanctis, quidquid hic patiuntur, non ſolum leue videtur, ſed etiam dulce. hoc eſt, quod dicitur: Iſſachar aſinus [*Gen. 49. b*] fortis accubans inter terminos, & vidit requiem, quòd eſſet bona: & terram, quòd eſſet optima: & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum. Iſſachar interpretatur memoria Domini, vel vir mercedis: & ſignat virum, qui in omnibus operibus ſuis eſt memor Dei: & omnia facit intentione mercedis

æternæ: qui aſinus fortis dicitur, propter paſſionum tolerantiam: accubans inter terminos, propter deſideriũ cæleſtis Patriæ. Dicit enim Gloſſa: Habitare in terminis eſt, non de mundanis quærere, ſed vltimum deſiderare: vidit requiem, quòd ſit bona, & terram quòd ſit optima: quando de delectatione, quæ erit in Patria, datur ei modicum prægustare. & tunc ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum: *Matt. 2. in fine.* Iugũ Domini leue, & onus ſuaue. Vnde dicit Gloſſa: Qui ad promiſſam requiem ire deſiderat, mandatorum onera libenter portet. Hæc eſt ſanctorum conſolatio, quam non nouit, niſi qui accipit. Qui iſtam vnctionem ſemel ſentiret, libẽter crucem pœnitentiæ portaret. Sed ſicut dicit beatus Bernardus, Multi pœnitentiam fugiunt, qui crucem vident, ſed non vnctionem. Si igitur abhorres crucem; reſpice vnctionem, conſidera præmium: quia ſicut dicit Gregorius, Conſideratio præmij minuit vim flagelli. Sic igitur debet iſta domus inungi oleo lætitiæ ſpiritualis, quod fluit deſuper, ſcilicet ex conſideratione æternæ beatitudinis. Quarto, debet illuminari, & lucere lumine honeſtæ conuerſationis. *Philip. 2. b* De quo lumine dicitur: Sitis ſine quærela, & ſimplices filij Dei in medio nationis prauæ, & peruerſæ: inter quos lucẽtis, ideſt lucere debetis, ſicut luminaria in mundo. Non enim debet ſufficere viro ſancto, quòd in ſe ardeat: ſed debet foris lucere per conuerſationis honeſtatem, vt in eo adimpleatur illud, *Iſa. 60. a* quod dicitur: Ambulabunt gentes in lumine tuo, ideſt gentiliter viuentes proficient ad exemplũ *Ioan. 5. f* tuum. Ideo dicit Dominus de Ioanne: Ille erat lucerna ardens, & lucens: ardens interius charitate, & lucens exterius honeſtate. Et vere quando ſic eſt, quòd domus iſta ſpiritualis ſit illuminata, tunc eſt Deo perfecte dedicata: quia tunc Deus in ea lau-*Matt. 5. b* datur, & glorificatur. Vnde: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Sed heu, domus illa ſanctificata a multis polluitur. Vn-*Ezec. 27. f* de conqueritur: In multitudine iniquitatum tuarũ, & iniquitate negotiationis tuę polluiſti ſanctificatio-*1. Mach. 4. g* nem tuã. Hoc eſt etiam, quod dicitur, quòd aſcendentes in montem Sion, viderunt ſanctificationem deſertam, & altare prophanatum, & portas exuſtas, & in atrijs virgulta nata, ſicut in ſaltu, vel in montibus: & paſtoforia diruta. Tunc ſanctificatio deſerta efficitur, quando cor hominis, quod erat Deo ſanctificatum a gratia, per peccatum deſeritur. Tunc etiam altare prophanatur, quando cor, in quo ſolebat immolari hoſtia laudis, per peccatum polluitur. Tunc portæ exuruntur, cum incentiua vitiorum per ſenſus ad animam ingrediuntur. Tunc virgulta in atrijs naſcuntur, cum multitudo ſuperfluarum cogitationum in corde generatur. Tunc paſtoforia dirimũtur, cum ſecreta mentis per illicita deſideria diſſipãtur. Hanc deſtructionem deplorat Pro-*Pſal. 78. a* pheta dicens: Deus venerunt gentes in hereditatem tuam (ſcilicet diaboli) polluerũt templum ſanctum tuum. Sed vere, qui ita templum Dei polluerunt; *1. Cor. 3. c* timere debent illam ſententiam Apoſtoli: Quicumque templum Dei violauerit, diſperdat illum Deus. Sic igitur patet de dedicatione domus ſpiritualis.

Eſt iterum tertia domus, domus ſcilicet cæleſtis, *Pſal. 121. a* de qua dicitur in Pſalmo: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus. Et ali-*Pſal. 26. b* bi: Vnam petij a Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini, & c. Vere optimum eſt, habitare in domo iſta. Hæc eſt enim domus ſecu-*Pſal. 86. a* riſſima propter loci altitudinem: Fundamenta enim eius in montibus ſanctis; dicitur de domo iſta. Et *Pſal. 124. a* alibi: Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, vſque in Hieruſalem: & quare, ſubiungit cauſam: Montes, ideſt ſancti Angeli, in circuitu eius, ipſam cuſtodientes, & Dominus in circuitu populi ſui. Hæc eſt domus maxima propter loci latitudinem: ibi nulla erit preſſura. Ideo dicitur: O Iſrael, quàm *Baruc. 3. c* magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus, & non habens finem, excelſus, & immenſus. Hæc eſt domus amœniſſima propter loci pulchritudinem, De iſto decore dicitur in Pſalmo: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locũ *Pſal. 25. b* habitationis gloriæ tuæ. Ad pulchritudinem autem ipſius facit etiam manſionis pulcherrima diſpoſitio: ſecundum quod dicitur: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. *Ioan. 14. a* Propter iſtam admirabilem pulchritudinẽ dicebat Pſalmus: Hæc recordatus ſum, *Pſal. 41. a* & effudi in me animam meam, &c. vſque ad domum Dei. Hæc eſt domus iocũdiſſima propter ſuauis melodiæ (quæ ibi auditur) dulcedinem. Ideo dicitur de iſta domo: Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te. *Pſal. 86. a* Et alibi: Beati qui habitant in domo tua Domine, & cetera. *Pſal. 83. a* Hæc eſt domus opulentiſſima, propter omnis boni plenitudinem. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente vo- *Pſal. 35. b* luptatis tuæ potabis eos. Sedebit populus meus in *Iſa. 32. d* pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Propter omnia iſta bona, quæ in hac domo reperiuntur, dicebat Dauid: Melior eſt *Pſal. 83. c* dies vna in atrijs tuis ſuper millia, ſcilicet in hoc mundo. Et ſequitur: Elegi abiectus eſſe, ideſt minimus in domo Dei noſtri, &c. Dedicatio autem, ſiue ſanctificatio iſtius domus, eſt plena, & perfecta liberatio ab omni culpa, & miſeria. Quamdiu enim habitamus domos luteas; corpus, quod corrumpitur, aggrauat animã; & ideo ſine peccato, & miſeria eſſe non poſſumus. Vnde: Si dixerimus, quia pec-*1. Ioan. 1. d* catum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Et: Quis poteſt dicere, mundum *Prou. 20. b* eſt cor meum? mundus ſum a peccato? quaſi dicat nullus. Sed in illa domo nulla eſt culpa, nulla eſt macula; ſed plena ſanctitas, & perfecta puritas: Populus, qui habitabit in ea, auferetur ab eo ini-*Iſa. 34. c* quitas. Tunc enim exhibebit Chriſtus ſibi glorioſam *Epheſ. 5. f* Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam, ſicut dicitur: Nulla erit etiam ibi miſeria: quia tunc *Apoc. 21. b* abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſuis, & non erit amplius, &c. vſque quæ prima abierunt: ſicut dicitur: In iſta ergo perfecta liberatione a culpa, & miſeria conſiſtit hæc domus dedicatio. Sic igitur patet primum principale, in quo notatur templi dedicatio.

Sequitur ſecundum principale, in quo tangitur dedicationis ratio: cum dicitur: Vt ponerem nomen meum, &c. ideſt, vt habitarem ibi, &c. Ad hoc enim dedicatur Eccleſia, vt fiat Dei ſpeciale habitaculum. Vnde nota quòd in iſta domo triplici, tripliciter dedicata, habitat Dominus tripliciter. In prima enim domo materiali habitat Dominus per corporalem præſentiam, ſcilicet ſub ſacramẽto: In ſecunda per gratiam: In tertia per gloriam.

Primo dico, habitat in domo materiali dedicata per corporalem præſentiam, ſcilicet ſub ſacramento. Vnde: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus die-*Mat. vlt. d* bus vſque ad conſummationem ſæculi. Hoc bene figuratum eſt, vbi dicitur quòd in dedicatione do-*3. Reg. 8. b* mus Domini nebula impleuit domum Domini. Vnde dicitur ibidem, quòd dixit Salomon: Dominus dixit, vt habitaret in nebula. Quid enim eſt, gloriam Domini apparere, vel habitare in nebula, niſi Domini corpus, Chriſti corpus, latere ſub ſacramento? Sanctificabo tabernaculum teſtimonij, & habi-*Exo. 29. g* tabo in medio filiorum Iſrael.

In ſecunda domo habitat per gratiam: Vnde: Vos *2. Cor. 6. d* eſtis templum Dei viui: quoniam habitabo in illis, &c. Poſtea concludit: Has ergo habentes promiſſiones, ſcilicet quòd Chriſtus in nobis habitat; mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem interiorem Dei.

Vere



*Sap. 1. b* Vere enim (ſecundum quod dicitur) non habitabit in corpore ſubdito peccatis. O quàm bonum eſt, habere talem hoſpitem! Cum ipſo enim omnia bona *Sap. 7. b* veniunt, ſicut dicitur: Venerunt mihi bona pariter cum illa, ideſt cum ſapientia increata. Et Tobias: *Tob. 10. b* Omnia in te habentes, nõ debuimus mittere te ire a nobis. Sed, heu, multi dimittunt talem hoſpitem recedere; immo quod peius eſt, turpiter eijciunt, *Luc. 5. b* ſecundum illud, quod dicebat beatus Petrus: Exi a me Domine, quia homo peccator ſum.

In tertia domo habitat per gloriam: Hæc enim eſt habitationis ſuæ gloriæ locus ſicut dicitur: Ego *Eccl. 24. a* in altiſſimis habito. Rogemus ergo Dominum, vt det nobis ſic primam domum frequentare, ſcilicet per crebras, & deuotas orationes; & ſecundam dedicare, & ſanctificare, ſcilicet domum conſcientiæ; vt dignetur in ea habitare: & tandem nos cum gaudio in domum tertiam recipere. Quod nobis præſtare dignetur, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

## DE DEDIC. ECCLESIAE

### SERMO II. in ordine.

*Apoc. 21. c* Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouã, *deſcendentem de cælo, a Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Notandum, quòd duplex eſt ciuitas. Vna cæleſtis; altera terreſtris. Vna laudabilis; alia deteſtabilis. De prima *Gen. 40. b* nihil propoſitum. De ſecunda dicitur: Recedentes ab Oriente ædificauerunt ciuitatem, & turrim in campo Sennaar; quod interpretatur fœtor, ſiue putredo dentium: & ſignat peccatum, quod præſtat mundanis ædificijs fundamentum. Hanc ciuitatem videns Chriſtus, fleuit ſuper eam; & dixit: Si co-*Luc. 7. f* gnouiſſes & tu, vtique fleres, & c. Spiritualiter per hanc ciuitatem iſte mundus accipitur, qui ciuitati multis de cauſis comparatur: quæ hic eſt in ſtatu turpiſſimo. Et ideo bene poſſemus ſuper ipſam flere, ſuper quam etiam boni & electi deflẽt. Quia quod Deus ſecundum Hiſtoriam ſolus fecit, hoc quotidie per electos ſuos in generali agit. Plangit reprobos, qui neſciunt quòd plangantur: qui ſi damnationem ſuam præuiderent, ſeipſos cum electorum & ſanctorum lacrymis plangerent. Poſſent enim tria de illa ciuitate dici: Quia ædificatur turpiter: Infatuatur ſubtiliter: Et conſummatur mirabiliter.

Primo, ædificatur turpiter. Vnus ædificat diabolo domum fœtidam; porcorum ſtabulum, per luxuriam. Alter palatium, per ſuperbiam, & ſic de ſingulis. Carpentarij diaboli ſunt: Væ eis, quia do-*Abac. 2. b* mus eorum deſtruuntur: Væ qui ædificant ciuitatem in ſanguinibus, & præparant vrbem in iniquitate ſua. Nota, quòd vnus ædificat de ſpolio, alter de furto, tertius de vſura, &c. Vnde Ouidius:

*Non habet euentus ſordida præda bonos.*

Secundo, infatuatur ſubtiliter: quia pulchra eſt *Pſal. 54. b* iniquitate. Vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate. Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros eius iniquitas, & labor: & non defecit de plateis eius vſura, & dolus. Hæc enim ciuitas numquam caret bello inteſtino: & ideo neceſſe eſt, quòd quilibet iſtius ciuitatis inhabitator caueat ſibi. Vnde: *Iere. 9. b* Vnuſquiſque a proximo ſe cuſtodiat, & in omni fratre non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedit. Ideo in illa ciuitate nullus eſt ſecurus, ſicut *Iſa. 24. c* dicitur: Formido, & fouea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ. Hoc totum fit ex inductu trium inſtitorum eius, qui fraudulenta mercimonia exhibent, & pro leui pretio dant, ideſt tantum pro duobus, ſcilicet corpore, & anima, quæ damnantur æternaliter. Hos tres inſtitores deſcribit Ioannes dicens: Omne, quod eſt in mundo, aut eſt concu-*1. Ioan. 2. c* piſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Hi tres maximam partem filij fraudulenter ſubiugarunt. Vnde lamentatur: Fili ho-*Ezec. 27. a* minis aſſume ſuper Tyrum lamentum, ideſt mundum. Glo. Quidquid de Tyro dicitur, ad anguſtias ſæculi refertur. Sequitur: Græcia, Moſoch, Tubal ipſi inſtitores tui. *Ezec. ibid. c* Græcia mundi gloriam: Moſoch diram nequitiam: Tubal carnis laſciuiam ſignant. Prima exhibet ſuperbiam, & auaritiam: Secunda *Sap. 2. d* inuidiam, & iram: quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: Tertia exhibet gulam, & luxuriam, & acidiam, & quos incautos viderit, decipit. Dic, quos quælibet decipit.

Tertio, conſummatur mirabiliter in iudicio futuro. *Apoc. 18. f* Vnde: Væ væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quomodo vna hora veniet iudicium tuum; & negotiatores terrę flebũt, & lugebunt ſuper illam; quoniam merces eorum nemo amplius emet, &c. Et illud pulchre figuratur, vbi dicitur, *Ioſue 5. a* quòd Ioſue miſit nuncios ad Raab in ciuitatem Hierico: quibus receptis iuramento permiſerunt ſaluare domum eius, in cuius ſignum funiculus in feneſtra eius ligatur. Et ſequitur quòd dixit Domi-*Ioſue 6. a* nus ad Ioſue: Circuite vrbem ſeptem diebus: die autem ſeptimo tollẽt ſeptem ſacerdotes ſeptem buccinas, ſeptieſq. circuibunt ciuitatem, & clangent buccinis, & muri funditus corruent. & factum eſt ita: & interfecerunt a viro vſque ad mulierem; ab infante vſque ad ſenem: boues, oues, aſinos. Raab vero fecit Ioſue viuere, & habitare in medio Iſrael vſque in præſens. Spiritualiter pro Ioſue Chriſtus figuratur, cui omne iudicium dedit Pater. Per Hiericho mundus iſte: Septem diebus circuitur: Ab Adam vſque Noe: A Noe vſque ad Abraham: Ab Abraham vſque ad Moyſen: A Moyſe vſque ad Dauid: A Dauid vſque ad tranſmigrationem: A tranſmigratione vſque ad Chriſtum: A Chriſto vſque ad finem mundi. In his ſeptem diebus ſacerdotibus clangentibus ſepties circuitur. Per hos ſeptem ſacerdotes ſeptem prælatorum genera figurantur: & cum vnus tuba canit, ciuitas cadit: hoc eſt mundus. Primus, Ioannes Baptiſta hic decollatur, qui ſic ceci-*Mat. 3. a* nit: Pœnitentiam agite, &c. Secundus, lxxij. diſcipuli, qui deſpiciuntur. Vnde: Miſit illos binos ante *Luc. 10. a* faciem ſuam. Tertius, Chriſtus, qui crucifigitur, qui ſic cecinit: Omnis arbor, quæ non facit fructũ *Mat. 3. c* bonum, &c. Quartus, duodecim Apoſtoli, quibus ait: In Synagogis ſuis flagellabunt vos. *Mat. 10. b* Et ibidem: Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporũ, &c. Quintus, Prædicatores moderni, vt nos, & noſtri ſimiles: qui canimus tibi vitia fugienda, virtutes amplectendas, pœnam fugiendam, & gloriam appetendam. Sextus, Helyas, & Enoch: Dabo duo-*Apoc. 11. a* bus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille, ducentis quadraginta; & cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendet de abyſſo, faciet aduerſus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Septimus, ſunt Angeli: Cum hi tuba ſua canent, & omnes reſurgent: hos etiam audient mortui auribus. Vnde: Mittet Angelos ſuos cum voce magna, &c. *Mat. 13. d* Hoc ſeptimo clangore muri Hiericho corruẽt, ideſt mundus. Vnde ſequitur: Vociferante omni populo, *Ioſue 6. c* & clangentibus tubis, illico corruent. Per illos ſeptem ſacerdotes figurantur ſeptem cœtus cæleſtium, videlicet Angeli, Virgines, Martyres, Confeſſores, Prophetæ, Apoſtoli, Euangeliſtæ. Iſti ſeptem interficient ſeptem genera hominum. Vnde ſequitur: Cœperuntq. ciuitatem, & interfecerunt omnia, quę erant in ea, a viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem, boues, oues, aſinos. Per hos figurantur ſeptem genera hominum, quos Dominus duriſ-

ſime iudicabit. Primo viros, hoc eſt per potentiā opprimentes, vt ſunt mali nobiles, prædones, & oppreſſores pauperum: qui modo tantæ fortitudinis ſunt, vt aliena rapiant, pauperes concutiant. Vnde: *Iſa.3.c* Rapina pauperis in domo veſtra. Hi viri interficientur in iudicio, & eorum colla a pauperibus concul- *Ioſue 10.d* cabuntur. Vnde dicitur: Ite, ponite pedes veſtros ſuper colla regum. Vbi tunc erit potentia eorum? *1.Reg.2.b* Non in fortitudine ſua roboratur vir. Secundo, mulieres, delicatè ſcilicet viuentes. Mulier quaſi gerens mollia. Hæ ſunt, quæ nihil pro Deo incommodi ſentiunt, ſed ſemper in delicijs, & mollibus incedunt, & nutriuntur, & iſti manducabunt pœnas *Thren.4.a* inferni. Vnde: Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora, ſcilicet inferni. Hæc eſt illa ma- *Eccl.25.c* ledicta mulier, quæ multos ſeducit. Hæc (vt dicit) ſi primatum habeat, confundit virum ſuum: ideo interficiuntur. Tertio, infantes, hoc eſt non fantes in confeſſione, & oratione: & hi ad litteram ſunt *Sap.12.f* iuuenes, qui etiam occiduntur: Illis, Domine, qui in vita ſua inſenſate, & iniuſte vixerūt, dediſti ſumma tormenta. Et ſequitur: Infantium inſenſatorum more viuentes, qui veterem pellem Æthiopis non *Hiere.13.d* poſſunt mutare in veſtem nouitatis. Vnde: Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam: & pardus varietates ſuas; & vos poteritis benefacere, cum didiceritis mala. Verſus:

*Quod noua teſta capit, inueterata ſapit.*

Et hi etiam occiduntur. Quinto, boues, hoc eſt Ec- *Iſidor.* cleſiæ prælatos. Iſidorus: Bos eſt rex iumentorum. Iſta iumenta iam computreſcunt in ſtercore ſuo. *Greg. to.3. hom.10. in Euang.* Quod diffinit Gregorius dicens: Iumenta in ſtercore putreſcere, eſt homines carnales in fœtore luxuriæ vitam finire. Sexto oues, quo ad falſos religioſos, qui oues in habitu lupi ſunt in actu. De quibus *Mat.7.b* Dominus in Euangelio: Attendite a falſis Prophe- *Pſal.48.c* tis, & c. tales etiam oues damnantur. Sicut oues in inferno poſiti ſunt mors depaſcet eos. Septimo, aſinos, quo ad malos ſubditos, ideſt communem populum, qui vt aſini ſtolidi ſunt, nihil cognitionis ha- *Hiere.22.c* bentes. Vnde: Sepultura aſini ſepelietur putrefactus, & proiectus extra portas Hieruſalem. Sequitur: Raab vero, & omnia, quæ habuit, fecit Ioſue viuere, & habitauit in medio Iſrael. Per Raab, quæ interpretatur latitudo, intelliguntur hi, qui habent latitudinem charitatis, ſine qua nullus ſaluatur: vel etiam recepit nuncios, ideſt prædicatores verbi Dei, quos in ſuperioribus collocauit, ideſt altæ memoriæ commendauit. Hæc in feneſtra animæ, ideſt affectiua coccum ligauit, ideſt rufum funiculū, dum memoriam Dominicę Paſſionis habet, vt dicit Gloſſa. Et ideo cum Dominus ad iudicium venerit, ſaluatur in filijs Iſrael, ideſt omnibus ſanctis coniungitur. Poſt hoc mundus anathematizatur, ideſt *Ioſue 6.c* mundani, qui maledicuntur. Vnde ſequitur: Hæc ciuitas anathema ſit: quæ eſt maior excommunicatio: a qua numquam abſoluentur. Rogemus.

## DE DEDIC. ECCLESIAE

### SERMO III. in ordine.

*Pſal.45 a* S*anctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus*. Loquitur Propheta de conſecratione Eccleſiæ ſub metaphora rei artificialis deſcribens Eccleſiam. Primo conſecrandam: Secundo eius conſecrationem. De primo dicit: *tabernaculum*. De ſecundo: *ſanctificauit*.

Quantum ad primum, allegorice per tabernaculum Eccleſia ſignatur, & ſingulariter ipſa eſt in omnibus particularibus eccleſijs vna, quæ bene dicitur tabernaculum. Eſt enim tabernaculum locus mili- A tantium, peregrinantium, & vigilantium. Vnde in tabernaculis habitant milites, & viatores, & paſtores. Militat Eccleſia in bonis Laicis, & ſæcularibus. Peregrinatur in bonis Clericis, & Regularibus. Vigilat in bonis Prælatis, & Paſtoribus. De primo: *Cant.1.b* Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem: ſicut tabernacula cedar. Nigra, ſicut tabernacula cedar: formoſa, ſicut pelles Salomonis. Tabernacula cedar, ideſt Agarenorum per pelles extenduntur, & dilatantur: quia ſæculares ex ſollicitudine quotidiana circa tot mundana fuſcati ſunt interius: exterius tamen ex charitate fraterna ſunt dilatati, & B pulchri interius. Nigra, quia in laboribus plurimis formoſa: ex reformatione diuinæ imaginis, & gloria conſcientiæ interioris. De ſecundo Apo- *2.Cor.5.a* ſtolus: Quamdiu ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati: eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri: vt abſorbeatur quod mortale eſt a vita. Gemit peregrinus ex incommodis vitæ, ex dilatione Patriæ, nihil ferens ſecum, niſi quod ſit neceſſarium ad vſum. Gemit clericus, cuius pars hereditatis eſt ſolus Dominus. Gemit religioſus, qui terrenorum abiecit pondus, videns cauſam ſui gemitus: quia ſurſum anhelat, cum hic eum eſſe opor C teat. & ideo cum caro trahat deorſum ex corruptione; & ſpiritus leuet eum ſurſum ex deuotione; ex motibus contrarijs profert gemitum, plangens ſuū incolatum. Heu mihi, quia incolatus meus prolon- *Pſal.119.b* gatus eſt. De tertio, cui in ſolitudine locum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis. Et ſequitur: Cir- *Iob 29.a* cumſpicit montes paſcuæ ſuæ: & virentia quæque perquirit. Iſte onager prælatus manet in loco ſolitudinis, ex ſingulari ſanctitate: in terra ſalſuginis, ex feruenti charitate: in monte ſolitudinis ex diligenti in ſubditorum informatione.

Quantum ad ſecundum, hoc tabernaculum ſan- D ctificatur, quando Eccleſia conſecratur. Sanctificatio autem ſumitur in ſacra Scriptura tripliciter. Primo, pro emundatione a peccato: Liberati a peccato, *Rom.6.d* ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificatione. Secūdo, pro dedicatione cultui diuino: vnde tabernaculum, & vaſa tabernaculi dicta ſunt ſanctificari, quia dedicata diuino cultui. Sum- *Exo.40.a* pto vnctionis oleo, vnges tabernaculum, & omnia vaſa eius; vt ſanctificentur. Tertio, pro confirmatione in bono: ſicut enim Ioannes, & alij in gratia confirmati, dicuntur ſanctificati. Antequam exires *Hiere.1.a* de vulua, ſanctificaui te; In hunc modum Eccleſia E ſanctificatur, quando in laicis, & ſecularibus a peccatis purgatur: quando in Clericis, & Religioſis diuino cultui dedicatis cōmendatur: quando in Paſtoribus, & Prælatis confirmatur. De primo: Quidquid *Num.31.d* poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur: quod autē ignem non poterit ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur. Hæc enim erat vulgaris ſanctificatio, & cōmunis, ſignans, quòd per aquam baptiſmi, & ignem pœnitentiæ ſanctificari ſaltem quemlibet laicū oportet, per purgationē ab originali peccato, & actuali. Tranſiuimus per ignem, & aquam, & *Pſal.65.c* eduxiſti nos in refrigerium. De ſecundo dicitur ad F Aaron in perſona Clericorum: In fide, & lenitate *Eccli.45.b* ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. In fide, quo ad Deum: lenitate patientiæ, quo ad proximum: & ſeparetur ab omni carne, ideſt a carnali voluptate, quo ad ſeipſum; & ſicut Eccleſia ſanctificata non aduoluitur vlterius ad vſum alienum, quantum ad modum; ſic nec iſti vlterius ad peccatum reuertantur. Sed ſciat vnuſquiſque vas *1.Theſſ.4.a* ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore. De tertio, ſacerdotes, qui accedunt ad me, ſan- *Exo.19.c* ctificentur ne percutiam eos: & ſanctificentur, & confirmentur in bono: quia ipſi ſunt columnæ, & ſtabilimentum in populo. Ipſi enim debent eſſe ſanctificati, quo ad propriam ſanctificationem, & quo



*Apoc.22.b* quo ad aliorum ſuſtentationem. Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. In figura ergo huius triplicis ſanctificationis offerebantur in ſanctificatione taberna- *Num.17.f* culi tria animalia. Bos, qui congruit labori laicorum. Agnus, qui ſignificat ſimplicitatem religioſo- *Altaris cōſecratio: & huius myſteria.* rum. Aries, qui eſt dux gregis, qui conuenit regimini Pælatorum. Et in conſecratione altaris, tria apponuntur, maxime in paruis altaribus. Lignum ſignans fragilitatem in ſæcularibus: Chriſma ſanctitatem in regularibus: Lapis firmitatem in Paſtoribus. Moraliter poteſt exponi verbum propoſitum de quolibet noſtrum, qui dicimur Dei tabernacu- *Leuit.26.b* lum: ideo dicitur: Tabernaculum meum in medio veſtri, & non abijciet vos vltra anima mea. Secundū autem diſtinctionē, quam facit Dauid in Pſalmo: *Pſal.83.b* Quàm dilecta tabernacula; Per atriū, & altare poſſumus diſtinguere tres partes in tabernaculo. Atrium, pro ſexu promiſcuo: Prius tabernaculum, quod dicebatur Sancta ſanctorum, pro miniſtrorum quotidiano ſeruitio: Poſterius tabernaculum, quod dicebatur Sancta ſanctorum, pro Pontifice ſummo, qui ſolus intrabat illuc cum ſanguine ſemel in anno. *Heb.9.a* Sic in nobis, qui ſumus tabernaculum Dei: pars anterior eſt corpus noſtrum, ſicut quoddam atrium: pars anterior eſt pars animalis: ſed pars poſterior eſt anima noſtra, ſicut quoddam Sancta ſanctorum. *2.Pet.1.c* De primo: Certus ſum, quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei. Hæc autem dicebat de imminenti *Exo.26.e* diſſolutione corporis ſui. De ſecundo: Eriges taber- *Ibid. f* naculum. Et ſequitur: Inſeretur autem velū per circulos: intra quod pones arcam teſtimonij, quo Sanctuarium, & Sanctuarij Sanctuaria diuidentur. Sicut enim pars illa oppoſita circūdabatur velo, quod *1.Cor.2.d* diſcernebat inter Sancta, & Sancta ſanctorum, ne videretur; ſic ex parte ſenſualitatis, quæ eſt pars animalis, in nobis oriuntur quidam motus cogitationum, & affectionum ſuperflui, velantes, & occultantes nobis lumen veritatis, ne animalis homo, qui non percipit ea, quæ Dei ſunt, intueatur. Vnde Mulier debet habere velamen ſuper caput *1.Cor.11.c* ſuum: nam capilli dati ſunt ei pro velamine. Capilli de carne naſcentes, ſubtiles carnales affectio- *Exo.26.a* nes, & erroneas cogitationes deſignant. De ter- *Heb.9.a* tio: Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta ſanctorum, &c. quia ſpiritus abſolutus ab impetu carnis, & appetitu ſenſualitatis libere fertur ad Deum. Et ſic patet, quid ſit illud tabernaculum.

Secundo videndum eſt, quomodo debeat illud tabernaculum ſanctificari. Corpus enim, anima, & *1.Theſſ.5.d* ſpiritus ſanctificanda ſunt. Deus autem pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, anima, & corpus ſine querela in Aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Corpus autem ſanctificandum eſt per pœnitentiam, ſpiritus autem per ſapien *Exo.19.b* tiam. De primo dicit Dominus ad Moyſen: Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie: & cras lauent veſtimenta, & ſint parati in diem tertium: in die enim tertio deſcendet Dominus ſuper montem Sinai. Tres dies referuntur ad tres illuminationes, quę ſunt tres pœnitentiæ partes, per quas illuminamur, dum per veram pœnitentiam ſanctificamur. Hæc autem ſanctificatio conſiſtit in mortificatione car- *Eccleſiarū cōſecratio: eiuſq. myſteria.* nis, cum diſcretione, compunctione, cum exultatione. In cuius ſignum, in conſecrationibus Eccleſiarum ponitur cinis, ſal, & aqua, & vinum. In cinere mortificatio, in ſale diſcretio, in aqua com- *Heb.9.b* punctio, in vino exultatio. De primo: Cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat, ad emundationē carnis: quod fit, cum mortificatur caro ex memoria præteritæ delectationis. Vitula enim eſt animal laſciuum: & cinis remanet poſt ignem mortuum. *Rom.6.c* De ſecundo: Sicut exhibuiſtis membra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc A exhibete, &c. Hæc enim diſcretio habenda eſt in pœnitentia, vt mortificetur in carne, quod eſt carnale; non eruatur quod eſt ſpirituale, vel naturale: vel ſecundum quantitatem culpæ præteritæ mortificatio ſit carnis in operibus pœnitentiæ. Mortificanda eſt enim caro, ne ſuperbiat: ſed non eſt exterminanda, ne deficiat. Et ſicut in conſecratione Eccleſiæ cinis, & ſal ſimul miſcentur; ita in pœnitentia mortificatio, & diſcretio coniunguntur. Obſecro *Rom.12.a* vos per miſericordiam Dei: vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Adiungit, & ſancti- B ficationem interſerit. De tertio: Effundam ſuper *Ezec.36.e* vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Aqua enim compunctionis, eſt aqua benedicta, per quā ſanctificamur, & abluuntur peccata. Neque fornicarij, neque idolis ſeruien *1.Cor.6.b* tes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, &c. regnum Dei poſſidebunt: & hæc aliquando quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, & ſanctificati eſtis. De quarto: In omni dato hylarem fac vultum, tunc, & in *Eccli.35.b* exultatione ſanctifica decimas tuas. Numquid flen- *Zach.7.a* dum eſt in quinto menſe, vel ſanctificare me debeo, C ſicut feci iam multis annis? quia compunctio non debet eſſe nimia, ne vergat ad deſperationem: ſed moderata non excludens exultationem. Et ſicut cinis, & ſal ſimul ponebantur; ita vinū, & aqua ſimul miſcentur vt computet illud in bono, quod dictum eſt in malo. Vinum tuum mixtum eſt aqua. Nam ſi *Iſa.1.f* vinum defuerit, contabeſcit cor per deſperationem. Si aqua defuerit, luxuriabit in præſumptionē: Has *2.Cor.7.d* igitur habentes promiſſiones chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, perficientes ſanctificationem in timore Dei: quod dixit, promiſſiones, pertinet ad vinum exultationis: quod dicit, in D timore Dei; pertinet ad aquam compunctionis. In cuius figura Nazaræi, ſanctificati Domino, in principio ſuæ conſecrationis non poterāt bibere vinum: ſed completa ſanctificatione poterant. Vir, ſiue mu- *Num.6.a* lier, cum fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare; a vino, & omni, quod inebriare poteſt, abſtinebunt. Et prope finem eiuſdem capitis dicitur, quòd completa conſecratione, *Ibid. d* licite poterat Nazaræus bibere vinum: quia cordis compunctio inchoatur in amaritudine, terminatur in dulcedine.

Secundo anima ſanctificanda eſt per miſericor- E diam. Animalis enim pars in nobis ſubiecta eſt fragilitati: quia a noſtra fragilitate materiam habemus ſufficientem alijs miſerendi. Qui timent Dominum, *Eccli.1.d* præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas, & hoc per opera miſericordiæ: quia per hoc declinatur timor iudicij, quod erit de diſceptatione circa opera pietatis. Sanctificatur autem anima per miſericordiam tripliciter: Primo, ſi proximo, corde miſericorditer compatiaris: Secundo, ſi ore dulciter conſoleris: Tertio, ſi opere largiter ſuffrageris. Inde eſt, quòd in figura horū trium *Eccleſiarū cōſecratio: & myſteria.* tria ponūtur in conſecrationibus Eccleſiarum: oleū, F aſperſoriū de hyſſopo, & balſamū. Chriſma enim, quo vnguntur altaria, compoſitum eſt ex oleo, & balſamo. Oleum ſuperfertur ceteris liquoribus, pietatem ſignificans, quæ ſuperfertur ceteris operibus: quia pietas ſecundum Apoſtolum valet in omnibus. *1.Tim.4.c* Hyſſopus herba humilis dum valet pro pectore, tollit aſperitatem a lingua ignorante miſericordiam oris, per dulcedinem ſermonis. Balſamum conſeruans a corruptione corpus, ſignat largitatem, quæ declaratur per exterius opus. De primo dicitur: Moyſes vnxit omnia tabernaculi vaſa, & ſanctifica- *Leuit.8.a* uit ea oleo: quia ad omnes patientes vtenda eſt cordis cōpaſſio, vt ſit animæ ſanctificatio. Sumpto vn- *Exo.30.c* ctionis oleo, vnges tabernaculum cum vaſis ſuis, vt ſancti-

ſanctificetur: quia omnia membra Chriſti, quæ habitant in tabernaculo fragilitatis noſtræ ad tempus, debent excubare compaſſione. *Iudith 9. d* De ſecundo: Da verbum Domine in ore meo, & in corde meo conſilium corrobora, vt domus tua in ſanctificatione permaneat. Sicut enim lingua canis curat infirmitatem; ſic lingua conſolationis alleuiat infirmum patientem. *Iſa. 27. d* De tertio: Erunt negotiatores eius, & mercedes eius ſanctificatæ Deo. Gloſſa interlinearis: Dicit, Deo: quia quod erogamus pauperi pro Chriſto, facimus Deo. Vnde ſi Martinus ſciuiſſet, quem veſtiſſet chlamyde, quem dimiſit; puto, quòd non dimiſiſſet, niſi integram veſtem eius humeris impoſuiſſet. Forte eſt chriſma, vel balſamum illud, quod dicitur thymiama ad ſanctificationem: *Exo. 37. d* Compoſuit & oleum ad ſanctificationis vnguentum, & thymiama de aromatibus mundiſſimis opere pigmentarij.

Secundo, ſanctificandus eſt ſpiritus per Sapientiam. Infuſa enim Sapientia ſpiritui, deſipit caro a carnali appetitu. De qua ſanctificatione dicit Apoſtolus *2. Theſſ. 2. c* quòd elegit nos Deus primitias in ſalutem, in ſanctificatione ſpiritus, & in fide veritatis. Sicut enim prælibatur vinum, vt eo guſtato feratur ad dolium; ſic in miſſis primitijs ſpiritus, ad Patriam frequenter ſuſpirat animus. Et quoniam in ſpiritu, ſecundum Auguſtinum, eſt ſuperior portio rationis, quando ad Deum conuertitur, inuenitur ratio imaginis, quantum ad memoriam, intellectum, & voluntatem: ideo ſanctificetur ſpiritus tripliciter. Primo, cum memoria tenet acerbitatem Dominicæ Paſſionis: Secundo, cum intellectiua habet veritatem cum ſobrietate veræ cognitionis: Tertio, cum voluntate tenet ſoliditatem dilectionis. De primo: *1. Cor. 1. d* Ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis Sapientia a Deo: & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Quod totũ exponit Bernardus de paſſione: Sicut enim per ſanguinem paſſionis Chriſti ſanctificatus eſt mũdus ab originali peccato; ſic per memoriam paſſionis eius ſanctificatur quilibet Chriſtianus ab actuali. *1. Pet. 1. a* Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti, electis aduenis, &c. ſecundum præſcientiam Dei Patris in ſanctificationem ſpiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, gratia vobis, & pax multiplicetur. Si enim ſanguis taurorum ſanctificauit in veteri lege, quanto magis ſanguis Chriſti emundat conſcientias noſtras ab operibus mortuis? propter hoc enim Chriſtus ſemetipſũ tradidit pro Eccleſia ſua, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. *Epheſ. 5. c* Lauacro aquæ fluxus gratiæ ſignatur, qui procedit de Verbo incarnato, & paſſo, quando per memoriam viuit in mente. *Exo 29. a* De ſecundo: Panes quoque, qui ſunt in caniſtro, in veſtibulo tabernaculi teſtimonij comedent: vt ſit placabile ſacrificium, & ſanctificetur offerentium manus. Panes xij. in caniſtro, ſunt xij. articuli fidei in corde humano; qui ſunt in veſtibulo tabernaculi teſtimonij: quia proponuntur cuilibet fideli, vt ſanctificentur offerentium manus: quia tunc fides ſanctificat, cum probatur per opus. *Epheſ. 1. a* De tertio: Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. Et nota, quòd in eorum figura tria apponuntur in ſanctificatione Eccleſiæ de Scriptura, quam facit Epiſcopus ad modum crucis, in memoria Paſſionis. Vnde etiam ſcribit litteras Latinas, Græcas, & Hebraicas: ſignans crucis titulum litteris ſcriptum, vt ſignificetur ſanguis vituli, qui fundebatur ſuper cornua altaris, & aſpergebatur contra populum, & ſanctificabat eum. *Luc. 17. d* Secundum eſt, candelæ, quæ apponuntur, quæ ſignant limpiditatem cogitationis. *Iſa 10. c* Erit lumen Iſrael in igne, & ſanctus eius in flamma. Tertium eſt lapis, qui conſecratur, ſignans ſoliditatem dilectionis. Hæc eſt enim illa oblatio vna, per quam ſumus ſanctificati in æternum, & conſummati. *Heb. 10. a* Per vnam oblationem conſummauit in æternum ſanctificantes. Charitas enim ſempiterna eſt, quia numquam excidit, & ipſa eſt conſummatio, quia eſt vinculum perfectionis. Quam nobis præſtare dignetur, & cetera.

# DE DEDIC. ECCLESIAE

## SERMO IV. in ordine.

*Domus mea, domus orationis vocabitur.* *Mat. 21. b*

In verbo iſto, quod ſumitur ex Euangelio, oſtenditur ſacramentum dedicationis Eccleſiæ ad litteram. Dedicatur Eccleſia, vt ſit domus orationis, & obſecrationis populo Dei: vt omnis, qui in ipſa deuote, & fideliter orat, exaudiatur. & impleatur illud: *Mat. 7. b* Omnis, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur. Et nota, quòd ore petimus, pedibus quærimus, manibus pulſamus. Sic & in domo orationis loquendo, & orando petimus; & affectibus gemendo, & inſpirando ambulando quærimus: manu exhibendo pulſamus. Vnde dicit Dominus per Prophetam: *Iſa. 56. c* Domus mea, domus orationis vocabitur. Domus orationis recte dicitur duplici ratione. Prima eſt, quia omnis in ea deuote orans, pro quocumque petit, exauditur. Secunda eſt, quòd omne opus ad orationem non pertinens, prohibetur in ea fieri: quod oſtendit Saluator, cum eiecit vendentes, & ementes de templo. *Mat. 21. b* *Mar. 11. e* *Ioan. 2. c* Nota quantum ad primum, quòd domus orationis dicitur Eccleſia octo de cauſis. Prima eſt, quòd ibi peccator recte orans obtinet peccatorum remiſſionem. Secunda, quòd tentatus ibi recte orans obtinet liberationem. Tertia, quia contra terræ ſterilitatem obtinet eiuſdem fœcunditatem. Quarta, quòd infirmus impetrat ſalubritatem. Quinta, triſtis proſequitur iocũditatem. Sexta, alienigena impetrat proſperitatem. Septima, conuerſus ad Deum habebit victoriam. Octaua, quòd captiuatus adipiſcetur incolumitatem. *3. Reg. 4. d* *2. Paral. 7. f* Quas octo cauſas expreſſit Salomon, & pro his octo beneficijs, quæ conferuntur in domo orationis, celebrauit Iudas Machabæus per octo dies ſollemnitatem dedicationis, ſicut dicitur in Machabæis. *1. Mac. 4. b*

*3. Reg. 8. b* Primam cauſam expreſſit Salomon. Primo generaliter, dicẽs: Quicumque orauerit in loco iſto, &c. & ſubdit: tu exaudies in cælo. Et ſequitur: Si peccauerit homo in proximum ſuum, & habuerit iuramentum, quo fuerit aſtrictus, & venerit propter iuramentum in domum tuam; tu exaudies. In quo verbo oſtendit illum, qui orat pro peccati remiſſione, exaudiri in domo orationis. Proximus noſter Chriſtus eſt, iuxta parabolam Domini per Samaritanum, *Luc. 10. e. f* qui fecit miſericordiam in illum, qui incidit in latrones. Nam Chriſtus vulnera humani generis ſacramentis ſuæ humanationis, & paſſionis, velut faſcijs alligauit. Peccauimus ergo in proximum, cum peccauimus in Chriſtum, qui per humanitatem caro, & frater noſter factus eſt. Cui aſtringimur, quaſi iuramento, ſponſione, quam fecimus, ideſt quæ pro nobis facta eſt in in baptiſmo, in quo promiſimus abrenunciare diabolo, & pompis eius, & in perpetuum adhærere Chriſto. Contra iuramentum, ideſt contra ſponſionem facimus, cum contra Chriſti mandatum diabolo conſentimus. Anima igitur Chriſtiana, quæ ſentit ſe contra Chriſtum peccaſſe, & ſponſionem primam irritam feciſſe; pro remiſſione peccati obtinenda confugiat ad domum orationis, orans humiliter cum Publicano aſcendente in templum, & percutiente pectus ſuum dicens: *Luc. 18. b* Deus propitius eſto mihi peccatori;



Qui, iuxta ſententiam, deſcendit iuſtificatus in domum ſuam, excluſa ſuperbia, & arrogantia Phariſæi. *3. Reg. 8. d* *2. Para. 6. d* Et hoc eſt quod dicit Salomon in dedicatione: Si peccauerit homo in proximum ſuum, & cetera.

Secundam cauſam expreſſit Salomon: *3. Reg. 8. a* *Paral. 6. a* Si fugerit populus tuus, Iſrael, inimicos ſuos, & ſuperatus fuerit ab inimicis. Et: Conuerſi egerint pœnitentiam, & deprecati fuerint te in loco iſto; tu exaudies eos in cælo Domine, & reduces eos. In quo oſtenditur, qualiter anima, ſuperata tentatione diabolica, in domo orationis exauditur, orans pro liberatione. Inimici noſtri dæmones ſunt. *Pſal. 117. a* Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos. Prœlium inimicorum eſt tentatio dæmonum: *Pſal. 26. b* Si exurgat aduerſum me prœlium. In prœlio contra inimicum exurgimus, cum tentationem diabolicam ſuperamus. *1. Reg. 4. b* Quod figuratum eſt: nam pugnauerunt Philiſtijm aduerſum Iſrael, & cæſus eſt: fugerunt vnuſquiſque in tabernaculum ſuum: propter quam cauſam lamentabatur Ieremias: *Tren. 1. a* Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici eius locupletati ſunt. Fiunt hoſtes in capite, cum diabolus pugnat contra Prælatos Eccleſiæ. Ducit autem in captiuitatem paruulos, cum per peccatum in ſeruitutem redegit ſimplices laicos, & ſubditos. Locupletati ſunt, cum principes in Eccleſia, ſcilicet Clerici, & Religioſi capiuntur per peccatum. Quicumque igitur ſenſerit ſe diabolica tentatione impugnari, & ſua infirmitate ſuperari; confugiat ad domum orationis orans deuote. *Pſal. 12. a* Illumina oculos meos, &c. Et iuxta verbum Salomonis: *2. Paralip. 6. d* Si deprecatus fuerit in domo orationis, exaudietur in cælo.

Tertiam cauſam exprimit Salomon: *3. Reg. 8. d* Si clauſum fuerit cælũ, & non pluerit, & orauerint in loco iſto, & a peccatis ſuis conuerſi fuerint; propter afflictionem ſuam, tu exaudies, & dabis pluuiam ſuper terram. Hoc intelligitur ſpiritualiter, & ad litteram. Ad litteram ſic: Propter peccata inducitur ſterilitas terræ, & pluuia fœcundans terram ſubtrahitur; ſicut legitur *3. Reg. 17. a* quòd ad verba Heliæ non pluerat annis tribus, & menſibus ſex. *Deut. 28. b. & c* Et in maledictionibus: Si non audieris vocem Domini tui, maledictus eris. ſit cælum, quod ſupra te eſt, æneum: & terra, quam calcas, ferrea: det tibi Dominus imbrem terræ puluerem. *Leuit. 26. a* Econtra, vbi dicitur: Si in præceptis meis ambulaueritis, dabo vobis pluuias, & terra dabit fructum ſuum. Si ergo elongatur terræ ſterilitas ex defectu pluuiarum; confugiant fideles ad domũ orationis. *Iac. 5. d* Helias erat homo ſimilis nobis, paſſibilis, & oratione orauit, vt non plueret ſuper terrã annos tres, & menſes ſex: & rurſum orauit, & cælum dedit pluuiam. Spiritualiter ſic: Sterilitas terræ ſignificat indeuotionem animæ, quæ ſic ſicca eſt, vt in ea non eſt humor contritionis, nec compaſſionis, quæ poteſt dicere illud: *Pſal. 142. b* Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi: pluuia vero eſt compunctionis, & compaſſionis gratia. *Iob 32. c* Quis eſt pluuiæ pater, vel quis genuit ſtillas roris? Si ergo anima propter peccata ſua intantum arefacta ſit, vt non poſſit ſua, nec aliena peccata lugere, & clauſum ſit ei cælum, ideſt ſubtractum internæ gratiæ beneficium; confugiat ad domum orationis, dicens illud: *Ioel 1. d* Anima mea quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexit ad te: quoniam exſiccati ſunt fontes aquarum. Et dicitur in eodem: *Ioel 2. e. f* Deſcendere faciet Dominus ad vos imbrem ſerotinum, & matutinum.

Quartam cauſam exprimit Salomon, quòd in domo orationis exauditur orans ſalubritatem dicens: *3. Reg. 8. f* Fames ſi orta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aër, aut locuſta, aut rubigo, & afflixerint populum tuum, & inimicus eius obſederit portas repente, & orauerit in loco iſto; tu exaudies. Ad litteram, propter peccata hæc aliquando proueniunt, fames ex defectu terrænaſcentium: peſtilentia ex inæqualitate corporum, ſiue exteriori corruptione humorum: ſi ergo hoc viderimus accidere; fugiamus ad domum orationis, dicentes illud, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, omne malum venit ſuper nos, & *Dan. 9. c* non rogauimus faciem tuam: Peccauimus, iniuſte egimus, iniquitatẽ fecimus: Domine in omnem iuſtitiã tuam auertatur ira tua, obſecro. Et iuxta orationem Salomonis Dominus exaudiet in cælo, & ſalubritatem dabit. Spiritualiter poſſunt intelligi hæc verba ſeptem, pro ſeptem capitalium vitiorum corruptionibus: fames pertinet ad gulam; peſtilentia, eo quòd inficit per contagium, ad luxuriam: corruptus aër, ad inuidiam, cuius proprium eſt, corrupta verba de eo, cui inuidet, ſemper proferre: & ſic corrumpit aërem per detractionem: erugo, quæ non ſolum terrænaſcentia vitiat, ſed etiam metalla, pertinet ad auaritiam. *Iac. 5. a* Agite nunc diuites, &c. Locuſta pertinet ad ſuperbiam, & vanam gloriam: ſuperbus enim, in modum locuſtæ, non vult proficiſci per conuictum ſocietatis, ſed ſalit ſuperius per eleuationem ſuperbiæ. *Apoc. 9. a* Exierunt locuſtæ de puteo abyſſi. Rubigo, eo quòd vitiat ſpicas, aſſimilatur iræ. *Ioel 1. a* In hoc poteſt ſenſu accipi illud: Reſiduum erucæ comedit locuſta: & reſiduum locuſtæ comedit bruchus: & reſiduum bruchi comedit rubigo. Obſeſſio inimicorum iuxta portas, acidiam ſignat, per quam dæmones ita animam poſſident; vt non poſſit progredi ad operationem humanam. Quamcumque ergo animam hæc mala obſident, vadat ad domum orationis, & cetera.

Quintam cauſam exprimit Salomon, ſcilicet quòd in domo orationis exauditur orans iocũditatem, dicens: *3. Reg. 8. d* Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac, tu exaudies in cælo, & propitiaberis. Cordis plaga dicitur triſtitia. *Eccli. 25. c* Omnis plaga, triſtitia cordis eſt. Propter quod dicitur: *2. Cor. 7. c* Triſtitia ſæculi mortẽ operatur. Siqua anima ſentiat ſe triſtitia cordis oppreſſam, confugiat ad domum orationis petens a Saluatore conſolationem, & iocunditatem. Vnde: *Pſal. 85. a* Miſerere mei Deus, quoniam ad te clamaui, & cetera.

Sextam cauſam deſignat Salomon, ſcilicet quòd in domo orationis exauditur alienigena, orans proſperitatẽ, dicens: *3. Reg. 8. e* Qui non eſt de populo tuo Iſrael, cum venerit, & orauerit in loco iſto; tu exaudies. Populus Iſrael, populus iuſtorum. Iuxta illud: *Ioan. 1. b* Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate, & cetera. Alienigenæ ſunt populus peccatorum. *Iſa. 1. b* Dereliquerunt Dominum, & plaſphemauerũt ſanctum Iſrael: alienati ſunt retrorſum. Mira ergo exprimitur clementia animæ peccatricis, cum virtute ſanctificationis, & dedicationis Eccleſiæ exaudiatur in ea. Oratio alienigenæ, ideſt peccatoris, a cæleſti Patre, *Matt. 5. g* qui Solem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos: quia quamuis indigni ſint peccatores; tamen frequenter orationes Eccleſiæ exaudiuntur ad temporalem felicitatem, iuxta orationem Salomonis.

Septimam cauſam exprimit Salomon ibidem de *3. Reg. 8. e* impugnatione, orans victoriam, conuerſus ad domum orationis dicens: Si egreſſus fuerit populus tuus per viam ad bellũ, quocumque miſeris eos, &c. & contra domũ orabunt, quam ædificaui nomini tuo, & exaudies in cælo orationes eorum. In quo mirabilis oſtenditur diſpenſatio diuinæ pietatis ex gratia Eccleſiaſticæ dedicationis: quia non ſolum pœnitentium in domo orationis exauditur oratio, ſed etiam abſentium, dummodo cor ſuum referant per conſiderationem, & deuotionem ad orationes, quæ in Eccleſia fiunt. Cum fueritis in itinere, vel in labore, ſiue in iuſta negociatione, ſi ad domum orationis intereſſe non poteſtis, quaſi egreſſi ad pugnam, dirigite orationem mentis veſtræ ad domum

mum orationis, & ſic orantes exaudit: iuxta verbum Salomonis.

3.Reg.8.c Octauam cauſam expreſſit Salomon, ſcilicet quòd oppreſſus, & captiuatus exaudiatur, ſi conuerſus orauerit ad domum orationis, dicens: Si peccauit tibi populus, & iratus tradideris eos inimicis, & captiui ducti fuerint, & deprecati in captiuitate fuerint, dicentes: Peccauimus, inique egimus; & orauerint te contra viam templi, quod ædificaui nomini tuo, tu exaudies. Traditur quis propter peccata tribulationibus, afflictionibus, ægritudinibus, tenetur in captiuitate languoris, ita quòd non poteſt aſcendere ad domum orationis; in illa tamen remanet ei excuſatio: ſed compunctus corde dicat: Peccaui in meipſo, inique egi in proximum, impie geſſi in Deum, & conuertat intentionem cordis ad domum orationis; exaudietur, &c.

*F I N I S*

***Sermonum S. Bonauenturæ, de Sanctis in Communi, de Beata Maria ſemper Virgine, necnon de Angelis, ac de Eccleſiæ Dedicatione.***

# INDEX
# SERMONVM S. BONAVENTVRAE
## S. R. E. CARDINALIS EP. ALBANENSIS.

## *THEMATA SERMONVM DE TEMPORE.*


Dominica prima Aduentus Domini.

*HIS autem fieri incip. Ser.1.* pag. 1
*Veniet deſideratus. ſer.2.* 3
*Emitte manum tuam. ſer.3.* 4
*Quis poterit cogitare diem adu. ſer.4.* 5
*Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. ſer.5.* 6
*Ecce Rex tuus venit. ſer.6.* 6
*Benedictus qui venit. ſer.7.* 7

Dominica ſecunda Aduentus.

*Deus autem patientiæ. ſer.1.* 8
*Cum audiſſet Ioannes. ſer. alius de Euangelio.* 8
*Excita potentiam tuam, & veni. ſer.2.* 10
*Quæcumque ſcripta ſunt. ſer.3.* 11
*Tunc videbunt Filium hominis. ſer.4.* 11
*Scitote quia prope eſt regnum Dei. ſer.5.* 12

Dominica tertia Aduentus.

*Medius autem veſtrum ſtetit. ſer.1.* 12
*Deus ab Auſtro veniet. ſer.2.* 14
*Ioannes cum audiſſet in vinculis. ſer.3.* 14
*Tu es, qui venturus es, & c. ſer.4.* 15

Dominica quarta Aduentus.

*Parate viam Domini. ſer.1.* 16
*Veniens veniet, & c. ſer.2.* 17
*Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt. ſer.3.* 18
*Dirigite viam Domini. ſer.4.* 18

In Vigilia Natiuit. Domini.

*Vade ad populum. ſer.1.* 19
*Cras egrediemini. ſer.2.* 19
*Cras erit vobis ſalus. ſer.3.* 20
*Cras egrediemini. ſer.4.* 21

In Natiuitate Domini.

*A ſummo cælo egreſsio eius. ſer.1.* 21
*Abſciſſus eſt lapis de monte. ſer.2.* 22
*A ſummo cælo egreſsio eius. ſer.3.* 22
*Euangelizo vobis gaudium magnum. ſer.4.* 23
*Ecce euangelizo vobis, & c. ſer.5.* 24
*Inuenietis infantem. ſer.6.* 24
*Inuenietis infantem. ſer.7.* 25
*Verbum caro factum eſt. ſer.8.* 26
*Verbum caro factum eſt. ſer.8.* 26

Dominica infra Oct. Nat. Dom.

*Poſitus eſt hic in ruinam, & c. ſer.1.* 27
*Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & c. ſer.2.* 29
*Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. ſer.3.* 30
*Puer autem creſcebat, & c. ſer.4.* pag. 30

In Circumciſione Domini.

*Apparuit gratia Dei, & c. ſer.1.* 31
*Poſtquam conſummati ſunt dies octo. ſer.2.* 32
*Poſtquam conſummati ſunt dies octo. ſer.3.* 32
*Vocatum eſt nomen eius,* IESVS. *ſer.4.* 33

In Epiphania Domini.

*Cum natus eſſet* IESVS. *ſer.1.* 34
*Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum. ſer.2.* 34
*Apertis theſauris ſuis, & c. ſer.3.* 35
*Apertis theſauris ſuis, & c. ſer.4.* 36

Dominica infra Oct. Epiphaniæ.

*Fili, quid feciſti nobis ſic? ſer.1.* 37
*Poſt triduum inuenerunt eum. ſer.2.* 38
*Poſt triduum, & c. ſer.3.* 39
*Poſt triduum, & c. ſer.4.* 39
*Pater tuus, & ego dolentes, & c. ſer.5.* 40
*Pater tuus, & ego dolentes, & c. ſer.6.* 40

Dominica prima poſt Oct. Epiph.

*Nuptiæ factæ ſunt, & c. ſer.1.* 41
*Deficiente vino, & c. ſer.2.* 42
*Vt autem guſtauit, & c. ſer.3.* 43

Dominica ſecunda poſt Epiphaniam.

*Hoc fecit initium ſignorum. ſer.1.* 43
*Domine, ſi vis, potes me mundare. ſer.2.* 45
*Tantum dic verbo, & c. ſer.3.* 45
*Filij autem regni eijcientur, & c. ſer.4.* 46

Dominica tertia poſt Epiphaniam.

*Ecce leproſus veniens adorabat, & c. ſer.1.* 47
*Aſcendente Ieſu in nauiculam. ſer.2.* 48
*Ecce motus factus eſt. ſer.3.* 49
*Ecce motus, & c. ſer.4.* 49

Dominica quarta poſt Epiphaniam.

*Domine, ſalua nos, perimus. ſer.1.* 50
*Simile factum eſt Regnum cælorum. ſer.2.* 51
*Triticum autem congregate, & c. ſer.3.* 52
*Domine, nonne bonum ſemen, &c. ſer.4.* 53

Dominica quinta poſt Epiphaniam.

*Simile eſt Regnum cælorum. ſer.1.* 53

Dominica in Septuageſima.

*Voca operarios, & c. ſer.1.* 54
*Ite & vos in vineam, & c. ſer.2.* 57
*Voca operarios, &c. ſer.3.* 57
*Sic erunt nouiſsimi primi. ſer.4.* 58

Dominica in Sexageſima.
*Quod autem in terram bonam. ſer. 1.* 58
*Exijt qui ſeminat ſeminare. ſer. 2.* 60
*Exijt qui ſeminat. ſer. 3.* 61
*Aliud cecidit in terram bonam. ſer. 4.* 62
Dominica in Quinquageſima.
*Tradetur enim Gentibus. ſer. 1.* 62
*Tradetur Gentibus, & c. ſer. 2.* 64
*Cæcus quidam ſedebat. ſer. 3.* 65
*Confeſtim vidit, & c. ſer. 4.* ibid.
In die Cinerum.
*Ago pœnitentiam in fauilla. ſer. 1.* 66
*Conſpergere cinere. ſer. 2.* 67
*Conuertimini ad me. ſer. 3.* ibid.
*Conuertimini ad me. ſer. 4.* 68
*Conuertimini, & c. ſer. 5.* ibid.
*Cum ieiunatis, & c. ſer. 6.* 69
Dominica prima in Quadrageſima.
*Ecce nunc tempus acceptabile. ſer. 1.* 70
*Ductus eſt Ieſus in deſertum. ſer. 2.* ibid.
*Ductus eſt Ieſus, & c. ſer. 3.* 72
*Cum ieiunaſſet quadraginta diebus. ſer. 4.* 73
*Tunc aſſumpſit eum Diabolus. ſer. 5.* ibid.
Dominica ſecunda in Quadrageſima.
*Hæc eſt voluntas Dei, & c. ſer. 1.* 74
*Dimitte eam, quia clamat, & c. ſer. 2.* ibid.
*Dimitte eam, & c. ſer. 3.* 75
*Aſſumpſit Ieſus Petrum, & c. ſer. 4.* 76
*Catelli edunt de micis. ſer. 5.* 78
Dominica tertia in Quadrageſima.
*Erat Ieſus eijciens dæmonia. ſer. 1.* 78
*Porrò ſi in digito Dei, & c. ſer. 2.* 79
*Tunc vadit, & aſſumit, & c. ſer. 3.* 80
*Beatus venter qui te portauit. ſer. 4.* 81
Dominica quarta in Quadrageſima.
*Sequebatur cum multitudo. ſer. 1.* 81
*Eſt puer vnus hic, & c. ſer. 2.* 83
*Eſt puer vnus hic. ſer. 3.* 84
*Hic eſt vere Propheta. ſer. 4.* ibid.
Dominica in Paſſione.
*Si ſanguis hircorum, & taurorum, & c. ſer. 1.* 85
*Si veritatem dico vobis, & c. ſer. 2.* 86
*Si quis ſermonem meum ſeruauerit. ſer. 3.* ibid.
*Tulerunt lapides Iudæi. ſer. 4.* 88
Dominica in ramis Palmarum.
*Egredimini, & videte. ſer. 1.* 89
*Cum appropinquaſſet Dominus, & c. ſer. 2.* 91
*Ecce Rex tuus venit. ſer. 3.* ibid.
*Turba multa quæ conu. & c. ſer. 4.* 92
In Cœna Domini.
*Cum dilexiſſet ſuos, & c. ſer. 1.* 92
*Si non lauero te, & c. ſer. 2.* 93
*Qui lotus eſt, & c. ſer. 3.* 94
*Hoc facite in meam commem. ſer. 4.* ibid.
*Paratum panem de cælo præſtitiſti. ſer. 5.* 95
*Paratum panem, & c. ſer. 6.* 95
In Paraſceue.
*Vere languores noſtros ipſe tulit. ſer. 1.* 96
*Vere languores, & c. ſer. 2.* 97
*Cum videris nudum, & c. ſer. 3.* ibid.
*Spiritus oris mei, Chriſtus. ſer. 4.* 98
*Colligite quæ ſuperauerunt fragm. ſer. 5.* 99
*Colligite, & c. ſer. 6.* ibid.
In Sabbato ſancto.
*Requieuit Deus die ſeptimo. ſer. 1.* 100
*Septimus dies erit vobis ſanctus. ſer. 2.* ibid.
In Reſurrectione Domini.
*Exurge, Domine, ſaluum me fac. ſer. 1.* 101
*Exurge gloria mea. ſer. 2.* 103
*Fac mecum ſignum in bonum. ſer. 3.* 104
*Fac mecum ſignum, & c. ſer. 4.* ibid.
*Ieſum quæritis Nazarenum. ſer. 5.* 105
*Ego ſum reſurrectio. ſer. 6.* ibid.
Feria ſecunda poſt Paſcha.
*Mane nobiſcum Domine. ſer. 1.* 106
*Nonne cor noſtrum ardens erat?* 107
*Surrexit Dominus vere. ſer. 3.* 107
Feria tertia poſt Paſcha.
*Stetit Ieſus in medio, & c. ſer. 1.* 108
*Pax vobis. ſer. 2.* 109
*Pax vobis. ſer. 3.* ibid.
Feria quarta poſt Paſcha.
*Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas. ſer. 1.* 110
*Erant ſimul, & c. ſer. 2.* ibid.
Dominica in octaua Paſchæ.
*Pax vobis. ſer. 1.* 111
*Gauiſi ſunt Diſcipuli. ſer. 2.* ibid.
*Accipite Spiritum ſanctum. ſer. 3.* 113
*Affer manum tuam. ſer. 4.* 114
Dominica prima poſt oct. Paſchæ.
*Ego ſum paſtor bonus. ſer. 1.* 114
*Ego ſum paſtor bonus. ſer. 2.* 116
*Animam meam pono pro ouibus. ſer. 3.* 117
*Alias oues habeo. ſer. 4.* ibid.
Dominica ſecunda poſt oct. Paſchæ.
*Iterum modicum, & videbitis me. ſer. 1.* 118
*Iterum videbitis me, & c. ſer. 2.* 119
*Mundus autem gaudebit. ſer. 3.* ibid.
*Triſtitia veſtra conuertetur in gaud. ſer. 4.* 121
Dominica tertia poſt oct. Paſchæ.
*Cum autem venerit ille, & c. ſer. 1.* 121
*Princeps mundi huius iam iudicatus eſt. ſer. 2.* 122
*Cum venerit ille Spiritus. ſer. 3.* 123
*Spiritus veritatis docebit vos. ſer. 4.* 124
Dominica quarta poſt oct. Paſchæ.
*Petite, & accipietis, & c. ſer. 1.* 125
*Petite, & accipietis, & c. ſer. 2.* 126
*Ipſe enim Pater amat vos, & c. ſer. 3.* 127
*Nunc ſcimus, quia ſcis omnia. ſer. 4.* ibid.





In diebus Rogationum.
*Eſther Regina confugit ad Dominum. ſer. 1.* 128
*Confitemini alterutrum peccata veſtra. ſer. 2.* 129
*Petite, & dabitur vobis. ſer. 3.* 130
*Petite, & dabitur vobis. ſer. 4.* ibid.
*Confitemini alterutrum peccata veſtra. ſer. 5.* 131
*Quærite & inuenietis. ſer. 6.* 132
*Quærite & inuenietis. ſer. 7.* ibid.
*Confitemini alterutrum peccata veſtra. ſer. 8.* 133
*Pulſate, & aperietur vobis. ſer. 9.* ibid.
*Pulſate, & aperietur vobis. ſer. 10.* 134
In Aſcenſione Domini.
*Numquid ad præceptum tuum, & c. ſer. 1.* 134
*Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cælum. ſer. 2.* 135
*Homo quidam nobilis abijt. ſer. 3.* 136
*Aſcendit Deus in iubilatione. ſer. 4.* 137
Dom. infra oct. Aſcenſionis.
*Vos teſtimonium perhibebitis. ſer. 1.* 137
*Vos teſtimonium, & c. ſer. 2.* 138
*Ab initio mecum eſtis. ſer. 3.* ibid.
In die ſancto Pentecoſtes.
*Nolite contriſtare Spiritum ſanctum. ſer. 1.* 139
*Nolite contriſtare, & c. ſer. 2.* 140
*Nolite contriſtare, & c. ſer. 3.* ibid.
*Aſcendit ignis de petra. ſer. 4.* 141
*Factus eſt repente de cælo ſonus. ſer. 5.* ibid.
*Factus eſt repente, & c. ſer. 6.* 142
*Paraclitus autem Spiritus ſanctus. ſer. 7.* 143
*Paraclitus autem Spiritus ſanctus, & c. ſer. 8.* ibid.
*Spiritus Domini ornauit cælos. ſer. 9.* 144
*O quàm bonus, & ſuauis eſt, & c. ſer. 10.* 145
*O quàm bonus eſt, & c. ſer. 11.* 146
*O quàm bonus eſt, & c. ſer. 12.* ibid.
Feria ſecunda Pentecoſtes.
*Sic Deus dilexit mundum. ſer. 1.* 147
*Sic Deus dilexit mundum. ſer. 2.* 148
*Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. ſer. 3.* ibid.
Feria tertia Pentecoſtes.
*Oues illum ſequuntur. ſer. 1.* 149
*Fur non venit, niſi vt furetur. ſer. 2.* 150
*Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. ſer. 3.* ibid.
Feria quarta Pentecoſtes.
*Nemo poteſt venire ad me, & c. ſer. 1.* 151
*Nemo poteſt venire ad me, & c. ſer. 2.* ibid.
Dom. in oct. Pentec. de ſanctiſſ. Trinit.
*Sanctus, Sanctus, Sanctus, & c. ſer. 1.* 152
*Quis appendit tribus digitis, & c. ſer. 2.* 153
*Tres ſunt, qui teſtimonium dant, & c. ſer. 3.* ibid.
*Benedicat nos Deus, & c. ſer. 4.* 154
Dominica prima poſt Pentec.
*Eſtote miſericordes, & c. ſer. 1.* 155
*Eſtote miſericordes, & c. ſer. 2.* 156
*Eadem menſura, qua menſi fueritis. ſer. 3.* 157
Dominica ſecunda poſt Pentec.
*Homo quidam fecit cœnam magnam. ſer. 1.* 158
*Homo quidam fecit cœnam, & c. ſer. 2.* 159
*Iam parata ſunt omnia. ſer. 3.* 160
*Compelle intrare, & c. ſer. 4.* 161
Dominica tertia poſt Pentec.
*Inueni ouem, quam perdideram. ſer. 1.* 161
*Inueni drachmam, quam perdideram. ſer. 2.* 162
*Gaudium eſt Angelis Dei, & c. ſer. 3.* ibid.
*Gaudium eſt Angelis Dei, & c. ſer. 4.* 163
Dominica quarta poſt Pentec.
*Aſcendens autem in vnam nauim. ſer. 1.* 165
*Concluſerunt multitudinem piſcium. ſer. 2.* 166
*Ex hoc iam eris homines capiens. ſer. 3.* ibid.
*Relictis omnibus, ſecuti ſunt eum. ſer. 4.* 167
Dominica quinta poſt Pentec.
*Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, & c. ſer. 1.* 168
*Si ergo offers munus tuum, & c. ſer. 2.* 170
*Si offers munus tuum, & c. ſer. 3.* 171
*Vade prius reconciliari fratri tuo. ſer. 4.* ibid.
Dominica ſexta poſt Pentec.
*Cum turba multa eſſet cum Ieſu. ſer. 1.* 172
*Vnde illos poterit quis ſaturare? ſer. 2.* 173
*Miſereor ſuper turbam. ſer. 3.* 174
*Manducauerunt, & ſaturati ſunt. ſer. 4.* 175
Dominica ſeptima poſt Pentec.
*Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. ſer. 1.* 175
*Omnis arbor, quæ non facit fructum, & c. ſer. 2.* 177
*Omnis arbor bona bonos fructus facit. ſer. 3.* ibid.
Dominica octaua poſt Pentec.
*Vocauit illum, & ait illi, & c. Redde rationem, & c. ſer. 1.* 178
*Redde rationem villicationis tuæ. ſer. 2.* 179
*Qui facit voluntatem Patris mei, & c. ſer. 3.* 180
*Facite vobis amicos, & c. ſer. 4.* ibid.
*Facite vobis amicos, & c. ſer. 5.* 181
Dominica nona poſt Pentec.
*Cum appropinquaret, & c. Fleuit, & c. ſer. 1.* 182
*Si cognouiſſes & tu, & c. ſer. 2.* ibid.
*Circumdabunt te, & coanguſtabunt, & c. ſer. 3.* 183
*Domus mea, domus orationis. ſer. 4.* ibid.
Dominica decima poſt Pentec.
*Publicanus a longe ſtans, & c. ſer. 1.* 185
*Deus propitius eſto mihi peccatori. ſer. 2.* 186
*Deſcendit hic iuſtificatus, & c. ſer. 3.* ibid.
*Qui ſe exaltat humiliabitur. ſer. 4.* 187
Dominica vndecima poſt Pentec.
*Statim apertæ ſunt aures. ſer. 1.* 188
*Solutum eſt vinculum linguæ. ſer. 2.* 189
*Solutum eſt vinculum linguæ. ſer. 3.* 190
*Bene omnia fecit. ſer. 4.* 191
Dominica duodecima poſt Pentec.
*Beati oculi, qui vident, & c. ſer. 1.* 192
*Diliges Dominum Deum tuum. ſer. 2.* ibid.
*Appropians alligauit vulnera. ſer. 3.* 193
*Homo quidam deſcendebat ab Hier. ſer. 4.* ibid.

Dominica decimatertia poſt Pentec.
*Cum ingrederetur, & c. de decem leproſis. ſer.1.* 195
*Leuauerunt vocem dicentes : Ieſu præceptor miſerere noſtri. ſer.2.* 196
*Nonne decem mundati ſunt ? ſer.3.* 197
*Steterunt a longe, & c. ſer.4.* ibid.

Dominica decimaquarta poſt Pentec.
*Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. ſer.1.* 199
*Scit enim Pater veſter, & c. ſer.2.* 200
*Quærite primum regnum Dei. ſer.3.* ibid.
*Primum quærite regnum Dei. ſer.4.* 201

Dominica decimaquinta poſt Pentec.
*Ecce defunctus efferebatur. ſer.1.* 203
*Reſedit qui erat mortuus. ſer.2.* ibid.
*Reſedit qui erat mortuus. ſer.3.* 204
*Reſedit qui erat mortuus. ſer.4.* ibid.

Dominica decimaſexta poſt Pentec.
*Cum intraſſet in domum cuiuſdam Principis, & cet. ſer.1.* 206
*Amice, aſcende ſuperius. ſer.2.* 207
*Qui ſe humiliat exaltabitur. ſer.3.* ibid.
*Ipſe vero apprehenſum ſanauit eum. ſer.4.* 208

Dominica decimaſeptima poſt Pentec.
*Diliges Dominum Deum tuum. ſer.1.* 210
*Diliges Dominum Deum tuum. ſer.2.* ibid.
*Diliges Dominum Deum tuum. ſer.3.* 211
*Diliges Dominum Deum tuum. ſer.4.* ibid.

Dominica decimaoctaua poſt Pentec.
*Ecce offerebant ei paralyticum. ſer.1.* 213
*Vt autem ſciatis, quia filius hominis, & c. ſer.2.* ibid.
*Tolle lectum tuum. ſer.3.* 214
*Surge, tolle lectum tuum. ſer.4.* 215

Dominica decimanona poſt Pentec.
*Simile factum eſt regnum cælorum, & c. ſer.1.* 216
*Rex autem, & c. perdidit homicidas. ſer.2.* 217
*Amice, quomodo huc intraſti, & c. ſer.3.* 218
*Multi ſunt vocati, & c. ſer.4.* 219

Dominica vigeſima poſt Pentec.
*Erat quidam Regulus, & c. ſer.1.* 219
*Domine deſcende priuſquàm moriatur filius meus. ſer.2.* 220
*Hora ſeptima reliquit eum febris. ſer.3.* 221

Dominica vigeſimaprima poſt Pentec.
*Serue nequam, omne debitum, & c. ſer.1.* 222
*Serue nequam, & c. ſer.2.* 223
*Omne debitum dimiſi tibi. ſer.3.* ibid.
*Serue nequam, & c. ſer.4.* 224

Dominica vigeſimaſecunda poſt Pentec.
*Magiſter, ſcimus, quia verax es, &c. ſer.1.* 225
*Oſtende mihi numiſma cenſus. ſer.2.* 227
*Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & c. ſer.2.* ibid.
*Cuius eſt imago, & ſuperſcriptio ? ſer.4.* 228

Dominica vigeſimatertia poſt Pentec.
*Domine, Filia mea defuncta eſt. ſer.1.* 229
*Cum eiecta eſſet turba, & c. dicit : Puella ſurge. ſer.2. ibidem.*
*Confide filia, Fides tua, & c. ſer.3.* 230

Dominica vigeſimaquarta poſt Pentec.
*Cum videritis abominationem, & c. ſer.1.* 231
*Væ autem prægnantibus, & c. ſer.2.* 234
*Vbi fuerit corpus, ibi congreg. & c. ſer.3.* ibid.
*Tunc apparebit ſignum filij hominis. ſer.4.* 235

FINIS SERM. S. BONAVENTVRÆ
De Tempore.



# THEMATA SERMONVM
## DE PROPRIO SANCTORVM.

De S. Andrea Apoſtolo.
*MIHI abſit gloriari. ſer.1,* pag. 237
*Chriſto affixus ſum Cruci. ſer.2.* 238
*Propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit Crucem. ſer.3.* 240

De S. Nicolao Epiſcopo.
*Præcedat Dominus meus, & c. ſer.1.* 241
*Seruus meus es tu Iſrael. ſer.2.* 243

De S. Ambroſio Epiſcopo.
*Dedi te in lucem Gentium. ſer.1.* 244
*In medio Eccleſiæ aperuit os eius. ſer.2.* 245

De S. Lucia Virg. & Mart.
*Certamen forte dedit illi, & c. ſer.1.* 246
*Certamen forte dedit illi, & c. ſer.2.* 247

De S. Thoma Apoſtolo.
*Quia vidiſti me Thoma, credidiſti. ſer.1.* 248
*Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. ſer.2.* 250

De S. Agnete Virg. & Mart.
*Glorioſa dicta ſunt de te. ſer.1.* 251
*Venerunt nuptiæ Agni. ſer.2.* 253

In Conuerſione S. Pauli Apoſtoli.
*Surrexit Saulus de Terra. ſer.1.* 254
*Vas electionis mihi eſt iſte. ſer.2.* 256

De S. Agatha Virg. & Mart.
*Fortitudo mea, & laus mea Dominus. ſer.1.* 258

In Cathedra S. Petri Apoſtoli.
*Beatus es Simon Bar Iona. ſer.1.* 259
*Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram. ſer.2.* 261

De S. Matthia Apoſtolo.
*Dilectus meus candidus, & c. ſer.1.* 262
*Beatus, quem elegiſti, ſer.2.* 264

De B. Gregorio Papa.
*Audi Fili mi, & eſto ſapiens. ſer.1.* 265
*Os iuſti meditabitur ſapientiam. ſer.2.* 267

De S. Marco Euangeliſta.
*Mihi enim omnium ſanctorum minimo data eſt gratia. ſer.1.* 268
*Opus fac Euangeliſtæ. ſer.2.* 269

De SS. Philippo & Iacobo Apoſt.
*Nimis honorati ſunt amici tui Deus. ſer.1.* 271
*Venite Filij audite me. ſer.2.* 272

De Inuentione S. Crucis.
*Lignum vitæ eſt his, & c. ſer.1.* 274
*Omnis, qui quærit, inuenit. ſer.2.* 276

De S. Antonio Paduano.
*Iſte eſt frater veſter paruulus. ſer.1.* 277
*Inuocaui, & venit in me. ſer.2.* 279

De S. Ioanne Baptiſta.
*Dedi te in lucem Gentium. ſer.1.* 281
*Ioannes eſt nomen eius. ſer.2.* pag. 283

De SS. Petro & Paulo.
*Vos, qui ſecuti eſtis me. ſer.1.* 284

De S. Maria Magdalena.
*Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum. & c. ſer.1.* 285
*Remittuntur ei peccata multa. ſer.2.* 286

De S. Iacobo.
*Dilectus Deo, & hominibus. ſer.1.* 287
*Erit ſepulchrum eius glorioſum. ſer.2.* 289

De S. Petro ad vincula.
*Surge velociter. ſer.1.* 290

De S. Laurentio.
*Probauit me quaſi aurum. ſer.1.* 292
*Igne me examinaſti. ſer.2.* 294

De S. Bartholomæo Apoſtolo.
*Amice, aſcende ſuperius. ſer.1.* 295
*Poſuiſti Domine ſuper caput eius coronam. ſer.2.* 297

De Exaltatione S. Crucis.
*Ad populos exaltabo ſignum meum. ſer.1.* 299

De S. Matthæo Apoſt. & Euang.
*Conuerſus ſum, vt viderem vocem. ſer.1.* 301
*Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam. ſer.2.* 303

De S. Michaele.
*Angelis ſuis Deus mandauit de te. ſer.1.* 303

De Angelis.
*Et omnes Angeli ſtabant, & c. ſer.1.* 305

De S. Luca Euangeliſta.
*In lege Domini fuit voluntas eius. ſer.1.* 307

De SS. Simone & Iuda.
*Qui ſunt iſti, qui, vt nubes, volant ? ſer.1.* 309

De Feſto omnium Sanctorum.
*Beati qui habitant in domo tua. ſer.1.* 310
*Beati qui habitant, & c. ſer.2.* 312

De Animabus.
*Mementote vinctorũ, tamquã & ipſi vincti. ſer.1.* 314

De S. Martino.
*In bonitate & alacritate, & c. ſer.1.* 216

De S. Eliſabeth.
*Hæc erat in omnibus famoſiſſima. ſer.1.* 318

De S. Cæcilia.
*Præſtitiſti decori meo virtutem. ſer.1.* 319

De S. Katharina Virg. & Mart.
*Pennæ columbæ deargentatæ. ſer.1.* 320

De Dedicatione.
*Elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij. ſer.1.* 321

FINIS SERM. S. BONAVENT.
De proprio Sanctorum.

# THEMATA SERMONVM DE COMMVNI SANCTORVM.


De Apoſtolis.

SPES cæli, gloria ſtellarum. ſerm. 1. pagina 323
Stellæ manentes in ordine ſuo. ſer. 2. 324
Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodijs ſuis. ſer. 3. 326
Vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. ſer. 4. 328
Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. ſer. 5. 329
Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. ſer. 6. 331
Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt. ſer. 7. 333
Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. ſer. 8. 335
Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. ſer. 9. 337
Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis. ſer. 10. 339

De Euangeliſtis.

Audiã quid in me loquatur Dominus Deus. ſer. 11. 341
Dominus dabit verbum euangelizantibus. ſer. 12. 343

De vno Martyre.

Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo. ſer. 13. 344
Gloria & honore coronaſti eum Domine. ſer. 14. 346
Non coronabitur niſi qui legitime certauerit. ſer. 15. 347
Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini. ſer. 16. 348
Fortitudo & decor indumentum eius. ſer. 17. 350

De pluribus Martyribus.

Sancti per fidem vicerunt regna. ſer. 18. 351
Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. ſer. 19. 353
Sicut abundant paſsiones Chriſti in nobis. ſer. 20. 354
Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis. ſer. 21. 355
Iuſti autem in perpetuum viuent. ſer. 22. 357

De Confeſſoribus.

Beatus vir, qui ſuffert tentationem. ſer. 23. 359
Qui ſe humiliat exaltabitur. ſer. 24. 361
Quanto maior es, humilia te. ſer. 25. 363
Depoſuit potentes de ſede, &c. ſer. 26. 365
Orate pro inuicem vt ſaluemini. ſer. 27. 367
In omnibus diuites facti eſtis. ſer. 28. 369
Charitas Dei benigna eſt. ſer. 29. 370

De Doctore.

Refulſit ſol in clypeos aureos. ſer. 30. 372
Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis. ſer. 31. 374

De Virginibus.

Veni de Libano, veni, coronaberis. ſer. 32. 377
In perpetuum coronata triumphat. ſer. 33. 379
Gaudeamus & exultemus, & c. ſer. 34. 381
Audi filia & vide, & inclina, & c. ſer. 35. 382
Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ſer. 36. 383

De beata Virgine ſer. 1. in ordine vero 37.

Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes. ſer. 37. 387
Aue gratia plena, & c. ſer. 38. 389
Aue gratia plena. ſer. 39. 391

De Angelis ſer. 1. & in ordine 40.

Miſit Dominus Angelum ſuum. ſer. 40. 392
Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. ſer. 41. 394
Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. ſer. 42. 395
Angelis ſuis Deus mandauit de te. ſer. 43. 396

De Dedicatione ſer. 1. in ordine vero 44.

Sanctificaui domum, quam ædificaſti, &c. ſer. 44. 398
Vidi ciuitatem nouam ſanctam. ſer. 45. 401
Sanctificauit tabernaculum ſuum. ſer. 46. 402
Domus mea, domus orationis voc. & c. ſer. 47. 404


FINIS SERM. S. BONAVENTVRÆ
De communi Sanctorum.

INDEX

# INDEX
# RERVM, ET VERBORVM INSIGNIORVM IN SERMONES S. BONAVENTVRAE S. R. E. CARD. EPISCOPI ALBANENSIS.
## Tomo Tertio COMPREHENSOS.

Prior numerus paginam indicat, alter columnam; littera vero columnæ partem.

## A


AARON virga in flore & fructu, quid ſignificet. 29. 2. b
Abel ſanguis mortem fratricidæ petijt: ſanguis Domini vitã perſecutoribus impetrauit. 86. 1. a
Abnegare quod habet homo, nõ eſt magnum: ſed abnegare quod ipſe eſt. 269. 2. a
Abſtinentiæ exemplum. 280. 2. d
Abſtinentiæ exemplum de Fabricio. 282. 1. c. d
Abſtinentia a cibis non debet eſſe ſine abſtinentia a vitijs. 69. 1. f
Accipitris perſequentis columbas triplex genus. 320. 2. c
Actio omnis eſt a forma. 294. 1. a
Actio omnis eſt a contrario. 326. 2. d
Actio omnis Chriſti eſt noſtra inſtructio. 32. 1. a
Actio non eſt vbi non eſt paſſio. 326. 2. d
Adam dormit, vt fiat Eua: moritur Chriſtus, vt, Chriſto dormiente in cruce, fiat Eccleſia. 114. 2. a
Adam num fuerit in gratia ſtatim creatus. 194. 2. a. b
Adæ peccatum ſurditati comparatur. 9. 2. d
Comparatur etiam lepræ. c. d
Adamas non caleſcit igne, nec rumpitur. 354. 1. b
Adamas ſanguine ſolum hircino rumpitur. 380. 1. d
Adamantis natura. 273. 2. c
Aduentus Domini cur fulguri comparetur. 6. 1. a
Aduentus Chriſti ad hominem quadruplex. 15. 1. f. & ſequ.
Aduentus primi ſigna multiplicia. 1. 1. d
Aduentus ſecundi ſigna triplicia. 1. 2. b
Aduentus ſecundi præſagia. 1. 1. a. b. & ſequ.
Aduentus Chriſti cum potentia, ſapientia, miſericordia, & iuſtitia. 10. 1. f
Aduentus Filij Dei in mundum triplex. 9. 1. c. d. e
Aduentus Chriſti quadruplex geminatur. 17. 1. f
Aduentus Filij Dei in carnem triplici modo. 3. 2. a
Adulterium abominabile probatur per ciconiæ exemplum. 329. 1. e
Affectiones inordinatæ quattuor. 28. 2. e
Aglaus pauperrimus felicior Gyge rege. 261. 2. a
Altare crucem ſignificat. 113. 2. f
Agni & lupi exemplum ad quendam fluuium occurrentiũ, ibiq. bibentium. 332. 2. d
Agnus cum circa renes impinguatur, cito infirmatur, & moritur. 291. 2. d
Agri ſignificatio. 54. 1. f
Ager plenus floribus virtutum Chriſtus. 54. 2. f
Agricolæ exemplum. 337. 1. d
Albedo omnium colorum eſt principium. 253. 2. b. Nec congrue poteſt color aliquis pingi, niſi ei fuerit albedo ſubſtrata. 253. 2. b. c
Alectoriæ gemmæ natura, & vis. 352. 2. b. In ventriculo gallinaceorum naſcitur. ibid.
Alexander vir ſimpliciſſimus, Epiſcopus Conſtantinopol. & ſanctus, philoſophum obmuteſcere fecit. 265. 1. d. e
Alexander magnus vitijs deditus. 249. 2. f
Alexander magnus omnes reges in tribus exceſſit. 243. 2. d
Alexander Epiſcopus Conſtantinop. ne Arrium in Eccleſiã reciperet, quid fecerit. 246. 1. b
Alexander magnus fuit audaciæ ſingularis. 266. 2. e. f
Alexander vitijs aſſuetus, ea numquam dimiſit. 334. 2. b
Alexandri magni cohortãtis milites ad præliandum, exemplum. 246. 2. d
Alexandri magni liberalitas. 244. 1. b
Alexandri magni mors ex veneno. 243. 2. a
Alexandri magni liberalitas, & in carnem & voluptatem propenſio. 247. 1. f
Alexandro magno immolante, patientia pueri nobilis celebratur. 241. 1. f
Altaris conſecratio, & conſecrationis myſteria. 403. 1. a
Amans aliquid cum Deo, minus eum amat. 287. 1. e
Amans non dormit. 286. 1. a
Amanda ſunt quattuor ex charitate. 337. 1. c
Amare ſe non poſſe nemo veraciter dicere poteſt. 341. 2. c. d
Amanti vrſus ad palum ligatus comparatur. 288. 1. e. f
Amanti nihil difficile. 341. 2. b
Amantis ſigna quænam ſint. 288. 1. a
Ambroſio Roma ex Mediolano proficiſcenti mirabile quoddam accidit. 334. 1. c
Amicitia vera eſt cõmunis contemptus vitiorum. 296. 1. d. e
Amicitia bona nil dulcius vel fructuoſius: mala vero nil peius. 339. 1. c
Amicitia eſt diuinarum, humanarumq. cum beneuolentia & charitate conſenſio. 296. 1. e
Amicitia vera quænam ſit. 272. 1. b. c
Amicitia inter bona honeſta, non inter bona fortunæ eſt cõputanda. 339. 1. c. d


Amicitia

Amicitia propinquitati aut parentelæ præfertur. 295. 2. e
Amiciti a vera per quattuor explicatur. 296. et 297. per tot.
Amicitia, virtus eſt, non quæſtus. 296. 1. a
Amicitiæ vinculum maius eſt, quàm parentelæ. 295. 2. e
Amicitiæ exemplum inſigne. 251. 1. c
Amicitiæ malæ exempla. 339. 2. b.c
Amicitia in malis nulla eſt. 296. 1. e. 339. 1. c
Amicorum duo corpora, anima vero vna: talem amicum ſe habuiſſe dicit Auguſtinus. 296. 2. f
Amicorum eſt idem velle, & idem nolle. 296. 2. e
Amicorum, qui inter ſe de morte contendebant, vnuſquiſque pro alio mori volebat. 297. 2. b
Amicus hominis quadruplex. 180. 2. d
Amicus fidelis medicamentum vitæ. 180. 2. f
Amicus vtilitatis cauſa ſumptus, tamdiu placet, quamdiu vtilis eſt. 288. 2. f
Amicum, quem fecit felicitas, infortunium facit inimicum. 296. 1. a
Amicum ſe verum oſtendit, qui in aduerſis amicum non deſerit. 295. 2. f
Amicum Socrates quærebat, cui ſeruiret, pro quo mori poſſet, a quo munera nulla reciperet. 295. 2. f
Amor Dei nūquā eſt otioſus. 388. 1. c. 288. 1. e. & 393. 2. d
Amor Dei non eſt otioſus. 295. 1. e
Amor cordis Chriſti patet per vulnera corporis. 300. 2. c
Amor verus eſt conformitas voluntatum; vt ſit idem velle, & idem nolle. 288. 2. b
Amor eſt bonum inappretiabile. 288. 1. a.b
Amore quod poſſidetur magno, non ſine magno dolore amittitur. 37. 1. c
Amor comparatur igni. 286. 2. a. b
Amore omnia iunguntur. 337. 2. c
Amoris probatio eſt exhibitio operis. ibid. f
Amoris probatio eſt exhibitio operis. 288. 1. f
Amoris fallacia. 259. 2. c
Amygdalus quomodo ſterileſcat. 291. 1. b. Quomodo vertatur in fructum. ibid.
Anaxagoræ exemplum de contemptu diuitiarum. 273. 2. f
Annales Hebraici quid contineant de iudicio vniuerſali. 235. 1. d
Angeli perducunt & introducunt electos ad præmia æterna. 305. 2. b
Angeli multiplicia nobis beneficia impendunt. 303. 2. c.d. e.f. & ſequ.
Angeli in Chriſti reſurrectione cur veſtem fulgenti apparuerint. 105. 2. f
Angeli nihil eſt quod non videant, videntes videntem omnia. 305. 1. b
Angeli. Tot homines ad Angelorum ordines aſſumentur, quot Angeli corruerunt. 22. 1. b
Angeli quadrupliciter reſurrectionem Chriſti denunciarunt. 105. 2. f
Angeli cur gaudeant de ſalute peccatoris. 165. 1. a
Angelus bonus bona allegat pro hominibus ſibi commiſſis: malus vero accuſat. 305. 2. b
Angelus eſt nomen officij, non naturæ. 303. 2. a. b
Angelorum eſt illuminare, purgare, & perficere. 394. 1. d
Anguilla mundo comparatur. 276. 2. b
Anima peccatoris coruo nigrior. 95. 2. b
Anima vt Dei dulcedinem deguſtet, quid requirat. 4. 2. a
Anima tripliciter cadit, ac tripliciter reſurgit. 215. 1. f. & ſequ.
Anima credentis eſt bonum Chriſti templum. 124. 2. c
Anima quando proſtituatur. 140. 2. d
Anima in filiam Dei adoptatur propter tria. 230. 1. d
Anima hominis in ſanguine eſt. 291. 2. c
Anima omnium natura conſtantium terminus eſt. 389. 1. e
Animæ dos triplex. 145. 2. b
Animæ perfectorum ſtatim euolant ad cælum. 314. 2. c
Animabus purgandis proſunt ſuffragia. ibid. d
Animalia amant ſuos benefactores: & de hac re exempla. 360. 1. b
Animalia parui cordis ſunt animi fortioris. 326. 1. a
Animalia omnia coram leone ſtant dimiſſò capite. 330. 2. c
Animalium omnium inter ſe adiuuantium exemplum, hominibus exceptis. 338. 1. a
Animalium volatilium munditia. 390. 1. d
Animam tria perturbant. 169. 1. a
Animarum dignitas magna. 394. 1. c
Animarum dignitas cur magna. 307. 1. f
Animarum infirmitates ſeptem, per ſeptem vitia capitalia repræſentatæ. 219. 2. e
Anima & ſcientia & virtutibus perficitur. 292. 2. a
Antichriſti ſigna quomodo veracia, & quomodo mendacia: & quomodo non vera miracula. 1. 2. c.d
Antichriſti ſigna. 231. d.e. & ſequ.
Antonij de Padua miraculum de corde cuiuſdam mortui inuento in marſupio. 279. 1. e
Apparitio Chriſti quadruplex. 31. 1. f
Apes fatigatæ in volando, viſo rege, confortantur valde. 349. 2. b. 383. 1. e. delectantur ſono. ibid. f
Apoſtoli numero pauci, potentia infirmi, omni ſcientia deſtituti, & pauperrimi omnem potentiā deuicerunt. 265. 1. f
Apoſtoli triplici ornamento ornati. 145. 1. d
Apum exemplum de duce obſeruando. 241. 2. b
Apum natura circa domunculas. 390. 1. c
Apum natura circa regem ſuum. 324. 2. c
Aqua in vinum verſa vltra hiſtoriam quid myſtice ſignificet. 43. 1. d
Aqua ſuperfuſa calce, ſtatim inardeſcit, & ignem feruere facit. 355. 1. f
Aqua calida cur in loco frigido fuſa citius coaguletur, quàm frigida. 355. 1. f
Aqua in vinum conuerſa ſuper facultatem naturæ, nulla diſpoſitione præcedente. 43. 2. c
Aquila quomodo ſit liberalis. 135. 1. a
Aquila Chriſtum ſignificat. 134. 2. f
Aquila timet hirundinem. 264. 2. f
Aquilæ alæ conſiderantur. 234. 2. d
Aquilæ exemplum de ſuis pullis. 278. 2. c
Aquilæ renouatio quid. 234. 2. e
Ara Dei quid ſit. 67. 1. e
Araneæ ſtudium, aut ars. 245. 2. b
Arbor mala. 177. 1. c
Arbor bona. 177. 2. d
Arca ſignificat Chriſtum. 114. 1. e
Arca corpus Chriſti, Manna diuinitatem, Vrna aurea in Arca, Chriſti animam repræſentant. 14. 2. c
Archimedis ſtudium, & mors. 256. 2. f
Arguitur peccatum tribus modis. 121. 2. f
Argumentum eſt ratio rei dubiæ fidem faciens. 352. 1. b
Ariſtippus aurum in mare proiecit. 267. 2. b.c
Arſenij vita. 367. 2. c
Artis caput eſt docere, quæ facis. 266. 2. e
Aſcendere debet homo ad quinque. 207. 1. a
Aſcenſio Chriſti qualis. 135. 2. a. & 136. 1. a. & 137. 1. a
Aſcenſiones in corde diſponentes quænam ſint. 207. 1. e
Aſina Balaam quomodo locuta fuerit. 304. 1. a
Aſſuerus quomodo Chriſtum ſignificet. 161. 1. e
Aſſumptio humanæ naturæ Chriſti quadruplex. 73. 2. d
Aſſumptio trium teſtium a Chriſto facta conſideratur. 76. 1. a.b. & ſequ.







Aſſyriorum regis exemplum de blaſphemia. 332. 1. a
Auarus dicitur quòd ſit auri auidus. 49. 1. e
Auguſtini menſa. 78. 1. e
Auium munditia. 390. 1. d
Aurea menſa in piſcatione. 252. 1. d
Auri aliquot conſiderationes. 292. 1. a
Aurum ſophiſticum igni appoſitum, apparet nullum. 293. 1. c
Aurum quid. 297. 2. f


B


BABYLON confuſio interpretatur. 8. 2. f
Balſami lignum gladio tactum, ſtatim perit. 293. 1. a
Baptiſmus eſt prima tabula poſt naufragium. 303. 1. c
Baptiſmus per mare vitreum ſignificatur. 143. 2. b
Beatitudo in qua re ſita ſit iuxta varias hominum opiniones. 348. 1. f. & ſequ.
Beatitudo triplex. 333. 2. b. & ſequ.
Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. 333. 2. c
Beatitudo animæ eſt in viſione Dei. 329. 2. b.c. ſed Beatitudo corporalis ſubſtantiæ eſt in viſione corporis Chriſti. ibid.
Beatitudo quid. 394. 1. e
Beatitudo duplex. 259. 2. c
Beatitudo eſt Deo adhærere. 313. 2. a
Bernardini beati caſtitas. 244. 2. c. d
Beſtialius homine nihil eſt rationem non vtente. 164. 1. b
Bibulus iniuriarum condonator. 252. 2. e
Blaſphemiæ exemplum in rege Aſſyriorum. 332. 1. a
Bonum ab omnibus deſideratur. 333. 1. e
Bonum bono additum fit magis bonum. 339. 2. f
Bonus non eſt qui malos ſuſtinere non poteſt. 340. 2. c
Bos eſt rex iumentorum. 402. 1. c
Boues facilius iugum ferunt, dum bubulcos cantare audiunt. 383. 1. d
Bruti vxoris amor admirandus in virum ſuum. 242. 2. e


C


CADENTIS exemplum. 332. 1. e
Cadit nullus niſi in alto conſiſtens. ibid. 2. a
Caleph filia, animam ſignificat. 342. 1. b
Campſor quiſnam ſit. 356. 2. a
Candelæ exemplum. 392. 1. a
Canibus quomodo homines ſint ſimiles. 338. 1. a
Cantabit vacuus coram latrone viator. 333. 2. e
Caput artis eſt docere, quæ facis. 266. 2. e
Caput mortuum a Machario inuentum loquitur. 260. 1. f
Caput mortui Macario loquitur. 346. 2. b
Cardiaca paſſio eſt innati roboris labefactatio. 292. 1. e
Carith, diuiſio interpretatur. 27. 1. b
Carnes putridæ cauterio & ferro curantur. 358. 1. d
Carnis mollities boni ingenij ſignum. 266. 1. e
Caro Chriſti quattuor modis conſideratur. 26. 1. b
Caro noſtra lutum: Patris ſapientia ſputum. 66. 1. c
Caſtellum eſt mundus. 195. 2. e
Caſtitatis prælia cur duriora ſint inter omnia Chriſtianorum certamina. 317. 1. d
Caſtitas vera quænam ſit. 244. 2. c
Caſtitas in delicijs periclitatur. 398. 2. f
Caſtitas magna non eſt ſine bono opere: nec bonum opus ſine caſtitate. 360. 2. f
Caſtitatis amator elephas. 329. 1. e
Caſtitas, res angelica eſt. 46. 2. e
Caſtitas beati Bernardini. 244. 2. c. d
Carthagine deſtructa, Romani ad bella ciuilia conuerſi fuerunt. 253. 1. c
Carthaginem non delendam, cur nonnulli noluerint Romanorum. 253. 1. b
Carthaginis deſtructio fuit occaſio Romanæ deſtructionis. 253. 1. c
Catelli quinam ſint. 78. 1. d
Cathena, quæ nos omnes alligatos tenet, eſt amor vitæ. 315. 2. a
Catuli lactantes, ſunt quinque ſenſus. 124. 2. f
Cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati. 351. 1. c
Cauſa primaria magis influit, quàm ſecunda. ibid. d
Cæci cur ſint mirabilis intellectus. 254. 2. d
Cæcitas culpæ in anima quattuor ex cauſis. 65. 1. b.c. & ſeq.
Cæcitas animæ quattuor rebus aufertur. 65. 2. c.d
Cælorum numerus varius. 387. 1. d.e
Cæna duplex. 159. 2. e.f. Ad cænam vocati quinam fuerint. 161. 1. d
Cænæ affluentia conſideratur. 158. per tot.
Cellaria duo ſunt. 149. 1. c
Cerua docet filios ſuos ſaltare. 343. 1. f
Chamelæon ad omnes colores, quos videt, variatur. 327. 1. f
Charitas inter opprobria, ſecura eſt: inter odia, benefica: inter rixas, placida: inter inſidias, innocens iniquitatem gemens, in veritate reſpirans. 30. 1. a
Charitas quomodo ſit ſimilis virtuti conuerſiuæ. 371. 2. e
Cherubin interpretatur plenitudo ſcientiæ. 306. 1. d. Et ceteris Angelis eſt lumine ſapientiæ clarior. 306. 1. d
Chriſti natiuitas pulcherrime figuratur. 22. 1. d
Chriſti quadruplex apparitio. 31. 1. f
Chriſti caput Diuinitas eſt. 86. 1. b
Chriſtus granum eſt. 86. 2. c
Chriſti natiuitas magnum gaudium. 35. 1. f
Chriſti ſignorum initium, per aquam in vinum conuerſam, dictum non quantum ad exiſtentiam, ſed quantum ad apparentiam. 43. 2. e
Chriſtus triplex ſignum fecit in eadē die, qua celebratur Epiphania, ſed diuerſis temporibus. 43. 2. e.f. Hoc triplex ſignum tria in Chriſto manifeſtauit. 44. 1. e. f
Chriſti humilitatis ſigna. 29. 2. e
Chriſti humanæ naturæ aſſumptio quadruplex. 73. 2. d
Chriſti aduentus cum potentia, ſapientia, miſericordia, & iuſtitia. 10. 1. f
Chriſti venientis humilitas. 18. 1. a. Eiuſdem dignitas. ibid.
Chriſti paſſionis circūſtantiæ aggrauantes duodecim. 99. 1. a
Chriſti erga ſuos dilectio. 92. 2. c.f
Chriſti actio quælibet, noſtra inſtructio eſt. 47. 1. a
Chriſti corpus per panem repræſentatur. 48. 2. f
Chriſti aſcenſio qualis. 135. 2. a. & 136. 1. a
Chriſti actio omnis eſt noſtra inſtructio. 32. 1. a
Chriſti aduentus quadruplex geminatur. 17. 1. f
Chriſti corpore tria conſequimur. 25. 2. d
Chriſti caro quattuor modis conſideratur. 26. 1. b
Chriſti ſanguinis ſeptem effuſiones. 85. 2. c
Chriſti operatio quattuor in nobis facit. 229. 1. b
Chriſti in cruce pendentis ſigna. 299. 2. f
Chriſti aduentus ad hominem quadruplex. 15. 1. f. & ſequ.
Chriſti triplex proprietas. 16. 1. d
Chriſtiani mali in inferno ſunt inferiores Paganis, & Iudæis: Iudæi vero Paganis. 260. 1. f
Chriſtianorum damnatorum, Iudæorum, & Paganorum in inferno gradus. 346. 2. b
Chriſtus quomodo flos campi. 104. 1. e
Chriſtus in cruce tamquam botrus in torculari. 28. 1. b
Chriſtus tripliciter ſignum. 28. 2. c. Quadrupliciter ſignum. 29. 2. a

Chriſtus vitis. 43.1.f
Chriſtus quattuor modis inuenitur. 24.2.c
Chriſtus quadrupliciter inuolutus. 25.2.a
Chriſtus gerit typum cuiuſlibet fidelis. 72.2.c
Chriſtus tentatus fuit. ibid.
Chriſtus quomodo ſit pauper,& diues diabolus. 84.1.a
Chriſtus ſuper tria animalia myſtica libenter ſedet. 91.2.c. & ſequ.
Chriſtus moritur, vt, Chriſto moriente, fiat Eccleſia: dormit Adam,vt fiat Eua. 114.2.a
Chriſtus eques quomodo. 143.1.f
Chriſtus quomodo per corpus, & iuſti per aquilas ſignificentur. 234.2.b.c
Chriſtus niſi in vultu & oculis aliquod diuinum demonſtraſſet, numquam ſtatim Diſcipulos, ſequentes ſe,habuiſſet. 221.2.b
Chriſtus eſt origo cuiuſlibet ſcientiæ humanæ. 226.1.b
Chriſtus quomodo via, veritas,& vita. 226.2.d.e
Chriſtus princeps pacificus. 122.2.f
Chriſtus neminem curauit corporaliter,quem primo ſpiritualiter non curarit. 82.2.a
Chriſtus gloria Patris in reſurrectione. 103.2.c
Chriſtus per puerum quomodo ſignificetur. 83.2.c
Chriſtus cur circumciſionem ſuſceperit. 32.2.c
Chriſtus cur ter illuſus. 64.2.d
Chriſtus quattuor nobis propoſuit accipienda. 113.2.b
Chriſtus fuit ager plenus floribus virtutum. 54.2.f
Chriſtus vbi natus, vbi paſſus, vbi reſurgens, vbi aſcendens conſideratur. 35.1.b
Chriſtus quomodo eſuriens,egenus,vagus,& nudus. 46.1.a
Chriſtus. Tria in Chriſto, quæ ad ipſius amorem alliciunt. 37.1.e
Chriſtus quando, vnde, quò,& cur venerit. 14.1.c
Chriſtus quomodo quotidie pungatur. 11.2.f
Chriſtus an nocte ad iudicium ſit venturus. ibid.c
Chriſtus tribus modis fuit inter homines. 13.1.f
Chriſtus ſignificatur per arcam. 114.1.e
Chriſtus eſt medium congruum tribus modis. 13.1. per totam columnam.
Chriſtus per aquilam ſignificatur. 134.2.f
Chriſtus granum quomodo dicatur. 21.1.c.d
Chriſtus puer, quàm bene dicatur. 30.2.d
Chriſtus Pelicano aſſimilatur. 135.1.a
Chriſtus ouis dicitur. 64.1.a
Chriſtus eſt panis. 41.1.e
Chriſtus quomodo quærẽdus. 40.2.a. Propter quattuor quærendus. 41.c. & ſequ.
Chriſtus quomodo dici queat abſciſſus. 22.1.f
Chriſtus eſt nobiſcum tripliciter. 21.1.b
Chriſtus per turrim ſignificatur. 163.1.b
Chryſolithi natura, & vis. 352.2.d
Ciconia cognoſcit,quando vxor ſua ſit adulterata. 291.1.e
Ciconia vermibus & ſerpentibus infeſta. 392.2.e
Ciconiæ exemplum de adulterio. 329.1.e
Cigni per pennas albas, & carnem nigram,hypocritis comparantur. 268.2.f
Cimbr.& Celtib. fortitudo. 244.2.f
Cinerem vel puluerem ſe eſſe numquam Abraam confeſſus eſt,niſi cum Domini colloquium habere meruit. 67.1.f
Cinis materialis quot efficiat: itemq. ſpiritualis. 67.1.b. & ſequ.
Cinis memoriam mortis Chriſti ſignificat. 67.2.b
Circumciſio ſpiritualis conſideratur quattuor modis. 32.1.a
Circumciſionem cur Chriſtus ſuſceperit. 32.2.c
Circumſtantiæ peccatorum in confeſſione recitandæ numerantur. 133.1.f
Ciuitas duplex. 401.1.e
Ciuitates quattuor,quid. 22.2.f
Ciuitatis perfectioni quattuor conueniunt. 251.2.f
Clamoris humani cauſæ ſunt quattuor. 74.2.f
Columbæ ſecuritas ſolum in foramine petræ. 376.1.b
Columbæ natura. 320.1.d.e.f. & ſequ.
Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. 35.1.e
Concordiam habere non poteſt cum Chriſto, qui diſcors vult eſſe Chriſtiano. 34.1.f
Confeſſio quot præſtet bona. 133.1.e
Confeſſio qualis eſſe debeat. 129.2.b
Confeſſio qualis eſſe debeat. 39.1.b.c
Confeſſionis tria bona. ibid.c.d
Confeſſionis conditiones duobus verſibus cõprehenſæ. 133.b.e
Confeſſionis vtilitas. 131.1.e
Confiteri quis debet circumſtantias peccatorum. 133.1.f. Circumſtantiæ ibid. numerantur.
Congregatio quadruplex. 52.2.a
Conſecratio Eccleſiarum, & Altaris. 403.1.a. & ibid.f. & 2.f
Conſolatio diuina eſt delicata,quæ non datur admittenti alienam. 342.1.f
Conſolatio diuina eſt delicata. 399.2.c
Conſolatio triplex. 2.2.d
Contemplationis partes. 40.1.c
Continentia triplex. 39.2.b
Continentiæ exempla inter mulieres. 281.2.a
Contritionis tria bona. 39.1.a
Contritio valet contra omnia vitia. 81.1.d
Contrarium omne ad præſentiam ſui contrarij concitatur, & fortius operatur. 355.1.c. Idq. probatur per exempla naturalia. ibid.
Contumelia illata probat, qualis quiſque apud ſe lateat. 327.1.a
Conuerſio in toto corde quid ſit. 210.2.d
Conuerſio. Quattuor ſunt, quæ nos ad conuerſionem mouere debent. 301.2.d
Conuerſionis peccatoris quattuor impedimenta. 67.2.c
Conuerſiones quattuor mirabiles. 43.1.a
Cor amantis, caminus eſt Dei inflammantis. 107.1.c
Cor omnium membrorum primum, & fontale totius vitæ. 253.2.b
Cor eſt ſpeculum Dei, Arca Dei, Ager Dei, & Caminus Dei. ibidem.
Cor cuiuſdam mortui in marſupio inuentum. 279.1.e
Cor primum viuens ſecundum philoſophos. 361.2.d. Vide marginem.
Cor humanum, vaſi comparatur. 264.2.a
Cor eſt omnium membrorum primum. 294.2.a
Corniculæ exemplum pennis aliarum auium indutæ, deq. ijs ſe gloriantis. 269.1.c
Corona triplex. 297.2.f
Corona ſine certamine non datur. 246.2.b. De hoc duo verſus. ibid.
Corporis dos quadruplex. 145.2.b
Corpus ſphæricum ſi moueatur ſuper planum,non tangit planum niſi in puncto. 394.1.a
Corpus Chriſti quot modis,& quoties ſuſcipiendũ. 321.2.b
Corpus Chriſti myſticum eſt Eccleſia. ibid. c
Corpus omne quanto eſt ſolidius,minus eſt poroſum. 379.2.f. & magis ponderoſum. 380.1.a
Corpus,quod abſtinentia frangit,tentatio non exurit. 73.1.b
Correctio Dei eſt pœnitentia. 68.2.c
Coruinam tolle vocem,& habe gemitũ columbinũ. 320.2.a
Coruus vulpi amicus. 339.2.c

Cras



Cras, cras, vox corui eſt. 68.2.f
Crates philoſophus diuitias contempſit. 255.2.c
Crates aurum proiecit. 267.2.c
Credendum eſt Deo multis rationibus. 86.1.c. & ſequ.
Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit. 369.1.f
Crocodilus diabolum ſignificat. 355.1.c
Crucem inuenire quid ſit. 277.1.c
Crucis ſignaculum a Iudæo præſtitum, dæmones effugauit. 301.1.b
Crucis encomia & miracula. 275.2.c.d.e.f.
Crucis ſignum a Iudæo factum dæmones fugauit. 399.1.c
Crucis brachia. 348.2.b
Crucis virtutes brachijs reſpondentes. ibid. e
Crucis in ligno quattuor conſideranda. 238.2.f
Crudelitas eſt contra humanam naturam. 349.2.c
Crux humilium inuicta tuitio, ſuperborum abiectio, victoria Chriſti, perditio diaboli. 10.2.b
Crux Dominica ex tactu Dominicæ carnis fuit ſanctificata. 299.1.e. Et in multis extitit exaltata. ibid.
Crux Chriſti multipliciter eſt ſignum. 299.2.c.d.e.f.
Crux duplex. 240.1.e
Crux ſpiritualis quattuor habet. 238.2.f
Crux ſignificatur per altare. 113.2.f
Culpa quid. 301.2.c
Cyrus a regina Maſſagetarum interfectus. 365.1.e
Cygnorum natura circa cantum hominis. 325.2.e
Cygnus alba in pennis, ſed nigra carne, cuinam aſſimiletur. 328.2.e

D

DATA quinque a Deo ipſi homini. 131.1.b
Dæmones quænam facere queant,quæ videntur miraculo, ſed non ſunt. 1.2.d
Dæmonum infeſtatio. 231.1.b
Debitum duplex. 223.2.b
Dedicatio Eccleſiæ. 398. per tot.
Defectus hominis triplex. 194.2.f
Defuncti cur intra ſepta Eccleſia ſepeliantur. 322.1.f
Defunctorum animæ releuari poſſunt pietate ſuorum viuentium. 316.1.c
Dei ira propter tria. 217.2.f
Dei dilectio qualis. 147.1.f. & ſequ. quomodo oſtendatur. 148.2.b
Dei remedia ad ſanandum multa. 46.1.e
Dei dilectio erga nos quibus comprobetur ſignis. 210.1.b. & 111.1.c.d.
Delicata eſt diuina conſolatio, quæ non datur admittenti alienam. 342.1.f
Delicata eſt diuina conſolatio. 399.2.c
Delectatio quid ſit. 159.1.a
Democritus diuitias contempſit, vt philoſophiæ operam daret. 255.2.c
Dentes draconum quid. 5.2.d.e
Deo actionibus approximare poſſumus. 363.2.f
Detractores. Auguſtini verſus contra detractores in Menſa. 78.1.c
Deſcenſus quadruplex. 186.2.d
Deſiderabile aliquid tribus dicitur de cauſis. 4.1.c
Deſertum, eſt mundus. 73.2.f
Deum nemo clare videre poteſt in propria conſcientia niſi primo ſit eleuatus in Deum per mentalem deuotionem. 78.1.b
Deum quærendi ſtatus diuerſi. 38.2.e.f
Deus patientiæ cur dicatur. 8.1.b.c
Deus videt omnes ſimplici notitia generali: bonos in gratia ſpirituali: malos in ira iudiciali: beatos in gloria æternali. 119.1.d. Videt omnes bonos communiter: bonos amicabiliter, malos terribiliter, beatos ineffabiliter. ibid.
Deus eſt homo naſcendo; leo,reſurgendo; eſt vitulus,patiendo; eſt auis,alta petendo. 105.2.d
Deus amiſſus, mors animæ: anima amiſſa, mors corporis. 203.1.c
Deus quot modis hominem vocet. 159.2. per tot.
Deus quomodo a nobis fugiat, & ad nos veniat. 209.1.b.c
Deus altus fugit ſe exaltantem,& ſe humiliantem ſequitur, & ad eum venit. 209.1.b
Deus ſe occultat, vt ardentius quæratur. 210.1.c. Quæſitus, cum gaudio inuenitur: inuentus cum ſollicitudine tenetur: tentus,non dimittitur, donec in amoris cubiculum manſurus introducatur. ibid.
Deus quomodo trahat hominem. 151.2.d
Deus quomodo ſit oculus,manus,& pes. 11.2.d
Deus animam hominis in filiam ſibi adoptat propter tria. 230.1.d
Deus videri non poteſt, niſi procul a viſu ſit mundus. 254.2.e
Deus de homine ſcit quinque. 127.2.c. Ac totidem homo de Deo. ibid.
Deus odio habet ſex. 148.1.b
Deus quattuor modis videndus eſt. 327.2.d.e
Deus nihil iubet,quod ſibi proſit,ſed ei,cui iubet. 341.2.d
Deus eſt vnus natura: ſed participatione poſſunt eſſe plurimi. 338.2.b
Deus eſt cauſa omnium naturarum,vt ait Plato. 341.1.b
Deus ſanat hominem multis modis. 46.1.d
Diaboli os quid. 152.1.a
Diaboli eiectio quadruplex. 78.2.c. Eiuſdem eiectio. 79.1. & 2. per tot.
Diabolus per Pilatum ſignificatur. 163.1.b
Diabolus quomodo ſit diues, & pauper Chriſtus. 84.1.a
Diabolus tenet peccatorem clauſum. 134.2.a
Diabolus quomodo tradat hominem,illudat,flagellet,& conſpuat. 64.2.a. & ſeq.
Diabolus quomodo trahat. 152.1.a
Dianæ templum cur a quodam homine fuerit combuſtum. 266.2.c
Dies triplex, ideſt, gratiæ, iræ, & gloriæ. 6.1.e
Dies tres, triplex bonum ſignificant. 19.1.d
Digiti tres quomodo diuinam Trinitatẽ repræſentẽt. 153.1.e
Digitorum manus numerus, eorumq. nomina conſiderantur. 60.1.a
Digitus Dei, Spiritus ſanctus dicitur. 86.1.f
Dilectio Dei in nos quibus comprobetur ſignis. 210.1.b. & 111.1.c.d
Dilectio fraterna eſt infernalis ſupplicij declinatiua. 338.2.d
Dilectio Dei qualis. 147.1.f. & ſequ. quomodo oſtendatur. 148.2.b
Dilectionis probatio, eſt exhibitio operis. 211.1.c
Dilectionis probatio, eſt exhibitio operis. 288.1.f
Dilectionis probatio, eſt exhibitio operis. 337.2.f
Dilectionis præceptum maximum. 212.1.a. De dilectione per totam pag.
Diogenes dolium pro domo habuit. 239.1.f
Diogenis mores admirandi. 267.2.b
Dionyſii tyranni exemplum. 279.2.f
Diſcendi ardor in Hieron. Platone, & Pythagora. 376.2.a
Diuina bonitas oſtenditur per tria ſigna. 83.1.a. & ſeq.
Diuitem eſſe in mundo, & in cælo, impoſſibile eſt. 350.2.a
Diuiti nulla pax eſt: pauper vero nullam timet calumniam. 374.2.c.d
Diuitiæ poſſeſſionibus ſuis ſæpe nocuerunt. 369.2.f

Diui-

*Diuitias non contemnens, Deo dignus non eſt.* 370. 2. b
*Diuinitas a malis non videbitur ſub illa forma, qua Deus eſt.* 11. 2. e
*Diuitiarum contemptus exemplum.* 273. 2. f
*Diuitiarum tria genera.* 369. 1. a
*Diuitum metamorphoſis poſt hanc vitam quanta ſit.* 289. 1. e. f
*Doctrina Spiritus ſancti.* 124. 2. b. & ſequ.
*Dolor vel timor ex ſola proſperitate.* 359. 1. e
*Domicelli ſublimati, quinam ſint.* 347. 1. d
*Domus orationis dicitur Eccleſia octo de cauſis.* 404. 2. c. & ſequ.
*Domus triplex.* 398. 1. a. per tot. & ſequ.
*Domus ſuper ſaxum eſt collocanda.* 358. 1. a
*Dona magna abſque labore non dantur.* 268. 1. b
*Dona cum augentur, rationes etiam creſcunt donorum.* 180. 1. b
*Dos animæ triplex.* 145. 2. b
*Dos corporis quadruplex.* ibid.
*Drachmæ nouem quid ſignificent.* 162. 1. f
*Draconum dentes quid.* 5. 2. d. e
*Ductus eſt Ieſus in deſertum a Spiritu ſancto.* 71. 1. b
*Dyſenteria quid ſit.* 369. 1. e. ad marg.


E


*ECCLESIA ſancta per cælum repræſentatur triplici ratione.* 323. 1. a
*Eccleſia per nauiculam intellecta.* 48. 2. b. & 49. 1. c
*Eccleſia octo de cauſis dicitur domus orationis.* 404. 2. c. & ſequ.
*Eccleſiæ. In Eccleſia ſeptem ſtatus.* 108. 2. b
*Eccleſiæ dedicatio.* 398. per tot.
*Eccleſiarum conſecratio, eiuſq. myſteria.* 403. 1. f
*Echinus piſcis quid, eiuſq. natura.* 379. 1. c. & 385. 2. f
*Eclipſis quid, & quomodo fiat.* 327. 2. a
*Aegyptus tenebra interpretatur.* 218. 1. f
*Electio duplex.* 256. 1. a
*Electio duplex.* 264. 1. d
*Electio quadruplex.* 219. 1. d. & ſequ.
*Electio diuina ſeptem excludit.* 262. 2. a
*Elementa ſunt ſphæricæ figuræ.* 391. 2. a
*Elephas amator caſtitatis.* 329. 1. e
*Elephas docet filios ſuos in noua luna ad fluuium ire.* 343. 1. f
*Elephas timet murem.* 264. 2. f
*Elephantem cadentem omnes elephantes adiuuant ad reſurgendum.* 337. 2. f
*Eliguntur homines ad plura.* 262. 2. c. f
*Ementis & vendentis conſortium ſine peccato eſſe difficile eſt.* 46. 2. b
*Enoch, & Helias quomodo in vita ſeruentur.* 275. 1. d
*Epilepticus quinam ſit.* 273. 1. f
*Epiphaniæ die quomodo triplex ſignum a Chriſto fuerit factum.* 43. 2. c. f. *Hoc triplex ſignum tria in Chriſto manifeſtauit.* 44. 1. c. f
*Eques ſignificat Chriſtum, cuius equus eſt caro.* 107. 2. f
*Eques Chriſtus: cuius equus Eccleſia.* 143. 1. f
*Erectio diaboli quadruplex.* 78. 2. c. *Eiuſdem erectio.* 79. 1. & 2. per tot.
*Error paruus in principio, fit magnus in fine.* 339. 2. e
*Euchariſtiæ ſacramenti tres partes, quid ſignificent.* 84. 1. a. b
*Euchariſtiæ ſacramenti myſteria in cœna a Chriſto inſtituta.* 94. 2. c
*Euchariſtiæ communio quotidie num ſit accipienda.* 96. 1. f
*Exaltatio duplex.* 188. 1. c
*Excommunicati e ſepulchris Eccleſiæ exeuntes ad iuſſum Diaconi.* 289. 2. a
*Ezechias interpretatur auxilium Domini.* 25. 2. a


F


*FABIANI maximi Romani exemplum in honore reſpuendo.* 242. 1. c
*Fabius Maximus honores recuſauit.* 255. 2. f
*Fabricij exemplum de abſtinentia.* 282. 1. c. d
*Fabri prunæ exemplum.* 363. 1. a
*Falco, auis regia, pullum aquilæ proiectum in ſuum nidum reponit, & tamquam proprium nutrit.* 361. 1. e
*Falco videns aquilam, mirum in modum timet.* 359. 2. e
*Farina. In farina ſacramentum ſignificatur.* 21. 1. c
*Febris quid ſignificet.* 221. 2. d. e
*Ferrum eſt minus ponderoſum, quàm plumbum, quamuis minus poroſum.* 380. 1. a
*Ficus ſilueſtris iuxta domeſticam plantata, domeſtica eam facit fructificare.* 340. 2. c
*Fides qualis eſſe debeat.* 231. 1. d
*Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* 249. 1. c
*Fides virtutum omnium, & donorum fundamentum, ſicut ſubſtantia accidentium.* 352. 2. b
*Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.* 352. 1. a
*Fides gemmæ alectoriæ aſſimilatur.* ibid. *Aſſimilatur chryſolitho.* ibid. d
*Fides eſt animæ illuminatiua.* 351. 2. b
*Filius Dei caro factus propter quattuor.* 26. d
*Filius Dei quomodo exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens.* 7. 2. b
*Filius Dei venit in carnem propter quattuor.* 6. 2. d. e. & 7. 1. e
*Filium Dei venire in mundum peccatores coegerunt.* 10. 2. d
*Filius Dei venit in carnem tribus modis.* 3. 2. a
*Finis ſemper id, quod eſt ad finem, præcedit, non re, ſed intentione.* 253. 1. f
*Finis imponit neceſſitatem his, quæ ſunt ad finem.* 247. 2. c
*Finiti ad infinitum nulla eſt proportio.* 369. 2. a
*Fletus. Quadruplex cognitio debet hominem prouocare ad fletum.* 182. 2. c. d
*Flumina quattuor quid.* 23. 1. b
*Fluuij comparatio.* 291. 2. a
*Foramina quinque in carne Chriſti quid.* 5. 1. e
*Formicæ prudentia.* 375. 2. c
*Fortis non eſt qui mala ſuſtinet, ſed qui ſuſtinet, & gaudet.* 381. 2. e
*Fortitudo Pompeij, & fides in patriam.* 247. 1. d
*Fortuna proſpera eſt magis timenda, quàm aduerſa.* 370. 1. b
*Franciſcus ſanctus humillimus, eiuſq. exemplum de humilitate.* 366. 2. d
*Frater noſter. quadruplex.* 171. 2. b. & ſequ.
*Freneticus febrem duriſſimam non ſentit.* 273. 1. f
*Fructus boni conditiones.* 176. 1. f


G


*GALLI ſapientia, & intelligentia.* 280. 1. e
*Gallorum exemplũ de animæ immortalitate.* 249. 2. a
*Gallus Petrum ad lacrymas excitauit.* 6. 1. d
*Gaudium quadruplex.* 24. 1. a. b
*Generatio vnius eſt corruptio alterius.* 301. 1. f
*Gladius pertranſiens animam quadruplex.* 30. 1. c. & ſequ.
*Gloria eſt frequens fama cum laude.* 237. 1. a







*Gloria humana eſt penitus vana.* ibid. b
*Gloria triplex.* 344. 1. d. & ſequ.
*Gloria humana quattuor de cauſis fugienda.* 237. 1. d. & ſeq.
*Gloria humana putrido ligno ſimillima.* 237. 2. b
*Gloriæ cupido in antiquis Romanis quanta fuerit.* 237. 1. a
*Glorificationis noſtræ exemplum.* 76. 1. a. & ſequ.
*Graccus morti damnatus, duos amicos veros expertus eſt.* 251. 1. c
*Gradus ſummus, & animus infimus; monſtruoſa res eſt.* 77. 1. a
*Granum quomodo Chriſtus dicatur.* 21. 1. c. d
*Gratia diuina præſto ſemper eſt, & numquam deficit niſi prius expulſa.*
*Gratia in quibus conſiſtat.* 2. 2. e
*Gratiæ diuinæ trahentis exemplum perpulchrum.* 151. 2. b. c
*Gratiæ inuentio triplex.* 131. 2. b. c
*Gratitudo leonis.* 336. 2. e
*Gruum vigilantia.* 397. 1. b
*Gruum exemplum de duce obſeruando.* 241. 2. b
*Guſtus eſt quidam tactus.* 286. 1. c
*Gygis exemplum de felicitate.* 261. 1. f


H


*HAMO diaboli captus eſt homo; hamo Dei captus eſt diabolus.* 23. 2. b. c
*Helias, & Enoch quomodo in vita ſeruentur.* 275. 1. d
*Hermonis exemplum.* 257. 2. d
*Herodis, & Herodiadis mors.* 282. 2. f
*Hierarchia cæleſtis triplex.* 306. 1. b
*Hierarchia triplex in Angelis.* 372. 2. c
*Hierarchia triplex Eccl.* ibid. d
*Hieruſalem quid.* 293. 2. e
*Hieruſalem ſitus.* 275. 2. b
*Hilarionis exemplum.* 340. 1. f
*Hippocratis conſilium.* 339. 2. a
*Hirundinis, & muſtelæ prudentia circa filios cæcos.* 393. 1. c
*Hirundo ſi cæcos inueniat filios, per herbam ad lucem reuocat.* 343. 1. f
*Holocauſtum quid ſit.* 321. 2. e
*Homine non vtente rationem nihil eſt beſtialius.* 164. 1. b
*Hominis natiuitas cur lugenda.* 283. 2. a. *Et hac in re mos vetus.* ibid.
*Hominis ortus abominabilis, ducit ipſum in contemptum ſui: tranſiens miſerabilis in contemptum mundi: obitus horribilis in contemptum peccati.* 315. 1. a
*Hominis nouiſſima ſunt, mors, iudicium, gehenna.* ibid. f
*Hominis triplex defectus.* 194. 2. f
*Homines ad plura eliguntur.* 262. 2. c. f
*Hominum multitudo quadruplex.* 166. 1. b
*Homo quomodo trahat.* 152. 1. c
*Homo in ſenſibus ſuperatur ab animalibus.* 394. 2. c
*Homo cur flendo naſcatur.* 182. 2. a
*Homo fit prudens quieſcendo.* 351. 2. c
*Homo conſtat ex duabus ſubſtantijs.* 329. 2. b
*Homo ſi non peccaſſet, numquam infirmus fuiſſet, nec vmquam ſenior defeciſſet.* 275. 1. b
*Homo quomodo debeat eſſe ordinatus.* 270. 1. a
*Homo ad quinque aſcendere debet.* 207. 1. a
*Homo de Deo ſcit quinque.* 127. 2. c. *Ac totidem Deus de homine.* ibid.
*Hora ſexta, & ſeptima quid ſignificent.* 222. 1. d
*Hypocritæ cur cygnis comparentur ob pennas albas, & carnem nigram.* 268. 2. f
*Humiditas radicalis quid.* 274. 2. f
*Humilitas nutrimentalis quid.* ibid.
*Humiliationis cauſa, modus, & fructus.* 207. 2. e
*Humilior qui eſt, inter ſapientes eſt ſapientior.* 362. 1. e
*Humilitas aperuit lumen intelligentiæ: ſuperbia vero abſcondit.* 58. 2. e
*Humilitas hominem Deo perfecte ſubijcit.* 350. 2. d
*Humilitas eſt ſui poſſeſſoris conſolatiua.* 363. 1. c
*Humilitas bonus fundus.* 362. 1. e. *Vbi humilitas, ibi ſapientia.* ibid.
*Humilitas. Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi puluerem in ventum portat.* 362. 2. e
*Humilitas exaltat & magnificat.* 313. 1. e
*Humilitatis exemplum inſigne.* 2. d. & ſequ.


I


*IACOBVS ſanctus ex vtero matris.* 271. 1. f
*Ieiunij continuatio.* 69. 2. c. d
*Ieiunium efficax remedium contra tentationes.* 73. 2. a
*Ieiunium vt ſit gratum, quid fieri debeat.* 73. 1. c
*Ieiunio ſanantur peſtes carnis: & oratione peſtes mentis.* 80. 1. b
*Ieſus ductus eſt in deſertum a Spiritu ſancto.* 71. 1. b
*Ieſus tentatus fuit a diabolo de auaritia, de vanagloria, & de gula.* 72. 1. a. & 72. 2. c
*Ieſus quid aliud, quàm Saluator?* 33. 1. f
*Ieſus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.* 81. 2. b
*Ignatij martyris exemplum.* 357. 1. b
*Igni Pater in diuinis, ſplendori Filius, calori Spiritus ſanctus comparantur.*
*Ignis aqua aſperſus cur validior fiat.* 355. 1. f
*Ignis purgatorij bonum.* 293. 1. f
*Ignis è ſole captus in vitro lucido aqua impleto.* 143. 2. b
*Ignis purgatorius grauior eſt, quàm quidquid homo in hac vita pati poſſit.* 316. 1. d
*Ignis purgatorij qualis.* 293. 1. c. & f
*Ignis ſeptuplex in Scriptura ſacra.* 292. 2. a
*Ignis eſt fortiſſimæ actionis.* 294. 1. a
*Ignis quando de petra aſcendat.* 141. 1. e
*Ignis cinere coopertus vt conſeruetur, conſideratur.* 295. 1. f
*Ignis duplex.* 294. 1. d
*Ignis tres ſunt ſpecies.* ibid. c
*Imago Dei triplex.* 228. 1. f
*Impetrare. Tria ad impetrandum aliquid a Deo requiruntur.* 128. 2. a
*Incontinentia maior in hominibus, quàm in brutis.* 323. 2. c
*Incredulitatis Thomæ vtilitas.* 112. 2. f
*Indorum quilibet plures vxores habebat.* 258. 2. a
*Indorum conſuetudo admirabilis.* ibid.
*Infernalis locus. In inferno mali Chriſtiani ſunt inferiores Paganis, & Iudæis: & Iudæi inferiores Paganis.* 260. 1. f
*Inferni manſio qualis.* 293. 2. b
*Inferni pœnæ ſeptem.* 60. 2. f
*Infernus. In inferno eſt vita ſemper moriens: & mors ſemper viuens.* 293. 2. a
*Infirmitates animarum ſeptem per ſeptem vitia capitalia repræſentatæ.* 219. 2. e
*Inimicitiæ hominis tres per peccatum.* 109. 1. a
*Inimico familiari nulla peior peſtis.* 350. 2. f
*Initium ſignorum Chriſti quomodo intelligatur.* 43. 2. e
*Iniuria quomodo vincatur.* 164. 1. a
*Iniuriarum condonatio in M. Bibulo mira.* 252. 2. e
*Inuentiones variæ, vanæ ſcilicet, malæ, & bonæ.* 276. 2. a
*Inuidia omni malitia cumulatur, cuius ignis inextinguibilis eſt.* 46. 2. a
*Ioannes Baptiſta non dubitauit, ſed diſcipulos mittit ad*

Chriſtum, vt ex Chriſti reſponſione certiores de veritate redderentur. 9.1.c.d.e. De quonam aduentu certus non eſſe potuit. ibid. e
Ioannes interpretatur, in quo eſt gratia: & ſignificat quemlibet iuſtum. 14.2.d.e
Ioannes quid. 283.1.e
Ira Dei propter tria. 217.2.f
Ira, quæ eſt ex cauſa, quomodo non ſit illicita commotio. 169.2.a
Ira animum impedit ne poſſit cernere verum. ibid.1.c
Iræ peccatum deſcribitur, tribus modis conſideratum. 168.2.f.& 169.per tot.
Iracundia quomodo ſit ianua omnium vitiorum. 169.1.d.& 176.2.c
Iraſcitur aliquis fratri ſuo tribus modis. 169.1.e
Iſaac interpretatur riſus vel gaudium. 46.2.b
Iuda, confeſſio interpretatur. 44.1.a
Iudæ malignitas. 63.1.a
Iudæorum conſuetudo in itinere aſcendentium ad templum. 38.1.e
Iudæus ſe ſigno crucis ſignans, dæmones fugauit. 399.1.c
Iudæus crucis ſignaculo ſe muniẽs dæmones expulit. 301.1.b
Iudicij vniuerſalis futuri ſigna triplicia. 1.2.b
Iudicij die Chriſtus cum bonis in aere ſuper vallem Ioſaphat, ſed mali in terra erunt. 12.1.a
Iudicium. An Chriſtus ad iudicium ſit nocte venturus. 11.2.c
Iudith, Deum glorificans interpretatur. 40.1.a
Iulia Cæſaris filia, & Pompeij vxor, mariti veſte cruentata viſa, obijt. 260.2.e
Iulianus apoſtatauit, vt dæmones ſibi obedientes redderet. 392.2.a. Eius morientis dictum in Chriſtum Saluatorem. ibid. c
Iulianus Imperator, & magus, ſe Cruce ſignans, dæmones expulit. 275.2.f
Iuramentum Dei. 66.1.c.d
Iuſtitiæ ſtatus duplex. 320.1.a
Iuſtitiæ amore patres interfecerunt filios. 263.1.d

L

LABOR gratus vtilitate plenus. 347.1.b
Labor vtilitate plenus eſt gratior. 268.1.b
Lac eſt carnalis delectatio. 124.2.f
Lagenæ exemplum ex Horatio. 334.2.a
Lamia eſt ſenſualitas. 124.2.f
Languores humani generis ſeptem. 96.2.b
Languores humani generis quattuor a Chriſto deſumpti. 97.1.b.& ſequ.
Lapides in Chriſtum iacere quid ſignificent. 88.2.d
Lapis quid ſignificet. 298.1.a
Latrones quomodo peccata repræſentent. 49.2.f
Latus dextrum & ſiniſtrum quid. 14.2.e
Lauat nos Dominus quadrupliciter. 93.1.f
Lætitia ſtultorum. 30.1.b
Leænæ ferocitas conſideratur. 235.1.a
Lectus quadruplex. 214.2.b
Leo, canis comeſta eijciunt, deinde reſumunt. 374.1.f
Leo dextrum pedem, primùm mouet in ambulando. 352.2.a
Leo timet gallum album. 265.1.a
Leoni omnia animalia ſubiecta ſunt: & coram eo ſtant capite dimiſſo. 330.2.c
Leoni animalia omnia reuerentiam exhibent. 385.1.b
Leonis exemplum de gratitudine. 336.2.e
Leonis fameſcentis ars. 245.2.c
Leonis fabula de animalibus ad conſilium vocatis. 270.2.d
Leonis induſtria in fugiendo. 263.1.e
Leopardi natura. 358.1.e
Lepra quattuor modis mundata. 45.2.a.b
Lepræ comparatio cum peccato. 47.1.d
Lepræ peccatum Adæ comparatur. 9.2.c
Leproſi quid ſignificent. 197.1.b
Libanus quid. 345.1.f
Liber conſcientiæ non ſolum legem naturalem, ſed quidquid contra hanc legẽ homo fecerit, ſcriptũ cõprehendit. 11.1.e
Lingua eſt malum inquietũ, plena mortifero veneno. 140.1.a
Lingua & calamus quid ſignificent. 11.1.f
Loquendi vſus bruto, mortuo, cornu, & tonitruo datus in Scriptura ſacra. 204.1.c.& ſequ.
Loth quid ſignificet. 6.1.e
Lucernæ exemplum. 275.1.a
Lucis præſtantia, natura, & effectus. 282.1.e
Lumbi luxuriam ſignificant. 209.1.d
Lana vario hominum ſtatui comparatur. 277.2.c.d
Luna cum circa terram eſt plena, circa cælum eſt vacua; & e conuerſo. 250.1.f. & quanto magis Soli appropinquat, tanto magis circa terram ſe euacuat, & circa cælum fortitudinem ſuam augmentat. ibid.
Lunæ frigiditas quanta ſit. 349.1.a
Lunatici ſunt iracundi. 213.2.a
Lupi aſtutia ad caulam inuadendam. 358.1.b
Lupi & agni ad fluuium quendam occurrentium, ibiq. bibentium. 332.2.d
Lupus, animal guloſum: & ſi nimium eſurit, terram manducat. 360.2.e
Lupus timet lapidem. 265.1.a
Lux varia in planetis & ſtellis. 281.2.c.d

M

MACARII exemplum, de capite mortuo inuento in deſerto. 260.1.f
Macario caput mortui loquitur. 346.2.b
Mala tria in peccato. 39.1.a
Malignitas quot modis confutanda. 208.1.d
Malorum odium melius eſt quàm conſortium. 49.2.b
Malos cur Deus toleret in mundo. 51.2.f
Malum nemo reſpiciens, illud agit. 333.1.c
Mandragoræ natura, & vis. 371.2.f. & ad marg.
Manna diuinitatem, Arca corpus Chriſti, Vrna aurea in Arca, Chriſti animam repræſentant. 14.2.c
Manna mirabilem naturam, ac triplicem habuit. 96.1.c
Manus vacua numquam a munere coram Deo, ſi arca cordis repleta eſt bona voluntate. 149.1.a
Manus digiti, eorumq. nomina conſiderantur. 60.1.a
Manus triplex, qua non abſcinditur Chriſtus. 22.2.b
Marcelli pietas in Syracuſanæ ciuitatis caſum. 242.2.a
Mare vitreum ſignificat baptiſmum. 143.2.b
Mare mundum repræſentat. 48.2.c
Mare baptiſmum ſignificat. 214.1.b
Maria ſemper virgo in omnibus ſẽper eſt inuocanda. 389.1.b
Maria in peccato originali non fuit concepta. 389.2.f. ibiq. vide Schol.
Maria ſemper virgo in paſſione Domini ſola in fide permanſit. 388.1.f
Maria ſemper virgo inuocata quid faciat. 390.2.f
Maria ante ſancta, quàm nata. 390.1.a
Maria ſemper virgo ab omni peccato fuit immunis. ibid. b
Mariæ virginis gratiæ plenitudo. 389.per tot.
Martyrem non pœna, ſed cauſa facit. 238.2.d
Martyri iniuriam facit qui orat pro martyre. 263.2.b
Martyrium ſine ferro, & flammis poteſt eſſe. 241.1.d
Martyrum opus quale ſit. 263.2.a

Medici

INDEX.

Medici ſanguis fuſus eſt, & phrenetici medicamentum factus eſt. 7.2.d
Medicina eſt magis proficua amara, quàm dulcis. 254.1.c
Medicina Dei eſt Verbum. 46.1.c
Medicina Dei amplior eſt, quàm languores hominum, quamuis magni. 46.1.e
Medicus. Quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum: ſed ipſe ſe perimit, qui præcepta medici ſeruare nõ vult. 7.1.b
Medium vitiorum virtus tenet. 33.1.a
Medium congruum tribus modis dicitur Chriſtus. 13.1.per totam columnam.
Medium ſilentium quid. 14.1.d
Melius eſt meliori ſimilius. 338.2.b
Mens ſubtracta a viſibilibus, viſibilia perfecte contemnit. 31.2.b
Menſa Auguſtini. 78.1.e
Menſa quadruplex. ibid. d
Menſuræ genera ſex conſiderantur. 157.2.a
Merces operarijs reddita eſt viſio diuina. 55.2.a.& 56.2.a
Merces tota eſt viſio. 118.2.f
Mercurius planeta beneuolus, fit maleuolus maleuolo planetæ coniunctus. 340.2.e
Metellus vxorem interfecit ob vinum, quod ipſa ſemel bibit. 271.2.a
Millenarius numerus quid. 227.2.f
Minus eſt abnegare quod homo habet: ſed valde multum eſt abnegare ſeipſum. 324.2.b
Miracula vera quænam ſint. 1.2.d
Miſeria humanæ infirmitatis. 163.2.d
Miſericordia quadruplex. 174.2.c
Miſericordia quot bona afferat. 156.2.f
Miſericordiæ triplex vtilitas. ibid.1.d
Miſericordiæ opera corporalia & ſpiritualia verſibus comprehenſa. 157.1.c
Molimina tarda neſcit Spiritus ſancti gratia. 46.1.a
Mollities carnis boni ingenij ſignum. 266.1.c
Momentaneum eſt quod delectat. 130.2.f
Monaſtica vita per templum repræſentatur. 73.2.f
Mons altitudinem dignitatis repræſentat. ibid.
Mons triplex. 22.1.f
Monſtruoſa res eſt gradus ſummus, & animus infimus. 77.1.a
Montes, Angelorum ordines. 6.2.e
Mors quadruplex. 203.2.b.c
Mors corporis neceſſaria: mors animæ voluntaria. 203.1.c
Morte nil certius, nil hora mortis incertius. 17.2.d
Mortis prolixitas eſt quotidianus defectus. 205.1.b
Mortui ſpiritualiter in animabus debent incipere loqui confitendo, & laudando. 204.1.c
Mortui tres reſuſcitati. 203.2.c
Mortuorum trium ſuſcitatorum exemplum. 205.2.c
Mulieres nimis pingues concipere non poſſunt, niſi macreſcant. 291.2.c
Mulieres continentes apud antiquos. 281.2.a
Multitudo hominum quadruplex. 166.1.b
Multitudo triplex. 50.1.b
Mundatio quadruplex. 45.1.c.d.& ſequ.
Mundi mutatio. 42.1.a
Mundi gaudium quale ſit. 119.2.e.& ſequ.
Munditia eſt fundamentum omnium bonorum. 253.2.b
Munditia triplex eſt. 328.1.e.& ſequ.
Mundus quaſi fœtidus vitandus, quaſi iniquus cauendus, & nociuus relinquendus. 14.2.a
Mundus eſt quædam ciuitas. 143.1.e
Mundus per mare repræſentatur. 48.2.c
Mundus per Caſtellum repræſentatus. 195.2.c
Mundus per deſertum repræſentatus. 73.2.f
Muſtela filios excæcatos, vel mortuos inueniens, quærit herbam quandam ad eos viuos reſtituendos. 339.1.a
Muſtelæ & hirundinis prudentia circa filios cæcos. 393.1.c
Mygale quid ſit. 340.1.c
Myſterium de tribus ſuſcitatis. 205.2.c

N

NAAS interpretatur ſerpens. 20.2.a
Natiuitas Chriſti pulcherrime figuratur. 22.1.d
Natiuitas Chriſti magnum gaudium. 35.1.f
Natura hominis triplex. 251.2.c
Natura eſt vnus Deus: ſed participatione poſſunt eſſe plurimi. 338.2.b
Naturæ tres a Deo creatæ. 244.1.d
Naturale eſt ſummum bonum appetere. 250.1.f
Naturaliter omnes homines ſcire deſiderant. 359.1.a
Naturaliter omnes ſcire deſiderant. 382.1.a
Naufragium pro nauigandi periculo. 353.1.e
Nauicula Eccleſiam repræſentans. 48.2.b.& 49.1.c
Nauis duplex. 166.1.e.f
Nauis quadruplex. 165.2.a
Neceſſitas triplex. 130.1.c
Nemo reſpiciens ad malum, illud agit. 333.1.e
Nequitia ſerui triplex reprehenditur in Euangelio. 222.1.f.& 223.1.per tot.
Neronis pœna apud inferos. 263.2.f
Neronis pœna in inferno. 285.2.c
Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. 46.1.a
Nobilitas humana eſt hominum fama. 344.2.e
Noctua cur magis tenebras, quàm lucem diligat. 328.1.d
Nouit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum. 353.2.e
Nox eſt tempus culpæ. 6.1.e
Nucis arbor quanto fortius pertica verberatur, tanto plures fructus ſequenti anno adducit. 349.1.e
Nudi quidam ſunt, & diſcalceati: quidam neque nudi, neque diſcalceati: quidã nudi, & non diſcalceati. 140.1.c
Nummus animam ſignificat. 227.1.e.& ſequ.
Nuptiæ quadruplices. 41.2.d
Nuptiæ a quo, vbi, & quando inſtitutæ. ibid. e.f.& ſequ.
Nuptiæ quomodo commendabiles. 216.2.d.e

O

OBEDIENTIA non ſeruili metu, ſed charitatis affectu ſeruanda eſt: non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ. 36.1.d
Obedientiæ conditiones. 39.2.d
Obediens verus quiſnam ſit. ibid. f
Oblatio. Conditiones in oblatione requiſitæ. 170.1.e.f. Quattuor item in eadem conſideranda. 171.1.a
Oculi diaboli quinam ſint. 143.1.d
Oculi. Exempla eorum, qui ſibi oculos eruerunt vt melius philoſophari poſſent. 294.2.d
Oculis ægris odioſa eſt lux: & palato non ſano pœna eſt panis. 65.2.e
Oculum cordis claudit præſumptio arrogantiæ. 38.2.a
Oculus impudicus impudici cordis eſt nuncius. 325.2.d
Oculus, manus, & pes, quomodo ſit Deus. 191.2.d
Odio habet Deus ſex. 148.1.b
Oleæ aſſimilantur quidam homines. 380.1.e
Oleum eſt gratia Spiritus ſancti. 114.1.b
Oliuæ arbor non vult verberari, ſicut nux. 349.1.e
Olympus mons, eiuſq. qualitas, & altitudo. 387.1.f
Orandum eſt plus corde & opere, quàm ore. 368.1.f
Orare non deſinit qui bene facere non deſinit. ibid.
Orare quare neſciant homines. 130.1.c

 Oratio

Oratio Dominum linit; lacryma cogit: hæc pungit, illa vngit. 106.2.e
Oratio Deum lenit, ſed lacryma perungit. 247.2.f
Oratio quòd debeat eſſe attenta, exemplum. 248.1.c
Oratione ſanantur peſtes mentis, & ieiunio ſanantur peſtes carnis. 80.1.b
Orationis modus & effectus. 80.1.c
Ordo diuinæ iuſtitiæ exigit, vt peccatum morte ſtipendietur. 204.2.f
Os hominis cur paruum. 314.1.f
Os diaboli quid. 152.1.a
Otioſus non eſt qui verbo Dei ſtudet. 56.1.f. & 71.2.e
Oues Chriſti ſunt fideles. 149.1.f
Ouis proprietas. 116.1.e


P


PACIS princeps Chriſtus. 122.2.f
Pax commendabilis & ſeruanda. 111.1.e
Pax bonorum quadrupliciter. 109.2.b
Paganorum, Iudæorum, & Chriſtianorum damnatorum in inferno gradus. 346.2.b
Palato non ſano pœna eſt panis: & oculis ægris odioſa eſt lux. 65.2.e
Palma quid ſignificet. 92.1.d
Panes quinque hordeacei quid ſignificent. 84.1.f. & 2.a.b
Panes tres quid ſignificent. 154.1.c
Panis eſt Chriſtus. 41.1.e
Panis corporis Chriſti mirabilis potentia. 95.2.e
Panis. Octo mirabilia circa panem exhibita. 95.2.d
Panum quinque hordeaceorum ſignificatio. ibid. a
Panis ſub cinere coctus, eſt Chriſtus ſub ſacramento in memoriam paſſionis oblatus. 67.2.b
Panis eſt corpus Chriſti de longe veniens. 48.2.f
Panis quinque modis ſumi poteſt. 83.2.c. & ſequ.
Pantheræ crudelitas, & gratitudo. 386.1.f
Pantheræ pulchritudo attrahit animalia ad ſe. 394.2.d. & 395.2.f
Paralytici ſunt acidioſi. 213.2.a
Paralyſis quid efficiat. 96.2.d
Paſſer ſi capiatur, alter ei ſuccurrit. 338.1.a
Paſſio Domini ſi ad memoriam reuocetur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur. 300.1.d
Paſſio omnis ab actione eſt. 326.2.d
Paſſiones vel pœnæ huius temporis cur non ſint condignæ. 356.1.d
Paſſionis Chriſti memoria ad omnia diabolica tentamenta ſuperanda valet. 198.1.b.c
Paſſionis Chriſti circumſtantiæ aggrauantes duodecim. 99.1.a
Paſtor peruerſus eſt diabolus. 150.1.a
Paſtoris bonitas. 116.2.c
Pater noſter quot modis ſit Deus. 200.1.c
Patientia pueri nobilis, Alexandro Magno immolante. 241.1.f
Patientia ſola eſt omnium virtutum probatiua. 327.1.a
Patientiæ triplex genus eſt. 326.2.f
Patientiæ exempla. 281.1.a.b
Patientis requiſita. 353.2.d
Paulus vas electionis quattuor modis. 256. per tot. & ſeq.
Paulus & Saulus quid. 255.2.e
Pauonis natura. 366.1.f
Pauperes de Lugduno quinam ſint. 375.1.f
Paupertas eſt nobilis margarita. 261.1.f
Paupertas viri Religioſi. 39.1.f
Paupertatis perfectio triplex. 140.1.e. & ſequ.
Peccata puerilia ante ſeptimum annum parentibus imputantur. 232.2.e
Peccati formale eſt auerſio ab incommutabili bono; materiale, eſt conuerſio ad commutabile. 301.1.f
Peccati tria mala. 39.1.a
Peccatores a quibus perdantur. 150.1.a
Peccatores coegerunt Filium Dei venire in mundum. 10.2.d
Peccatorum circumſtantiæ in confeſſione recitandæ numerantur. 133.1.f
Peccatum quadrupliciter conſideratum deſcribitur. 175.2.c. & 176. per tot.
Peccatum triplici pœna punitum. 205.1.a. & ſequ.
Peccatum arguitur tribus modis. 121.2.f
Peccatum non remittitur niſi reſtituatur ablatum. 17.2.c
Peccatum quid ſit. 301.1.e.f
Pecunia creſcente, creſcit amor pecuniæ. 369.1.f
Pecunias Ariſtippus, & Crates proiecerunt. 267.2.b.c
Pedes quid ſignificent: & quando lauentur. 94.1.a
Pedes animæ affectus. 140.1.d
Pelicanus Chriſtum ſignificat. 135.1.a
Perditio hominis quadruplex. 162.1.f. & ſequ.
Perfectio pœnitentiæ. 37.1.a
Perfecto fieri additio non poteſt. 389.1.c
Perfectus homo tripliciter. 35.2.f. & ſequ.
Peripſema quid ſit. 325.1.d
Peripſema quid ſit. 339.1.f
Petitio quomodo ſit facienda apud Deum. 125.1.e
Petitiones noſtrarum orationum conſiderantur. 130.1.c
Petra quot emiſerit. 141.1.e
Petri lacrymæ quantæ fuerint. 261.2.d
Petri ad prædicationem vnam, tria millia virorum ad fidem ſe conuerterunt. 267.1.b
Petrum ad lacrymas Gallus excitauit. 6.1.d
Pharan ferus interpretatur. 31.2.d
Philoſophia ſumma eſt aſſidua mortis meditatio. 315.1.f
Philoſophus ad fidem conuerſus a Spyridione. 352.1.b
Pictores pro fundamento calce, vel albedine vtuntur inter pingendum. 253.2.c
Pietas Vpupæ auis in parentes ſuos. 240.2.f
Pietas Romanorum laudanda. 242.2.a
Pilatus diabolum ſignificat. 163.1.b
Pinguedo eſt ſanguis coagulatus. 291.2.c
Piſcatio ditiſſima. 252.1.d
Piſces duo quid ſignificent. 84.1.c.d
Piſces quidam, belluæ ſcilicet marinæ, catulos ſuos intra ſua viſcera recipiunt, vt eos defendant ab inſidijs: & hi Chriſto aſſimilantur. 116.1.a
Piſces continentiam coniugalem ſeruant. 323.2.d
Piſcium multitudo quid ſignificet. 166.1.b
Piſcina eſt pœnitentia: & quid ſit piſcina ſuperior, & inferior. 166.1.c
Piſcinæ origo. 275.2.b
Plato. In Platone Auguſtinus totum Ioannis euangelium ſe legiſſe ait. 265.1.c
Platonis ſapientia, eloquentia, & ſcientiarum auiditas. 266.1.d
Platonis & Socratis ætas. 359.1.b
Platonici cuiuſdam dictum de Ioannis Euangelio. 265.1.c
Plautius ſe interfecit, audita vxoris ſuæ morte. 260.2.d
Plenitudo quadruplex. 126.2.b
Pœnæ gehennæ ſeptem. 60.2.f
Pœnæ, vel paſſiones huius temporis, cur non ſint condignæ. 356.1.d
Pœnitens verus triplici exaltatione ſublimatur. 188.1.b
Pœnitentia quot bona afferat. 45.1.e
Pœnitentia quid ſit. 66.1.f. de hac per tot. ſer. & in ſequ.







Quot efficiat. 68.2.f
Pœnitentia quid ſit. 163.1.c
Pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium. 166.1.f
Pœnitentia ob quid appetenda. 162.2.f
Pœnitentia ſerotina multos decipere ſolet. 6.2.a
Pœnitentiam quis digne agat. 39.1.a
Pœnitentiæ conditiones. 164.1.f
Pœnitentiæ perfectio. 37.1.a
Pœnitentiæ partes. 84.2.a. Significantur per quinque panes hordeaceos. 85.1.c
Podagricus cur hominem inuidum ſignificet. 82.2.e
Polemonis incontinentia, & continentia. 267.1.c
Polycarpus Ioannis diſcipulus in ignem proiectus, illæſus manſit. 263.2.c
Pompeij Rom. tolerantia, & fides in patriam. 247.1.d
Pontifex ſummus cur vnus tantum. 370.1.f
Pontius filiam interfecit ob ſtuprum. 255.1.f
Portanda ſunt a nobis quattuor. 81.1.e
Portiæ Catonis filiæ amor in ſuum virum. 242.2.c
Porticus quinque ſunt quinque ſenſus. 166.1.d
Potentiæ diſtinguuntur per actus. 215.1.c
Poteſtas in mundo duplex. 261.1.e
Præcepta quomodo multa ſint, & vnum. 212.1.b
Prædicatio veritatis fruſtra fit, ſi intus gratia Saluatoris non adſit. 343.1.a
Prædicatio eius contemnitur, cuius vita deſpicitur. 60.2.d
Præmiorum magnitudo ſi delectat, non deterreat certamen laborum. 354.2.a
Præſumptio arrogantiæ oculum cordis claudit. 38.2.a
Preces valentiores faciũt magis deſideria, quàm verba apud Deum. 196.2.e
Princeps quadruplici genere. 206.1.f. & ſequ.
Princeps qualis eſſe debeat. 122.2.b
Princeps pacis Chriſtus. ibid. f
Propitiationem Dei meretur homo per quattuor. 186.1.b
Prudentiæ exempla varia. 248.1.d.e.f
Ptiſana quid. 370.1.a. & ad marg.
Puer Chriſtum quomodo ſignificet. 83.2.c
Pueri aſſimilantur cuidam herbæ. 278.1.b
Puerilia peccata ante ſeptimum annum parentibus imputantur. 232.2.e
Puerorum proprietates. 277.2.f
Pulſatio triplex. 133.2.c.d
Purgatorij ignis qualis. 293.1.c. & f
Pyrri Regis prudentia in bellando. 247.1.a
Pythagoras Aegyptum adijt, & in Perſidem iuit, & in Cretam, vt ſcientias diſceret. 265.2.b
Pythagoræ dictum. ibid. c


Q


QVADRAGESIMA ſancta eſt. 73.1.d
Quadragenarius numerus conuenit pœnitentibus. 73.1.d.e
Quadraginta dies quid ſignificent. 85.1.d
Qualis vnuſquiſque apud ſe lateat, illata contumelia probat. 327.1.a
Quærendi Deum ſtatus diuerſi. 38.2.e.f
Quærendus quomodo ſit Chriſtus. 40.2.a. Propter quattuor quærendus. 41.1.c. & ſequ.
Quinque verbis tota Scriptura ſacra comprehenditur. 84.1.f
Quirici prudentia. 248.1.d


R


REGNVM Dei quot modis ad nos peruenerit. 80.1.e
Religioſi viri paupertas. 39.1.f
Relinquere ſeipſum magis laborioſum eſt, quàm quod habet homo. 324.2.b
Remedia Dei ad ſanandum multa. 46.1.e
Repletio Spiritus ſancti quadruplex. 150.2.b
Requies quadruplex. 100.1.d
Requies Dei triplex. 101.1.c
Reſurrectio Chriſti bonum ſignum. 104.1.d. Eiuſdem reſurrectionis conſideratio. ibid. 2.d
Reuiuiſcunt quæ a viuis facta fuerunt. 106.1.d
Rex cuiuſdam ciuitatis ſingulo quoque anno ad inſulã tranſportabatur. 249.2.e
Romanarum mulierum temperantia. 241.1.b
Romanorum pietas laudanda. 242.2.a
Ros gratiam ſignificat. 22.2.a
Rubeta quidnam ſit. 282.2.c
Rubus ardens quid. 31.2.a
Rutilius honores recuſauit. 255.2.f


S


SACRAMENTA de latere Chriſti dormientis fluxerunt. 13.1.f
Sacramentum ſecundum triplicem ſubſtantiam in Chriſto triplicem ſpiritualem ſaporem habet. 96.1.d.e
Sagittæ quid ſignificent. 88.1.c.f
Sagittæ exemplum. 257.2.a
Salamandra in igne viuit. 355.2.d
Salamandræ natura. 273.2.c
Salamandræ ligamina, ideſt corigiæ ex corio Salamandræ ab igne non conſumuntur. 355.2.d
Saluator noſter diuerſis deſcribitur modis. 34.1.a
Salus. Quattuor ſunt ad ſalutem neceſſaria. 199.2.a
Saluti neceſſaria quattuor. 229.2.b
Sanatur quis a Deo multis modis. 46.1.d
Sanguis Chriſti pretioſus commendatur. 85.2.b. & ſequ.
Sanguinis Chriſti ſeptem effuſiones. 85.2.c
Sapiens. Perturbatio non cadit in ſapientẽ virum. 388.2.a
Sapientia quattuor requirit. 265.2.c
Sapientia Dei per ſputum quomodo ſignificetur. 188.2.b
Sapientiæ nullus finis. 265.2.c
Satia te ſanguine, quem ſitiſti. 305.1.e
Saturitas quadruplex. 175.1.a
Saturnus eſt planeta maleuolus. 340.2.a. Ioui approximatus, mutatur. ibid.
Saulus, & Paulus quid. 255.2.e
Scientia quomodo addat dolorem. 346.2.b
Scipionis fidelitas. 251.2.a
Scire Dei de homine: & hominis de Deo. 127.2.c
Scriptura ſacra quinque verbis comprehenditur. 84.1.f
Scriptura ſacra quadruplex. 11.1.a
Segor quid ſignificet. 6.1.e
Seir interpretatur piloſus. 20.1.d
Semen bonum, homines bonos repræſentat. 53.1.b. Ager, mundum: zizania, filios nequam: & c. ibid. De hoc ſemine, & c. 53.2.d. & ſequ.
Semen quadruplex. 61.2.a
Seminat doctor verba Dei: iuſtus vero bona opera. 60.2.f
Seminis firma ſuſceptio. 58.2.f
Seneca tragœdus. 344.2.d
Senſus cur a nobis amentur. 382.1.b. Cur magis ſenſus viſus. ibid. c
Senſus noſtri ſignificantur per oſtia. 114.1.c
Sententiam nouit mutare Dominus, ſi tu noueris emendare delictum. 353.2.c
Septem ſpiritus nequiores, ſunt ſeptem vitia capitalia. 80.2.d
Septem diebus omne tempus voluitur. ibid. e

*Septem dies ſignificant omne tempus.* 83.2.f
*Septem vitia capitalia repræſentant ſeptem infirmitates animarum.* 219.2.e
*Septies quid.* 45.2.d
*Sepulchrum triplex.* 289.1.c
*Sepultura Eccleſiaſtica impio non valet, niſi ad pœnam.* ibid. 2.b
*Seraphin interpretatur ardens.* 306.1.d
*Sermo Dei quot efficiat.* 86.2.d.e.f
*Serpens quomodo ſenectutem exuat.* 379.2.c
*Serpens quomodo Adæ fuerit locutus.* 304.1.a
*Serpens quomodo exuat ſenectutem.* 271.2.b
*Serpentis natura, & prudentia.* 375.2.a
*Serui nequitia triplex in Euangelio reprehenditur.* 222.1.f. & 223.1. per tot.
*Seruientes varij.* 243.1.d. & ſequ.
*Seruulus in audienda cæleſti melodia, animam cælo reddidit.* 286.1.a
*Sibyllæ donum prophetiæ propter virginalem munditiam acceperunt.* 253.2.d
*Signa exteriorum membrorum diſpoſitiones animorum indicant.* 266.1.e.f
*Signa aduentus primi & ſecundi.* 1.1.& 2.
*Signa quadruplicia de iudicio vniuerſali.* 235.1.b
*Signorum Chriſti initium per aquam in vinum mutatam dictum eſt non quantum ad exiſtentiam, ſed quantum ad apparentiam.* 43.2.e
*Signum triplex a Chriſto factum in die, qua Epiphania celebratur, tria in Chriſto manifeſtauit.* 44.1.e.f
*Silentium medium quid.* 14.1.d
*Simeon auditio, & obediens item interpretatur.* 14.1.a
*Sion quid.* 293.2.e
*Sirupus ſirupo ſimplici compoſitus eſt virtuoſior.* 339.2.f
*Situla quid.* 289.2.e. ad marg.
*Socrates ad mortem damnatus a ſtudijs litterarum non ceſſabat.* 268.1.d
*Socratis & Platonis ætas.* 359.1.b
*Socratis fortitudo, & pulchrum dictum.* 259.1.c
*Sol tripliciter montes exurit.* 20.2.f
*Sol cur magis in mari, quàm in terra emittat calorem.* 355.1.f
*Sole ablato a nobis, omnia ſunt tenebra.* 373.2.b
*Solitudo quadruplex.* 173.2.d
*Somnus mortem ſignificat.* 221.2.e
*Speculum Dei, & hominum homo ſanctus.* 58.1.d
*Sphæra nullo termino eſt finita.* 348.1.d
*Spinarum exemplum.* 340.2.c
*Spiritus ſancti repletio quadruplex.* 150.2.b
*Spiritus ſancti bonitas.* 145.2.d. & 146.1.e. & 2.f
*Spiritus ſancti gratia neſcit tarda molimina.* 46.1.a
*Spiritus ſancti tres proprietates.* 144.1.d
*Spiritus ſancti doctrina.* 124.2.b. & ſequ.
*Spiritus ſanctus eſt vnus in ſubſtantia; ſed multiplex in effectu.* 70.2.d
*Spiritus ſeptem nequiores, ſunt ſeptem vitia capitalia.* 80.2.d
*Sputum quomodo ſapientiam Dei ſignificet.* 288.2.b
*Spyridionis exemplum, de philoſopho ad fidem conuerſo.* 352.1.b
*Stella terram in quantitate valde excedit.* 325.1.b
*Stella quid ſit.* 324.1.b
*Stella quid.* 297.2.f
*Stellarum lumen varium, cur ſit.* 425.2.f
*Stellæ mouentur motu ſui orbis.* 373.2.f
*Stultorum lætitia.* 30.1.b
*Subſtantia omnis viuens, melior eſt omni ſubſtantia non viuente.* 357.1.d
*Suffragia proſunt animabus purgandis.* 314.2.d
*Sulpicius vxorem dimiſit cum eam capite nudo foris vidiſſet.* 266.1.f
*Summerſio miſerabilis.* 151.2.a
*Surditati peccatum Adæ comparatur.* 9.2.d
*Surgendum eſt a quattuor vitiorum generibus.* 290.1.f
*Suſcitatorum trium myſterium.* 205.2.c

*T*

T*ARDA molimina neſcit Spiritus ſancti gratia.* 46.1.a
*Taxus, & eius natura.* 339.2.c
*Temperantia vxorum Romanarum.* 241.1.b
*Templum Chriſti bonum, eſt anima credentis.* 124.2.c
*Templum Dei eſt corpus mundum.* 47.2.f
*Templum monaſticam vitam ſignificat.* 73.2.f
*Tempora quattuor ſunt in memoria habenda.* 70.1.a
*Terra & cinis quid ſuperbis? cuius conceptio, culpa: naſci, miſeria: vita, pœna: mori, anguſtia.* 315.1.a
*Terra quadruplex.* 261.1.d
*Terra bona quadruplex.* 62.1.c
*Terræ bonitas quid repræſentet.* 59.1.a
*Terra materialis, terræ ſpirituali comparatur.* ibid.
*Terrena dum ſeruantur, amittuntur: & dum donantur, ſeruantur.* 209.2.b
*Teſta noua quod capit, inueterata ſapit.* 402.1.c
*Teſtæ exemplum ex Horatio.* 334.2.a
*Teſtimonium perhibet homo de Chriſto, de ſeipſo, & de proximo.* 137.2.b. & 138.1.d
*Theman ficus interpretatur.* 13.2.f
*Theriaca venenum expellit.* 370.1.a. *Ex quibus conſtet.* ibid. ad marg.
*Theriaca ex quibus componatur.* 339.2.f
*Theſaurus triplex.* 36.2.a
*Thomas hominem vidit, ſed Deum credidit.* 249.1.b
*Thomæ incredulitatis vtilitas.* 112.2.f
*Thomæ infidelitatis vtilitas.* 249.1.a
*Thomyris reginæ dictum in Cyrum regem ab ipſa interfectum.* 365.1.e
*Timor ex ſola proſperitate.* 359.1.e
*Tolerantia eſt virtus nobiliſſima.* 349.1.d
*Torquatus filium ſuum amatiſſimum interfecit ad campum ſponte non iuſſu profectum.* 272.1.a
*Trahat Deus quomodo.* 151.2.d
*Trahat quomodo diabolus.* 152.1.a
*Trahat quomodo homo.* ibid. c
*Trahentis gratiæ diuinæ exemplum perpulchrum.* 151.2.b.c
*Transfigurationis ſermo.* 76. & 77. per tot.
*Transfiguratus cur fuerit Chriſtus coram tribus teſtibus.* 77.2.b. & ſequ.
*Tribulationum exempla.* 327.1.b
*Triduum conſideratur.* 39.1.f. & 2.f
*Trinitas per Scripturam tam veteris, quàm noui Teſtamenti oſtenditur.* 153.2.d
*Trinitas diuina. Pater igni, Filius ſplendori, Spiritus ſanctus calori comparantur.* 21.2.c.d
*Triticum & zizania quid.* 70.1.f
*Turris Chriſtum ſignificat.* 163.1.b

*V*

V*AE, væ, vas vacuum & ſignatum.* 399.1.c
*Vacuum per ventoſas quomodo fiat.* 268.2.a
*Vacuum non patitur natura.* 369.2.a

*Vas*



*Vas vacuum non ſuſtinet ignem.* 292.2.f
*Vas vacuum, ſed ſignatum quid.* 301.1.b
*Vas vacuum, & ſignatum.* 399.1.c
*Vas verſo ore in aqua ſi ad inferius deprimatur, cur ſurſum repellatur.* 268.1.f
*Vas electionis Paulus quattuor modis.* 256. per tot. & ſequ.
*Vaſi cor humanum comparatur.* 264.2.a
*Vbi quattuor de Chriſto conſiderantur.* 35.1.b
*Velle noſtrum eſt.* 142.2.a
*Vendentis & ementis conſortium ſine peccato eſſe, difficile eſt.* 46.2.b
*Ventoſarum exemplum.* 268.2.a
*Verbum diuinum frequentius prædicatum, eſt valde virtuoſum.* 343.1.a
*Verbum Dei eſt animæ medicina.* 46.1.c
*Verſio quadruplex.* 121.1.e
*Veſtimenta proſternere, quid ſit.* 91.1.c
*Veſtis in Euangelio nominata, bonæ vitæ neceſſaria eſt propter quattuor.* 218.2.c
*Via Domini quadruplex.* 18.2.b. & ſequ.
*Videnda ſunt quattuor.* 249.1.c
*Videns videntem omnia quid non videt?* 334.2.f
*Videntes eum, qui omnia videt, quid eſt quod non videant?* 305.1.b
*Videre Dei. Vide dictionem, Deus videt.*
*Vigiliæ quid ſignificent.* 161.2.f. & 162.1.a
*Vigiliæ tres quid ſint.* 5.2.f
*Villicus Domini eſt omnis homo.* 179.2.c
*Vincere ſeipſum maximum eſt.* 347.2.f
*Vinculum, quo diabolus animã ligat, eſt peccatum.* 190.2.d
*Vinculum linguæ quid.* 189.1. & 2. per tot.
*Vinea quadruplex.* 57.1.a. & ſequ.
*Vinea plantata a Deo eſt mundus.* 55.1.a
*Vini immoderatus vſus duplicem cæcitatem affert.* 42.2.b
*Vinum quadruplex iuxta quadruplices nuptias.* 42.1.f
*Vinum charitatem ſignificat.* 43.1.e
*Vir a virtute dicitur.* 359.2.c
*Virginius ob ſtuprum filiam interfecit.* 255.1.f
*Virtus tenet medium vitiorum.* 33.1.a
*Virtus omnis quanto magis vnita, tanto potentior.* 326.1.a
*Virtus eſt bona qualitas mentis.* 316.2.a
*Virtus nobiliſſima eſt tolerantia.* 349.1.d
*Viſio diuina delicata.* 394.2.b
*Viſio eſt tota merces.* 118.2.f
*Viſioni quot neceſſaria.* 331.2.a
*Viſionis diuinæ quattuor conſideranda.* 327.2.c
*Viſio diuina quadruplex.* ibid.
*Viſus cur magis a nobis ametur.* 382.1.c
*Vita alicuius ſi deſpiciatur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur.* 60.2.d
*Vita ſemper moriens, & mors ſemper viuens in inferno.* 293.2.a
*Vita humana in humido radicali maxime conſiſtit.* 274.2.e
*Vita duplex iuxta duplicem hominis naturam.* 251.2.d
*Vita temporalis æternæ comparata mors eſt.* 221.1.d
*Vita beata, eſt præmium.* 312.2.d
*Vitæ duæ conſiderantur.* 243.1.c
*Vitis Chriſtus.* 43.1.f
*Viuens ſubſtantia omnis eſt nobilior omni ſubſtantia non viuente.* 357.1.d
*Viuere viuentis eſt eſſe.* 274.1.f
*Vnguis quid.* 335.2.f
*Vocat nos Deus tripliciter.* 178.1.f
*Vocatio diuina.* 55.1. & 2. per tot. & ſequ.
*Vocatio Dei quotuplex.* 159.2. per tot.
*Voces ſunt earum, quæ ſunt in anima paſſionũ, notæ.* 328.2.f
*Volucres cæli, & vulpes quid.* 18.1.c
*Voluntas Dei.* 74.1.f. & ſequ.
*Voluntatem Patris facientes quot bona acquirant.* 180.1.d
*Vpupæ auis pietas in parentes ſuos.* 240.2.f
*Vrna aurea in Arca, Chriſti animam; Arca, corpus Chriſti, & Manna diuinitatem repræſentant.* 14.2.c
*Vrſus ad palum ligatus, amanti comparatur.* 288.1.c.f
*Vtilitas triplex ex miſericordia.* 156.1.d
*Vulpes & volucres cæli quid.* 18.1.c
*Vulpes ſignificant fraudulentos.* 52.1.c
*Vulpi coruus amicus.* 339.2.c
*Vulpis & corui fabula.* 340.1.c.d

*X*

X*ENOCRATES maior Platonis diſcipulus.* 257.1.e
*Xenocratis continentia mira.* 257.1.e

*Z*

Z*ENITH quid ſit.* 283.1.a.b
*Zizania & triticum quid.* 70.1.f

F I N I S.

# Emendanda.

Primus numerus paginam indicat: ſecundus columnam.

| *Error.* | *Emendatio.* | *Error.* | *Emendatio.* | *Error.* | *Emendatio.* |
|---|---|---|---|---|---|
| debitur. | deſcribitur. 34. 1. a. ad marg. | ad. | at. 71. 1. b | a campum. | ad campum. 272. 1. a |
| aer. | ager. 53. 1. d | quando. | quanto. 82. 2. e | nonies. | nouies. 320. 2. b |
| Vehemoth. | Behemoth. 54. 2. a | oculi. | ouili. 117. 2. e | ſella. | ſtella. in marg. 325.1.b |
| ſuperbiam. | ſuperbia. 58. 2. e | dicicitur. | dicitur. 118. 1. f | Moral. lib.1. c.1. & lib.8. c.5. apponatur in marg. ad auct. Philoſophi. 333. 1. e | |
| ſex, fortaſſe, ſeptem, ni potus & cibus pro vno opere miſericordiæ ſumãtur. 59.2.f | | opert. | opere. 122. 1. e | maliuola, forſan legi debet, magniloqua. 343. 1. a | |
| charitas. | caritas. 62. 2. a | Tituli emendentur ſic: In diebus Rogationum. 128. | | apes ſagittatæ. | apes fatigatæ. 349.1.b |
| ſenſi. | ſenſi, &. 63. 2. e | pupulus. | populus. 154. 2. a | | |
| longuor. | languor. 69. 1. a | rius, deleatur. 158. 2. f | | | |
| | | relinqui. | reliqui. 217. 2. c | | |

# REGISTRVM.

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn.

Omnes ſunt Terniones, præter Nn, duernionem.

---

R O M AE,

*Ex Typographia A*POSTOLICA *Vaticana*.

*M. D. XCV.*